









ANNALES SACRI, ET EX PROFANIS PRÆCIPVI, AB ORBE CONDITO AD EVMDEM CHRISTI PASSIONE REDEMPTVM:

AVCTORE
AVGVSTINO TORNIELLO
CONGREGATIONIS S. PAVLI
CLERICO REGVLARI:

Ab eodem Quarta hac editione recogniti, et sexcentis locis aucti et locupletati.

TOMVS II.

ANTVERPIÆ,
EX OFFICINA PLANTINIANA,
Apud Balthasarem Moretum, et Viduam
Ioannis Moreti, et Io. Meursium.
M. DC. XX.



ECCLESIÆ EXALTATIO.



SYNAGOGÆ INTERITVS.

Cum Priuilegijs Cæsareo et Principum Belgarum.

BEATISSIMO PATRI
ET
DOMINO NOSTRO
PAVLO V.
PONTIF. MAX.

AVGVSTINVS TORNIELLVS
CONGREGATIONIS S. PAVLI
CLERICVS REGVLARIS

ÆTERNAM FELICITATEM.




N quartò, BEATISSIME PATER, DEO benè iuuante, Annales Sacri ab Orbe condito ad CHRISTVM passum, duobus Tomis comprehensi, à me postremis hisce vitæ meæ temporibus aliquot mendis expurgati, ac plurimis additamentis aucti, elegantioribúsq; Officinæ Plantinianæ typis diligentiori quàm anteà studio recusi emittuntur. Hos meritò sanè BEA-

TITVDINI VESTRAE offerre conſecraréque conſtitui, ratus me optimo ac ſapientiſſimo Pontifici, cunctíſque Eloquij ſacri ſtudioſis gratum eſſe facturum, ſi meas quoque lucubrationes multo tempore ac labore congeſtas pariter ac digeſtas, quæ præſertim ob ſacrorum temporum rationem ſatis, vt opinor, diligenter explicatam, ad ipſius Scripturæ ſacræ dilucidationem, faciliorémque intelligentiam ac recordationem, plurimùm conferre poſſe videntur, primario ac ſummo ſacrarum Scripturarum Patrono & Cuſtodi fideliſſimo dedicarem. Et quidem id in prima editione, quæ Mediolani facta eſt, præſtandum eſſe videbatur. fateor. Verumtamen, cùm tunc anceps & incertus eſſem de Libri exitu, num gratus acceptúſque legentibus eſſet futurus: quî fieri poterat, vt ſine temeritatis nota auderem illum tanti Principis conſpectu dignum iudicare? At verò poſteaquam audiui ipſum Francfordiæ ad Mœnum per Ioannem Theobaldum Schœnvvetterum, me inſcio, magna celeritate ac feſtinatione impreſſum, ferè in omnes Europæ Prouincias fuiſſe diſtractum; ac deinde tertiò, me pariter inconſulto, ab heredibus Iacobi Fiſcheri ibidem fuiſſe recuſum; cogitaui quartam hanc editionem, nouiſſimè, vt dixi, accuratè recognitam & auctam, nemini, quàm SANCTITATI VESTRAE conuenientiùs eſſe dicandam. Quid enim tam congruens aut rationi conſenta-

ſentaneum,& propoſito ſuſceptóque conſilio meo magis accommodatum, quàm libros de rebus ſacris agentes, illi cuius curæ fideíque in primis ſacra omnia diuinitus concredita & commiſſa ſunt, & qui ſacra omnia in pectore ſacro geſtat, commendare? Huc accedit, quod facilè ſperare poteram, eoſdem libros, ſi ſub tali ac tanto patrocinio prodirent, & libentiùs à fidelibus excipiendos, & maiori fide ac alacritate perlegendos; atque adeò ex eorum lectione vberiores ad gloriam Dei (quò potiſſimùm animi mei ſpectat intentio) in ſancta Eccleſia fructus prouenturos. Denique talia tantáque ſunt SANCTITATIS VESTRAE erga noſtram Congregationem merita,ob multiplices gratias ad eius fauorem Procuratore noſtro Generali ſupplicante conceſſas, quas hîc recenſere nimis longum eſſet, vt (quando maius aliquid offerre non valeo) mea ſaltem hæc exigua grati animi ſignificatio, tam benè merenti Patrono pleno iure deberi omnino videatur. His atque aliis motus rationibus, BEATITVDINEM VESTRAM quantum poſſum humiliter obſecro, vt meam hanc propenſam voluntatem æqui boníque faciat, & pro ſuo paſtorali officio, communíſque boni cura, qua famulorum ſuorum ſtudia in commune commodum collata piè fouere ac prouehere conſueuit, hoſce quoque labores meos, qualeſcumque ſint, benignè excipere, probare, & ſuprema

qua in terris fungitur auctoritate, protegere non grauetur, atque humillimo seruulo suo, corpore quidem absenti, spiritu autem ad sanctissimos eius pedes prouoluto, Apostolicam benedictionem impartiri. DEVS Opt. Max. SANCTITATEM VESTRAM diu valdè seruet incolumem; détque vt quæ in terris præclara ad DEI gloriam Ecclesiæque bonum in singulos dies meditari ac moliri non desinit, faustè, feliciter, prosperéque eueniant; atque eidem SANCTITATI VESTRAE solidam, veram, ac sempiternam in cælis gloriam conferant.



ADMO-

ADMODVM REVER. PATRI NOSTRO

DON COSMO DOSSENIO

CONGREGATIONIS

CLERICORVM REGVLARIVM S. PAVLI

PRÆPOSITO GENERALI

Don Augustinus Torniellus eiusdem Congregationis Clericus Salutem.



PVTABAM me vnico volumine Sacros Annales posse complecti, ideoque de vnica dumtaxat totius Operis dedicatione deliberaueram atque statueram. Posteà verò quàm commodius visum est, eosdem in duos partiri Tomos; cogitanti mihi cuinam alterum dicare deberem, protinus in mentem venit admodum Reu. Paternitas tua, quæ non de me solùm, sed etiam de vniuersa hac nostra Congregatione multùm op timeque merita est. Tu enim iam multis ab hinc annis eam singulari vigilantia, charitate, ac prudentia moderaris; & non minùs verbis gnemi spiritualem feruoremque spirantibus, quàm continuis perfectæ cuiusdam disciplinæ ac regularis obseruantiæ exemplis, ad virtutem maiorumque instituta erudire, ne dicam impellere, sedulò curas, omniaque studia perpetuosque labores tuos ad eius bonum spiritualésque progressus indies magis magisque promouendos dirigere ac conferre non desinis; vt propterea haud immeritò eiusdem Congregationis alumni, multis sanè nominibus, huic paternæ solicitudini, prudentiæ, ac charitati tuæ plurimum debere omnes ingenuè fateri debeant. Ego verò insuper vel maximè, non solùm ob singularem beneuolentiam, qua me pro tua humanitate prosequeris, verumetiam quòd ad Opus hoc absoluendum, & pro muneris tui auctoritate, honestas quasdam disci-

plinæ communis exemptiones, & opportuna auxilia mihi haud grauatè, cùm opus fuit, semper indulseris: & item pro ea, qua polles Sacrarum Ethnicarúmque historiarum notitia, ac prompta earum recordatione, quædam corrigenda, quædam etiam opportunis locis adiicienda demonstraueris. Denique si verum est quod optimè noster dicere solebat Apostolus: *Quis plantat vineam, & de fructu eius non edit? Quis pascit gregem, & de lacte gregis non manducat?* certè nemo non videt quàm æquum iustúmque sit, vt si quid lactis, si quid fructuum Deo donante ferimus, debitam vtique eorum partem offerre debeamus ei, à quo post Deum spiritualiter pascimur & excolimur. Suscipe igitur, plurimùm venerande in Christo Pater, meas hasce qualescumque lucubrationes, eásque ceteris filiis tuis Sacrorum librorum studiosis (si tamen eis commodi aliquid atque adiumenti adferre posse iudicaueris) pro tua prudentia legendas trade, & me, vt consueuisti, Deo commenda. Vale.

1. ad Cor. cap. 7. vers. 7.



ANNA-

ANNALES SACRI QVINTAE MVNDI AETATIS

AVCTORE

AVGVSTINO TORNIELLO NOVARIENSI

Congregationis S. PAVLI Clerico Regulari.

HACTENVS Annales Sacros quattuor prioribus mundi ætatibus contentos ac primo Tomo exaratos tradidimus: prosequamur modò agere de his, quæ ad duas posteriores pertinent: & priùs de Annalibus Quintæ mundi ætatis, quam à iactis Templi à Salomone constructi fundamentis, ad idem à Chaldæis exustum atque exterminatum perdurasse, non semel iam diximus. Itaque

AB ORBE CONDITO ANNVS 3023.	QVINTÆ MVNDI ÆTAT. ANNVS 1.



1 ☞ ANNO regni Salomonis quarto, qui erat annus regni Hiram Regis Tyri amici eius duodecimus, vt tradit Iosephus lib. 1. Aduersus Apionem; & annus quadringentesimus octogesimus ab exitu Israelitarum de Ægypto, vt expreßè habemus 3.Reg.cap.6. vers.1. & videre est in tabulis, & nos suprà sub anno mundi 2591.num.15.& 16.aduersus Melchiorem Canum & alios satis superque probauimus, in mense Anni sacri secundo, qui quandoque dicebatur Zio, quandoque verò Iar, & frequenter, aliqua saltem ex parte, nostro respondebat Aprili, quemadmodum sub anno mundi 2544. num. 11. declaratum est; cœpit Salomon iacere fundamenta Templi in monte Moria, qui (vt sub anno mundi 3017. num.1.& 3.diximus) demonstratus fuerat patri suo Dauid; nimirum in loco iam ab eodem Dauid empto & præparato, qui dicebatur Area Ornan Iebusæi: 3. Reg.cap.6. vers.1.& 37.& 2.Paralip.cap.3. vers.1. & 2. Sanè de hoc monte Moria aliquid hîc dicendum esset; sed quia de eo satis egimus sub anno mundi 2163.num.6.ne eadem iterùm repetamus, Lectorem ad illum locum libenter remittimus.

QVANDO COEPERIT SALOMON FVNDAMENTA TEMPLI IACERE.

2. Quoniam autem Scriptura sacra concisè & satis subobscurè de Salomonis templo loquitur, vt clarioris doctrinæ gratia distinctiùs aliquid de ipso dicamus, priùs de interiore templo seu æde sacra, quæ in duas primarias partes, hoc est in Sancta, & Sancta sanctorum distinguebatur, agendum erit; posteà de exteriori templo, cuius partes erant, Atria, Porticus, Exedræ, aliaque eiusmodi ædificia: quidquid enim in his fieri contingeret, in Templo fieri dicebatur. Itaque vt à mensuris templi interioris initium suma-

DE INTERIORI TEMPLO SEV DOMO DEI EIVSQVE MENSVRIS.

sumamus, hæ secundùm triplicem eius dimensionem satis accuratè describuntur 3. Reg. cap. 6. vers. 2. & 3. & 2. Paralip. cap. 3. vers. 3. & 4. vbi dicitur, quòd domus quam Salomon ædificauit, erat longitudinis sexaginta cubitorum in mensura prima, id est, nulla diuisionis eius habita ratione, sed computando simul longitudinem anterioris partis, quæ Sancta, & posterioris, quæ Sancta sanctorum dicebatur. Latitudo autem erat viginti cubitorum; habebatque ista domus in fronte sua Orientali porticum longam ad mensuram latitudinis Templi, hoc est cubitis viginti; latam verò decem, vt loco Reg. citato traditur. Quæ mensuræ omnes accipiendæ sunt, detracta scilicet ipsa murorum crassitudine, quæ in Sacro eloquio non exprimitur quanta fuerit; ideoque supponi debet, eam habuisse æquam altitudini proportionem, & non minorem ea; quam in templo Herodiano infrà sub anno mundi 4032. numero septimo probabimus fuisse cubitorum viginti. Etenim vtriusque templi, videlicet Salomonici & Herodiani, altitudo fuit æqualis, nempe cubitorum centum viginti, vt suis locis ostendemus. Quamquam de ipsa templi Salomonis altitudine, magna difficultas est: quoniam loco Reg. allegato legimus, prædictam domum habuisse triginta cubitos altitudinis; loco autem Paralipomenon pariter prænotato traditur, altitudinem eius fuisse centum viginti cubitorum: quo fit, vt hac de re non vna sit omnium Doctorum sententia. Quidam enim putant, id quod in lib. Paralip. habetur de centum viginti cubitorum altitudine, tantummodò ad porticum, quæ in Templi fronte erat, pertinere; non autem ad ipsam domum, quam ex 3. Reg. aiunt triginta dumtaxat cubitis altam fuisse. Et hanc opinionem profitetur Arias Montanus in suo Bibliorum Regiorum Apparatu, in quodam suo libello, quem inscripsit Ariel, seu de Templi fabrica; vbi etiam quibusdam tabulis singulas pænè Templi partes accuratè ac satis eleganter ad suum sensum delineatas repræsentat. Non multùm ab eadem sententia abfuisse videtur Io. Baptista Villalpandus, qui in Ezechielem prædictam porticum in facie Templi positam, quam ipse turris nomine appellat, facit centum viginti cubitos altam; reliquam verò Templi partem, triginta cubitis humiliorem, hoc est, habentem nonaginta tantùm altitudinis cubitos; de qua tamen re nihil prorsus in Sacris libris innuitur. Alij verò contrà contendunt Scripturam sacram, quando dicit domum fuisse altam cubitis centum viginti, esse accipiendam de externa & completa totius Templi altitudine; quod etiam firmis admodum rationibus ex sacra Scriptura & Iosepho desumptis, & item grauissimorum Doctorum, Bedæ, Ruperti, Richardi, Petri Comestoris, Angelomi, Lyrani, Abulensis, Caietani, & Vatabli auctoritatibus confirmat Franciscus Ribera libro 1. de Templi fabrica cap. 5. Quando verò ait Scriptura, domum fuisse altam triginta cubitis, debere intelligi de interiore atque inferiore Templi parte: siquidem tota Templi altitudo intus triplici contignatione distincta erat, vt paulò pòst num. 4. dicemus. Et hæc quidem posterior opinio videtur esse communior, & priori præferenda.

Longitudo. Latitudo. Altitudo.

3. Distinguebatur autem hæc domus secundùm eius longitudinem in tres partes. Prima in ipso ingressu erat porticus iam memorata, decem cubitis lata, & longa quantum sese extendebat tota latitudo domus, hoc est cubitis viginti; quæ & Templi vestibulum dici consueuerat. Altera erat domus maior, seu Sancta, longitudinis quadraginta cubitorum, 3. Reg. cap. 6. vers. 17. in qua erant, Altare incensi, Mensæ panum propositionis, & Candelabra aurea cum suis lucernis. Tertia demum Templi pars dicebatur Sanctuarium, seu Sancta sanctorum, id est omnium sanctissima, & Oraculum; quia ibidem dari solebant diuina responsa, vt patet Exod. cap. 30. vers. 6. & hæc erat minor priore: siquidem non excedebat in qualibet sua dimensione mensuram viginti cubitorum, vt colligi potest 3. Reg. cap. 6. vers. 16. & expresse asseritur ibidem vers. 20. & sentiunt communiter Hebræorum Rabbini. Quamquam autem non desunt ex Latinis Scriptoribus plurimi, qui proximè adducto textu adeò claro non obstante, asserunt Oraculum quidem fuisse longum viginti cubitis, & totidem latum, quemadmodum 2. Paralip. cap. 3. vers. 8. replicatum habemus; sed tamen habuisse altitudinis cubitos triginta, sicuti domus anterior: nituntur que prædicto 3. Reg. loco respondere, dicentes, illam viginti cubitorum altitudinem debere intelligi, non de toto Oraculo, sed de muro qui separabat Oraculum ab anteriore domo, quem credunt fuisse altum viginti dumtaxat cubitis, & super ipsum vsque ad primam contignationem, remansisse aperturam altitudinis decem cubitorum, solo coopertam velo; & hanc aperturam ibi necessariò ponendam putant, Primò, quia, inquiunt, per ipsam aliquomodò prominebant capita perticarum, quibus Arca portari consueuerat (erant enim viginti cubitis aliquantò longiores, vt infrà sub anno mundi 3030. num. 20. ostendemus.) Deinde, vt per eamdem aperturam transire posset fumus Alari incensi intra ipsum Oraculum; & deni-

Longitudinis Templi partes. De porticu. De Sancta. De aede, Sancta sanctorum appellata.

denique, quia cùm nemini dubium sit, vt omnes admittunt, quin velum quod pendebat ante Oraculum, fuerit illud quod in passione Domini scissum est à summo vsque deorsum, vt patescerent Sancta sanctorum; sic arguunt: Si murus ille vsque ad tectum Oraculi fuisset cōtinuatus, certè scissio illa non valuisset patefacere Sancta sanctorum, quæ nihilominùs muro intermedio remansissent occultata; Igitur, inferunt, à summitate dicti muri ad tectum Oraculi, memoratam extitisse aperturam viginti cubitis latam, altam verò decem, prædicto dumtaxat opertam velo; & consequenter totam Oraculi altitudinem fuisse triginta cubitorum, non secùs ac ipsius anterioris domus. His tamen non obstantibus, nos è contrario dicimus, Oraculum viginti tantùm cubitis fuisse altum, quemadmodum apertè asserit Sacer textus paulò antè citatus, qui profectò non de altero tantùm laterali pariete, sed de cunctis quattuor lateribus intelligendus est, quemadmodum verba ipsa indicant; à quibus nullo modo recedere debemus, præsertim cùm nulla sit necessitas ponendi prędictam aperturam. Nam, esto, fuerit; certè Arca Domini, cùm inferiùs super ipsius Oraculi pauimento posita esset, etiam scisso tam altæ illius aperturæ velo, videri non potuisset; neque vectes in Arcæ circulis positi, per eamdem prominere aperturam in alto positam vllatenus quiuissent. At verò per ipsam Oraculi portam, quæ satis ampla fuisse creditur, commodè poterant prominere vectium capita, & per eamdem intrare odor fumusque thymiamatis, & scisso velo patefieri quæ erant in Sancta sanctorū: valuæ etenim illius portæ ferè semper apertæ manebant, ita vt Sancta sanctorum ante fores Oraculi solo velo, quod totam eius faciem vestiebat, occluderentur. Igitur si Sanctuariū viginti dumtaxat cubitos habebat altitudinis, oportet quòd tabulata extrinsecus existētia, quæ pariter viginti cubitis alta erant, vt infrà num. 8. dicemus, ante fenestras essent aperta, vt lux ad ipsas ingredi posset.

4. Porrò Templum istud de quo nunc agimus, non secundùm longitudinem suam tantùm, vt dictum est, sed etiam secundùm ipsius altitudinem, tripliciter distinctum fuisse certum est, id enim euidenter colligitur ex 3. Reg. cap. 6. vers. 8. vbi dicitur, quòd in medio partis dextræ domus inferioris ostium erat, & per cochleam ascendebant (nimirum Sacerdotes) in medium cœnaculum, & à medio in tertium. Quamquam enim non desint, qui per hanc cochleam putent (quod nos quoque non negamus) paratum fuisse ascensum ad tria illa tabulata, in circuitu Templi postmodum fabricata, de quibus infrà num. 8. dicemus; attamen, quòd etiam per eamdem ascenderetur supra Templum, expresè tradit Iosephus 8. Antiq. cap. 2. his verbis: *Porrò ascensum in superiorem Templi partem commentus est Rex in crassitudine muri: hæc enim pars* (intellige superior) *non habebat ab Oriente magnam ianuam, vt inferior.* sic Iosephus. Vbi aduertendum est, quòd non dixit ad superiores, sed ad superiorem partem Templi; quia (vt arbitror) Herodiani templi, quod ipse præ oculis habuit, similitudine deceptus; falsò credidit, etiam totam Templi Salomonis altitudinem centum viginti cubitorum, eodem modo in duas tantùm domos fuisse distinctam; alteram superiorem, & inferiorem alteram: atque singulas sexaginta cubitis in altum fuisse porrectas. At verò Latini Scriptores, qui templum Salomonis centum viginti cubitis altum faciunt, dicunt inferiorem domum ab infimo pauimento ad priorem contignationem, triginta dumtaxat altitudinis cubitos habuisse, vt traditur 3. Reg. cap. 6. vers. 2. & super hanc domum inferiorem (ex his quæ diximus tradi in eodem cap. vers. 8.) ponunt duo cœnacula siue solaria, duásve aulas aut superiores domos, quas olim cœnacula nuncupari consueuisse certum est; quemadmodum nos sub anno mundi 1557. num. 16. ostendimus. Et primum quidem cœnaculum aiunt extitisse altitudinis triginta cubitorum; alterum verò, quod erat supremum, sexaginta. Ceterùm de inferiori domo, quæ propriè Templum dicebatur, constat sæpissimè in Sacris libris fieri mentionem; quoniam ibi quotidie diuina exercebantur mysteria: de superioribus autem, ad quas (vt diximus) per cochleam ascendebatur, rarò admodum; quia illæ non ad sacra Sacerdotum munia peragenda destinatæ erant, sed tantummodò (vt creditur) ad reponenda quædam ministeriorum vasa, vestésque Sacerdotum sacras, & si quæ eiusmodi alia erant ad quotidianos Templi vsus necessaria. Quamquam etiam credibile est, alia quoque ad sacros vsus non ampliùs necessaria, ibidem tamquam in loco sacro & remoto admodumque conuenienti fuisse asseruata; qualia erant, Tabernaculum & Altare holocautomatum, quæ olim fecerat Moyses, vt ait Abulensis super 3. Reg. cap. 8. q. 2. & fortè etiam tabernaculum quod fecerat Dauid, de quo sub anno mundi 2988. num. 2. dictum est: horum enim vsus, ædificato Templo, iam cessauerat. Puto item ibidem asseruata fuisse, vrnam auream plenam man, & virgam Aaron quæ mirabiliter fronduerat, & librum Deuteronomij; quæ olim iusserat Moyses per Leuitas poni ad latus Arcæ fœderis Domini, vt cum ipsa deferri

ALTITVDINIS EIVS PARTES.

TRIVM COENACVLORVM ALTITVDO QVANTA.

SVPERIORVM DVORVM COENACVLORVM VSVS.

poſſent in terram Chanaan: Deuter. cap. 31. verſ. 26. Hunc enim poſteà librum Ioſiæ temporibus reperit Helcias Pontifex in domo Domini, & miſit ad Regem, vt traditur 4. Reg. cap. 22. verſ. 8. Hæc, inquam, & eiuſmodi alia, probabile eſt, deuotionis gratiâ fuiſſe repoſita in ſuperioribus Templi partibus, atque ibidem vſque ad captiuitatem Babylonicam Templique deſolationem conſeruata. Et nihilominùs ſatis rationabiliter credimus, prædictas duas aulas ſupra Templum poſitas, ad quas per cochleam aſcendebatur, extitiſſe tantummodò ſuper domum, quæ Sancta dicebatur; non autem etiam ſuper Oraculum, quod Sanctum ſanctorum vocabant, & viginti tantùm cubitis altum fuiſſe diximus, ſuper ipſum enim credimus nihil prorſus, ob reuerentiam Arcæ Domini quæ ſubtus collocata erat, vmquam fuiſſe repoſitum; ſed totum illud ſpatium, quod erat altitudinis centum cubitorum, & latitudinis pariter ac longitudinis viginti, erectis in parte Orientali tabulatis, ſine vllo oſtio, vt nemini peruium eſſet, ſemper vacuum penituſque inane permanſiſſe.

TEMPLVM CVR NON MAGIS AMPLVM FVERIT FACTVM

¶ 5. Hîc ſi quis quærat, cur Templum non fuerit ædificatum præcisè ad menſuras Tabernaculi Moyſaici olim à Domino præſcriptas, quæ ex Exod. cap. 26. verſ. 16. vſque ad 26. colligi poſſunt fuiſſe longitudinis triginta cubitorũ, & latitudinis decem, quemadmodum nos ſub anno mundi 2544. num. 61. probauimus: aut ſi ab hiſce menſuris recedendum erat, vt fabrica magnificentior euaderet, cur tantummodò duplo maius Templum ipſo Tabernaculo factum ſit. videtur namque longè amplius fieri debuiſſe, præſertim cùm in toto illo regno vnicum eſſet; & vt dicitur Paralip. cap. 22. verſ. 5. tale eſſe deberet, vt in cunctis gentibus nominaretur; & noſtris temporibus, in quibus tot in vnaquaque vrbe templa viſuntur, plurima ſint, in vrbibus præſertim inſignioribus, illo valdè ampliora. Ad hæc reſpondere poſſumus, non eamdem fuiſſe Tabernaculi Templique rationem: nam illud quidem quia portatile eſſe debebat, non debuit maius fieri quàm præſcriptum fuerat; alioqui vel nullatenus, vel nimia cum difficultate geſtari potuiſſet. Templum autem, quoniam ſtabile, diuque admodum erat permanſurum; proculdubiò potuit debuitque multò grandius ædificari: non tamen conueniens videbatur illud adeò amplum fieri, ſicuti ſunt plurima ex noſtris; ſiquidem in his non ſoli Sacerdotes, ſed & omnis populus ingredi poteſt ſoletque; in illo autem tantummodò Sacerdotes poterant introire; & in Sancta quidem, pauci admodũ, iuxta vices ſuas, bis in die, manè ſcilicet & veſpere, ad concinnandas lucernas incenſumque adolendum, vt patet Exod. cap. 30. verſ. 7. & Luc. cap. 1. verſ. 9. & item ſemel ſingulis Sabbatis, ad remouendos panes propoſitionis veteres, calidoſque alios reponendos: Leuit. cap. 24. verſ. 8. In Sancta autem ſanctorum ingredi poterat ſolus Pontifex ſemel in anno, vt dicitur ad Hebr. cap. 9. verſ. 7. idque decima die menſis ſeptimi, nimirum in Feſto Expiationis ſeu Propitiationis, vt colligitur Leuit. cap. 16. vbi eiuſdem expiationis ritus edocetur: vnde ſuperuacuum videri potuiſſet, Templum illud tam grande fieri, ſicuti nunc ſunt aliqua ex noſtris. Et tamen ne nimis anguſtum videretur, operæpretium fuit, vt duplo ſaltem maius Tabernaculo fieret: & (vt quantum fieri poterat, magnificentiæ ratio haberetur) quod amplitudini ob cauſas ſuperiùs allegatas deerat, ſuppleretur intus ornatu pretioſiſſimo, foris autem altitudine eximia; ex quibus tum admirabile cunctis gentibus, tum etiam inſtar magnæ cuiuſdam turris munitiſſimum, & valdè procul conſpicuum redderetur. Ex quo factum eſt, vt poſteà etiam ipſa Ieruſalem aliquando nuncupata fuerit Turris gregis, & nebuloſa, vt patet Michææ cap. 4. verſ. 8. nimirum, vt aiunt illius loci Expoſitores, propter Templũ in ea ad altiſſimę turris ſimilitudinem conſtructum, quod, quemadmodum Turris gregis dictum eſt, quia ad ipſum ter in anno omnis Iſrael, in modum magni gregis, conuenire ſolebat, ita etiam Turris nebuloſa nuncupatum fuit, quòd (in altiſſimo præſertim monte erectum) tanta eſſet eius altitudo, vt eius ſummitas nubes quodammodò contingere videretur. Itaque tametſi in ipſa Templi ædificatione ſeruari non potuerint menſuræ Tabernaculi; obſeruata nihilominùs fuit, quatenus potuit, proportio ad ipſum: nam ſicuti longitudo Tabernaculi triginta cubitorum, tripla erat ad latitudinem eius, quæ creditur fuiſſe decem cubitorum; ita longitudo Templi ſexaginta cubitorum, tripla fuit ad latitudinem ipſius, quæ erat cubitorum viginti: & quemadmodum tota Templi longitudo, ad longitudinem Tabernaculi; ſic etiam tota Templi latitudo ad ipſam Tabernaculi latitudinem dupla fuit. Denique, ſicuti de menſuris Tabernaculi non eſt curioſiùs inquirendum, cur non maiores minoréſve extiterint; quòd certum ſit, à Deo, qui omnia iuſtis ponderibus ac menſuris librare ſolet, Moyſi tales fuiſſe pręſcriptas: ſic nec de menſuris Templi; quoniam ipſæ quoque Dauidi traditæ diuinitus fuerunt, vt nos ſub anno mundi 3017. num. 3. oſtendimus; & poſteà ab ipſo Dauide Salomoni

conſi-

consignatæ, quemadmodum sub anno mundi 3020.num.6. dictum est.

6. Dicamus nunc aliquid de eiusdem Templi ornatu; & priùs de interno, de quo breuiter ac sparsim fit mentio 3.Reg.cap.6.vers.15.vsque ad 36.& 2.Paralipom.cap.3. vers.4.vsque ad 15.Ex quibus locis colligi potest, quòd omnes Templi parietes intus vestiebantur tabulis cedrinis,quæ torno aliisq; fabrilibus instrumentis admodum elaboratæ expolitæque erant,ac multis exornatæ cælaturis, quæ referebant Cherubim, & palmarum species,aliasque picturas,hoc est variarum rerum imagines, fabrefactas, atque ita prominentes,vt veluti de pariete egredi viderentur; quæ etiam quibusdam quasi catenulis sese inuicem eleganter admodum complecti videbantur. Omnes verò istæ tabulæ sic,vt dictum est,cælatæ,quas propterea satis crassas fuisse oportuit, purissimi ac probatissimi auri laminis, tamquam thecis appositissimè ad sculpturas illas accommodatis,operiebantur; & erant laminæ clauis aureis asseribus affixæ, atque ita ad vnguem cunctas illas cælaturas vestiebant,ac si in tabulis aureis sculptæ fuissent. Puto autem singulas huiusce modi tabulas ad minus fuisse latas cubito vno & semis, quemadmodum erant tabulæ Tabernaculi,vt dicitur Exod.cap.26.vers.16. vel fortè etiam aliquid ampliùs,puta cubitis duobus; longas verò sexdecim, aut decem & septem circiter cubitis; & sic inter se dispositas,vt vna tabula sursum,& altera deorsum, transuersaliter iuxta parietes excurrerent; reliquæ verò inter ipsas erectæ,inuicemque eo modo iunctæ essent,quo componi solent pelles deauratæ seu panni serici,quibus diuitum cubicula vestiuntur. Atque hoc ordine crediderim exornatos anterioris Domus parietes, à pauimento sursum,vsque ad viginti cubitorum altitudinem,hoc est vsque ad limina fenestrarum,quas in reliqua superiori decem cubitorum altitudine ritè dispositas fuisse dubium non est,& ibidem obliquè fabricatas,vt traditur 3.Reg. cap.6.vers.4. Spatia verò inter easdem fenestras existentia, alio pariter tabularum eiusdem operis ordine decenter cooperta fuisse necessarium est; ita vt ne vnus quidem in parietibus lapis vel pars eius vspiam apparere posset, quemadmodum signanter exprimitur ibidem v.18. Eodem quoque modo Sanctuarium,quod non tantæ erat altitudinis, simili ac proportionata tabularum dispositione vbique intus peruenustè vestitum paratumque fuisse credimus. Nisi fortè ipsæ Sanctuarij tabulæ,vt probabile est, maiori aliquo essent artificio elaboratæ,elegantioribusque ac maioribus cælaturis fabrefactæ. Porrò anterior Sanctuarij facies insuper tota velo operiebatur pretiosissimo, quod ex hyacintho, purpura,cocco,byssoque mira varietate intextum, picturas Cherubim aliasque varietate ac pulchritudine admirabiles referebat. Neque verò Templi parietes tantùm,vt dictum est,Salomon tabulis cedrinis graphicè admodum cælatis atque inauratis exornari voluit, sed & trabes & laquearia,postesque & ostia ex cedro fieri, variisque cælaturis, & cuncta desuper inaurari. Necnon & pauimentũ ipsum, quod tabulis in Sanctuario cedrinis,in anteriori autem domo abiegnis stratum erat; non quidem cælatis, quia planum esse debebat; verumtamen laminis aureis desuper vsquequaque contectis: vt proptereà nihil in Templo nisi auro tectum conspici posset,quemadmodum expressè traditur 3.Reg.cap.6.vers.22.Superiora quoque cœnacula Salomon intus texit auro, vt dicitur 2.Paralip.cap.3.vers.9.sed,vt arbitror,illa non tanto artificio expoliuit. Et interior quidem Templi ornatus sic se habebat.

DE INTERNO TEMPLI ORNATV.

7. Exterior autem eiusdem Templi pulchritudo,in tribus ferè posita videbatur. Primò,quia Templi fabrica erat valdè sublimis,nimirum alta centum viginti cubitis, & in modum magnæ ac celsissimæ turris ædificata, vt dictum est, & in loco admodum eminenti posita, hoc est in vertice montis altissimi; ad quem ab vrbe Ierosolyma, quæ ipsa quoque in eodem monte ædificata erat,non modicum ascendebatur, iuxta illud Luc.cap.18.vers.10. *Duo homines ascendebant in templum*; & Actorum cap.3.vers.1. *Petrus autem & Ioannes ascendebant in templum.* Vnde procul admodum videri poterat, & ab eius pinnaculo seu culmine,vel potiùs domate, tota ferè Iudæorum regio commodè perlustrari. Secundò,quia ex lapidibus magnis & pretiosis, hoc est, non ex quolibet marmore,sed admodum albo & electo,eoque exquisitissimè quadrato, dolato, atque expolito,ædificatum erat Templum, à fundamentis vsque ad verticem, vt colligi potest ex 3.Reg.cap.5.vers.17.& 18.& cap.6.vers.7. Tertiò, quoniam tectum quod erat in summitate Templi,vt habetur loco proximè citato vers.9.& 10. totum erat de lignis cedrinis compactum,habebatque desuper,nimirum in circuitu, tabulatum, in modum (vt arbitror) elegantis cuiusdam cancelli fabrefactum,pariter cedrinum, altitudinis quinque cubitorum.Ex quo Scripturæ sacræ loco inferri potest, ipsum Templi tectum non fuisse fastigiatum seu acuminatum,vt sunt nostra; sed ferè planum,more tectorum quæ fiebant in Palæstina & Ægypto, aliisque regionibus, vbi rarò admodum

DE EXTERNA TEMPLI PVLCHRITVDINE.

dum pluere solet; & eiusmodi tecta magis propriè significari videntur vocabulo Græco quàm Latino; dicuntur enim domata: supra quæ, quia nonnumquam ascendere solebant, iuxta illud Prouerb. cap. 21. vers. 9. *Melius est sedere in angulo domatis*, &c. id est, (vt ibidem exponit Iansenius) in angulo tecti iniuriis cæli expositi; propterea præceperat Dominus Deut. cap. 22. vers. 8. filiis Israel, vt quando domum nouam ædificare vellent, attollerent aliquantulùm in circuitu tecti eius murum, ne quis inde cadere posset. Et hac quoque de causa videtur Salomon fecisse prædictum tabulatum super omnem domum, id est supra pinnaculum Templi. Poterat ergo eiusmodi tabulatum ipsi Templo tria præstare; nimirum maiorem securitatem iis qui supra Templum ascenderent, ne videlicet eos inde in præceps labi contingeret; & item tempore belli faciliorem eiusdem Templi defensionem; sic enim commodiùs saxa, aliaque eiusmodi eò comportare, & inde valentiùs deiicere poterant. Denique, quod erat præcipuum, non mediocrem Templo tabulatum illud conferebat decorem & pulchritudinem: erat enim veluti totius fabricæ coronula; & ad maiorem gratiam (si venerabili Bedæ in lib. de Templo cap. 9. credimus) turriculis quoque eleganter distinctum conspiciebatur; quæ si in acutum desinebant, quodammodò murorum pinnas imitari videbantur: vnde illa Templi summitas, pinnaculum Templi dicta est; non quia tectum eius esset fastigiatum, sed quia in circuitu eius veluti pinnas plurimas haberet. Eusebius lib. 9. de Præparatione Euangelica cap. 4. versus finem ex Eupolemo addit, Salomonem fecisse etiam catenas tamquam retia, super omnem Templi altitudinem viginti cubitis, easque instrumentis quibusdam extendisse, à quibus quadraginta tintinnabula ærea dependebant, ne aues super Templum sederent, neque nidos in laquearibus eius facerent, vt Templum ab omni prorsùs immunditia incontaminatum seruari posset. Sed quia tam ipse Eupolemus, quàm alij Scriptores Ethnici, olim inter recensendum aliqua ad Historiam sacram pertinentia, multa referre solebant ab his quæ in Sacro eloquio traduntur admodum diuersa atque aliena, quemadmodum nos sub anno mundi 1656. num. 23. & 26. adnotauimus; ac etiam sub annis 3030. num. 5. & 3650. num. 4. repetendum erit; propterea illorum dictis non valdè fidendum est, neque quæ afferunt facilè sunt recipienda, nisi quatenus cum his quæ in sacra Scriptura habentur conuenire, ac ritè quadrare comperiantur.


DE TRIBVS TEMPLI TABVLATORVM SEV CELLARVM ORDINIBVS.

8. Ad eumdem etiam exteriorem Templi ornatum, reduci posse videtur ligneum illud ædificium, quod extrinsecus in circuitu Templi & Oraculi, præterquam in fronte Orientali, fabricatum erat; quod sub nomine trium tabulatorum breuiter tangitur 3. Reg. cap. 6. vers. 5. vsque ad 7. vbi legimus: *Et ædificauit super parietem Templi* (id est, ad parietem Templi, iuxta illud Psal. 136. vers. 1. *Super flumina Babylonis*, &c.) *tabulata per gyrum in parietibus domus per circuitum Templi & Oraculi*, &c. & posteà subiungitur, quòd tabulatum infimum habebat quinque cubitos latitudinis, medium sex, supremũ verò septem. Circa quæ tabulata, tria potissimùm quæri possunt. Primò, de ipsorum forma & vsu. Secundò, cur essent in latitudine inæqualia. Tertiò, quanta esset eorumdem altitudo. nam de singulorum distinctionibus & cellarum numero, nihil certi affirmare possumus, nisi quòd Iosephus 8. Antiq. cap. 2. facit eas triginta in vnaquaque ipsorum serie. Et quidem, quod ad primum attinet, duæ habentur Doctorum opiniones: Altera quæ putat illa fuisse veluti deambulatoria, è Templi muris prominentia, seu longa quædam podia, cancellis dumtaxat circumdata; & triplici ordine secus Templi parietes, ad eius decorem excurrentia. Pro qua sententia facere videntur, primò ipsa tabulatorum latitudo; quæ cùm definiatur fuisse quinque vel septem cubitorum, videtur satis angusta, ac magis conuenire loco ad deambulandum prospiciendúmve, quàm ad habitandum destinato: deinde illa verba loco Reg. citato apposita, *Et fecit latera in circuitu*, id est, vt nonnulli interpretantur, veluti cancellos, ne quis inde labi posset. Hanc opinionem secuti videntur plurimi ex Latinis; qui de hoc Templo scripserunt, Beda, Richardus, Lyranus, Auctor Historiæ Scholasticæ, Abulensis, & alij. Sed si hæc fuissent podia ad Templi ornatum facta, non minùs viderentur fieri debuisse in Orientali eiusdem Templi fronte, vbi maiorem habuissent gratiam, quàm in aliis eius partibus. Quare multò probabilior videtur sententia Iosephi, aliorumque Hebræorum, & Vatabli, qui sentiunt, prædicta tabulata non fuisse deambulatoria; sed diuisa in cellas ad vsum Templi ædificatas, ostiisque ita dispositis, vt ab vna in aliam commodè pertransiri posset. Eamdem opinionem sequitur, & aliquot etiam argumentis ex sacra præsertim Scriptura desumptis confirmat Ribera lib. 1. cap. 14. de Templi fabrica, vbi etiam reddit causam, cur adeò arctæ essent dictæ cellæ; nimirum, ordinem ipsarum infimum, propter areæ angustiam, non potuisse fieri quinque cubitis latiorem; reliquos

DE TABVLATORVM FORMA.

liquos verò duos suprà positos, ad maiorem ipsorum firmitatem ac decorem, vno tantùm cubito sese inuicem excedere debuisse. Ad alterum quæsitũ, quod erat de inæqualitate latitudinis horum tabulatorum, dicimus, duobus modis illam potuisse contingere: vel quia Templi murus in parte inferiori vsque ad tectum primi tabulati esset crassior; & inde vsque ad tectum secundi, vno cubito minùs crassus, in tertio autem tabulatu, altero item cubito gracilior, vt prima quæ hîc ponitur figura demonstrat. Vel econuersò, quia parietes quidem Templi extrinsecus perpendiculariter ascenderent, ordines verò tabulatorum seu cellarum sese inuicem foris vno cubito protenderent, vt in secunda figura hîc exprimitur.

DE EORVMDEM INAEQVALITATE



Vtraque opinio probabilis est, & suos habet defensores; verùm nobis posterior magis arridet, propter illa verba quæ habentur 3. Reg. cap. 6. vers. 6. videlicet: *Trabes autem posuit in domo per circuitum forinsecus, vt non hærerent muris templi.* Ex quibus verbis videtur posse colligi, quòd prędicta tabulata non crassioribus illis muri partibus, vt in prima figura conspicitur; sed trabibus secus murum erectis fulciebantur, vt secunda ostendit figura. Quamquam etiam dubium sit, an ibidem Scriptura per trabes intelligat transuersales tantùm, quæ super prominentias è Templi parietibus egredientes, quas Architecti vocant canes, residerent, vt sentit Ribera; an verò intelligi velit etiam rectas, quæ ibidem è terra surgerent, vt putat Abulensis. Quidquid sit de prædictis canibus, mihi profectò satis probabile videtur, secus Templi parietes, præter trãsuersales trabes, alias quoque rectas per iusta quædam interualla in terram fuisse defixas, saltem vt ab vna ad alteram tabulæ in septi modum affigerentur; ne qui in tabulatis essent, vllo modo possent Templi muros contingere. Et hoc videtur significari illis verbis: *Vt non hærerent* (nimirum tabulata, & qui in eis essent) *muris templi.* De altitudine autem horum tabulatorum seu cellarum, quod erat tertium quæsitum, Scriptura sacra non meminit, quemadmodum nec de earum longitudine; vnde aliqui arbitrati sunt, altitudinem primi tabulati peruenisse vsque ad primam Templi contignationem; ita vt eadem tigna egressa muros Templi, sustinerent tectum primi tabulati; & eodem modo in secunda ac tertia contignatione; ex quo sequeretur, altitudinem primi tabulati, seu infimi ordinis cellarum, fuisse triginta cubitorum, & secundi totidem, & tertij seu supremi sexaginta. Verumtamen hæc opinio (supposito quòd huiusmodi tabulata non podia essent, sed cellæ) non placet: tum quia tanta cellarum celsitudo, ad ipsarum latitudinem, quam diximus fuisse cubitorum quinque, vel ad summum septem, nimis fuisset improportionata, tum etiam, quia sic cellæ totum Templi murum extrinsecus operuissent, quod certum est reluctari Iosepho, qui lib. 6. de Bello Iudaico cap. 6. scribit, quòd superior Templi pars eiusmodi domos non habebat; & clariùs lib. Antiquit. 8. cap. 2. dicit, quòd prædicta tabulata seu cellæ *viginti cubitis attollebantur; & super has alia series cellarum erat extructa; super quam rursum alia, omnes inter se numero & amplitudine pares; ita vt coniunctæ inferius ædificium æquarent altitudine; nam superius non erat circumædificatum.* Ex quibus Iosephi verbis patet, quòd dimidia tantummodò pars altitudinis murorum Templi, hoc est sexaginta dumtaxat à solo cubitis, extrinsecus dictis tabulatis operiebatur. Quamquam istam Iosephi sententiam potiùs de templo nouissimè ab Herode constructo, quod ipse Iosephus sæpiùs vidit, & cui putauit Salomonicum per omnia, vel saltem in hoc fuisse simile, crediderim posse accipi: nam si tabulata Templi Salomonis habuissent singula viginti cubitos longitudinis, & totidem latitudinis, & viginti pariter altitudinis, quemadmodum nunc in textu Græco eiusdem Iosephi loco Antiq. proximè allegato legimus; proculdubiò altitudo cellarum ad reliquas ipsarum dimensiones fuisset satis proportionata. Verùm cùm ex Sacro textu, vt dictum est, & item ex emendatiore Iosephi lectione, olim à Ruffino translata, constet, tabu-

DE IPSORVM ALTITVDINE.

tabulata Templi Salomonis quinque circiter cubitis fuiſſe lata; non eſt credibile, quòd ſingula habuerint viginti cubitos, vel amplius, latitudinis. Neque in hoc neceſſe eſt omnino fidem adhibere Ioſepho; præſertim cùm videamus ipſum in nonnullis quoq; aliis eiuſdem Templi menſuris apertiſſimè à Sacris codicibus diſcordare: ſiquidem Templi inferioris altitudinem dicit fuiſſe ſexaginta cubitorum, & tamen 3. Regum cap. 6. verſ. 2. ponuntur tantummodò cubiti triginta; & prædicta tabulata dicit Ioſephus fuiſſe omnia eiuſdem amplitudinis, Scriptura autem vbi ſuprà verſ. 6. medium tabulatum fuiſſe vno cubito latius infimo, & ſupremum medio adhuc altero cubito latius extitiſſe tradat. Itaque ſi hac in re coniectari liceret, dicere poſſemus, rationabile admodum videri, ſingula illa tabulata ſiue cellarum ordines, tot altitudinis quot latitudinis cubitos habuiſſe; ita vt tectum ſupremi ordinis cellarum, propè ad limina feneſtrarum Templi, quæ in anteriori domo, hoc eſt, in Sancta, viginti circiter cubitis à pauimento alta fuiſſe diximus, peruenirent: in Sancta autem ſanctorum, quam non niſi viginti cubitis altam fuiſſe diximus, oportet feneſtras multò fuiſſe humiliores, & tabulata ante ipſas fuiſſe interrupta & aperta, ita vt lumen ingredi poſſet, quemadmodum ſuprà num. 3. dictum eſt. Porrò ad has cellas, ſeu ad ſuperiora tabulata, per eamdem cochleam, per quam ad cœnacula Templi aſcendebatur, pariter aſcenſus præberi conſueuiſſe creditur, oſtiolis in ipſius Templi parietibus aptè diſpoſitis.

Differentia inter templum Salomonis, et Ezechielis.

9. Ceterùm hîc notandum eſt, prædicta tabulata lignea non reperiri in eo templo, quod in viſione monſtratum eſt Ezechieli; ſed eorum loco, ad illius templi latera quaſdam poni domunculas muris firmiſſimis ædificatas, vt etiam videre eſt in Villalpandi typis. Quare videtur non omnino ſuſtineri poſſe, quod idem Villalpandus ſæpè ſupponit, & pro indubitato axiomate habet, nimirum, idem prorſus fuiſſe templum Ezechieli mirabiliter oſtenſum, cum eo quod olim Salomon extruxerat: præſertim cùm in aliis quoque eadem templa nonnihil fuiſſe inter ſe diuerſa, nos infrà ſuis locis ſimus demonſtraturi. Vnde fit credibilius, Ezechieli in prædicta viſione diuinitus præmonſtrata fuiſſe, non ea præcisè quæ in Templo à Salomone constructo, & à Chaldæis deſtructo, extiterant; ſed multa quoque eorum quæ facienda erant in illo templo, quod poſteà ſub Dario Hyſtaſpis reædificandum, & poſterioribus temporibus, primò ab Artaxerxe Longimano, mox à Simone iuſto, ac demũ ab Herode (vt nos ſub annis mundi 3540. num. 1. & 3610. num. 9. & 3752. num. 2. & 4032. num. 1. vſque ad 17. incluſiuè oſtendemus) muniendum, inſtaurandum, ampliandum, decorandum, ac perficiendum erat. Certè Auctor Chronologiæ maioris Hebræorum in fine cap. 26. ait, quòd per viſionem Ezechieli monſtrauit Deus exemplum ædis ſiue templi futuris ſæculis ædificandi. Sed ego certiſſimum puto, in memorata viſione plurima quoque Ezechieli cęlitus oſtenſa fuiſſe, quæ neq; priùs in Templo Salomonis fuerant, neq; in aliis poſteà extructis extiterunt; ſed tantummodò ad ſignificandum ſpiritualis templi ædificium, quod erat Eccleſia Chriſti mox ædificanda, ſpiritualiter intellecta, pertinebant, vt nos fuſiùs ſub anno mundi 3460. num. 1. ex Hectore Pinto oſtendemus. Et hæc ſunt quæ de externo intimi Templi ornatu ex Sacris libris colligi poſſe videntur. Vtrùm autem

De templi architectura.


inſuper idem Templum ab extra tot talibuſque Architecturæ ordinibus atque ornamentis fabrefactum eſſet, quot qualibuſque ipſum repræſentat Villalpandus in ſuis elegantiſſimis eiuſdem Templi deſcriptionibus ac typis, affirmare non auſim; cùm probabilius ſit, illis temporibus Architecturæ artem nondum adeò fuiſſe perfectam: quin etiam omnino conuinci poſſe non videtur, tunc temporis eximios illos eiuſdem artis ordines regulaſque in vſu fuiſſe apud Hebræos, quæ poſteà apud Græcos ac Romanos excellenter admodum floruerunt. Quemadmodum enim ab his valdè differt illud Architecturæ genus, quod ducentis & ampliùs ab hinc annis in Germaniæ regionibus vigebat, ac etiam in Italiam introduci cœperat, & ad cuius normam templum maius Mediolani ædificatum videmus; ita potuit illud quo in Syria, Salomone viuente, vti conſueuerant, in multis differre ab eo quod deinde Græci Romanique in vſum induxerunt. Solent enim tempora, in eiuſmodi præſertim artibus, multa nouare, aliaque à prioribus diuerſa introducere; aliquando quidem priſcis minùs perfecta, vt plurimùm autem multò perfectiora. Et hæc de nobiliori parte Templi, quæ magis propriè Templum interius, ſeu domus Domini dicebatur, ſint dicta: cuius binos hîc typos, ad ea quæ hactenus diximus magis exprimenda, delineari curauimus; quorum primus exteriorem eius formam, alter verò interiorem demõſtrabit. Nam ipſius veſtigium conſpici poterit in Atriorum ichnographia, quam tertio loco hîc pariter ſubiungendam duximus, vt quæ de Atriis quoq; ac in eiſdem contentis continuò dicenda erunt, faciliùs percipi valeant.

10. Dictum


TEMPLI SALOMONIS ASPECTVS


EXTERIOR

INTERIOR



Libuit hîc subijcere exemplum aliquanto maius partis tabulati, quo intus Sancta vestiebantur; vt ex varijs hisce cælaturis quodammodo coniectari liceat, quales essent illæ quas Salomon in tabulis sculpi, thecisq; aureis eleganter operiri curauit.




Occidens.
VESTIGIVM TEMPLI SALOMONIS.
ALT. HOLOC.
BASIS ÆNEA SALOMONIS.
ATRIVM
EXTERIVS.
Meridies.
Septemtrio.

10. Dictum eſt hucuſque de nobiliori parte Templi, quæ magis propriè Templum dici poterat: reſtat nunc aliquid dicere de partibus eius exterioribus, hoc eſt, de Atriis, Porticibus, Exedris, & ſi quæ erant eiuſmodi alia. Erant autem Atria, areæ quædam in medio diſcoopertæ, ac ſub dio poſitæ, ad latera verò porticibus cinctæ, ſub quibus pluuio æſtuſque tempore poterat populus ſe recipere. Sanè quòd Salomon non vnicum dumtaxat atrium fecerit, indicant verba illa 3. Reg. cap. 6. verſ. 36. *Et ædificauit Atrium interius,* &c. Inde enim infertur, fuiſſe ſaltem aliud exterius pro populo: quandoquidem in Atrium interius Sacerdotes & Leuitæ tantùm ingredi poterant. Præterea 1. Paralipomenon cap. 28. verſ. 6. & 12. fit mentio atriorum in numero plurali: & item in Pſalmo 133. *In Atriis domus Dei noſtri.* & alibi non ſemel. Verùm vtrùm fuerint duo Atria ſolùm in templo Salomonis, an plura; & an omnia in anteriori parte Templi ad Orientem, vel etiam ad latera, & in circuitu ipſius Templi; non ſatis exploratum videtur. Nam licet plerique ex Catholicis Scriptoribus plura, nimirum quattuor ſaltem atria ponant, eaque etiam in circuitu Templi, vt ſunt Caſſiodorus in Pandectis, quem citat ſequiturque Beda in lib. de Templo cap. 16. Auctor Hiſtoriæ Scholaſticæ lib. 3. Reg. c. 14. & 15. Lyranus ſuper 3. Reg. cap. 6. & Abulenſis ibidem quæſt. 20. & 21. & alij: attamen, vt benè notat Ribera lib. 1. cap. 16. de Templo, confuderunt iſti tempora & templa, exiſtimantes omnia atria, quæ in templo ab Herode conſtructo fuiſſe leguntur, etiam in Templo Salomonis extitiſſe; in quorum numero videntur etiam fuiſſe ex Neotericis Arias Montanus, & Villalpandus, non aduertentes ad ea quæ ſcribit Ioſephus lib. 6. de Bello cap. 6. vbi de Herodiano templo verba faciens, ſic ait: *Fanum autem conditum erat, vt dixi, ſupra duriſſimum collem, & initiò quidem vix Templo atque areæ ſufficiebat iacens in ſummo planities, quòd vndique præceps erat atque decliuis: cùm autem Rex Salomon, qui etiam Templum ædificauerat, muro eius partem ab Oriente cinxiſſet, vna porticus aggeri eſt impoſita, & manebat ex aliis partibus nudum, quoad ſæculis poſterioribus, ſemper aliquid aggeris accumulante populo, coæquatus collis latior effectus eſt.* & lib. 15. Antiq. cap. 14. de hoc eodem colle agens, ait: *Tumulus erat petricoſus, arduus, à vertice ſenſim verſus Orientale vrbis latus reſupinus. Huius verticem primus Salomon Rex noſter, inſtinctu Dei, muris circumdedit.* hæc Ioſephus, ad cuius mentem ſubiectum typum deſignari curauimus.

DE PARTIBVS TEMPLI EXTERIORIBVS.

DE ATRIIS.



QVATTVOR EX IOSEPHO DEDVCENDA.

11. Porrò ex memoratis Iosephi verbis, quattuor colligi posse videntur. Primò, quòd quando Salomon extruxit Templum in vertice montis Moriæ, quæ tum ibi extabat planities, vsqueadeò erat angusta, vt vix Templo & areæ in qua factum est Atrium interius, sufficeret. Et insuper, illa tam arcta planities sensim Orientem versus ascendebat, moxque ibidem in profundissimam vallem præcipitabatur. Secundò, quòd propterea Salomon, vt posset ibi Atrium exterius construere; coactus est erigere murum ab ima valle firmissimum, detractaque ad ipsum altiore collis summitate, magnam vallis partem implere, & colli coæquare. Quo facto, super ea planitie sic ampliata Atrium exterius fabricauit, cœpitque priùs illud ab Oriente cingere, imposita super prædictis muro & aggere, porticu; ita vt maneret Atrium ab aliis partibus nudum, hoc est (vt diximus) apertum. Posteà verò subsequenter, illud etiam à lateribus cinxit aliis porticibus. Et hoc est quod indicat idem Iosephus 8. Antiq. cap. 2. vbi sub nomine Fani, describit hoc Atrium exterius, dicens: *Extra hoc septum* (videlicet quod separabat Atrium interius ab exteriori) *erat fanum porticibus magnis ac latis cinctum, & portis altis patens, quarum singulæ singulos ventos spectabant, & foribus auratis claudebantur. In hoc fanum cuilibet è populo puro, mundo, ac casto, & præscriptorum Legis obseruanti accessus patebat. Dici autem non potest, ac vix etiam oculis credi, quàm mirandum fuerit illud exterius fanum: vallibus enim expletis tam profundis, vt ad prospectum oculi caligarent, & aggesta ad quadringentos cubitos terra, eam vertici montis, in quo Templum extructum est, æquauit: atque hoc modo factum est, vt area fani cum solo Templi æquaretur. Hanc cinxit duplicibus porticibus, quas columnæ è natiuo saxo sustentabant, & laquearia cedro expolita tegebant: fores verò habebat totum hoc fanum ex argento fabricatas.* hucusque Iosephus. Tertiò colligitur, quòd in Templo Salomonis, præter duo memorata, nulla erant alia atria, neque muri in circuitu Templi, propter ipsius areæ angustias; ob quas etiam credimus, tabulata siue cellas in lateribus Templi adeò arctas & inæquales, vt num. 9. dictum est, fuisse ædificatas. Quartò demum, quòd posterioribus posteà temporibus prædicta montis planities, paulatim impletis per circuitum vallibus, latior effecta est; ita vt atria ipsa postmodum dilatari ac multiplicari commodè potuerint. quod saltem regnante Iosaphat fieri cœpisse insinuatur 2. Paralip. cap. 20. vers. 5. vbi fit mentio atrij noui, ante quod stetit Iosaphat in medio cœtu Iuda & Ierusalem: quamquam nouum dici puto, quòd tunc de nouo fuerit ampliatum, propter ea quæ paulò pòst dicemus, de duobus atriis à Manasse contaminatis. Igitur ex Iosepho patet, Salomonem duo tantùm atria extruxisse, alterum pro Ecclesiasticis, & pro populo alterum; quod etiam ex sacra Scriptura confirmari potest, præsertim verò ex 2. Paralip. cap. 4. vers. 9. vbi de Salomone dicitur: *Fecit etiam atrium Sacerdotum, & basilicam grandem*, &c. id est Atrium interius, & alterum exterius, quod multò amplius factum est pro populo excipiendo, & propterea appellatur basilica grandis, respectu atrij Sacerdotum. Legimus etiam 4. Reg. cap. 21. vers. 4. quòd Manasses *extruxit aras in domo Domini, & altaria vniuersæ militiæ cæli, in duobus atriis templi Domini.* quasi diceret, quòd ipsum Templum & omnia atria eius contaminauerat. Vtrùm autem Salomon, atrium quod fecit pro populo, etiam ita distinxerit, vt vna pars pro maribus, altera pro feminis deputata esset, incompertum est: videtur tamen satis probabile opinari, id non tunc, sed post aliqua tempora fuisse præstitum; quando scilicet iam vsu & experientia cognitum fuit, id maximè expedire. Ex his ergo (præsertim si vera sunt, vt credimus, quæ ex Iosepho retulimus) satis euidenter apparet, fieri nullo modo posse, quod Templum à Salomone constructum, fuerit tot atriis, porticibus, aliisque ædificiis exornatum; & illius amplitudinis, quam referunt ostenduntque elegantissimę illæ Villalpandi eiusdē Templi ichnographiæ pariter & orthographiæ, meritò sanè, quantum spectat ad Architectonicæ artis splendorem, etiam ore regio, vt ipse asserit, admodum commendatæ.

DE ATRIORVM AMPLITVDINE. DE SEPTO ILLA DISTINGVENTE. DE ATRIORVM PAVIMENTO.

12. Porrò de duobus Atriis à Salomone ædificatis, quanta esset ipsorum amplitudo, neque ex Sacris libris, neque ex Iosepho habemus, neque alibi (quod nouerim) eorum dimensiones traditæ reperiuntur. Sed præter superiùs ex Iosepho relata, hæc tantùm de hisce Atriis scire possumus, quòd scilicet ambo vno dumtaxat septo distincta erant; & illud quidem septum ex tribus lapidum valdè politorum ordinibus, & insuper altero lignorum cedri ordine constabat, quemadmodum dicitur 3. Reg. cap. 6. vers. 36. & tribus tantùm cubitis altum erat, vt asserit Iosephus 8. Antiq. cap. 2. nimirum quò possent laici de Atrio exteriori videre Sacerdotes in Atrio interiori sacrificia offerentes. Ambo autem hæc Atria pretiosissimo marmore multoque decore strata erant, vt dicitur 2. Paralip. cap. 3. vers. 6. quod non de Templo interiori accipiendum est; siquidem, vt dictum est,

est, illud stratum erat tabulis abiegnis & cedrinis auro obductis; sed de Templo exteriori, hoc est de Atriis, quemadmodum etiam colligi potest 2. Paralip. cap. 7. vers. 3. vbi aperte dicitur, quòd pauimentum Atrij exterioris, in quo stabant omnes filij Israel cum Rege Salomone, stratum erat lapide; & idem credendum est de Atrio Sacerdotum. Porrò porticus illæ, quas ex Iosepho diximus in Atrio exteriori magnificentissimè per Salomonem fuisse extructas; quamuis postea à Chaldæis cum reliquo Templo dirutæ vastatæque fuerint, oportet tamen aliquam earum partem (nimirum Orientalem, quæ firmior erat, tamquam super muro ab ima valle erecto fundatam) remansisse, quæ mox denuò instaurata, nihilominus primi conditoris nomen deinceps retinuit, & vsque ad tempora Apostolorum, Porticus Salomonis appellata est, vt patet ex Euangelio Ioan. cap. 10. v. 23. *Ambulabat Iesus in templo, in porticu Salomonis.* & Actorum c. 3. v. 11. *Cucurrit omnis populus ad eos, ad porticum quæ appellatur Salomonis.* & cap. 5. v. 12. *Et erant vnanimiter omnes in porticu Salomonis.* Ex quibus locis manifestè apparet, istam porticum fuisse in Atrio exteriori, in quod populus ingredi poterat: & consequenter, toto (vt aiunt) cælo aberrasse, qui crediderunt prædictam porticum, Salomonis appellatam, fuisse illam à nobis suprà num. 3. descriptam, quæ in vestibulo Templi seu sacræ ædis posita erat: nam ad eam neque populus, neque Apostoli, imò neque ipse Dominus Iesus ingredi attentasset, ne Legem violare voluisse crederetur, quæ ad illam porticum non nisi Leuitici ordinis homines accedere permittebat. Sanè in circuitu eiusdē Atrij exterioris, præsertim ad portas eius, aut in interuallis earum, ædificatas fuisse exedras siue gazophylacia aut pastophoria, dubium non est: nam etiam eiusmodi exedræ continebantur in descriptionibus partium Templi, quas dederat Dauid Salomoni, vt patet 1. Paralip. cap. 28. vers. 12. Quamquam autem exedræ, gazophylacia ac pastophoria, tamquam synonyma sæpiùs in Scripturis sacris vsurpari comperiantur, vt latè probat Ribera lib. 1. cap. 17. de Templi fabrica; nihilominus Exedræ nomen videbatur magis genericum, & vsitatum ad significandum quæcumque domicilia seu cubicula, quæ in dicto Atrio ad varios ministrorum Templi vsus ædificata erant. Gazophylacia verò magis propriè dicebantur, quæ ad reponendos thesauros domus Domini, populique oblationes specialiter destinata erant; & propterea vtrimque ad portas dicti Atrij constitui solebāt, vt commodiùs ingrediente populo oblationes accipi possent. Pastophoria autem propriè dicebantur, in quibus morari consueuerant Sacerdotes & Leuitæ toto illo tempore, quo vacabant ministeriis Templi in ordine vicis suæ, iuxta distributionem à Dauide factam, de qua nos sub anno mundi 3020. num. 2. vsque ad 6. latè egimus: non enim nisi expleta hebdomada sua, ad proprias domos redire poterant. Ceterùm, quemadmodùm certum est, memoratas exedras & porticus, & in summa totum quoque ipsum exterius Atrium ab ipso Salomone fuisse factum; ita dubitari posse videtur, num hæc omnia intra illud septennium, in quo domus Domini ædificabatur, fabricata fuerint, an posteà: & ratio dubitandi est, quia 3. Reg. cap. 6. vbi agitur de Templi fabrica, licet inter alia fiat mentio ædificationis Atrij interioris, nihil tamen prorsus innuitur de exteriori; neque item 2. Paralip. cap. 3. vbi pariter ipsa Templi ædificatio describitur: & præterea cùm ex Iosepho 8. Antiq. cap. 2. clarum sit, istud Atrium exterius super aggeres, saltem pro maiori parte, fuisse extructum; videtur longius temporis interuallum exegisse, ad explendas priùs valles profundissimas, & pro aggerenda, vt idem Auctor ait, ad quadringentos cubitos terra, super qua fieri posset dictū Atrium. Verumtamen his non obstantibus, dicimus, prædicta omnia intra memoratum septennij tempus fuisse absoluta; quia Salomon, vt infrà sub anno mundi 3029. num. 1. probabimus, septem annis perfecit Templum in omni opere suo, & in omnibus vtensilibus suis; quod etiam affirmat Iosephus loco proximè adducto; & addit Salomonem prædicta omnia, quæ integram hominis ætatem poscere videbantur, nō modò ad opulentiæ, sed etiam ad celeritatis ostentationem, tam citò perfici curasse. Et præterea, quod attinet ad Atrium exterius, constat (vt nos sub anno mundi 3030. num. 18. dicemus) Salomonem, anno à Templi fabrica inchoata octauo, quando celebrabat eiusdem Templi dedicationem, stetisse super basim æneam in medio basilicæ, hoc est Atrij exterioris; ergo signum est, quòd tunc iam erat fabricatum.

DE EORVM PORTICIBVS.

DE EXEDRIS, GAZOPHYLACIIS, ET PASTOPHORIIS.

TEMPLI FABRICA AN SEPTENNIO PENITVS ABSOLVTA.

13. Eodem anno regni Salomonis quarto, mense octauo circiter definente, vt sub anno mundi 3022. num. 2. probauimus; & consequenter post sex circiter menses à cœpta fundatione Templi, Salomon, cùm audisset quòd Semei, qui maledixerat patri suo Dauid, & cui propterea sub pœna mortis interdixerat exitum de Ierusalem, paruipendens Regis imperium abiisset in Geth, & inde seruos suos, qui eò transfugerant, reduxis-

SEMEI A SALOMONE IVBETVR INTERFICI.

duxisset in Ierusalem; eumdem, tamquam præcepti regij transgressorem, iussit interfici: 3.Reg.cap.2.vers.36.vsque ad finem capitis.

AB ORBE CONDITO ANNVS 3027. QVINTÆ MVNDI ÆTAT. ANNVS 5.

FIT SERMO DOMINI AD SALOMONEM.

1 ANNO (vt ex paulò infrà dicendis probabiliter coniici potest) regni Salomonis octauo circiter inchoante, qui erat à cœpta Templi fabrica quartus tunc incipiens, nimirum quando iam pænè ad medietatem perductum erat ædificium, factus est sermo Domini ad Salomonem, in quo promisit rata facere, quæ aliàs Dauidi pollicitus fuerat, videlicet (vt ibidem exponunt Doctores) stabilire in prosapia sua regnum eius in sempiternum, & Templi illius fabricam, quam moliebatur, feliciter ad optatum finem perducere; & inhabitare in medio filiorum Israel, hoc est, in eodem Templo semper sese exhibere paratum ad eorum preces benignè suscipiendas, eosdemque protegendos, &c. si tamen ipse Salomon ambularet in Lege Domini data per Moysen; & obseruaret omnia præcepta eius, nimirum Moralia, Iudicialia, & Cærimonialia. Ex qua conditione nonseruata, facile est intelligere cur regnum illud exciderit. Sed & aliud hîc maioris momenti est, quod ex verbis Domini inferre debemus, nimirum, non magnum quid esse, templa quantumuis magnificentissima Deo ædificare, aliaque opera exteriora ad eius honorem facere, nisi etiam, atque inprimis ipsi iugiter obtemperantes, templum cordis nostri (quod ipse signanter à nobis requirit Prouerb. cap.23.vers.26.) eidem omni virtutum genere exornatum præparare ac simul offerre studeamus. Vtrùm autem iste sermo Domini, qui factus fuit ad Salomonem, fuerit per aliquam Angelicam apparitionem, vel per humanam alicuius Prophetæ, eidem à Deo missi, denuntiationem, (quod nobis probabilius videtur) non facile est determinare. Quamquam, si fuit apparitio, probabilius videatur eam non fuisse similem illi quæ prius ipsi facta fuerat in Gabaon, vt nos sub anno mundi 3043. num.1. ostendemus. De tempore autem quo factus est iste sermo Domini ad Salomonem, dicimus certum esse, ipsum tunc contigisse, quando Templum ædificabatur, vt euidenter indicant verba illa Sacri textus 3.Reg.cap.6.vers.12. vbi iste sermo describitur, & dicitur: *Domus hæc quam ædificas*, &c. Verumtamen, si causa finalis memorati sermonis ea est, quæ ibidem à sacris Expositoribus assignatur; videlicet, vt eum Dominus ad susceptum opus generosè prosequendum magis ac magis incitaret, ne fortè præ ædificij magnitudine, aut expensarum multitudine, aut temporis diuturnitate grauatus, tædio Rex afficeretur, progressusque operis iam tepescere inciperet: si, inquam, hoc verum est, proculdubiò verisimile admodum videtur, id, vt diximus, contigisse anno à fundatione Templi quarto circiter incipiente, quando post plures annos nondum ad medietatem operis iam deuentum erat: tunc enim maius periculum imminere videbatur, ne aliqua animorum tum Regis tum populi remissio irreperet, propter maximos illucusque exantlatos labores; & ob eos qui adhuc reliqui erant, multò maiores.

QVOMODO FACTVS FVERIT, ET QVANDO, ET CVR.

2. Ceterùm in toto illo tempore, quo Ierosolymis Templum extruebatur, plura hominum millia, partim à Dauide priùs præparata, quemadmodū sub anno mundi 3018. num.3. dictum est; partim posteà ab ipso Salomone, vt sub anno mundi 3020. num.13. diximus, electa ac deputata, cædebant in montibus lapides & ligna, eademque locis opportunis fabri & artifices, lapidarij scilicet & lignarij, quadrabant, complanabant, dolabant, collimabant, atque per omnia perficiebant, antequam mitterent ad locum fabricæ in Ierusalem; & proptereà 3.Reg.cap.6.vers.7. dicitur, quòd *domus de lapidibus dolatis atque perfectis ædificata est, & malleus, & securis, & omne ferramentum, non sunt audita in domo cùm ædificaretur.* Quæ profectò verba non ita strictim sunt accipienda, tamquam si nullus omninò malleorum securiúmve, aut eiusmodi instrumentorum ictus in Templi fabrica auditus fuerit; videtur enim fieri nullo modo potuisse, vt parietes adeò crassi celsique, ex tam magnis lapidibus erecti, & tam grandes lignorum contignationes, ac tot tantarumque tabularū compaginationes, sine vllo prorsus malleorum aut ferramentorum strepitu extrui potuerint; & saltem claui illi aurei, quorum ibidem vers.21. fit mentio, & quorum singuli, vt apertè traditur 2.Paralip.cap.3.vers.9. quinquagenos siclos appendebant, non sine malleorum vsu affigi potuisse videntur. Sed neque hîc cum Hebræorum Rabbinis, ad quædam Salomonis arcana, nobis penitus incognita, confugiendum est; quoniam de his nihil certi affirmare possumus: verùm memorata sacræ Scripturæ verba (vt Catholici asserunt Expositores) rectè in eo sensu accipi

QVOMODO TEMPLVM SINE MALLEORVM ICTIBVS FVERIT AEDIFICATVM.

accipi possunt, ac si dictum esset: quòd tam lapides quàm ligna, non solùm ad debitas mensuras secta, sed etiam complanata, expolita, & omnino, quatenus opus erat elaborata, ad locum fabricæ deferebantur; ita vt in Templo posteà, pro illis præparandis, non autem collocandis, nulla ferramentorum pulsatio audiretur.

3. Per eadem quoque tempora necesse est fateri, quòd Hiram, qui erat artifex peritissimus, & summus omnium, quæ ad vsum ornatumque Templi fabricanda erant, sapientissimusq; Architectus, vt apertè colligitur 2. Paralip. cap. 2. vers. 14. & propterea cunctis operariis fuerat à Rege præpositus, ad varia loca discurreret; nunc quidem ad regionem Iordanis, in Socoth, & Saredatha, vbi, quemadmodum dicitur 2. Paralip. cap. 4. vers. 17. fundebantur in terra argillosa columnæ æreæ, & mare æneum, & bases, ac luteres, aliaque eiusmodi, quæ in Atrio Sacerdotum ponenda erant: nunc verò ad montes, vbi secabantur ligna & lapides; præscribendo artificibus mensuras, & qualiter singula essent elaboranda: quandoque in Ierusalem, atque aliis in locis, vbi fiebant cælaturæ in tabulis cedrinis, ab ipso eleganter priùs designatæ; & vbi diligenter extendebantur laminæ aureæ, tabulis ipsis affigendæ, pro Templo intrinsecus splendidè admodum vestiendo: & item vbi fiebant magni illi duo Cherubim, opere statuario, super Arcam in Sanctuario collocandi: insuper & vbi conficiebantur candelabra aurea, & mensæ panum Propositionis, & ornamentum aureum quod ad duo latera Altaris incensi adiungebatur; & thuribula, aliaque eiusmodi in domo anteriori disponenda; & præterea, vbi opere polymitario ac plumario intexebatur velum illud pretiosissimum, quod ante faciem Oraculi expandendum erat. Et, si Salomon fecit etiam indumenta Sacerdotalia & Pontificalia, & tubas pro Sacerdotibus, & instrumenta musica pro cantoribus, vt tradit Iosephus 8. Antiq. cap. 2. oportet quòd etiam quandoque discurreret Hiram ad ea loca, vbi hæc parabantur: & denique, vbi fiebant vasa diuersi generis aurea, argentea, ærea, ferrea, ad sacrificiorum aliorumque ministeriorum Templi vsum; & vbi thymiamata oleaque valdè pretiosa opere pigmentario componebantur; & si quæ erant eiusmodi alia: quæ omnia variis in locis, ad singula singulatim destinatis, per proprios artifices, prout vnicuique Hiram præscripserat, efficiebantur. De his operibus vide 3. Reg. cap. 7. vers. 13. vsque ad finem capitis. & 2. Paralip. cap. 3. vers. 10. vsque ad finem capitis 4. HIRAM ARCHITECTI SOLICITVDO

AB ORBE CONDITO ANNVS 3028. QVINTÆ MVNDI ÆTAT. ANNVS 6.

1 ANNO regni Salomonis nono ferè completo, cessit è vita Eupales Rex Assyriorum, cùm regnasset annis triginta octo, vt testatum reliquit Eusebius in Chronicis. EVPALES REX ASSYRIORVM MORITVR.

AB ORBE CONDITO ANNVS 3029. QVINTÆ MVNDI ÆTAT. ANNVS 7.

1 ANNO proximo ineunte, regnauit Laosthenes in Assyria, qui fuit Assyriorum Rex trigesimus primus, vt ibidem notauit Eusebius. LAOSTHENES REGNAT IN ASSYRIA.

AB ORBE CONDITO ANNVS 3030. QVINTAE MVNDI AETAT. ANNVS 8.

1 ANNO regni Salomonis vndecimo, mense eiusdem anni octauo, perfecta est Domus Domini in omni opere suo, & in omnibus vtensilibus suis, vt dicitur 3. Reg. cap. 6. vers. 38. Vbi aduertendum est, quòd quia ibidem subiunguntur, *ædificauitq; eam annis septem*, & à mense secundo anni quarti, in quo (vt dicitur initio eiusdem capitis) ædificari cœpta fuerat, vsque ad mensem octauum anni vndecimi, certum est interfluxisse septem annos cum dimidio, propterea necessariò supponere oportet, Scripturam sacram, quæ interdum in supputationibus minutias temporum paruipendere solet, vel hîc more suo illos sex menses consultò præterisse; vel, vt potiùs reor, reverà in fine septimi anni, aut paulò pòst, expletum quidem fuisse Templi ædificium in omni opere suo, & in omnibus vtensilibus suis: verumtamen sex reliquos menses in comportandis quę in templo inferenda erant, & cuncta locis suis collocandis, fuisse insumptos: etenim metallica illa, quæ in regione Iordanis fusa erant, videlicet columnas æreas, mare æneum, luteres, cum his quæ ad ornatum ipsorum pertinebant; QVOMODO TEMPLVM SEPTENNIO ABSOLVTVM.

bant; item duos illos proceræ magnitudinis Cherubim, & insuper altaria, mensas, candelabra, & diuersi generis vasa plurima, & veluti suggestum Salomonis æneum, & si quæ erant eiusmodi alia; certissimum est, non modico temporis interuallo potuisse transferri, & propriis locis coaptari.

2. De his ergo singulis, præsertim verò de præcipuis quæ in Templo iam absoluto locata fuerunt, aliquid hoc loco dicendum videtur; vt qualiter vnumquodque fabrefactum, ac loco conuenienti dispositum esset, omnes intelligant. Porrò præter basim æneam, quæ in medio Atrij exterioris, pro Rege posita erat, reliqua omnia partim in Atrio Sacerdotum, partim in anteriori & posteriori parte Templi, hoc est ædis sacræ, dispertita erant, vt infrà suis locis dicemus. Sanè prædicta basis ænea habebat quinque cubitos longitudinis, & totidem latitudinis, & tres altitudinis, vt 2. Paralip. cap. 6. vers. 13. describitur; referebatque formam sumptuosi cuiusdam suggestus, de quo Salomon orare ac loqui poterat, vidente atque audiente populo: tametsi de ornatu huius basis nihil in Sacris paginis legimus. In Atrio autem Sacerdotum hæc habebantur; Primò, Altare holocautomatum, in medio atrij positum. Deinde vasa maiora, pro ablutionibus Sacerdotum & victimarum; nimirum à dextris labrum, quod Mare æneum dicebatur; decem verò luteres, quinque à dextris, & totidem à sinistris; & vasa minora diuersorum generum. Tertiò demum, duæ columnæ æreæ cum suis capitellis & basibus. Itaque Altare holocausti, vt ab eo auspicemur, erat æneum, hoc est tabulis æreis vsquequaque contectum, & quater amplius illo quod antiquitus à Moyse factum fuerat: illud enim habebat tantummodò quinque cubitos longitudinis, & totidem latitudinis, & tres altitudinis, hoc verò viginti cubitis longum, & viginti pariter latum, & decem altum fuisse dicitur 2. Paralip. cap. 7. vers. 1. De cetero ferè ad Moysaici formam, quæ describitur Exod. cap. 27. & 38. fabricatum, nisi quòd non intus cauum, vt illud, sed plenum; atque ex lapidibus impolitis ad normam in Lege præscriptam Deuter. cap. 27. vers. 5. & 6. ædificatum fuisse creditur. Rationabile verò fuit hoc longè maius fieri, quia non vt illud per desertum amplius deferri debebat: & quemadmodum Templi amplitudo non modicum Tabernaculi capacitatem excedebat, & Sacerdotum numerus valdè erat auctus; ita conueniens quoque videbatur, vt ipsa etiam Altaris magnitudo augeretur. Neminem autem offendat, quòd diximus hoc Altare fuisse altum decem cubitis: neque quisquam inde inferat, ad ipsum non nisi per gradus (quod Lege vetitum erat Exod. cap. 20. in fine) ascendi potuisse: quia tametsi decebat hoc Altare tantam habere altitudinem, vt commodè à populo videri possent sacrificia, quæ in ipso offerebantur Domino; nullis tamen gradibus, propter memoratam legis prohibitionem, circumdari potuit. Credimus autem prædictam prohibitionem non esse accipiendam tantummodò de gradibus Altari firmiter annexis, quemadmodum putat Hugo Cardinalis super Exod. cap. 20. in fine, vbi vt saluet alium Scripturæ locum, in quo, inquit, legitur, quòd Sacerdos quando immolabat, ascendebat per gradus propter Altaris altitudinem; dicit, dictam prohibitionem non esse extendendam etiam ad scabella & gradus appositios, qui de facili possunt amoueri. Cui nos assentiri non possumus; tum quia nusquam in Moysaicis libris, ni fallor, talis locus reperitur; tum etiam quia ratio dictæ prohibitionis in Sacro textu expressa, nimirum, *Ne reueletur turpitudo tua.* non minus, vel etiam magis militare potest in gradibus de facili amouibilibus, quàm in fixis. Neque verò est, quòd quisquam suspicari possit, dictam Altaris altitudinem non respectu pauimenti Atrij Sacerdotum, sed populi, esse accipiendam; quia si dictum Altare tribus tantùm cubitis excessisset solum Atrij Sacerdotum, vtique sequeretur, solum Atrij Sacerdotum septem saltem cubitis fuisse altius solo Atrij laicorum; & consequenter, ad ipsum per plusquam viginti gradus ascendi consueuisse: de quo tamen ascensu vllisve gradibus ibidem existentibus, nusquam Scriptura sacra, aliive Auctores meminere. Vnde si quis quærat, Quomodo ergo possent Sacerdotes ad summitatem altaris decem cubitis altam pertingere, & super eo ministrare? Dic, Necessarium esse idem subintelligere de hoc Altari, quod Iosephus 6. de Bello cap. 6. (vt nos sub anno mundi 4032. num. 11. dicemus) asserit de illo Altari, quod posteà in templo Herodiano fabricatum fuit; nimirum quòd ascensus ad illud in parte Meridiana sensim resupinabatur, ita vt commodè & sine gradibus ad ipsum Sacerdotes scandere possent: & sic quoque de hoc Altari à Salomone erecto subaudiendum videtur. Quod si verum est, vt credimus, vtique fit consequens, Altare Salomonis in hoc saltem fuisse diuersum ab eo quod describitur Ezechiel. cap. 43. vers. 13. vsque ad 19. & cuius typum Villalpandus ibidem expressit; quòd

DE BASI AENEA.

DE ALTARI HOLOCAUSTI.

quòd ſcilicet Altare Salomonis, quemadmodum & Herodianum, ſine gradibus extitiſſe cenſendum eſt: illud autem Ezechielis, habuiſſe gradus ad Orientem vergentes, vt expreſsè traditur cap. eius citato, verſ. 17. Sed hi gradus in Templo Ezechielis commemorati, potiùs ad myſterium aliquod præſignandum pertinuiſſe creduntur: nam alioqui nuſquam inuenimus quòd in Templis vel à Salomone, vel à Zorobabele, vel ab Herode conſtructis, Sacerdotes reipſa ad Altare holocauſti per gradus aſcendere conſueuiſſe legantur.

☞ 3. Porrò quemadmodum Altare holocauſti, ita & labrum æneum multò maius factum fuit eo quod olim fecerat Moyſes. Sed neque ſolùm magnitudine, verùm opere item, ac fortè etiam materia pretioſiori, illud valdè ſuperabat: nam Tabernaculi labrum non valdè magnum fieri debuit, vt commodiùs poſſet portari. præterquam quòd non eſt credendum, quòd Moyſes in deſerto tantam æris molem reperire potuiſſet, quantam poſteà à Dauide congeſtam habuit Salomon. Sanè labrum hoc Templi adeò vaſtum fuit, vt propter magnam eius aquæ capacitatem, appellatum ſit *mare*, more Hebræorum, qui congregationes aquarum appellabant *maria*: Geneſ. cap. 1. verſ. 10. capiebat enim aquæ batos bis mille, vt exprimitur 3. Reg. cap. 7. verſ. 26. ſiue ter mille metretas, vt dicitur 2. Paralip. cap. 4. verſ. 5. Quæ duo loca diuerſimodè conciliari ſolent; quidam enim putarunt metretam ita differre à bato, vt vnus batus caperet metretam vnam & ſemis. Alij verò, qui putant batum & metretam eiuſdem eſſe menſuræ, ſicuti batum & ephi æqualia fuiſſe conſtat Ezech. cap. 45. verſ. 11. ſic conciliant, dicentes, labrum illud in communi menſura capere conſueuiſſe bis mille batos: ſi verò quis voluiſſet id implere vſque ad ſummum, potuiſſe continere ad ter mille batos. Et ſic etiam conciliari poteſt cum ſacra Scriptura Ioſephus, qui iuxta Ruffini Aquileienſis interpretationem de dicto labro ait, quòd capiebat batorum tria millia. Vnde non rectè Sigiſmundus Gelenius ibidem, & alibi quoque pro *batis* vertit *congios*. Ceterùm, ſi batus vnus minor, ſeu metreta vna capiebat aquæ libras quas vocant paruas 120. facile erit ſcire quot aquæ libras vnciaſque caperet dictum labrum: nam ſi multiplices 120. per 2000. inuenies aquæ libras 240000. quæ per 12. ductæ faciunt vncias 2880000. Vel ſi eaſdem libras 120. multiplices per 3000. erunt libræ 360000. ſeu vnciæ 4320000. Forma autem huius labri deſcribitur 3. Reg. cap. 7. verſ. 23. vſque ad 27. & 2. Paralip. cap. 4. verſ. 2. vſque ad 6. & apud Ioſephum 8. Antiq. cap. 2. ex quibus locis colligitur, ipſum fuiſſe figura ſemiſphærica, craſſitudine palmari, hoc eſt trium vnciarum, ſeu (quod in idem recidit) quattuor digitorum tranſuerſalium; habens labium quaſi labium calicis vel repandi lilij, nimirum quaſi folium lilij modicè in exteriorem partem reflexum. Diametralis verò latitudo expanſionis eius erat cubitorum decem, ita vt funiculus triginta cubitorum (ſupple, & vnius ferè ſemis) ambire poſſet gyrum eius: ſiquidem iuxta Geometriæ regulas, diameter triplicatus cum ſeptima ſui parte, totum eius circulum ambit: Scriptura autem hîc (vt aliàs non ſemel) numerum perfectum pro imperfecto vſurpauit. Sanè profunditas eiuſdem labri habebat quinque cubitos altitudinis. Et intrinſecus quidem fuiſſe læuigatum, nemo dubitat; forinſecus verò quomodo eſſet cælatum, non vſquequaque videtur clarum. nam de ipſo legimus 2. Paralip. cap. 4. verſ. 3. in hæc verba: *Et decem cubitis quædam extrinſecus cælaturæ quaſi duobus verſibus aluum maris circuibant.* Vtrùm autem dictæ cælaturæ decem tantùm labri cubitos ambirent, vt prima fronte videtur ipſa Sacri textus littera indicare, & ſentit Ribera; an totum labri aluum, non facile eſt determinare. Nam licet quis poſſet ſuſpicari, diſtichon fortè aliquod ibidem fuiſſe inſculptum, quod appoſitè ad illius maris vſum alluderet, & cuius characteres, decem dumtaxat circumferentiæ eiuſdem vaſis cubitos occuparent: nihilominùs, quia qui loco Paralip. citato vocantur quaſi duo verſus; 3. Reg. c. 7. verſ. 24. apertiùs dicuntur fuiſſe duo ordines ſculpturarum ſtriatarum: (ſtrias autem toto genere à characteribus differre certiſſimum eſt;) propterea præſtat, illud *decem cubitis* accipere non de circumferentia, ſed de diametro latitudinis labri; ac ſi dictum eſſet, dictas cælaturas circuiſſe totum maris aluum, quod ſcilicet habebat decem cubitos latitudinis. Alioqui, ſi non totum illæ ſtriæ maris aluum circuiſſent, nullam videretur ille ornatus gratiam habuiſſe. Porrò labrum hoc, vt ait Ioſephus vbi ſuprà, ſpira latitudine cubitali, & decies reuoluta ſeu replicata, hoc eſt, baſi quadam decem toris fabrefacta ſuſtentabatur: ipſum verò labrum circumſtabant duodecim boues pariter ænei, ita diſpoſiti, vt ipſorum poſteriora ſub labro abſcondita, ipſum fulcire viderentur: anteriora autem ad quattuor mundi partes verſa eſſent, nimirum terni ad Orientem, terni ad Occidentem, & ſic de aliis, tamquam ſi quodammodò ſinguli contra ſingulos duodecim

DE LABRO SIVE MARI AENEO.

DE EIVS CAPACITATE.

DE EIVS FORMA ET MENSVRIS.

DE EIVSDEM CAELATVRIS.

DE SPIRA, ET 12. BOBVS LABRVM SVSTINENTIBVS.

decim ventos respicerent. Sanè hos boues immediatè sub fundo labri positos fuisse putamus, vt communiter creditur, & affirmat Iosephus 8. Antiq. cap. 2. de prædictis bobus dicens: *Quorum postica introrsum vergebant, vt eis orbiculare illud vas incumberet, in medio sui depressius.* & propterea non probamus typū huius labri à Villalpando editum, qui solus sub spira, seu sub basi eiusdem labri eosdem boues collocat. Nam prçterquam quòd 3. Reg. cap. 7. vers. 25. apertè traditur, quòd ipsum mare stabat super duodecim boues, quorum posteriora vniuersa intrinsecus latitabant: certè, si linea labri spiram dimetiens fuit cubitalis, vt probabile est, & expresse tradit Iosephus vbi suprà, non videntur sub spatio tam angusto boum posteriora potuisse occultari. Hæc igitur, vt arbitror, fuit structura maris ænei, quam figura inferiùs num. 5. ponenda repræsentabit. At labrum Moysaicum, tametsi eiusdem ferè formæ fuisse credendum est, non tamen tanto artificio fabricatum fuerat: siquidem nec vllum sculpturæ genus in eo extitisse, neque alia re, præterquam simplici basi sustentatum fuisse legimus Exod. c. 30. vers. 18. & cap. 38. vers. 8. Denique labri Salomonis materia, sicut & aliorum vasorum æneorum quæ ipse in Templo fecit, ex illo ære erant, quod de ciuitatibus Adadezer Regis Syriæ Soba deuexerat pater eius Dauid, vt expressum habemus 2. Paralip. c. 18. vers. 8. quod quidem æs auro pretiosius fuisse testatur Iosephus 7. Antiq. cap. 6. forte quia esset auro argentoque mira varietate mixtum & commaculatū, quale fuit illud, quod apud Romanos æs Corinthium dicebatur, eratque apud ipsos metallorum omnium pretiosissimum. Labrum verò Moysaicum, ex loco Exod. proximè adducto, constat fusum fuisse de speculis mulierum quæ excubabant ad ostium Tabernaculi, vt sub anno mundi 2544. num. 78. dictum est. Quod verò attinet ad horum labrorum vsus, sciendum est, quòd labrum Moysaicum paratum fuerat ad continendas aquas, quibus possent Sacerdotes abluere manus & pedes, antequam ministeria sua in Tabernaculo, hoc est in Sancta, exercerent; quod eis sub pœna mortis expresse præcipitur Exod. cap. 30. vers. 19. & 20. Et item, vt ex eiusdem labri aqua lauare possent animalium carnes in frusta priùs concisas, antequam super Altare holocausti cremandæ ponerentur, vt nos sub anno mundi numeroque proximè citatis ostendimus: quandoquidem, quia tunc temporis pauciores erant Sacerdotes, & pauciora quoque offerebantur sacrificia, vtique sufficere poterat vnius labri aqua pro Sacerdotibus hostiisque pariter, vt dictum est, abluendis. Neque expediebat tunc multiplicare vasa grandia, attenta maximè frequenti eadem de loco ad locum transferendi necessitate simul & incommoditate. Contrà verò Salomon videns temporibus suis oppositas militare rationes, labrum suum & longè magis amplum, & pro Sacerdotum dumtaxat ablutionibus parare voluit, quemadmodum colligi potest 2. Paralip. cap. 4. vers. 6. & clariùs exprimit Iosephus 8. Antiq. cap. 2.


DE QVO AERE FACTVM.

AD QVEM VSVM.


DE 10. LVTERIBVS.

4. Ad lauandas autem hostiarum carnes, decem alia labra minoris amplitudinis, & eorum bases ex memorato ære fundi iussit, quæ ab vsu, luteres, ac si Latinè diceres lauacra, nuncupauit: erant autem singuli cum suis basibus, forma, fusura, mensura, sculpturaque consimili, vt patet ex 3. Reg. c. 7. vers. 27. vsque ad 40. & ex Iosepho cap. proximè adducto, vbi dicta labra describuntur. Itaque luteris forma erat ad conchæ similitudinem concaua & rotunda, continens aquæ batos quadraginta, quemadmodum expresse tradunt, tum Scriptura sacra cap. Reg. citato vers. 38. tum Iosephus vbi suprà in versione Ruffini: nam Gelenius in sua, perperàm pro *batis*, *congios* ponit. Ceterùm vnusquisque luter quattuor (inquit Scriptura loco Reg. proximè adducto) erat cubitorum, quos Iosephus cap. citato refert tum ad luteris altitudinem, tum etiam ad eiusdem latitudinis expansionem. ¶ Verumenimuerò hæc Iosephi expositio seu extensio recipienda non est; quia si labrum maius, quod mare dicebatur, in communi vsu & mensura continebat (vt præcedenti numero diximus) aquæ batos bis mille; & vnusquisque luter, quadraginta; vtique necessariò consequeretur, dictum labrum quinquaginta aquæ luteres capere consueuisse; siquidem quadraginta quinquagies multiplicata faciunt bis mille. Atqui nullo modo fieri potest, vt vas semisphæricum decem cubitis latum, & quinque altum, quale erat dictum mare, tantum aquæ valeat continere, quantum capiunt quinquaginta luteres ad formam hîc in margine positam facti, qui singuli sint latitudinis cubitorum quattuor, & totidem altitudinis; vt vel ex ipsa figurarum collatione licet coniicere; & certiùs vel Mathematica quadratorum calculatione, vel etiam similium vasorum experimento cognoscere quisque poterit. Quare multò probabilior ac verior est opinio illorum, qui ponunt singulos hos luteres habuisse quidem quattuor latitudinis cubitos, sed vnum tantùm altitudinis, vt ex paulò pòst dicendis comprobabitur, ita vt prædicta sacræ Scripturæ verba ad latitudinem dumtaxat luteris sint referenda.

IOSEPHI DICTVM REFVTATVR.



renda. Vtrùm autem hæc quattuor cubitorum latitudo, de suprema dicti luteris parte sit accipienda, vt putant Hebræi; an de media, vt Abulensis, alijque Latinorum nonnulli, dubitari potest propter illa verba quæ habetur cap. Reg. proximè allegato vers. 31. videlicet: *Os quoque luteris, intrinsecus erat in capitis summitate: & quod forinsecus apparebat, vnius cubiti erat totum rotundum, pariterq; habebat vnum cubitum & dimidium.* ex quibus verbis ipse Abulensis & alij cum ipso suam colligunt opinionem, quòd scilicet luter in suprema sui parte, hoc est in ore, esset angustior, in aluo autem multò latior. Verumtamen illa verba, licet sint aliquantò obscuriora, possunt nihilominùs rectè intelligi; Vel non propriè de ore luteris, sed de ore spiræ ipsius luteris in summitate basis positæ, quæ ibi per similitudinem appellatur os luteris; quoniam suprema illa spiræ cauitas, in qua luteris fundus inserebatur, quoddam veluti luteris os repræsentabat: & poterat intus esse latum vno tantùm cubito, foris autem vno & semis, vt quoquomodò ostendit typus in margine positus: Vel meliùs, si verè de ipso ore luteris prædicta verba accipiantur, illæ profectò vnius tantùm, & vnius ac semis cubiti mensuræ quæ ibi subiunguntur, non de oris latitudine, sed altitudine accipienda sunt, quæ sola vnius tantùm erat cubiti; cum spira verò, vnius & semis; vt in typo inferiùs inter num. 5. & 6. inserendo mensurari poterit. Sanè basis ænea, quæ luterem in spira insertum sustinebat, valdè erat operosa; ideoque non vnica fusione, sed pluribus, hoc est per partes conflari fabricarique oportuit. Huius ergo structura talis fuit. Quattuor columellis quadrangulis per quattuor angulos erectis, tabulæ quædam æreæ in singulis quattuor basis lateribus copulabantur, quæ intercolumnia claudebant: erant autem ipsa intercolumnia non rotunda, id est, non in superiori parte semicircularia, sed quadrata. Singulæ verò tabulæ tripartitæ, hoc est tripliciter distinctæ conspiciebantur: nam in superiori atque in inferiori parte habebant fascias quasdam latitudinis prædictarum columnarum corollis distinctas, & aliquantisper eminentes, atque ornatas sculpturis leonum, boum, & Cherubim, inter corollas & plectas prominentibus. erant autem plectæ, veluti lora quædam ærea, concinnè admodum implexa, & subter leones & boues dependentia, quæ figuras illas eleganter admodum inter se colligare videbantur, vt in typo intueri licebit. Atque hæ sculpturæ erant adeò prominentes, vt non simul fusæ, sed appositæ viderentur, iuncturasque occultarent: (moralem horum imaginum expositionem apposite satis explicat S. Gregorius in cap. Ezechiel. 22.) mediæ verò tabularum partes, licet insculptos pariter haberent Cherubim, & leones, & palmas stantes, vt dicitur 3. Reg. cap. 7. vers. 36. nihilominùs magna ex parte erant planæ, vt videre erit in graphide. Porrò istæ tabulæ, prædictis columellis quadratis ac similibus figuris exornatis copulatæ, efficiebant veluti opus quod vocant interrasile, videlicet habens sculpturas in circuitu plani, siue plana sculpturis conclusa. Ex his itaque columellis & tabulis, vt dictum est, inter se compositis, resultabat basis forma ferè omnino quadrata, iuxta textum editionis Vulgatæ paulò pòst adducendum, quem sequimur, relictis in hac parte LXX. Interpretibus, qui ponunt vnamquamque basem fuisse longam cubitis quinque, latam quattuor, & altam sex: & ita pariter legimus apud Iosephum in translatione Ruffini, licet in versione Gelenij ponatur altitudo trium dumtaxat cubitorum: Vulgata verò Bibliorum editio Romæ anno salutis 1593. excusa, expressè tradit 3. Reg. cap. 7. vers. 27. singulas bases habuisse quattuor cubitos longitudinis, & totidem latitudinis, & tres altitudinis; computata nimirum, vt sentit Abulensis, illa rotarum portione, quæ sub basis fundo remanebat, eamque à solo eleuabat. Etenim tota basis machina quattuor rotis sesquicubitalibus pariter æneis, habentibus suos axes, radios, cantos, modiolos, omnia fusilia, sustentabatur: atque in eius summitate, à quattuor angulis surgebant quattuor humeruli fusiles subter luterem, veluti tenentes ipsum, ne vlla in parte posset inflecti. Dixi, subter luterem, (vt apertè exprimitur 3. Reg. cap. 7. vers. 30.) non autem, subter spiram luteris, vt sentit Iosephus 8. Antiq. cap. 2. quem secutus est Villalpandus in sua horum luterum basiumque graphide, cui nos assentiri non possumus, tum quia Sacer textus ibidem vers. 35. manifestè distinguit spiram luteris ab ipso lutere, & separatim de singulis loquitur; tum etiam quia Iosephus in rebus antiquioribus describendis, ad libitum, & nimis audacter interdum solet à Sacro textu recedere, quemadmodum nos aliàs quoque ostendemus. Super mensam autem dictæ basis, in eius medio collocata erat quædam rotunditas in spiræ modum sic fabrefacta, vt super eam luter aptè posset imponi; qui ab illis quoque quattuor humerulis, quasi quattuor extentis brachiis firmiter continebatur. Habebat verò memorata rotunditas, seu spira, cælaturas suas, variasque sculpturas ex semetipsa, hoc est modicè eleuatas, vt expressum est in typo, ad differentiam



DE LVTERIS BASI.


aliarum


aliarum in basi existentium, quæ (vt diximus) adeò eleuatæ erant, vt non simul fusæ, sed appositæ viderentur.

DE VSV DICTORVM LABRORVM

5. Vt autem horum labrorum vsus magis innotescat, operæpretium videtur hîc addere quæ Abulensis super 3.Reg.cap.7. quæst.14. adnotauit, nimirum, quòd Sacerdotes post immolatas excoriatasque in Atrio suo victimas, ferebant eas ad Probaticam piscinam, ibique apertis earum visceribus, & effuso fimo, lauabant intestina, & capita, & pedes earum in ea, mox inde in Atrium denuò translatas secabant in frusta, atque iterùm aqua memoratorum luterum lota, ponebant super Altare. Sed & aliud hîc adiicere oportet, videlicet, satis rationabile videri, quòd tum à prædictis decem labris, tum etiam à mari æneo, per quosdam tubulos seu canaliculos ab ipsorum fundo occultè deductos, & eleganter exteriùs per leonum boumque ora prodeuntes, ac tali artificio fabrefactos, vt quibusdam veluti clauibus illicò reuolutis facilè aperiri occludíve possent, aqua, quotiescumque opus esset, educeretur: vel per appositiтias quasdam fistulas vitreas, vel potiùs æreas, ita retortas, vt vna pars in vas aqua plenum immitti, & per alteram ab extra demissiùs aliquantò (quemadmodum in typo paulò inferiùs ponendo spectari poterit) descendentem, ore priùs semel attracto aëre, aqua pariter inde flueret, quæ per siphones in externo fistularum capite existentes, pro libito sisti ac demitti posset; alioquin vasa hæc adeò alta erant, vt non nisi per scalas ad ipsa ascendi posset. nec est verisimile, quòd Sacerdotes in magno illo labro coram omnibus pedes ponerent, & ex eadem aqua lauarent manus & pedes; sed de illo labro sumerent aquas, & in aliis paruis vasis ad hoc paratis separatim abluerent manus & pedes. Vnde non videtur necessarium, cum Eupolemo apud Eusebium lib.9. cap.4. de Præparatione Euangelica relato, quem sequitur Villalpandus, ponere ad maris basim gradus, coronamque eminentem quæ contineret aquas de labro defluentes, vt Sacerdotes conscendentes, in ea pedes demersos abstergerent, & manus abluerent: quandoquidem quæ ibi tradit Eupolemus, non omnia recipienda sunt; præsertim cùm quædam sacræ Scripturæ omnino aduersantia afferat, qualia sunt, quòd idem labrum de quo hîc agimus, haberet viginti cubitos longitudinis, & totidem latitudinis; & quòd Salomon fecerit duas columnas æreas altitudine æquales Templo, decem cubitos in circuitu continentes; & lucernas aureas sexaginta septem in vnoquoque candelabro, & fornicem maximam ad Borealem Templi partem ædificauerit, quæ quadraginta octo columnis sustentabatur, & similia, quæ toto, quod aiunt, cælo à veritate in sacris Scripturis tradita aberrant. Eodem quoque modo, vt de prædicto labro diximus, oportet quòd de ipsis etiam luteribus educerent aquas, & in aliis vasis ad id specialiter destinatis abluerent victimarum carnes in frusta concisas; alioqui, si easdem in prædictis luteribus abluendas (vt putat Abulensis loco paulò antè citato) immersissent, præterquam quòd id non sine magno incommodo fieri potuisset, ob ipsorum altitudinem; nimis facilè aqua illa fœdata esset, ac nimis frequenter renouanda, & luteres ab vnctione carnium ipsis adhærente expurgandi quotidie fuissent. Nec obstat, quòd de eiusmodi eductione aquæ à prædictis labris, neque Scriptura sacra, neque Iosephus, aut alius grauis Auctor, meminerint; quia nusquam etiam (quod nouerim) oppositum docuerunt: & scimus multa in Scripturis sacris, præsertim minutiora, præteriri; ac tunc præcipuè, quando ex ipsa rei natura aut facti conditione subintelligi facilè possunt. Et hæc de Mari æneo, & luteribus, eorumque basibus & spiris, hoc est de vasis maioribus ad Altaris holocausti ministerium paratis, sint dicta. Horum exemplaria hîc erunt subiungenda.

6. Dicamus


EXEMPLA
Maris ænei
Fistularum


Siphonum.
Calamus decem cubitorum.
Basis et Luteris

DE VASIS MINORIBUS DIVERSI GENERIS

6. Dicamus nunc quoque aliquid de vasis minoribus, aliisque instrumentis ad varios eiusdem Altaris vsus, quæ ex eodem ære, vel etiam ex ferro, item ex argento & auro fecit Salomon; præter illa quæ olim fecerat Moyses: siquidem illa pariter in Templo translata fuerunt, vt patet 3.Reg.cap.8. vers.4. & 2.Paralip.cap.5.vers.5. Hæc autem fuerunt multa valdè, & diuersi generis; nimirum lebetes, ad suscipiendos cineres; & forcipes atque fuscinulæ, ad capiendum ignem, lignaque in altari ardentia, prout opus videbatur, dimouenda pariter ac componenda; & scutræ, & hamulæ, & ignium receptacula, quibus ignis sanctus de Altari holocaustorum ad Altare thymiamatis vespere & manè, pro incenso ibidem cremando, deferebatur. De his omnibus vide Exod.cap.27.vers.3. & 3.Reg. cap.7.vers.40. & alibi non semel. Creditur item fecisse alterius generis lebetes siue caldarias, ollásve aut cacabos, ad coquendas victimarum carnes; fuscinulas quoque, tridentes, & creagras, ad easdē carnes inde, cùm opus esset, extrahendas, & vncinos, & batilla, quorum meminit Scriptura Numer. c.4.vers.14. & 1.Reg. cap.2. vers.14. & 2.Paralip.cap.4. vers. 11. Quamquam autem plura huiusmodi vasa, nempe lebetes, ollæ & cacabi, essent particularium laicorum, vt nos sub anno mundi 2544. num. 77. probauimus; & propterea non videantur inter vasa Templi commemoranda: nihilominùs oportet alia huiusmodi fuisse in Templo ad vsus Sacerdotum, vt & ipsi possent coquere victimarum carnes pro peccato oblatarum, quæ ad ipsos Sacerdotes spectabant; quemadmodum notat Abulensis super 2.Paralip. cap.4. quæst.22. vbi fusiùs differit de prædictis vasis. Fecit prætereà Salomon reponi in Templo propriis locis alia vasa, quę ipse fieri iusserat ex auro & argento, nimirum acetabula, & alias phialas pro victimarum sanguine excipiendo, & ad libandum vinum, & similam oleo conspersam; de quo vasorum genere sæpiùs fit mentio Numer.cap.7. ex quo etiam loco colligitur, quòd acetabula erant maiora phialis; nam illa pendebant siclos centum triginta, istæ verò septuaginta, vt ibidem non semel traditur. His addi possunt alia quoque vasa, videlicet hamulæ à memoratis diuersæ, quibus in phialis ad libamina vinum fundebatur; & crateres, in quibus similam oleo subigebant; & lances ad offerendum in eis similam maceratam; & alia eiusmodi plurima, ad varios multiplicesq; vsus destinata, hydrias, vrceos, pelues, & similia; quorum obiter Scriptura sacra meminit multis in locis, præcipuè verò Ierem.cap.vlt.vers. 18.& 19. & Iosephus 8.Antiq. cap.2. sæpiùs allegato, vbi de sacra agit supellectili; quo in loco ipsorum quoque vasorum cuiusque generis numerum exprimit.

DE DVABVS COLVMNIS AENEIS.

7. In eodem Atrio Sacerdotum, seu in porticu aut vestibulo Templi, hoc est ante porticum siue vestibulum ipsius Templi, vt num.9. demonstrabitur, erexit Salomon duas columnas æreas, vnam à dextris, quam vocauit Iachin, alteram à sinistris, quam appellauit Booz (quæ voces Latinè fortitudinem firmitatemque significare perhibentur) 3.Reg.cap.7. vers.21. & 2.Paralip.cap.3.vers.15. Et has columnas (inquit Eupolemus apud Eusebium lib.9.de Præparatione cap.4.) Salomon auro texit soliditate vnius digiti. Sanè harum columnarum dimensiones traduntur cap.Reg.citato vers. 15. his verbis: *Et finxit duas columnas æreas, decem & octo cubitorum altitudinis columnam vnam: & linea duodecim cubitorum ambiebat columnam vtramque.* & 4.Reg. cap.vlt.vers.17. *Decem & octo cubitos altitudinis habebat columna vna.* & loco 2.Paralip.adducto in vtraque editione legimus: *Ante fores etiam templi duas columnas, quæ trigintaquinque cubitos habebant altitudinis.* & Ierem. cap. vlt. vers.21. *Decem & octo cubiti altitudinis erant in columna vna, & funiculus duodecim cubitorum circuibat eam: porrò grossitudo eius quattuor digitorum, & intrinsecus caua erat.* item apud Iosephum 8.Antiq. cap. 2. hæc habentur: *Is fecit duas columnas æreas crassitudine quattuor digitorum, altas decem & octo cubitos, quarum circumferentia duodecim cubitos complectebatur.* Ex quibus locis duæ eliciuntur opiniones, ambæ quidem probabiles, sed admodum inter se diuersæ: quarum altera tenet, singulas hasce columnas (quod attinet ad ipsarum crassitudinem) fuisse latas cubitis quattuor: quia nimirum putat, prædictum funiculum duodecim cubitorum singulas circuisse. Et certum est, quòd (vt suprà num.3. diximus) diameter triplicatus, septima eius parte adiuncta, circulum ambit. Altera verò putat, prædictum funiculum circuisse ambas columnas, & consequenter, ambitum cuiusque sex tantùm fuisse cubitorum, & sic vnamquamque columnam habuisse duos ferè dumtaxat cubitos latitudinis. Quam opinionem tuetur profiteturque Villalpandus super Ezechielem. Pro hac secunda opinione facit, quòd sic altitudo columnæ proculdubiò magis proportionata ac regulis Architectonicis consona euadit. Verùm eidem obstat, quòd licet locus 3.Reg. citatus dicat: *Linea duodecim cubitorum ambiebat columnam vtramque.* & Iose-

DE EARVM DIMENSIONIBVS.

DE DIAMETRO LATITVDINIS COLVMNARVM PRIMA OPINIO.

ALTERA.

IMPVGNATVR SECVNDA OPINIO.

Iosephus vbi supra: *Quarum circumferentia duodecim cubitos complectebatur*. nihilominùs videntur dicta loca potiùs debere accipi, vt aiunt, disiunctiuè, quàm copulatiuè: præsertim cùm ibidem editio LXX. Interpretum, tam Romana quàm Regia, & item Chaldaica Paraphrasis, vt videre est in Bibliis Regiis, pro *vtramque* legunt *eam*, vel *illam*: quæ lectiones optimè declarant, etiam præcitata editionis Vulgatæ verba accipienda esse in sensu, vt dixi, disiunctiuo, vt per omnia consentiant cum loco Ieremiæ adducto, qui pariter in vtraque editione, Vulgata scilicet & LXX. Interpretum, & in Paraphrasi Chaldaica habet, *Et funiculus duodecim cubitorum circuibat eam*. Eodem quoque modo legimus apud Eupolemum loco proximè allegato; qui propterea non videbatur à Villalpando arguendus, quòd non rectè dictam duodecim cubitorum circumferentiam vnicuique columnæ tribuerit: quandoquidem Sacri textus citati id perspicuè indicant, & nos quoque cogunt vel inuitos in eamdem ire sententiam. Ad quod sentiendum tria item alia nos mouent. Primò, quia dictæ columnæ fortitudinem ac firmitatem, quam nominibus eisdem impositis significabant, sic reipsa quoque magis ostendere poterant. Deinde, quia priori opinione posita, non difficile videtur ostendere quomodo exponi debeat locus 2. Paralip. de quo hic consequenter agemus. qui locus ab alterius sententiæ sectatoribus, vt paulò pòst videbimus, non adhuc plenè videtur explicatus. Denique, quoniam cum secunda opinione conuenire non possunt quæ Scriptura sacra (vt infrà num. 9. dicemus) de variis harum columnarum capitellis tradit; nempe quòd alia erant quinque, alia quattuor, alia trium cubitorum altitudinis: siquidem posito quòd columnæ scapus duos tantùm haberet latitudinis cubitos, vt supponit Villalpandus, nullum sanè poterat super eam imponi capitellum propriè sumptum tantæ altitudinis, quandoquidem capitelli altitudo parum aut nihil excedere debet scapi columnæ latitudinem. Sed neque si dicta capitella minùs propriè sumamus, videlicet pro trabeationis partibus, poterunt in eadem trabeatione omnes inueniri; quoniam totam trabeationem dictus Auctor, iuxta columnæ proportionem, quinque dumtaxat cubitis altam facit. Contrà verò, si priorem sequamur sententiam, quàm facilè singulæ eorumdem capitellorum altitudines reperiri possint, ex infrà num. 9. dicendis quilibet intelligere poterit.

8. Quod verò attinet ad prædictarum columnarum altitudinem ritè definiendam, difficultatem facit adductus 2. Paralip. textus, qui de prædictis columnis apertè ait, quòd triginta quinque cubitos habebant altitudinis. Nam non potest intelligi de solo scapo seu corpore cuiusuis columnæ: quia ex aliis sacræ Scripturæ & Iosephi locis superiùs adductis apparet, singulas columnas octodecim cubitis fuisse altas. Neque de ambabus iunctim, vt putarunt Vatablus super eodem textu, & Ribera lib. 2. de Templo cap. 14. & Villalpandus vbi suprà; quandoquidem non triginta quinque, sed triginta sex cubitis ambæ simul altæ erant. Vnde non videtur admittendum quod ait Villalpandus, nempe Scripturam loco Paralip. citato, vnicuique columnæ cubitos tribuere septemdecim cum dimidiato; quia tot, inquit, præcisè cuiusuis columnæ scapus erat altus, sublatis nimirum capitello & plintho, quæ infima pars est basis, & quam putat vnum tantùm cubiti quadrantem altitudinis habuisse. non, inquam, id videtur debere admitti: nam non est verisimile, quòd Scriptura sacra, volens loco Paralip. allegato prædictarum columnarum altitudinem tradere, non potiùs vel solius scapi singularum, vel scapi cum sua pariter basi & capitello mensuram tradiderit. Cur enim magis plinthum dumtaxat, & non totam basim; vel cur non partem capitelli, & non totum capitellum excipere voluit? certè huius rei rationem afferre debuerat dictæ assertionis auctor, ne eius expositio voluntaria videretur, ac de industria ad proprium ipsius sensum accommodata. Dicere autem quòd tota superior basis pars, plintho dumtaxat excepta, simul cum ipsa columna priùs fusa erat, & propterea in vtriusque columnæ mensura fuerit inclusa, non satisfacit; tum quia id probari non potest, tum verò maximè, quia probabilius videtur, & bases seorsùm à columnis, vt communiter fit, fuisse fusas; & columnarum longitudinem in Sacris libris expressam, propriè de ipsarum scapis seu stylis tantùm esse accipiendam. Sed etsi daremus Villalpando, locum 2. Paralip. citatum ideò asseruisse, columnas cubitis triginta quinque, non autem triginta sex altas fuisse, quia non computauit ambarum plinthorum altitudinem; certè nec sic obtinere posset intentum: quandoquidem neq; ipsa plinthorum adiectio sufficere potuisset ad implendam earumdem columnarum altitudinem, quæ, vt dictum est, ex aliis Scripturæ locis colligitur fuisse cubitorum triginta sex. Nam si (quemadmodum ipse putat) singularum columnarum scapi binis tantùm cubitis lati erant; profectò ea-

DE COLVMNARVM ALTITVDINE.

TEXTVS 2. PARAL. CAP. 3. VERS. 15. EXPENDITVR.

rum bases vno tantùm cubito altæ esse debebant, & consequenter totiusque plinthi altitudo simul computata, ad semicubitum, non autem ad integrum cubitum ascendere poterat. Plinthus enim (vt etiam in eius typis metiri possumus) quarta dumtaxat altitudinis pars totius basis erat. Defuisset ergo de iusta columnarum mensura semicubitus. Vana item videtur Vatabli & Riberæ responsio; quòd scilicet, tametsi vtraque columna decem & octo cubitos haberet altitudinis, nihilominùs vtriusque semicubitus vnus in suo capite seu capitello abditus tenebatur, ita vt longitudo, quæ de ambabus columnis videri poterat, iunctim fuerit triginta quinque tantummodò cubitorũ: vana, inquam, est huiuscemodi responsio, quę probari non potest; nusquã enim fit mentio de tali vlla dictarum columnarum portione abdita: sed nec excogitari quidem potest, qualiter tale quid concinnè extrui potuerit. Nam si intelligunt scapos columnarũ, propter earum altitudinem, de imo aspicientibus apparuisse breuiores quàm reverà essent, id non negamus: verumtamen quòd altitudo decem & octo cubitorum præcisè semicubito breuior appareret, admitterè nullo modo possumus: quin etiam addimus, non esse verisimile, quòd Scriptura sacra mensuras potiùs apparentes, quæ ex varia intuentium distantia situque variari solēt, quàm veras àc reipsà tales describere voluerit. Non item præallegatus textus 2. Paral. accipi potest de singulis columnis, cum sua basi & duobus capitellis simul sumptis, eo modo quo existimarunt Richardus in lib. de Templo, & Lyranus, & Abulensis, & Caietanus super 3. Reg. cap. 7. & 2. Paralip. cap. 3. dicentes, alterum ex capitellis fuisse altum cubitis quinque, alterũ quattuor, & columnæ stipitem decem & octo, & basim octo, & sic conficiunt summam cubitorum triginta quinque. Quorum sententia non videtur recipienda; quia sine vlla Scripturæ sacræ aut veterum Scriptorum auctoritate supponunt, singulas harum columnarum bases habuisse octo cubitos altitudinis; quod etiam Architectonicæ proportioni omnimodis repugnat. Et si quis replicet, sub basibus iustæ proportionis, nimirum altitudinis duorum cubitorum, extitisse stylobatas, quas Italicè vocamus *Piedestalli*, à terra altos cubitis sex; respondemus, bases quidem tamquam necessarias (etiam si in Sacris codicibus fuerint prętеritæ) sub columnis positas fuisse, omnino esse admittendum: stylobatas autem, tamquam quid adiectitium, & antiquitus minimè vsitatas, & numquam in Scripturis sacris memoratas, non item. Verùm quia Caietanus, tametsi & ipse dicat, memoratos triginta quinq; cubitos debere accipi de altitudine totius molis seu opificij ipsius columnæ, quod quattuor, inquit, partibus constabat, nimirum basi, columna, capite, & corona; nihilominùs (prudenter sanè) non expressit singularum harum partium mensuras, vt fecere alij: propterea, si quis contendat ipsum per coronam intelligere voluisse non, vt alij, capitellum quinque cubitis altum; sed totam trabeationem, quæ alteri capitello cubitis quattuor alto immediatè imponebatur; profectò posset eius dictum recipi & accommodari his quæ nos infrà num. proximo de vera citati textus 2. Paralip. intelligentia dicemus.

DE COLVMNARVM CORONAMENTIS.

9. Sanè ex locis proximè citandis certum est, super vnamquamque columnam fuisse quædam alia (vt ita dixerim) illius structuræ membra, pariter ænea, inuicem superposita, vt colligi potest 3. Reg. cap. 7. vers. 19. & 20. vbi posteaquam Scriptura egit de quibusdam capitellis, subiungit: *Et rursum alia capitella in summitate columnarũ desuper*, &c. Hæc autem singula in Scripturis sacris aliquando specialibus quibusdam nominibus appellantur, videlicet *capitella, epistylia, capita columnarum*, & *coronæ*; aliquando autem communiori quodam vocabulo *capitella*, seu (vt habet lectio LXX. Interpretum 3. Reg. cap. 7.) *additamenta*, vel *coronamenta* vocantur; quorum aliqua dicuntur habuisse altitudinem trium cubitorum, 4. Reg. cap. 25. vers. 17. aliqua quattuor, 3. Regum cap. 7. vers. 19. aliqua quinque, ibidem vers. 16. & 2. Paralip. cap. 3. vers. 15. & Ierem. cap. vlt. vers. 22. & apud Iosephum 8. Antiq. cap. 2. Verùm quia non facile est ex ipsis sacræ Scripturæ verbis elicere, qualia cuiusmodìve essent ista capitella seu additamenta, nec patitur Architecturæ ratio, vt plura capitella propriè sumpta, etiam si sint diuersi generis, super vna eademque columna imponantur; quandoquidem non modò vllam structuræ præstarent gratiam, sed etiam eamdem valdè deformem redderent: neque verisimile est, quòd Hiram peritissimus Architectus, & in Sacro eloquio admodum commendatus, quidquam indecorum in tam famoso præsertim templo facere voluisset; aut quòd ipse Salomon, qui in diiudicandis rebus omnibus erat sapientissimus, tale quid vmquam permittere vel sustinere potuisset. Idcircò necessarium videtur satis probabiliter coniectari, ac dicere, non omnia prædicta capitellorum seu additamenti siue coronamenti nomine significata, esse quæ Architecti propriè vocant capitella; sed fuisse


se partes trabeationis eisdem columnis impositas; quod neminem inficiari arbitror.
Si ergo res sic se habet, dicimus, quòd posito, vt dictum est, crassitudinem singularum
columnarum habuisse quattuor cubitos latitudinis, vt prima ponit opinio; facile erit
inuenire quomodo singulæ columnæ essent altitudinis cubitorum decem & octo, &
insuper vnaquæque ascenderet vsque ad altitudinem triginta quinque cubitorum. Ete-
nim illa dumtaxat verè nuncupata sunt capitella, quæ dicuntur habuisse quattuor cu-
bitos altitudinis, & quasi opere lilij fabricata, nimirũ ad similitudinem capitellorum,
quæ nunc Corinthia nuncupantur; habent enim plura in circuitu folia in modum lilij
extrinsecus aliquantulùm reflexa: & horum altitudò tanta esse debuit, quanta erat co-
lumnæ crassitudo in scapo eius inferiori: hæc inquam vera reor fuisse capitella, imme-
diatè columnis imposita, & super hæc locatas fuisse trabeationes, quæ ex epistylio, zo-
phoro, & corona seu coronice, compingi solent, hoc est, vt Italicè dicam, *si compongo-
no del architraue, freggio, & cornisone.* Siquidem de epistyliis Scriptura meminit 2. Para-
lip. cap. 4. vers. 12. & 13. de corona verò Ierem. cap. vlt. vers. 22. zophoros autem latio-
ri vocabulo, nimirùm capitibus columnarum significatos credimus, quæ loco Paralip.
adducto, super epistylia extitisse dicuntur: quamuis, etiam si Scriptura sacra omnino
zophoros præteriisset, non ideò tamen credendum esset, eos in illa structura, quæ satis
perfecta erat, defuisse; sicuti proculdubiò non defuerunt sub eisdem columnis propriæ
bases, quarum tamen locis allegatis nulla prorsus fit mentio. Porrò epistylia crediderim
fuisse illa, quæ Auctor lib. 4. Reg. appellauit capitella altitudinis trium cubitorum.
Eiusdem quoque altitudinis oportet fuisse capita columnarum, siue zophoros, qui iuxta
regulas Architectonicas rectè parem cum epistyliis altitudinem habere possunt. Deni-
que supra zophoros imponebantur coronices, quæ sub nomine capitellorum altitudi-
nis quinque cubitorum 3. Reg. cap. 7. & aliis in locis suprà citatis significari videntur.
Igitur si coronix alta erat cubitis quinque, tantumdem ad minus proiecturæ ex regulis
Architectonicis habere debebat. Quo fit, vt eiusdem coronicis summitas, quattuor-
decim ferè cubitorum in singulis quattuor eius lateribus transuersaliter euaderet: nam
quinque cubiti ab vna zophori extremitate prominentes, & totidem ab altera, & ferè
quattuor latitudinis eiusdem zophori (tanta enim debuit esse latitudò zophori, quanta
& superioris scapi columnæ) in medio existentes, faciunt cubitos quattuordecim. Et
hinc patet verum esse, quod suprà num. 7. tetigimus; nimirum, ipsas columnas non in-
tra Templi porticum, sed foris ad eius latera fuisse locatas, vt in ipsius Templi graphi-
de superiùs num. 8. posita intueri licet. Nam illa porticus, vt sub an. mun. 3023. num. 2.
& 3. diximus, decem dumtaxat cubitis lata erat; & consequenter dictam columnarum
coronicem quattuordecim cubitos latam capere non potuisset. Ceterùm, singulas co-
lumnarum bases duobus cubitis altas fuisse oportuit, quanta scilicet erat dimidia imi
scapi columnæ crassitudo: talis namque est basium proportio ab Architectis commu-
niter constituta. Ex his ergo omnibus inferre possumus, textum illum 2. Paralip. cap. 3.
vers. 15. de quo paulò antè agebamus, qui ait, duas Templi columnas triginta quinque
cubitos habuisse altitudinis, proculdubiò de singulis columnis esse accipiendum; præ-
sertim cùm id etiam disertis verbis exprimat textus LXX. Interpretũ Romæ impressus,
Ierem. cap. vlt. dicens: *Triginta quinque cubitorum altitudo columnæ vnius, & funiculus
duodecim cubitorum circumdabat eam, & crassities eius digitorum quattuor in circuitu.* Potest
autem hæc longitudò cum aliis Scripturæ locis suprà num. 7. adductis per omnia con-
ciliari, & præcisè inueniri, si vnaquæque columna cum sua pariter basi & capitello & 2
trabeatione accipiatur: nam si computes basis cubitos duos, scapi columnæ cubitos 18
octodecim, capitelli quattuor, epistylij tres, zophori tres, & coronicis quinque; vtique 4
prædictam efficies summam triginta quinque cubitorum. Non igitur recipienda est illa 3
Riberæ lib. 2. de Templo cap. 14. expositio; qui quoniam præcitatus 2. Paralip. textus, 3
post illa verba, *Ante fores etiam templi columnas duas, quæ triginta & quinque cubitos* 5
habebant altitudinis, protinus subiungit, *Porrò capita earum quinque cubitorũ,* infert: Non 35
ergo erant numerati cubiti capitum in illis trigintaquinque. Quin potiùs dicendum
videtur, Scripturam sacram eo loco (vt aliàs quoque) post notatam totius structuræ
altitudinem, seorsum quoque aliquarum eius partium, nempe capitellorum, mensu-
ram protinus subiungere voluisse. Ceterùm, vt quæ de hisce columnis hactenus dicta,
& de earum retiaculis continuò dicenda sunt, perspicuè magis intueri, & de eorum-
dem controuersiis iudicium ferre quiuis possit; visum est hîc binos tum columnæ tum
retiaculi eius typos ponere, singulos ad singulas sententias, quæ de ipsis habentur
accommodatos.


COLVMNARVM TYPVS, AD MENSVRAS

Auctoris



Villapandi






OPVS RETIACVLI ET MALOGRANATORVM, ad mentem *Villapandi,*



Auctoris.





Retiaculi forma maior.

Retiaculi forma minor.



10. Sequitur dicendum de retiaculis & malogranatis; quæ res longè maiorem patitur difficultatem. Sanè in prædictis columnarum capitellis seu coronamentis extitisse quædam retiacula & malogranata, traditur 3.Reg.cap.7. vers. 17.18. & 20. & 4.Reg. cap.25.vers.17.& 2.Paralip.cap.3.vers.16.& c.4.vers.12. & 13.& Ierem. c.vlt.vers.22. & 23.& apud Iosephum 8.Antiq. cap.2. Sed quænam & qualia essent dicta retiacula, & quomodo in eis disposita essent malogranata, difficilè admodum scire possumus: nam Iosephus de his adeò breuiter agit, & Scriptura sacra locis citatis tam obscurè loquitur, vt quidnam significare velint, percipi vix possit. Quare non mirum est, si etiam sacri Expositores tam variè eadem loca exponunt, vt Lectorem magis confundere, quàm rem explicare videantur; quemadmodum quilibet, eorum scripta volutando poterit experiri. Huc accedit, quòd etiam de dictorum retiaculorum & malogranatorum numero, & eorum ordinibus Scriptura sacra diuersimodè loquitur. Etenim quod attinet ad retiacula, textus LXX. Interpretum 3.Reg. cap.7. qui in Bibliis Regiis sub titulo 1.Reg. refertur (duo enim priores libri ibidem non Regum, sed Samuel inscribuntur) ponit retiacula septem: in eorumdem verò textu Romano, ibidem, nempe 3.Reg.cap.7.duorum tantùm retiaculorum fit mentio; & eodem modo in textu Vulgato Latino eiusdem capitis vers.41.& 42.& similiter 2.Paralip.cap.4.vers.13. At verò Ierem.cap.vlt.vers.23. videntur poni centum retiacula. Quod autem spectat ad malogranata, textus Vulgatus 3.Reg.cap.7. vers.20. ducentos ponit ordines malogranatorum in circuitu capitelli secundi; ex quo loco videtur posse colligi, totidem in altero alterius columnæ capitello extitisse: editio verò LXX. Interpretum ibidem, & Vulgata 2.Paralip. cap.4. vers.13. duos tantùm facit ordines singulis retiaculis iunctos. inquit enim: *Malogranata quoque quadringenta, & retiacula duo; ita vt bini ordines malogranatorum singulis retiaculis iungerentur, quæ protegerent epistylia, & capita columnarum.* Idem ferè habet Iosephus 8. Antiq.cap.2. vbi de retiaculis verba faciens, subiungit: *Dependebantque inde duæ series malorum Punicorum.* Porrò eadem malogranata, quæ loco Paralip. citato dicuntur fuisse quadringenta, Iosephus vbi suprà dicit fuisse ducenta; in capite autem eiusdem libri Paralip.3. vers.16. legimus fuisse centum, quod & confirmat Ieremias cap.vlt.vers.23. quamuis ibidem quoque subiungat, fuisse nonaginta sex. Ecce quanta Sacrorum textuum diuersitas. Quomodo autem omnes conciliari possint, numero sequenti videbimus. Nunc dicendum priùs videtur aliquid de horum retiaculorum materia, forma, positione, & figura. Et primò quidem (vt planè colligi potest ex his quæ traduntur 3.Reg. cap.7. vers.17.41. & 42.) certum est, memorata retiacula fuisse ærea quędam veluti lora eleganter elaborata, desuperque (vt de columnis num.7. dictum est) inaurata, atque in modum retis & catenarũ miro opere inuicem implexa, ac per septem tamquam versus distincta; quorum superior, funiculo pariter æneo ipsam trabeationis coronam circumdanti ita appensus & connexus erat, vt eumdem funiculum pluribus in locis operiret. Erant verò singula retiacula duobus quoque malorum granatorum versibus siue ordinibus inde dependentibus exornata. Possumus item satis confidenter asserere, totum illud opus, ex prædictis retiaculis ac malogranatis compactum, fuisse singulare quoddam ornamenti genus, illis columnis adiectum, vt expressè insinuatur 4.Reg.cap.vlt.vers.17. illis verbis: *Et retiaculum, & malogranata super capitellum columnæ, omnia ærea: similem & columna secunda habebat ornatum.* & iste ornatus (vt ibidem præmittitur) erat super capitella columnarum positus: non quidem super ea, quæ propriè capitella dicuntur; sed super ea, quæ Scriptura 3.Reg. cap.7. vers.16. capitellorum quinque cubitorum altitudinis vocabulo significauit. Quo vocabulo aliqui totam etiam trabeationem, nos coronicem præcipuè signari putamus; quemadmodum planè indicare videntur verba illa Ierem. loco citato, quæ sic habent: *Et retiacula, & malogranata super coronam in circuitu, omnia ærea.* Ibi enim per coronam rectè possumus intelligere coronicem, vel eam coronicis partem, quam speciatim Architecti Latinè vocant coronam, Italicè autem dicimus *Gocciolatoio.*

DE COLVMNARVM RETIACVLIS ET MALOGRANATIS.

DE EORVMDEM FORMA

¶ 11. Sed adhuc dubium est, an memoratum ex retiaculo & malogranatis ornamentum esset quid simul cum coronice seu corona fusum, ac veluti ei connatum, ita vt videri posset in ea cælatum; an verò potiùs tamquam quid eidem coronæ appositum, vel appensum. Primam opinionem amplexus est Villalpandus super Ezechielem; qui propterea in sui retiaculi orthographia, sub proiectu coronicis seu coronæ, inter mutulos eam sustinentes & exornantes, octo disposuit retiacula, nimirum bina in singulis quattuor coronæ lateribus; ita vt quodammodò videri possint tamquam sub eadem corona insculpta aut impressa, in quorum loculis veluti inclusa conspiciuntur malogranata, quasi

DE ORNAMENTO EX RETIACVLIS ET MALOGRANATIS COMPACTO DVPLEX SENTENTIA. PRIMA OPINIO, QVAE EST VILLALPANDI.

quasi inde aliquatenus dependentia, eo ferè modo quo eiusdem Auctoris figura numero præcedenti interposita demonstrat. Quæ res elegantissimam vtique reddit ipsam coronicem, & opus repræsentat aspectu valdè gratiosum. Quo fit, vt in eamdem ipse quoque sententiam libenter ire paratus essem, nisi obstaret, quòd difficilè admodum videntur, omnia in memorato typo contenta, Sacro textui posse adaptari, qui loco Ierem. allegato, huiusmodi retia super, non autem sub corona ponit; & item eadem retiacula ferè semper facit duo tantùm, & non plura, vt patet locis numero præcedenti adductis. Nam quod in textu LXX. Interpretum ibidem notato dicitur de septem retiaculis in vnoquoque capitello; Vulgata editio exponit de septem versibus in vnoquoque retiaculo replicatis. & quod Ierem. cap. vlt. de centum retiaculis in quibusdam codicibus non bene distinctis tradi videtur; haud ita est: quandoquidem ibi illud *centum* ad malogranata, non autem ad retiacula referri debet; vt sit sensus, quòd malogranata centum, retiaculis essent interposita; quemadmodum patet ex editione Sixtina Romæ postremò excusa, vbi illud *centum* à *retiaculis* commate distinguitur. Itaque si ex Sacro eloquio constat, duo tantùm fuisse retiacula; non rectè meo iudicio poni debuerunt octo in vnoquoque capitello seu corona, & sexdecim in ambabus coronis, vt in memorata Villalpandi habetur figura. Neque enim allegata Scripturæ loca, quæ duo tantùm ponunt retiacula, videntur rectè cum Villalpando exponi posse, hoc est, in singulis vnius coronicis lateribus: quia Sacer textus non loquitur de vna tantùm corona seu columna, sed de ambabus simul, & consequenter intendit tradere numerum cunctorum retiaculorum, non autem eorum dumtaxat quæ erant in vnoquoque vnius columnæ seu coronicis latere: alioqui nusquam expressisset quot fuerint omnia retiacula, quæ Auctor prioris sententiæ & figuræ, vt dixi, sine vllo Sacri textus aut alterius Scriptoris testimonio, facit in vnaquaque columna octo, & in ambabus sexdecim. Præterea malogranatorum ordines Scriptura sacra ferè semper facit duos tantùm in singulis retiaculis: quando autem ducentos extitisse ait in circuitu capitelli secundi, profectò illud *capitelli secundi* non potest significare capitellum alterius columnæ, quia cùm ordo ad minus inter duos reperiri possit, vtique oporteret in vnaquaque columna fuisse quadringenta saltem malogranata, & in ambabus iunctim, octingenta; quod nullibi reperimus scriptum: quin etiam aliis Scripturæ locis omnino aduersaretur, in quibus non plus quàm quadringenta malogranata memorantur. Oportet igitur illud *in capitello secundo* non de alterius columnæ, sed de altero eiusdem columnæ capitello esse accipiendum, nimirum non de primo quod immediatè eidem columnæ imponebatur, ac propriè capitellum dicitur; sed de trabeatione, quæ hîc impropriè capitelli nomine signatur, & priori capitello superposita erat, & in cuius circuitu memorata pendebant malogranata: & item oportet dicere, cunctos dictorum malogranatorum ordines & fuisse duos tantùm, & fuisse ducentos, iuxta varios ordinandi modos. Nam si ex singulis duobus malogranatis, altero scilicet retiaculis interposito, altero autem inferiùs pendente, vnum ordinem constituerimus; vtique in ambobus retiaculis copulatiuè sumptis, reperiri poterunt centum nonaginta duo malogranatorum ordines, quos Scriptura sacra, vt interdum solet, integro numero appellare maluit ducentos. Si verò vnum ordinem ex cunctis malogranatis retiaculo interpositis, & alterũ ex infra ipsum dependentibus facere velimus, dubio procul duo tantùm erunt malogranatorum ordines in singulis retiaculis, vt Scriptura locis citatis testatur, & magis exprimit editio LXX. Interpretum 3. Reg. cap. 7. illis verbis: *Duo ordines malorumgranatorum æneorum reticulati, opus pensile, ordo super ordinem.* Porrò isti ordines, qui in nostro typo perbellè reperiuntur expressi, in eo quem Villalpandus edidit, quomodo duo in singulis retiaculis, & ducenti in ambobus secerni possint, nullatenus apparet. His adde, quòd Scriptura sacra, si accuratiùs legatur, de opere ex retiaculis & malogranatis compacto, videtur loqui semper tamquam de ornamento quodam, non columnarum capitellis seu coronis veluti insculpto, seu cum eisdem fuso, vt Villalpandi repræsentat figura, sed tamquam illis superaddito, & quodammodò de facili à capitellis separabili. Nam & 2. Paralip. cap. 3. vers. 16. de hisce retiaculis sub nomine catenularum verba faciens, subiungit, quòd *superposuit eas capitibus columnarum, & malogranata catenulis interposuit.* & editio LXX. Interpretum 3. Reg. cap. 7. non semel prædicta retiacula vocat opus pensile, tamquam quid à coronice diuersum, & ipsi appensum. & 4. Reg. c. vlt. vers. 17. & Ierem. pariter cap. vlt. vers. 22. vbi recensentur singula illius structuræ membra, apertè à capitellis seu coronis prorsus distinguuntur retiacula & malogranata, tamquam quid ab ipsis seiunctum: alioqui satis fuisset, eorumdem capitellorum seu coronarum mentio-

CVR AVCTOR PRIMAE OPINIONI NON ADHAEREAT.

mentionem facere, & dicere, quòd in eis veluti cælata erant retiacula & malogranata. Quæ omnia quantum à Villalpandi typo discordant, tantum nostro magis conuenire videntur. Sed & quod attinet ad malogranatorum numeros diuersimodè in Sacris paginis, vt numero præcedenti notatum est, relatos; puto varia eiusdem Scripturæ loca sic posse conciliari: quòd scilicet malogranata fuerint centum in vnoquoque versu seu ordine, ducenta verò in vnaquaque columna, & in ambabus quadringenta. Vel melius: quia Ierem. cap. vlt. vers. 23. legimus, *Et fuerunt* (loquitur autem ibi de singulis columnis) *malogranata nonaginta sex dependentia: & omnia malogranata centum, retiaculis circumdabantur.* quod & prius quoque insinuatum fuerat 2. Paralip. cap. 3. vers. 16. illis verbis: *Malogranata etiam centum, quæ catenulis interposuit.* liquidò colligere possumus, reuerà in singulis illis duabus columnis extitisse malogranata dumtaxat centum nonaginta sex; quorum illa omnia, quæ (subaudi, in superiori versu) retiaculis ex parte circumdabantur siue interponebantur, erant centum: reliqua autem, videlicet quæ in versu inferiori sub retiaculo pendebant, erant tantummodò nonaginta sex. Vnde patet, omnia malogranata in ambabus columnis existentia simul computata, non fuisse plura quàm trecenta nonaginta duo, quemadmodum ex nostro ipsorum typo facilè colligi poterit: Scripturam verò sacram quando ea facit centum, ducenta, & quadringenta, more suo vsurpasse numeros perfectos pro imperfectis; alioqui alia eiusdem Scripturæ loca cum verbis Ieremiæ adductis cohærere nullo modo possent: & consequenter fit manifestum, falli Villalpandum, qui in suo exemplari fingit malogranata præcisè quadringenta; nimirum in singulis columnis seu columnarum coronis ducenta, & omnia vniformiter retiaculis inclusa. Denique Sacer textus 3. Reg. cap. 7. vers. 41. ponit etiam exprесsè duos tantùm funiculos (subaudi, pariter æreos) in dictis capitellis seu coronis, nempe vnum in vtraque corona, qui in ipso Villalpandi typo non inueniuntur.

12. Propter hæc & eiusmodi alia, & quia in sacris fabricis (quemadmodum etiam ex numero proximo dicendis apparebit) maior habenda est ratio eorum quæ in Sacro eloquio expressa habemus, quàm quæ ad Architectorum regulas, operumque elegantiam magis pertinere videntur, nobis Sacro textui magis congruere videtur, si iuxta nostrum typum ponamus, quòd à memoratis coronis penderent prædicta duo retiacula ænea, singula septies per quattuor eius partes veluti circumducta seu replicata; & quòd in eorum extremitatibus appensi essent duo ordines malorum granatorum pariter æneorum, eo numero & modo quo nostra loco citato adiecta refert figura; cui ad vnguem videntur conuenire omnia, quæ de eiusmodi retiaculis & malogranatis tradi in sacris Scripturis numero præcedenti retulimus; & præcipuè ea quæ habemus 2. Paralip. cap. 4. vers. 13. in hæc verba: *Et retiacula duo, ita vt bini ordines malogranatorum singulis retiaculis iungerentur, quæ protegerent epistylia, & capita columnarum.* & item ea quæ ibidem cap. 3. vers. 16. legimus, videlicet: *Malogranata etiam centum, quæ catenulis interposuit.* Siquidem prior typus (vt diximus) omnia malogranata, nempe quadringenta, hoc est in singulis columnis ducenta, ipsis catenulis interponit, non autem tantummodò centum in vnaquaque columna, vt posterior typus perspicuè demonstrat; in quo eadem malogranata ferè pro medietate catenulis interposita, pro altera verò medietate, sub ipsis catenulis pendere conspiciuntur. Oportet igitur quòd hæc retiacula malogranatis exornata, & ex quattuor coronicis lateribus, vt dictum est, pendentia, quamdam veluti speciem vmbellæ, seu illius integumenti, quod sacris Altaribus, nec non Principum sedibus superponi solet, quodammodò repræsentarent. Et cùm singula propriæ columnæ zophorum epistyliumque ac capitellum in circuitu protegere quodammodò viderentur, eorum tamen artificium atque elegantiam non occultarent: nam præterquam quòd satis ampla & crebra erant ipsa retiaculorum foramina, quoniam valdè celsa expansaque erat, vt suprà num. 9. diximus, ipsa coronicis proiectura; & multum à zophoro epistylioque ac capitello retiacula distabant, vtique à pauimento suspicientibus impedimento esse non poterant. Videat prudens Lector, & Scripturæ loca, in re præsertim adeò obscura, accuratè perpendat, & cum typis suprà positis diligenter conferat, ac demum ex hisce duabus opinionibus, illam quæ magis placuerit, sibi deligat.

ALTERA, QVAE EST AVCTORIS OPINIO.

QVAE SINT ATTENDENDA IN OPINIONE DELIGENDA.

13. Ceterùm dicet mihi hîc fortasse aliquis: Enimuerò tuæ, tum de prædictarum columnarum longitudine & latitudine, tum de forma retiaculorum sententiæ, tria videntur officere. Primò, scapi cuiusque ipsarum longitudo, quæ cùm neque quinquies propria crassitudine altior esset, non modò ordini quem vocant Corinthium; sed

RESPONDETVR TACITIS OBIECTIONIBVS.

nec

nec vllo ex aliis Architecturæ ordinibus, quorum humilior requirit vt columnæ celsitudo sexies saltem eius crassitudinem superet, respondisse certum est. Deinde, ipsa trabeationis altitudo, quæ Architectonicæ proportionis regulas longè videtur excessisse; quandoquidem non modò ad quartam quintámve totius columnæ cum sua basi capitelloque altitudinis partem, sed pænè vsque ad medietatem accessisse perspicuum est. Denique, illa retiaculorum adiectio, quæ si fuit ad formam suprà secundo loco descriptam, videbatur omitti potuisse, & nihil fermè ad operis elegantiam conferre, cùm præsertim posteà apud omnes Architectorum probatissimos inusitata fuerit. Sed ad hæc responderi potest, prædictarum columnarum scapos ordinaria proportione humiliores consultò fortassis fuisse factos, vt vel sic firmitatem ac fortitudinem, quam significabant, propriisque ipsarum nominibus indicabant, reipsa etiam magis exprimerent: quanto enim humilior columna, tanto (ceteris paribus) est firmior; & quod ipsarum celsitudini deerat, altiori trabeatione suppletum est: nisi fortè etiam, vt scapi quoque altiores viderentur quàm essent, striati insuper facti sunt: constat, enim, strias quantum crassitudini adimere videntur, tantum celsitudini, quoad apparentiam, conferre. Porrò prædictas columnas fuisse striatas, tametsi editio Vulgata lib. 3. Reg. non memoret, id tamen haud obscurè indicat ibidem textus LXX. Interpretum Romanus illis verbis, *Crassitiem columnæ quattuor digitorum cauitates; & sic columna secunda.* & idem magis apertè in versione Ruffini tradit Iosephus 8. Antiq. cap. 1. inquiens: *Fecit Chiram duas columnas æreas cum canalibus cauatione quattuor digitorum.* & adhuc clarius Auctor Historiæ Scholasticæ lib. 3. Reg. cap. 12. vbi ait, stylum seu stipitem columnæ non fuisse planum, sed valliculatum; habuisseque in circuitu cauationes quattuor digitorum. Cur autem trabeatio multò altior facta fuerit, quàm regulæ Architectonicæ posteà tradiderint, præter causam superiùs tactam, videtur etiam ille excessus tolerari potuisse, propter operis celsitudinem: nam quæ de longè conspiciuntur, minora visui apparere solent; & proptereà interdum maiora fiunt, vt magis proportionata oculis intuentium videantur. Vel potiùs ingenuè fateri quoque possumus, ipsam Architecturæ artem, quemadmodum ex fabricis à Salomone extructis magnum lumen plurimaque adiumenta atque incrementa accepisse dubium non est; ita deinceps, præsertim quoad eiusmodi proportiones statuendas, vsu atque experientia, sicut & ceteras artes, non mediocriter fuisse perfectiorem redditam. etenim, vt notum est, artes fiunt per adiectionem; & nulla earum pariter inuenta atque perfecta fuisse creditur. Denique non est quòd quisquam demiretur, in fabricis per Salomonem ædificatis, Architecturæ regulas mox à Græcis Latinisque Scriptoribus traditas, non penitus fuisse obseruatas; quando in magnificentissimis quoque Romanorum ædificiis, quorum vestigia etiamnunc apud omnes magna in admiratione habentur, multa ad ipsas præcipuè trabeationes pertinentia, ab iisdem regulis dissidentia inueniri, Sebastianus Serlius in suis de Architectura libris sæpiùs se obseruasse testatum reliquit. Retiacula autem non tam ad ornatum, quàm etiam ad aliquid significandum facta fuisse reor; quemadmodum & in memoratis operibus alia multa: quandoquidem & maris ænei luterumque bases aliis modis longè elegantioribus fieri potuissent, & præfatæ columnę sine hisce retiaculis satis pulchræ decoræque fuissent; & nihilominùs Salomon, iuxta exemplar patri suo diuinitus traditum, ea aliaque omnia fieri maluit, non ignorans, singula mysteriis nequaquam carere cælestibus: Nam (vt exempli gratia, de dictarum duarum columnarum mystica significatione aliquid, ad probanda quæ diximus, subiungamus) certum est, quòd dictæ duæ columnæ auro tectæ, aliisque ornamentis decoratæ, quarũ altera posita erat ad dextram, altera ad læuam introitus in Templum illud, quod (vt probat venerabilis Beda cap. 1. de Templo; & comprobari potest ex cap. ad Hebræos 9.) sanctam Christi Ecclesiam præfigurabat; significabant quales esse debebant, qui ipsam Ecclesiam (cuius porta idem Christus est, ipsomet dicente per Ioan. cap. 10. vers. 9. *Ego sum ostium. Per me si quis introierit, saluabitur.*) ingressuri erant; nimirũ charitate aliisque virtutibus prædití, & præsertim in ea fide, quæ tam in prosperis, quàm in aduersis per dilectionem operatur, benè radicati & fundati, & ita firmi ac stabiles, vt mererentur fieri columnæ templi spirituales, iuxta illud, quod dicitur Apocalyp. cap. 3. vers. 12. *Qui vicerit, faciam illum columnam in templo Dei mei.* Tales fuerunt primitiuæ Ecclesiæ credentes, & præsertim Martyres, & Apostoli, vt videntur sensisse sanctus Hieronymus in Ezechielem cap. 40. & Beda lib. de Templo cap. 18. & propterea de quibusdam Apostolis dicitur ad Galat. cap. 2. vers. 9. quòd *videbantur columnæ esse.* Puto autem Petrum & Paulum, tamquam Apostolorum Principes, & alios quoque

CVR COLVMNARVM SCAPI HVMILIORES.


CVR TRABEATIO ALTIOR.

quoque repræsentantes, ſpeciatim præſignatos fuiſſe in prædictis duabus columnis, à quibus pendebant retiacula piſcatorum inſtrumenta,& item malogranata, quæ iuxta S. Ambroſ. lib. 3. Hexaëmer. cap. 13.& S. Gregorium in Cantic. c. 4. ſymbola ſunt charitatis & vnitatis, ad inſinuandum id quod poſteà Dominus dixit Apoſtolis Matth. cap. 4. verſ. 19. *Faciam vos fieri piſcatores hominum*; & illud quoque quod de primis fidelibus dicitur Actor. cap. 4. verſ. 32. *Multitudinis credentium erat cor vnum, & anima vna*. Sed de hoc ſatis. Nam aliorum operum ipſius Salomonis myſticæ ſignificationes peti poterunt à ſacræ Scripturæ Expoſitoribus. non enim eas hîc intexere muneris noſtri eſt. Fallitur ergo Ioſephus, qui 8. Antiq. c. 2. ſub finem auſus eſt aſſerere, Salomonem non modò in ſenectute, quando per mulieres deprauatum eſt cor eius, & ipſarum idolis templa erexit, à præſcripto Moyſaicæ Legis cultuque diuino receſſiſſe; ſed etiam multò ante, nimirum quando æreas boum effigies ſub mari in Templo, & aureos leones in throno ſuo poſuit: *neque enim*, inquit, *illa fas erat facere*. Fallitur inquam Ioſephus; quia hæc & eiuſmodi ſculptilia non fieri curauerat Salomon, vt eis cultus aliquis adhiberetur, quod Lege vetitum fuerat, ſed ſimpliciter ad ornatum myſticamque ipſorum ſignificationem, quemadmodum dictum eſt. Et hæc dicta ſufficiant de his quæ fecerat Salomon, inferrique iuſſerat in Atrium Sacerdotum.

☞ 14. Tranſitum faciamus nunc ad ea, quæ idem poſuit in illa Templi parte, quæ Sancta, ſeu Domus anterior dicebatur. fuerunt autem præcipuè tria, videlicet, Altare thymiamatis, vt ſub anno mundi 2544. num. 67. 68. & 69. probatum fuit, vbi fuſiùs contra eos, qui putabant ipſum in Sancta ſanctorum extitiſſe, diſputauimus. poſitum autem fuit iſtud Altare in media domus latitudine, quę ad ipſum ſpectabat Oraculum. Deinde, decem menſæ, quarum quinque in latere Aquilonari, & alię quinque in Meridionali eiuſdem domus collocatæ ſunt. Ac demum, decem candelabra aurea, quinque à dextris, & totidem à ſiniſtris, contra dictas menſas. Quamquam tot menſas & candelabra non diu valdè poſt obitum Salomonis in Templo manſiſſe, nos ſub anno mundi 3064. num. 1. probabimus. Quod attinet ad Altare thymiamatis, ſatis de eius forma dictum eſt ſub anno mundi 2544. proximè citato num. 70. vbi de Altari Moyſaico agebamus: non enim credendum eſt, Altare hoc, quod Salomon in Templo poſuit, fuiſſe alterius formæ, quantum ad eſſentialia, ab eo quod olim Moyſes poſuerat in Tabernaculo; quandoquidem idem erat vtriuſque vſus: niſi fortè, vt multi putant, hoc fuerit aliquantò maius. Etenim, vt ait Abulenſis ſuper 3. Reg. cap. 6. quæſt. 16. *omnia quæ fecerat Moyſes in Tabernaculo* (Arca dumtaxat fœderis excepta, quæ eadem fuit) *erant minora iis quæ facta ſunt à Salomone in Templo: quia*, inquit, *illa facta fuerant, vt per deſertum portarentur, hæc verò, vt vbi ſemel poſita eſſent, perpetuò permanerent*. Et certè videtur rationi valdè conſentaneum, vt quemadmodum Tabernaculo longè maius fuit Templum; ita quoque quæ in Templo collocanda erant, vel maiora eſſent, vel ſaltem plura numero, vt de menſis & candelabris inferiùs ſuo loco dicemus. Vtrùm autem hoc Altare ad ſimilitudinem prioris, totum de nouo fecerit Salomon, vt ſentiunt Abulenſis vbi ſuprà, & alij; an verò illudmet antiquum ipſe aliquo modo ampliandum, atque honorificentiùs exornandum curauerit, vt ſentit Ribera lib. 2. de Templo cap. 8. difficilè admodum ex Scriptura ſacra conuinci poteſt: quoniam tametſi 3. Reg. cap. 6. verſ. 20. dicatur: *Sed & altare veſtiuit cedro*. & verſ. 22. *Sed & totum altare oraculi texit auro*. & 1. Paralip. cap. 28. verſ. 14. vbi traditur qualiter Dauid ſigillatim præparauerat, aſſignaueratque ſingula auri argentique pondera, ad ſingula, quæ in Templo opus eſſent, facienda; tandem vbi ad Altare incenſi deuenitur, nimirũ verſ. 18. ſubditur: *Altari autem in quo adoletur incenſum, aurum puriſſimum dedit, vt ex ipſo fieret ſimilitudo quadrigæ Cherubim extendentium alas*. ex quibus locis videtur poſſe colligi, dictum Altare tantummodò fuiſſe reconcinnatum, ac decentiùs exornatum: attamen 3. Reg. cap 7. verſ. 48. apertè dicitur, quòd *Salomon fecit omnia vaſa in Domo Domini, Altare aureum, & menſam*, &c. & idem repetitum habemus 2. Paralip. cap. 4. verſ. 19. quibus in locis eodem modo loquitur de Altari, ac de menſis & candelabris, ceteriſque vaſis Domus Domini, à Salomone de nouo fabricatis. Quidquid ſit, ſiue vetus inſtaurauerit, ſiue nouum Salomon extruxerit; conſtat hoc Altare, præter formam illam olim à Deo Moyſi traditam, inſuper habuiſſe aliud ornamentum in modum quadrigæ, ſuper quam ſtabant duo Cherubim aurei, qui cominus inuicem ſuper illud extendebant alas ſuas, ad ſimilitudinem illorum qui tegebant Arcam fœderis Domini, vt ſatis apertè traditur 1. Paralip. cap. 28. verſ. 18. & iſte ornatus factus fuit iuxta aliud exemplar, quod ab eodem Deo poſteà Dauidi fuera tdemonſtratum, ac per eumdem Salomoni

DE ALTARI INCENSI.

moni filio eius consignatum, vt sub anno mundi 3018. num. 3. dictum est; vbi etiam de dicti Altaris ornatu superaddito mentionem fecimus. Puto autem hac ornatus adiectione illud fuisse præstitum, vt Altare quod fecerat Moyses, & omnino intactum remanserit, & simul quodammodò maius (quemadmodum ipsa Templi amplitudo exigere videbatur) effectum; & item multò ornatius redditum fuerit, vt in eius effigie, quam hîc inseri curauimus, intueri licet. Quanto autem noster hic typus Altaris incensi à Salomone constructi, differt ab eo, quem Villalpandus super Ezechielis cap. 51. edidit, in quo nulla quadrigæ similitudo, nulli Cherubim extendentes super ipsum alas conspiciuntur; tanto apertior fiet & nostræ graphidis cum loci Paralip. citati verbis conuenientia, & illius ab eisdem verbis diuersitas. Quod verò Scriptura sacra 3. Reg. cap. 6. vers. 20. ait, hoc Altare vestitum fuisse cedro, & vers. 22. contectum auro; planè videtur indicare, prædicta additamenta, nempe quadrigã & Cherubim, ex cedro quidem facta, sed laminis aureis omnino fuisse obducta. Aduertendum verò est, quòd tametsi nobis non placeat sententia tenentium hoc Altare totum de nouo à Salomone fuisse factum; non tamen, ea etiam posita, admittendum censemus, quod suspicatur Auctor Historiæ Scholasticæ lib. 3. Reg. cap. 11. nimirum Altare illud vetus posteà repositum fuisse in Sancta sanctorum, non quidem ad quotidianos cremandi super eo thymiamata vsus, sed ad alios quosdam singulares ipsius summi Pontificis, quandò semel in anno illuc ingrediebatur. Etenim ista huius Auctoris positio pluribus argumentis optimè confutatur ab Abulense super 3. Reg. cap. 6. quæst. 16. & item refelli potest ex his quæ nos sub anno mundi 2544. num. 67. 68. & 69. fusè admodũ disputauimus contra asserentes, hoc Altare olim ab ipso Moyse non in Sancta, sed in Sancta sanctorum fuisse collocatum. Quòd si quis quærat, quid factum sit de illo Altari thymiamatis antiquo, si aliud nouum in Templo positum fuit; Respondere possumus cum eodem Abulense ibidem, illud in superiore Templi parte, tamquam in quodam sacrario, deuotionis ergô fuisse asseruatum, cum aliis rebus sacris, quæ ampliùs non erant in vsu, de quibus sub anno mundi 3023. num. 4. diximus.



ALTARIS INCENSI A SALOMONE EXORNATI TYPVS.

DE MENSIS PROPOSITIONIS IN TEMPLO POSITIS.

15. Sequitur dicendum de mensis in Templo collocatis: constat enim, quòd tametsi Moyses vnam tantùm mensam in Tabernaculo posuerat, nihilominùs, vt patet 2. Paralip. c. 4. vers. 8. Salomon, ad normam exemplaris sibi à Dauide relicti, posuit in Templo mensas decem, videlicet quinque ad dexteram, & quinque ad læuam (intellige, introitus Templi, quemadmodum infrà num. 13. de candelabris probabitur:) ex quo patebit, idem de ipsis quoque mensis accipiendum esse, cùm eodem modô de vtrisque Scriptura loquatur. Quare credimus hallucinari Lyranum, qui putat positas in Templo fuisse vndecim mensas aureas, computata nimirum Moysaica, quam credidit in medio aliarum fuisse collocatam, habuisseque ex his quæ fecerat Salomon, quinque à dextris,

dextris, & totidem à sinistris: quod nullo modo recipiendum censemus, cùm satis manifestè appareat, illud *à dextris, & à sinistris*, esse accipiendum non respectu mensæ Moysaicæ, de qua nihil constat quòd vmquam posita fuerit in Templo; sed respectu anterioris faciei Dabir, hoc est Sanctuarij, vt mox dicetur. Verùm an illæ decem mensæ, omnes essent aureæ, & omnes dicerentur mensæ panum propositionis, maior est difficultas. Nam Caietanus super 2. Paralip. cap. 4. dicit, Moysen quidem vnam dumtaxat mensam fecisse, Salomonem autem decem pro pane propositionis. & Lyranus ibidem addit, in singulis hisce mensis poni consueuisse duodecim panes propositionis, qui faciebant summam panum centum triginta duorum; computatis scilicet duodecim existentibus (vt ipse putabat) in mensa Moysaica. At Abulensis super loco Paralip. proximè adducto, quæst. 18. & 19. & post quæstionem 24. in expositione textus, & item super cap. 13. quæst. 40. & super 1. Paral. cap. 28. post quæstionem 28. in expositione litteræ dicit, decem quidem fuisse mensas in Templo à Salomone positas; sed ex his vnam tantùm auream, in qua sola ponebantur panes propositionis, nouem verò reliquas fuisse argenteas, ad alios vsus paratas; nimirum ad reponenda super eas vasa plurima quę fecerat Salomon in ministerium domus Domini; quod etiam scriptum reliquit Iosephus 8. Antiq. cap. 2. Mouetur autem Abulensis quattuor potissimùm rationibus: Primò, quia 3. Reg. cap. 7. vers. 48. dicitur Salomon posuisse in Templo mensam, super quam ponerent panes propositionis. Item, quia 1. Paralip. cap. 28. vers. 16. legimus (vt ipse refert) Dauidem dedisse Salomoni aurum in mensa propositionis, pro diuersitate mensuræ; similiter & argentum, in alias mensas argenteas. Tertiò, quoniam licet 2. Paralip. cap. 4. vers. 19. dicatur Salomon fecisse omnia vasa domus Dei, & Altare aureum, & mensas, & super eas panes propositionis: tamen ibi, inquit Abulensis, ponitur numerus pluralis pro singulari. Quartò demum, quia panes propositionis esse debebant tantummodò duodecim, vt præceptum fuerat Leuit. cap. 24. vers. 5. significantes duodecim tribus Israel; & vnica mensa commodè poterat eos capere; ergo, ait, non oportuit esse plures mensas propositionis. Nos tamen his non obstantibus dicimus, multò probabilius esse, Salomonem posuisse decem mensas aureas in Templo, & super eas panes propositionis, vt expressè traditur 2. Paralip. cap. 4. vers. 19. Nec est dicendum, ibidem poni numerum pluralem pro singulari; quia licet verissimum sit, in sacris Scripturis interdum id fieri, vt 1. Reg. cap. 28. vers. 13. *Deos vidi ascendentes*. id est Deum, vt ibidem notat Glossa interlinearis, & alibi non semel; sicuti contrà quandoque ponitur singularis pro plurali, vt in Psal. 77. vers. 45. *Misit in eos cœnomyiam, & comedit eos: & ranam, & disperdidit eos*; & aliàs non rarò: verumtamen, quemadmodum etiam ipsemet fatetur Abulensis, non debemus Sacros textus ita exponere, nisi quando necessitas cogit, & aliunde patet veritas; alioqui daretur occasio corrumpendi Eloquia sacra. Sanè in casu nostro, Salomonem posuisse plures mensas in Templo, constat non solùm ex loco 2. Paralip. iam citato, qui apertissimus est; sed etiam ex 1. Paralip. cap. 28. vers. 16. quem textum, corrupto deceptus codice, pro se Abulensis allegauit: siquidem ibi tam codices editionis Vulgatæ quàm LXX. Interpretum postremò Romæ sub Sixto V. & Clemente VIII. editi, & item qui in Bibliis Regiis sunt registrati, & alij plurimi, non dicunt: *Aurum quoque dedit in mensa propositionis pro diuersitate mensuræ*, vt habebat deprauatus Abulensis codex; sed sic: *Aurum quoque dedit in mensas propositionis, pro diuersitate mensarum*. Vnde manifestum est, non vnam tantùm, sed plures fuisse mensas propositionis aureas, nimirum decem, vt pariter & enucleatiùs exprimitur 2. Paralip. cap. 4. vers. 8. & 19. Quare potiùs dicendum est, 3. Reg. cap. 7. vbi dicitur Salomon fecisse mensam, &c. positum fuisse numerum singularem pro plurali; quemadmodum etiam fit 1. Reg. cap. 3. vers. 3. vbi lucerna ponitur pro lucernis. Neque curandum est de Iosephi auctoritate, quotiescumque Sacris codicibus aduersatur. Vtrùm autem duodecim panes prositionis essent omnes super vnica tantùm mensa, vt sensit Abulensis, an distributi per singulas mensas, ita vt singuli panes ponerentur super singulas octo mensas, & bini super singulas duas reliquas; vel potiùs in singulis mensis, duodecim essent panes, quemadmodum credidit Lyranus: non facilè ex Sacris libris elici potest. Nam etsi opinio Abulensis satis refelli possit ex 2. Paralip. cap. 4. vers. 19. vbi dicitur: *Et mensas, & super eas panes propositionis*; nusquam tamen legimus, quòd duodecim panes propositionis essent magis in vnaquaque mensa, an distributi per singulas mensas. Quamquam satis probabile videtur, quòd sicuti Salomon multiplicatis candelabris aureis multiplicauit pariter lucernas, ponens septem in vnoquoque candelabro, vt ex locis num. proximo citandis colligitur: ita & multiplicatis mensis aureis multiplicari quoque iusserit

AN OMNES ESSENT AVREAE.

QVOT PANES PROPOSITIONIS ESSENT IN MENSIS.

panes propositionis, ac poni duodecim in vnaquaque mensa: præsertim cùm sicuti amplitudo Templi plures lucernas exigere videbatur, eadem ratione multiplicatio Sacerdotum plures panes propositionis, qui in vsum ipsorum cedere solebant. Nec obstat, quòd Dominus Moysi mandasset, vt super vnica mensa propositionis, duodecim tantùm ponerentur panes, & quòd ij repræsentarent duodecim tribus Israel: quoniã idem quoque Dominus iusserat poni super vnico candelabro septem lucernas, quæ, vt ait Iosephus 3. Antiq. c.7. septem cæli Planetas significabant, mysticè autem, vt asserit S.Thomas 1.2.quæst.102.art.4.ad 6. septem Spiritus sancti dona: vnde, ex quo posteà voluit Dominus vt poneretur in Templo decem candelabra, & decem mensæ, quemadmodum septem lucernarum significatio in singulis decem candelabris saluari poterat, ita & duodecim panum propositionis mysterium in singulis decem mensis. Ceterùm, prædictas mensas aureas credimus fuisse factas ad formam eius quam olim fecerat Moyses in deserto, cuius graphidem, quoniam sub anno mundi 2544.num.73. posuimus, hîc iterùm ponere superuacaneum duximus.

DE 10. CANDELABRIS IN TEMPLO POSITIS.

☞ 16. De candelabris item constat 3.Reg.cap.7.vers.49.& 2.Paralip.c.4.vers.7.& 20. Salomonem, pro vnico candelabro quod fecerat Moyses in Tabernaculo, fecisse in Templo decem, ex auro puro, & secundùm speciem qua iussa erant fieri, id est iuxta exemplar, quod acceptum à Domino Dauid tradiderat Salomoni; sic enim præceperat Salomon artifici suo Hiram vt ea faceret. Quamuis etiam communiter credatur, eiusdem fuisse operis & figuræ quo fuerat Moysaicum, cuius typum sub anno mundi numeroque proximè citatis expressimus, videlicet cum suis liliis aliisque ornamentis, Exod.cap.25.vers.31. descriptis; & super singula candelabra, septem extitisse lucernas pariter aureas, vt iuxta ritum lucerent ante Oraculum semper, hoc est interdiu quidem tres tantùm (vt sub anno mundi 3913.num.1.ex Iosepho probabimus) noctu verò omnes, quemadmodum videtur etiam posse colligi ex 2.Paralip.c.13.vers.11.vbi legimus: *Et lucernæ, vt accendantur semper ad vesperam.* Porrò candelabra hæc posuit Salomon in eadem anteriori parte Templi, in qua posuerat mensas, contra Oraculum, quinque ad dexteram, & quinque ad sinistram introitus eiusdem Oraculi, vt clariùs explicat editio LXX. Interpretum 3.Reg.cap.7.dicens, eorumdem candelabrorum quinque posita fuisse à sinistris, & quinque à dextris, secundùm faciem Dabir, id est, habita ratione ad faciem Oraculi, quæ erat media. Qualiter autem in Templo situata fuerint hæc candelabra, nimirum, an seorsum à mensis, vel cum ipsis mixta, in sacris Scripturis expressum non habemus. Creduntur tamen sic fuisse disposita, vt prope Oraculũ in parte Australi primum candelabrum, & prima mensa in parte Aquilonari locata essent, quemadmodum olim posuerat Moyses in Tabernaculo, Exod.cap.vlt. vers.20. vsque ad 23. Econtrariò autem secunda mensa ad Austrum, prope primum candelabrum, & secundum candelabrum ad Aquilonem, prope primam mensam; & sic reliqua deinceps alternatim; ita vt vnicuique candelabro opposita esset mensa vna, & cuique mensę candelabrum vnum, vt in Templi vestigio, quod sub anno mundi 3023. num.8. positum est, videri poterit. Etenim supponendum est, Salomonem in disponendis his quæ in Templo posuit, non discessisse ab ea dispositione, quam in Tabernaculo Moyses obseruauerat, nisi vbi sacra Scriptura ipsum aliter fecisse describit.

DE CANDELABRIS MENSISQVE ARGENTEIS ALIISQVE VTENSILIBVS IN TEMPLO POSITIS.

17. Præter hactenus commemorata, creditur Salomon posuisse in Sancta etiam alia candelabra argentea, cum lucernis suis pariter argenteis, vt videtur posse colligi ex 1. Paralip. cap. 28. vers.15. vbi licet non exprimatur ad quem vsum, probabile tamen est, ea ad maiorem Templi illuminationem ibidem fuisse posita. Neque solùm alia candelabra argentea, sed & alias mensas similiter argenteas, quarum ibidem vers.16.fit mentio, posuit Salomon in Sancta; & item vasa vtensiliaque plurima ex auro & argento, ad varios vsus Altaris incensi, & mensarum propositionis, & lucernarum, parata; cuiusmodi erant forcipes siue emunctoria, & extinctoria, & fuscinulæ quædam paruæ pro concinnandis lucernis, & hydriæ ad continendum oleum ipsarum, & phialæ in quibus ponebantur libamina, scilicet vinum, oleum, simila, thus, sal, & si quæ erant eiusmodi alia: item mortariola, vbi thus & aromata terebantur, pro thymiamate conficiendo; & thymiamateria, in quibus asseruabatur; & thuribula, vbi cremari solebat: de quibus omnibus meminit Scriptura sacra 3.Reg. cap.7. vers.49. & 50. & 2.Paralip. cap.4. vers.21. & 22. His addere possumus alia quoque vasa, quædam maiora, quæ leones; quædam minora, quæ leunculos eadem Scriptura sacra 1.Paralip.cap.28. vers.17. nominat, quòd ad leonum similitudinem fabrefacta essent, vt ibidem tradunt Lyranus & Abulensis quæst.5. Atque hæc omnia, & his similia,

super

ſuper prædictas menſas argenteas reponi conſueuiſſe, affirmant Ioſephus 8. Antiq. cap. 2. & alij.

18. Reliquum eſt, vt ad ea quæ in Sancta ſanctorum collocanda erant, deueniamus. Hæc verò ſunt, Arca fœderis Domini cum ſuis vectibus, Propitiatorium cum paruis illis duobus Cherubim, quos ex auro ductili Moyſes fieri iuſſerat, & ſuper ipſo Propitiatorio locauerat. De quibus quia ſatis ſuperque ſub anno mundi 2544. num. 66. dictum eſt, & ipſius Arcæ ſic paratæ formam num. 73. graphicè delineatam tradidimus; nunc illud tantùm remanet dicendum, quòd, tametſi circa hæc à Salomone nihil innouatum fuerit, ſed præ nimia veneratione, prorſus intacta, vt olim erant, relicta ſint: nihilominùs quoniam parua admodum erant, nec ſatis amplum Templi Sanctuarium ſine vllo additamento decenter occupare poſſe videbantur, vt ibidem honorificentiùs collocari poſſent, & illa loci amplitudo magnificentiùs impleri; congruum valdè fuit, iuxta exemplar Salomoni à Dauide relictum, ſuperaddere duos alios Cherubim proceræ magnitudinis, nimirum decem cubitis altos; quos de lignis oliuarum auro tectis arte ſtatuaria fieri mandauerat Salomon, ſingulos eiuſdem operis & menſuræ, ac deinde in medio Sanctuarij ita collocari, vt ſtantes verſis vultibus ad anteriorem domum, hoc eſt ad Orientem, expanderent alas ſuas ab Auſtrali pariete Sanctuarij ad Aquilonarem, per totam ſcilicet ipſius Sanctuarij latitudinem, quæ (vt dictum eſt) viginti cubitorum erat: etenim quælibet ipſorum ala, quinque cubitos habebat longitudinis, & ſic ſummitas alæ vnius Cherub, contingebat ſummitatem alæ alterius in medio Oraculi; reliquæ verò duæ hinc atque illinc expanſæ, attingebant vtroſque memoratos Oraculi parietes; quemadmodum ſatis accuratè deſcribitur 3. Reg. cap. 6. verſ. 25. vſque ad 14. Inter hos duos Cherubim, nimirum ſubter ipſorum alas, illammet Arcam fœderis Domini, quæ olim iubente Domino facta fuerat, nulla prorſus eidem reparatione adhibita, in Sancta ſanctorum Rex portandam poſteà curauit, vt paulò pòſt num. 17. dicemus.

DE ARCA FOEDERIS ET CHERVBIM IN SANCTA SANCTORVM POSITIS.

18. Porrò in Arca nihil aliud erat, niſi duæ tabulæ lapideæ, quas ibi poſuerat Moyſes in Horeb, vt conceptis verbis apertiſſimè teſtatur Scriptura 3. Reg. cap. 8. verſ. 9. & 2. Paralip. cap. 5. verſ. 10. & confirmari poteſt; quia nuſquam legimus, quòd deinceps aut ipſe Moyſes, aut Aaron, aut quiuis alius, vmquam eam aperire, aut quippiam in ipſa imponere aut extrahere auſus ſit. Sed neque memoratæ poſitioni, quæ veriſſima eſt, aduerſari cenſendus eſt famoſus ille Apoſtoli locus ad Hebr. cap. 9. verſ. 4. vbi ait, in Sancta ſanctorum extitiſſe *Arcam teſtamenti circumtectam ex omni parte auro*; *in qua*, inquit, *vrna aurea habens manna, & virga Aaron quæ fronduerat; & tabulæ teſtamenti.* quia mens Apoſtoli non videtur fuiſſe ibidem recenſere quæ eſſent in Arca, ſed quæ in Sancta ſanctorum; quemadmodũ paulò antè enumerauerat, quę in priori Tabernaculo, hoc eſt in Sancta, aſſeruari conſueuerãt. Vnde illud *in qua* non ad Arcam, ſed ad ſecundum Tabernaculũ referri debere, probat Ribera lib. 2. de Templo cap. 2. ex textu Græco, in quo (ait) Tabernaculum vocabulo quodam feminini generis ſignificatur. Vel ſi mauis illud referre ad Arcam, vt ex textu Vulgato referri debere perſpicuum eſt; optimè poteſt, ſecundùm præfatum Auctorem, illud *in qua* exponi, ac ſi dictum eſſet *cum qua*; vt ſit ſenſus, In ſecundo tabernaculo, ſiue in Sancta ſanctorum, cum Arca teſtamenti fuiſſe alia quoque ibidem enumerata. Simile quodammodò illud eſt, quod legimus 1. Reg. cap. 1. verſ. 24. *Et adduxit eum* (videlicet Samuelem) *ſecum, poſtquam ablactauerat, in vitulis tribus, & tribus modiis farinæ, & amphora vini*, id eſt, ſimul cum vitulis tribus, &c. Quòd autem frequentiſſimum ſit, & valdè vſitatum in Scripturis ſacris, ponere *in* pro *cum*, nos pluribus aliis exemplis ex veteri nouoque Teſtamento adductis, ſub anno mundi 1557. num. 14. demonſtrauimus. Itaque ſciens Apoſtolus, nihil fuiſſe in Arca niſi tabulas Teſtamenti, vt citata ſacræ Scripturæ loca apertiſſimè teſtantur; & non ignorans, prædictam vrnam Aaroniſque virgam non in Arca, ſed in Tabernaculo poſteriori, Domino præcipiente, fuiſſe repoſita; vt expreſsè habemus de vrna, Exod. cap. 16. verſ. 33. & 34. & de virga, Numer. cap. 17. verſ. 4. 7. & 10. non curauit ibi exprimere, quòd tabulæ eſſent in Arca; neque in qua Sanctuarij parte eſſent vrna & virga: ſed tantummodò (quantum ſcilicet propoſito ſuo tunc deſeruire videbatur) ſummatim recenſuit ea, quæ in Sanctuario, ſeu in Sancta ſanctorum aſſeruari ſolebant; ſiue ea eſſent in Arca, vt tabulæ; ſiue extra ipſam, vt vrna & virga; quemadmodum etiam quoquomodò indicare videntur verba illa, quæ protinus ſubiunguntur: *De quibus non eſt modò dicendum per ſingula.* Hæc eſt vera ac germana, vt arbitror, citati ad Hebræos loci intelligentia. Perſpicuè enim Apoſtolus loqui videtur de tem-

QVOD IN ARCA NIHIL ESSET NISI TABVLAE LEGIS.

EXPLICATVR LOCVS AD HEBR. CAP. 9. V. 4.

tempore quod fluxit ante Templi ædificationem, quando ſcilicet ea quæ memorat, non in Templo, ſed in Tabernaculo aſſeruari conſueuerant. Quòd ſi quis malit, hac expoſitione relicta, obſtinatiùs defendere, reverà Apoſtolum aſſerere voluiſſe, vrnam quoque auream & Aaronis virgam fuiſſe in Arca: dicat neceſſe eſt, aliquando quidem nihil aliud in Arca extitiſſe, niſi tabulas Legis; nimirum tunc ſaltem, quando Arca in Templum illata fuit, vt loca Scripturæ ſacræ adducta manifeſtant; poſterioribus verò temporibus, præter Legis tabulas, etiam memoratam vrnam virgamque in Arca extitiſſe, vt ex Apoſtoli verbis colligi poſſe videtur. Verumtamen qui ſic opinantur, docere non poterunt, quando, & à quo, & quanam auctoritate mox vrna virgaque Arcæ indita fuerint. Niſi fortè quis haud omnino improbabiliter ſuſpicari velit, id contigiſſe quando capta à Chaldæis Ieroſolyma, Ieremias Propheta tranſtulit Arcam in montem Nebo, quod tamen certò aſſeri nullo modo poteſt. nullibi enim legimus, Ieremiam, aliúmve vllum ipſam Arcam aperire auſum fuiſſe. Ceterùm, vt hîc quoque tollamus ſcrupulum qui ex loco Apoſtoli allegato oriri poſſet; videlicet, cur inter ea quæ dicit extitiſſe in ſecundo Tabernaculo, non connumerauerit Deuteronomium, hoc eſt Moyſaicam Legem, de qua legimus Deuter. cap. 31. verſ. 26. iuſſiſſe Moyſen Leuitis qui portabant Arcam fœderis Domini, vt ponerent Legis volumen in latere Arcæ; id eſt ad latus eius, (nimirum extra ipſam) non enim licebat Leuitis aperire Arcam, ſed nec diſcoopertam videre; & propterea priùs velamentis inuoluebatur à Sacerdotibus, antequam Leuitis portanda traderetur. Ad hoc reſpondent aliqui, Apoſtolum præteriſſe Legis volumen, quia conſtabat ipſum non perpetuò in Sancta ſanctorum permanſiſſe, ſed inde ſublatum aliquando in theſauris domus Domini fuiſſe repoſitum, vbi Regis Ioſiæ temporibus ab Helcia Sacerdote inuentum fuit, & Saphan Scribæ traditum, qui poſteà idem Regi detulit, vt videre eſt 2. Paralip. cap. 34. verſ. 14. Sed quoniam idem nos quoque de vrna & virga dicere poſſumus, quòd ſcilicet ſaltem Salomone regnante non eſſent ampliùs in Sancta ſanctorum, ſed in ſuperiori cœnaculo Templi, ſimul cum antiquo Tabernaculo & Altari holocautomatum, & eiuſmodi aliis olim à Moyſe fabricatis, quorum iam vſus ceſſauerat, quemadmodùm ſub anno mundi 3023. num. 4 dictum eſt: propterea ad propoſitum quæſitum aliter reſpondere debemus; videlicet, Apoſtolum non curaſſe omnia, quæ in Sancta ſanctorum aliquando fuerant, recenſere; ſed ei ſat fuiſſe, aliqua, præſertim verò præcipua, memoraſſe, quæ eidem de his cogitanti primò in mentem venerant: ea enim pro tunc ſufficere poterant, ad id quod ibidem oſtendere ſeu indicare intendebat; neque opus erat agere de ſingulis, vt ipſemet eodem in loco teſtatur, dicens: *De quibus non eſt modò dicendum per ſingula.* Et hæc de his quæ Salomon ſtatim poſt expletam Templi fabricam in Sanctuarium atque in alias eiuſdem Templi partes inferri curabat, dixiſſe ſufficiat.

SALOMON CELEBRAT TEMPLI DEDICATIONEM.

20. Menſe autem ſeptimo prædicti anni vndecimi, ex quo regnare cœperat Salomon, tametſi, quæ in Templum inferebantur, non omnia plenè aptata ac prorſus ſtabilita eſſent, placuit nihilominùs Regi, ritu quantum fieri potuit ſollemniſſimo, celebrare dedicationem Templi; tum quia pauca admodum ac modici momenti, & ad ſollemnitatem illam minimè neceſſaria reſtabant perficienda, quæ poſteà menſe proximo adamuſſim abſoluta ſunt: tum etiam, quia in Feſto Tabernaculorum (quod die decimaquinta eiuſdem menſis ſeptimi incipiebat, vt præceptum fuerat Leuit. cap. 23. verſ. 34.) tenebatur omne maſculinum apparere in conſpectu Domini, quemadmodum expreſſum eſt Deuter. cap. 16. verſ. 16. Propterea, ne nimis grauaretur populus, ſi inſuper in menſe quoque octauo ad celebrandam primam Templi dedicationem rurſus venire cogeretur; operæpretium duxit Salomon, aliquantulum anticipare ipſam Templi dedicationem, vt aſſerunt Beda in libro de Templo cap. 17. & Petrus Comeſtor in hiſtoria 3. Reg. c. 21. & Abulenſis, & alij ſuper 3. Reg. cap. 8. eamque tanto ante Feſtum Tabernaculorum inchoare, vt ipſa dedicatione abſoluta, poſſent immediatè ipſam quoque Scenopegiam celebrare, & ſic vno eodemque conuentu, vtrique ſollemnitati ſatisfacere. Itaque Salomon, cùm priùs intuliſſet omnia quæ vouerat Dauid pater ſuus, argentum, & aurum, & vniuerſa vaſa in theſauris domus Domini, vt dicitur 3. Reg. cap. 7. verſ. 51. & 2. Paralip. cap. 5. verſ. 1. &, vt credibile eſt, etiam illa, quæ ante Dauidem vouerant Samuel & Saul, & belli Duces Abner & Ioab, & Principes familiarum, & Tribuni, & Centuriones, aliique, de manubiis in bello partis, & quæ conſecrauerant ad inſtaurationem & ſupellectilem Templi Domini, quemadmodum obiter traditur 1. Paralip. cap. 26. verſ. 26. vſque ad 29. poſteà, tranſmiſſis ad omnem Iſrael edictis, congregauit Rex omnes maiores natu in Ieruſalem, & cunctos Principes tribuum,

tribuum, & capita familiarum, conuenitq; vniuersus populus ad Regem Salomonem in die sollemni eiusdem mensis septimi, 2. Paralip. cap. 5. vers. 2. & 3. Reg. cap. 8. vers. 1. hoc est (vt ex infrà num. 20. dicendis patebit) die dicti mensis octauo, qui fuit sollemnis, quia in eo cœpit ipsa dedicationis celebratio. Ac primò quidem per manus Sacerdotum ac Leuitarum, qui omnes ad hoc sanctificati erant, tulerunt Arcam fœderis Domini de Sion, vbi eam posuerat Dauid; & cum ingenti totius populi sollemnitate qui cum Rege ante eam gradiebatur, immolãtes oues & boues sine æstimatione & numero, portabant illam ad Templum, cantoribus interim in omnibus musicorum organis suauiter psallentibus, ac speciatim, vt credibile est, canentibus Psalmos 23. & 46. quos composuerat Dauid, quando eamdem Arcam de domo Obededom in domum suam sollemniter transtulit, vt sub anno mundi 2990. num. 3. retulimus. Vt autem peruenerunt ad eam Templi partem, in quam Leuitis ingredi non licebat, intulerũt eam Sacerdotes in Sancta sanctorum, ponentes illam in loco eidem præparato, in medio Sanctuarij, subter alas Cherubim ibidem expansas. Porrò Arcæ vectes aliquantulùm prominebant foris Sanctuarium, vt dicitur 3. Reg. cap. 8. vers. 8. & Paralip. cap. 5. v. 9. ita tamen vt à longè videri non possent. Vnde oportet eos, fuisse Sanctuario Templi tantisper longiores, & consequenter nonnihil excessisse longitudinem viginti cubitorum. Et hinc inferri potest, eos fuisse diuersos ab his quibus Arca portabatur per desertum tempore Moysi, quos necesse est non nisi decem cubitorum longitudinis habuisse: alioqui nõ potuissent manere in Tabernaculi Sanctuario, cuius singulæ dimensiones non excedebant dictũ numerum cubitorum decem. Puto igitur, quòd quemadmodũ Salomon fecerat Templũ duplo latius ac longius ipso Tabernaculo; & alia item in Templo locanda, nempe Altaria, Mensas, Cãdelabra, &c. duplo maiora his quæ olim à Moyse in Tabernaculo facta fuerant, præter Arcam, quam reuerentiæ gratia, quòd esset omnium sanctissima, non est ausus attingere aut mutare: voluisse tamen eius vectes fieri prioribus duplo longiores, tum vt totam Sanctuarij longitudinẽ occupare possent in Templo, sicuti olim faciebant in Tabernaculo; tum etiã, vt tunc honorificentiùs Arca, videlicet nõn à paucioribus quàm à duodecim Leuitis, vice duodecim tribuum, deferri posset in Templum. Mansit autẽ ibi Arca Domini vsq; ad captiuitatem Babylonicam, donec inde clàm sublata, mox per Ieremiam Prophetam in spelũca montis Nebo cũ aliis rebus sacris abscondita fuit, vt sub annis mũdi 3446. n. 4. & 3447. n. 8. dicemus.

DE ARCAE VECTIBVS.

21. Sanè ad hanc celeberrimam sollemnitatem conuenerant omnes Sacerdotes quotquot inuenti sunt in Israel, quoniam diuisio illa ministrantium per vices suas à Dauide facta, & à nobis sub anno mundi 3020. num. 2. vsque ad 6. relata, non adhuc cœperat in vsum induci; & ad actionem adeò raram ac sollemnem, conueniens erat omnes præstò esse. Egressis autem Sacerdotibus de Sanctuario, Leuitæ, & cuncti cantores induti byssinis, & stantes ad Orientalem plagam Altaris holocausti, concrepabãt cymbalis, & psalteriis, & citharis, aliisque organis diuersi generis musicorum, & cum eis Sacerdotes centum viginti canentes tubis; sicque omnibus pariter, tubis, voce, variisque organis concinentibus, longè sonitus lætitiæ audiebatur. Statim autem ac laudare cœperunt Dominum, dicentes: *Confitemini Domino quoniam bonus, quoniam in æternum misericordia eius*; vt palàm faceret Dominus, non sibi minùs acceptum esse Templum hoc, ac olim fuerat Tabernaculum à Moyse factum, eodem signo id declarauit. Siquidem, quemadmodum erecto Tabernaculo mirandum in modum operuit illud nubes, vt sub anno mundi 2545. num. 1. dictum est: ita fabricato Templo, in eius dedicatione mirabiliter impleuit illud nubes Dei & gloria Domini; ita vt non possent Sacerdotes stare & ministrare propter caliginem. Quod vt vidit Salomon Rex, qui tũc erat ante Altare, super basi ænea in medio Basilicæ seu Atrij exterioris posita, cuius suprà num. 2. meminimus; ne quid aduersi populus ex illius caliginosæ nubis apparitione suspicaretur, vt erat omnium sapientissimus, opportunè occurrit tacitæ multitudinis cogitationi, asserens illam caliginem esse indubitatum diuinæ præsentiæ signum: siquidem Exod. cap. 19. vers. 9. promiserat Dominus Moysi venire ad ipsum in caligine nubis, & Leuit. cap. 16. vers. 2. pollicitus est apparere in nube super Oraculum, & in Psal. 96. vers. 2. de Domino legimus: *Nubes & caligo in circuitu eius.* Apposite autem Dominus, respectu nostri, dicitur habitare in caligine, quia tanta est claritas eius, vt mortalium obtutus caligare faciat, iuxta illud Prouerb. cap. 25. vers. 27. *Qui scrutator est maiestatis opprimetur à gloria.* quod etiam indicauit Philosophus 1. Metaphys. c. 1. Si enim (vt ibidem ait) *quemadmodum vespertilionum oculi ad lumen diei se habent, ita & intellectus animæ nostræ ad ea quæ manifestissima omnium sunt:* quomodo se habebit

CVR GLORIA DOMINI TEMPLVM NVBE MIRABILITER OPERVERIT.

ad altissima nobisque occultissima Dei arcana, de quibus meminit Apostolus ad Romanos cap. 11. vers. 33. exclamans: *O altitudo diuitiarum sapientiæ & scientiæ Dei; quàm incomprehensibilia sunt iudicia eius, & inuestigabiles viæ eius!*

SALOMON REX LOQUITUR AD POPULUM.

22. Statim autem ac Salomon certiorem fecit populum de diuina præsentia ibidem in nube illa specialiter existente, versa facie sua ad populum, benedixit omni Ecclesiæ Israel, in cuius conspectu tunc stabat. Et cùm eidem populo breuiter exposuisset, quomodo Deus elegisset Dauid patrem suum vt regnaret in Israel, & ipse voluerat ædificare Templum Domino, sed eum idem Dominus prohibuerat, prædixeratq; illi quòd filius eius, qui regnaturus erat post ipsum, Templum eidem Domino extrueret; subiunxit, se propterea (vt voluntatem Domini impleret) fabricam illam quam videbant, eodem Domino fauente, à fundamentis erexisse atque absoluisse, vt in eo deinceps perpetuò maneret Arca fœderis Domini: 3. Reg. cap. 8. vers. 14. vsque ad 22. & 2. Paralip. cap. 6. vers. 4. vsque ad 12. Posteà iterùm conuersus ad Altare, genibus flexis ac palmis in cælum eleuatis, cunctisque audientibus, longam illam ad Dominum habuit orationem, quæ cap. Reg. citato vers. 22. vsque ad 54. & cap. Paralip. adducto, vers. 14. vsque ad finem capitis descripta est. In qua oratione ante omnia dedit gloriam Deo Israel, palàm confessus, non esse alium ei similem, neque in cælo, neque in terrâ. Deinde commendans fidelitatem eius in pollicitationibus suis opere complendis, & gratias Deo agens, quòd sermonem, quem locutus fuerat Dauidi patri suo de Templi fabrica à Salòmone filio eius extruenda, impleuisset; precatus est Dominum, vt alias quoque promissiones eidem Dauidi factas firmare ratasque habere pariter dignaretur, & illam præsertim de iugi filiorum eius successione in throno Israel. Denique, quia dixerat se ædificasse domum Domino, ne rudiores in populo putarent, reverà intra illius Templi muros Deum contineri, publicè declarauit maiestatem Dei tantam esse, vt neque cælo, neque terra, nedum Templo illo capi valeat; sed ad hoc ędificatum fuisse Templum illud, vt in eo preces Domino funderentur: siquidem exaudiens Dominus orationes populorum ibidem orantium, quodammodò in eodem Templo habitare videbatur. Propterea cœpit Salomon fusiùs Deum obsecrare, vt semper exaudire dignaretur precationes suas, & omnium, qui pro cunctis suis necessitatibus properarent ad orandum in loco sancto illo, quem idem Dominus Deuter. cap. 12. vers. 11. se electurum prædixerat, vt esset nomen eius in eo, & vt hostias Deo offerrent, & omnia ad diuinum cultum in Lege præscripta, ibidem pręstarent. Cùm autem conclusisset Salomon deprecationem suam illis pænè verbis, quæ pater suus in Psalm. 131. vers. 8. scripta reliquerat: *Surge Domine in requiem tuam, tu & arca sanctificationis tuæ. Sacerdotes tui induantur iustitiam, & sancti tui exultent. Propter Dauid seruum tuum, non auertas faciem Christi tui.* ecce ignis de cælo mirabiliter descendit, qui deuorauit holocausta & victimas. quo signo intellexit Rex & omnis populus, exauditam à Deo fuisse orationem Salomonis; & eidem Deo accepta fuisse, quæ primùm in Templo oblata fuerant sacrificia, & consequenter gratum fore diuinæ Maiestati, vt ibidem etiam deinceps victimas offerre, ac debitum Deo cultum exhibere satagerent. Porrò filij Israel, videntes ignem descendentem, & gloriam Domini super domum, corruentes proni in terram, adorauerunt & laudauerunt Dominum, exclamãtes: *Quoniam bonus, quoniam in æternum misericordia eius*: 2. Paralip. cap. 7. vers. 1. vsque ad 4. Posteaquam autem (vt arbitror) cessauit ignis, surgens Salomon, & ad populum conuersus, iterùm benedixit ei, deprecans Dominum vt semper omnibus ipsis præstò esset, & numquam eos desereret, sed vehementiùs eorum corda ad se inclinaret, vt ipsi perpetuò in vniuersis viis eius ambulare possent, & corde perfecto custodire omnia mandata eius: 3. Reg. cap. 8. vers. 56. vsque ad 62. Atque hæc sunt quæ fecit Salomon in die primo celeberrimæ huius festiuitatis, pręsente & inspectante omni Israële, qui conuenerat ab introitu Emath, hoc est à termino Aquilonari terræ Chanaan, vsque ad Riuum Ægypti, qui eiusdem terræ limes erat Australis.

ORAT DOMINUM GENIBUS FLEXIS, AC PALMIS IN CAELUM ELEVATIS.

IGNIS DE CAELO MIRABILITER HOLOCAUSTA CONSUMIT.

QUOT DIEBUS PERDURAVERIT HAEC FESTIVITAS.

23. Ceterùm, hæc festiuitas posteà perdurauit quattuordecim diebus continuis, vt ibidem expresè traditur vers. 65. Septem namque prioribus diebus celebrauit Rex dedicationem Templi & Altaris, vt colligitur cap. Reg. allegato vers. 63. & 2. Paralip. c. 7. vers. 8. & 9. nimirum à die octauo illius mensis, ad decimumquartum, vt vulgò dicitur, inclusiuè: & in aliis diebus septem immediatè sequentibus, videlicet à die decimoquinto ad vigesimum primum inclusiuè, fecit sollemnitatem Tabernaculorum. In octauo autem huius Festi die, qui erat dicti mensis vigesimus secundus, fecit de more collectam, eò quòd dedicasset Altare, (subintellige etiam, & Templum) septem diebus, hoc est,

est, in prima dierum hebdomada; & sollemnitatem (videlicet Tabernaculorũ) septem diebus, id est in secunda hebdomada: ita enim interpretandus est proximè citatus textus 2. Paralipomenon. In die verò octauo, qui proximè sequebatur post exitum secundæ hebdomadis, expleta collecta, dimisit populum, vt dicitur 3. Reg. in calce capitis 8. hoc est, abeundi potestatem fecit. Vnde quod dicitur 2. Paralip. cap. 7. vers. 10. *Igitur in die vigesimo tertio mensis septimi, dimisit populum*; non de discedendi licentia, sed de ipso populi discessu accipiendum est; ac si dictum esset: Cùm expleta collecta, hoc est sub finem diei vigesimi secundi mensis septimi, data esset discedendi facultas; die insequenti, qui erat vigesimus tertius, discessit populus ad tabernacula sua. Et hinc patet, quòd dies ille sollemnis septimi mensis, in quo dictum est conuenisse populum in Ierusalem à Salomone conuocatum, quemadmodum traditur 3. Reg. cap. 8. vers. 2. & 2. Paralip. c. 5. vers. 3. non potest, vt quidam crediderunt, intelligi de primo die dicti mensis, in quo fiebat Festum Tubarum; neque, vt aliqui dicunt, de Festo Expiationis, quod die eiusdem mensis decima celebrabatur; neque, vt alij, de sollemnitate Tabernaculorum, quæ die decimoquinto præfati mensis incipiebat: sed potiùs de primo die Festi Dedicationis Templi, qui, vt suprà num. 17. dictum est, pro die octauo mensis septimi, regiis edictis in vniuerso Israele transmissis, intimatus fuerat; quibus auditis, necesse est quòd populus, prout cuique commodum videbatur, & pro itineris ratione, tantò antè à propriis discesserit domiciliis, vt statuto inchoandæ sollemnitatis die, qui erat octauus mensis septimi, in Ierusalem reperiri, & ad dictam celebritatem conuenire posset; ac demum, quòd in memoratis sollemnitatibus celebrandis quindecim exactis diebus, videlicet die illiusmet mensis vigesimo tertio, ad propria discesserit. Discedebant autem benedicentes Regi, & simul admiratione & gaudio repleti, exultantes ac colloquentes de maximis beneficiis, quæ fecerat Dominus Dauidi & Salomoni, & Israeli populo suo: 3. Reg. cap. 8. in fine, & 2. Paralip. cap. 7. vers. 10. Sanè numerus hostiarum, quas in hisce Festorum sollemnitatibus, hoc est intra memoratos quindecim dies, Salomon Rex populusque immolauerant, notatur capitibus citatis, videlicet Reg. vers. 63. & Paralip. vers. 5. vbi legimus, mactata fuisse boum ac vitulorum viginti duo millia, & arietum ouiumque centum viginti millia: & quia Altare æneum, quod fecerat Salomon, non poterat sustinere tot victimas; necessarium fuit vt Rex, Sacerdotum ministerio, sanctificaret partem Atrij anterioris mediam; hoc est eam, quæ proxima erat, & in circuitu Altaris; vt etiam in ipso Atrij pauimento cremari possent holocausta & sacrificia adipesque pacificorum, sicuti fieri consueuerat in ipso Altari, vt videre est locis citatis, nempe Reg. vers. 64. & Paralip. vers. 7.

HOSTIARVM NVMERVS.

24. Eodem anno (nimirum peracta Templi dedicatione, in qua, vt dictum est, Sacerdotes & Leuitæ, propter singularem actionis illius sollemnitatem, iubente Rege, omnes pariter conuenerant) constituit Rex Salomon, vt deinceps ipsi Sacerdotes & Leuitæ ministrarent in Templo, singuli in ordine vicis suæ, iuxta ipsorum distributionem à Dauide patre suo factam, de qua sub anno mundi 3020. num. 2. vsque ad 6. fusius actum est: & exinde ipsi omnia exequi cœperunt, quæ mandauerat Rex, vt traditur 2. Paralip. cap. 8. vers. 14. & 15. Nec obstat, quòd iuxta ordinem litteræ, ibidem videantur hæc non hoc anno, sed post viginti annos à Templi fundatione cœpisse fieri, quemadmodum ex initio citati capitis colligi posse videtur: quia licet alia quæ ibi narrantur, ad memoratum tempus pertineant; verumtamen quæ de ordinatione & executione ministeriorum Sacerdotalium ac Leuiticorum dicta sunt, proculdubiò per recapitulationis figuram in sacris Scripturis valdè vsitatã, ibidem interposita fuisse credendum est. Non enim videtur verisimile, vt etiam notat Abulensis, quòd Salomon, qui tum diuini cultus adeò erat studiosus, tredecim post iam absolutum dedicatumque Templum annis distulerit prouidere, vt eiusdem Templi ministeria ritè ordinateque, ad memoratæ distributionis normam, quæ tunc maximè necessaria videbatur, exercerentur.

SACERDOTES ET LEVITAE INCIPIVNT MINISTRARE IN TEMPLO PER VICES SVAS.

25. Eodem quoque anno, nimirum expletis omnibus quæ ad Templũ pertinebant, conuertit se Salomon ad ædificia domestica extruenda, & tunc (vt colligi potest ex his quæ sub anno mundi 3043. num. 2. dicemus) arbitror nouam inter Hiram Tyri Regem & Salomonem initam fuisse conuentionem: ac propterea Hiram, præter ligna ad domos fabricandas necessaria, misisse etiam Salomoni centum viginti talenta auri, quemadmodum obiter & per recapitulationis figuram traditur 3. Reg. cap. 9. vers. 14. & præterea spopondisse eidem dare quasdam ciuitates, vt puto, dirutas, ac penè desertas, quas postea Salomon instaurauit, & filiis Israel inhabitandas tradidit, vt legimus 2. Paralip. cap. 8.

NOVAE CONVENTIONES INTER SALOMONEM ET HIRAM TYRI REGEM.

SALOMON AEDIFICAT DOMOS TREDECIM ANNIS.

cap.8.verſ.2. Econuersò autem Salomonem, præter menſuras frumenti, vini, & olei, quas Tyrio Regi quotannis mittebat, promiſiſſe eidem tradere viginti oppida in terra Galilææ. Cœpit igitur Salomon hoc anno ædificare domum ſuam, quam tredecim annis abſoluit, vt dicitur 3.Reg.cap.7.verſ.1. In quo quidem temporis interuallo, duas quoque alias domos extruxit; alteram vxori ſuæ filiæ Pharaonis, alteram ſibi æſtiuam & delicioſam, quam vocauit domum ſaltus Libani; non quia ipſa eſſet in monte Libano, vt infrà ſub anno mundi 3043.num.10.palàm fiet; ſed fortè, vel quia tota eſſet de lignis à monte Libano deportatis constructa; vel meliùs, quia eſſet in colle quodam, ad ſimilitudinem Libani, arboribus conſito, vt colligitur 2.Paralip.cap.9.verſ.16. vbi legimus, ſcuta aurea quæ fecerat Salomon, fuiſſe poſita in armamentario, quod erat conſitum nemore: 3.autem Reg.cap.10.verſ.17.dictum fuerat, eadem ſcuta fuiſſe repoſita in domo ſaltus Libani; ergo illa domus erat in circuitu conſita nemore. Vel etiam hæc dicta eſt domus ſaltus Libani, quia inde delicioſus eſſet proſpectus ad ipſum montẽ Libanum, à cuius altiſſima ſummitate niuibus ſemper cooperta, frigidiores auræ ad æſtum ſuauiter temperandum perpetuò afflare ſolerent; vel aliqua alia ſimili de cauſa, à Libano domus hæc denominata fuit. Sanè harum domorum forma & ornatus breuiter deſcribitur 3.Reg.cap.7.ab initio vſque ad verſ.13.Sed & de eiſdem quoque domibus fit mentio in capite eiuſdem lib.9.verſ.10. & 2.Paralip.cap.8.verſ.1.

AB ORBE CONDITO ANNVS 3033. — QVINTÆ MVNDI ÆTAT. ANNVS 11.

IVBILEVS NONVS.

1 Anno regni Salomonis decimoquarto, incidit annus Iubilei noni: fuit enim ab introitu Iſraëlis in terram Chanaan annus quadringenteſimus quinquageſimus, vt videre eſt in tabulis.

AB ORBE CONDITO ANNVS 3043. — QVINTÆ MVNDI ÆTAT. ANNVS 21.

SECVNDA DOMINI APPARITIO FACTA SALOMONI.

1 Anno vigeſimo quarto regni Salomonis iam inchoato, nimirum expletis annis viginti à iactis Templi fundamentis, cùm abſoluiſſet Rex ædificia domus Domini & domorum ſuarum, apparuit ei Dominus in nocte ſecundò, dicens, ſe exaudiſſe orationem eius, quam in dedicatione Templi fuderat, ſanctificaſſeque ac delegiſſe ſibi Templum illud in locum ſacrificij, vt eſſet nomen ſuum ibi in ſempiternum: & inſuper pollicitus eſt adimplere promiſſionem patri eius Dauidi factam, de perpetuanda ſtirpe ac ſucceſſione eius in ſolio regni Iſrael in æternum, ſi tamen ambulauerit in præceptis ſuis, ſicut fecerat Dauid pater eius. Econuersò autem, ſi Salomon & filij eius Dominum auerſati fuerint, & ſeruierint diis alienis; minitatus eſt proiicere Templum illud à conſpectu ſuo, & auferre Iſraëlem de ſuperficie terræ illius, & tradere eos in prouerbium & fabulam cunctis populis, vt latiùs videre eſt 3.Reg.c.9.v.2. vſque ad 10. & 2.Paralip.cap.7.verſ.12. vſque ad finem capitis. Et hîc ponderandum eſt, quòd locis citatis dicitur, Dominum ſecundò apparuiſſe Salomoni in nocte, ſicut apparuerat ei in Gabaon: ex hoc enim loquendi modo inferri poteſt, apparitionem illam, ſeu ſermonem Domini ad Salomonem, qui deſcribitur 3.Reg.cap.6.verſ.11. aut non fuiſſe per modum apparitionis, aut fuiſſe diſſimilem valdè à duabus hîc memoratis, quæ in nocte contigiſſe dicuntur, quemadmodum nos ſub anno mundi 3027. num.1.diximus.

SALOMON DAT 20.OPPIDA TYRIO REGI.

2. Eodem circiter tempore (nimirum completis prædictarum domorum fabricis, vt dicitur 3.Reg.cap.9.verſ.10.vſque ad 15.) dedit Salomon Hiram Regi Tyri oppida viginti in terra Galilææ, videlicet inferioris, in confinio Tyriorum exiſtentia. Et hoc etiam, vt quod reliquum erat pretij lignorum & auri, aliarumque rerũm quas Tyrius Rex miſerat Salomoni pro fabricis extruendis, iuxta inter ipſos, non à principio (vt arbitror) ſed poſtmodum, quemadmodum ſub anno mundi 3030.num.22.diximus, conuenta, perſolueret: (fortè enim à principio Salomon non putauit opus habere auro alieno, nec præter Templum adhuc domos ſibi extruere cogitauerat; & propterea in prima conuentione, quæ 3.Reg.cap.5.& 2.Paralip.cap.2.deſcribitur, & de qua nos ſub anno mundi 3020.num.13.egimus, nulla prorſus oppidorum aurìve mentio reperitur.) Sed & inſuper prædicta oppida creduntur data pariter fuiſſe pro aliis ciuitatibus, quas dedit Hiram eidem Salomoni, quemadmodum traditur 2.Paralip.cap.8. verſ.2.

verſ. 2. quod fortè magis diuulſæ ac ſeparatæ eſſent à reliqua Tyriorum ditione, & commodiores regno Iſrael; ſicuti econtrariò prædicta viginti oppida, & proximiora & commodiora videbantur regno Tyri quàm Iſraëlis. Egreſſus ergo Rex Tyri vt videret oppida ſibi à Salomone tradita, cùm ei non placuiſſent, modeſtè conqueſtus eſt illis verbis: *Hæcine ſunt ciuitates, quas dediſti mihi, frater? & appellauit eas terram Chabul*, quæ vox diſplicentiam ſignificabat. Vtrùm autem Rex Tyri prædictas ciuitates Salomoni renuntiauerit, vt Ioſephus 8. Antiq.cap.2. ſenſiſſe videtur, Scriptura ſacra non explicauit; quamuis ex eo quod ait, dictis ciuitatibus à Rege Tyri fuiſſe nomen impoſitum, quodammodò videatur innuere, ipſum eas ſibi retinuiſſe; & probabile eſt, quòd non auſus fuerit eas refutare, ne indignationem Salomonis incurreret, quem ſciebat multò ſe eſſe ditiorem ac potentiorem: & confirmatur, quia loco Paralip. proximè citato legimus, Salomonem ædificaſſe, hoc eſt reædificaſſe, vel potiùs inſtauraſſe ciuitates à Rege Tyri acceptas, atque à filiis Iſrael incoli feciſſe: ex quo inferri poteſt, quòd ſi Salomon retinuit vrbes ab Hiram acceptas, ſignum eſt, ipſum quoque Hiram retinuiſſe ſibi à Salomone traditas. Per idem quoque tempus tranſtulit Salomon vxorem ſuam filiam Pharaonis de ciuitate Dauid, in domum quam ei ædificauerat; indignum ducens, quòd mulier alienigena habitaret in domo ſanctificata, in qua videlicet aliquamdiu manſerat Arca Domini: 3.Reg.cap.9. verſ.24. & clariùs 2.Paralip. cap.8. verſ. 11.

AN REX TYRI DICTA OPPIDA RETINVERIT.

3. A memorato regni Salomonis anno vigeſimo quarto vſque ad eius obitum, remanent anni ſexdecim; ſiquidem ipſe regnauit in ſumma annos quadraginta, vt ſub anno mundi 3059. num. 1. probabitur. Ex quibus annis ſexdecim, ad minus decem aut vndecim in veri Dei cultu ipſum tranſegiſſe putandum eſt; ſex verò vel quinque poſtremos in idololatria: niſi fortè ſub finem vitæ, vt quidam opinantur, reſipuerit, de qua tamen re nihil certi affirmare poſſumus, quemadmodum ſub anno mundi proximè allegato dicemus. Quæ autem geſſerit Salomon, priuſquam à Domino recederet cor eius, breuiter ſummatimque tanguntur 3. Reg. cap.9. & 10. & 2. Paralip. cap.8. & 9. Et quoniam non poſſumus ſingula propriis temporibus aſſignare, ad pauca quædam capita, eadem reducere conabimur. Ac primò quidem, quod ad rem bellicam ipſiuſque Salomonis potentiam attinet, tametſi non multa bella ipſe geſſerit; quippe qui erat Rex pacificus: non tamen fuit ſegnis in prouidendis ac procurandis quæ ad regni conſeruationem ac defenſionem, ſi bellum ingrueret, opus eſſent. Quamobrem ſollicitus fuit reficere muros in circuitu Ieruſalem, & plurimas inſtaurare ciuitates; videlicet Heſer, & Mageddo, & Gazer, quam Pharao Rex Ægypti ceperat, & interfecto Chananæo ſuccenſaque ciuitate dederat filiæ ſuæ, vxori Salomonis in dotem, vt ſub anno mundi 3021. num. 1. probatum eſt. Inſtaurauit item ciuitates, quas dederat ei Hiram Rex Tyri, & habitare fecit in eis filios Iſrael; quemadmodum num. præcedenti probauimus. Et prætereà extruxit Bethoron ſuperiorem & inferiorem, ciuitates muratas, Baalath, & Palmiram, in deſerto; & ciuitates equitum & quadrigarum ſuarum. Inſuper alias poſteà vrbes muniuit, quas obtinuit in Emath. Et in ſumma, non vrbes modò ſuas, ſed & vicos ſine muris exiſtentes, in vniuerſa ditione ſua, quantum fieri potuit, vallare ac munire curauit: 3.Reg.cap.9. verſ. 15. vſque ad 20. & 2.Paralip.cap.8.verſ. 1. vſque ad 7. Habuit quoque Salomon viros bellatores militiæ adſcriptos, & in omnem belli euentum paratos, & ducentos quinquaginta Principes exercitus, qui erudiebant populum, intellige, in his quæ ad militiam pertinerent: 2. Paralip. cap.8. verſ. 10. & congregauit currus & equites; ita vt aliquando numerus equorum, eſſet quadraginta millia; equitum duodecim millia, & quadrigarum, mille & quadringentæ: 3. Reg. cap.4. verſ.26. & cap.10.verſ.26. & 2.Paralip. cap.1. verſ. 14. & cap.2. verſ.25. Hæc de bellico apparatu. De expeditionibus autem Salomonis nihil aliud habemus, niſi quòd ipſe ſubiugauit vniuerſos qui remanſerant de Chananæorum populis, quos anteà non poterant filij Iſrael exterminare, & fecit eos ſibi tributarios: 3.Reg.cap.9.verſ.20. & 21. & 2.Paralip. cap.8. verſ.7. Neque hac in re tranſgreſſus eſt præceptum Domini quod habetur Num. cap. 33. verſ. 52. & Deuter. cap. 7. verſ. 2. de Chananæorum populis omnino exterminandis; quia, vt benè notat Caietanus ſuper 3.Reg.cap.9. ex quo Iſrael adeò creuerat in regnum tam excelſum & potens, non timendum erat, ne paucæ quæ remanſerat Chananæorum reliquiæ, ipſum ad idolorum culturam inducerent; quæ erat ratio illius Legis: qua ceſſante, ceſſabat pariter ipſa Legis obligatio. Abiit quoque Salomon in Emath Soba, & obtinuit eam: cap. Paralip. citato verſ. 3. Ceterùm, Salomon non ſolùm vniuerſo Iſraëli dominabatur, verum-etiam

DE REBVS A SALOMONE GESTIS.

etiam potestatem exercebat super cunctos Reges, à flumine Euphrate, vsq; ad terrã Philisthinorũ, & vsque ad terminos Ægypti: 3. Reg. cap. 4. v. 21. & 2. Paralip. cap 9. v. 26.

SALOMON QVAM FVERIT DIVES

4. Diuitiæ verò Salomoni erant ingentes; quandoquidem afferebantur ei per singulos annos auri sexcenta sexaginta sex talenta, vt dicitur 3. Reg. cap. 10. vers. 14. & 2. Paralip. cap. 9. vers. 13. & hæc erat summa ordinaria & certa annualium prouentuum Salomonis. Nam habebat alios plures redditus extraordinarios, de quibus numero proximo agemus. Porrò talentum apud Hebræos pendebat minas centum, vt aperte testatur Iosephus 3. Antiq. cap. 7. & agit ibi de pondere candelabri aurei, quod erat in Sanctuario; vnde apparet ipsum ibidem loqui de talento Sanctuarij, hoc est Sanctuarij pondere æstimato: siquidem omnia quæ ad ipsum Sanctuarium pertinebant, pondere ac mensura Sanctuarij metiri oportebat, vt colligi potest Exod. cap. 38. vers. 24. & Numer. cap. 7. vbi vasa argentea aureaque à Principibus in Tabernaculo oblata, sigillatim dicuntur appensa fuisse iuxta pondus Sanctuarij, & de omnibus simul idem repetitur vers. 85. & 86. Sanè mina vna apud eosdem Hebræos constabat duabus libris (intellige communibus) cum dimidia, vt idem Iosephus asserit 14. Antiq. cap. 12. Igitur singula mina pendebat vncias triginta: libra enim communis, vnciarum est duodecim. Et hoc aliter etiam sic probari potest. Nam, vt ait Didacus Couarruuias in libello cui titulus est, Veterum collatio numismatum, in fine 4. capitis, mina Hebræa pendebat sexaginta siclos, quorum quilibet quattuor efficit drachmas, hoc est semunciam; ergo mina erat pondus triginta vnciarum. Ex dictis consequitur, quòd talentum Sanctuarij pendebat libras ducentas quinquaginta communes; quæ ad rationem vnciarum duodecim pro singula libra, faciunt vnciarum tria millia. Verùm quia, quemadmodum siclus Sanctuarij erat duplex in pondere, respectu sicli publici & vulgaris, vt asserit Abulensis super 2. Reg. c. 14. in calce quæstionis 17. & pariter mina Sanctuarij erat duplex, respectu communis, vt testatur Lyranus super Exod. cap. 38. & idem creditur de aliis Sanctuarij ponderibus & mensuris: idcircò cum eodem Couarruuia dicimus, duplex fuisse talentum apud Hebræos; alterum Sanctuarij, de cuius pondere dictum est; alterum publicum, seu communis æstimationis, quod medietatem dumtaxat prioris pendebat. Quare si prædicti redditus annui Salomonis, vt par est, supputentur ad pondus talentorum communium; præsertim cùm Scriptura locis citatis non addat, vt aliàs solet, pondere Sanctuarij: proculdubiò sexcenta sexaginta sex talenta, ad rationem centum & viginti quinque librarum communium pro vnoquoque talento, faciunt octoginta tres mille, & ducentas quinquaginta auri libras; quæ singulæ per vncias duodecim deductæ, constituunt summam vnciarum auri nongenta nonaginta nouem millia: computando autem octo aureos nummos pro singula auri vncia, fiunt aurei nummi septem decies centena & nongenta nonaginta duo millia. Quoniam verò quælibet auri puri vncia aliquid plus octo nummorum aureorum communiter æstimari solet; possumus veraciter dicere, annuos Salomonis redditus ordinarios, qui ex certis determinatisque tributis à singulis ciuitatibus exigebantur, ad octo decies centena aureorum millia ascendisse; quod Italicè dicimus *otto millioni d'oro*. Vel etiam oportet dictam annuorum redditúum summam fuisse multò maiorem. Nam si (vt aiunt) singulæ auri libræ faciunt nummos aureos centum, vtique prædictæ auri libræ 83250. constituunt nummûm aureorum octodecies centena & trecenta viginti quinque millia.

TALENTI PONDVS APVD HEBRAEOS.

MINA HEBRAEA QVOT LIBRAS PENDERET.

TALENTVM DVPLEX.

ANNVI SALOMONIS REDITVS ORDINARII

EXTRAORDINARII.

5. Extraordinarios autem prouentus Scriptura sacra locis Reg. & Paralip. citatis, à prædicto numero excipiendos asserit, nec eorum summam adnotare potuit, quoniam non semper erant vniusmodi, sed quandoque plus, quandoque minus, prout occasiones temporaque ferebant. Reducuntur autem isti redditus incerti ad tria capita, videlicet ad eos qui ex quibusdam regiis portoriis, rebus venalibus, quæ de loco ad locum deferebantur, & speciatim scruta vendentibus, impositis, exigi solebant, qui vectigalium nomine significantur. Deinde, ad munera valdè pretiosa ac frequentia, quæ cuncti Arabiæ Reges & Satrapæ terrarum, & legati diuersarum Gentium Salomoni dare solebant, de quibus etiam dicitur 3. Reg. cap. 10. vers. 25. & 2. Paralip. cap. 9. vers. 23. *Quòd singuli deferebant ei munera, vasa argentea & aurea, vestes & arma bellica, aromata quoque, & equos & mulos per annos singulos.* Tertium denique prouentuum genus, erat magna auri, argenti, aliarumque rerum pretiosarum copia, quam certis temporibus ex variis mundi partibus regij negotiatores adferre consueuerant. Fecerat enim Rex Salomon classem in Asiongaber, in littore Maris rubri existentem; quæ singulis trienniis ad insulas orasque Indici oceani Orientales Australesque, nunc Lusitanis Hispanisque admodum peruias, nauigaret; atque ab illis regionibus, præsertim verò ab Ophir, Tharsis,

DE CLASSE SALOMONIS

ſis,& Coa, quarum ſpecialis mentio habetur locis proximè citandis; partim armorum vi, ſi opus eſſet; partim negotiationibus, vt hodie ſolent Hiſpani, aurum aliaque multa pretioſa aſportaret: 3. Reg.cap.9.verſ.26.& cap.10.verſ.11.22.& 28. item 2.Paralip. cap.1.verſ.16.& cap.8. verſ.18.& cap.9.verſ.10.& 21. & apud Ioſephum 8. Antiq.c.2. Ex eo autem, quòd 3.Reg.in fine capitis 9.legimus, allata fuiſſe de Ophir ad Regem Salomonem auri talenta quadringenta & vigintiquinque, & 2.Paralip. in calce capitis 8.quadringenta quinquaginta, videtur indicari, aut bis tantùm illas claſſes exiſſe ac rediiſſe ad Salomonem; aut ſi aliàs ſæpiùs exierunt, illas duas auri ſummas tantummodò fuiſſe memoratas, quòd fuerint ceterarum omnium maiores: vel etiam, vt ex his ceteras diſcere liceret, nimirum quòd dictæ claſſes quando redibant afferre ſolerent talenta circiter quadringenta. Porrò memoratam claſſem non totam fuiſſe Salomonis, ſed ex parte etiam Hiram Regis Tyri, apertè colligi poteſt, tum quia ipſe Hiram 3.Reg. cap.9.verſ.27.dicitur miſiſſe in ea ſeruos ſuos viros nauticos & gnaros maris cum ſeruis Salomonis; tum etiam quia ipſe inſuper (vt infrà declarabitur) videtur aliquas illarum nauium propriis impenſis fabricaſſe: nam 2.Paralip.cap.8.in fine legimus: *Miſit autem ei* (nempe Salomoni in Aſiongaber) *Hiram per manus ſeruorum ſuorum naues, & nautas gnaros maris; & abierunt cum ſeruis Salomonis in Ophir.* Propterea eadem claſſis aliquando dicitur fuiſſe Salomonis, vt cap.Reg.citato verſ.26. *Claßem quoque fecit Rex Salomon in Aſiongaber*; aliquando ipſius Hiram, vt cap.10. verſ.11. *Sed & claßis Hiram, quæ portabat aurum de Ophir*; aliquando vtriuſque, tamquam ſi non vna tantùm, ſed duæ fuiſſent claſſes ſimul iunctæ, nimirum altera Salomonis, & altera Hiram Regis Tyri, vt planè apparet in eodem Reg.cap.verſ.22. vbi legimus: *Quia claſsis Regis* (ſubaudi, Salomonis) *per mare cum claſſe Hiram ſemel per tres annos ibat in Tharſis, deferens inde aurum*, &c. Quod autem loco Paralip. adducto dictum eſt, Hiram miſiſſe naues, non propriè accipiendum videtur de nauibus, ſed de materia nauium, hoc eſt, de lignis, ferramentis, funibus, velis, & aliis, quibus fabricarentur inſtruerenturque naues: nam alioquin à Tyro, quæ eſt in ora maris Mediterranei, ad Aſiongaber, quæ poſita erat in littore maris Rubri, non videntur tranſmitti potuiſſe naues, niſi fortè in plauſtris nauiculæ, quas vocant ſcaphas, quæ maioribus nauibus in mari deſeruire ſolent; ſed iſtæ nauium claſsiſve nomen non merentur. Seruos verò ſuos miſit Hiram, non ſolùm qui proprias, ſed etiam qui Salomonis naues gubernarent, totamque illam claſſem dirigerent, tamquam rei nauticæ peritiores.

QVOD NON FVERIT TOTA SALOMONIS.

¶ 6. Ceterùm poſtulare videtur hic locus, vt aliquid de prædictis regionibus, nimirum Coa, Ophir, & Tharſis, quatenus probabiliter conſequi poſſumus, in medium proferamus. Et quidem de Coa, vnde Salomonis negotiatores equos deferre ſolebant, ſi ad ipſam in memorata claſſe pergebant, admodum probabile eſt quòd fuerit inſula illa, quæ nunc Goa dicitur; de qua, & quomodo patrum noſtrorum temporibus à Luſitanis fuerit capta, ſcribit Io. Petrus Maffeius ſub finem lib.4.Hiſtoriarum Indicarum. Hæc enim in Orientali Oceano poſita eſt, modico à terra freto diſſita, ferè in medio longi illius Indiæ littoris Occidui, quod reſpicit contra Orientales Africæ Arabiæque oras, & à Diu, vbi Indus in mare influit, ad Calecutum, & vſque ad Cori Promontorium, quod Geographorum tabulæ Comorini caput appellant, excurrit. Quare prædicta claſſis de Aſiongaber, Arabico ſinu emenſo, poſteà per Indicum Oceanum deuecta, non multo negotio ad Coam ſiue Goam poterat peruenire; & inde vlteriùs ad regiones auriferas, de quibus paulò pòſt agemus, progredi. Huc accedit, quòd in eadem inſula Goa, (vt omittam nominis ſimilitudinem) vſque hodie etiam extat emporium ſatis frequentatum, ad quod ex Arabia & Perſide aliiſque locis magna equorum militarium copia deferri ſolet, qui ibidem à negotiatoribus empti, ad varia loca, quæſtus gratia, deportantur; præcipuè verò ad alias Indiæ regiones, quæ, vt non ſemel citatus Maffeius admonet, eiuſmodi equos non ferunt.

DE COA.

7. De Ophir autem, varia eſt Scriptorum ſententia. Arias Montanus in ſuo Bibliorum Regiorum Apparatu, in quodam libello, quem inſcripſit Phaleg, ſiue de Gentium ſedibus, cap.9.putat Ophir, de quo hîc agimus, vniuerſaliter comprehendere immenſas illas terrarum plagas, quas ipſe Peruuiam, alij Americam, alij Indias Occidentales, & vulgariter Nouum mundum appellant; quæ primùm à Chriſtophoro Columbo Genuenſi, anno ſalutis milleſimo quadringenteſimo nonageſimo ſecundo, detegi cœperunt; deinde ab Americo Veſpucio Florentino, à quo regiones illæ Americæ nomen ſortitæ ſunt, demum ab Hiſpanis quoque accuratiùs exploratæ ac ſubactæ fuerunt. Eiuſdem ſententiæ eſt Genebrardus lib.1. ſuæ Chronologiæ, vbi de hac Salomonis

DE OPHIR.

claſſe

classe agit; cui etiam videtur assentiri Vatablus, qui Ophir Tharsisque nominibus putat indicari illam Noui Orbis insulam, quæ in modernis Geographorum tabulis Hispana siue Hispaniola nominatur. Videtur autem Arias ad sic sentiendum hisce adductus coniecturis, nimirum, quòd inde magnam auri atque argenti vim deferri videret; & quòd Scriptura sacra commemoret, classem Salomonis semel dumtaxat singulis trienniis ire ac redire consueuisse: id enim remotam valdè fuisse terram Ophir, & longam nimis extitisse illam nauigationem, attestari videtur. His Genebrardus addit, nauigationem illam quę fiebat per mare Rubrum ad Indos Orientales, fuisse tritissimam, & vniuersis ferè Gentibus cognitam: siquidē per ipsam tantummodò Orientales opes ad Asiæ minoris Africæque & Europæ regiones peruenire consueuerant. At nauigationis iussu Salomonis institutæ, Scriptura sacra quasi de singulari quadam re meminit; ergo oportet fuisse ab illa diuersam; & consequenter non ad Orientis, sed ad Occidentis regiones fuisse transmissam. Verumtamen mihi hæc opinio non videtur probanda; tum quia nauigatio, quæ trita erat Ægyptiorum aliarumque Gentium negotiatoribus, fuit noua Regibus Iuda & Israel, qui ante Salomonem nihil vmquam tale moliri tentauerant; tum etiam, quia nauigatio à mari Rubro circa oras Africæ Orientales, Meridionales, & Occidentalęs, multò post tempora Salomonis inuenta fuit, vt infrà num. 9. probabitur, & quia longa illa mora potuit alias ob causas prouenire; vt ibidem dicemus: tum verò præcipuè, quoniam si illæ regiones Occidentales, vbi tanta auri copia est, Salomonis ac Iosaphat temporibus cognitæ iam exploratæque fuissent; non esset credibile, quòd ceteri Principes ac negotiatores, auri tantopere cupidi, eas in tantam deinceps obliuionem deuenire permisissent, vt posteà Gręcis Romanisque Imperatoribus, aliisque mundi Principibus, per tot sæcula prorsus incognitæ inauditæque remansferint. Neque est quòd quisquam de omnimoda apud antiquos harum regionum ignoratione hæsitet, propter ea quæ in suo Geographo Orbis terrarū Theatro refert Abrahamus Ortelius, in suo tabulæ quintæ Commentario, dicens, non defuisse, qui à Platone Americam sub nomine Atlantis descriptam opinentur: & Marineum Siculum in suo Hispaniæ Chronico retulisse de quodam nummo antiquo, Augusti Cæsaris effigie insignito, quem tradunt in auri fodinis Americæ inuentum; & ad rei veritatem ostendendam, Summo Pontifici per D. Ioannem Rufum Archiepiscopum Consentinum fuisse transmissum: & prætereà alios existimasse, Senecam poëtico percitum spiritu, Noui orbis inuentionem hisce fatidicis versibus præsagisse:

ARIAE MONTANI SENTENTIA DE OPHIR REFVTATVR.

Venient annis *Pateat tellus, Tiphisq; nouos*
Sæcula seris, quibus Oceanus *Detegat orbes,*
Vincula rerum laxet, & ingens *Nec sit terris vltima Thyle.*

Non inquam hæc, aut si quæ alia his similia proferuntur, cuiusquam animum mouere debent: nam quod de Platone aiunt, nullo asseritur fundamento; præsertim cùm credendum non sit, talem ac tantum virum nescisse, Atlantis montem regionemque in extremis Occidentalibus Africæ partibųs esse positam; & propterea Oceanum qui illas oras alluit, Atlanticum dici. De nummo autem illo nihil penitus curandum putamus: nam si Augusti temporibus ampla illa regna detecta fuissent, profectò rem tam præclaram, tot illorum temporum Scriptores silentio non inuoluissent; & multitudo negotiatorum auri cupidine illuc confluentium, rem posteris obscuram minimè reliquisset. Sed & ipsum Augustum, de illis gentibus imperio suo subiugandis agere voluisse, quis dubitet? Quin etiam ad sui gloriam, (quod posteà à Carolo V. factum nouimus) verba illa columnis olim ad fretum Gaditanum ab Hercule apposita, *Non plus vltra*, primus ipse, ablata negatione, in suis titulis & insignibus vsurpasset. Denique quis non videt in memorato nummo facilè imposturam aliquam fieri potuisse; quemadmodum certum est in carmine illo Sibyllino contigisse, quod Iacobus Nauarchus scribit fuisse repertum in calce Promontorij Lunæ, vulgò *Rochan de Sinna* appellati, ad Oceani littus, quadratæ columnæ insculptum, anno salutis 1505. Emanuele in Lusitania regnante:

Voluentur saxa litteris & ordine rectis,
Cùm videat Occidens Orientis opes.
Ganges, Indus, Tagus, erit mirabile visu,
Merces commutabit suas vterque sibi.

Quod quidem carmen non esse antiquum, sed nostro æuo compositum, neque Sibyllinum, sed commentitium, constat ex Gasparis Vareni scriptis; in quibus legitur, quòd Emanuelis Portugaliæ Regis tempore, cuiusdam Lusitani, cui nomen erat Hermus Caradus, cura, memoratum carmen marmore insculptum fuit, eiusdemque iussu terra obru-

obrutum. Vbi verò marmor illud ex terræ humoribus vitium aliquod contraxiſſe credidit, ſimulata quadam oblectationis occaſione, inuitauit amicos in villam ſuam, loco vbi hoc vaticinium latebat proximam; & cùm omnes accubuiſſent, ecce villicus nuntiat domino ſuo, mercenarias eius operas in lapidem litteris inſculptum incidiſſe. quo audito, accurrunt omnes, legunt, admirantur, exoſculantur, & tantùm non adorant. Ex quo facto diſcere licet, quantum ad ludificandos homines hominis ingenium valeat: & proptereà non facilè eiuſmodi adinuentionibus fidem eſſe adhibendam. Certè, ſi concedimus, Senecam memoratum reliquiſſe præſagium; ex ipſomet conuinci poteſt, neque Salomonis, neque Ioſaphat, neque Platonis, neque Auguſti Cæſaris temporibus detectas fuiſſe Noui orbis regiones; ſed nec ſi in rerum natura eſſent, vllam extitiſſe notitiam: quandoquidem idem vates, qui ſub Nerone vixit, poſt multa ſæcula eas fore detegendas prænuntiauit.

8. Itaque, vt ad rem redeamus, longè diuerſam ab his opinionem de Ophir tenuit Raphael Volaterranus lib. 12. putans Ophir vocabulo accipiendā eſſe quamdam inſulam nomine Zaphanam, in ora Africæ Orientali poſitam, atque ad Quiloæ regnum pertinentem. Nec defuerunt qui ſuſpicati ſunt, Ophir fuiſſe quamdam maris Rubri inſulam, quam aliqui Armus, aliqui verò Vrphem vocant. Sed hæ opiniones paucorum ſunt, nec facilè recipiuntur, quòd eædem inſulæ Iudæorū regno minùs diſtantes fuiſſe videantur: claſſem autem Salomonis ad longè remotiores regiones proficiſci conſueuiſſe, vel illud non obſcurè indicat, quòd non niſi poſt tres annos redire ſolitam Scriptura ſacra teſtetur. Nobis ergo magis placet illorum ſententia, qui Ophir (vt lectio habet Vulgata; vel vt LXX. Interpretes 3. Reg. & 2. Paralip. aliquando Suphir, aliquando, quemadmodum etiam Ioſephus 8. Antiq. c. 2. Sophira legunt) inter Orientalis Indiæ regiones ponunt. Et probabile eſt, olim in illis regiōnibus extitiſſe vnā nomine Ophir, ab Ophir filio Iectan; cuius fit mentio Geneſ. cap. 10. verſ. 28. vel à poſteris eius illam incolentibus, ex nomine patris eorum ſic nuncupatam: ſiquidem filios Iectan in Orientalibus Aſiæ partibus habitaſſe, ſub anno mundi 1931. num. 51. iam dictum eſt. Quæ verò fuerit iſta regio, non eſt omnino clarum; quidam enim opinantur fuiſſe inſignem illam inſulam, quæ nunc Somatra, antiquitus verò, vt communiter putant Coſmographi, Taprobana dicebatur. Alij autem non inſulam aliquam, ſed illam Indiæ regionem, quam Ptolemæus Geographiæ lib. 7. in tabula Aſiæ 11. Auream Cherſoneſum vocat, nunc autem Malacam appellant; quæ in modum longæ cuiuſdam pæninſulæ ad Auſtrum in Oceano Indico, non procul à prædicta inſula, protenditur. Et hoc videtur magis congruere cum his quæ loco citato dicit Ioſephus, qui Sophiram non inſulam, ſed Indiæ regionem vocat, olim quidem Sophiram, nunc autem, inquit, Terram auream nominatam: & concordat item cum aliis Auctoribus, qui, vt citatus Maffeius lib. 1. refert, non abſurdis ſanè coniecturis, exiſtimant auriferas Ophir Tharſiſque regiones, in Scripturis ſacris memoratas, fuiſſe ditiſſima quædam regna, inter eas Indiæ Orientalis prouincias, quæ hodie Peguſian & Malaca dicuntur, poſita. Ceterùm Gloſſa ordinaria, & Lyranus, & Abulenſis ſuper 3. Reg. c. 9. & alij dicunt, Ophir habere montes aureos in littore maris extenſos, leonibus aliiſque ſæuiſſimis beſtiis refertos; quo fit vt nemo ad eos liberè ingredi audeat, ſed vel de naui raptim colligant in ipſo littore terram auro admixtam, quam vnguibus leonum effoſſam inueniunt; & ſi eos beſtiæ ſenſerint, ſtatim à terra nauem reducant; vel ſi beſtias longiùs abeſſe cognouerint, in extremitates illorum montium cautè pedetentimque introëuntes, laminas aureas à beſtiis erutas accipiant, redeantque confeſtim ad nauem. Similia ſunt quæ tradunt Pomponius Mela lib. 3. ferè initio capitis 4. ita de India ſcribens: *Alit formicas non minus maximas canibus, quas more gryphorum, aurum pedibus egeſtum, ſumma pernicie attingentium cuſtodire commemorant.* Et S. Hieronymus in epiſtola ad Ruſticum, quæ eſt in ordine 4. de India prope Gangem verba faciens, ait: *Vbi naſcitur carbunculus, & ſmaragdus, & margarita candentia, & vniones, quibus nobilium feminarum ardet ambitio, monteſq; aurei, quos adire propter gryphas & dracones, & immenſorum corporum monſtra, hominibus impoſsibile eſt, vt oſtendatur nobis, quales cuſtodes auaritia habeat.* ſic ille. Verumenimuerò, num hæc quæ de montibus aureis ab hiſce Auctoribus ſunt tradita, omnino vera ſint, determinare non auſim; præſertim cùm nullibi legamus, nautas ſiue negotiatores Salomonis pro auro colligendo cum eiuſmodi beſtiis vmquam dimicaſſe. Sed demus alicubi tale quid contingere potuiſſe: equidem arbitror, quòd ſi Reges aut Principes (quorum immenſa ſolet eſſe auri ſitis fameſque) certò ſcirent tantam eſſe auri vim in his montibus; procuIdubiò nullis parcendum laboribus, periculis, ſumptibus dignum ducerent, quò eos

AVCTORIS SENTENTIA DE OPHIR.

AN OPHIR HABEAT MONTES AVREOS.

in potestatem redigerent. Quin propterea certatim illuc mitterent classes optimè instructas, nec vllum pertimescerent ferarum genus, pro certo habentes, facile sibi fore illas tormentis bellicis, aliisque ignium iaciendorum & ipsis belluarum corporibus impingendorũ artibus incendere, propellere, interficere, penitusque exterminare, vt posteà commodè ac sine vllo periculo possent non solùm laminas aureas à bestiis erutas colligere, sed alias item multò maiores variis ferramentorum instrumentis effodere, ac si opus esset, etiam ab ipsis terræ visceribus educere, atque asportare. Si enim hac de causa non sunt grauati ad noui vsque Orbis regiones tanto periculo naues mittere, tot tantaque cum ignotis Gentibus bella gerere: quis dubitet eos libentiùs ad eiusmodi montes classem transmissuros, certissimè sibi persuadentes, multò faciliùs posse de bestiis, quàm de hominibus victoriam reportare? Sed & si prædicti montes aurei verè in oris Indiæ Orientalis (quemadmodum citati Auctores tradiderunt) existerent, vtique credendum est, quòd iam à Lusitanorum Regibus inuenti essent, qui sępissimè integras classes illuc direxerunt, eaque loca non modò perlustrari, verùm etiam quàm diligentissimè peruestigari curarunt. Et hæc quidem obiter sint dicta.

DE THARSIS 9. Porrò de regione Tharsis iam sub anno mundi 1931. num. 21. dictum est, esse illam, quæ priscis temporibus à Tharsis filio Iauan primò nomen accepit, posteà verò mutato nomine, Cilicia dicta est; cuius primaria ciuitas, antiquo nomine retento, Tharsus dicebatur, fuitque postmodum patria B. Apostoli Pauli, vt ipsemet testatur Actorum cap. 21. vers. 39. & cap. 22. vers. 3. Erat autem Cilicia Asiæ minoris prouincia, quam ex parte alluebat mare Mediterraneum iuxta Sinum Issicum, quem hodie Laiazum vulgus appellat. Verùm hîc dicet aliquis: Quî fieri potest, vt Salomon pro auro & rebus raris ac peregrinis aduehendis miserit classem in Ciliciam? quæ (vt ait Abulensis super 2. Paralip. cap. 9. quæst. 14.) cùm multò magis esset Aquilonaris quàm Iudæa, & consequenter minùs calida, non poterat abundare auro, simiis, pauis, ebore, & eiusmodi aliis, quæ tantummodò in locis natura calidioribus, qualia sunt India, Æthiopia, & his similia, abundè & viliori pretio reperiri solent: cur ergo pro hisce rebus comparandis potiùs in Ciliciam quàm in Africam Salomon classem misit? Quomodo autem credibile est, quòd classis de Iudæa in Ciliciam (quæ trecentorum circiter milliarium distantia est) transmissa, non nisi singulis trienniis redire posset? Præterea, (quod adhuc magis vrget) si ad Ciliciam Salomon naues transmittere voluisset; vtique non in Asiongaber, quæ erat in littore maris Rubri; sed in Ioppen, cuius portus in Mediterraneo est, classem instruxisset: non enim de Asiongaber nauigari in Ciliciam potest, sine immenso propemodum totius Africæ, multorumque marium, tunc magna ex parte incognitorum, circuitu; cùm econuersò de Ioppe, breui (vt dictum est) maris traiectu in Ciliciam perueniri posset. Ad hæc quidam respondent, dicentes, ex Iosepho 8. Antiq. c. 2. colligi posse, Salomonem duas fecisse classes; alteram in Asiongaber, quæ per Sinum Arabicum ad Indicum Oceanum & ad Ophir nauigaret, & inde aurum atque argentum, gemmasque ac ligna pretiosa deferret; alteram in Ioppe, quæ per Mediterraneum non in Ciliciam solùm, sed ad alia quoque loca discurreret; quæ ex Africa quidem simias, pauos, eburque multum; ex Cilicia verò & Hispania, aliisque prouinciis, aurum atque argentum ex plurimarum mercium distractione coactum asportaret. Et hęc quoque, aiunt, triennio abesse solebat; non tam propter locorum distantiam, quæ certè non tam longum temporis interuallum exigere videbatur; sed propter locorum varietatem, & quia in singulis longam satis moram trahere cogebantur, vt tantã mercium copiam præsenti pecunia distrahere possent. Sed huic responsioni ex directo obstare videtur locus 2. Paralip. cap. 20. vers. 35. vbi de Iosaphat Rege Iuda dicitur, quòd iniit amicitias cum Ochozia Rege Israel, *& particeps fuit vt faceret naues quæ irent in Tharsis; feceruntq; classem in Asiongaber.* ergo de Asiongaber, & consequenter per mare Rubrum, non autem per Mediterraneum, nauigabant in Tharsis; ergo per Tharsis non Ciliciam hîc accipere oportet, sed aliam olim eiusdem nominis regionem, secus Indicum Oceanum existentem. Non enim subscribere possumus opinioni eorum, qui putant Salomonicam classem de Asiongaber fuisse missam in Tharsis, hoc est in Hispaniã: tametsi Ioannes de Pineda lib. 4. de Rebus Salomonis fusissimè, nimirum in toto cap. 14. & 15. multis sanè argumentis & coniecturis artificiosè subtiliterque & acutè compositis eamdem sententiam confirmare ac persuadere contendat. Nam non videtur credibile, quòd Salomon, qui Sapien. c. 7. vers. 17. profitetur se à Deo accepisse scientiam dispositionis Orbis terrarum, relicta faciliori & compendiosiori via, quæ est à Ioppe ad Hispaniam per mare Mediterraneum, maluerit classem suam tot tantisque periculis ac difficul-

CLASSIS SALOMONICA QVOD NON SIT MISSA IN HISPANIAM.

difficultatibus exponere, mittendo illam per mare Rubrũ, & per immensos ferè Oceani Orientalis, Meridionalis & Occidentalis tractus, vt sic tandem ad Hispanias perueniret. Nec satisfacit dicere, id factum fuisse, quia priscis illis temporibus fretum Herculeum (cui priùs Atlanticam insulam obiectam ferunt) deinceps propter eiusdem insulæ mirabiliter absorptæ limum haberetur innauigabile: siquidem (quidquid sit de ipsa insula, cuius fabulosè Platonem meminisse putant) cunctis Mediterranei nautis notissimum semper fuit, à Iudęæ ad Hispaniæ oras sine vlla freti Herculei transmissione perueniri posse. Quin etiam limus eiusdē insulæ absorptæ, quæ in Oceano Atlantico priùs extitisse fertur, videtur potiùs impedimento esse potuisse nauibus ad Hispanias per Oceanum, quàm per Mediterraneum tendentibus. Nam cùm eadem insula à Platone vastissima fuisse tradatur, & singulis aliis tribus mundi partibus maior; vtiq; illius submersio non fretum Herculeum dumtaxat, sed etiam totum ferè Atlanticum Oceanum vadosum ac pænè classibus imperuium reddidisset. Quo tunc maximo existente impedimento, non videtur rationabiliter credi posse, quòd Salomon, qui erat sapientissimus, maluerit classem suam itineri tam longo & periculoso, ac pænè impenetrabili committere, vt ad Hispaniam properans ac rediens, Arabicas & Africanas oras legeret, atque in transitu pretiosa quæque illarum regionum colligeret: tutiùs enim & commodiùs intentum suum consequi potuisset, si classem illam vsque ad Atlanticũ dumtaxat, aliam verò per Mediterraneum ad Hispanias transmisisset. Deinde, si verum est quod idem quoque Pineda ex Herodoto tradit, & nos sub anno mundi 3425. num. 1. & 3. comprobabimus, videlicet, Necum Ægypti Regem fuisse primum omnium, qui docuerit Africam esse mari circumfluam, excepto dumtaxat vbi Asiæ contermina est; certè fieri nullo modo potest, quòd classis Salomonica de qua nunc agimus, potuerit per mare Rubrum Oceanumque ad Hispanias peruenire: siquidem Necus ille, quem sacra Scriptura 4. Reg. cap. 23. vers. 29. & 2. Paralip. cap. 35. vers. 20. vocat Nechao, vixit temporibus Iosiæ Regis Iuda, quem etiam contra se venientem in prælio interemit. Fuit autem Iosias Salomone posterior annis plus quàm trecentis quinquaginta. Ergo ante Iosiæ tempora, quòd Salomon aliúsve vllus Africam classe circumierit, probari non potest. Quare, hoc posito fundamento, necesse est omnino ruere omnia quæ citatus Auctor pro suæ opinionis confirmatione adducit: & consequenter, quæ ex eodem Herodoto, & Plinio, & Strabone, & aliis testimonia profert, & item quæ ipsemet prolixè admodum differit de frequenti olim à mari Arabico & Indico ad Hispaniam nauigatione, mutuísque per eam inter Tyrios Phœnicesque & Hispanos commerciis ac negotiationibus, nihil prorsus concludere aut conuincere: quandoquidem ex supradictis necessariò infertur, dicta commercia vel per Mediterraneas nauigationes antiquitus fuisse inita; vel (si per Oceanicas) longè post Salomonis sæculum fuisse contracta, videlicet post inuentam à Neco, vt dictum est, & dein ab aliis aliquoties repetitam in Africæ circuitu nauigationem. Illud item, quòd Hispania multas habuerit habeátve argenti aurique fodinas, non probat, classem Salomonis ad ipsam potiùs quàm ad aliam eiusmodi regionem appellere voluisse, præsertim cùm aliæ essent tum in Oriente, tum in Occidente, & ad Meridiem terræ non minùs, vel etiam magis auriferæ, quàm Hispania; & non sit credibile, dictam classem ad eiusmodi omnes, sed ad aliquas tantùm fuisse trāsmissam. Non etiam adduci possum vt credam quod asserit Pineda, Hispaniam in Sacris libris vocabulo Tharsis significari: nam cùm sæpè huius nominis Scriptura sacra meminerit, nusquam reperi vllum sacrum Interpretem, qui pro Hebraicè *Tharsis*, Latinè *Hispaniam* reddiderit. Sed (instat idem Auctor) in Hispania olim fuit vrbs celeberrima, nomine Tartessus. Transeat: atqui quòd idem fuerit Tartessus & Tharsis, fortiùs probari debuerat, quàm quorumdam non primæ notæ Scriptorum auctoritate. siquidem constat, plures alios non inferioris, vel etiam maioris auctoritatis, aliter sentire; & scimus quòd argumentatio à nominis similitudine, pręsertim in hoc genere, fallax valdè est & infirma. Certum namque est, non solùm plura vrbium diuersarum nomina esse inter se similia, verumetiam omnino eadem. Quis enim ignorat, plures extare variis in prouinciis Alexandrias, Cæsareas, Augustas, & eiusmodi sexcentas alias? Quin etiam Tharsis, de qua hîc agimus, non vnius tantùm vrbis nomen fuisse, idem Pineda probat, dicens, quòd Hesychius Tharsim facit Syriæ vrbem, Nicetas aliam Tharsim dicit vicinam Nicomediæ, Ptolemæus Tharsium in Pannonia inferiori, Arrianus Tharsium Persiæ Promontorium, Strabo Tharsium fluuium Troadis, & denique S. Paulus Tharsum patriam suam in Cilicia extitisse commemorat. Ecce quanta in his nominibus similitudo & identitas, ac significationum varietas. His adde, quòd ponentibus idem fuisse Tharsis

DE INSVLA ATLANTICA

DE NECHAO AEGYPTI REGE EX HERODOTO.

THARSIS SIGNIFICATIO MVLTIPLEX.

cum Tarteſſo ſeu Hiſpania, nimis obſtare videntur duo Scripturæ ſacræ loca, nempe Iudith cap.2.verſ.13.& Iſaiæ cap.23.v.10.Etenim loco Iudith citato,vbi de Holoferne dicitur: *Prædauitq; omnes filios Tharſis*; non eſt legendum cum LXX.Interpretibus, *omnes filios Raſſis*;ſed, *omnes filios Tharſis*, vt habet editio Vulgata,quæ inter alias communiter in S.Eccleſia maioris eſt auctoritatis. Niſi fortè (quod non eſt improbabile) aliquando Raſſis,corrupto vocabulo, ab aliquibus etiam pro Tharſis vſurpatum fuerit. Certum eſt autem, quòd ibi Sacer textus intelligendus eſt loqui non de Tarteſſo in Hiſpania exiſtente, ſed de Tharſo Ciliciæ oppido; tum quia ipſius Ciliciæ paulò antè meminerat,tum quia Holofernes nullatenus tunc Hiſpaniæ terminos attingere potuit; quippe qui eo tempore non claſſe per Mediterraneum excurſiones faceret,ſed terreſtri itinere duceret exercitum per Aſiæ regiones:tum denique,quia nec tunc Aſiæ fines ipſum fuiſſe egreſſum,ex eodem capite Iudith colligi poteſt,& clariùs ex initio capitis 3. vbi dicitur, quòd etiam Libya, hoc eſt Africa (ſic enim olim nuncupabatur,vt ſub anno mundi 1931.num.34.dictum eſt) miſit Legatos ad Holofernem offerens ſe illi in omnibus parituram;vt vel ſic præueniret aduentum eius, mitigaretque furorem. Necdum ergo ad ipſam Africam peruenerat, ſed nec deinceps peruenire potuit; nedum in Hiſpaniam, quæ in Europa eſt,excurrere; quoniam paulò pòſt in Iudæa occiſus fuit.

LOCVS IVDITH EXPONITVR.

Quòd verò attinet ad locum Iſaię adductum,vbi in textu Hebraico,Tyrus dicitur filia Tharſis; profectò nimis durum videtur admittere quod ait Pineda, videlicet, Scripturam ſacram ibi appellaſſe Tyrum filiam Tharſis,hoc eſt Hiſpaniæ,propter commercia, quæ inter Tyrios Hiſpanoſque interceſſerant. Nam ex ſupradictis inferri poteſt, hæc commercia per mare Arabicum Oceanumque non niſi longè poſt Iſaiæ tempora inchoare potuiſſe. Quòd ſi eadem multò anteà per Mediterraneum cœpta fuiſſe concedas: cur non potiùs Iſaias nuncupauit Tyrum filiam Gentium,quæ ad omnes ferè Mediterranei oras vrbeſque negotiatores inſtitoreſque ſuos tranſmittere ſolebat? Sed &, ſi ſpeciatim Propheta alludere voluit ad commercia Tyriorum cum Hiſpanis; cur non magis econuersò dixit Tharſis filiam Tyri? præſertim ſi verum eſt,quod ipſemet Pineda aſſerit, nimirum Hiſpanos à Tyriis originem duxiſſe. Quamquam non omnes Hiſpanos à Tyriis ortos eſſe crediderim; ſed fortè aliquos tantùm: quemadmodum conſtat,non omnes Italos, ſed Romanos dumtaxat à Troianis prodiiſſe. Communiter enim creditur (vt ſub anno mundi 1931.nu.23.dictum eſt) quòd prima vniuerſaliſque Hiſpanorum origo à Tubalæis;Italorum verò à Tubalęis,vel ab Eliſſæis,vel à Cetthim fuerit deriuata. Non igitur loco Iſaiæ allegato pro Tharſis accipere debemus Hiſpaniam,ſed ipſum mare:ſic enim apertè interpretatur editio Vulgata ibidem de Tyro dicens, *Filia maris*. Quod vtique cum Lyrano,Carthuſiano,& aliis ideò dictum creditur, quia Tyrus ante Alexandrum Magnum (qui vt eam faciliùs caperet, quemadmodum nos ſub anno mundi 1931.num.42.diximus,fecit eam pæninſulã) erat inſula vndique mari concluſa.Dicuntur verò inſulæ filiæ maris, quòd in ipſo quodammodò natæ videantur. Tharſis autem vocabulo ſignificari ipſum mare,nos paulò pòſt ex S.Hieronymo comprobabimus.Igitur, vt ad rem redeamus,cùm ex hactenus diſputatis appareat, claſſem Salomonis non potuiſſe mitti de Aſiongaber in Ciliciam,neque in Hiſpaniam, neque ad Noui orbis regiones, reſtat neceſſariò admittendum, vel Salomonis ac Ioſaphat temporibus fuiſſe aliam in auriferis Indiæ prouinciis regionem,Tharſis nuncupatam, ad quam mittebantur prędictæ claſſes de Aſiongaber, cui regioni poſteà (quod pluribus aliis eueniſſe certum eſt) nomen commutatũ fuerit; ideoque hodie in Chronographorum libris tabuliſque non ampliùs ſub nomine Tharſis reperiatur: quæ opinio (cuius etiam meminit B.Hieronymus ſuper Ionæ cap.1. & ibidem Gloſſa ordinaria, & Hugo Cardinalis, & Carthuſianus,& alij) multis placuiſſe videtur. Vel ſi nulla vnquam fuit inter Indiæ regiones ciuitas prouinciáve, Tharſis vocabulo nuncupata, vt quidam ſentiunt;dicendum eſt,Scripturam ſacram (vt eodem B.Hieronymo ibidem teſte putant Hebræi) ſæpenumerò Tharſis vocabulum pro mari vſurpare: neque ſolùm propriè pro mari Tharſenſi,quod Ciliciam,olim Tharſis appellatam,alluebat;ſed etiam, vt probat Ribera ſuper Ionæ cap.1. aliquando pro toto illo Mediterranei tractu, qui à ſinu Iſſico vſque ad Euxinum mare protenditur; quoniam per illas omnes Aſiæ minoris oras, poſteri Tharſis filij Iauan fuerant diſſeminati. Quandoque item pro toto ferè mari Mediterraneo, quod quodammodò à Tharſenſibus primariò poſſideri videbatur: ſiquidem Solinus in Polyhiſtore cap.39.ſcribit,Tharſum olim matrem vrbium dictam, & Ciliciam vſque ad Peluſium Ægypti pertinuiſſe; habuiſſeque ſub imperio Lydos, Medos, Armeniam, & Pamphyliam,& Cappadociam; ſed poſteà ab Aſſy-

LOCVS ISAIAE EXPLICATVR.

Assyriis subactam, arctioribus terminis fuisse circumscriptam. Interdum etiam generaliter, pro quolibet alio mari amplo & vasto sumitur nomen Tharsis; siue quia (vt refert B. Hieronymus super Isaiæ cap. 2.) veteres Hebræi putauerunt, proprium maris vocabulum, lingua sua esse *Tharsis*; aliud verò, nempe *Iam*, quod etiam apud ipsos significat mare, potiùs fuisse Syriacum quàm Hebraicum: siue quia *Tharsis* magis propriè pro mari magno & alto sumi debeat, *Iam* verò etiam pro stagnis & lacubus, quemadmodum citatus Ribera pluribus argumentis & auctoritatibus confirmat. Quidquid sit, siue *Tharsis* auriferam Indiæ significet regionem, siue ipsum mare, per quod ad Ophir nauigabant, constat Salomonem huiuscemodi classium transmissione, magnam vim auri atque argenti, ceterarumque rerum pulcherrimarum ac pretiosissimarum congessisse, quæ ei ac Regiæ eius, necnon & vniuerso regno eius, splendorem maximum contulerunt.

10. Quàm verò esset Salomon in tantis diuitiis expendendis splendidus ac magnificus, plurima quæ iam memorauimus ædificia, eaque valdè ampla ac præclara, regio sumptu ab eo à fundamentis erecta, ac mira celeritate absoluta, declarant; in quorum structura (quod erat aliud excelsi animi eius indicium) præfectos dumtaxat & præpositos fabricæ, Israëlitas esse voluit; indignum iudicans, ex ipsis quemquam in operibus Regis (intellige, fabrilibus) deseruire: 3. Reg. cap. 9. vers. 22. & clariùs 2. Paralip. cap. 8. vers. 9. Sic enim illa loca exponit Abulensis; qui etiam perpendens illa verba, *In operibus Regis*, hoc est, inquit, in fabricis domorum suarum: nam in Templi fabrica, nō indignum videbatur Iudæos laborare; Deo enim, non hominibus seruitium illud præstabatur. Verùm non in fabricis solùm, sed etiam multis aliis in rebus valdè elucebat Salomonis magnificentia, & magnitudo diuitiarum ostendebatur; præsertim verò in Regia ipsius, & in domo saltus Libani. Fecerat enim sibi Salomon thronum eburneum, grande, auro tectum, ad quod per sex gradus ascendebatur; cuius forma describitur 3. Reg. cap. 10. vers. 18. & 2. Paralip. cap. 9. vers. 17. vbi insuper Scriptura sacra testatur, quòd non fuit tale opus, seu solium, in vniuersis regnis. Omnia quoque vasa conuiuij Regis erant aurea, & vniuersa supellex domus saltus Libani, ex auro purissimo: cap. Reg. citato vers. 21. & Paralip. vers. 20. Sed & de lignis thyinis pretiosissimis fecit Salomon gradus & fulcra, non solùm in domo Domini, verumetiam in domo sua; & citharas item, & lyras, & psalteria cantoribus, locis allegatis vers. 11. & 12. Cibus autem curiæ Regis erat singulis diebus *triginta cori similæ* (erat autem simila, intima tritici medulla, hoc est, purior ac pinguior farinæ pars, quam communiter florem farinæ vocamus) *& sexaginta cori farinæ, decem boues pingues, & viginti boues pascuales, & centum arietes; excepta venatione ceruorum, caprearum, atque bubalorum, & auium altilium*: 3. Reg. cap. 4. vers. 22. Ex quibus dignosci potest, quàm numerosam haberet aleretque familiam. Quod etiam ex 3. Reg. cap. 11. vers. 3. colligi potest, vbi dicitur: *Fueruntque ei* (id est Salomoni) *vxores quasi Reginæ, septingentæ; & concubinæ trecentæ.* Sanè *lectulum Salomonis* (vt legimus Cantic. cap. 3. vers. 7.) *sexaginta fortes ambiebant, ex fortissimis Israel; omnes tenentes gladios, & ad bella doctissimi; vniuscuiusque ensis super femur suum, propter timores nocturnos.* & post pauca: *Columnas eius fecit argenteas, reclinatorium aureum, ascensum purpureum.* Fecerat quoque Salomon ducentas hastas aureas, singulas pondere sexcentorum aureorum, vt expresè traditur 2. Paralip. cap. 9. vers. 15. Et ducenta scuta similiter aurea, ponderis sexcentorum auri siclorum, vt habemus 3. Reg. cap. 10. vers. 16. & loco Paralip. adducto in editione LXX. Interpretum, qui pro siclis ponunt aureos. Fecerat etiam alia scuta trecenta aurea, quæ ad distinctionem priorum appellantur peltæ siue clypei, vt videre est apud LXX. Interpretes locis Reg. & Paralip. proximè citatis, & in Vulgata 3. Reg. cap. 10. vers. 17. quibus in locis dictorum scutorum pondus variè exprimitur, vt paulò pòst subiungemus. Et præterea fecit trecentas lanceas aureas, singulas ponderis trecentorum aureorum, quemadmodum traditur loco Reg. adducto in LXX. Interpretibus. videntur autem hæ lanceæ esse diuersæ à prædictis hastis; quia illæ dicuntur fuisse ducentæ, & ponderis siclorum seu aureorum sexcentorum; istæ verò trecentæ, & pondo minarum trecentûm. Et hac eadem de causa cogimur dicere, prædicta quoque scuta fuisse duorum generum, alioquin non opus fuisset ea distinguere & numero & pondere. Et nihilominùs dubitari potest, quænam fuerint maiora, & quæ minora, propter diuersitatem quæ reperitur in Sacris codicibus: nam 3. Reg. cap. 10. in textu LXX. Interpretum singulæ peltæ seu clypei dicuntur fuisse pondo trium minarum; & ita quoque habet Paraphrasis Chaldaica: at verò in editione Vulgata cap. Reg. citato v. 15. legimus, singulas peltas pendisse minas trecentas;

SALOMON QVAM FVERIT SPLENDIDVS ET MAGNIFICVS.

& 2.Paralip.cap.9.verſ.16.tam in Vulgata quàm in LXX. Interpretibus, eædem peltæ dicuntur ſingulæ pendiſſe trecentos aureos; quod in idem reincidere credimus. ibi enim trecenti aurei idem ſignificare vidētur, quod trecentæ minæ auri in Vulgata expreſſæ. Quamuis etiam illi ſexcenti aurei,quos ponunt cap.Paralip. allegato LXX. Interpretes, putamus eſſe ſumendos pro illis ſexcentis ſiclis auri,qui exprimuntur 3.Reg. in Vulgata: quia oportet LXX. Interpretes aureum quandoque pro ſiclo auri, & quandoque pro mina auri vſurpaſſe: alioquin,quæ ipſi de prædictarum rerum pondere ſcripſerunt, non poſſent conciliari cum his quæ de eiſdem tradit editio Vulgata. Ex dictis inferri quoque poteſt,non tutam,neque facilè recipiendam eſſe illam quorumdam illationem, qui ex collatione Sacri textus ſuprà citati,ponentis ſingulas peltas pendiſſe minas tres,cum aliis textibus aſſerentibus eaſdem peltas pendiſſe aureos trecentos,colligunt, minam Hebraicam fuiſſe ponderis centum ſiclorum auri: quia dicta illatio nititur fundamento parum ſolido,nimirum textu minùs probato, quàm ſit ille qui pro *tribus minis* habet *trecentas minas*, vt mox demonſtrabimus. Igitur,vt ad rem redeamus,ſi indubitata eſſet lectio LXX. Interpretum,quæ ponit ſingulas peltas pendiſſe minas tres,vtique potuiſſet Abulenſis ſuper cap.Reg.citato dicere,peltas fuiſſe quoddam ſcutorum genus paruorũ; nam ſi mina (vt ſuprà num. 4. probauimus) pendebat ſiclos ſexaginta,certè tres minæ facerent ſiclos centum octoginta,& conſequenter peltæ fuiſſent paruæ reſpectu aliorum ſcutorum,quæ ſingula pendebāt ſiclos ſexcentos. At verò ſi ſequamur editionem Vulgatam & alios textus ſecundo loco allegatos, qui (vt expoſuimus) ponunt ſingulas peltas pendiſſe trecentas minas; oppoſitũ dicere neceſſarium erit. Et certè in eiuſmodi difficultatibus multò tutius videtur ſequi editionem Vulgatam, quæ præterquā quòd maioris eſt auctoritatis, illud etiam amplius habet, quòd in numeris potiſſimùm notandis magis correcta & emendata eſſe cenſetur, quemadmodum nos ſub annis mundi 131. num.5.6.& 7. & 2400. num.3. demonſtrauimus. Huc accedit,quòd peltæ vidētur fuiſſe de illo genere ſcutorum, quæ clypei dicebantur (pro peltis enim clypeos ex Hebræo vertunt LXX.Interpretes, & Paraphraſta Chaldaicus) erant autem olim clypei ſcuta maiora,quæ totum corpus celare ac protegere poterant, cuiuſmodi creditur fuiſſe ille, quem mater quædam filio ſuo ad bellum proficiſcenti dediſſe fertur,dicens: *Aut cum hoc, aut ſuper hoc*; lepidè inſinuans, vt curaret vel cum illo clypeo victor redire,vel fortiter moriens ſuper illo reportari. Quòd ſi quis prædictis opponat nimiam dictorum clypeorum grauitatem, quæ videtur commodè geſtari non potuiſſe: ſiquidem minæ trecentæ faciunt pondus ſeptingentarum librarũ communium,quæ ad rationem duodecim vnciarum pro ſingula libra, faciunt vnciarum nouem millia ſeu ſiclorum decem octo millia (pendebat enim ſiclus ſemunciam.) Ad hoc nihil aliud habeo quod dicam,niſi quòd reverà memorati clypei erant valdè graues: verumtamen conſiderandum eſſe,quod non ad bellum, ſed tempore pacis ad oſtentationem diuitiarum Salomonis; & non à quibuſuis perſonis, ſed à viris proceræ admodum ſtaturæ & robuſtiſſimarum virium,ad hoc ſpecialiter electis ferri ſolebant, quando in vrbe præcedebant Regem,vt paulò pōſt probabitur. Niſi fortè etiam quis non abs re ſuſpicari malit,eoſdem clypeos tali arte fuiſſe fabricatos, vt ligneas rotas in calce habentes, adeò commodè & eleganter læuo brachio trahi vehique poſſent, vt quodammodò ferri viderentur.Ceterùm vſus horum armorum aureorum colligitur ex his quæ leguntur 3.Reg.cap.14.verſ.26.vſque ad 29. & 2.Paralip.cap.12. verſ.9. vſque ad 12.de ſcutis æreis quæ fecerat Roboam loco clypeorum aureorum quos reliquerat Salomon, & poſteà abſtulerat Seſac Rex Ægypti: nimirum, quòd quando ſolemniter ibat Rex in domum Domini,vel alibi,qui præeundi habebant officium,hiſce clypeis & haſtis armati præcedebant Regem,& cùm rediiſſet Rex in domum ſuam,deferebant arma illa ad armamentarium quod erat conſitum nemore in domo ſaltus Libani,quemadmodum traditur 2.Paralip.cap.9.verſ.16. & 3.Reg.cap.10.verſ.17.Cùm enim idem eſſet vſus ſcutorum æneorum regnante Roboam, qui fuerat aureorum viuente Salomone; videlicet non ad pugnandum cum hoſtibus,ſed præcipuè ad honorandum Regem: oportet eamdem quoque extitiſſe conſuetudinem,illa poſt vſum deferendi ad memoratum armamentarium: & hinc obiter infertur, iſtud armamentarium, & conſequenter domum ſaltus Libani in quo erat, non in monte Libano, qui ab Ieroſolymis valdè diſtabat,ſed in ipſa vrbe Ieroſolyma fuiſſe ædificatam, quemadmodum ſub anno mundi 3030. num 22. diximus: alioqui non potuiſſent ſcutarij, cùm opus eſſet,de dicto armamentario ſumere ſcuta,eademque eòdem reportare. De reliquo autem Salomonis comitatu quando in publicum exibat, quàm eſſet conſpicuus

HEBRAICAE MINAE PONDVS.

cuus & ſplendidus, coniici poteſt ex his quæ ſcribit Ioſephus 8.Antiq. cap.2. in hæc verba: *His decus addebant equites, flos iuuentutis, procera ceteros longè ſupereminenti ſtatura, promiſſoq; capillitio conſpicui, & tunicas è ſarrana purpura induti; ad hæc ramentis auri capillum quotidie ſpargebant, vt ad ſolarium radiorum contactum, fulgor è capitibus eorum reflecteretur. Hi armati, & pharetris ſuccincti, regium currum ſtipabant, quo ſublimis inuectus, & amictus veste candida, manè ſolebat vrbem egredi. Aberat ab Ieroſolymis, duorum ſchœnorum ſpatio, prædium nomine Hettan, hortis, & inductis fontibus, amœnum ſimul ac opulentum; in eum locum vectabatur.* hucuſque Ioſephus. Illud etiam oſtendit, quàm decorus & aſpectu delectabilis eſſet memoratus Salomonis equitatus, quòd ipſemet Salomon, qui aliàs amicam ſuam, hoc eſt animam Deo acceptam, ſiue ſanctam Dei Eccleſiam comparat aliis rebus huius mundi pulcherrimis, puta auroræ, lunæ, ſoli, & aciei caſtrorum ordinatæ, in Cant.cap.1.verſ.8.aſſimilat eam equitatui ſuo. Nam quod ibi ſubiungit, *In curribus Pharaonis*; proculdubiò indicat, in eodem ſuo equitatu extitiſſe etiam plurimos currus elegantiſſimos ex Ægypto adductos, qui eiuſdem equitatus pompam ſplendoremque mirificè augebant.

11. De ſapientia verò Salomonis, tum practica tum ſpeculatiua, ſuperfluum videtur indicem texere; cùm ipſemet Deus dixerit ei 2.Paralip.cap.1. verſ. 12. *Sapientia & ſcientia data ſunt tibi.* & 3.Reg.cap.4.verſ.29. & ſequentibus Scriptura ſacra teſtetur, Deum dediſſe ſapientiam Salomoni, & prudentiam multam nimis, & quòd ſapientia eius præcedebat ſapientiam omnium Orientalium, & Ægyptiorum, & eorum qui tum ceteris ſapientiores habebantur; & in ſumma, quòd erat ſapientior cunctis hominibus. quin etiam cap.precedenti verſ.12.aſſerit, Deum dediſſe ei cor ſapiens & intelligens, in tantum vt nullus ante ipſum ſimilis ei fuerit, nec poſt ſurrecturus ſit. Sanè practica Salomonis ſapientia, quæ prudentiam complecti videtur, potiſſimùm in iudiciis faciendis oſtendebatur: ad hoc enim ſpecialiter illam à Domino petierat 3.Reg.cap.3.v.9. & 11.& 2.Paralip.c.1.v.10.& 11. Qualia autem fuerint Salomonis iudicia, vel ab vno illo quod protulit, mulieribus inter ſe de re quæ omnino probari non poterat altercantibus, cetera diſcere licet. item in deligendis miniſtris, miniſteriiſq; optimè diſtribuendis, tum militaribus, tum ad ciuilem gubernationem ſpectantibus, quorum plurimi 3.Reg.cap.4.recenſentur. vnde non mirum eſt, ſi ibidem verſ.25.ſubiungitur: *Habitabàtque Iuda & Iſrael abſque timore vllo, vnuſquiſque ſub vite ſua, & ſub ficu ſua, à Dan vſque Berſabee, cunctis diebus Salomonis.* id namque fuit ſignum maximæ ſubditorum ſuorum ſecuritatis, & optimæ gubernationis. Quanta etiam fuerit prudentia Salomonis in maximis opibus diuitiiſque ingentibus comparandis, illud ſatis ſuperque declarat, quod legimus 3.Reg.cap.10.verſ.27. & 2.Paralip.cap.1. verſ.15. *Præbuitq; Rex argentum & aurum in Ieruſalem quaſi lapides, & cedros quaſi ſycomoros, quæ naſcuntur in campeſtribus multitudine magna.* & cap.Reg. citato v.21. & 2.Paralip. cap.9. v.20. dicitur, quòd argentum in diebus Salomonis pro nihilo reputabatur. Sed & in rebus domeſticis ordinandis optimeque conſtituendis tanta fuit ſapientia prudentiaque Salomonis, vt (quemadmodum legim[illegible] 3.Reg.cap.10.verſ.4. & 2.Paralip.cap.9.verſ.3.) *videns Regina Saba omnem ſapientiam Salomonis, & domum quam ædificauerat, & cibos menſæ eius, & habitacula ſeruorum, & ordines miniſtrantium, veſtéſque eorum, & pincernas, & holocauſta quæ offerebat in domo Domini; non haberet vltra ſpiritum præ ſtupore; dixeritq; ad Regem: Verus eſt ſermo, quem audiui in terra mea de virtutibus & ſapientia tua, & non credebam narrantibus mihi, donec ipſa veni, & vidi oculis meis, & probaui quòd media pars mihi nuntiata non fuerit; maior eſt ſapientia & opera tua, quàm rumor quem audiui.* & cetera admirationis verba, quæ locis citatis ſubiunguntur. Speculatiua verò Salomonis ſapientia ſeu intelligentia maximè enituit in diſſoluendis ænigmatibus, & in eruditis firmiſque reſponſionibus, quæ ad quæſita eidem in omni ſcientiarum genere propoſita dare ſolitus erat. Vnde cap. Reg.citato verſ.3. & Paralip.verſ.2. de prædicta Regina Saba, quæ venerat tentare eum in ænigmatibus, dicitur: *quòd expoſuit ei Salomon omnia, quæ propoſuerat; nec quidquam fuit, quod non perſpicuum ei fecerit.* Et idem credendum eſt de aliis, qui ad ipſum interrogandum audiendamque ſapientiam eius vndique confluebant, vt patet 3.Reg.cap.4.in fine, & capitibus Reg.& Paralip. ſuprà citatis verſ.24. & 23. & propterea in ſignum admirandæ ſatisfactionis, quam ex reſponſis eius accipiebant, offerebant ei munera, vt ibidem adiungitur. Denique libri quos ſcripſit, dilucidè atteſtantur, quanta fuerit ſcientia, intelligentia, ac ſapientia Salomonis. Fuerunt autem multò plures, quàm qui nunc reperiuntur; quandoquidem Parabolæ eius fuerunt ter mille: vt hinc intelligas, ſexcentas illas quinquaginta nouem, quæ hodie haben-

DE SAPIENTIA SALOMONIS.

PRACTICA.

SPECVLATIVA.

EIVS LIBRI

bentur in libro Prouerbiorum, qui incipit, *Parabolæ Salomonis*, esse veluti quoddam ipsarum fragmentum. Carmina verò eiusdem Salomonis fuerunt quinque millia. Et præter alios eius libros in Sacris codicibus registratos, insuper disputauit, hoc est, longas eruditasque edidit disputationes, de naturis omnium plantarum & animalium, iumentorum, reptilium, volatilium, & piscium, id est, omnium, quæ in terris & in aquis, atque in aëre degunt: 3. Reg. cap. 4. v. 32. & 33. & apud Iosephum 8. Antiq. cap. 2. qui etiam addit, Salomonem scripsisse incantationes ad curandos morbos dæmonesque fugandos. Hoc si verum est (quod tamen non facilè crediderim) oportet factum esse posteaquam deprauatum est cor eius, & à veri Dei cultu ad idola colenda conuersus est. Quidquid sit, ex relato Iosephi dicto credimus, perditos quosdam homines occasionem arripuisse adscribendi eidem Salomoni librum illum execrabilem, cui titulus est: *Clauicula Salomonis*. Ceterùm ex omnibus libris à Salomone conscriptis, nunc extant tantummodò tres, de quibus nulla est dubitatio quin illius sint, nempe liber Prouerbiorum, Ecclesiastes, & Cantica Canticorum. Nam de duobus aliis, videlicet de lib. Ecclesiastici & Sapientiæ, quomodo dici possint fuisse Salomonis, nos sub anno mundi 3798. num. 4. dicemus.

DE GLORIA SALOMONIS.

12. Sanè gloria Salomonis in eo maximè posita esse videbatur, quòd propter maximas eius opes, inprimis verò propter eminentem eius sapientiam, in vniuersis per circuitum gentibus famosissimus erat; ita vt propterea (quemadmodum dicitur 3. Reg. cap. 10. vers. 23. & 2. Paralip. cap. 9. vers. 22.) magnificatus esset super omnes Reges terræ, & vniuersa terra desideraret vultum Salomonis, & præsertim Reges ac Principes per seipsos, aut per ipsorum legatos, vndique ad ipsum confluerent, cupientes videre tantum virum, & audire sapientiam eius: quam cùm experimento probarent, esse longè maiorem famâ ipsius; stupebant, & glorificabant eum in cunctis operibus ac responsis eius, dignumque iudicabant, cui maiora quæ poterant munera adferrent, aurum, argentum, aliaque multa, prout præcedenti numero dictum est. Singulare autem præ ceteris omnibus fuit illud Reginæ Sabæ exemplum, meritoque in proximè allegatis capitibus fusiùs descriptum; quòd fortè ipsa esset ceteris Principibus, qui ad Salomonem veniebant, ditior ac potentior, quemadmodum indicant, magnus ille comitatus, multæque opes quas secum tulit, necnon ingentia munera quæ dono dedit Salomoni, aurum, aromata, gemmas, &c. & præcipuè, quòd ipsa quoque esset valdè prudens, & sapiens; *venit* enim *tentare eum in ænigmatibus*, vt dicitur in initiis capitum proximè citatorum: ac denique quia ipsa non de proximioribus, vt fortè alij Reges, sed de remotissimis regionibus venerat; nimirum *à finibus terræ*, vt dicitur Matth. cap. 12. vers. 42.

QVAE FVERIT REGINA SABA, ET VNDE NAM VENERIT PRIMA OPINIO.

¶ 13. Quæ autem fuerit hæc Regina, & vndenam venerit, non est omnino certum; extant enim variæ Scriptorum opiniones. Iosephus 8. Antiq. cap. 2. putat fuisse illam Ægypti Reginam, quam Herodotus Halicarnasseus inquit Nicaulen appellatam, & triginta tribus Regibus, qui post Mineum Memphis conditorem Pharaones dicti sunt, successisse tradit: & probat ibidem Iosephus sententiam suam, dicens: *Ego verò in nostræ gentis Commentariis reperi, quòd post Salomonis socerum Pharaonem, nemo Aegyptiorum Regum ampliùs hoc nomine sit vocatus; & quòd post illum venerit ad Salomonem iam dicta mulier, quæ tum Aegypti simul ac Aethiopiæ regnum obtinebat*. Sic Iosephus. Sed hæc eius opinio non placet, quandoquidem falsò nititur fundamento: nam ex sacra patet Scriptura, alios post socerum Salomonis extitisse in Ægypto Pharaones: etenim Iosiæ temporibus, qui regnare cœpit in Ierusalem annis plusquam trecentis triginta ab obitu Salomonis, vt videri potest in tabulis, regnabat in Ægypto Pharao nomine Nechao, qui ipsum Iosiam in bello interfecit, & Ioachaz Iosiæ filium regnique successorem cepit, vinctumque in Ægyptum duxit captiuum, & pro eo Ioakim fratrem eius Regem in Iudæa constituit; quemadmodū traditur 2. Paralip. cap. 35. vers. 20. vsque ad 5. sequentis, & clariùs 4. Reg. cap. 23. vers. 29. vsque ad finem capitis, vbi paucis verbis Scriptura sacra sexies vocat eum Pharaonem. & idem facit Ieremiæ cap. 46. vers. 2. 17. & 25. de eodem Nechao verba faciens. & cap. 47. vers. 2. meminit alterius Pharaonis, illius scilicet, qui volens suppetias ferre Regi Sedeciæ Ierosolymis obsesso, fugatus fuit in Ægyptum à Nabuchodonosor, vt nos infrà sub anno mundi 3444. num. 9. probabimus. Et quidem post memoratum Pharaonem Nechao, alium regnasse in Ægypto Pharaonem, manifestum est ex Ierem. cap. 43. vers. 9. & adhuc clariùs cap. 44. & 30. vbi Propheta, post Ierosolymæ Templique subuersionem in Ægyptum ductus, vaticinatur, Dominum traditurum Pharaonem Ephree in manus inimicorum suorum, sicuti tradiderat Sedeciam in manibus Nabuchodonosor. Vnde patet,

patet, hunc Pharaonem Ephree fuiſſe poſteriorem Pharaone Nechao, quem iam percuſſerat Nabuchodonoſor apud Euphratem, anno quarto regni Ioakim filij Ioſiæ, vt ipſemet Ieremias teſtatur cap. 46. verſ. 2. Contra eumdem vt arbitror, Pharaonem Ephree prophetauit etiam Ezechiel anno vndecimo tranſmigrationis ſuæ, vt videre eſt Ezechiel. cap. 30. & 31. per totum. Igitur ſi præfata Nicaulen regnauit poſt omnes Pharaones, quemadmodum ex Herodoto colligit Ioſephus; conſequens eſt, fieri non poſſe quòd ipſa fuerit illa Regina quæ venit ad Salomonem. Abulenſis ſuper 3. Reg. cap. 10. q. 2. & 2. Paralip. cap. 9. q. 2. Reginam Saba non Aegypti, ſed Æthiopiæ Reginam fuiſſe credit, putatque eam appellari Reginam Saba, non quia Sabæis imperaret; ſed quia, inquit, metropolis regni eius Saba dicebatur. Verùm id gratis dicit, nec probat, primariam Æthiopiæ vrbem Saba fuiſſe nuncupatam. Præterea, ex quo Regina hæc tantam auri copiam aromatumque ac gemmarum ſecum detuliſſe, ac Salomoni dono dediſſe dicitur, probabilius videtur, eam fuiſſe Sabæam, quàm Aethiopiſſam: ſiquidem hiſce rebus, præſertim verò aromatibus & gemmis, abundare magis Arabia perhibetur, quàm Aethiopia. ALTERA OPINIO.

14. Propterea tertia opinio fuit, Reginam Saba, de poſteris Abrahæ ex Cethura genitis prodiiſſe. Conſtat enim Geneſ. cap. 25. verſ. 2. & 3. & 1. Paralip. cap. 1. verſ. 32. Iecſam Cethuræ filium genuiſſe Saba, ex quo poſteà Sabæi prodiere; quorum Salomonis temporibus hæc Regina fuiſſe dicitur. Hanc opinionem ex antiquis Scriptoribus tenuit Origenes Homil. 11. in Geneſ. ex recentioribus verò Cardinalis Baronius in Annalium Tomo 1. ſub anno Chriſti 1. Et quidem hæc opinio ceteris probabilior videtur, præſertim ſi conceſſerimus (quod creditu difficile non eſt) filios dicti Sabæ, tametſi primò in Arabia ad Orientales Chananææ plagas habitauerint, vt ex cap. Geneſ. citato verſ. 7. colligi poteſt; poſteà tamen ſeſe ad partes Arabiæ Auſtrales, & à Iudæa valdè remotas, dilataſſe; ac propterea Reginam Saba, Matthæi cap. 12. verſ. 42. appellari Reginam Auſtri, hoc eſt regionum Meridionalium; & dici veniſſe à finibus terræ, id eſt à remotiſſimis terræ partibus. Verumtamen, etiam dato quòd hæc Regina verè fuerit Sabæa, non tamen ex Sacris libris videtur indubitanter colligi poſſe, quòd ipſa fuerit de poſteris Abrahæ: nam, vt ſub anno mundi 2179. num. 4. diximus, non omnes Sabæorum populi de Saba Abrahami nepote originem duxerunt; ſed alij de Saba filij Chus, filij Cham; alij de altero Saba filio Regmæ, filij Chus; alij de tertio Saba filio Iectan, filij Heber: neque ſcire poſſumus, quinam ex quattuor hiſce Sabæorum populis, inter ſe origine diſtinctis, illam Auſtralem Arabiæ partem incoluerint, quæ huic Reginæ Sabæ ſubiecta fuiſſe traditur. Vtrùm autem etiam verum ſit, quod citatus Baronius vbi ſuprà dicit, nimirum eamdem Reginam idcircò veniſſe cum muneribus ad Salomonem, quòd in ipſo crediderat impletum fuiſſe vaticinium Balaam, Numer. cap. 24. verſ. 17. relatum: *Orietur ſtella ex Iacob, & conſurget virga de Iſrael*, &c. non facilè auderem aſſerere; præſertim cùm Scriptura ſacra locis Reg. Paralipomenonque adductis, nullam prorſus apparitionis ſtellæ mentionem faciat, ſine qua nemo rationabiliter credere poterat, vaticinium in Salomone fuiſſe impletum. Vt omittam, vix credibile eſſe, quòd Regina Auſtri in finibus terræ habitans, vllam prædicti vaticinij tanta iam vetuſtate obſoleti, & nihil ad ſe pertinentis, notitiam habuerit. Nam ſi quis opponat, Magos poſt plura mox ſæcula eiuſdem vaticinij notitiam habuiſſe; & ſi non ab Auſtro, certè ab Oriente in Iudæam veniſſe; Dicimus, Magos de longè proximiori ſeu minùs remoto loco veniſſe: ſiquidem Regina Saba venit de finibus Arabiæ Auſtralibus, Magi verò de Meſopotamia: erant enim (vt teſtatur S. Hieronymus lib. 1. Commentariorum in Matthæum) ſucceſſores Balaam arioli, qui à Moabitis conductus fuerat de Aram exiſtente in Meſopotamia Syriæ, vt patet Numer. cap. 23. verſ. 7. & Deuter. cap. 23. verſ. 4. & nos ſub anno mundi 2583. num. 18. diximus. Nec mirum eſt, quòd Magi prædeceſſoris ſui vaticinium, ante annos mille quadringentos ſexaginta octo editum, (tot enim anni à dicto Balaam ad Chriſti ortum in tabulis inueniuntur) & ad poſteros ſucceſſiuè veluti per manus traditum probè tenuerint, qui eius euentum accuratiùs obſeruare profitebantur. Denique Scriptura ſacra 3. Reg. cap. 10. ſatis apertè cauſam huius aduentus explicauit, dicens, Reginam hanc, audita fama Salomonis in nomine Domini, id eſt, (vt exponit Caietanus ad litteram) cùm audiſſet Salomonem non humano ſtudio, ſed Dei dono tantam fuiſſe ſapientiam aſſecutum; veniſſe tentare eum in ænigmatibus. & Matth. c. 12. dicat, *Venit à finibus terræ audire ſapientiam Salomonis*. Ex quibus verbis apparet, eam veniſſe potiùs ex quadam curioſitate ac deſiderio explorandi, num vera eſſent quæ vbique de illius

TERTIA OPINIO.

CVR REGINA SABA VENIT CVM MVNERIBVS AD SALOMONEM.

viri

viri ſapientia prædicabantur: eſt enim hoc proprium ac peculiare perſpicacis ingenij, tam viris quàm mulieribus, præſertim verò Principibus, vt cùm aliquem aliqua in re vehementer excellere intellexerint, ſtatim ſe ſentiant intenſa quadam cupiditate inflammari, illum præſentem videre, interrogare, loquentem audire, ac de his quæ audierant, periculum facere. Et hac eadem de cauſa alios quoque Reges & Principes ad Salomonem veniſſe credendum eſt: niſi fortè etiam non vacet cum Abulenſe arbitrari, eamdem Reginam, longam quoque illam pietatis ergô ſuſcepiſſe peregrinationem; vt ſcilicet occaſione viſendi Regem Salomonem, poſſet etiam in Templo, quod ille recèns conſtruxerat, adorare Deum Iſrael. Sed cùm proprias huius itineris cauſas in ſacris Scripturis expreſſas habeamus, ſuperfluum videtur alias indagare. Si quis verò contenderet, hanc Reginam typum quodammodò geſſiſſe Magorum, quemadmodum Salomon Chriſti, non reluctandum putarem.

REGINA SABA DEMIRATVR OPERA SALOMONIS.

15. Itaque cùm Salomon Reginam honorificentiſſimè excepiſſet, & mox propoſita ſibi dubia cumulatiſſimè enodaſſet: illa ſapientiam Regis non in reſponſis tantùm, ſed & in aliis quoque eius operibus ingenti ſtupore demirata, contemplabatur tanti viri ingenium etiam in fabricis tanta magnificentia diſpoſitis, in elegantiſſimo ac ſplendidiſſimo Regiæ apparatu, in quotidiana ciborum lautiſſima pariter ac opulentiſſima prouiſione, præſertim verò videns lectiſſimos ordines miro decore & gratia miniſtrantium; denique, quod fuit omnium admirabilius, obſeruans iugem holocautomatum ſacrificiorumque oblationem, quam Salomon fieri curabat in domo Domini, & deuotionem ac decentiam, qua ibidem diuinus cultus exercebatur; non habebat vltrà ſpiritum. Neque id ſanè immeritò; quandoquidem poſt multa quoque tempora, nimirum ſub Ptolemæo Philadelpho Aegypti Rege, Ariſteas eius ad Iudæos legatus, multa in ſacris Ieroſolymitani Templi miniſteriis admiratione digna ſe vidiſſe teſtatur, & in hiſtoria ſua fuſiùs deſcripta reliquit; ex quibus pauca quædam hîc ponere viſum eſt, ne cui mirum videatur, quòd Regina Saba hæc contemplans, tantopere obſtupeſceret; maximè cùm Salomonis temporibus, ob feruentem, qui tunc in Rege populoque vigebat diuini cultus affectum, & particularem erga Templum recenter extructum reuerentiam, præſertim verò ad tanti Regis tantæque Reginæ conſpectum, probabile admodum ſit, longè maiori diligentia, attentione, ac deuotione, cuncta fuiſſe adminiſtrata. *Sacerdotes* (referebat Ariſteas) *miniſteria peragentes, omnino virium robore præſtant, cum ſumma ornatus ac ſilentij reuerentia. Nam omnes ſponte intenti ſunt laboribus, licet valdè moleſtis; ac ſuæ cuique demandatæ partes curæ ſunt, ſine intermiſſione miniſterij. Alij enim ligna, alij oleum, alij ſimilam, alij aromata in miniſterio ſuo curant, alij integras carnes hoſtiarum comburunt, vtentes in hoc magna virium intentione & dexteritate: apprehenſa enim vtriſque manibus vitulorum crura, quæ ſingula ferè talenti pondo habent, per vices vtraque manu ſurſum proiiciunt, mira induſtria, in altitudinem ſatis magnam; nec in his excipiendis errant. Simili modo proiiciunt etiam ouium crura, necnon & caprarum, quæ mirificè & pondere & pinguedine excellunt. Nam quod iam dictum eſt, ita peragitur, vt ad id à certis quibus hoc curæ eſt per omnia ſeligantur, quæ & labe reprehenſionis omni vacent, & pinguedine excellant. Ad quietem autem habent locum certum, vbi quieſcentes recumbunt; atque inde vſi quiete, alacres & prompti excitantur, nemine ipſis miniſterij officia imperante; tantumq; vbique eſt ſilentium, vt putes in loco illo nullum prorſus eſſe hominem, cùm interim & Sacerdotum miniſtrantium ſint circiter ſeptuaginta, & eorum qui hoſtias adducant, valdè magnus numerus: ita omnia cum reuerentia, & vt conuenit magnæ diuinitati, peraguntur. Hinc verò magnus nos ſubibat ſtupor, cùm aſpexiſſemus Eleazarum ſacra tractantem, & ornatum illum eius, & dignitatis reuerentiam emergentem ex tunica induta, & lapidibus in ea pretioſis: nam aurea tintinnabula ad pedes vſque ornatus eius dependent, quæ ſingula harmoniæ edunt ſonum ſuum; inter quæ, ſingula ſunt Punica mala, & floribus variis & colore miro decorata. Zona autem cinctus erat valdè decente, & variis ac pulcherrimis coloribus pertexta. Supra pectus geſtabat, quod Rationale vocant; in quo implexi, & auro allegati erant duodecim lapides, generum diuerſorum, qui ſplendentes ſpecie inenarrabili natiui & proprij coloris, inſcripta habebant nomina Principum cuiuſque tribus, iuxta priſcam & ab initio inſtitutam ordinationem. Supra caput habebat tegumentum, quod Cidarim vocant; & ſupra hanc, inimitabilis artificij mitram, ornamentum à Regibus conſecratum. Hinc ſupra laminam auream, nomen Dei ſacris litteris ſcriptum, cum ornatu & decore ſummæ reuerentiæ, per frontem ad ſupercilia vſque protenditur. Ipſe verò Eleazarus, in tractatione ſacrorum videbatur his omnibus dignus eſſe. Qui autem ſplendor inde exibat, ille metu & turbatione quadam afficiebat ſpectantes, cùm videretur ipſis, quaſi extra ornatum,*

tum,

tum, in alium egressus esse Eleazarus: affirmoque, omnem qui accessisset, ex illa contemplatione transformatum animo, deuenturum fuisse in stuporem & admirationem ineffabilem, propter & illum sanctum habitum, qui in singulis videbatur inesse. hactenus Aristeas. Eodem modo hæc & eiusmodi attentiùs obseruans contemplansque, vt dictum est, Regina Saba, obstupescebat, ac mirum in modum commendabat sapientiam Salomonis, qui talia in domo sua, & in domo Domini disponere sciuisset valuissetque; & propterea ipsum ac seruos eius, & vniuersum populum ei subiectum, beatos pronuntiabat. Postremò, amplissimis regiâ munificentiâ muneribus inuicem datis atque acceptis, à Salomone dimissa, rediit in patriam suam. Et hæc ferè sunt, quæ de rebus à Salomone gestis, antequam senescere inciperet, in Sacris libris memorata inuenimus.

AB ORBE CONDITO ANNVS 3054. | QVINTAE MVNDI AETAT. ANNVS 32.

1 ANNO regni sui circiter trigesimo quinto, vitæ verò quinquagesimo nono, Salomon cùm iam esset senex, nimirum (vt arbitror) non tam propter ætatem, quàm propter vitam venereis voluptatibus plus iusto indulgere assuetam, (id enim senectutem accelerare solere, nemo est qui ignoret) cumque tunc vxores suas, maximè alienigenas, ardentiùs quàm par esset adamaret, paulatim ab ipsis seductus, ad idola colenda perductus est; & tandem eò impietatis deuenit, vt non sine magno piorum scandalo, idolis vxorum suarum fana publicè extruere non sit veritus: 3. Reg. cap. 11. vers. 1. vsque ad 9. Illustrissimum profectò humanæ imbecillitatis exemplum, quòd vir, qui sapientiam mirabiliter à Deo acceperat, qui præ eximia sua pietate magnificentissimum eidem Deo templum extruxerat, qui eiusdem Dei ope, regni opes mirandum in modum auxerat, & perpetua pace ac tranquillitate potitus fuerat, omnium mortalium sapientissimus ac felicissimus, extrema ętate à mulieribus deprauatus, tandem ad cultum idolorũ sit pertractus. Ceterùm, ex memoratis hisce fabricis postremò à Salomone excitatis, colligunt Hebręi (vt refert probatque Abulensis super cap. Reg. citato circa initium quæstionis 14.) ipsum Salomonem plures annos, puta sex, vel saltem quinque, in impietate sua superuixisse: alioqui, cùm ille non soleret ædificia nisi valdè magnifica erigere, quæ ordinariè non vno aut altero anno absolui solent, non potuisset tot fana idolis ædificare. Igitur

SALOMON IDOLIS FANA EXTRVIT

AB ORBE CONDITO ANNVS 3058. | QVINTÆ MVNDI ÆTAT. ANNVS 36.

1 ANNO, vt arbitror, regni vitæque Salomonis pænultimo, videns Dominus quòd Salomon, tametsi non semel admonitus ne sequeretur deos alienos, ipse nihilominùs non modò aliquando inobediens extitisset, verumetiam obstinatiùs in tali præuaricatione perseueraret; iratus valdè, locutus est ei siue per somnium, siue (quod credibilius est) per aliquem Prophetam, & fortè per Ahiam Silonitem, acriter obiurgans ipsum, quòd à se recessisset, & præcepta sua custodire non curasset; prædixitque ei, in pœnam tantæ transgressionis, se velle regnum de manu filij eius abscindere, & dare decem tribus Israëliticas seruo eius; & præter tribum Iuda, vnam tantùm, nimirum Beniamiticam, filio eius relinquere: 3. Reg. cap. 11. vers. 9. vsque ad 14. Et prætereà cœpit Dominus ipsi Salomoni in toto reliquo vitæ suæ tempore suscitare aduersarios, qui animam eius affligerent; & præcipuè tres, videlicet Razon Syrum, & Adad Idumæum, & Ieroboam filium Nabat Ephrathæum. De duobus primis, quinam essent, diximus sub anno mundi 2992. num. 1. & 2. nimirum quòd temporibus Dauidis, quando scilicet ipse bellum gerebat aduersus Adadezer Regem Syriæ Soba, Razon fugit ab ipso Adadezer domino suo, & factus est princeps latronum, qui postmodum, per hæc circiter tempora occupauerunt Damascum, in quo Dauid primò, deinde etiam Salomon tenebat præsidium; & constituerũt Razon Regem in Damasco, qui deinceps non cessabat infestare Israëlem cunctis diebus Salomonis, id est, donec posteà Salomon superstes fuit. Et item diximus, quòd quando Dauid subegit Idumæam, Adad de semine Idumæorum regio, tunc puer fugit in Ægyptum, & mansit ibi cum Pharaone vsque ad obitum Dauidis & Ioab: & sub anno mundi 3020. num. 18. quòd circa initia regni Salomonis rediit idem Adad in Idumæam,

SALOMON A DEO ACRITER OBIVRGATVR.

SVSCITANTVR EI TRES ADVERSARII.

RAZON SYRVS.

ADAD IDVMAEVS.

mæam, putans se posse recuperare regnum patrum suorum; sed cognita Salomonis potentia, tunc siluit, expectans tempus magis opportunum, quod numquam nactus est, nisi hisce postremis regni Salomonis temporibus, quando, diuino permotus instinctu ad vindictam de Salomone sumendam, cœpit concitare Idumęos, & eidem Salomoni aperte aduersari. Sed de his duobus, mirum non est quòd contra Salomonem insurrexerint, quippe qui iam dudum hostes erant Regum Israel, ex quo videlicet eos fugauerat Dauid, quando bellabat aduersus Syros & Idumæos, vt dictum est: magis mirandum videtur de tertio, nempe de Ieroboam, qui erat de tribu Ephraim, vt dicitur 3. Reg. cap. 11. vers. 26. & consequenter naturalis subditus Regis Salomonis, & ab eo valdè fuerat exaltatus, vt numero sequenti videbitur.

IEROBOAM ERAT DE TRIBV EPHRAIM.

2. Sanè causa rebellionis ipsius Ieroboam satis subobscurè insinuatur 3. Reg. cap. 11. vers. 27. illis verbis: *Quia Salomon ædificauit Mello, & coæquauit voraginem ciuitatis Dauid patris sui.* Quæ verba quid velint indicare, ex infrà dicendis planum fiet. Subditur etiam ibidem, quòd Ieroboam erat vir fortis & potens; & quòd Salomon videns eum adolescentem bonæ indolis, & industrium, constituerat illum Præfectum super tributa vniuersæ domus Ioseph; & quòd cùm istum Ieroboam aliquando inuenisset Ahias Silonites Propheta in agro, scidit pallium suum in partes duodecim, dixitque ipsi Ieroboam: *Tolle tibi decem scissuras: hæc enim dicit Dominus Deus Israel: Ecce ego scindam regnum de manu Salomonis, & dabo tibi decem tribus.* & post pauca: *Te autem assumam, & regnabis super omnia quæ desiderat anima tua, erisq; Rex super Israel.* & deinde quibusdam interpositis subiungitur: *Voluit ergo Salomon interficere Ieroboam; qui surrexit, & aufugit in Aegyptum ad Sesac Regem Aegypti, & fuit in Aegypto vsque ad mortem Salomonis.* Oportet ergo istum Sesac fuisse alterum Pharaonem, diuersum ab illo qui dederat filiam suam vxorem Salomoni; alioqui Ieroboam non se illi credere ausus esset. Ex dictis colligere possumus, ipsum Ieroboam priùs fuisse adolescētem bonæ expectationis; deinde, ex quo factus fuit Præfectus super domum Ioseph, euasisse in virum fortem & potentem: fortem inquam viribus & animi constantia; & potentem, vel quia in dicta Præfectura admodum ditatus esset; vel quia fortè etiam fuerit potens in sermone, ac proptereà magnæ existimationis in populo. Et denique (Deo sic disponente ac permittente ad vindictam transgressionum Salomonis) eumdem Ieroboam immemorem beneficiorum sibi à Rege collatorum, cœpisse eidem aduersari, non quidem (vt creditur) armorum vi; (quid enim pænè priuatus vir aduersus Regem adeò potentem moliri potuisset?) sed lingua: priùs clàm & callidè admodum regiis iussionibus detrahendo, magnasque in populo querimonias de Rege (prout sese illi offerebant occasiones) excitando, aut fouendo; puta quòd nimis grauaret subditos tot tantisque tributis & exactionibus, vt suo luxui atque inexplebilibus cupiditatibus satisfaceret; præsertim verò in tantis tamque magnificis fabricis superfluè extruendis. Valdè autem opportunam nactum se esse occasionem existimauit disseminādi eiusmodi murmurationes, & commouendi populum, quando Salomon iussit coæquari voraginem, quæ erat valdè profunda, inter Sion ciuitatem Dauid & ipsam Ierusalem: & multò magis, quando posteaquam maxima illa vorago ingentibus impensis impleta est, & redacta in plateam valdè grandem, (extendebatur namque à Porta piscium Occidentem versus, vsque ad Portam aquarum spectantem ad Orientem) voluit eam insuper sumptuosissimis circumquaque ædificiis exornari. Puto autem dictam voraginem (quam posteà Iosephus lib. 6. de Bello cap. 6. vocat Tyropœon) ex quo immensis pænè aggeribus repleta fuit, deinceps Mello (quæ vox Hebraicè idem sonat ac Latinè Repletio) fuisse nuncupatam; vnde Chaldaica Paraphrasis pro eo quod editio Vulgata habet *& ædificauit Mello,* ipsa legit, *& ædificauit aggerem.* occasione inquam accepta ex tot tantisque sumptibus quos faciebat Salomon, quærebat Ieroboam auertere animos Israëlitarum à Rege, sensimque seditiones aduersus ipsum excitare. Cùm verò tandem vsqueadeò populares susurrationes increuissent, vt iam ampliùs Regem latere non possent; credibile est, ipsum Salomonem non mediocres perpessum esse molestias, maximè cùm sedare obloquentium multitudinem non valeret, & auctorem tantæ commotionis ignoraret: contrà verò Ieroboam, quò magis videret populum tumultuare, eò audaciorem fieri. Quid plura? tanta animi elatione tandem correptus est, vt ad regnum quoque aspirare cœperit, atque hisce artibus ad ipsum aliquando peruenire se posse non desperaret: quod planè indicant verba illa Ahiæ Prophetæ superiùs relata: *Et regnabis super omnia quæ desiderat anima tua.* Posteà verò quàm Prophetæ oraculo de regno adipiscendo certior factus est; quis dubitet, ipsum apertiùs fidentiusque non fuisse veritum partes populi

QVOMODO ADVERSARI COEPERIT SALOMONI.

puli suscipere defendendas, atque aduersus Salomonem, quantum posset, iuuandas? Indeque factum esse, vt & ipse quotidie in oculis populi acceptior fieret; & Rex, his auditis (quod non nisi per hæc circiter tempora accidisse reor) tentauerit illum occidere; ideoque tandem compulsus sit, vt iram Regis declinaret, in Ægyptum fugere, ac ibidem vsque ad obitum Salomonis morari: illo autem mortuo rediisse in Ierusalem, & denuò induxisse populum vt interpellaret Regem Roboam pro tributorum diminutione; alioqui, &c. vt infrà suo loco dicetur. Patet itaque, quòd aduersarij Salomonis, tametsi donec ipse vixit, regnum ei auferre non quiuerint; diuina sic disponente prouidentia, in gratiam Dauidis patris sui iusti: attamen dubium non est, quin eidem valdè admodum molesti fuerint, ipseque ab eis in postremis vitæ suæ annis mala plurima, foris seditiones, intus timores, periculaque non leuia, pertulerit; quæ facilè mortem ei accelerare potuerint, ita exigente pessima eius à Domino auersione, post tot præsertim ab eo accepta beneficia. Quare, quod de Salomone & Israële dictum est 3. Regum cap. 4. vers. 24. *Et habebat pacem ex omni parte in circuitu: habitabatq; Iuda & Israel absque timore vllo, vnusquisque sub vite sua, & sub ficu sua, à Dan vsque Bersabee, cunctis diebus Salomonis*; proculdubiò illud *cunctis diebus*, non absolutè accipiendum est, sed respectiuè, tamquam si dictum esset: cunctis diebus quibus ipse Salomon vixit, in cultu veri Dei permanens.

AB ORBE CONDITO ANNVS 3059.	QVINTÆ MVNDI ÆTAT. ANNVS 37.

1. SVB finem anni quadragesimi, ex quo regnare cœperat, mortuus est Salomon, Hebræorum Rex, omnium qui fuerunt sapientissimus atque opulentissimus, relicto Roboam filio labantis regni herede; sepultusque est in ciuitate Dauid patris sui: 3. Reg. cap. 11. in fine, & 2. Paralip. in calce capitis 9. Illud verò mirabile fuit in hoc Rege, quòd quantumuis à Domino valdè dilectus fuerit, ac multis eminentissimisque donis cumulatus; & quod maius est, tam multa sanctissimè scripserit, quæ vsque hodie in Sacrorum librorum Canone meritò registrata habentur: ita tamen vitæ suæ finem conclusit, vt vel inter reprobos computandus sit, cùm S. Augustino qui super Psal. 126. ait: *Ipse Salomon mulierum amator fuit, & reprobatus est à Deo.* & lib. 17. de Ciuit. c. 20. de eodem Salomone dicit: *Hic bonis initiis malos exitus habuit.* & cum S. Gregorio qui lib. 2. Moral. cap. 2. *Hinc est*, inquit, *quòd Salomon, qui sapientiam non perseueraturus accepit, in somnis hanc & de nocte accepisse describitur.* Vel certè (vt alij sentiunt, & nos paulò pòst probabimus) omnino incertam ac valdè dubiam salutis suæ opinionem reliquerit. Etenim, tametsi hactenus à pluribus grauissimisque Auctoribus ex professo acriter disputatum sit, num reverà tandem Salomon resipuerit, nec ne; adhuc tamen sub iudice lis est, propter valida quæ hinc inde adferri solent argumenta, de quibus omnibus accuratè hìc agere superfluum videtur. præsertim cùm huius generis Scriptores, quamuis alij magis in vnam, alij magis in alteram partem propendeant; omnes tamen, qui maioris sunt auctoritatis, fateantur, hoc esse problema indifferens, hactenusque indecisum, & propterea neutram eius partem sine temeritatis vitio pro erronea haberi damnaríve posse. Videat qui volet singulorum opiniones apud Ioannem de Pineda lib. 8. de Rebus Salomonis cap. 1. diligentissimè collectas fusiusque relatas, & intelliget ipsos adeò esse varios & inter se diuersos, vt si ipsorum dumtaxat auctoritates quis attendat, non autem fundamenta ex Sacro præsertim textu hausta benè perpendat, nihil certi concludere possit. & multò minùs ex Hebræorum assertionibus, vtpote quæ tamquam sine conuenienti probatione prolatæ, & veluti ex proprio capite confictæ, communiter vt falsæ & commentitiæ à cordatis Auctoribus reiici soleant.

SALOMONIS OBITVS.

INCERTA SALVS.

2. Verùm quia fortè curiosus Lector aliquid saltem ac breuiter hoc loco de salute Salomonis expectat, ne plura alibi exquirere cogatur, & res ita se habet, vt sine diuina reuelatione sciri posse non videatur; nullaque certior sit ea, quæ in Sacro eloquio habetur: propterea visum est paucis hìc sacræ Scripturę loca proferre, vnde huius quæsiti responsa peti ac deduci solent; adiectis pariter ipsorum ad vtramque partem expositionibus; iudicium verò Lectoris prudentiæ relinquere. Si tamen illud inprimis pro constanti præmiserimus, in confesso esse apud omnes, Salomonem in senectute sua grauiter admodum deliquisse; non solùm peccato inobedientiæ, accipiendo sibi plures vxores alienigenas contra expressum Domini præceptum Exod. cap. 24. vers. 16. & Deuter. cap. 17. vers. 17. verumetiam peccato idololatriæ, vt patet 3. Reg. cap. 11. vers. 1. vsque ad 14.

DE EIVS SALVTE CONTROVERSA.

ad 14. quod certè inter maxima quæ committi possunt delicta computari solet. Itaque illud tantùm inter Auctores dissidet, quòd aliqui ipsum tandem pœnituisse putant, aliqui verò nequaquam, plures autem id incertum esse affirmant; & nihilominùs suam vnusquisque sententiã ex iisdemmet potissimùm sacræ Scripturę locis elicere visus est. Primus ergo (vt iuxta ordinem litteræ procedamus) locus sacer est, qui habetur 2. Reg. cap. 7. vers. 12. vsque ad 17. vbi inter diuinas pollicitationes Dauidi factas hæc leguntur: *Cùmque completi fuerint dies tui, & dormieris cum patribus tuis, suscitabo semen tuum post te, quod egredietur de vtero tuo, & firmabo regnum eius. Ipse ædificabit domum nomini meo, & stabiliam thronum regni eius vsque in sempiternum. Ego ero ei in patrem, & ipse erit mihi in filium: qui si iniquè aliquid gesserit, arguam eum in virga virorum, & in plagis filiorum hominum. Misericordiam autem meam non auferam ab eo, sicut abstuli à Saul, quem amoui à facie mea. Et fidelis erit domus tua, & regnum tuum vsque in æternum ante faciem tuam, & thronus tuus erit firmus iugiter.* hactenus verba Sacri textus. Quędam etiam his similia repetita habemus 1. Paralip. cap. 22. vers. 10. & in Psal. 88. vers. 27. vsque ad 35. Ex quibus locis quidam colligunt, Salomonem pœnituisse; tum propter illa verba, *Arguam eum in virga virorum, & in plagis filiorum hominum*, quæ castigationes dumtaxat temporales indicare videntur; tum etiam propter illa quæ sequuntur, *Misericordiam autem meam non auferam ab eo*; quæ vtique pœnitentiam in ipso supponunt, sine qua nullus peccator misericordiam diuinam consequi valet. Alij verò contrà dicunt, verba citata non de Salomone, qui de Dauide viuente natus est; sed de Christo filio, hoc est postero Dauidis, qui longè post mortem eius erat suscitandus, esse accipienda. Ipsi namque Christo perfectiùs competunt quæ ibi dicuntur de regni firmitate atque æternitate, de singulari illa filiatione Dei, de domo ædificanda Deo, quæ est eius Ecclesia, & eiusmodi alia. Nam quæ ibidem adiiciuntur: *Qui si iniquè aliquid gesserit*, &c. videntur etiam posse accipi vel de ipso Christo, qui in se suscepit peccata nostra, ac pro his temporaliter fuit punitus; vel de corpore eius mystico, hoc est, de fidelibus, qui sunt membra eius. Vnde in Psal. citato vers. 31. hoc idem non de ipsius Christi, sed de filiorum eius spiritualium iniquitatibus explicatiùs declaratur illis verbis: *Si autē dereliquerint filij eius legem meam, & in iudiciis meis non ambulauerint; si iustitias meas profanauerint, & mandata mea non custodierint; visitabo in virga iniquitates eorum, & in verberibus peccata eorum; misericordiam autem meam non dispergam ab eo, neque nocebo in veritate mea.* Quòd si quis etiam ipsi Salomoni tamquam Christi typum gerenti, dictam misericordiam repromitti contendat: dicunt, memoratam promissionem vel necessariò debere subintelligi fuisse conditionalem, videlicet, si ad cor redierit, & dignos pœnitentiæ fructus egerit; vel non esse intelligendam de misericordia qua remittuntur peccata: hæc namque semper veram præsupponit pœnitentiam, qua posita, nemini à Deo aufertur peccatorum remissio, ipsomet per Ezechielem cap. 18. vers. 21. dicente: *Si impius egerit pœnitentiam, vita viuet.* sed de misericordia qua interdum pœnæ temporales remittuntur, vel minuuntur, vel differuntur, vt planè (inquiunt) indicant verba ibidem sequentia, videlicet: *Sicut abstuli à Saul, quem amoui à facie mea.* tamquam si dicere voluisset: Si Salomon non peccauerit, stabiliam regnum eius in domo sua in æternum: (sumpta hîc ęternitate pro quadam valdè longa temporis duratione) si autem peccauerit, puniam quidem eum pro modo culpæ, sed non auferam ab eo regnum sicut abstuli à Saule; sed diuidam illud, & quamdam eius partem tantùm tradam posteris eius, propter Dauid patrem eius, cui promisi conseruare successionem regni in domo sua. Et huic similis est illa misericordia, quæ eidem Salomoni à Domino explicitè declarata fuit 3. Reg. cap. 11. vers. 12. & 13. illis verbis: *Verumtamen in diebus tuis non faciam, propter Dauid.* & quæ sequuntur. Alter Scripturæ locus est 2. Reg. cap. 12. vers. 24. vbi de Bethsabee matre Salomonis dicitur: *Quæ genuit filium, & vocauit nomen eius Salomon, & Dominus dilexit eum.* & paulò pòst de Nathan Propheta eiusdem Salomonis institutore subditur: *Et vocauit nomen eius, Amabilis Domino, eò quòd diligeret eum Dominus.* Ex quibus locis aliqui colligunt, Salomonem esse saluum: siquidem verus amor Dei erga nos, est prima causa nostræ salutis æternæ. & consequenter inferunt, ipsum Salomonem post peccata resipuisse. At verò alij econuersò dicunt, Deum quidem valdè dilexisse Salomonem donec bonus fuit; ei enim tamquam filio charissimo multa bona temporalia, & gratias gratis datas in præsenti vita contulit: verumtamen post lapsum & increpationem ei factam, suscitasse ipsi Salomoni aduersarios (vt 3. Reg. cap. 11. vers. 14. & sequentibus describitur) eumque deinceps vsque ad vitæ finem afflixisse, quemadmodum nos sub anno mundi 3058. num. 1. diximus. & hinc deducunt, ipsum impœnitentem obiisse; præsertim

cùm

cùm ibi increpatio describatur, pœnitentia verò nequaquam. Tertius Scripturæ locus est proximè memoratus, videlicet 3.Reg. cap. 11. vers.11. & sequentibus. Ex quo quidam deducere conantur, Salomonem tunc pœnituisse, quando à Domino redargutus atque increpatus fuit: quia promittit ibi Deus se non ablaturùm à Salomone regnum donec viueret, & insuper post eius mortem daturum partem regni filio, & posteris ipsius, propter Dauid patrem suum. Ergo (inquiunt) tunc Salomon resipuisse videtur, & Dominus eidem, in gratiam Dauidis, pepercisse; alioquin, ad quid impœnitenti bona promittere? & quid profuisset Dauidi, quòd Salomon filius eius non amitteret regnum terrenum, si amissurus esset cæleste? Neque pœnitentiæ Salomonis (subiungunt) obstat, dicere, quòd ipse fana atque altaria, quæ idolis erexerat, minimè diruerit; quia credendum est, vel id iusta aliqua de causa non fecisse (quemadmodum & Manasses, cuius etiam aræ cum his quæ fecerat Salomon, leguntur destructæ postmodum fuisse à Iosia 4.Reg.cap.23.vers.12.& 13.) vel quòd vterque altaria à se facta demolitus sit, sed eadem posteà ab aliis Regibus idololatris fuerint reædificata, retento tamen prioris conditoris nomine, ac demum ab ipso Iosia omnino fuisse abolita. Alij verò negant, Salomonem pœnituisse; & dicunt, Deum quidem in gratiam parentum bonorum aliquando etiam filiis malis bona quædam temporalia conferre solitum esse, quemadmodum fecit Roboamo in gratiam Dauidis aui sui, 3.Reg.cap.15. vers.4. & aliis; non autem salutem æternam, nisi resipiscant. Quòd autem Salomon non resipuerit, probant, quia nulla veræ conuersionis signa reliquit, & Scriptura sacra nullibi eum excusat, quòd delubra & simulacra, quæ demoliri debuerat, non aboleuerit, aut aboleri saltem appropinquante morte mandauerit; neque constat de vllo rationabili impedimento: quin potiùs, cùm ipse esset potentissimus, & subditi eius non adhuc essent idolis valdè addicti; videtur facilè & absque vllo negotio (si voluisset) id præstare potuisse vel etiam ad tollẽda scandala, quæ pernicioso nimis exemplo suo induxerat, debuisse. Quod non militat in Manasse, qui non erat adeò potens, & cuius tempore iam valdè populus à Domino recesserat: & de Manasse quidem, quem Scriptura sacra pœnituisse testatur, credi potest quòd vel non potuerit altaria omnia destruere, vel quòd eadem ab impio Amone filio suo fuerint reædificata; de Salomone autem non item, quia nullibi (aiunt) eius pœnitentia in sacro eloquio exprimitur. Quartus Scripturæ locus est in eodem 3.Reg. cap. 11. in fine, vbi Salomon dicitur dormisse cum patribus suis, & sepultus in ciuitate Dauid. Quod & repetitur 2.Paralip.cap.9. in fine, & Ecclesiastici c.47. vers.26.legimus: *Et finem habuit Salomon cum patribus suis.* Hæc autem quibusdam visa sunt dici consueuisse non nisi de Regibus bonis; & propterea eadem pro se adducunt ad salutem Salomonis confirmandam. Quamuis alij hoc argumentum facilè eludant, adducentes exempla aliorum Regum idololatrarum, puta Roboami, Abiæ & Achaz, de quorum obitu mentionem faciens Scriptura sacra, iisdem pænè verbis vtitur 3.Reg. cap. 14.in fine, & cap.15.vers.8.& 4.Reg.cap. 16.in fine. Quintus locus est 2.Paralip. cap.11.vers.17.vbi legimus: *Ambulauerunt enim* (supple, Iudæi) *in vijs Dauid & Salomonis.* Quo in loco non minùs videntur probari viæ Salomonis quàm Dauidis, licet vterque peccauerit. Ergo (arguunt) non minùs ille quàm iste pœnituit, & salutem consecutus est. Sed qui eiusdem Salomonis salutem impugnant, dicunt citatum textum esse accipiendum de viis Salomonis prioribus, non posterioribus, quemadmodum necessariò accipi debet textus 4.Reg.cap.21. vers.20. vbi de Amon dicitur, quòd *fecit malum in conspectu Domini, sicut fecerat Manasses pater eius.* subaudi, in prioribus regni sui annis. Sextus locus est Prouerb. cap.24. post medium, vbi in LXX. Interpretum editione disertis verbis sic dicitur: *Nouissimè ego egi pœnitentiam: respexi vt diligerem disciplinam.* Et hic locus, qui etiam ita citatur à S.Hieronymo super Ezechielis cap.43. maximè omnium fauet saluti Salomonis. Si enim ipsemet testatur se egisse pœnitentiam; quis dubitare audeat de eius salute? Verumtamen non desunt, qui locum illum intelligendum esse asserunt non de pœnitentia cultus idolis adhibiti, quem putant post illius libri scriptionem contigisse, sed negligentiæ excolendi animum bonis disciplinis. Et hoc vtique (inquiunt) planè indicant verba præcedentia, quæ sic habent: *Tamquam ager, vir imprudens, & tamquam vinea, homo egens sensu: si dimiseris eum, desertus fiet, & siluescet totus, & fit derelictus, sepes autem eius defodientur,* &c. ac si dicere voluisset: Quia cognoui, quòd sicuti ager & vinea viri socordis facilè siluescit propter debitæ culturæ defectum; ita animus hominis pigri & imprudentis nihil boni proferre valet: ideò proposui animum meum bonis artibus atque institutis erudire. & hoc idem clariùs exprimit editio Vulgata, quæ pro illis verbis, *Egi pœnitentiam,* vertit, *Posui in corde meo.* & totam illam sen-

tentiam hisce verbis exponit: *Per agrum hominis pigri transiui, & per vineam viri stulti; & ecce totum repleuerant vrticæ, & operuerant superficiem eius spinæ, & maceria lapidum destructa erat. Quod cùm vidissem, posui in corde meo, & exemplo didici disciplinam*, &c. Septimus Scripturæ locus est Prouerb.cap.30.vers.2.& 3.vbi hæc leguntur: *Stultissimus sum virorum, & sapientia hominum non est mecum. Non didici sapientiam, & non noui scientiam Sanctorum.* Quibus verbis quidam putant Salomonem deplorare ac detestari scelus idololatriæ quod commiserat; tamquam si dicere voluisset: O me stultissimum virorum, qui non custodiui sapientiam, quam non laboribus acquisiui, sed à Deo mirabiliter infusam accepi, quin potiùs carnalibus addictus concupiscentiis, & idolis seruiens, eam quodammodò stultissimè amisi. Alij verò dicunt, verba illa non esse Salomonis, sed cuiusdam Agur filij Iache, qui ibidem sic loqui à Salomone inducitur: nam quod initio illius capitis Vulgata editio vertit, *Verba Congregantis filij Vomentis*; Hebraica lectio habet, *Verba Agur filij Iache.* volunt ergo hæc fuisse nomina virorum propria, pro quibus Latinus Interpres, verborum significationem attendens, posuit, *Congregantis* & *Vomentis*. Et quòd ita sit, etiam confirmant, quia in textu Romæ recognito & excuso, hæc nomina (quod aliàs factum non fuisset) scribuntur cum primis ipsorum litteris maiusculis; nimirum vt per hoc denotarent, ea esse (vt diximus) nomina virorum propria. Et præterea addunt, quòd rem magis declarãs ibidem Sacer textus prosequitur dicens: *Visio quam locutus est vir cum quo est Deus, & qui Deo secum morante confortatus, ait: Stultissimus sum*, &c. Ecce quòd ibi Auctor illius libri, hoc est Salomon, refert verba dicti Agur, qui de suiipsius cognitione à Deo illuminatus, dicebat: *Stultissimus sum virorum*, &c. Quod & adhuc magis comprobant quædam in eodem capite posita, quæ à Salomone dici debuisse non videntur, quale est illud: *Mendicitatem & diuitias ne dederis mihi; tribue tantùm victui meo necessaria.* quæ nimirum petitio viri tenuis potiùs, quàm ditissimi & opulentissimi fuisse videtur. At si quis contendat, omnia in dicto capite contenta, fuisse ab ipso Salomone prolata; dicunt, ipsum Salomonem ex propria humilitate se stultissimum appellare non erubuisse, vt indicaret, sapientiam humanam quantumuis magnam, dici posse stultitiam, si cum Dei & Angelorum seu Sanctorum sapientia comparetur, iuxta illud 1.ad Corinth. cap.3.vers.19. *Sapientia huius mundi stultitia est apud Deum.* Et per illam petitionẽ, *Mendicitatem & diuitias*, &c. docere nos voluisse, quid magis à Deo petere debeamus. & in summa, nihil in citato Prouerb.capite de Salomonis pœnitentia indicari. Octauus Scripturæ locus est Ecclesiastæ cap.2. vers.11. vbi Salomon de seipso ita dicit: *Cumq; me conuertissem ad vniuersa opera quæ fecerant manus meæ*, &c. *vidi in omnibus vanitatem.* Quibus verbis quidam insinuari putant Salomonis pœnitentiam, & conuersionem à viis suis malis, & præcipuè ab idololatria ad veri Dei cultum. Quinetiam addunt nonnulli, totum Ecclesiastæ librum à Salomone pœnitentiam agente fuisse compositum. Et quidem, si probari omnino posset, libros Ecclesiastæ & Prouerbiorũ à Salomone post fabricata idolis templa fuisse conscriptos, res pro Salomonis salute clara esset: siquidem multa in eisdem libris contenta, ad finalem ipsius Salomonis pœnitentiam demonstrandam accommodari possent: verùm quia id ex nullo Scripturæ loco conuinci posse videtur; quin potiùs multò rationabiliùs de opposito possumus suspicari: quandoquidem certum est, quòd iam senex erat Salomon quando deprauatum est cor eius per mulieres vt sequeretur coleretque deos alienos, & ædificaret eis fana, vt latè describitur 3.Reg.cap.11.vers.4. vsque ad 15. nec probabile est, quòd post vitam in tot tantisque lasciuiis atque impietatibus per plures annos (quemadmodum sub anno mundi 3054.num.1. probauimus) traductam, in vltimo demum senio adeò sanæ mentis extiterit, vt libros præsertim memoratos valdè graues, & sententiarum varietate refertos, conscribere valuerit: propterea non desunt qui putant, eosdem libros ante ipsius lapsum fuisse conscriptos, vt pro sapientia sibi à Deo data, nos erudiret de huius mundi vanitatibus abdicandis, ac de his inquirendis atque amplexandis, quæ ad salutem æternam consequendam conferre possent. Quod tamen ipse (inquiunt) seductus à mulieribus, implere neglexit; non secus ac fabri illi, qui olim Noëticæ arcæ fabricam ædificare, nec posteà in eam intrare curarunt. Per ea verò, quæ loco Ecclesiastæ superiùs citato Salomon se fecisse testatur, intelligunt, non peccata, sed eximia illa magnificentiæ suæ opera cunctis admiranda, quæ ibidem paulò antè retulerat, & illa item de quibus nos sub anno mundi 3043. num. 10. & sequentibus latè disseruimus. Nonus Scripturæ locus est Matth.cap.1.vers.6. vbi Salomon ponitur in genealogia Saluatoris: quamobrem aliqui arbitrantur ipsum esse saluum. durum namque ipsis videtur, aliquem damnatum poni inter Christi maiores. Sed hoc nihil-

nihil facit ad salutem Salomonis comprobandam: quandoquidem certum est, alios idololatras & peccatores in eadem genealogia esse recensitos, cuiusmodi sunt Achaz, Amon,& alij. Et hoc (quemadmodum super cap. Matth. adducto dicebat S. Hieronymus) *vt qui propter peccatores venerat, de peccatoribus nascens, omnium peccata deleret.* Ad decimum Scripturæ locum spectant omnes Salomonis libri in sacro Canone positi, quos S. Ecclesia recipit ac veneratur;& consequenter videtur eum non inter damnatos, sed inter salutem consecutos ponere; alioquin oporteret fateri, ipsam Ecclesiam recipere ac probare doctrinam viri nequaquam inter eius membra connumerati. Ad quod alij respondent, Deum aliquando etiam per malos bona & vera loqui, vt patet de Balaam ariolo,& de Caipha Pontifice,& aliis: nec esse inconueniens, quòd dicta & scripta alicuius peccatoris ab Ecclesia recipiantur, vt veritas Deo tantùm, non hominibus tribuatur; siquidem veritas, à quocumque proferatur, semper ex Deo est. Addunt prætereà, Salomonem, quando scripsit libros in sacro Canone registratos, fuisse bonum,& non ex proprio sensu, sed ex data sibi cælitus sapientia illos conscripsisse; ac propterea sanctam Ecclesiam eos non tam à Salomone, quàm à diuina Sapientia dictatos recepisse: & hinc fortè est, quòd ipsa in Missali Romano, vbicumque loco Epistolæ legit aliquid de quouis libro Salomonis, semper in titulo ponit: *Lectio libri Sapientiæ.* Quare sicuti incertum est, num qui primum & secundum librum Machabæorũ scriptis mandarunt, inter Sanctos computandi sint, nec ne; quis miretur idem quoque de Salomone ignorari? Ceterùm, si alia sunt Scripturæ loca, in quibus referantur aliæ bonorum pollicitationes, & malorum comminationes ipsi Salomoni & Dauidi factæ, ad filios eius pertinentes; vtique illas sub conditione, si in viis Domini ambularent, vel non, pronuntiatas fuisse, certissimum est. Quo fit vt ab ipsis nihil certi de ipsius Salomonis salute deduci possit; quemadmodum neque ex eo, quòd ipse fuerit insignis quædam figura Saluatoris: nam & Saulem, & Cyrum, & alios reprobos in aliquo Christi typum gessisse, nos sub anno mundi 4018. num.8. ostendemus. Denique libri illi in Granatensi quodam monte reperti, qui (vt refert citatus Ioannes de Pineda) plumbeis laminis insculptos habent characteres Arabicos de pœnitentia Salomonis attestantes, non omnino plenam atque indubitatam fidem facere videntur: quandoquidem suspicari meritò quis potest, quòd aliqua in hisce libris impostura interuenerit, sicuti in carmine illo Sibyllino, de quo sub anno mundi 3024. num.7. dictum est: quamuis hæc detecta iam fuerit, illa verò non adhuc. Sed & aduersus huiuscemodi attestationem magis præponderat Sacer textus, qui 3. Reg. cap.11. vers.4. de Salomone ait: *Nec erat cor eius perfectum cum Domino Deo suo, sicut cor Dauid patris eius.* Quæ verba significare videntur, ipsum non conclusisse finem vitæ suæ in cultu Domini, sicuti fecerat pater eius Dauid. iisdem namque verbis 3. Reg. cap.15. vers.3. indicatur finalis Abiæ impietas. Et hoc idem de Salomone videtur confirmare Iosephus, qui 8. Antiq. cap.2. cùm de rebus ab eo gestis diligentissimè egisset, eiusdemque transgressiones ac diuinam increpationem ei factam memorasset, nihil prorsus de vera eius pœnitentia, hoc est, de dolore ob Dei offensam concepto meminit; sed tantummodò ait, quòd audita Dei increpatione, *perturbatus indoluit, omni felicitate, qua hactenus suspiciebatur, in contrarium vergente.* planè indicans, ipsum non de culpa contristatum esse, sed de imminenti pœna. Et post pauca subdit Iosephus, res Salomonis labare cœpisse, Deo impietatem eius non ampliùs ferente. Sed & ipse Dauid pater eius videtur satis apertè prænuntiasse diuinam reprobationem ipsi Salomoni, quando sic eum (1. Paralip. cap.28. vers.9.) allocutus est: *Tu autem Salomon fili mi, scito Deum patris tui, & seruito ei corde perfecto, & animo voluntario: omnia enim corda scrutatur Dominus, & vniuersas mentium cogitationes intelligit. Si quæsieris eum, inuenies: si autem dereliqueris eum, proiiciet te in æternum.* hæc ille. Si ergo ex Scriptura sacra (vt probatum est) constat, Salomonem dereliquisse Dominum; & probari non potest, quòd ad eum posteà redierit; quid aliud suspicandum restat, nisi quòd ipsum Deus, vt Dauid prædixerat, à se in æternum proiecerit? Itaque, vt rem paucis expediamus, cùm ex nullo Sacro textu, neque ex vlla alia diuina reuelatione probata, atque ab Ecclesia recepta certò sciri possit, num Salomon tandem resipuerit, & à Domino veniam impietatum suarum impetrauerit: proculdubiò (quidquid alij dixerint) puto de eius salute magis esse timendum, quàm sperandum; vel certè nihil verius hac in re pronuntiari posse, quàm quòd huius viri salus (vt à principio præsentis disputationis dicebamus) est omnino incerta. Idque non sine diuina prouidentia factum credimus, vt scilicet hoc tam insigni exemplo disceremus, neminem ex multitudine ac magnitudine donorum Dei in hac vita, sine speciali reuelatione diuina, debere sibi salutis æternæ

securitatem polliceri; neque in eiusmodi gratiis gratis datis plus iusto confidere: quin potiùs cogitare, quòd arbores quò sunt excelsiores, nisi altiùs quoque radices figant, multò facilius quàm humiliores, à ventis validioribus prosterni solent; & propterea nihil esse vtilius, quàm in sancto Dei timore iugiter persistere; & (vt benè S. Iacobus Apostolus in sua Catholica cap. 1. in fine monet) *immaculatum se custodire ab hoc sæculo*; & (vt non minùs sapienter nos hortatur Princeps Apostolorum S. Petrus Epistola 2. cap. 1. vers. 10.) magis satagere, vt per bona opera certam nostram vocationem & electionem faciamus. Sed vt eò tandem nostra reuertatur vnde declinauit oratio,

SALOMONIS LAVDATIO AC VITVPERATIO. QVOT ANNIS REGNAVERIT AC VIXERIT.

2. Huius Regis laudes breuiter perstringuntur Ecclesiastici cap. 47. vers. 14. vsque ad 21. sed ibidem protinus subiungitur eiusdem suggillatio illis verbis: *Dedisti maculam in gloria tua.* & quæ ibidem sequuntur. Ceterùm, Salomonem regnasse annis quadraginta, apertè testatur Scriptura cap. Reg. citato vers. 42. & item cap. Paralip. adducto vers. 30. Quòd autem vixerit annis sexaginta quattuor, ipsa annorum series, quam sacræ Scripturæ locis comprobatam, ab anno mundi 2987. in quo cœperat Dauid regnare in Ierusalem, hucusque digessimus, manifestè ostendit; quæ etiam in tabulis compendiosiùs videri potest. Idem quoque confirmari poterit ex his quæ sub anno mundi 3004. num. 2. de hisce annis disputauimus: inde enim colligere licebit, natiuitatem Salomonis non posse poni ante neque post decimumseptimum regni Dauidis annum, à cuius initio vsque ad obitum Salomonis, perspicuè intersunt anni sexaginta quattuor, nimirum viginti quattuor, qui reliqui erant regni Dauidis, & quadraginta regni eiusdem Salomonis. Vnde patet, falsas omnino esse atque erroneas, duas quæ de annis vitæ Salomonis circumferuntur, opiniones; quarum altera fuit Rabbi Salomonis, qui vt refert Abulensis super 3. Reg. cap. 11. quæst. 14. putat Regem Salomonem vixisse annis dumtaxat quinquaginta & vnum, vel duos, genuisseque Roboamum anno vitæ suæ decimo vel vndecimo; quæ positio à nobis confutata fuit sub anno mundi 3018. num. 1. Cui opinioni similis fuisse videtur illa, quam ex Eupolemo refert Eusebius libr. 9. de Præparatione Euangelica cap. 4. versus finem, vbi ait, Salomonem annos tredecim natum, cœpisse Templum Dei ędificare. Quod ex supradictis pariter ruere necesse est. Altera opinio, prædictæ valdè contraria, fuit Iosephi 8. Antiq. cap. 2. in calce, quem sequitur Auctor Historiæ Scholasticæ 3. Reg. cap. 27. in fine. isti tenent, Salomonem regnasse octoginta annis, vixisse verò nonaginta quattuor. Sed hos pluribus refellit Abulensis vbi suprà, & meritò; quandoquidem ipsorum opinio Scripturæ sacræ prorsus aduersatur, quæ 3. Reg. cap. 11. vers. 42. & 2. Paralip. cap. 9. vers. 30. testatur, Salomonem regnasse annis tantummodò quadraginta. Quod autem ibidem subdit citatus Historiæ Auctor, nimirum, Scripturam sacram eos tantùm annos exprimere, quibus regnauit antequam præuaricari cœperit, gratis dicitur: nam licet 3. Regum cap. 3. vers. 14. promittat Dominus longos facere dies vitæ Salomonis; non tamen id absolutè pronuntiat, sed cum hac conditione, Si tamen, inquit, ambulaueris in viis meis, & custodieris præcepta mea, sicut pater tuus. quod Salomon nequaquam præstitit. Itaque cessante conditione, debuit quoque cessare promissio; & consequenter conuenientissimum fuit, quòd non diutiùs, sed minùs viueret quàm pater eius. Reliqua verò Salomonis gesta scripserunt Nathan Propheta, & Ahias Silonites, & Addo Videns, vt habetur 2. Paralip. cap. 9. vers. 29. Verumtamen horum scripta temporum iniuria perierunt. Huius Regis temporibus aliqui putant in Græcia floruisse Homerum Poëtam illustrissimum, cuius poëmata adhuc extant. Sed de huius viri tempore tam varia est Scriptorum sententia (vt quiuis videre potest apud Pererium super cap. 2. Exod. num. 16. vbi plures de hac re Auctorum opiniones profert) vt non facile sit determinare, quonam Hebræorum Regum tempore vixerit.

EIVS GESTA QVI SCRIPSERINT.

AB ORBE CONDITO ANNVS 3060. | QVINTÆ MVNDI ÆTAT. ANNVS 38.

REGNAT ROBOAM IN IVDAEA.

1 ANNO proximo inchoante, Roboam successit in regnum pro Salomone patre suo: 3. Reg. cap. 11. in fine, & 2. Paralip. in calce capitis 9. *Quadraginta & vnius anni erat Roboam cùm regnare cœpisset, & decem ac septem annis regnauit in Ierusalem:* 3. Reg. cap. 14. vers. 21. & 2. Paralip. cap. 12. vers. 13. Quæ autem circa initia anni primi regni eius contigerint, hæc sunt: Israëlitæ, qui contra Regem Salomonem concitati fuerant à Ieroboam filio Nabat, quemadmodum sub anno mundi 3058. num. 2. dictum est; statim, audita morte Salomonis, miserunt in Ægyptum, vbi profugus

gus manebat Ieroboam,& reduxerunt eum in terram Iſrael. Cùm autem ſtatuta die veniſſet Roboam in Sichem,vbi cōuenerat omnis Iſrael, vt de more ſollemniter vngerent,conſtituerentque,& acceptarent eum in Regem; ecce principes memoratæ ſeditionis duce Ieroboam venientes ad Roboam,nomine totius populi poſtulant, vt ante omnia minuat iugum, hoc eſt tributa quæ impoſuerat eis Salomon pater eius. Quibus Rex,ſumpto ad deliberandum trium dierum interuallo, poſt triduum (irato Deo, vt Ahiæ vaticinium impleretur) relicto ſaniori ſeniorum conſilio, de iuniorum ſententia cùm duriùs reſpondiſſet, concitatus eſt populus; & illicò deficientes decem tribus, adeò pertinaciter à progenie Dauidis receſſerunt, vt non modò placari vmquam potuerint,verumetiam Aduram regium Quæſtorem à Roboam miſſum, qui de aliqua tributorum moderatione cum eis ageret,ne audire quidem ſuſtinētes,eum, œſtro veluti furore perciti, lapidibus obrutum interemerint. Quamobrem feſtinus Rex rediit in Ieruſalem,quem primò quidem ſecuta eſt ſola tribus Iuda, non multò verò pòſt etiam tribus Beniamin: reliquæ verò decem, in Sichem conſtituerunt ſibi Regem Ieroboam filium Nabat,quemadmodum multò anteà prophetauerat Ahias Silonites. Quod vt audiuit Roboam,congregauit centum octoginta millia bellatorum de Iuda & Beniamin,vt vi reduceret ſub ditione ſua reliquas tribus: verumtamen admoniti Rex exercituſque,mandante Domino,per Semeiam Prophetam, dimiſſo exercitu reuerſi ſunt omnes ad domos ſuas,vt latiùs deſcribitur 3.Reg.cap.12.verſ.1.vſque ad 25. & 2.Paralip.cap.10.per totum,& cap.11.vſque ad verſ.5. IEROBOAM REGNAT IN ISRAEL.

2. Atque ita diuino conſilio diuiſum eſt regnum Hebræorum in duo Regna: & alterum Iuda, Iſraëlis alterum dictum eſt.Duæ dumtaxat tribus,Iudæ ſcilicet & Beniamin,Roboam Salomonis filio adhæſerunt, & paruerunt ſtirpi Dauidicæ,quæ deinceps regnauit in Ieruſalem,vſque ad Babylonicam captiuitatem.Ceteræ tribus,à Ieroboam primo Iſraëlitarum Rege ad deorum ſimulacra traductæ, diuerſarum poſteà ſtirpium Reges habuiſſe creduntur. Siquidem Baaſa,qui fuit tertius Rex Iſraëlis, deleuitque totam domum Ieroboam,erat de tribu Iſſachar,vt dicitur 3.Reg. cap.15. verſ.27. Nihilominùs primaria huius regni ſedes ſemper manſit in ditione filiorum Ioſeph, videlicet primò in Sichem tribus Ephraim; deinde in Therſa tribus Manaſſe; poſtremò in Samaria,quæ poſita erat in finibus tribus Ephraim,prope tribum Manaſſe. Perdurauit verò hoc regnum vſque ad annum ſextum Ezechiæ regis Iuda,qui fuit nonus Oſee vltimi Regis Iſrael: tunc enim tranſlato Iſraële in Aſſyrios,deſiit regnum eius, vt infrà ſuo loco dicetur.Itaque Reges Iſraëlis omnes ad vnum impij idololatræque fuerunt; Iudæ verò Reges non item.Et hæc duo regna continenter ferè inter ſe bella geſſerunt, vt ſuis locis explicabitur. Obſeruandum quoq; eſt in hac Regni Hebræorum partitione,quòd de finitimis populis,qui priùs fuerant ſubditi & tributarij Dauidis &Salomonis,Idumæi & Moabitæ,aliquamdiu Hebræis poſteà ſubditi remanſerunt; illi quidem Regibus Iuda,vſque ad tempora Ioram filij Ioſaphat Regis Iuda. etenim *in diebus illis rebellauit Edom, ne eſſet ſubditus Iudæ, & conſtituit ſibi Regem,* vt legimus 2.Paralip.c.21. verſ.8. Iſti verò,videlicet Moabitæ,Regibus Iſrael,vſque ad Ochoziam filium Achab: eo enim tempore,nimirum non multò poſtquam mortuus eſt Achab,præuaricatus eſt Moab in Iſrael,fracto fœdere quod habebat cum Regibus Iſrael, vt breuiter tangitur in principio lib 4.Reg.& clariùs explicatur in eiuſdem libri cap.3.verſ.4.& 5.vbi poſteà ſubiungitur,qualiter Ioram filius Ochoziæ,nepoſque Achabi, ad vlciſcendam memoratam defectionem,aſſumptis ſibi in auxilium Rege Iuda & Rege Edom, depopulatus eſt regionem Moabitarum; Regem tamen eius,nec ciuitatem in quam ſe receperat, expugnare non potuit. De Philiſthæis verò, quòd fuerint ſub ditione Regum Iuda, colligi poteſt ex aliquot Scripturæ ſacræ locis.Nam 2.Paralip.cap.11.verſ.8.inter vrbes quas Roboam Rex Iuda ædificatas ſeu inſtaurandas, vel muniendas curauit, recenſetur etiam Geth, quæ erat vrbs Philiſthinorum.Signum ergo eſt,quòd Philiſthæi manſerant ſub eius poteſtate.Sed & eiuſdem libri cap.17.verſ.11.legimus, quòd Philiſthęi erant vectigales Ioſaphat Regi Iuda. Et 4.Reg.cap.12.verſ.17.traditur,quòd Hazael Rex Syriæ,quando ducebant exercitū contra Ieruſalem, primò expugnauit Geth, non alia vtique (vt credimus) de cauſa, niſi quia pertinebat ad ditionem Iudæorum. Oportet autem poſt mortem Hazaëlis,& poſt deuictum Benadad filium eius ab Iſraëlitis,Philiſthæos ſeſe ſubtraxiſſe non ſolùm ab imperio Syrorum,ſed etiam Iudæorum, ac ſe ipſos in omnimodam libertatem vindicaſſe; ſed poſteà iterùm ab Ozia fuiſſe ſubiugatos. Siquidem 2.Paralip.cap.26.verſ.6.&7. habemus,quòd Ozias Rex Iuda *egreſſus eſt,& pugnauit contra Philiſthiim,& deſtruxit murum Geth,& murum Iabniæ, murumq;*

REGNI HEBRAEORVM DIVISIO.

IDVMAEI SERVIERVNT IVDAEIS, MOABITAE VERO ISRAELITIS.

PALAESTINI AVTEM,

Azoti: ædificauitq; oppida in Azoto, & in Philiſthiim, & adiuuit eum Deus contra Philiſthiim; nimirum, vt eos in priſtinam redigeret poteſtatem. Et licet poſteà regnante Achaz in Iuda, ob multas eius impietates diuina permiſſione factum ſit, vt Philiſthæi non ſolùm à Iudæorum ſubiectione receſſerint, verumetiam eoſdem valdè oppreſſerint, & multis vrbibus ſpoliauerint, vt patet 2. Paralip. cap. 28. verſ. 18. vbi poſt narratam victoriam magnamque prædam, quam eodem diuino conſilio de Iudæis reportauerant Idumæi, ſubiungitur: *Philiſthiim quoque diffuſi ſunt per vrbes campeſtres, & ad Meridiem Iuda: ceperuntq; Bethſames, & Aialon, & Gaderoth, Socho quoque & Thamnan, & Gamzo cum viculis ſuis, & habitauerunt in eis*: attamen 4. Reg. cap. 18. verſ. 8. de Ezechia, qui dicto Achaz patri in regnum Iudæ ſucceſſit, dicitur, quòd *ipſe percuſſit Philiſthæos vſque ad Gazam, & omnes terminos eorum à Turre cuſtodum vſque ad Ciuitatem munitam.* id eſt, (vt exponit Abulenſis) omnia loca eorum, tam parua, qualia erant quædam turres ad cuſtodienda ſpeculandaque hoſtium confinia opportunis eminentioribuſque locis diſpoſitæ, quàm magna, cuiuſmodi dicebantur erantque ciuitates munitæ. Ex quibus profectò omnibus fit manifeſtum, Philiſthæos à prædicta Iſraëlitici regni diuiſione ferè ſemper fuiſſe ſubiectos Regibus Iuda, ſaltem vſque ad tempora Ezechiæ: & probabile eſt idem dici poſſe de poſterioribus quoque temporibus, vſque ad obſeſſam à Chaldæis Ieroſolymam: nuſquam enim reperimus, eos deinceps à Iudæis receſſiſſe, niſi tempore dictæ obſidionis, vt ſub anno mundi 3446. num. 7. dicemus. De Ammonitis autem idem ferè dicendum videtur: nam eos pertinuiſſe non ad regnum Iſrael, ſed Iuda, & aliquando Iudæis fuiſſe ſubiectos, inde poſſumus coniicere, quòd certū eſt ipſos à Ioathan Rege Iuda armis fuiſſe ſuperatos, & ad præſtanda ei quotannis tributa coactos, vt nos ſub anno mundi 3278. num. 2. ex ſacra Scriptura probabimus. At verò ciuitates quas poſſederant Dauid & Salomon in Syria, puta Damaſcus, & aliæ in terra Emath Syriæ Soba, iam occupatæ fuerant poſtremis regni Salomonis temporibus à Razon illo, de quo ſub anno mundi 3058. num. 1. diximus, quòd de principe latronum poſteà in Damaſco Rex factus fuerat.

ET AMMONITAE IVDAEIS.

SIMEONITAE, RELICTA TERRA EORVM, DISSEMINANTVR INTER ALIAS TRIBVS ISRAELITICAS.

3. Credimus autem (quemadmodum ſub anno mundi 2345. num. 6. tactum fuit) per hæc quoque tempora, nimirum poſteaquam ceteræ tribus, præter Iudæ & Beniamin, receſſerunt à domo Dauidis; quòd Simeonitæ, qui olim acceperant hereditatem in medio ſiue intra funiculum tribus Iudæ (vt diſertè aſſeritur Ioſue c. 19. v. 2. & 9. & nos ſub anno mundi 2591. num. 4. comprobauimus) habitabantque ad Auſtrum Iudæ, ſegregati à reliquis tribubus regni Iſraël; cùm nollent ſubiici Roboam & aliis Iudæ Regibus, ab eiſdem paulatim coactos eſſe de propriis exire ſedibus, & ſeſe diſſeminare ac diſpergere inter nouem alias tribus, quæ Regi Ieroboam & eius ſucceſſoribus parebant, vt adimpleretur vaticinium Iacob patris eorum, quod habetur Geneſ. cap. 49. verſ. 7. in hæc verba: *Diuidam eos in Iacob, & diſpergam eos in Iſrael.* Ad quod credendum, hæc me mouent. Primò, quia non videtur credibile, quòd Rex Roboam aliive Iudæorum Reges pati potuerint, eoſdem Simeonitas, qui à ſe defecerant, & ſuo recuſabant parere imperio, diu admodum permanere & habere in medio populi ſui impunè: & certum eſt, ipſos Simeonitas & numero & viribus fuiſſe Iudæis multò impares; nec illis reſiſtere, immò neque ab aliis defendi tribubus potuiſſe, tamquam procul à ſe poſitis: ac propterea, vt dixi, nihil aliud cogitare poſſumus, niſi eos, rebus ſuis conſulere ſtudentes, ſenſim inde vſque ab hoc tempore recedere, & inter ceteras Iſraelitici regni tribus, prout cuique commodum videbatur, ſeſe recipere atque immiſcere cœpiſſe: ſicque factum eſſe, vt tandem, Deo volente, inter ipſas omnino fuerint diſſeminati ac diſpertiti, eo prorſus modo quo ſanctus ipſorum pater longè antè prædixerat. Deinde, quia nuſquam legimus, tribum Simeonis ante dicti regni diuiſionem alibi, quàm in ſorte patribus eorum aſſignata, habitaſſe: poſt diuiſum verò Hebræorum regnum, ſcimus quòd Iudith, quæ erat de tribu Simeon (vt nos ſub anno mundi 3572. num. 8. oſtendemus) nihilominùs ipſa & vir eius, quem oportet fuiſſe eiuſdem tribus, habitabant in Bethulia, quæ communiter ab omnibus ponitur in tribu Zabulon. Et quod de iis certum eſt, de aliis quoque coniectari & credere ſatis probabiliter poſſumus. Denique, cùm nemo ſit qui de dicta tribu Simeon dubitet, quin aliquando diſpertita ac diſſeminata fuerit per reliquas tribus Iſrael; & nullus Scriptorum, quem ipſe viderim, afferat, vel afferre poſſe videatur aliud tempus aliámve occaſionem, in qua tale quid opportuniùs factum ſit aut fieri potuerit, certè in rebus dubiis ſemper quod probabilius eſt deligere ac recipere debemus, ſaltem, donec certius aliquid occurrat. Quòd ſi quis prædictis opponat textum 1. Paralip. cap. 4. verſ. 31. vbi poſt

post enumeratas Simeonitarum vrbes, statim subiungitur: *Hæ ciuitates eorum vsque ad Regem Dauid*. Ex quo videtur posse inferri, eosdem Simeonitas non potuisse vrbes eis olim à Iosue assignatas possidere vsque ad Roboam, sed tantummodò vsque ad Dauidem. Ad hoc dici potest, Primò cum Andrea Masio super Iosue cap. 19. Aduerbium illud Hebraicum *gnad*, quod Latinè redditur *vsque*, interdum in Sacris litteris longitudinem moræ, non finem indicare, veluti in Psalm. 70. vers. 18. *Et vsque in senectam & senium Deus ne derelinquas me*. Deinde quòd Auctor Traditionum Hebraicarum in Paralip. putat illud *vsque ad Dauid*, ideò dici, quia ipse Dauid duas Simeoniticæ sortis vrbes, nempe Siceleg & Bersabee, restituit Iudæ. Et quidem de Siceleg id apertè colligitur ex loco Reg. proximè adducendo. De Bersabee verò, vnde nam id citatus Auctor desumpserit, adhuc explorare non potui. Verùm, vtcumque res sit, certè videntur illa verba *vsque ad Dauid* ideò dicta, non quia tempore Dauidis, Simeonitæ cunctas vrbes suas amiserint; sed quia tunc primùm eas amittere cœperunt. Nam certum est, quòd ex quo Achis Rex Geth (qui fortè non multò antè occupauerat Siceleg regno suo proximam, dedit eam inhabitandam Dauidi, proculdubiò ipsa deinceps facta est Regum Iuda, vt apertè traditur 1. Reg. cap. 27. vers. 6. Nemo etiam in dubium vocet quæ à nobis hactenus dicta sunt, propter ea quæ de Simeonitis habemus. 1. Paralip. cap. 4. vers. 24. vsque ad finem capitis: vbi post enumeratas vrbes sortis ipsorum, describitur quòd Ezechiæ temporibus pars dictæ tribus, inuenta terra pro pascuis gregum suorum admodum vbere & spatiosa, profecta est in Gader, & habitauit ibi: & alia pars abiit in montem Seir, vbi percussis quibusdam Amalecitarum reliquiis ibidem existentibus, mansit. Non, inquam, hæc obstant; quia non faciunt ad rem. Nos enim quærebamus, quomodo Simeonitæ dispersi sint in Israel; non autem quomodo quidam ipsorum extra Israelis fines exierint. Clarum est enim quòd mons Seir non computabatur in terra Israel, neque terra Gader; siquidem in ipsa habitauerant quidam de stirpe Cham, vt in cap. Paralip. proximè citato vers. 40. expressum est: pro quibus non videntur accipiendi Chananæi, sed alij populi, non de Chanaan, sed de alio filio Cham progeniti. Et dato quòd memoratæ regiones contentæ essent in terra filiis Israel promissa & data; non tamen videretur repugnare prædictis, quòd aliqui Simeonitæ ditiores hoc tempore noluerint relinquere hereditatem patrum suorum; & quòd eorum posteri temporibus Ezechiæ Regis ob causam superiùs allatam, quæsierint sibi alias terras pecoribus suis alendis commodiores.

☞ 4. Ieroboam ergo Rex Israel (vt ad ipsum redeamus) circa initia regni sui ædificauit, hoc est ampliauit muniuitque vrbem Sichem, posteà etiam Phanuel; & (quod monstrosum fuit in viro præsertim Israëlita, & qui de priuato statu ad regnum à Domino elatus fuerat) ferè statim ac regnare cœpit, omnium virorum ingratissimus, non solùm ipse dereliquit Dominum; verumetiam vniuersum Israëlem ad idola colenda perduxit, & quodammodò compulit; vt propterea non immeritò Scriptura sacra, in huius facinoris execrationem, non semel per antonomasiam de isto Ieroboam repetat illa verba: *Qui peccare fecit Israel*. Etenim veritus, ne, si deinceps populus, vt anteà, ascenderet secundùm Legem ter in anno ad Templum Domini in Ierusalem, & aliàs quoque ad sacrificia offerenda, siue etiam ad alia Festa Legalia ibidem celebranda, paulatim reuerteretur ad Roboam, ipsumque Ieroboam desereret: pessimum excogitauit consilium, quasi aliter, & sine religionis iniuria indemnitati suæ consulere non posset, fecit duos vitulos aureos, proposuitque populo colendos, alterum in Dan, & in Bethel alterum; vbi etiam extruxit altare; & finxit de corde suo instituitque sollemnitatem, decimaquinta die mensis octaui celebrandam; ascenditque ipse in Bethel, vt immolaret victimas sollemnes, adoleretque incensum vitulis aureis; & fecit ibi sollemnitatem filiis Israel similem ei quæ celebrabatur in Templo Domini, prohibuitque populo ascendere in Ierusalem. Insuper quoque fecit fana in excelsis, non in Bethel solùm, sed & in ciuitatibus Samariæ; & Sacerdotes excelsorum de extremis populi constituit, qui non erant de filiis Leui: Sacerdotes verò Domini & Leuitas abiecit, & alia multa mala operatus est in Israel. Ecce in quantam deueniunt impietatem, qui vt sibi rebusque suis omnino & quomodolibet consulant, nullam prorsus eius quod iustum æquumque sit, rationem habere volunt. Sic qui hodie Politici vocantur, & propria commoda præsentesque vtilitates sibi tamquam vltimum finem constituunt, Causam, quam vocant, status, in capite omnium ponunt. Pro ipsa tuenda, promouenda, conseruanda, amplianda, nihil non faciendum putant. Si iniuria proximo irroganda, si iustitiæ honestatisque leges subuertendæ, si religio ipsa pessumdanda, si denique omnia

IEROBOAM REX ISRAELEM AD IDOLA COLENDA PERDVCIT.

POLITICI ARGVVNTVR.

nia

nia Iura diuina & humana violanda; nihil intentatum, nihil per fas nefásque relinquendum censent: cuncta ruant, omnia pereant, nihil ad ipsos; modò id, quod è re sua esse sibi persuadent, obtineant; ac si nullus sit qui talia curet castigaréve possit Deus. Quare non mirum est, si iusto Dei iudicio, tales mente corrupti homines, non modò ad quæque impia facilè perpetranda paulatim assuescunt; sed, quod peius est, plerumque etiam ad extremum illud insipientiæ barathrum, quod atheismum appellant, miserrimè ac pænè insensibiliter delabuntur. dignam profectò tanti sceleris mercedem in hac vita accipientes, & æternam damnationem in alia.

PRAEDICITVR NASCITVRVS IOSIAS, QVI IDOLA DESTRVIT IN ISRAEL.

☞ 5. Contigit autem eo tempore, quo Ieroboam Rex stabat penes altare quod extruxerat, thus iaciens, vt vir Dei, missus à Domino de Iuda in Bethel, contra altare exclamaret, nomine ipsius Domini prædicens, nasciturum de domo Dauid virum, Iosiam nomine, qui, inquit, super illud sacerdotes excelsorum immolare, & ossa hominum impiorum cremare non verebitur. Atque in signum huius prædictionis, quæ post multa tempora impleri debebat, addidit, continuò scissum iri altare illud, & de eo cinerem coram omnibus astantibus esse spargendum. Quod audiens Rex Ieroboam, extensa in illum manu sua, iussit comprehendi virum Dei; sed manus illa statim exaruit: & protinus altare mirabiliter scissum est, & cinis de altari effusus, præcisè prout Propheta prædixerat. Qui mox ad Regis preces Dominum deprecatus, sacrilegi illius manum aridam sanitati protinus restituendam curauit. Quamobrem ab eodem Rege inuitatus vt iret ac comederet cum eo, renuit omnino; & per aliam viam redire cœpit in Iuda. Intereà alter Propheta senex, qui tum habitabat in Bethel, vt audiuit à filiis suis quod factum fuerat, statim strato asino secutus est virum Dei: quem cùm non procul subtus terebinthum adinuenisset, falsò asserens sibi Angelum esse locutum, nimis credulum reduxit in domum suam. Cùm autem eum cibo potuque recreasset, ecce insiluit in sene Spiritus Domini, & vaticinans prænuntiauit viro Dei interitum, eò quòd contra præceptum Domini de via diuertens comedisset ac bibisset.

INOBEDIENTIAE PVNITIO.

Itaque cùm vir Dei rursus ad suos properaret, repentè à leone strangulatus interiit; cuius cadauer non multò pòst ab eodem Propheta sene, qui eum officioso, vt putabat, mendacio fefellerat, inuentum coram leone, & asino nil læso, in Bethel delatum fuit, ibique sepultum. Memorata verò viri Dei prædictio contra altare à Ieroboam Rege fabricatum in Bethel, denuò à Propheta illo sene confirmata fuit. Quæ omnia fusiùs explicatiusque descripta inuenies 3. Reg. cap. 12. vers. 25. vsque ad finem capitis, & cap. 13. per totum. vbi etiam illud additur; quòd propter hæc signa quæ viderat Ieroboam Rex nihilo melior factus est, quin potiùs in impietate sua perseuerans ac proficiens, ita vt etiam Sacerdotia Simoniacè vilioribus personis diuenderet; tandem totius domus suæ euersionem promeruit.

¶ 6. Scio Iosephum 8. Antiq. cap. 3. hanc de memorato sene, qui virum Dei decepisse dicitur, historiam multò aliter quàm in Sacro textu habeatur, narrasse. Nam post descripta ea omnia, quæ vir Dei (quem ipse Iadonem vocat) coram Ieroboamo Rege fortiter gesserat, hæc subiungit: *Erat in ea vrbe malus quidam pseudopropheta, quem Ieroboamus in honore habebat, seductus ab illo omnia ad gratiā loquēte. Hic tum decumbebat, quòd esset senio languidus: cumq; audisset à filiis de aduentu Prophetæ à Ierosolymis, & prodigiis per eum patratis, & quòd Ieroboamus emortuam dexteram ad illius preces sanam recepisset; veritus ne Rex de hospite meliùs quàm de se opinaretur, mandauit filiis vt e uestigiò asinum stratum ad iter sibi expedirent. Quibus impigrè iussa executis, conscenso iumento, per vestigia Prophetæ properabat: quem assecutus interquiescentem sub quercu patula & vmbrosa, primò salutauit; deinde expostulauit cum eo, quòd non ad se diuertisset hospitalitate fruiturus. Quo referente, vetitum se à Deo ne apud quemquam in ea vrbe cibum sumeret. Certè apud me (inquit) licuit sumere. Nam ego quoque Propheta sum, eiusdem cuius tu cultor Numinis. Et nunc ipsius iussu venio te ad nos adducturus, & prandio hospitali excepturus. Tum Vates mentienti credens reuertitur. Adhuc autem illis prandentibus, & familiari sermone se oblectantibus, Deus apparuit Iadoni, pœnam inobedientiæ, pœnæq; modum denuntians: fore enim vt in itinere à leone discerpatur, nec in paternum monumentum inferatur. Hæc autem Deo volente contigisse opinor, quò minùs apud Ieroboamum Iadonis verba fidem inuenirent de mendacio suspecti. Nam redeunti Ierosolymam leo factus obuiàm, detractum de iumento necauit, nihil læso asino. Immò & illum, & Prophetæ cadauer seruabat accubans, donec viatores quidam rem visam pseudoprophetæ renuntiarunt. Tum ille, filiis in hoc missis, corpus eius in vrbem reportauit, inibiq; magnificè sepeliit, monitis filiis, vt se quoq; post mortem in idem monumentum inferrent. vera enim esse quæcumque ille præcinuisset de vrbe illa, & de altari, & sacerdotibus, & pseu-*

pſeudoprophetis: ad ſe autem nullam poſt mortem iniuriam peruenturam, propter communem cum illo ſepulturam confuſo oſsium diſcrimine. Poſt iuſta funebria Prophetæ reddita, & iniuncta filiis mandata, cùm eſſet vir malus & impius, Ieroboamum adit, &, Quid ita (inquit) iſtius fatui turbatus es ſermonibus? Illo verò de altari & ſui ipſius manu referente, ac verè hominem Dei Vatemq; optimum vocitante, cœpit hanc eius opinionem malitioſè labefactare, & probabilibus rationibus rei veritatem offuſcare. Aiebat enim, præ laſsitudine manum eius obtorpuiſſe dum altari infert victimas, ac deinde poſt quietem priſtinum vigorem recepiſſe. Altare quoque recentis etiam tum ſtructuræ, quòd tot ac tantarum victimarum molem non ferret, diſruptum concidiſſe. Poſtremò Vatis mortem indicat, à leone eſſe necatum: adeò nihil diuinum nec in vita, nec in verbis eius fuiſſe. His dictis Regi perſuaſit, & mentem eius à Deo & iuſtis ac piis operibus in totum auerſam, in extremam impietatem præcipitauit. hucuſque Ioſephus. Qui quidem multa in hac ſua narratione ponit, quæ Sacro textui manifeſtè aduerſantur. Etenim ſacra Scriptura 3. Reg. cap. 13. vbi eamdem deſcribit hiſtoriam, non ſemel dictum ſenem ſimpliciter appellat Prophetam. quæ vox communiter in bonam partem accipi ſolet. Et præterea nihil omnino innuere videtur, quòd ipſe eſſet vir malus & impius & pſeudopropheta; neq; quòd in honore haberetur apud Regem, eumque ſeduceret loquendo omnia ad gratiam coram eo. Immò neque quòd ante vel poſt aduentum viri Dei, ille ſenex Regem vmquam adierit, aut quidquam cum eo locutus fuerit: ſed neque quòd de viro Dei coram Rege aut aliis vllo modo detraxerit, eúmve fatuum appellauerit: quin potiùs cõſtat, quòd honorificè de ipſo loqui, & eum viri Dei nomine ſemper nuncupare ſolebat; & eius vaticinium commendans, ac veridicum eſſe conteſtans, aſſerebat proculdubiò implendum fore. Non etiam Scriptura ſacra expreſſiſſe videtur, quòd idem ſenex per malitiã atque inuidiam (ne ſcilicet Rex illum ſibi præferret) Iadonem fefellerit; ſed potiùs vrbano quodam more, quo eum ad ſe diuertere compelleret, & hoſpitio poſſet excipere, grataque eius conſuetudine frui. Item nõ ait, quòd illum ſub quercu patula & vmbroſa (vt ſcribit Ioſephus) ſed ſub terebintho ſedentem inuenit. His adde, quòd Sacer textus non dicit, Deum apparuiſſe Iadoni, certamq; ei inobedientiæ pœnã & pœnæ modum denuntiaſſe, nimirum, quòd à leone diſcerpendus eſſet (vt ſignanter expreſſit Ioſephus;) ſed quòd Dominus per dictum ſenem prædixit, Iadonem ob eius inobedientiam nequaquam in paterno ſepulchro fore ſepeliendum. Neque quòd idem ſenex per filios ſuos, ſed ipſemet Iadonis cadauer aſino impoſitum reportauerit, ſepelieritque in ciuitate ſua Bethel, ac mandauerit filiis ſuis, vt ſe quoque poſt mortem in eodem ſepulchro conderent. Vbi nihil prorſus de dictæ iuſſionis cauſa referens, quodam modò innuere videtur, quòd ſenex ſe cum viro Dei ſepeliri mandauerit, non quidem putans ſe ſic decepti Prophetæ punitionem euaſurum, ſed vel ne poſteà, iuxta viri Dei vaticinium, oſſa eius à Ioſia ſuper illo altari cremarentur; vel potiùs in ſignum quòd illum valdè diligeret. Ecce in quantis à Sacro textu diſcordat in hac hiſtoria referenda Ioſephus. Quid igitur? Certè quemadmodum nec iſte Auctor nec quiuis alius, in his quæ ſacræ Scripturæ aduerſantur, vllo modo eſt recipiendus; ita etiam in his quæ eidem de ſuo addit (niſi omnino cum illa conſentiant) tamquam valdè ſuſpectus haberi debet. Vnde (quod ad memoratum ſenem attinet) magis credimus, quòd non ipſe ſeduxerit Ieroboam Regem; ſed potiùs ipſe Rex (vt communiter ſolent impij ſui ſimiles) primò quidem ſentiens ſe à Deo percuſſum, & grauiora ſibi metuens, nonnihil commotus ſit ad pœnitentiam, poſteà verò vt vidit ſe à flagello liberum, nõ ad alicuius perſuaſionem, ſed ex ſeipſo, tamquam valdè pronus ad malum, & veluti ſuapte natura ad priſtinam impietatem libens volenſq; redierit; ne ſcilicet regni poſſeſſionem in diſcrimen adduceret. Et hoc, licet ſubobſcurè, indicaſſe videtur Sacer textus cap. Reg. citato verſ. 33. dicens: *Poſt hæc verba non eſt reuerſus Ieroboam de via ſua peſſima; ſed econtrariò*, &c. Ceterùm, non eſt obliuioni tradendum, ſed iugiter ante oculos cordis habendum, quòd retulimus inobedientiæ Iadonis exemplum ex nimia eius credulitate profectum, & item diuinam eiuſdem inobedientiæ vltionem: vt hinc diſcamus, in exequendis Dei mandatis quàm firmos, ſtabiles, ac propoſiti tenaces nos eſſe oporteat, ne aut cum Iadone occidi, hoc eſt immatura morte mulctari, aut cum Saul reprobari, ſeu in reprobum ſenſu dari permittamur. Scriptum eſt enim 1. Reg. cap. 15. verſ. 21. *Melior eſt obedientia, quàm victimæ.* Quare hanc virtutem omni hoſtia Deo gratiorem cunctis rebus præferamus, & oppoſitum quouis quæſito colore nobis perſuadere conantibus, ſtrenuè reſiſtamus; nõ permittentes nos à quoquam, quiſquis ille fuerit, adduci, vt aliter, quàm quod Deus iniũxerit, faciamus: illud perpetuò memoria retinentes, quòd in re non admodum diſſimili inculcabat Apo-
ſtolus

stolus ad Galat.cap.1.vers.8.dicens; *Licet nos aut Angelus de cælo euangelizet vobis, præter id quod accepistis, anathema sit.* Redeamus ad Historiam.

IVDAE REGNVM SVB ROBOAM REGE ROBORATVR.

7. Econtrariò autem Roboam Rex Iuda, in primo regni sui triennio secutus est Dominum ipse,& populus eius: 2.Paralip.cap.11.vers.17.Intra quod tempus, illud potissimùm curæ fuit Regi, vt regnum suum firmaret roboraretque: & hac in re valdè adiutus à Domino fuit, qui multorum Israëlitarum corda tetigit vt redirent ad Tēplum, quemadmodum paulò pòst dicemus. Itaque Rex Roboam ædificauit, hoc est instaurauit muniuitque ciuitates regni sui plurimas, quæ nominatim recensentur cap. Paralip. citato vers.5.vsque ad 11.cinxit enim & clausit eas muris, & posuit in eis Principes qui custodirent illas, ciborumque horrea, frumenti, vini,& olei. Quin etiam in singulis vrbibus fecit armamentarium scutorum & hastarum, firmauitque eas omni cura ac diligentia. Interim quoque ad ipsum venerunt Sacerdotes & Leuitæ quos abiecerat Ieroboam de cunctis sedibus suis, relinquentes vrbes & suburbana earum, in toto Israele olim eis tradita: sed & alij ex laicis plurimi, de cunctis tribubus Israel, qui in corde suo decreuerant quærere Dominum,& subtrahere se ab idololatrarum consortio, venerunt in Ierusalem ad immolandum victimas suas coram Domino. Sicque roboratum est regnum Iuda sub Roboam Rege: qui etiam duxit vxores decem & octo, quarum aliquæ propriis notantur nominibus loco inferiùs citando; & concubinas sexaginta: genuitq; filias sexaginta,& filios vigintiocto; quibus omnibus prætulit Abiam, quem genuerat ex Maacha filia Absalom; tùm quia hanc præ ceteris eius vxoribus diligebat, tum etiam quia ipse Abias sapientior ac potentior erat inter omnes fratres suos, & propterea ipsum Regem suique successorem facere cogitabat: 2.Paralipom.cap.11. vers.11.vsque ad finem capitis. Porrò hoc quod dictum est de vxoribus & filiis ipsius Roboam, non est accipiendum, intra memoratum triennij tempus dumtaxat contigisse, neque solùm ex quo iam regnare cœperat, sed in toto vitæ suæ curriculo: siquidem non est verisimile, quòd vsque ad quadragesimum primum ætatis suæ annum sine vxoribus esse voluerit: id enim repugnat inolitæ illorum temporum consuetudini. Et præterea, oportet Abiam longè ante initia regni patris sui esse natum; alioqui non videretur potuisse relinquere post se filium, iam per ætatem ad regni gubernacula idoneum. Etenim Abiæ pater regnauit annis dumtaxat decem & septem; ipse verò tribus tantùm: quare sequeretur ipsum non excessisse vigesimum vitæ annum; & consequenter, Asam filium eius fuisse puerulum sex aut septem annorum, quando regnare cœpit, tutorumque seu curatorum opera per aliquot annos eguisse: quæ quidem ab his, quæ de ipso legimus 3.Regum cap.15. vers.9. & sequentibus, & 2. Paralipom. cap.14. valdè aliena videntur, quemadmodum sub anno mundi 3079. num.2. ostendemus.

AB ORBE CONDITO ANNVS 3062. — QVINTAE MVNDI AETAT. ANNVS 40.

IOIADAE ORTVS.

1 Anno regni Roboam Regis Iuda circiter tertio, credimus natum esse Ioiadam, qui posteà regnantibus Ioram, Ochozia, Athalia, & Ioas, Regibus Iudæ, Pontificatum tenuit. Et demum annos natus centum triginta decessit, anno trigesimo quinto regni eiusdem Regis Ioas; vt nos sub anno mundi 3191. num. 1. ostendemus. totidem autem annos supputari à tertio Roboam ad trigesimum quintum dicti Ioas, facilè dignosci poterit in tabulis.

AB ORBE CONDITO ANNVS 3063. — QVINTÆ MVNDI ÆTAT. ANNVS 41.

ROBOAM CVM POPVLO SVO RECEDIT A DOMINO.

1 Anno regni sui quarto circiter ineunte, (vt ex prædictis consequitur, & colligitur 2.Paralip.12.vers.1.) Roboam, vt vidit regnum suum iam satis benè firmatum ac roboratum, tot ac tantis beneficiis à Deo acceptis ingratus, dereliquit Legem Domini ipse & Iudas cum eo; feceruntque Rex pariter & populus malum coram Domino, super omnia quæ fecerant patres eorum. Aedificauerunt enim & ipsi aras,& statuas,& lucos, super omnem collem excelsum, & subter omnem arborem frondosam; & non defuerunt inter eos effeminati, perpetraueruntque omnes abominationes Gentium, quas contriuerat Dominus coram filiis Israel: 3.Reg. c.14. vers.22.vsque ad 25.& 2.Paralip.cap.12.vers.1. Quamobrem iratus Dominus percussit eos, vt consequenter dicemus.

AB

AB ORBE CONDITO ANNVS 3064. QVINTÆ MVNDI ÆTAT. ANNVS 42.

1 ANNO igitur quinto regni Roboam Regis Iuda, ascendit Sesac Rex Ægypti in Iudæam, cum mille ducentis curribus & exercitu numerosissimo, etiam ex Libybus, Troglodytis, & Æthiopibus congregato; cepitque vrbes munitissimas in terra Iuda, ac peruenit vsque ad Ierusalem, quò Roboam & Principes eius hostem fugientes sese receperant. Ad quos veniens Semeias Propheta, edixit denuntiauitque, ideò in tanta diuinæ opis indigentia à Domino fuisse derelictos, quòd eumdem Dominum, & mandatorum eius obseruantiam ipsi prius deseruissent. Quoniam autem Rex & Principes eius valdè Aegyptiorum timore perterriti & consternati, propriamque agnoscentes culpam, humiliter admodum eidem Prophetæ responderunt, dicentes, *Iustus est Dominus*; idcircò protinus hæc ipsi Semeiæ manifestauit Dominus, inquiens: *Quia humiliati sunt, non disperdam eos; daboq; eis pauxillum auxilij.* Atque ita non multò pòst, facta à Iudæis deditione, & rebus inter Sesac & Roboam compositis, ille recessit ab Ierusalem, sublatis tamen domus Domini & domus regiæ thesauris, ac potissimum scutis, hastis, ac clypeis aureis, quæ fecerat Salomon: pro quibus posteà fecit Roboam ærea, quæ eodem pariter modo, ac priùs aurea, ferebant ante Regem qui præeundi habebant officium; & eo munere functi, reportabant ea ad armamentarium in Domo saltus erectum. Quamquam non propter dictam tantùm Regis ac Principum submissionem coram Deo & Propheta eius ostensam, mitigata est hac vice indignatio Domini, ne Iudæos omnino deleret; sed etiam, quia (vt Sacer ipse textus 2. Paralip. c. 12. vers. 12. exprimit) *in Iuda inuenta sunt opera bona.* Verumenimuerò, neque post eiusmodi castigationem præparare voluit cor suum Roboam Rex, vt quæreret Dominum; sed & deinceps malè agere non desiit: quamobrem non permisit eum Dominus, vt securè & quietè viueret; sed continuis posteà, donec vixit, grauibusque belli molestiis ipsum affligi ac perturbari voluit. perpetuò namque inter ipsum & Ieroboam Regem Israel
5 bellum fuit: 3. Reg. cap. 14. vers. 30. & 2. Paralip. cap. 12. vers. 15. & 16. Oportet autem dictum Sesac inter alios thesauros Domus Domini abstulisse etiã (vt arbitror) mensas propositionis aureas, & candelabra pariter aurea quæ fecerat Salomon in Templo, vnamque ex his dumtaxat mensam & vnum candelabrum ibidem reliquisse in gratiam Iudæorum; eosque deinceps existimasse illa sufficere in Templo, sicut olim in Tabernaculo ad diuina illic peragenda. Adducor autem ad sic sentiendum, quia nusquam in Scripturis sacris reperimus, quòd posthac in Templo extiterint decem candelabra, & totidem mensæ, sed tantummodò vna mensa, & vnicum candelabrum. Nam 2. Par. cap. 13. vers. 11. legimus, quòd Abias Rex Iuda, qui huic Roboam patri in regnum successerat, quando pugnare parabat cum Israelitis, præsagiebat eis & Regi ipsorum mala, eò quòd dereliquissent Dominum, & cultum ipsis à Deo præscriptum: contrà verò sibi Iudæisque benè sperandum prædicabat; quia (dicebat) *proponuntur* apud nos *panes in mensa mundissima, estq; apud nos candelabrum aureum, & lucernæ eius vt accendantur,* &c. Ecce quomodo vnius tantùm candelabri, & pariter vnius mensæ propositionis fit mentio. Item quando Ezechias Rex Iuda iussit mundari Templum ab Achaz patre suo profanatum, scimus quòd ingressi Sacerdotes ad Ezechiam Regem dixerunt ei: *Sanctificauimus omnem domum Domini, & Altare holocausti, vasaq; eius, necnon & mensam propositionis cum omnibus vasis suis:* 2. Paralip. cap. 29. vers. 18. Denique etiam 1. Machab. cap. 1. vers. 23. vbi describitur Templi spoliatio ab Antiocho Epiphane facta, vna tantùm mensa propositionis, & vnicum similiter candelabrum memoratur.

SESAC ÆGYPTI REX IVDAEAM AGGREDITVR, ET SPOLIAT.

2. Ceterùm, quod attinet ad memoratum Sesac Regem Ægypti, qui posterioribus Salomonis temporibus regnasse dicitur, & Roboam in Ierusalem regnante Iudæam inuasisse, Regemque cunctis spoliasse thesauris; Iosephus 8. Antiq. cap. 4. indicat fuisse illum, cuius meminit Herodotus lib. 2. vltra medium: quamuis eum non Sesacum, sed Sesostrim nominet, ac propterea putet Iosephus, Herodotum in nomine tantùm errasse; atqui certum est, Regum, sicut & vrbium, aliarumque rerum nomina, non eadem prorsus recenseri apud omnes, sed pro idiomatum diuersitate nonnihil interdum fuisse ab Auctoribus variata. Subobscurè igitur meminit Herodotus prædicti Regis Sesac, & memoratæ eius in Iudæam expeditionis: quia & Regem alio nomine, vt dictum est, & Iudæos Syrorum Palæstinorumque vocabulo significasse videtur. Nam quòd Iudæos dicere voluerit ab Ægyptio Rege fuisse subactos, satis perspicuè (vt etiam idem notat

DE DICTO SESAC EX HERODOTO.

Iosephus) apparet ex signis columnarum, seu titulorum muliebribus genitalibus inscriptorum; quæ idem Rex (vt solebat apud alias nationes à se in deditionem acceptas) etiam in Palæstina, hoc est in Iudæa erexerat; & ibidem relicta, ipsemet Herodotus à se postmodum visa testatur. Fortè autem dictas columnas posuerat Sesac prope illam Ierosolymæ portam, cuius posteà turres, muliebres dictæ sunt: non enim alia suppetit ratio, cur sic fuerint nuncupatæ. Harum meminit Iosephus lib. 6. de Bello cap. 2. & 5. Eiusdem Regis Sesac, sub nomine Sesostris, meminit quoque Plinius lib. 6. cap. 29. in principio, vbi de eodem subiungit, quòd ipse primus omnium nauigabilem alueum, de mari Rubro in Nilum, sexaginta duorum mill. pass. interuallo, quod inter flumen & Rubrum mare interest, perducere cogitauit. Hoc si verum est, oportet ipsum siue grauissimis belli negotiis distractum, siue aliqua alia de causa, mutato consilio, numquam posteà operi manus admoueri iussisse: nam primus qui talem fossam reipsa excauandam curauit, fuit alter Pharao nomine Necus, siue Nechao; vt nos sub anno mundi 3425. num. 2. ex Herodoto ostendemus. Fuit autem dictus Nechao, qui postremis Iosiæ Regis Iudæ annis in Aegypto regnabat, dicto Sesaco valdè posterior. Nam à fine regni Roboam ad initium regni Iosiæ, certum est fluxisse annos ferè trecentos viginti, vt dinumerari potest in tabulis.

AB ORBE CONDITO ANNVS 3073. — QVINTÆ MVNDI ÆTAT. ANNVS 51.

OBITVS LAOSTHENIS REGIS ASSYRIORVM.

1 ANNO regni Roboam Regis Iuda decimoquarto iam propè expleto, cessit è vita Laosthenes Rex Assyriorum, exacto regni sui anno quadragesimo quinto, vt scribit Eusebius in Chronicis.

AB ORBE CONDITO ANNVS 3074. — QVINTÆ MVNDI ÆTAT. ANNVS 52.

PIRICIADES REGNAT IN ASSYRIA.

1 ANNO subsequente circiter inchoante, regnauit in Assyria Piriciades, qui fuit Rex Assyriorum trigesimus secundus, vt ibidem notat Eusebius.

AB ORBE CONDITO ANNVS 3076. — QVINTÆ MVNDI ÆTAT. ANNVS 54.

ROBOAM REX IVDA MORITVR.

1 SVB finem anni decimiseptimi regni Ieroboam Regis Israel, qui pariter erat decimusseptimus regni Roboam Regis Iuda, necesse est ipsum Roboam obiisse: tunc enim complebatur numerus annorum, quibus regnasse traditur 3. Reg. cap. 14. vers. 21. & 2. Paralip. cap. 12. vers. 13. Vnde deducitur, ipsum vixisse annos dumtaxat quinquaginta & octo, quandoquidem quadraginta & vnius anni erat quando regnare cœpit, vt locis proximè citatis expressum est. Huius Regis acta scripserunt Semeias Propheta, & Addo Videns, vt dicitur cap. Paralip. citato vers. 15. quorum libri non amplius reperiuntur. Eiusdem Roboam meminit liber Ecclesiastici cap. 47. vers. 27. & sequentibus, sed parum honorificè, vt ibidem videre licet.

EIVS REGNI VITAEQVE ANNI.

QVI EIVS GESTA SCRIPSERINT.

AB ORBE CONDITO ANNVS 3077. — QVINTÆ MVNDI ÆTAT. ANNVS 55.

ABIA REGNAT IN IVDAEA.

1 CIRCA initia anni subsequentis, qui erat regni Ieroboam decimusoctauus, regnauit in Ierusalem pro Roboam patre suo Abiam, siue Abia rex Iuda: 3. Reg. cap. 15. vers. 1. & 2. & 2. Paralip. cap. 13. vers. 1. Nomen matris eius, loco Reg. citato dicitur Maacha filia Abessalom; sed loco Paralip. proximè adducto appellatur Michaia filia Vriel, de Gabaa. Quare oportet eamdem Abiæ matrem vel fuisse binominem; vel (vt putat Abulensis super 2. Paralip. cap. 13. quæst. 5.) eamdem esse vocem Maacha & Michaia, licet variè pronuntiatã, vt Caleb & Calubi, Phalthi & Phalthiel, & aliæ huiusmodi ibidem adductæ. Item necesse est, ipsum quoque auum maternum ipsius Abiæ, fuisse trinominem; siquidem 2. Paralip. cap. 11. vers. 20. & 21. etiam vocatur Absalom; qui tamen non potest esse idem cum filio Dauidis: nam ipse non erat nec potuit dici de Gabaa, sed vel de Bethleem, quæ erat patria Dauidis patris sui; vel de Hebron, vbi natus erat; vel de Ierusalem, vbi habitabat: quemadmodũ optimè tradit idem Abu-

Abulensis vbi suprà quæst. 6. Porrò Abia ambulauit in omnibus peccatis patris sui, nec erat cor eius perfectum cum Domino: nihilominùs in gratiam Dauidis, qui fecerat rectum in oculis Domini, non disperdidit eum Dominus (cap. Reg. allegato vers. 3. vsque ad 6.) quemadmodum posteà nec plures alios de posteris eiusdem Dauidis, tametsi præuaricatores extiterint. Ceterùm, inter Abiam Regem Iuda & Ieroboam Regem Israel, semper bellum fuit, vt patet cap. Reg. citato vers. 6. & 7.

2. Eodem anno, quemadmodum numero sequenti probabitur, cùm quadam die parati essent exercitus Iuda & Israel vt inirent certamen, stetit Abia cum quadringentis millibus virorum in monte Semeron, qui erat in Ephraim; & locutus est exercitui Ieroboam, qui erat duplo maior suo, dicens: Debuisse eos recolere, quòd Deus dederat regnum Israel Dauidi & filiis eius in sempiternum, & quomodo surrexerat Ieroboam seruus Salomonis, ac rebelleuerat contra dominum suum, & cum filiis belial præualuerat quidem contra Roboam, eò quòd esset corde pauidus: verumtamen ne putent se deinceps posse resistere regno Domini, neque confidant in multitudine; quin potiùs diuinam metuant vltionem, eò quòd Ieroboam fecerit vitulos aureos, & abiecerit à se Dominum & Sacerdotes eius, atque ad ritus gentium declinauerit. Nos autem (subiungebat Abia) meritò confidere debemus, quia colimus Dominum, & ministros eius habemus legitimos, nimirum de stirpe Aaronis, qui offerunt quotidie sacrificia, adolent thymiama, exponunt panes propositionis in mensa, accendunt lucernas in candelabro, & cetera præstant, quæ iussa sunt à Domino. Quamobrem nolite (dicebat) pugnare contra Dominum Deum patrum vestrorum. Sed hæc & eiusmodi Abia loquente, cùm exercitus eius aduertisset, Ieroboam interim moliri insidias, & sensim circumdare ipsum, & iam instare ei bellum ex aduerso, & post tergum; clamauit ad Dominum, statimque Sacerdotes tubis clangere, & omnes viri Iuda vociferare cœperunt; & perterruit Dominus Ieroboam cum agminibus suis, quæ in fugam conuersa corruerunt coram Iuda: & contriti ac vulnerati sunt de Israel quingenta millia virorum fortium, cepitque Abia aliquot de ciuitatibus Israel, nec vltrà valuit ei resistere Ieroboam. Etenim in hoc prælio humiliatum valdè fuit regnum Israel, & roboratum regnum Iuda. Atque ab hoc tempore & deinceps, cœpit Dominus per quosdam veluti gradus vehementer punire Ieroboam, propter peccata quæ fecerat grauissima: & primò quidem exercitus eius contritione, & vrbium amissione, vt dictum est; mox filij, ac deinde etiam propria morte; & postremò vniuersæ domus eius subuersione atque exterminio, vt infrà suis locis dicemus.

ABIA FELICITER PVGNAT CVM IEROBOAM.

IEROBOAM PAVLATIM A DOMINO PVNITVS, TANDEM EXTERMINATVR.

3. Abia autem tam grandi parta victoria lætus, de hostium spoliis, iuxta morem patrum suorum, multa vouit consecrauitque Domino, videlicet argentum, & aurum, & vasa, vt colligitur 3. Reg. cap. 15. vers. 15. quæ tamen ipse non reddidit; sed ea postmodum Asa filius eius intulit in Domum Domini, vt ibidem dicitur, & nos sub anno mundi 3094. num. 2. dicemus. Insuper Abia, roborato prædicta victoria imperio suo, quattuordecim duxit vxores, procreauitque filios viginti duos, ac filias sexdecim: 2. Paralip. cap. 13. vers. 21. intellige, præter Asa, quem necesse est ex Maacha vxore ipsius Abiæ natum esse multis annis antequā regnare cœpisset Abia; alioqui oporteret ipsum Asa fuisse infantulum duorum vel trium annorum, quando obiit pater eius Abia, qui tribus tantùm annis regnauit, vt dicitur 3. Reg. cap. 15. vers. 2. & 2. Paralip. c. 13. vers. 2. & consequenter non posset verum esse, quod cap. Reg. citato vers. 8. asseritur, nimirum, mortuo Abia, statim cœpisse regnare Asa filium eius. Ex hoc item quod dictum est, Abiam post deuictum Israelem duxisse quattuordecim vxores, & genuisse triginta octo liberos, confirmari potest quod præcedenti numero dicebamus, videlicet memoratum prælium inter Abiam & Ieroboam contigisse anno regni Abiæ primo, circa medietatem eius, vt arbitror. Nam supposito, quòd prædictæ vxores Abiæ, consueto more, vnicum fœtum vnoquoque partu ederent (id enim æquum est credere, cùm Scriptura nihil extraordinarium in hoc accidisse indicet) certum est, non posse virum vnum ex quattuordecim feminis, minori quàm triginta mensium spatio, gignere triginta octo liberos, siquidē necesse est, quòd plures illarum ter concipiant pariantque. Igitur si Abia, qui triennio tantùm regnauit, vt dictum est, post partam de Ieroboam victoriam, prædictas duxit vxores, genuitque tot filios; oportet quòd prædictam victoriam anno regni sui primo consecutus fuerit, & in prima dicti anni medietate. Ceterùm, Abiæ res gestas olim diligentissimè scripserat Addo Propheta, vt in fine capitis Paralip. citati traditur.

ABIA POST VICTORIAM VOTA DOMINO NON REDDIT.

DE ABIAE VXORIBVS ET LIBERIS.

ADDO PROPHETA ABIAE RES GESTAS SCRIPSIT.

4. Per hæc circiter tempora, id est circa postremos regni Ieroboam annos, (vt paulò pòst probabitur) ægrotauit filius Ieroboam nomine Abia; de cuius salute nimiùm

IEROBOAM CONSVLIT AHIAM SVPER FILIO SVO INFIRMO. anxius pater, voluisset quidẽ sciscitari Ahiam, quem experimento didicerat Prophetam esse veracem, quippe qui se regnaturum iam anteà prædixerat: sed veritus ne eum obiurgaret quòd à Domino recessisset, misit ad illum secretò vxorem suam, commutato habitu, ne posset agnosci quòd esset vxor Regis. Quæ cùm de more, acceptis munusculis, tamquam priuata mulier venisset in Silo ad domum Ahiæ; ille à Domino admonitus agnouit eam, & coarguit quòd aliam se esse simularet: deinde prædixit ei non solùm mortem filij tunc ægrotantis, sed & insuper ruinam & interitum totius domus Ieroboam viri sui; propterea quòd de humili statu ad regni apicem à Domino euectus, ad idola confestim ingratissimus declinasset, atque ad eadem colenda populũ induxisset. AHIAS PROPHETAS INTERITVM DOMVS IEROBOAMI. Tali igitur accepto à Propheta responso, rediens mulier in Thersa, quò iam de Sichem Ieroboam regni sui sedem transtulerat, statim ac limen domus ingredi cœpit, expirauit filius eius, prout Propheta prædixerat. Quæ omnia fusiùs describuntur 3. Reg. cap. 14. vers. 1. vsque ad 18. Diximus hæc accidisse circa pòstremos Ieroboam annos; quia, vt benè colligit Abulensis, oportet plurimos sanè annos transisse ab eo tempore quo idem Ahias circa finem regni Salomonis prædixerat ipsi Ieroboam quòd esset regnaturus super Israel, ad ea quæ modò acta esse memorauimus. Nam certum est quòd tunc ipse Ahias adeò erat valens, vt (quemadmodum legimus 3. Reg. cap. 11. vers. 29.) pedes iter facere per agros sine vllo impedimento posset: nunc autem in eiusdem libri cap. 14. vers. 4. dicitur adeò fuisse longæuus, vt præ senectute iam caligarent oculi eius.

AB ORBE CONDITO ANNVS 3079. — QVINTÆ MVNDI ÆTAT. ANNVS 57.

ABIAS REX IVDA MORITVR. 1 ANNO regni Ieroboam Regis Israel vigesimo iam ad finem appropinquante, oportet decessisse Abiam Regem Iuda: siquidem tribus tantùm annis ipsum regnasse, iam sub anno mundi 3077. num. 3. probatum est. Quin etiam oportet ipsum non expleuisse tertium regni annum; quandoquidem 3. Reg. cap. 15. vers. 1. legimus, Abiam regnare cœpisse anno regni Ieroboam decimooctauo; & ibidem vers. 9. quòd Asa filius Abiæ, post mortem patris successit eidem, anno regni eiusdem Ieroboam vigesimo. Igitur

ASA REGNAT IN IERVSALEM 2. Eodem anno regnauit Asa in Ierusalem, vt ex loco Reg. citato, & 2. Paralip. c. 14. vers. 1. patet; intellige, sub finem anni: quo fit, vt annus regni Asa primus pænè totus coincidat cum vigesimo primo regni Ieroboam, vt dispositum est in tabulis, & optimè etiam notauit Richardus de sancto Victore in tractatu suo de Concordia temporum Regum corregnantium super Iuda & super Israel. Huius Regis mater dicitur fuisse Maacha filia Abessalom, 3. Reg. cap. 15. vers. 10. Sed vtique tenendum est cum Abulense super dicto Reg. capite quæst. 8. istam Maacha, & patrem eius Abessalom, omnino esse diuersos ab iis eiusdem nominis, qui citati Reg. capitis vers. 2. dicuntur mater & auus maternus Abiæ patris dicti Asa; alioqui oporteret Abiam ex propria matre filium genuisse; quod neutiquam credendum est. Sed sicuti constat, plures extitisse Maacha (vt videre est in Bibliorum Concordantia:) ita potuerunt esse plures Abessalom. Et quemadmodum aliàs reperimus duos Ozias filios duorum Amasiæ, & duos Eliachim filios duorum Helciæ, vt sub anno mundi 3322. num. 5. dicemus: ita non inconuenit, extitisse duas Maacha, filias duorum patrum nomine Abessalom. Porrò Asa fecit rectum in conspectu Domini, sicut Dauid pater eius, id est proauus eius, (solent enim in Scripturis sacris omnes maiores, more Hebraico, patrum nomine, & posteri filiorum vocabulo nuncupari) fuitque cor Asæ perfectum cum Domino omni tempore vitæ suæ: 3. Reg. cap. 15. vers. 11. & 14. & in diebus eius quieuit terra, nimirum à præliis, per annos decem: 2. Paralip. cap. 14. vers. 1. & 6. nempe ab initio regni sui numerandos, vt ex consequentibus manifestum fiet. EIVS GESTA IN PRIMIS 10. REGNI SVI ANNIS. Quæ autem gesserit Asa intra hos primos decem regni sui annos, breuiter perstringuntur 2. Paralip. cap. 14. vers. 2. vsque ad 9. & ex his aliqua tanguntur 3. Reg. cap. 15. vers. 12. vsque ad 16. Sunt autem hæc, videlicet: Purgauit sordes idolorum, quæ fecerant patres eius; & abstulit effeminatos de terra sua; excelsa quoque abstulit, sed non omnia, vt colligere possumus, conciliantes quædam loca Scripturæ, quæ inter se videntur contraria; nimirum 2. Paralip. proximè allegati, vbi dicuntur excelsa fuisse subuersa; & capitis Reg. citati vers. 14. ac 2. Paralip. cap. 15. vers. 17. quibus in locis legimus, excelsa non fuisse ablata, sed relicta in Israel; & vbique agitur de Asæ temporibus. Insuper præcepit Asa Rex omni Iudæ, vt quærerent Dominum Deum patrum suorum, Legesque eius ac mandata omnia obseruarent. Et

prætereà

præterea videns, quòd nullum ei bellum ingrueret, ædificauit sine vllo impedimento, vallauitque muris, ac muniuit turribus & portis ac seris ciuitates in Iuda. Ex quibus omnibus satis apertè confirmatur, quod sub annis mundi 3060.num.6.& 3077.num.3. diximus, videlicet, ipsum Asa non fuisse puerulum, sed iam in virili ætate constitutum, quando regnare cœpit; alioqui non videretur potuisse in primis regni sui annis, quæ dicta sunt, facere.

AB ORBE CONDITO ANNVS 3081. — QVINTÆ MVNDI ÆTAT. ANNVS 59.

1 ANNO regni Asæ Regis Iuda secundo, qui concurrit cum vigesimo secundo regni Ieroboam Regis Israel, vt videre est in tabulis, necesse est mortuum esse ipsum Ieroboam: siquidem viginti duobus dumtaxat annis regnasse dicitur 3.Reg.cap.14.vers.20. IEROBOAM F. NABAT MORITVR.

2. Eodem item anno regni Asæ Regis Iuda secundo, regnauit Nadab filius Ieroboam pro patre suo super Israel duobus annis, vt expresse habemus 3.Reg. cap.15. vers.25. (subintellige, imperfectis) ita vt annus postremus dicti Ieroboam, fuerit etiam ex parte primus ipsius Nadab, vt ex consequentibus quoque apparebit. Quare si Ieroboam obiit circa initia, vel circa medietatem anni secundi Asæ, oportet ipsum Ieroboam vel solùm attigisse annum regni vigesimum secundum, vel regnasse annis viginti duobus incompletis; & similiter filium eius Nadab, post mortem patris regnasse duobus annis fractis. Si autem Ieroboam mortuus est sub finem anni secundi Asæ, necessarium est fateri, Nadab primum annum pro maiori parte regnasse cum patre adhuc superstite; secundum verò, post mortem patris, & hunc non expleuisse, vt etiam ex sub anno mundi 3117.num. 1.dicendis palàm fiet. Porrò Nadab fecit malum in conspectu Domini, & ambulauit in viis patris sui pessimis, qui peccare fecit Israel: 3.Reg.cap.15.vers.26. NADAB FILIVS EIVS REGNAT SVPER ISRAEL.

AB ORBE CONDITO ANNVS 3082. — QVINTÆ MVNDI ÆTAT. ANNVS 60.

1 ANNO regni Asæ Regis Iudæ tertio, Baasa de tribu Issachar, molitis insidiis contra Nadab Regem Israel obsidentem Gebbethon vrbem Philisthinorum, interfecit eum, & regnauit pro eo super omnem Israel in Thersa annis viginti quattuor: 3.Reg.cap.15.vers.27. & 28. & 33. Quòd autem anni duo dicti Nadab, & item anni viginti quattuor regni Baasa, fuerint incompleti, sub anno mundi 3117. num.1. perspicuum fiet. Sanè Baasa, regno potitus Israelitico, percussit vniuersam domum Ieroboam, nec vnum quidem ex ea reliquit superstitem, iuxta verbum Domini per Ahiam Silonitem vxori eiusdem Ieroboam prænuntiatum, de quo sub anno mundi 3077. num.4. diximus. Verumtamen etiam ipse Baasa fecit malum coram Domino, & secutus est vias dicti Ieroboam, qui peccare fecit Israel, vt dicitur cap. Reg. præallegato vers.29. & 34. BAASA, OCCISO NADAB, REGNAT SVPER ISRAEL. DOMVS IEROBOAMI EXTINGVITVR.

AB ORBE CONDITO ANNVS 3083. — QVINTÆ MVNDI ÆTAT. ANNVS 61.

1 IN anno regni Asæ Regis Iuda quarto incidit annus Iubilei decimi, qui fuit annus ab introitu Israelitarum in terram Chanaan quingentesimus, vt videri potest in tabulis. IVBILEVS DECIMVS.

AB ORBE CONDITO ANNVS 3086. — QVINTÆ MVNDI ÆTAT. ANNVS 64.

1 ANNO regni sui circiter septimo, Asa genuit Iosaphat, qui posteà successit ei in regnum, vt liquidò colligi potest ex computatione annorum vitæ eius 3.Reg. cap.vlt. vers.42. vbi dicitur, quòd triginta quinque annorum erat Iosaphat cùm regnare cœpisset: totidem autem anni inueniuntur ab hoc tempore ad initium regni eius, vt patet in tabulis. Mater ipsius Iosaphat fuit Azuba filia Salai: 3.Reg.cap. vlt.vers.42. IOSAPHAT NASCITVR.

AB ORBE CONDITO ANNVS 3090. — QVINTÆ MVNDI ÆTAT. ANNVS 68.

INCIPIT BELLVM INTER ASA ET BAASA.

1 ANNO regni sui vndecimo, Asa Rex Iuda cœpit bellum gerere cum Baasa Rege Israel, quod sic probatur. Nam sub anno mundi 3079. num. 2. ex sacra Scriptura probauimus, ipsum Asa decem primos regni sui annos in pace transegisse; igitur necesse est fateri, ab hoc anno regni sui vndecimo cœpisse Asam bellare. Cum quo autem bellauerit anno regni sui vndecimo, duodecimo, & decimotertio, licet Scriptura sacra non explicet, id tamen haud obscurè colligi posse videtur ex eo, quòd 3. Reg. cap. 15. vers. 16. dicitur fuisse bellum inter Asam & Baasam cunctis diebus eorum. Quod proculdubiò non absolutè accipiendum est, sed post primos decem regni Asæ annos; alioqui sibiipsi Scriptura contradiceret. Deinde, quia 2. Paralip. c. 15. vers. 8. legimus, quòd Asa cùm de prœlio contra Æthiopes gesto rediisset, abstulit idola de vrbibus suis, etiam ab illis quas ceperat montis Ephraim. Ex quo loco videtur necessariò colligi, quòd Asa priusquam bellasset aduersus Aethiopes, iam bellum gesserat contra Regem Israel, abstuleratque ei quasdam ciuitates existentes in montibus Ephraim; illas nimirum, quarum etiam obiter fit mentio 2. Paralip. cap. 17. vers. 2. At verò bellum contra Aethiopes fuisse gestum anno regni Asæ decimoquarto, ex his quæ sub anno mundi 3094. num. 2. dicemus, palàm fiet. Igitur

AB ORBE CONDITO ANNVS 3093. — QVINTÆ MVNDI ÆTAT. ANNVS 71.

ASA FELICITER PVGNAT CONTRA AETHIOPES.

1 ANNO regni Asæ decimoquarto ad finem vergente, (vt ex his quæ sub anno mundi proximo num. 2. dicemus, patebit) egressus est Zara Aethiopum Dux aduersus Iudam cum numerosissimo exercitu, videlicet cum decies centum millibus pugnatorum, & trecentis curribus. Contra quem Asa Rex congregauit trecenta millia bellatorum de Iuda, & ducenta octoginta millia de Beniamin. Et vt audiuit Aethiopes venisse vsque Maressa, quæ erat ciuitas tribus Iudæ, vt patet Iosue cap. 15. vers. 44. perrexit obuiàm eis; atque instructis agminibus in valle Sephata prædictæ ciuitati proxima, inuocatoque fiducialiter Domino, cum hoste conflixit. Exterruit autem Dominus Aethiopes, quos in fugam versos persecutus est Asa cum suis vsque Gerara, & contriuit eos; percussisque ac subuersis cunctis per circuitum Geraræ ciuitatibus, fecit prædam magnam, tulitque spolia multa, & propemodum infinitam pecorum camelorumque multitudinem: 2. Paralip. cap. 14. vers. 8. vsque ad finem capitis.

DE DVPLICI AETHIOPIA

2. Sanè de istis Aethiopibus, qui venerunt pugnare contra Iudæos, meritò quæri potest, quinam fuerint, & vnde venerint. Constat enim ex Strabone lib. 1. suæ Geographiæ, & Plinio lib. 5. cap. 7. olim duplicem fuisse Aethiopiam: alteram in Africa, quam Occidentalem appellabant, cuius incolæ Abyssini hodie dicuntur, & Preteianno ipsorum domino parent; alteram in Asia, quam vocabant Orientalem. Quamuis de hac dubium sit inter Doctores, in quanam Asiæ plaga esset posita; quibusdam opinantibus, ipsam fuisse in Indiæ regionibus, vbi etiam nunc certum est habitare Aethiopes, præsertim in ea prouincia quam hodie vocant Malabar, posita in extremis Indiæ oris Australibus, quæ Indico Oceano alluuntur; & item in insula dictæ prouinciæ proxima, nomine Zeilam, vt refert Abrahamus Ortelius in suo Orbis Theatro, tabula 4. Aliis contrà asserentibus, Aethiopiam Orientalem in Arabiæ partibus Mesopotamiæ proximis extitisse: quorum opinio magis consona esse videtur sacræ Scripturæ, quæ pluribus in locis satis euidenter insinuat, Aethiopes à Iudæa non admodum fuisse remotos: nam in Psalm. 86. Dauid connumerat Aethiopes inter nationes Iudææ vicinas, dicens: *Ecce alienigenæ, & Tyrus, & populus Aethiopum, hi fuerunt illic.* Certum est autem ibi per alienigenas significari Palæstinos: hos enim (vt videre est apud LXX. Interpretes) Israëlitæ Allophylos Græcè, hoc est Latinè alienigenas appellabant, eò quòd nulla essent cum ipsis affinitate coniuncti, sicut erant alij populi in confinio terræ Israel positi, nimirum Madianitæ, Moabitæ, Ammonitæ & Idumæi; quorum primi, de Madian filio Abrahæ ex Cetura; duæ verò posteriores, de Lot

eiusdem

eiusdem Abrahami nepote; postremi autem, de Edom, qui & Esau, Iacobi fratre descenderant. Philisthæi namque, qui (vt sub anno mundi 1931. num. 31. diximus) de Mesraim filio Cham prodierunt, nullam habebant cum Hebræis affinitatem; siquidem isti non de Cham, vt illi; sed de Sem propagati erant, quemadmodum ex his quæ sub proximè citato mundi anno num. 52. dicta sunt, perspicuum est. Itaque, vt ad rem veniamus, si Tyrios & Palæstinos Hebræis fuisse vicinos nemo est qui dubitet, ergo, prout dicebamus oportet Aethiopes quoque illos ibidem pariter cum Tyriis Palæstinisque recensitos, non procul ab Hebræorum ditione habitasse. Præterea 2. Paralip. cap. 21. vers. 16. apertè traditur, Arabes temporibus Ioram Regis Iudæ Aethiopibus fuisse confines. Quo in loco, per Arabes, non omnes Arabiæ incolas, sed eos specialiter accipiendos aiunt, quos Chronographi, Arabes scenitas, id est sub pellibus habitantes, vocant, qui fortè erant illi Aethiopes, qui inter Madianitas, vel prope ipsos habitabant, de quibus dicitur in Cantico Habacuc: *Vidi tentoria Aethiopiæ, turbabuntur pelles terræ Madian.* Quòd autem Madianitæ essent mixti, vel saltem vicini Aethiopibus, etiam confirmari potest; quia Sephora vxor Moysi, quæ proculdubiò erat Madianitis, vt patet Exod. cap. 2. vers. 16. & 21. nihilominùs Numer. cap. 12. vers. 1. appellatur Aethiopissa; siue quia quodammodò esset talis, nimirum ex patre Madianita, matre verò Aethiopissa; vel potiùs (vt sub anno mundi 2545. num. 59. diximus) quoniam ibi à Maria sorore Moysi per contumeliam sic fuerit appellata, eò quòd esset de gente Aethiopibus contigua, seu de terra Aethiopum referta. Etenim Madianitas ab Aethiopibus genere fuisse diuersos, constat ex his quæ partim sub anno mundi 1931. num. 24. partim sub anno 2197. num. 4. diximus; nimirum Aethiopes à Chus filio Cham; Madianitas verò à Madian filio Abrahæ ex Cetura, & consequenter à Sem fratre dicti Cham originem duxisse. Verùm vtcumque sit de Aethiopia Orientali, nemo est qui non facilè admittere debeat, olim Aethiopes, sicut & ceteras nationes, siue propter bella sæpè de propriis sedibus pulsos, siue aliis de causis, sparsim ad varias terræ regiones transmeasse: quandoquidem certum est, vt memoratus loco citato testatur Ortelius, hodie non solùm in prædictis Indiæ regionibus, & in ea Africæ plaga quæ ad Orientem spectat, & Arabico sinu alluitur, Aethiopes inhabitare; sed in alia quoque eiusdem Africæ plaga, priori opposita, & satis ampla, quæ propterea Nigritarum regio appellatur, & ad Occidentem ac Meridiem Oceano terminatur. Quin etiam, eodem teste, constat, nonnullos item in quodam Americæ loco, Quareca ab incolis appellato, reperiri; vt non mirandum sit, si Asæ aliorumque Regum Iuda temporibus, etiam in proximis Iudææ regionibus Aethiopes plurimi habitauerint.

3. Itaque vt ad propositum quæsitum respondeamus, dicimus, non admodum verisimile videri, quòd Asa regnante in Iudæa, de valdè longinquis regionibus tam grandis exercitus, nempe decies centena millia Aethiopum venerint, vt ei bellum inferrent. non enim tunc adeò famosum opulentumque & potens erat Iudææ regnum, vt à remotissimis terrarum partibus trahere posset exercitum pænè innumerabilem, ad se debellandum. Quare mens refugit credere, Zaram hunc cum tam copioso exercitu de prædictis Indiæ prouinciis venisse; præsertim cùm id videatur fieri non potuisse sine admodum diuturna nauigatione, aut plurimarum terrarum in suo transitu deuastatione; quemadmodum de Holoferne legimus Iudith cap. 2. antequam peruenisset ad obsidendam Bethuliam. Et licet non sit incredibile, dictum Zaram de Abyssinorum terra exisse, non tamen videtur probabile; quandoquidem necessarium fuisset, ipsum vel ingenti classe Arabicum sinum traiecisse, vel longissimis ac difficillimis itineribus per Aegypti regiones, non sine magna illarum nationum commotione, mox per loca deserta & arida exercitum traduxisse: quarum rerum ne minima quidem in Sacro textu fit mentio. Quamobrem multò probabilius relinquitur, prædictos Aethiopes siue aliquo modo à Iudæis lacessitos, siue vltrò aliqua occasione arrepta, de proximis, seu non valdè remotis à Iudæa regionibus, cum equis & curribus, veluti ex improuiso esse egressos (quemadmodum etiam ex modo loquendi Scriptura videtur insinuare) atque Iudæorum regnum inuasisse: verumtamen, Deo benè iuuante, non solùm à Iudæis repulsos; sed etiam fugatos contritosque fuisse, vt suprà dictum est. Et hoc circa huius anni finem accidisse credimus.

VNDE VENERIT ZARA DVX AETHIOPVM CONTRA ASA.

AB ORBE CONDITO ANNVS 3094. QVINTÆ MVNDI ÆTAT. ANNVS 72.

AZARIAE PROPHETAE VATICINIA, ET SANCTAE COHORTATIONES.

I ANNO autem proximo circiter inchoante, qui erat regni eius decimusquintus, Aſa Rex & exercitus eius, cùm poſt tam grandem partam victoriam redirent læti in Ieruſalem, obuium habuerunt Azariam Prophetam, qui diuino actus Spiritu, Regem populumque admonuit, ne putarent ſe propter bellicam ipſorum fortitudinem de Aethiopibus tam mirabilem reuexiſſe victoriam; ſed certò ſcirent, ſe eam diuino fauore conſecutos, propter ſeruatam pietatem ac veri Dei cultum, obedientiamque eidem Deo præſtitam. In qua ſi deinceps perſeuerauerint ac profecerint, diuinum opportunis temporibus præſidium, & cuncta proſpera: ſin autem, aduerſa omnia in poſterum ab eis expectanda. Deinde vaticinans idem Propheta, prædixit quaſdam poſt multa tempora futuras populi tranſgreſſiones, & ob eam cauſam bella admodum moleſta, grauesque calamitates ac terrores eidem à Domino immittendos; ita vt multo tempore ſine Deo, ſine Sacerdote, ſine Doctore ac Lege eſſent permanſuri: verum tamen, inquit, *cùm reuerſi fuerint in anguſtia ſua ad Dominum Deum Iſrael, & quæſierint eum, reperient eum*: 2. Paralip. cap. 15. verſ. 3. vſque ad 7. Quæ quidem prophetia variè admodū ab Eccleſiaſticis Doctoribus explicatur, vt videre eſt apud Abulenſem ſuper loco Paralip. proximè citato, vbi quinque ipſorum expoſitiones fusè ſatis lateque refert & examinat; & demum ceteris confutatis, quintam declarat & probat, quæ habet, Prophetam memoratis verbis prædicere voluiſſe infelicia & ærumnoſa quædam tempora in regno Iudæorum non valdè multos poſt annos ſubſecutura; nimirum regnantibus in eo impiis quibuſdam atque idololatris Regibus; quales mox fuerunt Ioram, Ochozias, Athalia, Achaz, & Amon, nec non Ioas in poſterioribus, & Manaſſes in prioribus regni ſui annis, maximè verò Achaz omnibus diebus regni ſui, qui in hoc genere fuit ceterorum omnium peſſimus. Horum enim, & præcipuè ipſius Achaz temporibus, verè dici poterat, Iudæos, vniuerſaliter loquendo, fuiſſe ſine Deo vero, ſine Sacerdote & Doctore, & ſine Lege; quia neq; verum Deum, ſed falſos deos, hoc eſt idola colebant; neque Sacerdotes & Doctores, ſi qui tunc extabant, munia ſua obire poterant; neque diuinæ Legis obſeruantia, vel etiam vix notitia vlla apud eos vigebat; ſed cuncta erant contaminationibus plena, & præuaricationibus innumeris; vt propterea cùm potuiſſet Dominus (Amos cap. 2. verſ. 4.) alia Iudæis peccata obiicere, illud inſtar omnium eis exprobrat, quòd abiecerint Legem Domini, & mandata eius non cuſtodierint. Quid eſt autem abiicere Legem Domini? niſi eam contemnere, & nullam eius rationem habere, atque ita ſe in actibus ſuis gerere, ac ſi nullam prorſus à Deo Legem accepiſſent. Meritò igitur ipſi continuis propemodum vexari bellis, grauibusque aliis infortuniis à Deo caſtigari meruerunt, quemadmodum ſuis locis explicatiùs dicemus. Verumtamen (ne quid deeſſet ex his quæ memoratus Propheta, in poſtremis præſertim ſuis verbis, prædixerat) Iudæi tandem aliquando, Ezechiæ ſcilicet & Ioſiæ temporibus, pia horum Regum opera reuerſi ad Dominum, inuenerunt illum ſibi propitium. Et hæc ſunt quæ prædictus Azarias hîc præuidiſſe ac prophetaſſe creditur. Quæ certè in eodem regno poſt quinquaginta & aliquot ab hoc tempore annos, videlicet non multò poſtquā mortuus eſt Ioſaphat Rex Iuda, videntur impleri cœpiſſe, & multis poſteà annis perduraſſe. Nec prædictis obſtat, quòd ipſe Azarias cap. Paralip. citato verſ. 3. dixerit, *Tranſibunt autem multi dies in Iſrael abſque Deo*, &c. & non dixerit, *in Iuda*; quia certum eſt, ibi poſitum eſſe Iſrael pro Iuda, vt ibidem rectè docet Abulenſis: nam Iſraëlitæ iam vſque ab initio regni Ieroboam filij Nabat, à vero Deo receſſerant, & adorabant vitulos aureos: nec Azarias cenſendus eſt præterita vel præſentia illis verbis pronuntiare, ſed futura prædicere voluiſſe. Verùm & aliàs quoque in Sacro eloquio Iſrael pro Iuda vſurpari patet 2. Paralip. cap. 12. verſ. 1. vbi legimus: *Cùmque roboratum fuiſſet regnum Roboam & confortatum, dereliquit* (ſubaudi, Roboam) *Legem Domini, & omnis Iſrael cum eo.* id eſt, omnis Iuda cum Roboam Rege ſuo. Non enim poteſt intelligi, quòd cum Roboam Rege Iuda dereliquerint Dominum Iſraelitæ, qui, vt dictū eſt, priùs à Domino deſciuerant cum Ieroboamo ipſorū Rege. Porrò Iudæos, hoc eſt duas tribus, Iudæ ſcilicet & Beniamin, non ſolùm antequam ipſæ in Babylonem, & decem tribus in Aſſyrios abductæ eſſent, vt diximus; ſed etiam quando ipſæ in Babylonia captiuæ detinebantur, vocabulo Iſrael interdum ſignificari, conſtat Ezechielis cap. 2. verſ. 3. vbi habemus, Dominum dixiſſe ipſi Ezechieli: *Fili hominis, mitto*

ego

ego te ad filios Israel, id est ad filios Iuda, qui cum eo captiui erant in Babylone. certum namque est, Ezechielem prædictis duabus, non autem decem tribubus prophetasse. Quin etiam iidem Iudæi, posteaquã redierunt de captiuitate, sæpiùs in libris Esdræ sub nomine Israel memorantur, vt videre est lib. 1. cap. 2. in fine, & cap. 6. vers. 16. 19. & 21. & cap. 7. vers. 7. 13. & 28. & cap. 9. vers. 1. & cap. 10. vers. 10. & item lib. 2. non semel, & apud Ezechielem sæpissimè, & interdum etiam apud alios Prophetas, & in libris Machabæorum. Quæ profectò loca, & si quæ sunt eiusmodi alia, non aliter exponi possunt, quàm de ipsis Iudæis. Quo fit vt rectè quidem sanctus Hieronymus super Malachiæ cap. 1. *Sciendum est,* inquit, *quòd abducto in captiuitatem Israel, id est decem tribubus, indifferenter pristino nomine & duæ tribus Iuda & Beniamin & appellentur Israel.* Sed fortè rectiùs dixisset, si absolutè, hoc est, etiam ante prædictam Israelitarum captiuitatem, Iudæos aliquando Israelis vocabulo, vt probatum est, vocari consueuisse asseruisset. Tametsi vtique credendum sit, S. Doctorem non sine rationabili causa addidisse illa verba: *Abducto in captiuitatem Israel.* nimirum vt insinuaret, quòd anteà raro admodum, deinceps verò frequentiùs in Sacris libris Iudæi Israelis nomine nuncupati inueniuntur. Sed vt tandem ad historiam nostram redeamus:

2. Azarias post memoratum eius de malis quibusdam temporibus in regno Iudæ posteà secuturis vaticinium breuiter ac veluti obiter pronuntiatum, statim ad eos qui tunc præsentes aderant conuersus, hortabatur eos, vt in bono quod cœperant progrederentur, largam à Domino mercedem expectantes. Qua cohortatione tantum profecit, vt Rex vehementiùs ad augendum Dei cultum inflammatus, intra duos primos huius anni menses iterùm idola, hoc est idolorum reliquias auferendas curauerit de omni terra Iudæ, & de Beniamin, & ab omnibus vrbibus, quas (vt refertur 2. Paralip. cap. 17. vers. 2.) ceperant in monte Ephraim ipse & Abia pater eius, vt traditur in eiusdem lib. cap. 13. vers. 19. Quibus actis, Asa Rex continuò dedicauit altare holocautomatum, quod erat ante porticum Domus Domini: 2. Paralip. cap. 15. vers. 1. vsque ad 9. Ex quo insinuatur, illud priùs ab eodem Rege fuisse instauratum, quòd aliqua reparatione indigeret. Porrò in mense eiusdem anni tertio, vt expresse traditur 2. Paralipom. cap. 15. vers. 9. (fortassis in festo Pentecostes, quod in die dicti mensis sexta, & quandoque septima, quando scilicet in secunda die Azymorum incidebat Sabbatum, vt sub anno mundi 2544. num. 40. probauimus, celebrari solebat) congregauit Asa Rex in Ierusalem vniuersum populũ de Iuda & Beniamin, & item aduenas tribuum Ephraim, & Manasse, & Simeon, qui ad ipsum confugerant, videntes quòd Dominus esset cum eo; immolaueruntque (subaudi, in dedicatione altaris nuper instaurati) boues septingentos, & arietes septem millia, de præda quam fecerant, vtique in memorato contra Aethiopes prælio. Ex quo fit clarum, quòd illud bellum paulò antè, nimirum sub finem præcedentis anni, qui erat regni Asæ decimusquartus, confectum fuerat; non autem anno decimo, vt perperàm scripsit Iosephus 8. Antiq. cap. 6. Et consequenter inferri potest, Azariam Prophetam circa initia huius anni decimiquinti venisse in occursum Regi Asæ, vt suprà dictum est. Eodem item tempore, nimirum quando in dedicatione altaris obtulit tot sacrificia Domino, Asa Rex, præter ea quæ ipse quoque de Aethiopum manubiis consecrasse creditur Domino, intulit etiam in Domum Domini ea quæ consecrauerat Abia pater eius de spoliis Israelitarum, vt sub anno mundi 3077. num. 3. diximus. Insuper in eodem populi conuentu, Rex Asa & omnes qui ad illam solemnitatem venerant, iureiurando firmauerunt fœdus coram Domino, promittentes quærere illum in toto corde suo; statuentesque mortis pœnam, sine vlla personarum exceptione, his qui non sequerentur Dominum. In cuius statuti executionem, vt ceteris timorem incuteret, Rex propria auctoritate amouit Maacha matrem suam à sacris Priapi; atque in pœnam huius sceleris, deposuit eam de imperio, & lucum quem illa consecrauerat, specumq; subuertit; necnon & simulacrum turpissimum confregit, comminutumque combussit iuxta torrentem Cedron; ac cineres in eodem proiectos dispersit: 2. Paralip. cap. 15. vers. 9. vsque ad finem capitis.

ASA CVLTVM DEI MAGIS AVGET.

ALTARIS A SE INSTAVRATI DEDICATIONEM CELEBRAT.

INFERT IN TEMPLVM, QVAE IPSE ET PATER EIVS DOMINO CONSECRAVERANT.

IPSE ET POPVLVS FIRMANT FOEDVS CVM DOMINO.

AMOVET MATREM A CVLTV PRIAPI.

AB ORBE CONDITO ANNVS 3095. — QVINTÆ MVNDI ÆTAT. ANNVS 73.

1 ANNO regni Asæ decimò sexto, vt paulò pòst probabitur, iterùm exortum est bellum inter ipsum Asa Regem Iuda & Baasa Regem Israel; quod posteà perdurauit (vt innuitur 3. Reg. cap. 15. vers. 16.) vsque ad obitum ipsius Baasa. Occasio autem

ORITVR DENVO BELLVM INTER ASA ET BAASA.

autem renouandi inter præfatos Reges belli fuit, quoniam dictus Baasa ascendens in Iuda occupauit Rama, cœpitque eam circumdare muris, vt poneret in ea validum præsidium, quo caueret, ne quis ipso inscio exire de regno Iuda, aut intrare posset in illud. Ex quo videtur posse colligi, prædictam Rama, quæ Iosue cap. 18. vers. 25. ponitur in tribu Beniamin, & consequenter ad regnum Asæ pertinebat, fuisse in confinio regni Baasæ; & in quodam loco, per quem communis erat via & transitus de regno Iudæ ad regnum Israel, & econuersò: propterea, vt dictum transitum (quod sibi ad inuadendum, quandocumque vellet, regnum Iuda, valdè opportunum videbatur) in sui potestatem redigeret; munire aggressus est Rama, vt describitur loco Reg. proximè citato, & 2. Paralip. cap. 16. vers. 1.

EXPONITVR LOCVS 2. PARALIPOM. CAP. 16. V. 1.

¶ 2. Vbi licet hoc dicatur contigisse anno trigesimo sexto regni Asæ, nihilominus certum est; hunc numerum nullatenus posse accipi ab eo tempore quo cœpit regnare Asa: nam 3. Reg. cap. 16. vers. 6. manifestè constat, Baasam mortuum esse, & successiuè pro eo regnasse filium eius nomine Ela, anno regni Asæ vigesimo sexto: quod etiam annotarunt Abulensis & Caietanus super loco Paralip. adducto. vbi Abulensis quæst. 3. licet optimè quidem impugnet expositionem Lyrani; qui vt hunc nodum dissoluat, supponit primò Asam vicisse Aethiopes anno regni sui decimo vel vndecimo, & ab illa insigni victoria voluisse deinceps numerari annos regni sui: deinde id quod legimus 3. Reg. cap. 15. vers. 28. & 33. videlicet, *Anno tertio Asa regnauit Baasa*, exponit de anno tertio Asæ à deuictis Aethiopibus, qui erat decimustertius vel decimusquartus ab initio regni eius; & sic putat Baasam, licet regnauerit tantummodò annis viginti quattuor, potuisse peruenire vsque ad annum regni Asæ trigesimum sextum vel septimum. Licet, inquam, Abulensis quæstione citata meritò optimeque refellat memoratam Lyrani solutionem; ipse tamen fatetur tandem, se nescire quomodo ista difficultas tolli possit. Caietanus autem, cui consentiunt Ioannes Lucidus lib. 2. de Emendatione temporum cap. 9. & Melchior Canus lib. 11. Locorum Theologicorum, in Responsione ad Argumentationem 12. dicunt, præallegatum 2. Paralip. cap. 16. vers. 1. textum esse corruptum, & pro *trigesimo sexto*, debere legi *vigesimo sexto*, quemadmodum etiam, inquiunt, in calce capitis præcedentis, loco eius quod ibi dicitur, non fuisse bellum *vsque ad trigesimum quintum annum regni Asa*; legendum esse, *vsque ad annum vigesimum quintum.*

REFELLVNTVR EXPOSITIONES CAIETANI, LVCIDI, ET CANI.

Sed hæc solutio videtur valdè periculosa: nam si semel admiserimus, mendum aliquod alicubi in sacra Scriptura irrepere potuisse; de multis quoque aliis eiusdem Scripturæ locis dubitari poterit; vt benè sanctus docet Augustinus Epistola 9. ad Hieronymum. & refertur in Decreto distinct. 9. can. 7. *Si ad sacras Scripturas*. Deinde falluntur, meo iudicio, Caietanus, Lucidus, & Canus, existimantes Baasam Regem Israel ascendisse in Rama, anno Asæ Regis Iudæ vigesimo sexto: quia certū est, Baasam mortuum esse anno regni Asa vigesimo sexto; & eodem anno successisse ei in regno Ela filium eius, vt expresse traditur 3. Reg. cap. 16. vers. 6. & 8. & oportet supponere, obitum Baasa circa priores illius anni menses contigisse; alioqui non posset ibidem dici de Ela filio eius, quòd regnauerit duobus annis, cùm ipse Ela occisus fuerit anno vigesimo septimo regni Asa, vt cap. proximè citato vers. 15. legimus. Si igitur Baasa decessit intra primos menses anni vigesimi sexti Asa, certè admodum probabile est, quòd Baasa non illo anno, sed multò antè ascenderit in Iuda aduersus Asa, & ædificauerit, id est muniuerit Rama: præsertim cùm ab eius ædificatione amoueri numquam potuerit, donec Rex Iuda muneribus induxit Benadad Regem Syriæ, vt coacto exercitu inferret bellum Regi Israel; ad quæ peragenda non modico tempore videtur opus fuisse. Præterea 3. Reg. cap. 15. vers. 16. dicitur, inter Asa & Baasa extitisse bellum *cunctis diebus eorum.* quæ verba proculdubiò indicant, bellum hoc fuisse satis longum: atqui ex opinione Caietani, Lucidi, & Cani, sequeretur, idem bellum fuisse breuissimum, ac penè eodem tempore cœptum fuisse & expletum, per mortem ipsius Baasa. Denique, si cùm prædictis Auctoribus ponamus, venisse Baasa in Rama anno regni Asa vigesimo sexto; nullatenus poterit saluari, & cum Vulgato conciliari textus LXX. Interpretum, qui 2. Paralip. cap. 16. in principio ait, hoc euenisse anno trigesimo octauo regni Asa, quemadmodum nos numero sequenti ostendemus.

AVCTORIS EXPOSITIO.

3. Meliùs itaque puto dicendum (vt saluemus Sacri textus litteram) reuerà istud bellum ortum esse anno regni Asa trigesimo sexto, vt 2. Paralip. in initio capitis 16. habent omnia quæ viderim Vulgatæ editionis exemplaria, & præsertim emendatiora, & quæ maioris sunt auctoritatis; & item Græci Hebraicique codices, quemadmodum Canus loco citato testatur: anno, inquam, trigesimo sexto regni Asa, hoc est, regni, cui tunc

tunc præerat Aſa; quod eſt ac ſi dictum eſſet, præfatum bellum inchoaſſe anno trigeſimo ſexto regni Iuda. Conſtat autem regnum Iuda diſtinctum à regno Iſrael, cœpiſſe anno primo Roboam; tunc enim deficientibus ab eo decem tribubus, diſcretum fuit regnum Iuda à regno Iſrael, & illud quodammodò fuit exordium regni Iuda, cui poſt Roboam & Abiam præfuit Aſa. Sanè ex hac expoſitione conſequitur, quòd iſte annus trigeſimus ſextus coincidit cum anno decimoſexto, ex quo regnare cœperat Aſa, vt videre eſt in tabulis, & euidenter patet, quia decem & ſeptem anni Roboam, & tres Abia, & ſexdecim Aſa, faciunt triginta ſex. Igitur præfata Scripturæ verba, licet prima fronte aliud ſignificare videantur; tamen ſi rectè intelligantur, proculdubiò hunc ſenſum indicare volunt, quòd anno decimoſexto, ex quo Aſa Rex conſtitutus fuerat, aſcendit Baaſa in terram Iuda, & occupauit, munireque cœpit Rama. Quòd ſi obiicias, Scripturam ſacram hactenus ſupputaſſe annos cuiuſque Regis, tum Iudæ tum Iſraelis, ab accepto regno, non autem ab exordio regni Iudæ vel Iſrael; & propterea non eſſe veriſimile, quòd nunc voluerit computare annum trigeſimum ſextum regni Aſa, ab initio regni Roboam; Dicimus, non eſſe hoc nouum in Sacris libris: quandoquidem, tametſi ordinariè annos Regum ab eo tempore, quo quiſque regnare cœperat, dinumerare conſueuerint; ſolent nihilominùs etiam quandoque obiter, & præter cœptum ordinem, eos computare ab aliqua inſigni actione, quæ ante vel poſt inchoatum regnum præceſſerit. Ponam hîc aliquot huius rei exempla, vt res planior fiat. In ſecundo Regum libro, tempora rerum ibidem deſcriptarum notantur per annos regni Dauidis: & tamen cap. 15. verſ. 7. defectio Abſalom à patre ſuo Dauide, dicitur contigiſſe poſt quadraginta annos; non vtique ab anno ibi proximè antè notato; neque à primo regni Dauidis numerandos; ſed à prima vnctione eius facta per Samuelem multis annis antequam regnare inceperit, quemadmodum latè ſub anno mundi 3004. n. 2. probauimus. Item 4. Reg. cap. 8. verſ. 16. dicitur Ioram regnaſſe ſuper Iuda anno quinto Ioſaphat patris ſui; qui tamen annus non erat quintus ab initio regni eius, à quo reliqui ſupputari ſolent; ſed à ſpeciali eius præſeruatione de mortis periculo, cùm dimicaret contra Syros, vt ſub annis mundi 3138. num. 3. & 3143. num. 2. dicemus: Legimus etiam Ierem. cap. 28. verſ. 1. annum quartum regni Sedeciæ appellari principium regni eius; nimirum quia, cùm tunc iterùm à Nabuchodonoſor confirmatus fuiſſet in regno, volebat inde numerari annos regni ſui, vt nos ſub anno mundi 3439. num. 4. declarabimus. Exodi quoque cap. 12. verſ. 40. ponitur ſumma quadringentorum triginta annorum, quæ prima facie videtur eſſe computanda ab introitu Iſraelis in Ægyptum; & tamen reverà ſupputari debet à diuinis promiſſionibus Abrahæ factis, vt nos ſub anno mundi 2329. num. 15. ex ipſis etiam Apoſtoli verbis probauimus. Præterea etiam Daniel. cap. 2. verſ. 1. legimus, quòd Nabuchodonoſor vidit quoddam ſomnium anno regni ſui ſecundo, & tamen ille annus non eſt accipiendus fuiſſe ſecundus ab initio regni ſui, ſed à depopulata Ægypto, Moabitiſque deuaſtatis, quo tempore ſibi Monarchæ nomẽ vindicauit, atque deinceps ab eo regni ſui annos dinumerari voluit, quemadmodum ſub anno mundi 3452. num. 1. oſtendemus. His addere poſſumus, quod in textu LXX. Interpretum Danielis cap. 13. verſ. 1. traditur; nimirum Nabuchodonoſor anno decimooctauo feciſſe ſibi imaginem auream, eamque ab omnibus adorari iuſſiſſe; quem annum non ab initio regni Monarchiæve eius numerari poſſe, ſed ab anno quo ipſe poſtremam Ieroſolymæ oppugnationem aggreſſus fuerat, ſupputari debere; nos ſub anno mundi 3462. num. 6. oſtendemus. Hæc autem quandoque in Sacro eloquio extraordinariè fieri nemo miretur, abſurdúmve, aut ſine myſterio eſſe putet; quandoquidem etiam in hoc vniuerſo conſpicimus, multa, non ſine ſpeciali nutu ac voluntate diuina, fieri præter conſuetum curſum ordinemque naturæ.

	17
	3
	16
	36

4. Ceterùm editio LXX. Interpretum Romæ anno ſalutis 1588. impreſſa, in principio capitis 16. 2. Paralip. pro *Anno trigeſimo ſexto*, habet, *Et in octauo & trigeſimo anno regni Aſa, aſcendit Rex Iſrael*, &c. Qui annus trigeſimus octauus nullo modo poteſt corrigi ad mentẽ Caietani, Lucidi, & Cani, & accipi pro anno vigeſimo octauo regni Aſa; quia tunc iam mortuus erat Baaſa Rex Iſrael: ſed benè poſſet accipi, iuxta noſtram expoſitionem paulò antè adductam, pro anno decimooctauo ipſius Aſa, ſi verum eſſet, quòd iſte aſcenſus dicti Baaſa in Rama contigiſſet in anno decimooctauo regni Aſa, vt ex LXX. Interpretum lectione videtur poſſe colligi; non autem in decimoſexto, vt ex Vulgata deductum eſt. Sed nos libentiùs hîc ſequimur textum editionis Vulgatæ, qui eſt maioris auctoritatis: niſi fortè vterque conciliari poſſit, referendo annum decimumſextum, ad initium ædificationis ſeu munitionis Ramæ; decimum verò octauum, (EXPONITVR TEXTVS LXX. INTERPRETVM.)

ad

ad finem; quando scilicet Baasa, Syrorum exercitu opprimente regnum suum, coactus est intermittere ædificationem seu munitionem Ramæ, & redire ad regni sui defensionem.

EXPONITVR TEXTVS 2. PARAL. C.15.V.VLT.

5. Eodem quoque modo, quo exposuimus textum 2.Paralipomenon c. 16. vers. 1. oportet exponere id, quod in calce præcedentis capitis legimus, videlicet: *Bellum verò non fuit* (subintellige inter Asa & Baasa) *vsque ad trigesimum quintum annum regni Asa.* id est regni Iuda, cui tunc præerat Asa. qui annus trigesimus quintus, secundum prædicta, coincidit cum anno decimo quinto, ex quo cœperat regnare Asa. Nisi enim ita exposuerimus, quomodo poterit verum esse quod dicitur 3.Reg.cap.15.vers.16.nimirum, fuisse bellum inter Asa & Baasa cunctis diebus eorum. Nam si locus Paralipomenon proximè citatus ad litteram accipiatur, ita vt reverà bellum non fuerit inter Asa & Baasa, nisi anno trigesimo quinto regni ipsius Asa, profectò sequeretur, nullum omnino vmquam potuisse bellum esse inter Asa & Baasa: siquidem, vt dictum est, Baasa decessit anno regni Asa vigesimo sexto. Quomodo ergo verum est quod diximus, ipsum Baasa ascendisse in Iuda, & occupasse Rama? Si autem præfatus locus Paralipomenon corrigatur ad mentem Caietani, Lucidi, & Cani, ita vt pro *vsque ad trigesimum quintum*, legamus, *vsque ad vigesimum quintum*, oportet ipsum Baasa anno dumtaxat regni sui postremo bellum gessisse cum Asa. quare frustrà & ineptè dictum esset loco Reg. adducto, fuisse bellum inter Asa & Baasa cunctis diebus vitæ eorum. Posita autem nostra superiùs adducta memorati loci Paralipomenon expositione, facile erit cuncta plana facere, & allegata Scripturæ sacræ loca dictaque conciliare, si dicamus, quòd licet ante bellum gestum ab Asa cum Aethiopibus, fuerint aliqua bella inter ipsum Asa & Baasa, vt sub anno mundi 3090.num.1. probatum est; tamen post deuictos ab Asa Aethiopes, nullum fuit bellum inter Asa & Baasa, vsque ad decimumquintũ regni Asæ expletum. etenim anno decimosexto ascendit Baasa contra Asam in Rama, vt dictum est. Deinceps verò bellum perpetuò fuit inter prædictos Reges, donec alter eorum, nempe Baasa, mortuus est, anno regni Asæ vigesimo sexto, vt sæpius dictum est.

ASA A BENADAD ADIVTVS ABIGIT A RAMA BAASAM.

6. Igitur, vt ad caput redeat narratio nostra, Asa Rex Iuda, anno regni sui decimosexto circiter ineunte, vt primùm audiuit quòd Baasa Rex Israel ascendisset in Rama, & quòd in perniciem regni Iuda muniret eam; misit argentum & aurum, quod ex thesauris suis & Templi congerere potuit, Regi Syriæ, nomine Benadad, rogans eum vt iniret secum amicitias, & rupto fœdere quod habebat cum Rege Israel, cogeret illum discedere à Rama. Qui petitis aquiescens, coacto missoque exercitu in terram Israel, percussit vniuersas vrbes muratas terræ Nephthalim; ac tandem compulit Baasam desistere ab opere quod moliebatur, & discedere à Rama, vt regno suo periclitanti suppetias ferret. Quo abeunte, confestim Asa, assumpto vniuerso Iuda, tulit inde lapides & ligna; & ex ipsis ædificauit, seu instaurauit, aut muniuit. Gabaa Beniamin, & Maspha: 3.Reg.cap.15.vers.17.vsque ad 23.& 2.Paralip. c.16. vers.1.vsque ad 7. Atque eodem tempore Asa Rex, ab Hanani Propheta cùm fuisset grauiter correptus & obiurgatus, quòd maiorem fiduciam habuisset in Rege Syriæ quàm in Domino, qui tradiderat in manu eius Æthiopes longè plures ac fortiores Syris; indignatus valdè, iussit Prophetam coniici in vincula, & aliquot de populo interfecit, quòd fortassis Prophetæ sententiam sequentes, de Rege murmurassent: cap.Paralip. citato vers.7. vsque ad 11.

CONIICIT HANANI PROPHETAM IN VINCVLA.

IEHV FILIVS HANANI PROPHETAE PRAENVNTIAT BAASAE INTERITVM DOMVS EIVS

7. Post hæc videns Dominus, quòd Baasa Rex Israel perseueraret ambulans in viis Ieroboam, qui peccare fecerat Israel, abducens ipsum à cultu Domini, & inducens ad colendos vitulos aureos; misit Iehu filium Hanani Prophetæ, præcedenti numero memorati, ad ipsum Baasam, qui exprobraret illi ingratitudinem quam ostenderat erga Dominum, impiè ab eo recedens, à quo tantopere fuerat exaltatus: & propterea prænuntiaret Regi & vniuersæ domui eius interitum ac miserabile exterminium: 3.Reg. cap. 16. vers.1. vsque ad 5. Id quando acciderit, nos sub anno mundi 3106. num.1. dicemus. Quo autem regni Baasæ anno hæc facta fuerit obiurgatio, Scriptura sacra incertum reliquit.

IEHV PROPHETA OCCISVS NE FVERIT A BAASA, AN NON.

8. Verùm, quia cap.Reg. citato vers.7. in editione Vulgata illis verbis: *Ob hanc causam* (subaudi Baasa) *occidit eum, hoc est Iehu filium Hanani Prophetam*, Scriptura sacra videtur indicasse, quòd Iehu ob vaticinium pronuntiatum contra Baasa Regem Israel, fuerit ab eodem Rege interfectus; magna hîc insurgit dubitatio, vtrùm hoc verũ sit, an non. Et ratio dubitandi est, quoniam 2.Paralip.cap.19.vers.2.legimus, quòd Iehu filius Hanani Videns, occurrit Iosaphato Regi Iuda redeunti de bello Syriaco, in quo ceciderat Achab Rex Israel, & increpauit eum quòd impio Achabo præbuisset auxilium. & c.20. vers.

vers. 34. apertè dicitur, quòd idem Iehu conscripsit gesta dicti Iosaphat. Oportet ergo ipsum Iehu non solùm fuisse superstitem regnante Iosaphat, sed etiam eidem aliquo tempore superuixisse. Constat autem ipsum Iosaphat quindecim post Baasæ obitum annis regnare cœpisse, & à dicto Baasæ obitu ad prædictum Iosaphati reditum excurrisse annos triginta tres, vt supputari potest in tabulis. non igitur potuit iste Iehu occidi à Baasa. Sed vt nos citiùs ex hac valdè implexa difficultate expediamus, breuiter dicimus, necessarium esse, vel quòd ille Iehu, qui dicitur à Baasa occisus, fuerit diuersus ab eo qui viuebat regnante Iosaphat; vel falsum esse, quòd dictus Iehu fuerit à Baasa interemptus. Et quidem primæ positioni admodum fauet lectio editionis Vulgatæ paulò superiùs adducta. Cui si quis opponat, quòd etiam ille Iehu, qui occurrit Iosaphato, & eius acta conscripsit, dicitur filius Hanani, & Propheta; responderi debet, Facilè fieri posse, vt eodem tempore, vel etiam faciliùs, vt diuersis temporibus extiterint duo Iehu Prophetæ, alter in Israel, & alter in Iuda, quorum patres ambo dicti sint Hanani. Nam & aliquot alia eiusmodi exempla nos sub anno mundi 3322. num. 5. adducemus. Altera verò sententia, nimirum quòd dictus Iehu non fuerit à Baasa occisus, sed idem fuerit, qui posteà occurrit ipsi Iosaphat; magis videtur consentanea Sacro textui LXX. Interpretum, qui cap. Reg. allegato, post commemoratum vaticinium quod Iehu contra domum Baasæ pronuntiauerat, statim subiungit: *Et propterea, quòd percussit eum.* hoc est (vt exponunt Hebræi) & quia Baasa peccauerat, propter hoc Dominus percussit eum. Quæ expositio eò videtur probabilior, quò magis cum textu Hebraico consentit, in quo non reperitur illa particula, quæ habetur in Vulgato Latino sic: *Hoc est ipsum Iehu filium Hanani, Prophetam.* ideoque Abulensis ibidem putat, eamdem clausulam à Glossa interlineari, expositionis ergò fuisse positam, posteà verò librariorum imperitiâ in ipsomet textu fuisse insertam. Neque huic secundæ positioni obstat, quòd Baasa nusquam aliàs legatur morte violenta percussus, quia sufficit id in textu LXX. Interpretum, vt diximus, fuisse indicatum. Nec refert quòd in eodem capite priùs dictum sit, Baasan dormisse cum patribus suis. quandoquidem etiam Ieroboam 3. Reg. cap. 14. vers. 20. dicitur dormisse cum patribus suis; & tamen 2. Paral. cap. 13. vers. 20. de ipso legimus: *Quem percussit Dominus, & mortuus est.* Vterque igitur, scilicet tam Ieroboā quàm Baasa, siue naturali, siue violenta morte decesserint, à Domino percussi dicuntur: quoniam illorum mors, qualiscumque fuerit, ipsis diuinitus inflicta fuit in vltionem præuaricationum suarum; sicuti posteà eadem ipsorum peccata euidentiùs quoque punita fuerunt, quando eorumdem posteritas omnino deleta fuit, videlicet quando Baasa interfecit Nadab filium dicti Ieroboam & totam domum eius; & similiter quando Zambri occidit Ela filium Baasæ, & exterminauit omnes posteros & amicos eius. Ceterùm, quænam ex his duabus opinionibus, vtpote ex Sacrorum textuum varietate exortis, verior sit & omnino tenenda, non facile est determinare; nisi priùs ab his, ad quos spectat eorumdem textuum recognitio, decernatur, cui magis in hac parte standum sit.

AB ORBE CONDITO ANNVS 3103. | QVINTÆ MVNDI ÆTAT. ANNVS 81.

1 ANNO regni Asæ Regis Iuda vigesimo quarto, necesse est mortuum esse Piriciadem Regem Assyriorum. Siquidem iste est annus regni eius trigesimus, vt videre est in tabulis: tot autem annos ipsum regnasse, scribit Eusebius in Chronicis. PIRICIADES ASSYRIORVM REX MORITVR.

AB ORBE CONDITO ANNVS 3104. | QVINTÆ MVNDI ÆTAT. ANNVS 82.

1 ANNO immediatè sequenti regnauit in Assyria Ophrateus, qui fuit Assyriorum Rex trigesimus tertius, vt idem tradit Eusebius. OPHRATEVS REGNAT IN ASSYRIA.

AB ORBE CONDITO ANNVS 3105. | QVINTÆ MVNDI ÆTAT. ANNVS 83.

1 ANNO vigesimo sexto regni Asæ Regis Iuda, Baasa Rex Israel cùm regnasset annos viginti quattuor, vt dicitur 3. Reg. cap. 15. vers. 33. (subintellige incompletos, quemadmodum sub anno mundi 3095. num. 1. diximus, & adhuc sub annis mundi 3110. num. 1. & 3117. num. 1. comprobabitur) mortuus est; & in eius lo- BAASA MORITVR.

ELA REGNAT IN ISRAEL.

cum successit, regnauitque eodem anno pro maiori, vt reor, parte Ela filius eius, quemadmodum traditur lib. Reg. citato cap. 16. vers. 6. & 8. Porrò Ela filius Baasæ regnauit in Thersa super Israel duobus annis, vt loco Reg. proximè citato expressum est: & ibidem quoque subintelligere debemus, Scripturam loqui de annis incompletis, vt ex his, quæ sub annis mundi proximè allegatis dicemus, manifestum fiet. Ceterùm iste Ela, sicut & pater eius, fecit malum in conspectu Domini, & peccare fecit Israel, vt dicitur 3. Reg. cap. 16. vers. 13. & propterea diuinam promeruit vindictam, de qua sub anno mundi proximo num. 1. agemus.

AB ORBE CONDITO ANNVS 3106. — QVINTÆ MVNDI ÆTAT. ANNVS 84.

ZAMBRI OCCISO ELA, REGNAT SVPER ISRAEL.

1 Anno regni Asa Regis Iuda vigesimo septimo, vt loco Reg. proximè citando notatur, hoc est, non longè post inchoatum annum, quemadmodum sub anno mundi 3110. nu. 1. ostendemus, Zambri, qui erat seruus dicti Ela Regis Israel, & dux mediæ partis equitum eius, rebellauit contra dominum suum Regem, & occidit eum in Thersa temulentum, ac bibentem in domo Præfecti Thersæ; & tyrannicè regnauit pro ipso septem diebus: non quia septem dumtaxat diebus superuixerit; sed quoniam his elapsis creatus fuit alius Rex, vt numero sequenti dicemus. Confestim autem Zambri percussit omnes propinquos & amicos Elæ, & deleuit omnem domum Baasæ patris eius; iuxta verbum Domini, quod locutus fuerat per os Iehu Prophetæ, à nobis sub anno mundi 3095. num. 7. relatum: & magnam exercuit tyrannidem. quæ omnia cap. Reg. citato vers. 9. vsque ad 16. describuntur, & vers. 20. breuiter repetuntur.

DELET OMNEM DOMVM BAASAE.

AMRI ELECTVS IN REGEM ADEGIT ZAMBRI VT SE INCENDIO TRADERET.

2. Post prædictos septem dies ab interitu Elæ, Israelitarum exercitus, qui tum obsidebat Gebbethon vrbem Philisthinorum, cùm audisset quòd Zambri rebellasset, occidissetque Regem Ela & propinquos eius, constituit sibi Regem Amri, qui tunc erat Princeps militiæ Israelis, & morabatur in castris. Itaq; Amri statim ac factus est Rex, mouit exercitum ab vrbe Gebbethon, & cum eo profectus est contra Zambri existentem in Thersa, quæ erat vrbs Israelitarum regia, & obsedit eam. Videns autem Zambri quòd expugnanda esset ciuitas, desperans se posse de manu Amri euadere, seipsum cum palatio in quo manebat incendio tradens, in peccatis suis mortuus est. Et tunc diuisus est populus Israeliticus in duas partes; media pars sequebatur Thebni filium Gineth, volebatque eum constituere Regem: & alia pars adhærebat prædicto Amri: præualuitque tandem, post quattuor circiter annos, populus qui erat cum Amri, & mortuus est Thebni: 3. Reg. cap. 16. vers. 16. vsque ad 23. Itaque

MEDIA PARS POPVLI PAREBAT THEBNI, ET ALTERA AMRI.

AB ORBE CONDITO ANNVS 3110. — QVINTÆ MVNDI ÆTAT. ANNVS 88.

MORTVO THEBNI REGNAT AMRI SOLVS.

QVOT ANNIS REGNAVERIT.

1 Anno trigesimo primo regni Asæ Regis Iuda, mortuo Thebni regnauit Amri solus super Israel: cap. Reg. allegato vers. 23. vbi subiungitur, ipsum Amri regnasse duodecim annis, nimirum sex in Thersa, & reliquos in Samaria. Sed hîc aduertere oportet, hos duodecim annos non esse numerandos ab hoc Asæ anno trigesimo primo, sed ab eo tempore, quo ipse Amri in castris Gebbethon obsidentibus creatus fuerat Rex, & exercitum duxerat contra Zambri: siquidem sub anno mundi 3117. n. 1. probabimus, ipsum Amri decessisse sub finem anni trigesimi octaui Asæ Regis Iuda; ergo oportet primum Amri annum ferè totum concurrisse cum vigesimo septimo Asæ, vt dispositum est in tabulis. Et hinc duo inferri possunt: Primò, verum esse quod sub anno mundi 3106. num. 1. supposuimus; videlicet, Ela filium Baasæ occisum fuisse non longè post initia anni vigesimi septimi Asæ; & consequenter, non regnasse duobus annis integris, sed tantummodò secundum regni sui annum attigisse. Deinde, memoratum Scripturæ dictum, quòd scilicet Amri regnauerit annis duodecim, necessariò esse accipiendum cum hac declaratione, computatis nimirum quattuor illis circiter annis, in quibus post mortem Zambri disceptatum est de regno inter Amri & Thebni.

AB ORBE CONDITO ANNVS 3111. — QVINTÆ MVNDI ÆTAT. ANNVS 89.

IOSAPHAT GENVIT IORAM.

1 Anno proximo, qui erat regni Asæ trigesimus secundus, & vitæ Iosaphat filij eius vigesimus sextus, vt patet in tabulis, circa anni initia, credimus ipsum Iosaphat

phat genuisse Ioram, qui posteà annos natus triginta duos, regnauit super Iuda, anno vitæ patris sui quinquagesimo octauo, regni verò vigesimo tertio, vt sub anno mundi 3143. num. 2. dicemus, & supputari potest in tabulis.

AB ORBE CONDITO ANNVS 3112. QVINTÆ MVNDI ÆTAT. ANNVS 90.

1 ANNO regni Asæ trigesimo tertio, vt ex his quæ sub anno mundi 3110. num. 1. diximus, inferri potest, Amri Rex Israel, posteaquam regnauit sex annis in Thersa, empto quodam monte duobus argenti talentis, à viro cui nomen erat Somer, ædificauit in eo ciuitatem, quam ex nomine venditoris appellauit Samariam; & in eam transtulit sedem regni Israel. Vnde patet, hanc vrbem non tantummodò ab ipso Amri instauratam auctámve fuisse, vt videtur sensisse Abulensis super 3. Reg. cap. 13. quæst. 40. sed à dicto Amri primò conditam atque à fundamentis erectam, vt idem quoque Auctor super eiusdem libri cap. 16. quæst. 15. clariùs sese explicauit. Neque obstat, quòd ex 3. Reg. cap. 13. vers. 32. & 4. Reg. cap. 23. vers. 18. & 19. videatur posse colligi, Samariam multò anteà extitisse, nimirum etiam quando in Israel regnabat Ieroboam filius Nabat, qui multis annis præcessit ipsum Amri: quia locis citatis vel de antiqua vrbe Samaria, longè ab hac diuersa, & de eius regione fit mentio, vel (quod magis reor) Auctor lib. 3. & 4. Reg. (qui creditur fuisse Ieremias Propheta, vt nos sub anno mundi 3448. num. 5. dicemus) ad faciliorem legentium intelligentiam, maluit locis citatis vti vocabulo Samariæ, quia suo tempore illa vrbs & regio communiter sic appellabatur; quemadmodum nos sub anno mundi 1931. num. 41. explicauimus. Ceterùm, Amri Rex Israel fecit malum coram Domino super omnes prædecessores suos, ambulauitque in peccatis Ieroboam filij Nabat, vt Scriptura testatur 3. Reg cap. 16. vers. 25. & idcircò non valdè diu durauit progenies eius, sed Deo iubente deleta penitus est, vt sub anno mundi 3150. num. 6. & 3151. num. 1. & 2. dicemus. SAMARIA AEDIFICATVR.

AB ORBE CONDITO ANNVS 3117. QVINTÆ MVNDI ÆTAT. ANNVS 95.

1 ANNO trigesimo octauo regni Asæ Regis Iuda mortuus est Amri Rex Israel, sepultusque est in Samaria; & regnauit Achab filius eius pro eo in Samaria viginti duobus annis: 3. Reg. cap. 16. vers. 28. & 29. Erat autem Achab de tribu Ephraim, si constanti Hebræorum traditioni credimus, quam ex Rabbi Salomone in cap. 11. Osee desumptam refert probatque Genebrardus lib. 1. suæ Chronologiæ, vbi agere incipit de Regibus Israel. Quod si verum est, vtique oportet idem sentire de Amri patre, & de Ochozia & Ioram filiis ipsius Achab; nimirũ, eos quoque fuisse de eadem tribu Ephraim; & consequenter, regnum illud habuisse de illa tribu plurimos Reges. Quod etiam ex infrà sub anno mundi 3211. nu. 1. dicendis, magis comprobari poterit. Porrò quod diximus de tempore obitus Amri, & de initio regni Achab, intellige contigisse non multò post inchoatum annum, ita vt iste annus ferè totus fuerit primus regni Achab, quemadmodum digestum est in tabulis. Quamobrem si hìc recolere voluerimus, quòd suprà sub anno mundi 3081. num. 2. dictum est de Nadab filio Ieroboam, qui regnare cœperat anno regni Asæ secundo; inueniemus, omne tempus quo regnarunt prædictus Nadab, & Baasa, & Ela, & Amri, super Israel, includi, ab anno secundo Asæ Regis Iuda ad trigesimum octauum eiusdem tantummodò inchoatum: intra quod tempus fluxerunt anni triginta sex, vel ad summum triginta septem: vnde necessariò consequitur, annos regni, quos Scriptura sacra singulis memoratis Regibus Israel tribuit, debere accipi, vel computato aliquo tempore, quo quisque vel quidam eorum regnare cœperunt cum patribus suis; vel meliùs, annos illis tributos, fuisse fractos & incompletos: alioqui cùm dictum sit, Nadab regnasse annos duos, & Baasa viginti quattuor, & Ela duos, & Amri duodecim, fieret horum summa non triginta septem, sed quadraginta annorum. Et hoc est valdè notandum: quandoquidem hinc manifestè detegitur error quorumdam Chronographorum, qui numerant annos Regum Israel præcisè prout ad litteram reperiunt scriptos, nulla discussione aut collatione cum annis Regum Iudæ præmissa. AMRI MORITVR, ET REGNAT FILIVS EIVS ACHAB. ANNI REGVM QVOMODO SVPPVTANDI. ERROR CHRONOGRAPHORVM.

2
24
2
12
40

AB ORBE CONDITO ANNVS 3118. — QVINTÆ MVNDI ÆTAT. ANNVS 96.

ASA PEDVM DOLORE VEHEMENTISSIMO CORRIPITVR.

1 ANNO regni sui trigesimo nono, Asa Rex Iuda ægrotauit dolore pedum vehementissimo, vt dicitur 2. Paralip. cap. 16. vers. 12. & tangitur etiam 3. Reg. cap. 15. vers. 23. illis verbis: *Verumtamen in tempore senectutis suæ doluit pedes.* Et fortè hæc ægritudo fuit illa, quam hodie vocant Podagram. Sanè iusto Dei iudicio creditur inflicta fuisse Regi talis pœna, quòd iustè ab Hanani Propheta reprehensus, eumdem iniustè in compedes coniecisset, vt sub anno mundi 3095. num. 6. diximus. Et quoniam memoratos dolores Rex non, vt debebat, in peccati sui punitionem accepit, sed eos naturaliter accidisse ratus, non curauit conuertere se ad Dominum, & supernaturalem primariamque afflictionis suæ causam agnoscere, ac conuenienti pœnitentia delere; quin potiùs in arte Medicorum plus iusto confisus est: idcircò nequaquam, donec superuixit, de hac infirmitate conualescere vmquam potuit. ¶ Discant ægroti, non quidem Medicos & medicamenta spernere; quia (vt habemus Ecclesiastici cap. 38. vers. 1. vsque ad 16.) tam illos quàm illa creauit Dominus, & cognitionem ac scientiam virtutis herbarum omniumque aliarum rerum medicinalium eisdem Medicis dedit Altissimus; ideoque vir prudens non debet illa abominari, ne Deum ipsum tentare velle videatur: verumtamen quod maximè omnium cauere tenentur ægroti, illud est, nè prauo Asæ Regis exemplo, magis in arte Medicorum confidant, quàm in Domino, à quo (vt loco Ecclesiastici citato legimus) est omnis medela. Ita vt nisi ab ipso, cuius nutu vitæ nostræ momenta decurrunt, Medicorum consilia operationesque dirigantur, vana omnino atque inutilis euasura sit omnis illorum curatio. Præsertim cùm alioquin etiam ipsorum scientia admodum coniecturalis & obscura sit; vt proinde, qui benè feliciterque curare auent, non minùs deuotas pro infirmorum salute precationes apud Deum fundere, quàm diligens in curando studium adhibere debeant; quemadmodum sancti Cosmas & Damianus Medici fecisse leguntur. Itaque qui in morbum incidunt (quod ordinariè propter peccata euenire solet) debent ante omnia Ezechiam pium Regem imitari, atque ad auxilia diuina quantocyùs confugere, & vt loco superiùs adducto monet Ecclesiasticus, ab omni delicto mundare cor; nimirum interna contritione, & externa Sacramentalique confessione; necnon curare, vt quamprimùm adhibitis etiam piorum precibus, ac Sacerdotum sacrificiis, Deum sibi placatum reddant, & primariam morbi causam remoueant; sicque animam priùs sanent, ac posteà (vt ait Sapiens) Medico locum dare non negligant, hoc est, illum protinus aduocent, eique corpus curandum committant. Hæc sunt quæ in eiusmodi euentibus facienda esse, Eloquia sacra nos prædocent. Ad quæ respiciens sancta Mater Ecclesia, meritò sanè Medicos sub quibusdam pœnis obstrinxit, ne statim ægrotos monere omittant de Sacramentali confessione intra triduum, vel alicubi intra quatriduum facienda: quò transacto, nisi eis constiterit, quòd id præstiterint, curationem deserant, vt videre est in cap. *Cùm infirmitas.* de pœnit. & remissio. & in Bulla Pij V. anno Domini 1566. edita, quæ incipit, *Super gregem,* &c. & item in Conciliis Prouincialibus Mediolanensibus sub sancto Carolo Archiepiscopo habitis, nempe in primo, sub tit. *Quæ pertinent ad sacram Pœnitentiam & administrationem.* in secundo decreto 17. in Quarto, tit. *Quæ pertinent ad sacram Pœnitentiam*, §. *Medici quicumque.* & in Synodo Diœcesana 11. quæ habetur in lib. Actorum Ecclesiæ Mediolanensis pag. 411. §. *De confessio. ægrotorum*, & §. *De officio Medicorum.* Prosequamur Historiam.

AEGROTI QVOMODO SE GERERE DEBEANT ERGA MEDICOS.

AB ORBE CONDITO ANNVS 3120. — QVINTAE MVNDI AETAT. ANNVS 98.

ASA MORITVR.

☞ 1 ANNO regni sui quadragesimo primo circiter desinente, Asa Rex Iuda mortuus est, & in sepulchro, quod ipse sibi foderat in ciuitate Dauid, sepultus nimia ambitione & pompa, super lectum positus fuit plenum aromatibus & vnguentis pigmentariorum arte confectis, vt colligitur 2. Paralip. cap. 16. vers. 13. ¶ Ceterùm de Asa quæri meritò potest, cur 3. Reg. cap. 15. vers. 14. dicatur cor eius perfectum fuisse cum Domino cunctis diebus suis; cùm tamen constet, eamdem Scripturam sacram quadrupliciter eum reprehendisse: nimirum, quòd maiorem fiduciam habue-

QVAEDAM SCRIPTVRAE LOCA CONCILIANTVR.

habuerit in Rege Syriæ quàm in Domino: quòd Hanani Prophetam sine iusta causa intrudi iusserit in carcerem: quòd neque posteaquam percussus est infirmitate à Domino, ad ipsum pro sanitate recuperanda confugerit, sed magis arte Medicorum sanari se posse sperauerit. Solutio in promptu est, Asam reuerà non semel peccasse, ideoque iure in Scripturis sacris reprehendi meruisse: verumtamen, quod attinet ad veri Dei cultum, habuisse cor rectum & perfectum cum Domino, omnibus diebus vitæ suæ: quandoquidem non modò ad idololatriam ipse numquam declinauit; sed & alios, ac propriam quoque matrem ab ea reuocare non neglexit, & omni studio ac diligentia cunctas idolorum sordes de regno suo, quantum potuit, tergere auferreque numquam destitit. Quare prædicta verba, *Fecit bonum*, vel *rectum coram Domino*, & eiusmodi alia, quæ de nonnullis quoque aliis Regibus Iuda, puta de Dauide, Iosaphat, Ozia, Ezechia, Iosia, & aliis, dicta reperiuntur; non indicare volunt, ipsos omnino sine culpa extitisse; sed à vera religione numquam deuiasse. Nam in ceteris constat, Dauidem quoque aliis sanctiorem, aliquando etiam grauiter admodum peccasse. GERMANVS QVORVMDAM SCRIPTVRAE VERBORVM SENSVS.

2. Sub finem eiusdem anni, qui erat regni Achab Regis Israel quartus, vt videre est in tabulis, regnare cœpit Iosaphat filius Asa super Iuda: 3.Reg. c.vlt. v.41. & 2.Paral. cap. 17. vers. 1. Dixi, *sub finem anni*, quia annus primus Iosaphat, licet initium sumpserit in anno quarto regni Achab, vt probatum est; oportet tamen quòd pro maiori parte concurrat cum quinto ipsius Achab: alioquin annus decimusseptimus regni Iosaphat, non posset esse primus regni Ochoziæ filij Achab; neque Ioram frater dicti Ochoziæ potuisset regnare super Israel anno decimooctauo regni Iosaphat Regis Iuda, vt nos sub annis mundi 3137. num. 2. & 3138. num. 7. dicemus, & supputari potest in tabulis. Erat autem Iosaphat trigintaquinque annorum quando regnare cœpit, & vigintiquinque annis regnauit in Ierusalem, vt habetur cap. Reg. citato vers. 42. & 2. Paralip. cap. 20. vers. 31. Itaque Iosaphat in principio regni sui instituit beneque ordinauit militiam suam, ac præsidia disposuit in cunctis vrbibus muratis terræ suæ, præcipuè verò in his, quæ Asa pater eius tulerat Regi Israel in tribu Ephraim. Ambulauit quoque in viis patris sui Dauid, & in præceptis Domini. Sed & reliquias effeminatorum, qui remanserant in diebus Asa, ipse abstulit de regno suo. Et licet excelsa tam citò auferre non sit ausus, ea tamen posteà auferre non metuit, vt paulò pòst dicemus, quamuis neque id omnino perficere potuerit. Per quod conciliari possunt tria Scripturæ loca, quæ videntur inter se pugnare; nimirum cap. Reg. proximè citando vers. 44. vbi de ipso Iosaphat dicitur: *Verumtamen excelsa non abstulit*. & cap. Paralip. pariter adducendo vers. 6. vbi legimus, quòd *cùm sumpsisset cor eius audaciam, etiam excelsa & lucos abstulit*; & denique cap. 20. vers. 33. iterùm dicitur, quòd *excelsa non abstulit*, id est, non omnino auferre valuit. Quoniam verò fecit quæ recta erant in conspectu Domini, propterea fuit cum eo Dominus, & confirmauit regnum in manu eius. Allata sunt autem ipsi Iosaphat tot tantaque munera ab omni Iuda, vt breuî valdè diues euaserit, & eousque opibus & potentia inualuerit, vt iam ampliùs non cederet Regi Israel, nec timeret superari ab eo, quin potiùs ipse Rex Israel libenter cum ipso pacem haberet. Cùm verò procedente tempore, experimento didicisset Iosaphat, quòd quanto intentiùs Dominum coleret, ac sequeretur vias eius, tanto magis cuncta ei prospera succederent; animosior factus, excelsa quoque & lucos abstulit, id est, auferre aggressus est: 3.Reg. cap. vlt. vers. 43. vsque ad 46. & 2. Paralip. cap. 17. vers. 2. vsque ad 7. IOSAPHAT REGNAT IN IVDA. GESTA EIVS CIRCA INITIA REGNI. AVCTVS OPIBVS ET POTENTIA.

AB ORBE CONDITO ANNVS 3123. — QVINTÆ MVNDI ÆTAT. ANNVS 101.

1 ANNO regni Iosaphat Regis Iuda tertio, qui erat septimus regni Achab Regis Israel, vt patet in tabulis, decessit Ophrateus Rex Assyriorum, cùm regnasset annis viginti, vt scribit Eusebius in Chronicis. OPHRATEI OBITVS.

2. Eodem anno regni sui tertio, Iosaphat misit quosdam de Principibus suis, & aliquot Sacerdotes & Leuitas cum eis, habentes librum Legis, hoc est Deuteronomium Moysi, vt circuirent cunctas vrbes Iuda, & erudirent populum, docerentque eum obseruare quæ mandauerat Dominus. Et exinde idem Iosaphat adhuc magis proficiebat, tum in cultu Domini prouehendo, tum etiam in regno suo roborando atque augendo. Siquidem ædificabat domos instar turrium, & vrbes muratas in Iuda, multaque alia opera ad easdem vrbes muniendas fieri curabat. Virorum quoque bellatorum ac robustissimorum, præter illos qui in præsidiis morabantur, multitudinem IOSAPHAT CVRAT ERVDIRI POPVLOS IN LEGE DOMINI. VIRES EIVSDEM REGIS.

maximam ad manus habebat, sub quinque Principibus distributam; nimirum vndecies centena millia, & sexaginta millia hominum. Nam sub primo Duce, cui nomen erat Ednas, erant trecenta millia; sub Iohanan secundo Duce, ducenta octoginta millia; sub Amasia filio Zechri, qui erat tertius Dux, ducenta millia; & totidem cum quarto, nomine Eliada; & denique centum octoginta millia cum Iozabad, qui erat prædictorum Ducum postremus. Sed super hæc omnia, adiuuabat Regem Iosaphat Dominus valdè, immittens pauorem suum in omnibus regnis per circuitum Iudæ existentibus, ita vt non auderent bellare contra ipsum Iosaphat; quin potiùs ei munera adferre, ac omnibus modis eum sibi beneuolum amicumque reddere studerent. Philisthæi verò insuper eidem argenti vectigal pendebant, & Arabes item ad ipsum adducebant pecora multa; nempe arietum septem millia septingenta, & hircorum totidem. Atque hoc pacto Iosaphat, vt diximus, indies magis ac magis crescebat & magnificabatur, factusque est valdè diues & inclytus: & ipse fuit primus, qui ex Iudæ Regibus amicitiam cum Achab Rege Israel affinitatemque iungere non dubitauerit: accepit enim Athaliam filiam dicti Achab filio suo Ioram in vxorem; quæ postea, iusto Dei iudicio, (vt sub anno mundi 3151. num. 3. dicemus) pænè totam Iosaphati stirpem extinxit. Et ipse Iosaphat cùm quadam die pro Achab, dictæ affinitatis gratia, pugnaret contra Syros, vix mortis periculum euasit, quemadmodum infrà sub anno mundi 3138. num. 1. explicabitur. Vnde magna sanè vitæ stirpisque periclitatione docuit, perniciosam valdè probis esse improborum societatem. Quod autem de coniugio proximè memorato dictum est, per hæc circiter tempora contigisse oportet: siquidem Ochozias dicti Ioram & Athaliæ filius, natus est anno regni Iosaphat octauo, vt infrà sub anno mundi 3128. num. 1. probabimus; & erat natu minimus, quemadmodum expressè traditur 2. Paralip. cap. 22. vers. 1. Vbi etiam additur, quòd omnes natu maiores qui ante eum fuerant, interfecerant latrones Arabum. Quæ verò de Iosaphati pietate, & in Dei cultu totis viribus promouendo, superiùs dicta sunt, breuiter descripta habentur 2. Paralip. cap. 17. vers. 7. vsque ad finem capitis, & cap. 18. vers. 1.

300000
180000
200000
200000
180000
1160000

AFFINITATEM CONTRAHIT CVM ACHAB

ACHAB DVCIT IMPIAM IEZABEL VXOREM, QVAE PERSEQVEBATVR PROPHETAS DOMINI.

ACHAB MVLTA MALA PERPETRAVIT.

3. Econuersò autem Achab Rex Israel ambulabat in peccatis Ieroboam, & insuper duxit vxorem, impiam illam Iezabel filiam Ethbaal Regis Sidoniorum; quæ non modò seruiebat idolis, ac maritum ad eadem colenda prouocabat, vt apertè dicitur 3. Reg. cap. 21. vers. 25. verumetiam eò tandem deuenit iniquitatis, vt Prophetas Domini acriter admodum persequi non vereretur, compelleretque eos abdere se in specubus & antris, ibique in extrema pænè egestate vtcùmque vitam trahere, & quotquot reperire poterat, interficeret; quemadmodum ex 3. Reg. cap. 18. vers. 4. & 13. manifestè colligere possumus. Colebat autem Achab idolum Baal, cui etiam templum ædificauit in Samaria, & in eo aram, plantauitque ei lucum: & addidit Achab mala patrare multò maiora omnium quæ prædecessores eius fecerant: 3. Reg. cap. 16. vers. 30. vsque ad 34. Quamobrem, cùm multis variisque modis eum Dominus corripi, & ad veri Dei cultum perduci curasset per Eliam, Michæam, aliosque Prophetas, & non semel à magnis eumdem periculis liberasset, & insuper victorias aliquot de hostibus mirabiliter tribuisset: denique videns quòd hæc omnia nihil proficerent, ipsum tandem non modò violenta morte percussit, sed & omnem eius progeniem penitus extingui imperauit, vt suis locis explicabimus.

AB ORBE CONDITO ANNVS 3124. — QVINTÆ MVNDI ÆTAT. ANNVS 102.

OPHRATANES REGNAT IN ASSYRIA.

1 ANNO proximo, qui erat regni Iosaphat quartus, regnauit in Assyria Ophratanes Rex Assyriorum trigesimus quartus, vt est apud Eusebium in Chronicis. Huius regni anno 43. Carthago condita fuit, vt nos suo loco probabimus.

HIEL OB REAEDIFICATAM IERICHO, INCVRRIT MALEDICTIONEM OLIM A IOSVE FVLMINATAM.

2. Per hæc circiter tempora, nimirum in diebus Achab Regis Israel, quidam vir nomine Hiel, de Bethel, ausus est reædificare vrbem Iericho; induxitq; super domum suam, maledictionem illam olim aduersus eiusdem vrbis instauratorem à Iosue fulminatam, Iosue cap. 6. vers. 26. Etenim, vt primùm vrbis fundamenta iacere cœpit, decessit Abiram primogenitus eius; & quando posuit portas, mortuus est Segub postremus ex filiis suis, vt 3. Reg. describitur in calce capitis 16.

3. Fuit etiam in diebus prædicti Achab, Elias Thesbites, de terra Galaad, Propheta zelantissimus in Israel. Hic non ferens videre cultum Domini pænè derelictum, Regemque ac populum in cultu Baal perseuerantes, oratione orauit vt non plueret super terram,

terram, quemadmodum etiam refertur in Epistola Catholica B. Iacobi cap. 5. vers. 17. & vt cognouit Dominum precibus suis annuisse, diuino actus Spiritu, intrepidus adiit Regem Achab, eique liberè prænuntiauit, non casuram de cælo pluuiam rorémve, nisi ad verbum ipsius Prophetæ. Quo facto recessit, iubente Domino, abscondítq; se prope torrentem Carith: erat autem iste torrens ad Orientem contra Iordanem, vt dicitur cap. Reg. citando, id est (vt arbitror) vltra Iordanem, in loco quodam valdè solitario & abdito, satísque à Samaria remoto; ita vt non posset Elias ibi manens, ab apparitoribus Regis Achab reperiri. Præuidebat enim Dominus, quòd Achab videns siccitatem ac sterilitatem ab Elia prænuntiatam, mitteret in omnem gentem & regnum qui requirerent eum; vt reipsa factum fuisse refertur 3. Reg. cap. 18. vers. 10. propterea misit eum Dominus in locum inuium atque inhabitatum, vt non posset inueniri: & quia locus, vt dixi, erat desertus & sterilis; mittebat ei mirabiliter Dominus manè & vespere, coruorum ministerio, panem & carnes, quibus vesci posset, & de torrentis aqua bibens sustentari. Post dies autem plurimos ex quo pluere desierat, quando scilicet iam Achab cessauerat quærere Eliam, vtpote desperans se posse eum ampliùs reperire; exiccato torrente, ne præ siti Propheta deficeret, misit eum Dominus in Sareptam Sidoniorum; vbi à quadam muliere paupercula, nihil aliud pro sui ac vnici filij sustentatione habente, nisi pugillum farinæ in hydria, & parum olei in lecytho, vtcumque sustentatus est multo tempore; farina interim oleoq; mirabiliter ad Prophetæ vocem numquam deficiente, donec cessauit fames. Contigit etiam, Elia ibidem commorante, vt moreretur dictæ mulieris filius; quem ipse, ter super defuncti cadauer proiectus, oransque, suscitauit, & reddidit matri suæ. Quæ omnia fusiùs descripta habentur 3. Regum cap. 17. per totum.

Elias prædicit Achab siccitatem, et se abscondit.

Ministerio coruorum pascitur.

Mittitur in Sareptam Sidoniorum, et ibi a muliere mirabiliter pascitur.

Suscitat filium dictæ mulieris.

4. Anno autem tertio, subintellige, per aliquot menses iam exacto, hoc est sub finem trium annorum & sex mensium à cœpta siccitate (tanto enim tempore illam perdurasse constat ex loco Iacobi citato, & Luc. cap. 4. vers. 25.) misit Dominus Eliam ad Achab, qui tum fame perurgente miserat Abdiam suæ domus dispensatorem, ad quærendam in vallibus & prope fontes aquarum herbam, vt posset saluare equos & mulos ab interitu. Erat autem iste Abdias vir timens Deum, ac valdè pius: quando enim Iezabel interficiebat Prophetas Domini, ipse abscondit ex eis centum in speluncis, & pauit eos. Hunc ergo cùm in itinere obuium habuisset Elias, dixit ei vt nuntiaret Regi de aduentu suo: at ille modestè recusans, contristabatur; veritus ne si fortè tale quid nuntiasset, Spiritus Domini aliò transferret Eliam, vt non incideret in manus Achab; & Rex se illusum putans, præ indignatione nuntiantem interficeret. Sed tandem certior factus Abdias, quòd Propheta proculdubiò aditurus esset Regem, indicauit ei adesse Eliam. Quo audito, Rex veniens in occursum Prophetæ, cœpit obiurgare eum quòd conturbaret Israelem: at ille magna spiritus libertate increpauit Regem, quòd ipse potiùs causa esset publicæ illius calamitatis, eò quòd relicto Domino coleret Baal; egitque cum Rege, vt congregaret in montem Carmelum vniuersum populum, & quadringentos quinquaginta prophetas Baal, & pariter alios quadringentos prophetas lucorum, qui comedebant de mensa Iezabel: velle enim se populum ipsum iudicem facere, super controuersia inter se & prophetas Baal vertente. Itaque de mandato Regis cùm omnes ad dictum montem conuenissent, proposuit Elias populo, dari sibi duos boues; alterum à se, alterum à prophetis Baal in frusta concidendos, & in singulis altaribus super strue lignorum, absque igne, in holocaustum componendos; vt hoc signo dignoscerent illú verè esse Deum, qui à seruis suis exoratus, ignem è cælo demitteret, holocaustumque consumeret. Itaque cùm Eliæ propositio vniuerso populo valdè placuisset, & cunctis inspectantibus, numquam potuisset Baal audire voces prophetarum suorum clamantium de manè vsque ad meridiem, & sese cultris ac lanceolis sauciantium, vt eum magis ad misericordiam prouocarent: econuersò autem Dominus, ad vocem serui sui Eliæ, cunctis videntibus, igne de cælo mirabiliter delapso non modò holocaustum & ligna, quantumuis aqua iam tertiò largè admodum conspersa, deuorasset; sed & ipsos quoque altaris lapides, & puluerem, & aquam quæ in aquæductu remanserat, penitus consumpsisset; cadens vniuersus populus in faciem suam, exclamauit, dicens: *Quia Dominus ipse est Deus.* Elias autem videns populi conuersionem ad Dominum Deum patrum suorum, iussit apprehendi prophetas Baal qui ipsum deceperant, & occidit eos in torrente Cison. Et hoc est quod insinuat S. Ambrosius lib. 2. in cap. 2. Lucæ, vbi ait: *Numquid sanctus Achab? numquid sancti pseudoprophetæ, quos ad Eliæ preces vltor cælestis iniuriæ ignis absumpsit?* non quòd ignis è cælo delapsus, verè pseudoprophetas absumpserit;

Mittitur ad Achab.

Abdias vir pius.

Quomodo Elias reuocauerit Regem et populum a cultu idolorum.

S. Ambrosii locus exponitur.

pſerit; ſed quòd fuerit in cauſa, vt ipſi pſeudoprophetæ poſtmodum Elia procurante, & populo conſentiente; necati fuerint. Et deinde aſcendens in montem Carmelum, orauit, impetrauitque à Domino pluuiam, & ceſſauit fames: 3.Reg.cap.18. per totum, vbi hæc copioſiùs tradita inuenies. Sic Elias diuinus Vates, pro Dei cultu reſtituendo, Regi Achab idololatræ fortiter obſtitit; imbres per annos tres, & eo ampliùs, ab eius ditione prohibuit; cùm voluit, reddidit; ignem ad ſacrificium è cælo detraxit; Sacerdotes impietatis interfecit; & populum diabolica fraude deceptum, ad Deum reuocauit, & ab errore liberum fecit.

IEZABEL ELIAM PERSEQVITVR. ELIAS PERTERRITVS FVGIT.

5. Non multò pòſt Iezabel, audita occiſione prophetarum Baal & lucorum, quos ipſa admodum diligebat, tanta exarſit iracundia aduerſus Eliam, vt ſtatim iureiurando ſe obſtrinxerit, velle ipſum quantocyùs è medio tollere. Quod audiens Elias, & perterritus valdè huc atque illuc diffugiens, tandem peruenit in Berſabee Iuda; & ibi dimiſſo puero, cùm ambulaſſet ſolus per deſertum itinere vnius diei, oppidò laſſus, ſedit ſubter vnam iuniperum; ibique tædio vitæ affectus, precabatur Dominum vt tolleret à ſe animam ſuam; deinde proiiciens ſe, cùm obdormiſſet ſub vmbra iuniperi, ſemel iterumq́, ab Angelo excitatus, ac cibo potuque recreatus, ambulauit in fortitudine cibi illius, quadraginta diebus & quadraginta noctibus, vſque ad montem Dei Horeb. Non recta quidem, vt arbitror, via (ſic enim proculdubiò multò citiùs illuc peruenire potuiſſet, vt ex his quæ nos ſub anno mundi 2545.num.54.diximus colligi poteſt) ſed per deuios ac tortuoſos gradiens calles; quocumque eum ferebat voluntas; prout ſolent qui inſequentes fugiunt, ne ab his deprehendantur. Denique cùm ad prædictum montem perueniſſet, ibidemque in ſpelunca latitans permaneret, audiuit Angelum ex perſona Domini loquentem ſibi, ac ſciſcitantem, quidnam ibi ageret. quo reſpondēte, Quia, quòd zelatus eſſet pro Domino, quærebatur ad mortem; ſtatim iuſſus eſt egredi, & ibidem edoctus fuit de diuina viſione, quam eidem oſtenſurus erat Dominus. Itaque Elias primò quidem, ob Dei reuerentiam, operuit vultum ſuum pallio: deinde egreſſus, & ſtans in oſtio ſpeluncæ ſuper montem exiſtentis, vidit viſionem illam grandem, nimirum ſigna quædam ſenſibilia maieſtatis Domini tranſeuntis. Primò, ſpeciem quamdam ſpiritus vehementis, ſeu venti cuiuſdam validi; qui videbatur ſubuertere montes, petraſq; conterere, ante Dominum. Deinde, aliam ſpeciem commotionis magnæ ſeu terræmotus. Tertiò, veluti ignem quemdam maximum aduenientem, ac potentem abſumere omnia. Atque in tribus hiſce ſignis Scriptura ſacra teſtatur non extitiſſe Dominum; ſed in quarto, qui dicitur fuiſſe ſibilus auræ tenuis. Denique iterùm interrogatus à Domino Elias, quid illic ageret; & priori reſponſione ab ipſo replicata, iuſſus fuit reuerti per viam deſerti in Damaſcum, & vngere Hazaëlem in Regem Syriæ, & Iehu filium Ioſaphat filij Namſi in Regem Iſrael; & Eliſeum in Prophetam pro ſe; ſubiunxitque Dominus, quòd qui fugerit Hazael, occidet eum Iehu; & qui euaſerit de manu Iehu, interficiet eum Eliſeus. ac ſi diceret, ſe horum miniſterio vindictam ſumpturum de Iezabel, & de Achab, & de aliis idololatris ac Prophetarum ſuorum perſecutoribus. Quibus verbis pariter ac viſione erudiebat Dominus Prophetam ſuum, omneſque huius hiſtoriæ Lectores, quòd tametſi poſſit Deus terribilibus ac repentinis caſtigationibus ſtatim conterere iniquos, iuſtorum perſecutores; attamen iuſtis de cauſis, veluti lento quodam gradu, diuina procedere ſolet ira: & licet punitio tardet, non tamen à tranſgreſſoribus, ſi non reſipiſcant, ſubterfugi vllo modo poteſt.

CIBO POTVQVE AB ANGELO REFOCILLATVS 40. DIEBVS TENDIT AD MONTEM DEI HOREB.

VIDET IN MONTE VISIONEM GRANDEM PER QVATVOR SIGNA SIBI INVICEM SVCCEDENTIA.

VISIONIS EXPLICATIO.

ELECTIO VNCTIOQVE ELISEI IN PROPHETAM.

6. Talibus ergo Elias à Domino confortatus, inde diſceſſit, vt Domini iuſſionem impleret. Factum eſt autem, vt cùm reperiſſet Eliſeum in duodecim iugis boum arantem; mitteret ſuper eum pallium ſuum; qui ſtatim intelligens, quid illo ſigno indicare vellet Elias, de licentia ipſius perrexit oſculari patrem ac matrem ſuam, confeſtimque rediens, mactauit par boum; coctiſque in aratro carnibus, ac his qui aderant diſtributis, ſecutus eſt Eliam, ac miniſtrabat ei: 3.Reg.cap. 19.per totum. Et tunc creditur vnxiſſe Eliſeum in Prophetam. Quòd autem etiam vnxerit Hazaëlem & Iehu in Reges, ſatis indicatur Eccleſiaſtici cap.48.verſ.8.ſed quando id egerit, Scriptura ſacra nō exprimit, vt ſolet aliàs multa, ſatis ſufficere rata, retuliſſe præceptum Domini: par namque eſt credere, virum iuſtum ac ſancto zelo plenum, mandata Domini non modò implere voluiſſe, ſed etiam quantocyùs, ac eo prorſus modo & ordine, quo ei fuerant iniuncta. Quamobrem conſentaneum rationi eſt, ſupponere, quòd ipſe primò de Horeb profectus ſit per viam deſerti in Damaſcum, vt præceperat Dominus; ibique vnxerit Hazaëlem: mox venerit in Iſrael, ad vngendum Iehu; & denique cùm inueniſſet Eliſeum, egerit quæ ſuperiùs dicta ſunt. Nec obſtat, quòd ex 4.Reg.cap.8.verſ.13.& cap.9.v.3.

QVOMODO ELIAS MANDATA DOMINI IMPLEVERIT.

& 6.

& 6. videantur Hazael & Iehu ab Eliseo, seu de mandato eius vncti, post raptum Eliæ: quia ibi non exprimitur, quòd Eliseus vnxerit Hazaëlem; sed solùm quòd ei Dominus ostenderat ipsum Hazaëlem regnaturum in Syria. Et licet apertè Iehu dicatur fuisse vnctus ab vno de filiis Prophetarum, de mandato Elisei; non ideò tamen inferri potest, eumdem Iehu nequaquam ab Elia priùs fuisse vnctum: quandoquidem constat etiam Dauidem, & Salomonem, & fortè item Saulem, non semel fuisse vnctos. Ceterùm, hæc omnia quæ hactenus de Rege Achab & de vxore eius Iezabel, item de Elia & Eliseo dicta sunt, quamuis sub quonam regni eius anno singula contigerint, assignare non potuimus, Scriptura sacra id nusquam indicante; nihilominùs probabile est, eadem ante annũ dicti Achab decimumseptimum expletum accidisse; vt ex reliquorum regni ipsius Achab annorũ distributione, sub anno mũdi 3134. & deinceps notanda, inferri poterit. QVONAM REGNI ACHAB ANNO HAEC ACTA FVERINT.

AB ORBE CONDITO ANNVS 3128. — QVINTÆ MVNDI ÆTAT. ANNVS 106.

1 ANNO regni Iosaphat Regis Iuda octauo, qui coincidit cum anno duodecimo regni Achab Regis Israel, vt videre est in tabulis, oportet natum esse Ochoziam, qui & Ioachaz, filium Ioram ex Athalia filia Achab, vt patet 4. Regum cap. 11. vers. 1. & nepotem dicti Iosaphat, vt colligitur 4. Reg. cap. 8. vers. 26. vbi dicitur, quòd viginti duorum annorum erat Ochozias cùm regnare cœpisset; & item ex his, quæ nos sub anno mundi 3149. num. 1. vsque ad 5. disputabimus, manifestum fiet: totidem autem anni inueniuntur ab hoc vsque ad primum regni ipsius Ochoziæ, vt patet in eisdem tabulis. IORAM GENVIT OCHOZIAM.

AB ORBE CONDITO ANNVS 3133. — QVINTÆ MVNDI ÆTAT. ANNVS 111.

1 ANNO regni Iosaphat Regis Iuda decimotertio, qui concurrit cum decimoseptimo regni Achab Regis Israel, vt ostendunt tabulæ, incidit annus Iubilei vndecimi, nimirum quingentesimus quinquagesimus ab introitu filiorum Israel in Terram promissionis, vt eisdem liquet in tabulis. IVBILEVS VNDECIMVS

AB ORBE CONDITO ANNVS 3134. — QVINTÆ MVNDI ÆTAT. ANNVS 112.

1 ANNO regni Achab Regis Israel circiter decimooctauo, vt paulò pòst probabimus, Benadad Syriæ Rex, adductis secum triginta duobus Regibus in auxilium, obsidebat Samariam, eamq; vsqueadeò opprimebat, vt iam Rex Achab non abnueret dare ei omne aurum & argentum quod habebat; & prætereà vxores quoque ac liberos, si discederet ab eo. Verùm vt audiuit quòd Rex Syriæ, his non contentus, volebat insuper mittere qui scrutarentur domum ipsius; de consilio populi sui, Achab noluit acquiescere: quamobrem iratus Benadad, iurauit perdere ciuitatem; iamque imperauerat exercitibus suis, vt ad eam vndique accedentes, pararent se ad illam expugnandam; quando ecce vnus de Prophetis Domini veniens ad Achab, promisit nomine ipsius Domini tradere hostes in manu Regis, vt vel ex hoc intelligeret quia ipse est verus Deus, & iam desineret colere falsos deos. His auditis, Achab protinus interrogauit Prophetam: *Per quos?* cui Propheta: *Per pedissequos*, inquit, *Principum prouinciarum.* Itaque confestim, præcipiente Rege, recensitis hisce seruulis ducentis triginta duobus, & item septem millibus virorum de populo, egressus est Achab cum eis: præmisitque pueros, qui cùm singuli percussissent Syros contra se missos, fugassentq; Benadad temulentum; insecutus est eum Achab cum reliquo exercitu, ac percussit Syriam plaga magna. Præmonuit autem memoratus Propheta Regem de prælio cum victoria redeuntem, quòd Syri putantes ideò se in montibus ab Israële victos fuisse, quia ipse deos montium coleret; cogitauerant redire anno proximo, sperantes posse illum in campestribus superare. Quamobrem hortatus est ipsum Achab, vt interim curaret instaurare exercitum suum, & instruere currus ad dimicandum contra Syros in campestribus; promittens eidem etiam in planitie victoriam: 3. Reg. cap. 20. vers. 1. vsque ad 26. Quòd verò hæc acta sint anno superiùs notato, inde satis euidenter colligi potest, quòd, vt consequenter ostendemus, anno proximo post hanc victoriam, cum eisdem Syris prospe- ACHAB AB VNO DE PROPHETIS DOMINI AD MONITVS, VICIT PRIMA VICE SYROS. PRAENVNTIAVIT EIDEM ACHABO ALTERAM VICTORIAM DE SYRIS. HORVM TEMPORVM RATIO.

prosperè dimicatum fuit in campestribus: deinde transierunt tres anni pacis inter Israëlem & Syriam: quibus expletis, iterùm profectus est Achab Rex Israel cum Iosaphat Rege Iuda ad præliandum contra Syros in Ramoth Galaad, vbi & mortuus est. Ergo, si Achab regnauit viginti duobus annis, vt sub anno mundi 3117.num.1.probatum est; necessariò consequitur, quòd prænarratam de Syris victoriam reportauerit anno circiter regni sui decimooctauo, vt diximus, & in tabulis digestum reperitur.

AB ORBE CONDITO ANNVS 3135. QVINTÆ MVNDI ÆTAT. ANNVS 113.

ALTERA ACHABI DE SYRIS VICTORIA.

1. EXACTO præcedentis victoriæ anno, nimirum currente anno regni Achab decimonono, recensuit Benadad Syros, venitque in Aphec cum exercitu magno, vt pugnaret contra Israëlem in vallibus. Cui ex aduerso castra posuit Achab, ad quem vir Dei veniens prænuntiauit, quòd Dominus, ad confusionem Syrorum existimantium ipsùm esse Deum montium, non autē vallium, daturus erat Israëli victoriam etiam in vallibus. Itaque commisso prælio, percusserunt filij Israel de Syris centum millia peditum in die vna: reliqui verò Syri qui remanserant in ciuitate, à muro ipsius oppressi interierunt. Benadad autem Rex cùm fugisset in ciuitatem, timeretque ibidem comprehendi & occidi; de suorum consilio misit legatos saccis accinctos, & funiculos in capitibus habentes, vt deprecarentur pro vita ipsius coram Rege Israel; qui iniqua miseratione commotus, humanioribus verbis respondens, iussit eum venire ad se, & leuauit eum in curru suo, pepigitque cum eo fœdus, ea dumtaxat conditione, vt redderet ciuitates quas tulerat pater eius ab Israel. Quæ res quia valdè displicuerat Domino, ecce insiluit spiritus Domini super vno de filiis Prophetarum: qui cùm cuidam de mandato Domini dixisset vt se percuteret, illeque noluisset; prædixit eum à leone fore percutiendum: quod & factum fuit. deinde dixit alteri; qui statim ei vulnus inflixit. At Propheta proprio sanguine puluereque conspersa facie obuiàm factus Regi, assumptaque parabola proposito suo accommodata, cœpit loqui ei: mox abstersa facie, ita vt posset agnosci, grauiter increpauit Regem, dicens: *Hæc dicit Dominus: Quia dimisisti virum dignum morte de manu tua; erit anima tua pro anima eius, & populus tuus pro populo eius.* Rex verò furibundus abiit, audire contemnens: 3.Reg.cap.20.vers.26. vsque ad finem capitis.

PRAEDICITVR ACHABI INTERITVS QVOD STVLTE BENADADO PEPERCISSET.

QVOMODO ACHAB POSSEDERIT VINEAM NABOTH, ET HAC DE CAVSA PVNITVS FVERIT.

2. Igitur perdurauit prædicta pax inter Israel & Syriam annis tribus, vt apertè traditur 3.Reg.cap.22.vers.1. Intra quod tempus cōncupiuit Achab vineam Naboth Iezrahelitæ; quam quia ille dare recusauerat, contristabatur Rex, nec volebat cibum sumere. Quod aduertens vxor eius Iezabel, cùm licentia coniugali exprobrasset Regi nimiam lenitatem atque pusillanimitatem, promisit se daturam ei vineam Naboth; nec cunctata est. Nam confestim scripsit litteras anulo Regis signatas optimatibus vrbis Iezrahel, præcipiens, vt submissis falsis testibus, qui accusarent Naboth quòd benedixisset Deum & Regem, eumdem lapidarent. Quod vt factum est, accedens Iezabel ad virum suum, dixit ei: *Surge, & posside vineam Naboth, qui mortuus est.* ¶ Vbi obiter notandum est, Scripturam sacram interdum vsurpare vocabulum *benedicere* pro *maledicere*, quemadmodum hîc & Iob cap.1.vers.5.apparet, & iste modus loquendi vsque hodie in vsu habetur apud quosdam Italiæ populos, qui significare volentes se maledixisse, dicunt Italicè: *Haggio benedetto*. Quare non videtur recipiendus Martinus de Roa Cordubensis lib.1. Singularium locorum cap.9.in Appendice, vbi oppositum persuadere nititur; putatque Scripturam sacram 3.Reg.cap.21. vers.10.& 13. non vsurpasse per antiphrasim verbum *benedicere* pro *maledicere*, sed pro *valedicere*. Cui ego assentiri nullo modo possum: quia si hoc esset, non videretur ea de causa Naboth debuisse lapidari. Nam *valedicere* antiquitus ferè semper in bonam partem accipi solebat; & ad calcem epistolarum familiarium comiter apponi; atque etiam in communi amicorum consuetudine humaniter vsurpari, cùm ab inuicem migrare contingeret. Sed neque in tota sacra Scriptura quisquam inueniet, quòd hæc verba; *Vale, Valedicere*, & *Valefacere*, in malam partem accepta vmquam fuerint. Et licet aliquando obtinuerit cōsuetudo apud Ethnicos Scriptores, vt hoc verbum *valeat* sumatur pro *abeat*, vel *discedat*; non tamē (etiamsi cum stomacho & indignatione prolatum fuerit) pro *dispereat*, siue *pereat* sumptum inuenitur: quemadmodum benè probat Laurentius Valla lib.6. cap.30. vbi contra Donatum & Seruium, qui verba illa Terentij in Andria, *Valeant qui inter nos dissidium quærunt*, sic exponebant, *Pereant qui nobis hoc volunt*, ait: *Quæ*

BENEDICERE PRO MALEDICERE VSVRPATVR

QVID SIT VALEDICERE.

vox

vox & oratio aliena fuerit ab ingenio Pamphili pio & probo. Et hanc eamdem sententiam suam confirmans, adducit pro se Ciceronem in calce lib. 1. de Natura deorum dicentem: *Si maximè talis est Deus, vt nulla gratia, nulla hominum charitate teneatur, valeat,* &c. Statimque subiungit Valla: *Numquid eò irreligionis, atque eò impudentiæ Cicero venerat, vt Deo exitium precaretur? absit.* Ad Lactantij quoque dictum, qui de his ipsis Ciceronis verbis ait: *Quid enim contemptius potuit dici in Deum? Valeat, inquit, abeat & recedat, quando prodesse nulli potest; Vides* (subdit Valla) *vt Lactantius, cùm vult Ciceronem contumeliosum fuisse in Deum, non tamen exposuerit, valeat, pro, pereat; sed abeat & recedat. Quamquam, vt mihi videtur* (prosequitur Valla) *non significetur per* valeat, *quòd abeat ipse à nobis, sed quòd nos ab illo, valedicentes. Enimuerò* Vale *salutatio est recedentis, vt* Salue & Aue *venientis. Quomodo ergo verbum salutantis, potest accipi pro mala precatione atque salutatione?* hucusque Laurentius Valla. Cui suffragatur auctor Cornucopiæ Nicolaus Perottus Syponti Episcopus, vir admodum eruditus, & in expendendis vocabulorum significationibus valdè accuratus, qui & ipse Terentij, Ciceronis atque Lactantij auctoritatibus probat, quòd *valere* sæpenumerò quidem accipitur pro *facessere*, atque *abire*, & *discedere*, numquam verò (simpliciter acceptum) pro *perire*, aut *malè habere*; vt multi, inquit, putant. & prosequitur referens verba quædam, quæ Laurentius Valla loco citato subiungit, dicens, quòd *qui* valeant *pro execratione acceperunt, fortasse hoc argumento inducti sunt; quia nonnumquam hoc verbum, apud Ciceronem lib. de Oratore, languorem significat.* Quam sententiam citatus Perottus impugnans, probat, à Cicerone eò loci verbum *valentis* non pro *languentis*, sed pro *benè habentis & sani* fuisse positum. TVLLIVS A LACTANTIO REPREHENSVS DEFENDITVR. Ceterùm hîc obiter aduertendum est, Ciceronem præcitatis libri de Natura deorum verbis (quidquid Lactantius aliiue senserint) nullatenus Deo contemptum contumeliámve vllam irrogasse, aut irrogare voluisse; neque propterea reprehendi, sed magis commendari debuisse: quandoquidem ibi (quemadmodum verba eius superiùs relata repetenti liquidò constare poterit) disputat contra Epicurum, qui Dei naturam optimam ac præstantissimam esse dicebat; & tamen, imprudens, negabat in Deo esse gratiam, hoc est, beneficientiam & charitatem. Contra quem Cicero sic arguit: Vtique hoc ponere, esset verbis Deum esse fateri; reverà autem ipsum negare, ac de mundo prorsus tollere. Nam qui tollit id quod maximè proprium est optimæ præstantissimæq; naturæ, hoc est, Dei; certè etiam ipsum Deum tollat necesse est. *Quid enim est*, inquit, *melius, aut quid præstantius bonitate ac beneficientia?* Et post alia quædam argumenta, denique subinfert: *Si maximè talis est Deus, vt nulla gratia, nulla hominum charitate teneatur, valeat,* &c. ac si dicere voluisset: Si Deus talis est, qualem nequiter Epicurus finxit, valeat, hoc est, discedat oportet ab hominum mentibus, vt putent, Deum esse. Quod proculdubiò non asserendo, sed negando pronuntiauit, tamquam quid absurdissimum, quod ex erronea Epicuri assertione necessariò consequebatur. Est enim hoc, vt in Scholis dicitur, argumentum ad hominem, adducens ad inconueniens. Et ita videtur Tullius argumentari voluisse: Si dicis, ô Epicure, Deum nulla teneri erga homines beneficentia, nulla charitate; ergo sequitur contra tuam positionem illatio absurdissima, nempe, Deum non esse: siquidem Deus cùm sit summa bonitas, summa quoque beneficentia est & charitas. bonum enim est suiipsius diffusiuum. Quo argumento quid sanctius adduci potuit? & quid, si Christianus fuisset, magis cõsentaneum Catholicæ veritati, contra impium Philosophum pronuntiare potuisset? Sed, vt ad rem redeamus, ex recitatis Laurentij Vallæ & Perotti sententiis constare potest, vocabulum *Valedicere* nullatenus in adeò malam partem sumi consueuisse, vt propterea quis morti adiudicandus fuerit; nisi fortè quis talibus circumstantiis valedixisset, vt maledictioni æquipollere dubium non esset. Quo casu, non pro valedictione (vt ita dixerim) sed pro maledictione sic plectendus censeretur. Oportet ergo dictum Naboth, non quòd simpliciter valedixerit; sed quòd maledixerit Deum & Regem, fuisse delatum, & cõmuni seniorum atque optimatum sententia occisum, iuxta Legem Moysaicam Exod. cap. 21. vers. 17. & Leuit. cap. 20. vers. 9. latam in hæc verba: *Qui maledixerit patri suo, vel matri, morte moriatur.* Hæc namque Lex extendebatur etiam ad maledicentem Regi, seu Principi: quia Exod. quoque cap. 22. vers. 28. scriptum est: *Principi populi tui non maledices:* & quia Reges & Principes sunt, vel esse deberent tamquam patres populorum, & erga subditos ita se gerere, vt ab ipsis (non secùs ac olim Naaman à seruis suis 4. Reg. cap. 5. vers. 13.) patres appellari meritò possent. Non ergo mirum est, si 2. Reg. cap. 16. vers. 9. Abisai volebat interficere Semeum; & cap. 19. vers. 21. instabat, vt idem Semeus interficeretur, quoniam maledixerat Regi. & quamuis ei Dauid Rex tunc pepercisse visus sit, ob causam ibi tactam; certum tamen est, quòd sub finem vitæ suæ præ-

cepit

cepit filio suo Salomoni, ne pateretur ipsum esse innoxium, vt patet 3.Reg. cap.2.v.9. qui posteà iussit illum interfici, quemadmodum traditur in fine eiusdem capitis. Quin etiam memorata lex, à fortiori, condemnabat maledicentes Deum, qui est supremus atque vniuersalis omnium pater; & de quo in Psal. 36.vers.22.dicitur: *Maledicentes autem ei disperibunt.* Est autem maledicere, iniuriis ac contumeliis aliquem lacerare, vt apertè 2.Reg.cap.16.vers.7.& 8. Semei exemplo declaratur illis verbis: *Ita autem loquebatur Semei cùm malediceret Regi: Egredere, egredere vir sanguinum, & vir belial: Reddidit tibi Dominus vniuersum sanguinem domus Saul; quoniam inuasisti regnum pro eo: & dedit Dominus regnum in manu Absalom filij tui: & ecce premunt te mala tua; quoniam vir sanguinum es.* hucusque Sacer textus. Porrò hæc & eiusmodi maledicta faciebant maledicentem reum læsæ maiestatis, regiæ quidem, si in Regem; diuinæ verò, si in Deum iaciebantur. Ex quibus omnibus colligere licet, quantum inter se differrent, *maledicere* & *valedicere.* quandoquidem, quòd quis vmquam morti traditus, vel tradendus esset, quia Deo, vel Regi, vel patri, vel matri valedixisset, nusquam in toto veteri Testamento, neque alibi reperimus scriptum. Itaque si 3.Reg.cap.21.vers.10.& 13. vt iam ostensum est, *benedicere* proculdubiò per antiphrasim vsurpatur pro *maledicere*, nec ibi aliter dici posse videtur; profectò nihil prohibet credere, quòd etiam loco Iob suprà citato, in eadem prorsus significatione accipi debeat. Redeamus ad Historiam. Accidit autem, vt cùm audisset Achab mortuum esse Naboth, descenderetque vt possideret vineam eius; ecce Elias Propheta missus à Domino in occursum eius, acriter valdè increpauit Regem de iniusta nece Naboth; prędixitque ipsi Achab & vxori eius Iezabel miserabilem interitum, & quòd carnes eorum comedendæ essent à canibus; & quòd exterminanda esset domus Achab, sicut exterminata fuerat domus Ieroboam filij Nabat, & domus Baasa. Verumtamen, quia ad Prophetæ vocem humiliatus est Achab, prædixit per eumdem Eliam Dominus, se non extincturum domum Achab in diebus ipsius, sed filij eius, subaudi, Ioram, quem posteà occidit Iehu, & vniuersam domum Achab, iuxta eiusdem Eliæ prophetiam, penitus deleuit, vt sub anno mũdi 3151. num.1.& 2.dicemus. Quæ verò nos his paucis perstrinximus, vide copiosiùs tradita 3.Reg.cap.21.per totum.

AB ORBE CONDITO ANNVS 3137. — QVINTÆ MVNDI ÆTAT. ANNVS 115.

IOSAPHAT FACIT SECVM REGNARE IORAM FILIVM SVVM

1 ANNO regni Iosaphat Regis Iuda decimoseptimo, qui fuit vigesimus primus regni Achab Regis Israel, & tertius pacis inter Syriam & Israel, vt apparet in tabulis; necesse est, quòd ipse Iosaphat fecerit secũ regnare Ioram filium suum: nam (vt sub anno mundi proximo num.7.dicemus) Ioram filius Achab dicitur regnasse anno decimooctauo regni Iosaphat, & anno secundo Ioram filij ipsius Iosaphat: ergo Iosaphat anno regni sui decimoseptimo fecerat secum regnare Ioram filium suum. Huius rei occasio creditur fuisse, quia tunc Iosaphat cogitabat exire de finibus regni sui, & descendere in Samariam, vt num.3.dicemus: nimirum inuitatus, vt probabile est, ab Achab Rege Israel, qui erat sibi affinitate coniunctus, quemadmodum sub anno mundi 3123.num.2.diximus; & volebat ducere eum secum contra Syros: propterea Iosaphat, vt in regno suo pacata omnia relinqueret, & ad tollendas dissensiones, quæ interim fortè oriri possent inter filios suos de regni administratione, declarauit vnum ex ipsis, nempe Ioram, Regem, & præter Regis titulum, etiam regni gubernacula eidem reliquisse creditur, donec ipse rediret.

CVR ID FECERIT.

REGNAT OCHOZIAS CVM PATRE ACHAB.

2. Eodem anno regni Iosaphat decimoseptimo, cœpit regnare Ochozias filius Achab super Israel in Samaria, vt expressè dicitur 3.Reg.cap.vlt.vers.52. intellige, simul cum patre; qui cùm deliberasset ire ad bellum contra Syros in Ramoth Galaad, constituit Ochoziam filium suum Regem, vt pro eo gubernaret regnum Israel in Samaria. Et quia, vt sub anno mundi proximo num.1.dicemus, circa initia anni sequentis occisus fuit Achab in bello, & sub finem illius anni ipse quoque Ochozias interiit; ideò illi duo anni, quibus idem Ochozias loco Reg.citato regnasse dicitur, accipi debẽt incompleti; & partim viuente, partim interempto iam patre. Tribuuntur autem ambo ipsi Ochoziæ; quia ferè toto illo tempore ipse regnum administrauit; primò absente, mox defuncto patre. Et nihilominùs hi duo anni non augent Chronologiam; quia includuntur in annis viginti duobus regni patris sui, quorum postremus fuit tantummodò inchoatus, vt sub anno insequenti num.1.ostendemus. Quare vide quàm procul à veritate

tate aberrauerint Auctor Historiæ Scholasticæ & alij, qui eumdem Ochoziam crediderunt regnasse annis vndecim; videlicet duos sine socio, & nouem simul cum fratre suo Ioram: quod ex sacris Scripturis nullatenus colligi posse videtur.

3. Sub finem eiusdem anni decimiseptimi, vt paulò pòst confirmabitur, Iosaphat descendit in Samariam ad Achab Regem Israel; à quo honorificè admodum susceptus fuit: nam ad eius aduentum mactauit Achab arietes & boues plurimos ipsi & populo qui venerat cum eo. Deinde persuasit ei, vt secum pergeret in Ramoth Galaad contra Syros. Verùm antequam irent, monente Iosaphat priùs cōsulendum esse Dominum, congregauit Achab de prophetis suis quadringentos viros; qui omnes interrogati, cuncta prænuntiarunt Regi prospera. Quin etiam vnus ex eis, Sedecias nomine, filius Chanaana, factis sibi cornibus ferreis, *His* (confidenter asserebat Regi Achab) *ventilabis Syriam, donec conteras eam.* Cùm autem instante Rege Iosaphat, requisitus aduenisset Michæas Propheta Domini, ac interrogatus, ipse quoque primò prospera nuntiasset; mox verò adiuratus à Rege, vt liberè ac sincerè ei sermonem Domini indicaret, vaticinatus esset aduersa; indignatus valdè est Achab: cui Michæas denuò prophetauit malum, assertiuè subiungens, diuinam se vidisse visionem, ex qua intellexit, quòd Dominus per spiritum mendacem in ore omnium prophetarum dicti Achab, ipsum decipere decreuerat, vt ascenderet & caderet in Ramoth Galaad. Hac de causa bonus Dei seruus Michæas ab impiis multa mala pertulit: nam & confestim à memorato pseudopropheta Sedecia grauiter in maxilla percussus fuit, & subinde ab iniquo Rege Achab iussus est in carcerem includi, & pane tribulationis atque aqua angustiæ sustentari, donec ipse de bello rediret in pace. Et nihilominùs Propheta Domini intrepidus in testificanda veritate perstitit: nam, vt omnes ex euentu probarent quòd ipse missus fuisset à Domino, cunctis audientibus respondit Regi: *Si reuersus fueris in pace, non est locutus in me Dominus*: 3.Reg.cap.22.vers.2.vsque ad 29. & 2.Paralip. cap. 18.vers.2.vsq; ad 28. Sanè quòd hæc acta sint anno superiùs notato, etiam manifestiùs colligi potest ex textu LXX. Interpretum, qui loco Paralip. adducto, de Iosaphat verba faciens, ait: *Descendit in fine annorum ad Achab in Samariam*, &c. id est sub finem vitæ non ipsius Iosaphat, quem constat multis post obitum Achab annis superuixisse; sed ipsius Achab, qui non multò pòst in prælio contra Syros vulneratus interiit, vt locis citatis consequenter describitur, & nos sub anno mundi proximo num. 1. dicemus. Igitur

IOSAPHAT VENIT AD ACHAB IN SAMARIAM

MICHAEAE PROPHETAE VATICINIA, ET OB EA PASSIONES.

AB ORBE CONDITO ANNVS 3138. | QVINTÆ MVNDI ÆTAT. ANNVS 116.

1 ANNO proximo circiter inchoante, qui erat regni Iosaphat decimusoctauus, & regni Achab vigesimus secundus, vt patet in tabulis, profecti simul sunt duo isti Reges cum exercitibus suis in Ramoth Galaad. Et quoniam Rex Syriæ equitatus sui Ducibus, ac præcipuè triginta duorum curruum Principibus præceperat, ne contra quemquam, nisi contra Regem Israel pugnare studerent; hoc audito, Achab callidè (vt arbitror) hortatus est Iosaphat, vt regio vestitu procederet ad prælium; ipse verò clàm mutauit habitum suum, ne ab hostibus agnosci posset, quòd ipse esset Rex Israel. Inito igitur certamine, videntes Syriæ Principes Iosaphat regio cultu indutum; ceteris omissis, aggressi sunt eum, putantes ipsum esse Regem Israel. At ipse, vt vidit se in arcto positum, exclamans ad Dominum, ab eo statim adiutus est: siquidem agnitus à Syris quòd ipse non erat Rex Israel, quem ipsi quærebant, Deo inspirante, cessauerūt eum persequi; atque ita de grauissimo vitæ periculo liberatus est. Contrà autem impius Achab, quantumuis astutus & incognitus, sagitta quadam à milite Syro in incertum iacta, inter ceruicem & scapulas, siue inter pulmonem & stomachum percussus, interiit eadem die ad vesperam. Quo tempore præco receptui cecinit, & Rex delatus fuit in Samariam, linxeruntque canes sanguinem eius de curru defluentem, iuxta verbum Domini eidem anteà ab Elia prænuntiatum: 3.Reg.cap.vlt.vers.29. vsque ad 52. & 2.Paralip.cap.18.vers.28.vsque ad finem capitis. Itaque Achab, vt dicebamus, vigesimum secundum regni sui annum non solùm non impleuit, sed tantummodò attigit. Sanè pręter cetera eius gesta hactenus narrata, additur etiam loco Reg. citato vers. 39. quòd ipse domum eburneam ædificauit, vrbesque non paucas extruxit; sed quonam regni sui anno hæc egerit, non indicatur. Igitur

IOSAPHAT ET ACHAB DVCVNT EXERCITVS CONTRA SYROS.

IOSAPHAT DE MORTIS PERICVLO DIVINITVS LIBERATVR.

ACHAB SAGITTA CONFIXVS INTERIIT.

2. Eodem anno per duos circiter menses vel tres inchoato, nimirum mortuo Achab, regnare cœpit, vt dictum est, Ochozias filius eius solus super Israel: cuius opera

REGNAT OCHOZIAS SOLVS IN ISRAEL, ET IMPIE AGIT.

fuerunt impiissima. Fecit enim ipse quoque malum in conspectu Domini, & adorauit Baal, ambulans in viis antecessorum suorum: 3. Reg. cap. 22. vers. 53. & 54. & 2. Paralip. cap. 20. vers. 35.

IOSAPHAT DE BELLO REDIENS A IEHV PROPHETA CORRIPITVR.

3. Iosaphat autem de dicto prælio, in quo peremptus fuerat Achab, cum salute rediens in terram suam, obuium habuit Iehu filium Hanani Prophetam: à quo redargutus fuit, quòd impio Achab præbuisset auxilium; subindeque admonitus, quòd hac quidem de causa iram Domini commeruerat; sed quia bona opera inuenta essent in ipso, nimirum abominatio & destructio idolorum, propterea diuinam consecutus fuerat misericordiam, ac de maximo vitæ periculo liberatus. Itaque Rex humiliter accepta Prophetæ correptione, in recognitionem tanti beneficij à Deo accepti, primò quidem voluit regni sui annos ab hoc deinceps esse numerandos; tamquam hoc signo palàm protestari gestiens, tunc sibi vitam à Domino regnumque pariter fuisse restituta, vt ex 4. Reg. cap. 8. v. 16. nos sub anno mundi 3143. num. 2. demonstrabimus. Mox diuini cultus augendi zelo admodum accensus, exiens ipse de Ierusalem, visitauit populum suum, à Bersabee vsque ad montem Ephraim, (isti enim erant ditionis suæ termini, primus Australis, alter Aquilonaris) reuocauitque eum ad cultum Domini; & constituit in cunctis vrbibus suis Iudices, præcipiens eis, vt timorem Domini præ oculis habentes, abstinerent à muneribus, & à personarum acceptione; & vt cuncta diligenter riteque peragerent. Hæc & eiusmodi monita salutis pius Rex dabat seruis suis. Sed & in Ierusalem constituit Zabadiam filium Ismael, tamquam primarium Iudicem, ac veluti Regis vices gerentem; & Sacerdotes ac Leuitas, eorumque Pontificem Amariam, & Principes familiarum, vt causas Domini iudicarent, & quæstiones de Lege ac cærimoniis deciderent, ostenderentque populis quæ facienda essent; ne peccantes, iram Domini super se ipsos inducerent: 2. Paralip. cap. 19. per totum.

DIVINVM CVLTVM AVGERI CVRAT.

REX MOAB DEFICIT A REGE ISRAEL.

4. Eodem anno, videlicet non multò post mortem Achab, fregit Mesa Rex Moabitarum fœdus quod habebat cum Rege Israel, nec voluit ei ampliùs soluere tributa quæ solebat, centum millia agnorum, & totidem arietum; vt breuiter tangitur 4. Reg. cap. 1. vers. 1. & clariùs cap. 3. vers. 4. & 5. Insuper iidem Moabitæ, cōductis in auxilium Ammonitis & Idumæis, mouerunt bellum contra Iosaphat Regem Iuda nihil tale suspicantem. Qui, vt audiuit illos cum ingenti multitudine iam ingressos esse regnum suum, & consistere in Asasonthamar, quæ est Engaddi, timore perterritus, congregauit vniuersum Iuda, prædicatoque ieiunio, ante omnia contulit se ad deprecandum Dominum. Cumque stans in medio populi, ante atrium Domus Domini nouum (nimirum ab ipsomet, aut à patre eius, non de nouo ædificatum, aliisque additum; sed potiùs, vt reor, instauratum ac renouatum) deuotè admodum orasset: factus est Spiritus Domini super quemdam Leuitam de filiis Asaph, nomine Iahaziel; qui cunctis audientibus Regi populoque prospera vaticinatus est, & sine pugna victoriam, Domino pro ipsis contra hostes dimicante. Ad cuius vocem omnes prostrati, adorauerunt Dominum, Leuitis Caath & Core filiis interim Deum Israel voce magna laudantibus. Postera autem die, summo manè egressus Rex cum exercitu suo, hortabatur omnes, vt Deo ac Prophetis eius crederent, & cūcta (dicebat) euenient prospera. Constituit etiam cantores, qui præirent exercitum, laudantes Deum, & dicentes: *Confitemini Domino, quoniam in æternum misericordia eius*. Quæ cùm canere cœpissent, ecce immisit Dominus pessimam inter hostes seditionem & pugnam intestinam, consurgentibus primò Ammonitis ac Moabitis aduersus Idumæos; quibus interemptis, sese quoque mutuò Ammonitæ Moabitæque pariter peremerunt. Ad quorum cadauera cùm peruenissent Iosaphat, vniuersusque populus eius; tres dies continuos in detrahendis hostium spoliis valdè opimis insumpserunt: quarto autem die congregati in valle, quæ deinceps ab hoc felici euentu, Vallis benedictionis dicta est; inde posteà reuersi sunt in Ierusalem, cum gaudio magno ingredientes Domum Domini cum psalteriis, & citharis, & tubis, vt debitas Deo gratiarum actiones exoluerēt. Et exinde pacem habuit Iosaphat in circuitu regni sui: siquidem irruerat pauor Domini super nationes finitimas, audientes quòd Dominus ipse pro populo suo pugnasset: 2. Paralipom. cap. 20. v. 1. vsq; ad 31.

MOABITAE CVM AMMONITIS ET IDVMAEIS BELLVM INFERVNT REGI IOSAPHAT.

SEDITIONE INTER EOS EXORTA SEIPSOS PARITER INTERIMVNT.

IVDAEI EORVM SPOLIIS DITANTVR.

IOSAPHAT INIT FOEDVS CVM OCHOZIA.

5. Post hæc, vt traditur loco Paralip. proximè adducendo, iniit Iosaphat amicitias cum Ochozia Rege Israel; feceruntque vnanimiter classem in Asiongaber, quæ iret in Tharsis & in Ophir, ad asportandum inde aurum: displicuit autem hoc Domino, & propterea misit Eliezer Prophetam ad Regem Iosaphat, qui prenuntiauit ei confractam iri classem, eò quòd cum iniquo Rege fœdus percutere non fuisset veritus. Atque ita non multò pòst, exorta tempestate, naues contritæ submersæque sunt. Quamobrem,

volente

volente eas Ochozia rursus reficere, recusauit Iosaphat: 3. Reg. cap vlt. vers. 49. vsque ad 52. & 2. Paralip. cap. 20. vers. 35. Et quoniam, quid nomine Tharsis Ophirque accipiendum sit, iam sub anno mundi 3043. num. 7. vsque ad 10. pluribus declaratum est; restat hîc tantummodò aduertere lapsum Iosephi, qui lib. 9. Antiq. cap. 1. perperàm scribit, prædictas naues à Iosaphat & Ochozia fuisse paratas, vt ad Ponti Thraciæque emporia proficiscerentur: cùm tamen ex locis sacræ Scripturæ citatis apertè constet, eas factas confractasque fuisse in Asiongaber; quæ cùm esset in littore maris Rubri, vt manifestè traditur 3. Reg. cap. 9. vers. 26. quis non videt quàm stultum fuisset, nauigia in mari Rubro fabricare, quæ ad Thraciæ emporia in maris Mediterranei oris existentia nauigarent? præsertim cùm tunc temporis ignota omnino esset via nauigandi de mari Rubro ad Mediterraneum. Et licet posteà à Pharaone Nechao primùm, (vt nos sub anno mundi 3425. num. 2. ostendemus:) deinde iterùm postremò à Lusitanis, totius Asiæ circuitione, reperta fuerit: est tamen adeò longa, difficilis, & periculosa, vt nemo sanæ mentis, volens de Iudæa nauigare in Thraciam, nauem in mari Rubro conscenderet. IOSEPHI ERROR DETEGITVR.

6. Eodem anno ad finem vergere incipiente, cecidit Ochozias Rex Israel per cancellos cœnaculi sui in Samaria existentis: cumque ex ictu grauiter ægrotaret, misit nuntios in Accaron vrbem Philisthinorum, vt consulerent idolum Beelzebub, quod ibidem colebatur, num de illa ægritudine cōualescere posset. Quibus de Samaria egressis, ecce Elias Angeli monitu occurrens, eos increpauit, quòd perinde ac si non esset Deus in Israel, ad consulendos deos alienos proficiscerentur; subiunxitque, propterea Ochoziam Regem de lectulo in quo iacebat non surrecturum, sed in sua infirmitate moriturum. Quæ cùm ab eisdem nuntiis relata fuissent Regi, ille furibundus confestim misit Quinquagenarium Principem cum eius militibus, qui ad se omnimodis perducerent Eliam: quos cùm ad Prophetæ vocem, ignis mirabiliter de cælo cadens, illicò vorasset; misit alterum cum eius comitatu: quibus tametsi idem prorsus accidisset, addidit tamen insanus Rex mittere tertiū, qui sibi suisque interitum veritus, flexis genibus coram Propheta humiliter eum precatus est, vt misertus animæ suæ, & eorum qui cum ipso erant, dignaretur descendere, & venire ad Regem. Quibus auditis, Elias ab Angelo monitus descendit, venitque cum illo ad Ochoziam, cui denuò intrepidè mortem prænuntiauit; quæ non multò pòst subsecuta est, vt latiùs describitur 4. Reg. cap. 1. per totum. OCHOZIAE AEGROTANTI ELIAS PRAEDICIT INTERITVM

7. Sub finem igitur eiusdem anni (qui, vt dictum est, erat secundus regni ipsius Ochoziæ Regis Israel, & decimusoctauus regni Iosaphat Regis Iuda, vt dicitur 4. Reg. cap. 3. vers. 1. & concurrit etiam cum anno secundo regni Ioram filij Iosaphat pariter cum patre regnantis super Iudam, vt patet in tabulis, & manifestè traditur 4. Reg. cap. 1. vers. 17.) mortuo Ochozia sine liberis, regnauit pro eo frater eius Ioram filius Achab super Israel in Samaria duodecim annis, vt exprimitur 4. Reg. cap. 3. vers. 1. Quare oportet primum annum regni Ioram Regis Israel ferè totum concurrisse cum anno decimonono regni Iosaphat, vt in tabulis digestum videri poterit. Ex dictis igitur duo inferri possunt. Primò, verum esse quod suprà sub anno mundi 3137. num. 2. diximus, annos duos regni Ochoziæ Regis Israel, sacram non augere Chronologiam; vtpote qui includi debent in annis regni patris eius Achab; siquidem ipse Ochozias, vt probatum est, regnare cœperat anno regni Iosaphat decimoseptimo, qui concurrebat cum anno regni Achab vigesimo primo: & sub finem anni decimooctaui regni Iosaphat, qui erat vigesimus secundus, vltimusque regni ac vitæ Achab, mortuo Ochozia, regnauit frater eius Ioram. Et hoc notandum valdè est; quoniam ex eiusmodi animaduersionis defectu, multi Scriptores confunduntur, & Chronographi passim in hisce Regum Israel annis supputandis decipiuntur. Alterum quod ex prædictis inferri potest, est, falli Richardum de S. Victore, in suo de Concordia temporum libello, vbi ait, Ioram filium Achab regnasse annum vnum cum Ochozia fratre suo, & vndecim ab obitu fratris. Id enim sacræ videtur repugnare Scripturæ, quæ 4. Reg. c. 1. vers. 17. & cap. 3. vers. 1. apertè loquitur de tempore quo regnare cœpit Ioram post obitum Ochoziæ fratris eius; & tamen asserit, ipsum Ioram regnasse duodecim annis; & nusquā aliàs dicit ipsum regnasse vndecim annis. Sanè Richardo imposuit, quòd alter Ochozias, filius scilicet Ioram Regis Iuda, interdum legatur regnasse anno vndecimo, interdum verò duodecimo regni Ioram Regis Israel: inde enim elicit Richardus, annum vltimum regni Ioram Regis Israel dici esseque vndecimum respectu temporis quo regnauit solus; duodecimum verò, ex quo regnare cœperat cum Ochozia fratre suo. Sed ratio cur Ochozias Rex Iuda quandoque dicitur regnasse anno vndecimo, quandoque autem duodecimo regni Ioram MORITVR OCHOZIAS, ET REGNAT FRATER EIVS IORAM IN ISRAEL. ANNI OCHOZIAE SACRAM NON AVGENT CHRONOLOGIAM. ADVERTERE QVID DEBEANT CHRONOGRAPHI. RICHARDI DICTVM REDARGVITVR.

ram Regis Israel, est illa quam assignat Caietanus super 4. Reg. cap. 9. nimirum, quia dictus Ochozias bis regnare cœpit super Iuda, nempe primò cum patre grauissima tunc ægritudine laborante; & hoc contigit anno vndecimo regni Ioram Regis Israel: altera vice, quando successit patri defuncto, & hoc fuit anno regni duodecimo prædicti Ioram Regis Israel, vt nos sub anno mundi 3150. num. 5. clariùs explicabimus.

AB ORBE CONDITO ANNVS 3139. — QVINTÆ MVNDI ÆTAT. ANNVS 117.

ELIAS IGNEO CVRRV IN CAELVM TOLLITVR.

1 ANNO regni Ioram Regis Israel primo, videlicet non multò post obitū Ochoziæ, vt infrà num. 4. probabitur, sublatus fuit Elias igneo curru per turbinem in cælum, Eliseo discipulo relicto. Huius raptus historia, quia dilucidè accurateque describitur 4. Reg. cap. 2. vers. 1. vsque ad 13. libenter Lectorem ad illum locum remittimus. Porrò præcipua Eliæ gesta laudesque breui elogio comprehensæ habentur Ecclesiastici cap. 48. vers. 1. vsque ad 13. inter quæ illud valdè insigne est, quòd primus omnium ipse mortuum ad vitam reuocasse legatur. Ponam hîc verba Ecclesiastici, vt quædam in eis obscuriora clariùs explicemus. *Et surrexit* (inquit) *Elias Propheta, quasi ignis, & verbum ipsius quasi facula ardebat. Qui induxit in illos famem, & irritantes illum inuidia sua pauci facti sunt. non enim poterant sustinere præcepta Domini* (hoc est, qui idololatras fame, aliisque à Deo vltionibus minuendos, atque ad paucitatem redigendos curabat; eò quòd, quia illi non poterant sustinere præcepta Domini, quæ ipse cum magno spiritus ardore eis proponebat, inuidiæ stimulis maloque acti zelo, irritabant prouocabantque ipsum ad flagella eis à Domino imprecanda.) Sequitur: *Verbo Domini continuit cælum, & deiecit de cælo ignem ter*: (videlicet bis super Quinquagenarios Principes, & semel super holocaustum.) *sic amplificatus est Elias in mirabilibus suis. Et quis potest similiter sic gloriari tibi?* (id est, sicut tu?) *Qui sustulisti mortuum ab inferis de sorte mortis, in verbo Domini Dei. Qui deiecisti Reges ad perniciem* (nimirum Achab, & vxorem eius Iezabel, & filios eorum Ochoziam & Ioram, & omnem eorum stirpem: item Ioram filium Iosaphat, quibus omnibus prædixit perniciem & interitum irreuocabilem atque ineuitabilem;) vnde & subiungitur: *Et confregisti facilè potentiam ipsorum, & gloriosos de lecto suo.* (quia scilicet prædicti Reges potentia & gloria sua non potuerunt eludere prædictiones Eliæ contra eos absque vlla difficultate enuntiatas, quibus quodammodò deiecit eos, quosdam quidem gladio inimicorum, quosdam verò, videlicet Ochoziam Regem Israel, & Ioram Regem Iuda, de lecto, ægritudine qua laborabant consumptos.) *Qui audis in Sina iudicium, & in Horeb iudicia defensionis* (hoc est diuinæ vltionis contra idololatras illis verbis prolata: *Et erit, quicumque fugerit gladium Hazael, occidet eum Iehu; & quicumque fugerit gladium Iehu, interficiet eum Eliseus.* Constat autem, quòd quemadmodum Scriptura sacra vsurpat verbum *defendere* pro *vlcisci*, vt patet Iudith cap. 1. in fine, & ad Rom. cap. 12. vers. 19. ita nunc nomen *defensionis* pro *vltione.*) *Qui vngis Reges ad pœnitentiam* (hoc est Hazael & Iehu, ad pœnam transgressoribus seu idololatris infligendam) *& Prophetas facis successores post te.* (Eliseum intelligi volens, numero plurali pro singulari, vt aliàs non semel, vsurpato.) *Qui receptus es in turbine ignis, in curru equorum igneorum. Qui scriptus es in iudiciis temporum, lenire iracundiam Domini: conciliare cor patris ad filium, & restituere tribus Iacob.* (ac si dicere voluisset: Qui iuxta quod scriptum reliquit Malachias in calce Prophetiæ suæ, venturus es temporibus iudiciorum Dei, vt lenias temperesque iracundiam eius, præparando vias eius, & conuertendo disponendoque homines ad sanctorum Patrum vestigia toto corde sectanda: quod quidem creditur per ipsam Eliæ personam esse præstandum, ante secundum Domini aduentum, finaleque iudicium, vt num. 3. ostendemus.) Denique concludit sermonem suum Ecclesiasticus de Elia, dicens: *Beati sunt qui te viderunt, & in amicitia tua decorati sunt: nam nos vita viuimus tantùm, post mortem aut non erit tale nomen nostrum.* significans eos fore beatos, qui non solùm ipsum vidisse, sed ex charitate monitis eius obtemperasse gaudebunt.

EIVS GESTA LAVDESQVE EX LIB. ECCLESIASTICI.

AN FVERIT PRIMVS CARMELITANI ORDINIS AVCTOR.

2. Sed hîc fortè quæret aliquis de Elia, num verè ipse fuerit primus Ordinis Fratrum Carmelitanorum institutor, quemadmodum ipsi palàm profiteri assereréque videtur. Et quidem res valdè obscura est, & probatu difficilis: nam quòd Elias, ex quo semel raptus fuit per aëreum cælum, atque ad ignotam terræ regionem deportatus, dictam Religionem instituerit, dici posse non videtur. Quòd enim, & quando, & quomodo iterum ad homines redierit, & cum ipsis denuò versari cœperit, neque ex Scriptura sa-

cra

cra,neque ex probatis Auctoribus ſcire poſſumus. Sed neque veriſimile eſt, quòd antequam à communi hominum conſuetudine tranſlatus eſſet, nimirum Lege Moyſaica adhuc vigente,Religio vlla ad Legis Euangelicæ normam, quæ nondum lata erat, ab ipſo Elia,aut ab alio illorum temporum fuerit inſtituta. Quid igitur? ergóne vana cenſenda eſt vetus traditio,atque vniuerſalis dictorum Fratrum aſſertio? Equidem neque ſic omnino ſentire atque affirmare auſim. Quin potiùs (ſi verum eſt quod aiunt) præſtat diſquirere quomodo id fortè fieri potuerit. Et quidem mihi de hac re aliquoties cogitanti,nihil probabilius in mentē venit,quàm ſi dixerimus fieri potuiſſe, quòd quemadmodum Samuel Propheta creditur auctor fuiſſe illius congregationis Prophetarum, quæ erat in Ramatha,& in qua ipſe,tamquam illius Præfectus,collationes quaſdā ſpirituales celebrare ſolitus erat (vt videre eſt 1.Reg.cap.19. verſ.20. & 24. & à nobis ſub anno mundi 2545. num.14. dictum eſt) ita Elias quoque aliquando aliam eiuſmodi Prophetarum ſeu ſpiritualium virorum ſocietatem in monte Carmelo erexerit, atque erudierit,quæ poſteà ibidem vſque ad Meſſiæ Legiſque Euangelicæ tempora perſeuerauerit: mox verò eadem ſocietas, ritibus Chriſtianis Apoſtoliciſque inſtitutis imbuta, & quibuſdam retentis ex priori inſtitutione obſeruantiis Euangelicæ Legi minimè repugnantibus,deinceps ſeſe inde per alias mundi partes diſſeminauerit, ac primā eius originem à tam ſancto & antiquo Propheta recognoſcere,nomen verò à primo ſuæ inſtitutionis loco,hoc eſt,à Carmelo deriuare ac retinere maluerit. Verumtamen de hoc nihil habeo quod certò affirmare queam, niſi quòd tale quid coniectari atque opinari non videtur improbabile, ſuppoſita tamen veritate aſſertionis dictorum Fratrum: nam alioquin, Baronio atteſtante,conſtantior videtur opinio quam idē Baronius ſub anno Chriſti 1181.refert;quòd ſcilicet dictus Ordo Carmelitarum longè poſterioribus tēporibus originē ſumpſerit, nimirū ſub ſummo Pontificatu Alexandri Romani,quo tempore Haimericus Patriarcha Antiochenus in Oriente Apoſtolicæ Sedis legatione fungebatur. Is enim cùm vidiſſet complures, qui ex Occidente venerāt vitam eremiticam acturi in Terra ſancta, hinc inde diſperſos, & Barbarorum incurſionibus expoſitos, collegit eos in vnum,poſuitque in monte Carmelo, Eliæ olim habitatione nobilitato; vnde poſteà Deo fauente per alias Orbis partes diſſeminati ſunt. De cetero conſtat, eumdē Carmelitarum Ordinem ſuccedentibus poſteà temporibus binas deinde Regulas obſeruandas ſuſcepiſſe: Alteram,quā tenuit ab anno ſalutis circiter 400.vſq; ad 1121. à Ioanne Patriarcha Ieroſolymitano acceptam. Alteram eidē Ordini poſteà ab Alberto pariter Ieroſolymitano Patriarcha cōſcriptam. Cuius Regulæ auctoritatem poſt aliqua tempora, aliquot ſummi Pontifices, ad eorumdem Fratrum inſtantiam in multis ſanè temperarunt. Sed demum noſtro hoc ſæculo,non multis ab hinc annis,in Hiſpania,illi eiuſdem Ordinis Fratres, qui vulgò Diſcalceati nuncupantur, durioris ac perfectioris vitæ deſiderio flagrantes,& obtenta ſibi dictæ temperationis abrogatione, Regulam eo prorſus rigore,quo primùm à dicto Alberto tradita fuerat,obſeruare cœperunt,non ſine ingenti animarum ſalutari fructu,ac ſingulari piorum ędificatione. Sed hæc obiter.

3. Illud magis hîc ſilentio inuoluendum non eſt,Eliam & Henoch (vt communis in ſancta Eccleſia opinio eſt) adhuc viuere,ſiue in Paradiſo terreſtri, de quo pulſus fuit Adam (ſi tamen Paradiſus ille adhuc extat;) ſiue,vt nos potiùs credimus, in alio ſimili delicioſo loco,qui rectè etiam Paradiſus dici poteſt, vt nos ſub mundi die 3. num.27. probauimus, & ambos věturos eſſe ſub finem mundi vt prædicent Catholicam fidem contra Antichriſtum,eiuſque ſequaces. & hos eſſe duos illos Dei teſtes, de quibus prædicitur Apocalyp.cap.11.verſ.3.vſque ad 14. Et quidem de Elia id apertè tradit Scriptura ſacra Eccleſiaſtici cap.48.verſ.10.illis verbis: *Qui ſcriptus es in iudiciis temporum lenire iracundiam Domini: conciliare cor patris ad filium, & reſtituere tribus Iacob.* & hoc Eccleſiaſtici teſtimonium inficiari nemo poteſt; quia ibi manifeſtè agit de rebus Eliæ Theſbitis,non ſecundùm hominum opinionem,vt quidam malè ſuſpicati ſunt; ſed ſecundùm veritatem. Nam ſicuti verum eſt,quòd Elias raptus eſt in turbine ignis in curru equorum igneorum; ita & illud quod ibi immediatè ſubiungitur, *Qui ſcriptus es in iudiciis*,&c. vt ſuprà num.1. expoſitum eſt. Præterea hoc idem prædixerat Malachias cap.4. verſ.5. dicens: *Ecce ego mittam vobis Eliam Prophetam antequam veniat dies Domini magnus & horribilis,& conuertet cor patrum ad filios,& cor filiorum ad patres eorum; ne fortè veniam,& percutiam terram anathemate.* Denique ipſe etiam Dominus Matthæi cap.17.verſ.11.dixit: *Elias quidem venturus eſt, & reſtituet omnia.* Nec obſtat, quòd quia Elias in curru igneo ſublatus dicitur 4.Reg cap.2.verſ.11. quis fortè dicat, ipſum igne illo cōſumptum interiiſſe; quoniam certū eſt,ipſum poſt plures ab eius raptu annos tranſmiſiſſe litteras ad Ioram Regem Iuda,vt traditur 2.Paral.c.21.v.12.ſignū ergo eſt, quòd

QVOD ADHVC VIVAT.

QVOD VENTVRVS SIT IN FINE MVNDI VT PRAEDICET CONTRA ANTICHRISTVM.

quòd in illo raptu non interierat,sed adhuc viuit,iuxta communē Catholicæ Ecclesiæ sensum.Et hoc nemini mirum videri debet: nam, vt ait Irenæus lib.5.c.5. quemadmodum Ionas diuina virtute in ventre ceti triduo sospes, & tres pueri in camino ignis ardentis illæsi aliquamdiu conseruari potuerunt; ita & Elias in dicto curru igneo: vt non immeritò speretur esse venturus,qui etiam nunc viuere creditur, quemadmodū testatur S.Aug.lib.20.de Ciuit.c.29.& apertè supponunt omnes Auctores inferiùs citandi. Non etiam obstat,quòd citatus Malachiæ locus à Burgense,Vatablo,& aliis nonnullis exponatur non de Elia Thesbite, sed de Ioanne Baptista,qui & ipse dictus est Elias; & quod idem videantur sensisse S.Hieron. & Rupertus. Non, inquam,hæc obstant; quia (vt testatur Ribera super loco Malachiæ adducto) omnes ferè alij Catholici Doctores, quorum plures ipse ibidem citat,oppositum sentiunt. & reverà Malachias non videtur ibi potuisse loqui de Ioanne,sed verè de Elia: nam LXX. Interpretes ibi legunt: *Ecce ego mitto vobis Eliam Thesbiten.* & ita quoque legunt S.August. lib.20.de Ciuit.cap.29. & Prosper in libello Dimidium temporis inscripto c.13. & S.Ioan.Chrysost. eamdē versionem secutus,Homil.58.in Matth.de dicto Malachiæ vaticinio verba faciens,ait: *Vides exactam diligentiam Propheticæ prædictionis.Nam quoniam propter mysterij similitudinē, Ioannes quoque poterat Elias nominari,ne confusio fieret, patriam adscribit, Eliam Thesbiten appellans.Ioannes enim Thesbites non erat.* sic ille. Deinde,si locus Ecclesiastici adductus perspicuè loquitur de Elia Thesbite,&(vt omnes ferè consentiunt) alludit ad locū Malachiæ citatū,dicens: *Qui scriptus es* (subaudi,in Malachia; Malachias enim Auctorem Ecclesiastici longè præcesserat:) vtique oportet etiam Malachiam loqui de Elia Thesbite, non autem de Ioanne.& hoc etiam planè indicāt tum illa verba in vtroque loco, Malachiæ scilicet & Ecclesiastici, eodem ferè modo posita, videlicet: *Vt conuertat cor patrum ad filios*,&c. & illa item ipsius Malachiæ: *Antequam veniat dies Domini magnus & horribilis.* qui vtique est dies extremi iudicij: nam dies primi aduentus Christi, dicitur *tempus acceptabile,& dies salutis*, 2.ad Cor.cap.6.vers.2. & illa quoque Prophetæ verba ibidem subiuncta: *Ne fortè veniam, & percutiam terram anathemate.* id est, ideò mittam vobis Eliam,vt prædicet pœnitentiam, & ego per ipsum habeam plures quos saluem,& non omnes condemnare cogar.Prætereà constat,Malachiam de primo Domini aduentu, & consequenter de ipso Ioanne Baptista eius præcursore prophetasse cap.3.vers.1. illis verbis: *Ecce ego mitto Angelum meum,qui præparabit viam ante faciem meam: & statim veniet ad templum suum Dominator quem vos quæritis*,&c. Angelus enim præcursor primi aduentus Domini fuit Ioannes Baptista,ipsomet Domino id attestante Matth.cap.11.vers.10. & Lucæ cap.7.vers.27. De secundo autem Christi aduentu agit Malachias c.4.vbi eiusdem aduentus præcursorem facit non Ioannem,sed Eliam, vt dictum est.Et propterea ipse Ioannes interrogatus (Ioan.c.1.v.21.) à Pharisæis, num ipse esset Elias? respondit: Non. volens indicare, se non esse Eliam præcursorem secūdi aduentus Domini,de quo prædixerat Malachias c.4. sed esse præcursorem primi aduentus Christi,de quo prophetauerat idem Malachias c.3.& ideò subiungit: *Ego vox clamantis in deserto: Parate viam Domini*, &c. quæ sanè verba admodum cōgruunt cum illis Malachiæ c.3. *Qui præparabit viam ante faciem meam.* Deniq; non obstat,quòd loco Matth.c.17. superiùs notato,vbi dicitur: *Elias venturus est*; protinus subiungitur: *Dico autem vobis,quia Elias iam venit, & non cognouerunt eum.* Quoniam ibi insinuat Dominus,de Elia posse nos dupliciter loqui: Primò, de ipsa Eliæ Thesbitis persona, quæ proculdubiò ventura est ante secundum Christi aduentum. & de isto quidē Elia rectè ibidem subiungitur: *Et ipse restituet omnia,* videlicet, quæ ab Antichristo subuersa comperiet.& hoc quoq; conuenit cum eo,quod de eodem Elia Thesbite prædixerat Ecclesiasticus dicens: Et ipse restituet tribus Iacob, id est,non solùm Gentes,sed etiā Hebræos, de quibus dicitur: *Cùm intrauerit plenitudo Gentium, tunc omnis Israel saluus fiet.* quemadmodum colligitur ex c.11.ad Rom. v.25. Secundò,possumus de Elia loqui Allegoricè in persona Ioannis Baptistæ,de quo legimus Luc.c.1.v.17. *Et ipse præcedet ante illum in spiritu & virtute Eliæ.* & de isto benè Dominus dixit: *Ego autem dico vobis, quia Elias iam venit,& non cognouerunt eum.* Quod quidem Domini dictum,& illud pariter quod ibidem post pauca subiungitur: *Tunc intellexerunt discipuli,quia de Ioanne dixisset eis.* Et illud item Matth.c.11.v.14. *Et si vultis recipere,ipse* (subaudi,Ioannes) *est Elias qui venturus est*,id est,quem Pharisæi expectant venturum ante Messiam. Quomodo, inquam, tria hæc ipsius Christi dicta aliter conciliari possunt cum eo,quod à Pharisæis interrogatus Ioannes,num ipse esset Elias? respondit: Non. nisi dicendo cum S.Greg. Homil.7. in Euāgelia,quòd *Ioannes idcircò in spiritu & virtute Eliæ venturus dicitur; quia sicut Elias secundum Domini aduentum præueniet,ita Ioannes præuenit primum; & sicut ille præcursor ventu-*

venturus est Iudicis, ita iste præcursor factus est Redemptoris. Ioannes igitur in spiritu Elias erat; in persona Elias non erat. hæc S. Gregorius. Similia dicit S. Hieronymus in c. 17. Matth. *Ipse qui venturus est in secundo aduentu Saluatoris iuxta corporis fidem, nunc per Ioannem venit in virtute & spiritu.* & S. Ioan. Chrysostomus Homil. 58. in Matth. ait: *Prophetæ vtriusque aduentus mentionem faciunt, & secundi, cui præcursorem Eliam asserunt futurum. primi enim Ioannes fuit præcursor, quem etiam Eliam Christus appellabat, non quia Elias esset, sed quia ministerium Eliæ faciebat. sicuti enim ille secundi aduentus præcursor erit, sic primi fuit Ioannes.* Theophylactus etiam in Matthæi cap. 17. dicit: *Decipientes Scribæ populum, dicebant ipsum non esse Christum. Nam si esset Christus, Elias iam venisset: ignorantes quòd duo sint Christi aduentus, quorum primi præcursor Ioannes; secundi autem Elias. Sic enim & Christus interpretatur Discipulis.* & infrà: *Dicendo quidem quòd Elias veniet; ostendit quòd nondum venit: in secundo autem aduentu veniens, restituturus sit ad fidem Christi omnes Hebræos, quos persuasibiles inueniet. Cùm autem dicit, Elias iam venit, præcursorem illum Ioannem dicit.* & paulò pòst sequitur: *Tunc igitur Discipuli facti perspicaciores, intellexerunt quòd Ioannem Eliam vocauerit, quòd ipse primi aduentus præcursor fuerit, sicuti ille secundi futurus est præcursor.* In hunc sensum interpretantur prædicta Matthæi loca omnes ferè alij Ecclesiæ Doctores antiqui & moderni. Falsa ergo omnino est & erronea quorumdam hæreticorum interpretatio, qui prædicta omnia Matthæi loca de vno tantùm Ioanne accipienda esse contendunt; ac si Dominus dicere voluisset: Vera quidē est Prophetia Malachiæ & Ecclesiastici de Elia venturo; sed ego dico vobis, Elias iam venit. de Ioanne intelligens. Falsa, inquam, est hæc interpretatio; quia iam probatum est, memoratas Malachiæ & Ecclesiastici Prophetias de Elia Thesbite esse accipiendas. Et certum est, quòd illa verba, quæ Dominus, posteaquam dixit, *Elias venturus est,* subiunxit, *Et restituet omnia,* non possunt competere Ioanni: ipse enim non restituit Gentes, neque tribus Iacob, quas ad Christum recipiendum perducere non potuit. Et si de Ioanne intelligere voluisset Dominus, non vtique vsus esset illo vocabulo *restituet,* quod in pristinum statum rem perducere significat; sed dixisset, Conuertet ad veram fidem omnes; vel vt de eodem Ioanne dixerat Angelus Lucæ cap. 1. vers. 16. *Et multos filiorum Israel conuertet ad Dominum Deum patrum ipsorum.* De Elia verò benè potuit dicere *restituet,* quia ipse collapsam Christi fidem in pristinum restituet. vt omittam, quòd si, quando hæc Christus dicebat, iam ab Herode occisus Ioannes interierat, vt ex Historia Euangelica manifestum est, quomodo poterat omnia restituere? Igitur hæc restitutio non per Ioannem facta, sed per Eliam Thesbiten, omnium fidelium consensu facienda est, quemadmodum testatur S. August. libro 20. de Ciuit. c. 29. exponēs locum c. 4. Malachiæ, dicens: *Per hunc Eliam magnū mirabilemq; Prophetam exposita sibi Lege vltimo tempore ante iudicium Iudæos in Christum nostrum esse credituros, celeberrimum est in sermonibus cordibusq; fidelium.* vide si libet, totū illud S. Augustini caput, in quo multa de Elia venturo disserit. & prope finem capitis sequentis, inter ea quæ nouissimo illo tempore futura sunt, ponit persecutionem Antichristi, & missionem Eliæ Thesbitis, & fidē Iudæorum. Hęc quæ hactenus diximus, euidenter, ni fallor, probant, ex duobus illis testibus, qui in Apocalypsi prędicuntur venturi temporibus Antichristi, alterum proculdubiò esse Eliam Thesbiten, qui propterea adhuc viuit, vt sub finem mundi contra ipsum pugnet Antichristum; & tandem morti debitum soluat.

4. De altero verò teste non eadem fuit omnium sententia. Nam quidam putauerunt esse Ieremiam aut Isaiam, alij Moysen & Aaron. Quorum opiniones nos partim sub anno mundi 3448. num. 8. partim sub anno 3610. num. 15. refutabimus. & certè nullatenus sustineri possunt; quia prædicti omnes proculdubiò mortui sunt, & eosdem credimus à Christo de sanctorum Patrum Limbo eductos, in cælum empyreum fuisse translatos: nec probabile est, quemquam de illo ęternæ beatitudinis loco in hunc mundum esse rediturum, vt iterùm moriatur. Itaque sine vlla hæsitatione tenendum est, cum Elia venturum esse Henoch: ipse enim propterea ad Hebr. cap. 11. vers. 5. dicitur *translatus, ne videret mortem.* non vtique, ne vmquam moreretur: siquidem, vt ait Apostolus ad Hebr. cap. 9. vers. 27. *Statutum est hominibus semel mori.* & in Psal. 88. vers. 49. legimus: *Quis est homo, qui viuet, & non videbit mortem?* quasi dicat, Nemo. sed *translatus est ne videret mortem* (subaudi) nisi in fine mundi. Propterea etiam de eodem Henoch Ecclesiastici cap. 44. vers. 16. dictum est: *Henoch placuit Deo, & translatus est in Paradisum.* Et ne putares ipsum loqui de Paradiso cælesti; protinus adiungit: *Vt det Gentibus pœnitentiam.* Ad hoc igitur adhuc viuit, vt aliquando det Gentibus pœnitentiam, id est, vt in fine mundi cum Elia prædicet Iudæis & Gentibus pœnitentiam. Nulla enim alia ratio, nisi hæc, ex Sacris libris adferri potest, cur adhuc viuat. Immò quia in toto Sacro

CVM ELIA VENTVRVM ESSE HENOCH.

eloquio, ex antiquis Patribus neminem reperimus adhuc viuere, & expectari vt prædicet pœnitentiam, nisi Henoch & Eliam; ergo isti & non alij sunt duo illi testes, Apocalyp.cap.11.prænuntiati. vbi quid acturi sint contra Antichristum, & quæ ab ipso pati debeant, enucleatè describitur. Hanc doctrinam tenuerunt tenentque omnes ferè Patres & Doctores Catholici. Adducam hîc aliquot quorumdam ipsorum sententias, vt ex his reliquas discere liceat. Tertullianus lib. de Anima cap.50. *Translatus*, inquit, *est Henoch & Elias, nec mors eorum reperta est, dilata scilicet: ceterùm morituri reseruantur, vt Antichristum sanguine suo extinguant.* S. Ambrosius super illa verba 1. ad Cor. cap.4. *Puto enim quòd Deus nos Apostolos nouissimos ostendit tamquam morti destinatos*, ait: *Hoc ideò personæ suæ deputat, quia semper in necessitate fuit; persecutiones & pressuras vltra ceteros passus, sicut passuri sunt Henoch & Elias, qui vltimo tempore futuri sunt Apostoli. Mitti enim habent ante Christum ad præparandum populum Dei, & muniendas omnes Ecclesias ad resistendum Antichristo; quos & persecutiones pati & occidi lectio Apocalypsis testatur.* & post pauca: *Ad hoc enim venturi sunt vt occidantur.* & paucis item interpositis: *Quia erunt spectaculum & Henoch & Elias vsqueadeò, vt corpora eorum in platea projiciantur in conspectu totius populi infidelis.* S. Hieronymus in Epistola 48. ad Marcellam: *De Henoch autem & Elia, quos venturos Apocalypsis refert, & esse morituros, non est istius temporis disputatio.* & in Epistola ad Pammachium aduersus errores Ioannis Ierosolymitani, quæ in ordine est 61. paulò vltra medium, ait: *Henoch translatus est in carne, Elias carneus raptus est in cælum, necdum mortui*, &c. S. Augustinus lib. de Peccato originali c.23. *Henoch*, inquit, *& Eliam non dubitamus in quibus nati sunt corporibus viuere.* Alcuinus lib.3. de Trinitate cap.19. *Eliam & Henoch*, ait, *maximos Prophetas venturos esse, Ecclesiæ fides habet, per quorum doctrinam populus Israeliticus conuertetur ad fidem.* & Arethas in cap.11. Apocalyp. dicit: *Fertur ex traditione præconum Christi (quod inuariabiliter in Ecclesia recipitur) ipsum quoque Henoch venturum cùm Elia Thesbite: venient enim ambo, vt protestentur ijs qui tunc erunt, ne fallacibus Antichristi signis fidem adhibeant.* Similia dicunt Beda in Samuelem cap.2. Ephrem de Antichristo versus finem, Methodius Martyr sub finem suarum Reuelationum, Irenæus de Henoch quidem lib.4.c.30. de Elia verò & Henoch lib.5.cap.5. Eucherius Lugdunensis in Dominica 2. Aduentus; Prosper Aquitanicus in libello Dimidium temporis prænotato cap.13.14.15. & 16. & alij multi eadem tradunt de Henoch; & multò plures speciatim de Elia venturo, quos, ne longior sim, libens volensque prætereo. Videat qui volet quos adducunt Auctores inferiùs citandi; & quos citant Ribera super Malachiæ cap. 4. & Franciscus Feuardentius in suis Annotationibus ad Irenæi cap.5. libri 5. præter nonnullos alios, quos ad eiusdem Irenæi cap.30. libri 4. adnotauerat. Vide ergo & considera, prudens Lector, à veritate quantum aberrauerint hęretici nostri temporis, qui posthabitis tot sacræ Scripturæ testimonijs, & relicta, vel potiùs contempta tot tantorumque Patrum auctoritate, ausi sunt asserere, Henoch & Eliam in Beatorum sedes esse receptos, & ideò non esse expectandos vt veniant ad prædicandum Iudæis ac Gentibus pœnitentiã; & consequenter, quæ de ipsorum sub finem mundi aduentu circumferuntur, inter pueriles anilesque fabulas esse computanda; suggillantes omnes antiquos modernosque Doctores, quòd in re tam graui, futilia atque inania pronuntiauerint. Mira sanè & vix ferenda temeritas atque audacia. Et quoniam litteralem Scripturæ sacræ sensum, in quo potissimùm fundari debet eiusmodi disputatio, contra se manifestè pugnantem infringere aut eludere non valent; callidè confugiunt ad allegorias, seu translationes & tropos, quos ad sensus proprios vtcumque aptare atque extorquere conantur, dicentes, per duos illos testes in sacra Apocalypsi memoratos, esse accipiendos nouum ac vetus Testamentum: vel (quod peius est) omnes Doctores seu Ministros fideles, quos Deus excitat tempore Antichristi, quales (inquiunt) sunt Lutherus, Zvvinglius, Caluinus, & huius generis alij. & nihilominùs certissimum est, quòd Sacer textus non de rebus inanimatis, vt sunt nouum & vetus Testamentum, sed de hominibus expressè loquitur; & non de pluribus inter se nonnihil dissentientibus, sed signanter de duabus singularibus personis, quæ amictæ saccis, vno eodemque spiritu prædicabunt integro triennio pœnitentiam; & quas posteà morituras, earumque corpora publicè triduo inhumata permansura, ac deinde à mortuis surrectura, & cunctis videntibus in cælum in nube ascensura testatur. Quæ omnia & singula tam diligenter singulatimque descripta, nihil minùs quàm aut veteri nouoque Testamento, aut hæreticis competere potuerunt. Sed non tam mirandum est eos talia adeoque exorbitantia protulisse, quàm cur ad hæc meditanda ac pronuntianda deuenerint, nimirum, vt ostenderent prædictos testes iam aduenisse; & consequenter probare possent (quod persuadere valdè cupiunt) summum Pontificem

CONTRA HAERETICOS NOSTRI TEMPORIS.

Christi Vicarium, esse Antichristum. Deploranda sanè cæcitas, & consummata malitia, quæ eos adegit, vt impiissimum dogma, impiissimis propositionibus, & omnino sacræ Scripturæ, ac spiritui Sanctorum veritatique contrariis comprobare velle non erubescerent. Vtinam aliquando isti audiant & corde intelligant sanctum Prophetam Isaiam cap. 5. vers. 20. eos increpantem illis verbis: *Væ qui dicitis bonum malum, & malum bonum* (videlicet Christi Vicarium esse Antichristum, & Hæresiarchas esse Dei testes) *ponentes tenebras lucem, & lucem tenebras*. Contra hos fusiùs disputant, eosque manifestissimè ex ipsiusmet Apocalypsis aliisque Scripturæ sacræ verbis confutant, conuincunt atque refellunt multi sanctæ Ecclesiæ Doctores, in primis verò Cardinalis Bellarminus in toto libro 3. de Romano Pontifice, & præsertim cap. 6. Martinus Becanus in libello quem inscripsit, Refutatio Apologiæ Iacobi Angliæ Regis, parte 2. speciatim verò c. 3. 4. & 5. & Leonardus Lessius in suo libello de Antichristo Demonstratione 15. & nouissimè Franciscus Suarez sex integris libris, quos inscripsit, Defensio Fidei Catholicæ & Apostolicæ aduersus Anglicanæ sectæ errores. Ad hos ergo præcipuè Auctores Lectorem, qui plura in hoc genere desiderat, libentissimè remittimus, vt confestim ad prosequendam Historiam sacram redire possimus.

☞ 5. Ceterùm Eliseus, qui raptui Eliæ præsens fuit, accepto eiusdem Eliæ pallio, quod ei ceciderat, percussit cum eo bis aquas Iordanis, quæ mirabiliter diuisæ sunt, præbueruntque ei transitum. Quod de longè videntes filij Prophetarum qui habitabant in Iericho, intellexerunt spiritum Eliæ requieuisse super Eliseum, & occurrentes adorauerunt eum, recusantemque coëgerunt, vt mitteret quinquaginta viros robustos ad quærendum Eliam, putantes quòd Spiritus Domini transtulisset eum in vnum ex montibus aut vallibus inde non valdè remotis: qui post triduum cùm non inuenissent illum, reuersi sunt ad Eliseum in Iericho. Vbi quoniam aquæ illius vrbis erant pessimæ, rogatus Propheta à viris Iericho, iussit sibi in vase nouo afferri sal; quo fonti aquarum immisso, illæ sanatæ sunt. Contigit autem cùm ascenderet Eliseus de Iericho in Bethel, vt irrisus à quibusdam pueris replicantibus ei per ludibrium, *Ascende calue, ascende calue*, maledixerit eis: ad cuius vocem, egressi de saltu duo vrsi, lacerauerũt ex eis quadraginta duos. Ipse verò abiit de Bethel in montem Carmeli, & inde reuersus est in Samariam: 4. Reg. cap. 2. vers. 13. vsque ad finem capitis. Probabile verò admodum est, quod à quibusdam asseritur, memoratos scilicet pueros fuisse filios prophetarum excelsorum Bethel, aut certè eorum qui colebant vitulos aureos, quorum alterum posuerat Ieroboam Rex Israel in Bethel: huiusmodi enim idololatræ Prophetas Domini odio prosequentes, eosdem persequi solebant. Quare non mirum est, si etiam paruuli, mores parentum imitati, sanctum Prophetam ausi sunt subsannare. Iustè igitur percussit eos Eliseus: siquidem iuxta verbum Domini, quod factum fuerat ad Eliam in monte Horeb, inter illos tres qui vngendi erant vt de idololatris vltionem sumerent, etiam ipse Eliseus fuerat computatus: vt sub anno mundi 3124. num. 5. dictum est.

QVOD SPIRITVS ELIAE REQVIEVERIT SVPER ELISEVM.

QVAEDAM EIVS MIRACVLA.

QVI ESSENT PVERI QVIBVS MALEDIXIT ELISEVS.

6. Eodem anno primo regni sui, vt ex paulò pòst dicendis patebit, Ioram Rex Israel non distulit inferre bellum Moabitis, qui à fratre suo Ochozia defecerant; nec ab eo, propter repentinum infirmitatis suæ casum, subiugari potuerant. Itaque recensito vniuerso Israele, & insuper in auxilium conuocatis Iosaphat Rege Iuda & Rege Idumæorum, profecti sunt tres Reges cum exercitibus suis per viam deserti Idumeæ septem diebus: cumque aquæ penuria vehementer laborare cœpissent, requisiuit Iosaphat num ibi esset aliquis Propheta Domini: responsumque est ei, adesse Eliseum filium Saphat, qui aliàs fundebat aquam super manus Eliæ. Ex quo patet quod num. 1. asseruimus, nimirum, hoc eodem anno, inter obitum Ochoziæ & bellum istud contra Moabitas, contigisse raptum Eliæ. Consultus ergo Eliseus à Ioram Rege Israel, duriùs eidem respondit: verumtamen in gratiam Regis Iuda, qui etiam præsens aderat, prophetauit, eos sine pluuia & vento copiosam breui aquam habituros; & insuper de Moabitis victoriam consecuturos: quod & factum est. Etenim sequenti die, descendentibus aquis per viam Idumeæ contra Moabitas, terramque replentibus, ipsi & iumenta eorum recreati sunt. Postridie verò, orto iam sole, Moabitis qui ex aduerso aquarum hostibus obuiàm ascendebant, visæ sunt aquæ velut sanguis, rubræ: quamobrem opinati hostes inter se conflixisse, ac mutuò esse cæsos, raptim ad spolia de ipsis detrahenda cucurrerunt, sed incauti ab Israelitis aggressi atque in fugam versi sunt, eorumque subinde ciuitates vastatæ, illa excepta in qua erat Rex: quæ ipsa quoque cùm acriter oppugnaretur, nec iam posset aliter Rex Moab rebus suis prospicere, arrepto primogenito suo, super vrbis murum immolauit eum dijs suis in holocaustum. quod videntes, pariterque horrentes

IORAM REX ISRAEL CVM REGE IVDA ET REGE IDVMAEORVM BELLVM INFERT MOABITIS.

ELISEVS PROSPERA PRAENVNTIAT PRAEDICTIS REGIBVS.

rentes Israelitæ, indignati valdè, statim recesserunt ab eo: 4.Reg.cap.3.vers.6.vsque ad finem capitis. Quidam ex recentioribus Hebræorum Rabbinis (vt refert Ribera super cap.2.Amos) ausi sunt dicere, iuuenem illum à Rege Moab immolatum, non fuisse filium ipsius Regis Moabitarum, sed Regis Idumæorum. Et hoc esse propter quod Dominus per dictum Prophetam ibidem conqueritur de Moab, quòd incendisset ossa Regis Idumææ vsque ad cinerem. Sed horum assertio temeraria est & falsa; vtpote quæ nimis manifestè aduersatur Scripturæ sacræ 4. Reg.cap.3. in fine asserenti illum fuisse filium primogenitum ipsius Regis Moab, non autem Regis Edom; & hoc idem confirmat Iosephus 9.Antiq.in calce capitis 1. Quare multò meliùs exponenda sunt verba Amos cum S.Hieronymo & Glossa ordinaria, dicendo, quòd Rex Moab, quando à prædictis tribus Regibus obsidebatur, veritus ne vrbs expugnaretur, tentauit cum septingentis militibus (vt dicitur 4.Reg.cap.3. vers.27.) qua parte credidit minùs ad resistendum paratas esse hostium copias, id est per castra Idumæorum erumpere; sed illis fortiter reluctantibus, turpiter in vrbem denuò se recipere compulsus est; tantoque propterea odio deinceps in Idumæos exarsit, vt cùm se de viuentibus vlcisci non posse videret, postmodum data occasione, in mortuum insanire non erubuerit. Etenim post solutam ab hostibus, nimio impij illius sacrificij horrore, obsidionem, cùm quadam die audisset defunctum ac tumulatum fuisse Regem Idumæorum, insano actus furore, vel potiùs lupina quadam rabie accensus, cadauer illius, nescio quo modo furtim de sepulchro sublatum, tam diu cremari iussit, quoad vsque ossa eius in cinerem & fauillam redacta essent. Horrendum sanè vindictæ atque inauditæ sæuitiæ exemplum, quod haud iniuria, pro magno scelere refert execraturque memoratus Propheta initio citati capitis, meritoque illud diuina vltione grauiter plectendum fore prænuntiat.

MVLTIPLICAT MIRABILITER OLEVM VIDVAE PAVPERIS.

7. Circa primos eiusdem anni menses, vt numero sequenti ostendemus, venit ad Eliseum quædam mulier vidua, & pauperrima, & insuper ære alieno longè supra vires obstricta, quæ fuerat vxor vnius Prophetæ, humiliter exponens ei afflictionem suam; nimirum, quòd creditor volebat tollere duos filios eius in seruos sibi. Cui vir Dei, vt cognouit quòd illa nihil aliud haberet in domo sua, nisi parum olei quo vngi posset, mira Dei virtute multiplicauit oleum illud, præcepitque ei, vt eo vendito solueret debita, & de reliquo viueret ipsa cum filiis suis: 4.Reg.cap.4. vers.1. vsque ad 8. Et quoniam tunc temporis, Elisei fama nondum vulgata valdè erat, vt numero sequenti constabit; probabile est, virum prædictæ mulieris fuisse vnum ex illis Prophetis, qui (vt num. 1. dictum est) nouerant Eliæ spiritum requieuisse super Eliseum; illamque à marito paulò antè defuncto edoctam, confestim ac nouit ipsum Eliseum de castris Israëliticis rediisse; ad illum non tamquam ad diuitem recurrisse, sed tamquam ad Eliæ alumnum, quem sperabat ope diuina inopiæ suæ prouisurum; & ideò non fuit segnis continuò exequi, quodcumque sibi à Propheta imperatum fuit, vt ex historia loco Reg. citato relata apparet.

A SVNAMITIDE HOSPITIO SVSCEPTVS OBTINET EIDEM STERILI A DOMINO FILIVM.

8. Per idem quoque tempus, transiens Eliseus per Sunam ciuitatem tribus Issachar, vt patet Iosue cap. 19. vers. 18. non semel hospitio susceptus fuit à muliere quadam diuite, & ab eadem actiones eius sedulò obseruante agnitus est, quòd vir Dei sanctus esset. Quamobrem illa, de consensu viri sui, parauit ei cœnaculum paruum, & in eo quæ necessaria erant, vt ibidem ad libitum suum Propheta diuertere commodeque hospitari posset. Cui Eliseus, in huius gratuitæ hospitalitatis recognitionem, humanissimè obtulit fauorem suum, si opus esset, apud Regem, vel militiæ Principem. Verùm posteaquam intellexit illam nihil eiusmodi opus habere, sed cùm esset sterilis, admodùm exoptare de viro suo successionem, sexumque virilem; impetrauit ei à Domino filium, quemadmodum accuratè describitur 4.Reg. cap.4. vers.8. vsque ad 18.

HORVM TEMPORVM RATIO.

¶ Ex qua descriptione, duo inferri possunt valdè apposita, ad iam digestam horum temporum notationem comprobandam. Primò, ex illis Elisei verbis, *Vis vt loquar Regi vel Principi militiæ*, &c. apparet, memoratam filij impetrationem post prænarratum Moabiticum bellum contigisse: quandoquidem certum est, Eliseum non modò non fuisse acceptum, sed nec fortè notum Regi aut Principibus eius, nisi posteaquam prophetauit eis de Moabitica gente victoriam. Secundò deduci potest, non solùm Eliæ raptum, sed & prædictum bellum aduersus Moabitas gestum, & item duo memorata Elisei miracula, nimirum olei multiplicationem, & Sunamitidi sublatam sterilitatem, proculdubiò intra priores menses anni primi regni Ioram Regis Israel contigisse, eo prorsus quo in Sacro textu, & à nobis narrata sunt, ordine: tum quia ex illis verbis, quæ viro suo dixit Sunamitis, *Animaduerto quòd vir Dei sanctus sit iste*, satis manifestè insinuatur,

ſinuatur, quòd necdum tunc publicè innotuerat, Eliſeum eſſe Prophetam: alioqui ex fama publica, ſiue ex miraculis de ipſo vulgatis, non autem ex ſedula actuum eius obſeruatione, illa cognouiſſet Eliſei ſanctitatem: tum quia neceſſe eſt ponere, præfatum Sunamitidis filium natum eſſe anno primo circiter deſinente, vel ſecundo circiter inchoante, regni Ioram Regis Iſrael, alioqui non potuiſſent ſub eodẽ Rege, qui duodecim dumtaxat annis regnauit, fieri quæ ſequuntur; nempe filij Sunamitidis ſuſcitatio, & poſt eam fames ſeptem annorum, ac deinde poſt famem recuperatio bonorum dictæ Sunamitidis à prædicto Rege impetrata; & mox alia, quæ ſuo loco dicentur. Nam oportet, quòd filius Sunamitidis tertium ſaltem iam expleuiſſet annum, quando capitis dolore correptus interiit: ſiquidem egreſſus erat ad meſſores, & iam loqui didicerat: dicebat enim: *Caput meum doleo, caput meum doleo*. quæ certè non videntur poſſe conuenire pueruIo minoris ætatis. Quare cogimur dicere, ipſum & mortuum, & ad vitam fuiſſe reuocatum inchoante circiter anno quinto regni dicti Ioram, & non priùs nec poſteà. Clarum eſt enim, quòd poſt ſuſcitatum puerum Eliſeus prænuntiauit famem ſeptem annis duraturam, quæ illicò ſubſecuta eſt. Quibus expletis, hoc eſt circa initia anni duodecimi regni eiuſdem Regis, reuerſa eſt mulier à peregrinatione ſua, & iuſſit Rex eidem reddi bona ſua: poſt hæc verò, accidiſſe hiſtoriam Naaman Syri, ſub anno mundi 3150. num. 3. probabitur: & denique ſub finem eiuſdem anni duodecimi interfectum fuiſſe Ioram Regem Iſraël, certiſſimum eſt. Ecce quomodo quæ recenſuimus, neceſſariò complectuntur totum ferè tempus regni ipſius Ioram, ita vt, quæ in primo huius Regis anno acta fuiſſe diximus, ad poſteriora tempora transferri nullo modo poſſint.

AB ORBE CONDITO ANNVS 3140. — QVINTÆ MVNDI ÆTAT. ANNVS 118.

1 ☞ ANNO igitur regni Ioram Regis Iſrael ſecundo circiter ineunte, vt ex paulò antè dictis manifeſtum eſt, peperit Sunamitis filium, eidem Eliſei precibus à Domino impetratum; de cuius partu fit mentio 4. Reg. cap. 4. verſ. 17. SVNAMITIS REPERIT FILIVM ELISEI ORATIONIBVS IMPETRATVM.

AB ORBE CONDITO ANNVS 3143. — QVINTÆ MVNDI ÆTAT. ANNVS 121.

1 ANNO regni Ioram Regis Iſrael quinto inchoante, nimirum primo vel ſecundo Anni ſacri menſe, nempe in diebus meſſis, memoratus Sunamitidis filius cùm creuiſſet, treſque eſſet iam annos natus, & quadam die iuiſſet ad patrem ſuum, in campo cum meſſoribus exiſtentem; cœpit apud eum conqueri, quòd caput doleret: quamobrem deferri eũ fecit pater domũ ad matrem ſuam, vbi eadem die mortuus eſt. Confeſtim autem mater, vt vidit puerum mortuum, poſito cadauere eius ſuper lectum Eliſei, iuſſit ſibi ſterni aſinum, ac feſtina cucurrit ad eum in monte Carmeli tunc commorantem; proſtrataque ad pedes Prophetæ, lamentabatur de obitu filij. Itaque miſeratione commotus vir Dei, miſit illicò Giezi ſeruum ſuum, vt poneret baculum ſuum ſuper faciem pueri: verumtamen muliere interim non acquieſcente, venit ipſe cum ea ad puerum. Quibus cùm rediens Giezi occurriſſet, nuntiaſſetque non ſurrexiſſe puerum; ingreſſus eſt Propheta cœnaculum in quo iacebat mortuus, & clauſo oſtio, orauit, incuruauitque ſe ſuper cadauere, ſemel atque iterùm, ponens oculos ſuos & os & manus, ſuper oculos & os ac manus pueri. Et prima quidem vice tantummodò calefacta eſt caro defuncti: ſecunda autem, oſcitauit puer ſepties, aperuitque oculos, & reuixit; reſtitutuſque eſt matri ſuæ, Eliſeus autem reuerſus eſt in Galgala: 4. Reg. cap. 4. verſ. 18. vſque ad 28. Verumtamen antequam exiret de Suna Eliſeus, prædixit famem continuò ſubſecuturam, ac ſeptem annis continuis in terra Iſrael duraturam. Quamobrem Sunamitis, ſuaſu Prophetæ, perrexit in terram Philiſthinorum, ibique manſit donec ceſſauit fames, vt traditur 4. Reg. cap. 8. verſ. 1. & 2. MORITVR FILIVS SVNAMITIDIS, AB ELISEO SVSCITATVR, ET FAMES 7. ANNORVM PRAEDICITVR.

2. Eodem anno quinto regni Ioram Regis Iſrael, qui concurrit cum vigeſimo tertio regni Ioſaphat Regis Iuda, vt teſtatur Richardus de S. Victore in ſuo tractatu de Concordia Regum Iſrael & Iuda corregnantium, & noſtris apparet in tabulis. Et idem annus dicitur fuiſſe quintus regni eiuſdem Ioſaphat, vt expreſſum habemus loco Reg. proximè citando; quintus, inquam, non ab initio regni, ſed ab anno regni eius decimooctauo, quando protegente ipſum Deo, in pugna contra Syros manifeſtum euaſit

mortis

QVOD IORAM FILIVS IOSAPHAT BIS CVM PATRE REGNARE COEPERIT.

mortis periculum, vt nos sub anno mundi 3138. num. 3. exposuimus. Hoc inquam anno regnauit Ioram filius Iosaphat super Iuda, quemadmodum traditur 4. Reg. cap. 8. vers. 16. Vbi aduertere oportet, necessariò supponendum esse, quòd iste Ioram bis, adhuc viuente patre Iosaphat, declaratus fuerit Rex, cœperitq; corregnare patri: siquidem sub anno mundi proximè adducto num. 7. diximus, Ioram filium Achab cœpisse regnare super Israel anno decimooctauo regni Iosaphat Regis Iuda, qui pariter erat annus secundus regni Ioram filij ipsius Iosaphat: ergo necesse est, quòd iste Ioram filius Iosaphat regnare cœperit cum patre, anno regni patris sui decimoseptimo, quemadmodum nos sub anno mundi 3137. num. 1. iam diximus: hic autem Sacer textus iterùm dicit, Ioram filium Iosaphat regnasse anno quinto regni Ioram filij Achab; & pariter anno ipsius Iosaphat quinto, nimirum, vt diximus, à præseruatione eius de euidenti mortis periculo, qui reverà erat regni Iosaphat annus vigesimus tertius, vt paulò antè declaratum est. Igitur pro certo supponere debemus, ipsum Iosaphat prima quidem vice tradidisse filio suo Ioram Regis titulum regnique administrationem, idque tantùm donec ipse de Samaria rediret in Ierusalem: nunc autem, cùm iam senex esset, & fortè etiam præ corporis debilitate iam non posset solus omnia regni negotia sustinere, probabiliterque crederet se non valdè diu superstitem fore, testamentum suum condidisse: & ceteris quidem filiis suis largitum esse munera & pensitationes, necnon & aliquot ciuitates in Iuda; Regnum autem tradidisse ipsi Ioram, eò quòd esset primogenitus, quemadmodum distinctè narratur 2. Paralip. cap. 21. vers. 1. & 2. vbi etiam nomina ipsa fratrum dicti Ioram recensentur: voluisseque insuper, vt ex tunc Ioram possessionem regni acciperet, ac secum actualiter regnaret. Regnarunt itaque post hæc simul pater & filius tribus annis, vt asserit Richardus vbi suprà; id est vsque ad annum regni Iosaphat vigesimum quintum expletum, qui fuit postremus regni pariter ac vitæ eius.

DE ANNIS REGNI IORAM FILII IOSAPHAT.

3. Quod autem legimus 4. Reg. cap. 8. v. 17. & 2. Paralip. c. 21. v. 5. & 20. videlicet, *Triginta duorum annorum erat Ioram cùm regnare cœpisset, & octo annis* (subintellige, incompletis, vt nos sub anno mundi 3150. num. 5. probabimus) *regnauit in Ierusalem*; proculdubiò ad hoc tempus referri debet, non autem ad illud, quando per occasionem regnare cœperat donec rediret pater; neque ad illud, quando regnare cœpit post mortem patris. nam ab hoc anno quinto regni Ioram Regis Israel, vsque ad duodecimum eiusdem, in quo mortuus est Ioram Rex Iuda, computatione, quam vocant, inclusiua, subducuntur anni octo, quibus dictus Rex Iuda regnasse dicitur, vt in tabulis digestum inuenies. Et hinc proditur lapsus Eusebij, Genebrardi, Lucidi, & aliorum, qui in suis annorum Regum Iuda supputationibus ponunt, prædictum Ioram regnasse octo annos ab obitu patris sui Iosaphat; cùm tamen reuerà quinque dumtaxat annis patri superuixerit, vt etiam apparet in tabulis.

CHRONOGRAPHORVM LAPSVS.

AB ORBE CONDITO ANNVS 3145.	QVINTÆ MVNDI ÆTAT. ANNVS 123.

IOSAPHAT MORITVR.

1 SVB finem anni regni Ioram Regis Israel septimi, qui iuxta proximè prædicta, erat tertius regni Ioram Regis Iuda; necesse est mortuum esse Iosaphat Regem Iuda: hoc enim tempore impletur numerus viginti quinque annorum, quibus ipsum regnasse, iam sub anno mundi 3120. num. 2. probatum est.

AB ORBE CONDITO ANNVS 3146.	QVINTÆ MVNDI ÆTAT. ANNVS 124.

IORAM FILIVS IOSAPHAT REGNAT SOLVS SVPER IVDAM.

1 ANNO octauo inchoante regni Ioram filij Achab Regis Israel, regnauit Ioram filius Iosaphat solus super Iuda; qui vt primùm sese in regno confirmatum vidit, occidit omnes fratres suos, & quosdam de Principibus regni sui, quòd fortè fratrum suorum amici essent admodum intrinseci. Hos fratres dicti Ioram, Auctor Breuiarij temporum, falsò Philonis nomine à Io. Annio inscriptus, tradit non verè fuisse filios Iosaphat, sed de progenie Nathan prodiisse: quod apertè refragatur Scripturæ sacræ 2. Paralip. cap. 21. vers. 2. vbi de prædicto Rege Ioram, hæc ad verbum subiunguntur: *Qui habuit fratres filios Iosaphat, Azariam, & Iahiel, & Zachariam, & Azariam, & Michael, & Saphatiam. omnes hi filij Iosaphat Regis Iuda. deditq; eis pater suus multa munera argenti, & auri, & pensitationes, cum ciuitatibus munitissimis in Iuda: regnum autem*

autem tradidit Ioram, eò quòd esset primogenitus. Surrexit ergo Ioram super regnum patris sui; cumq; se confirmasset, occidit omnes fratres suos gladio, &c. Quid clarius aduersus istum pseudo-Philonem dici potuit? aut ad prodendam dicti Io. Annij imposturam accommodatius? Sed & hoc obiter sit dictum. Ioram autem, non his contentus, fecit malum in conspectu Domini, ambulans in viis Regum Israel, fortasse seductus ab vxore sua Athalia, quæ filia fuerat Regis Achab, vt dicitur 2. Paralip. cap. 21. vers. 6. filia, inquam, imitatione, non naturâ, vt notat B. Hieronymus in Quæstionibus Hebraicis super libr. Paralip. 2. Nam Athalia, inquit, vxor Ioram imitatrix fuit operum Achab fratris sui, ipsa verò fuit filia Amri, vt legimus 2. Paralip. cap. 22. vers. 2. Quamquam tutiùs videatur dicendum, ipsam Athaliam reuerà fuisse filiam Achab, vt locus Paral. primò citatus expressè tradit: dici verò etiam filiam Amri, quia erat neptis eius. Sic Iehu, qui 4. Reg. cap. 9. vers. 2. dicitur filius Iosaphat filij Namsi, 2. Paralip. cap. 22. vers. 7. vocatur filius Namsi: more Hebræorum, qui maiores, patres; minores autem, filios nuncupare solebant; vt à nobis sæpissimè notatum est. Præsertim cùm non vsquequaque certum sit apud omnes, præallegatas Quæstiones verè esse B. Hieronymi. Insuper Ioram Rex Iuda, derelicto cultu Domini, fabricauit excelsa in vrbibus Iuda, & præuaricari fecit subditos suos. Quæ omnia post obitum patris acta esse certum puto: non enim viuente patre Rege admodum pio talia patrare Ioram ausus esset. Propter hæc igitur peccata, flagellauit eum Dominus multis calamitatibus; quas, quia ipse in malis nihilominùs perseuerabat, gradatim quoque Dominus manum suam aggrauando multiplicabat. Priùs namq; afflictus fuit Ioram regni diminutione, deinde eiusdem ab hostibus inuasione ac deprædatione, mox pessimo diuturnoque corporis languore, demum morte miserabili, ac post ipsam quoque crudeli stirpis suæ occisione, ita vt de filiis ac nepotibus suis vix vnus, Ioas nomine, adhuc infantulus, occultari potuerit, vt locis propriis dicemus. Factum est autem diuina miseratione, ne tota domus dicti Ioram extingueretur, sicut domus Ieroboam & Baasa & Achab Regum Israel; propter pactum quod habuerat Dominus cum Dauide, vt poneret de filiis suis super sedem suam omni tempore. Igitur permittente Domino in punitionem præuaricationum præfati Ioram Regis Iuda, rebellauerunt ab eo Idumæi, constitueruntque sibi Regem, qui non esset ampliùs subditus Regi Iuda, vt à temporibus Dauidis hactenus fuerant; sed absolutè regnaret super eos: quemadmodum reipsa factum est. Nam etsi eosdem Idumæos posteà Ioram cum exercitu suo percusserit, non tamen sub ditione sua illos ipse denuò reducere vmquam valuit: 2. Paralip. cap. 21. vers. 4. vsque ad 10. Eosdem verò Idumæos, post multos annos, multò ampliùs humiliauit Amasias, vt sub anno mundi 3208. num. 1. dicemus.

MALA QVAE FECIT.

FLAGELLA QVIBVS A DOMINO IORAM PLEXVS.

IDVMAEORVM DEFECTIO.

2. Post Idumæorum defectionem secuta est alia, nimirum vrbis Lobnæ defectio. hęc aliquando etiam vocatur Lebna, vel Libna, siue Labana; non enim vbique eadem est prioris syllabæ littera vocalis, vt notat Masius super Iosue cap. 10. Erat autem ista ciuitas in tribu Iuda, vt patet Iosue cap. 15. vers. 42. Et credendum est, quòd fuerit satis potens; tum quia temporibus Iosue habebat proprium Regem, quemadmodum legimus Iosu. cap. 10. vers. 30. tum verò maximè, quia alioqui non ausa esset rebellare à Rege Ioram, & à reliquo regno Iudæ. Et quoniam neque hisce aduersis eruditus emendatúsve est Ioram Rex; volens eum Dominus adhuc grauiùs affligere, ne vllam posset impœnitentiæ suæ prætendere excusationem, palàm præmonuit eum per litteras eidem allatas, nomine Eliæ Prophetæ; quas oportet, vel non ab Elia Thesbite, qui proculdubiò (vt sub anno mundi 3139. num. 1. dictum est) iam multis annis anteà, videlicet primo anno regni Ioram Regis Israel translatus fuerat; sed ab alio eiusdem nominis Propheta fuisse acceptas, vt sentit Caietanus super 2. Paralipom. cap. 21. Vel potiùs, vt arbitror, ab ipso Elia Thesbite, tamquam à magnæ auctoritatis viro; de cuius sanctitate, & in futuris prænuntiandis veritate, nullus remanebat ambigendi locus, ab incognita regione fuisse transmissas; aut ante eius raptum, Eliseo, seu alicui alij relictas, simul cum mandato, vt posteà tali tempore Regi Ioram præsentari omnino deberent. Sed melius est dicere, Eliam hoc eodem tempore de loco ad quem translatus fuerat, misisse, modo nobis incognito, Regi litteras sancto quo æstuabat zelo plenas, vt indicaret se etiā post raptum viuere; & posse non secùs ac priùs, quos vellet, monere, arguere, atque increpare, & ideò diuinitus in vita seruari, vt aliquādo id perfectiùs aduersus Antichristum, omnium Regum iniquorum pessimum, oretenus præstare valeat; quemadmodum sub anno mundi 3139. num. 3. dictum est. Sanè in hisce litteris exprobrabat Propheta Regi peccata sua, nimirum quòd à Patribus suis Asa & Iosaphat

DE VRBE LOBNA, ET EIVS DEFECTIONE.

DE LITTERIS ELIAE AD IORAM PERLATIS.

degeneraſſet, & impiorum Regum Iſrael exempla ſecutus, à Domino receſſiſſet, & præuaricari feciſſet Iudam; ac inſuper fratres ſuos meliores ſe, gladio interfeciſſet. Deinde prædicebat ei diuinam vltionem, nempe graues admodum calamitates eidem in regno, in propriis filiis & vxoribus, necnon in omni ſubſtantia domus ſuæ ſine dubio ſuperuenturas; & denique ipſimet languorem vteri peſſimum, donec ſenſim egrederentur vitalia eius. Quæ omnia venerunt ſuper Ioram Regem Iuda: nam perſeuerante ipſo in iniquitatibus ſuis, non multò pòſt ſuſcitauit contra eum Dominus ſpiritum Philiſthinorum & Arabum, qui derepentè ſimul aſcendentes in terram Iuda, vaſtauerunt eam, diripueruntque omnem ſubſtantiam domus regiæ, & vxores filioſque eius interfecerunt, prætér Ioachaz, qui & Ochozias, natu minimum, vt apertè traditur 2.Paralip. cap.21. verſ.10. vſque ad 18. & cap.22. verſ.1.

DE MIRACVLIS AB ELISEO PATRATIS.

3. Per hæc circiter tempora, nimirum intra ſeptem memoratæ famis annos, Eliſeus aliquot edidit miracula, quæ eo ordine facta creduntur, quo recenſentur 4.Reg.cap.4. verſ.38. vſque ad initium capitis octaui, præter ea quæ cap.5.de Naaman Syro interpoſita ſunt. Stat enim regula vniuerſalis, cuius aliàs meminimus, numquam recedendum eſſe ab ordine Narrationis ſacræ, niſi quando ex alijs eiuſdem Scripturæ locis manifeſtè elicitur, eam ab eiuſmodi ordine, per figuram quam vocant anticipationis ſeu recapitulationis, in aliquo receſſiſſe, ſicuti in deſcriptione mundationis Naaman Syri accidiſſe, ſub anno mundi 3150.num.3.oſtendemus. Primò igitur Eliſeus, immiſſa in ollam farina, dulce reddidit & alibile edulium quoddam amariſſimum & letale, quod ex quibuſdam herbis agreſtibus cum colocynthide filij Prophetarũ inconſideratè coxerant, ſociiſque appoſuerant tempore famis. Item de viginti panibus hordeaceis & modico tritico diuina virtute multiplicatis, ſaturauit centum viros, & aliquid etiam ſuperfuit: 4.Reg.cap.4.verſ.38. vſque ad finem capitis. Tertiò, ſupernatare fecit ferrum ſecuris, quod caſu ceciderat in Iordane. Quartò, bellum gerente Benadad Rege Syriæ cum Ioram Rege Iſrael, Eliſeus diuino Spiritu præuidebat inſidias & omnia ſtratagemata quæ excogitabat clamque moliebatur Rex Syriæ, & præindicabat ea Regi Iſrael; qui anteuertens, omnia hoſtium conſilia eludebat. Quod audiens Benadad, miſit milites in Dothan, ſiue vt aliqui codices habent, in Dothain, vt caperent Eliſeum; qui orans, percuſſit eos cæcitate, & duxit in Samariam; vbi iterùm orans, aperuit oculos eorum, vt viderent, ſe diuina virtute in hoſtium poteſtatem eſſe redactos: verumtamen non permiſit eos ab Iſraelitis vllo modo lædi, quin potiùs, eoſdem Syros cibo potuque humaniter recreatos remiſit ad dominum ſuum in pace. Quæ res cùm inter Syriæ latrunculos diuulgata eſſet; deinceps, ob Eliſei reuerentiam, deſierunt adeò frequenter excurrere in terram Iſrael, vt priùs conſueuerant; quidam nimirum ab Eliſeo excæcari pertimeſcentes, quidam verò quia illis benefacerat: 4.Reg.cap.6.verſ.1.vſque ad 24. Ceterùm in his, quæ de Eliſeo Regis Syriæ inſidias præuidente, eaſdemque Regi Iſrael præindicante dicta ſunt, intueri licet ſenſibile quoddam exemplum ſpiritualis muneris Angelorum, præſertim illorum, qui ſingulis nobis diuinitus ad tutelam ſunt deſtinati: ipſi namque non ceſſant per internas inſpirationes detegere vel nobis ipſis, vel his qui noſtri curam gerunt, multiplices dæmonum inſidias, verſutias, technas, fallacias, laqueos, aliaſque nocendi artes, ac præmonere, qua ratione obſiſtere, illaſque deuitare poſſimus: vt vel ex hoc perſpicuum ſit, quàm malè nobiſcum ageretur, ſi talibus auxiliis deſtitui contingeret.

DE ANGELI CVSTODIS MVNERIBVS.

REGI OBSESSO, ET ANNONAE PENVRIA LABORANTI PRAEDICIT ELISEVS ABVNDANTIAM POSTRIDIE SECVTVRAM.

4. Quintum ſignum fuit, quando poſt prædicta, iterùm exorto bello inter Syriam & Iſrael, obſedit Benadad tamdiu Samariam, donec ob prædictam famem, quæ ex obſidionis diuturnitate valdè creuerat, venumdaretur caput aſini octoginta argenteis; & quarta pars cabi ſtercoris columbarum, quinque argenteis. Tunc enim audiens quadam die Rex Iſrael duas mulieres inuicem altercantes, quòd altera coxiſſet filium ſuum, altera verò iuxta conuenta ſuum coquere recuſaſſet; indignatus Rex valdè, iurauit ſe velle interficere Eliſeum, tamquam vehementer ſuſpectum, quòd proſpera prænuntiando, Regem populumque deciperet. Qua de re admonitus à Domino Eliſeus, vaticinatus eſt maximam frugum abundantiam ſequenti die in Samaria futuram; quæ iuxta Prophetæ verbum proculdubiò ſubſecuta eſt: ſiquidem ſequenti nocte perterriti à Domino Syri, relictis omnibus, media circiter nocte omnes fugerunt, animas dumtaxat ſuas ſaluare contenti. Id cùm à quattuor leproſis, præ fame, eadem nocte ad caſtra tranſgreſſis, detectum fuiſſet, & renuntiatum in aula Regis Iſrael, & per exploratores confeſtim à Rege miſſos, rem ita eſſe compertum eſſet; egreſſus de Samaria populus ad caſtra Syrorum diripienda, tantam ſimilæ hordeique copiam reperit, vt quemadmodum

dum Propheta prædixerat, vnus similæ modius, vel duo hordei, passim vno statere distraherentur; & vnus de Regis Principibus, qui Prophetæ vaticinio non crediderat, à redeuntium multitudine in porta ciuitatis oppressus interierit, præcisè vt ei ab Eliseo in pœnam incredulitatis prænuntiatum fuerat. Quæ omnia latiùs describuntur 4. Reg. cap. 6. verſ. 24. vsque ad finem capitis, & cap. 7. per totum.

AB ORBE CONDITO ANNVS 3148. — QVINTÆ MVNDI ÆTAT. ANNVS 126.

1. ANNO decimo Ioram filij Achab Regis Israel, (subintellige, per aliquot menses iam inchoato) Ioram filius Iosaphat Rex Iuda, biennio antequam moreretur, pessimo quodam alui morbo corripitur, à quo posteà sanari numquam potuit: 2. Paral. cap. 21. verſ. 18. iuxta Prophetiam Eliæ, eidem per litteras transmissam, vt sub anno mundi 3146. num. 2. dictum est. Dixi, Ioram ægrotare cœpisse post aliquot dumtaxat menses ab initio huius anni, quia integro biennio ægrotauit, vt dicitur cap. Paralip. citato verſ. 19. & non expleto anno regni sui octauo, sed per aliquot menses tantummodò incepto, obiit anno regni Ioram Regis Israel duodecimo, vt sub anno mundi 3150. num. 5. dicemus. IORAM FILIVS IOSAPHAT ALVI LANGVORE CORRIPITVR.

AB ORBE CONDITO ANNVS 3149. — QVINTÆ MVNDI ÆTAT. ANNVS 127.

1 ANNO Ioram filij Achab Regis Israel vndecimo circiter desinente, Ochozias filius Ioram Regis Iuda minimus (reliqui enim fratres eius interfecti fuerant ab Arabum latronibus, vt sub anno mundi 3146. n. 2. dictum fuit) constitutus est Rex in Ierusalem: 4. Reg. cap. 9. verſ. 29. & 2. Paralip. cap. 22. verſ. 1. subintellige, adhuc viuente patre eius Ioram, sed præ infirmitate eius insanabili quotidie magis ingrauescente, iam inualido ad regni administrationem reddito: nam quod dicitur 4. Reg. cap. 8. verſ. 25. eumdem Ochoziam regnasse anno duodecimo Ioram Regis Israel; exponi debet, post obitum patris, vt sub anno mundi 3138. num. 7. diximus, & sub anno 3150. num. 5. repetendum erit. Ceterùm, hîc obiter notandum est, quòd illa verba quæ legimus loco Reg. citato, videlicet: *Anno vndecimo Ioram filij Achab Regis Israel, regnauit Ochozias super Iuda.* interposita sunt ibi per modum recapitulationis, vt melius in editionis Vulgatæ & LXX. Interpretum codicibus, Romæ postremò excusis, deprehendi potest; vbi punctis ita distincta sunt, vt neque cum præcedētibus, neque cum sequentibus annecti posse videantur; præsertim cùm accuratiùs caput illud perlegenti clarum sit, reliqua omnia quæ ibidem narrantur, ad duodecimum, non autem ad vndecimum annum ipsius Ioram Regis Israel pertinere: & iam sub anno mundi 3138. num. 7. probatum sit, decipi Richardum de S. Victore, in eo quòd credidit, eumdemmet annum fuisse vndecimum & duodecimum regni Ioram Regis Israel, respectu duplicis temporis ex quo regnare cœperat, videlicet priùs cum fratre, & posteà sine fratre. Itaque vt ad rem redeamus, oportet istum Ochoziam fuisse binominem, vel fortè etiā trinominem: nam qui locis Reg. & Paralip. citatis appellatur Ochozias, 2. Paralipomenon cap. 21. verſ. 17. nuncupatur Ioachaz, & 1. Paralip. cap. 3. verſ. 11. in quibusdam codicibus, non tamen correctioribus, vocatur Ozias; quemadmodum etiam sub anno mundi 3157. num. 2. clariùs explicabimus. Viginti duorum annorum erat iste Ochozias cùm regnare cœpisset, & vno anno regnauit in Ierusalem, vt expresſè traditur 4. Reg. c. 8. verſ. 26. intellige partim adhuc superstite patre, partim post obitum patris, vt benè notat Richardus in Tractatu aliàs sæpiùs allegato, quamuis toto illo anno plenam semper habuerit regni administrationem: siquidem pater eius adeò erat infirmitate grauatus, vt nihil ad regimen pertinens audire, nedum exercere posset.

OCHOZIAS REGNAT IN IVDA.

LOCVS 4. REG. EXPONITVR.

2. Sed hîc magna occurrit dubitatio: quoniam 2. Paralip. cap. 22. verſ. 2. legimus, eumdem Ochoziam non viginti duorum, vt habet locus Reg. proximè citatus; sed quadraginta duorum fuisse annorum, quando regnare cœpit. Quæ dubitatio (quemadmodum notat B. Hieronymus in Quæstionibus Hebraicis super Paralip.) quæstionem parit valdè perplexam; imò, vt ait Caietanus super cap. Paralip. adducto, insolubilem. Nam ponere Ochoziam fuisse quadraginta duorum annorum quando regnare cœpit, non modò repugnat loco Reg. citato, sed aliis quoque Scripturæ locis. Si enim verum est, quod apertè traditur 4. Reg. cap. 8. verſ. 17. & 2. Paralip. cap. 21. verſ. 5. & 20. nempe, DVBITATIO DE AETATE OCHOZIAE QVANDO REGNARE COEPERIT.

pe, quòd Ioram pater Ochoziæ triginta duorum annorum esset quando regnare cœpit, & octo annis regnauerit; ergo in summa vixit annis dumtaxat quadraginta. Igitur si Ochozias filius eius, qui ei proximè successit, fuisset quadraginta duorum annorum quando regnare cœpit; oporteret ipsum biennio ante natiuitatem patris sui esse natum. quod, vt ait B. Hieronymus, nisi soluatur, quàm sit ridiculum, etiam simplex Lector aduertit. Conatur itaque sanctus Doctor ibidem (si tamen ipse illius libri Auctor est) hanc soluere difficultatem, dicens, quòd ille Ioram, qui quadraginta annis vixisse describitur, & regnasse octo; vixit quidem annos quadraginta, sed ex his regnauit viginti octo; nimirum octo, antequam fratres occideret, cùm adhuc innocenter viueret; aliis verò viginti, postquam præuaricari cœpit: qui viginti à numero eius auferuntur, quia in languore & tribulatione deduxit eos; & iidem tribuuntur filio eius Ochoziæ, qui non ampliùs quàm viginti duos annos habens, regnasse perhibetur; ne de numerorum summa remanentes, errorem indagini temporum facerent. Sic ferè Auctor prædictarum Quæstionum. Verumtamen hæc responsio nullatenus sustineri posse videtur; quandoquidem sacræ Scripturæ multipliciter refragatur, quæ tribus in locis proximè citatis semper iisdem verbis replicat, ipsum Ioram octo annis regnasse, & nusquam vel leuiter indicat quòd regnauerit annis viginti octo. Sed si hoc esset, vtique oporteret ipsum fuisse duodecim annorum quando regnare cœpit; supponit enim memorata responsio, eumdem Ioram in summa non plus quadraginta annis vixisse. At Scriptura sacra locis prænotatis testatur, ipsum fuisse triginta duos annos natum quando regnare cœpit; ergo non potuit regnare annis viginti octo. Prætereà eadem Scriptura sacra dicit quidem (2. Paralip. cap. 21. vers. 19.) hunc Ioram biennio ægrotasse; nusquam autem tradit, quòd viginti annos in languore & tribulatione traduxerit, neque quòd vmquam innocenter regnauerit, saltem post obitum patris; quin potiùs oppositum sæpiùs replicat, videlicet, quòd ambulauit in viis Regum Israel, sicut domus Achab; & fecit malum in conspectu Domini, & fabricauit excelsa, & præuaricari fecit Iudam, & occidit fratres suos meliores se: 4. Reg. cap. 8. vers. 18. & 2. Paralip. cap. 21. vers. 6. 11. 13. & 20. Quæ omnia non post annos octo à regni eius initio, sed paulò post obitum patris accidisse credendum est, vt sub anno mundi 3146. num. 1. diximus. His adde, quòd si Scriptura sacra viginti annos de regno Ioram subtractos, Ochoziæ filio eius tribuere voluisset, ne Chronologiæ deficeret; proculdubiò eos non vitæ, sed regno ipsius Ochoziæ addidisset, dixissetque, ipsum viginti & vno annis regnasse. Atqui vnum tantùm regni annum Ochoziæ tribuens, quantumuis eius vitam producat, nihil Chronologiæ Regum Iuda addit, minuítve; ergo superuacanea fuisset ista annorum translatio de vno Rege ad alium. Denique, si benè quis obseruet, quæ in libris Reg. & Paralipomenon traduntur de annis regni obitusque Ioram Regis Israel, & Ioram Regis Iuda, & Ochoziæ filij eius; sine dubio inueniet, quòd ille annus qui fuit duodecimus idemque vltimus regni Ioram Regis Israel, fuit etiam octauus vltimusque regni Ioram Regis Iuda; & pariter primus simul ac nouissimus regni Ochoziæ filij eius; vt etiam in tabulis apparet, & notarunt quoque ante nos Caietanus vbi suprà, & Richardus in suo tractatu de Concordia, &c. aliàs allegato. vbi hæc subiungit: *Ex his itaque manifestum est, vt credo, quàm falsa sit quorumdam opinio, ne dicam assertio; qui mota falsa quæstione, solutionis gratia dicunt, filium Iosaphat* (subintellige, Ioram) *viginti annis regnasse. non enim viginti annis pater regnare potuit, si filius eius* (id est Ochozias) *qui regnauit pro eo, octauo patris sui anno, vel modicò pòst, ab Iehu occisus fuit.* hucusque Richardus.

CAIETANI SOLVTIO.

3. Simili quoque argumento, ad memoratam positionem improbandam, vtitur Caietanus super 2. Paralipomenon cap. 22. vbi post excitatam difficultatem ait: *Solutio quæstionis est, quòd littera* (id est Sacer textus capitis citati vers. 2.) *errore scriptoris corrupta est. Legendum enim est:* Viginti duorum annorum erat Ochozias, *vt scribitur* 4. *lib. Reg.* (videlicet cap. 8. vers. 26.) *ita quòd, vbi debuit scribere,* viginti duorum, *scripsit,* quadraginta duorum. *Conuincitur autem error ex eo, quòd in lib. Regum anni vtriusque regni, scilicet Ioram patris & Ochoziæ filij, comprehenduntur sub annis quibus regnauit in Israel alter Ioram filius Achab; quem ex* 4. *Reg. cap.* 3. (nimirum vers. 1.) *duodecim dumtaxat annis regnasse perspicuum est. Ex hac itaque collatione annorum regni in Iuda, tam Ioram patris, quàm Ochoziæ filij, ad annos Ioram filij Achab, clarè patet, vltimos octo annos vitæ Ioram Regis Iudæ, supputari pro octo annis regni eiusdem. Quod ideò annotandum duxerim, ne quis fallatur ex illa adinuentione, sine Scripturæ testimonio, quòd Ioram Rex Iudæ regnauerit benè primis octo annis, & malè aliis viginti annis; qui proptereà subtracti sunt à regno eius: clarè enim Scriptura vltimos vitæ annos ipsius Ioram Regis Iudæ octo, & vnum Ochoziæ, comprehendit*

sub

sub annis regni Ioram Regis Israel, vt patet legenti initium & finem vtriusque. Conclude igitur, quòd corrupta est Hebraica littera Paralipomenon. In cuius signum tam hîc, quàm in libro Reg. dicitur, quòd Ochozias regnauit vno anno. Accedit ad hæc, quòd iste Ochozias in littera narratur minor natu reliquis fratribus: non est autem verisimile, quòd vir quadraginta annorum, fuerit vltimus filius partis non senis, habentis multos filios, & multas vxores. hæc Caietanus. Cui aliud argumentum addere possumus, desumptum à computatione annorum ab obitu Salomonis, quando diuisum est Regnum Israel à Regno Iudæ, vsque ad initium regni Iehu, quando Ioram Rex Israel & Ochozias Rex Iuda ab eo occisi sunt. Nam posito quòd Ioram Rex Iuda regnauerit tantummodò octo annos ab anno quinto regni Ioram Regis Israel, vt sub anno mundi 3143. num. 2. & 3. probauimus, inchoatos; si seorsum supputaueris annos Regum Iuda, & seorsum annos Regum Israel intra prædictum tempus fluxos, inuenies vtramque summam conuenire, vt experiri quisque potest in tabulis. Igitur, si poneremus Ioram Regem Iudæ regnasse annis viginti octo, siue omnes sine Ochozia filio, siue viginti cum Ochozia filio, & octo sine illo; certè summa annorum Regum Iudæ excederet summam annorum Regum Israel in illis viginti annis, regno Ioram aut Ochoziæ malè additis. Quòd si dixeris, Ioram regnasse illos viginti annos cum Iosaphat patre suo, & propterea nihil accrescere annis Regum Iudæ; Respondeo, Si sic est, ergo non potest dici, quòd Auctor libri Paralipomenon voluerit eos tribuere ipsi Ochoziæ, ne errorem indagini temporum faceret. Præterea si, vt aiunt, Ioram post annos octo priùs innocenter in regno exactos, posteà per alios viginti malè regnauit: profectò, qui voluerit ponere posteriores viginti annos cum patre fuisse traductos, cogetur idem sentire de octo prioribus, & consequenter dicere, Ioram totos viginti octo annos cum patre regnasse, quod fieri nullo modo potuit; quia constat, ipsum Iosaphat non excessisse annum regni vigesimum quintum, & absurdum esset opinari, Ioram tribus annis ante patrem regnare cœpisse. Vt omittam etiam non esse credibile, quòd aut filius viuente patre suo Rege admodum religioso & pio, ausus esset tanta mala perpetrare, aut quòd talis pater talia permittere ac tolerare vmquam potuisset. Patet igitur, propositam quæstionem nullatenus posse dissolui, nisi cum Caietano concedamus Sacrum illum textum 2. Paralipomenon cap. 22. vers. 2. esse corruptum. quod nullo modo esset faciendum, si omnium editionum codices ibidem vniformiter dicerent Ochoziam quadraginta duorum fuisse annorum quando regnare cœpit: verumtamen, quia codices LXX. Interpretum, anno salutis 1588. Romæ editi, qui satis magnæ sunt auctoritatis, loco citato habent, Ochoziam tunc fuisse viginti annorum; & ibidem in Annotationibus ad capitis calcem adiectis dicitur, quòd aliqui textus loco *viginti*, habent, *viginti duorum annorum*, quod præcisè conuenit cum textu 4. Reg. cap. 8. vers. 26. vbi idem prorsus asseritur: ideò nos, saluo semper meliori iudicio, satis rationabiliter credimus, in hac parte præferendum esse textum LXX. Interpretum textui Vulgato; & potiùs sentiendum esse cum Caietano, quàm cum B. Hieronymo, seu cum Auctore Quæstionum Hebraicarum in lib. Paralipomenon. qui tamen fortè aliorum sui temporis, non propriam retulisse sententiam dici potest.

SOLVTIONEM CAIETANI COMPROBAT SEQVITVRQVE AVCTOR.

4. Verùm nobis hîc statim quis opponet, nullum mendum, quantumuis minimum, in Sacro eloquio esse admittendum, vt sub anno mundi 3095. num. 2. ex S. Augustino adnotauimus; alioqui non magis de veritate vnius quàm aliorum omnium Scripturæ locorum hæsitare possemus. Ad hoc vt respondeam, fateor Scripturam sacram esse omnino irreprehensibilem; nihilominùs negari non posse, quin aliquando vel inuidia diaboli, vel impiorum imperitorúmve ac instabilium hominum malitia aut temeritate (quemadmodum ipsemet primus Christi Vicarius in 2. sua Epistola cap. 3. vers. 16. testatur:) vel etiam antiquariorum incuria, aut alio aliquo casu in quibusdam Sacris codicibus error aliquis irrepere potuerit: diuina tamen dispensatione, nullum vmquam irrepsisse credimus, qui ex aliis ipsiusmet sacræ Scripturæ locis codicibúsve deprehendi corrigique non potuerit, aut possit. Quare sicuti summæ temeritatis, ne dicam impietatis esset, si quis præsumeret Sacra eloquia, etiam correctionis prætextu, quouis modo vel tantisper immutare, aliquidve eis addere aut minuere, (præsertim id prohibente Domino Deuter. cap. 4. vers. 2. & Prouerb. cap. 3. vers. 6. & Apocalyp. cap. vlt. vers. 18. & 19.) aut aliquem Bibliorum sacrorum codicem aliquo in loco, qui nullum habeat eiusdem Scripturæ textum sibi contradicentem, emendare: sic, vbi aliqua contradictio manifesta appareat, nihil officit dignitati aut veritati eiusdem sacræ Scripturæ, si eo casu quis dixerit, illam contradictionis partem, quæ rationi simul

OBIECTIO

RESPONSIO.

& altero Textui sacro aduersatur, ex aliqua codicis antiqua corruptione fuisse deriuatam; vt in proposito nostro ostensum est. In quo illud ampliùs habemus, quòd textus ille 2. Paralip. non sic se habet in omnibus editionibus; sed, quemadmodum probauimus, pro nonnullarum editionum codicúmve diuersitate varius inuenitur: quod certè satis euidens alicuius adulterationis indicium est. Videant hi ad quos spectat Sacra volumina recognoscere, & perquam emendata edere. Nos hîc non Textum sacrum corrigere vllo modo audemus; sed ob rationes superiùs adductas, relictis in hac parte codicibus, qui loco Paralip. citato habent, Ochoziam fuisse quadraginta duorum annorum quando regnare cœpit; libentiùs sequimur eos, qui ibidem pro *quadraginta duorum* legunt *viginti duorum*. sic enim nulla remanet quæstio. Redeamus nunc ad historiam.

ASSIGNANTVR CAVSAE IMPIETATIS OCHOZIAE.

☞ 5. Porrò Ochozias Rex Iuda & ipse fecit malum in conspectu Domini; ingressusque est per vias domus Achab: 4.Reg.cap.8.vers.27.& 2.Paralip. cap.22.vers.3.vsque ad 6. cuius præuaricationis triplex ibidem causa assignatur: nimirum, quia mater eius Athalia filia Amri impulit eum vt impiè ageret. Deinde, quoniam Ochozias, post mortem patris sui, consiliarios habuit de domo Achab. Denique, quia ipse etiam fuit gener domus Achab, id est vxorem duxit de domo seu familia Achab: propterea non mirum est, si secutus fuit idola & abominationes domus Achab. Ex quo exemplo etiam discere licet, quàm periculosum perniciosumque sit, Regibus præcipuè ac Principibus, affinitate iungi cum infidelibus aut hæreticis, aliisve viris impiis; vel eiusmodi perditos viros in suis adhibere consiliis.

AB ORBE CONDITO ANNVS 3150. — QVINTÆ MVNDI ÆTAT. ANNVS 128.

IOAS NASCITVR.

1 ANNO regni Ioram filij Achab Regis Israel duodecimo & postremo, qui pariter erat primus & vltimus Ochoziæ Regis Iuda, vt dictum est, & patet in tabulis, ipse Ochozias circa anni initia, ex vxore sua Sebia de Bersabee, vt colligitur 2.Paralip. cap.24. vers. 1. genuit Ioam, qui posteà fuit Rex in Iuda: quòd enim hoc anno natus sit Ioas, inde necessariò infertur, quòd septem annorum erat quando vnctus est in Regem, anno septimo regni Iehu Regis Israel circiter incipiente, vt sub anno mundi 3157. num. 1. probabitur.

POST FAMEM 7.ANNORVM REDIT SVNAMITIS IN TERRAM IVDA.

2. Circa initia item eiusdem anni duodecimi Ioram Regis Israel, expletis septem annis penuriæ ab Eliseo prædictæ, rediit de terra Philisthinorum in Israel mulier illa Sunamitis cum filio suo, quem ei à Domino Eliseus impetrauerat, & à morte postmodum suscitauerat. Contigit autem opportunè, vt tunc interpellaret Regem pro domo sua & agris suis, quando Giezi seruus Elisei narrabat Regi mirabilia quæ fecerat Eliseus, & speciatim quòd mortuum precibus suis ad vitam reuocauerat. Videns ergo Giezi mulierem & filium; *Hæc est*, inquit, *Domine mi Rex, mulier, & hic est filius eius, quem suscitauit Eliseus*. Certior itaque factus Rex ab eadem muliere de tam ingenti miraculo, confestim iussit eidem reddi omnia quæ sua erant, & insuper agrorum suorum redditus, à die qua recesserat de terra Israël: 4.Reg.cap.8.vers.1. vsque ad 7.

QVOD HISTORIA NAAMAN NON PROPRIO LOCO NARRATA SIT.

3. Non multò post prædicta creditur contigisse historia mundationis Naaman Syri à lepra; quæ quia satis accuratè describitur 4.Reg.cap.5.per totum, superfluum videtur eamdem hîc aliis verbis referre. Illud tamen non est prætereundum, illam per anticipationis figuram loco Regum citato esse narratam: quod inde sacri colligunt Expositores, quoniam cùm clarum sit, lepram ipsius Naaman adhæsisse Giezi seruo Elisei propter munera ab eo accepta, iuxta Prophetę verbum, quemadmodum in calce citati capitis apertè traditur: non est verisimile, inquiunt, quòd Rex tamdiu comiterque locutus esset cum Giezi, si tunc iam fuisset leprosus. Adde quòd 4.Reg.cap.8. vers.4. legimus, quòd *Rex* Israel *loquebatur cum Giezi puero* (id est seruo) *viri Dei*. Quibus verbis videtur insinuari, quòd tunc quoque esset seruus Elisei: alioqui dictum esset, *qui fuerat seruus Elisei*, vel *qui fundebat aquam super manus Elisei*, quemadmodum de eodem Eliseo respectu Eliæ dicitur 4.Reg.cap.3. vers.11. Atqui constat, ipsum Giezi, ex quo lepram contraxerat, non ampliùs fuisse seruum Elisei. Rationabile igitur admodum est credere, contenta in eadem historia per hæc circiter tempora accidisse, nimirum post memoratum Regis colloquium cum Giezi, & ante obitum Benadad Regis Syriæ, à quo credimus missum fuisse Naaman ad Regem Israel, vt curaret eum à lepra sua.

4. Post

4. Post hæc venit Eliseus in Damascum; quod vt audiuit Benadad Syriæ Rex, qui tum ægrotabat, sperans se ab eo sanatum iri, sicut sanatus fuerat Naaman; misit in occursum eius vnum de primariis Principibus suis, vocabulo Hazael, cum muneribus magnis, videlicet cum quadraginta camelis oneratis, vt per ipsum consuleret Dominum super infirmitate sua. Cui Eliseus prædixit, Regem Benadad moriturum, & quòd ipse Hazael in regnum Syriæ erat successurus, ac multa mala Israëlitis illaturus. Atque ita prorsus factum est. Etenim altera die Hazael, præ nimia regnandi cupidine, tamquam moræ impatiens, non sustinuit naturalem Regis mortem expectare; sed simulans ardorem eius febrilem refrigerare, expandit stragulum aqua infusum super faciem eius; sicque dolosè ei mortem accelerauit; & ipse posteà euectus ad regnum, pro illo regnauit in Syria: 4.Reg.cap.8. vers.7. vsque ad 16. Et iste postmodum afflixit Israëlem cunctis diebus Ioachaz Regis Israel, vt breuiter tangitur 4.Reg.cap.13.vers.22. & nos infrà suis locis dicemus. Creditur autem Eliseus non sine diuina permissione respondisse Hazaeli sciscitanti, num Benadad sanitati foret restituendus: *Vade, dic ei: Sanaberis: porrò ostendit mihi Dominus quia morte morietur*. (sic enim habet lectio Latina Vulgata, quam, relictis Lyrani expositionibus, ad litteram sequimur cum Abulense, ob rationes ab eo ibidem quæst. 20. contra Lyranum adductas). quia nimirum volebat Dominus dictum Hazaëlem, & non alium, regnare post Benadadum in Syria. Et si Benadad sciuisset se ex illa infirmitate moriturum, potuisset forsitan alium sibi proximiorem declarare regni successorem, ac diuinam nonnihil perturbare dispositionem. Sanè alios quoque Principes ac Reges, peccatis ipsorum ita exigentibus, Dei permissione ac prouidentia, quorumdam mendaciis fuisse deceptos, patet exemplo Regis Achab, qui Deo sic ordinante, delusus fuit à spiritu mendace in ore omnium prophetarum, vt fusiùs traditur 3.Reg.cap. vlt. Et item exemplo Holofernis, qui ad suiipsius perniciem, nimis se credulum præbuit mulieri falsò sibi promittenti se daturam populum Israeliticum in manus eius, vt constare poterit legenti caput 11.lib.1.Iudith, præsertim à vers.12. vsque ad finem capitis. Quamquam (quod attinet ad dictam Iudith) Nicolaus Serarius super libri Iudith capite 13. quæstiuncula 10. subtiliter admodum ostendere nititur, ipsam nullatenus esse mentitam.

HAZAEL REGNAT IN SYRIA IVXTA VATICINIVM ELISEI.

5. Eodem anno regni Ioram Regis Israel duodecimo, Ioram Rex Iuda, currente tunc anno regni sui octauo, iam per aliquot menses, puta tres vel quattuor, inchoato, post biennium in infirmitate sua pessima exactum, in qua paulatim viscera egerere cogebatur; tandem longa consumptus tabe miserrimè interiit, & sine solitis Regum exequiis, ac extra maiorum suorum tumulum sepultus est. Et tunc regnauit pro eo Ochozias, qui & Ioachaz, filius eius: 4.Reg. cap.8. vers.24. & 25. & 2.Paralip.cap.21. v.19. & 20. Intellige, Ochoziam hoc anno regnare cœpisse sine patre: siquidem sub finem anni præcedentis regnare cœperat adhuc viuente patre, vt sub anno mundi 3149. num. 1. dictum est. Porrò iste annus, qui simul fuit primus & vltimus regni Ochoziæ, concurrit ferè totus cum patris sui octauo, quem ille tantummodò inceperat, compleuit autem filius; & cum duodecimo regni Ioram Regis Israel. Quare anni octo regni Ioram Regis Iuda non fuerunt completi, sed fracti; quemadmodum sub anno mundi 3143. num. 3. dictum est. & iste vnicus Ochoziæ annus sacram non auget Chronologiam, vt Richardus quoque innuit in suo tractatu de Concordia temporum: ideoque nos in tabulis nostris eumdem Ochoziæ annum consultò prætereundum duximus. Decipiuntur ergo Eusebius & alij Chronographi, qui inter annum regni Ioram Regis Iuda octauum, & Athaliæ vxoris eius primum, numerant annum regni Ochoziæ vnum.

IORAM REX IVDA MORITVR.

REGNAT OCHOZIAS SOLVS IN IVDA.

MENDVM EVSEBII ET CHRONOGRAPHORVM.

6. Ceterùm ex his quæ hactenus de dicto Ioram Rege Iuda, ac de multis iniquitatibus eius, execrandisque diuinæ Legis præuaricationibus, & consequenter de variis grauibusque afflictionibus & calamitatibus, quas propterea Dominus ipsi & populo eius immittere cœpit, & item ex aliis eiusmodi vel etiam grauioribus malis, quæ posteà regnantibus in Iuda Ochozia, Athalia, Achaz & Amon, & Ioas in posterioribus ac Manasse in prioribus regni sui annis, in eodem regno accidisse infrà suis locis dicemus, constare poterit, vaticinium illud Azariæ Prophetæ, de quo nos sub anno mundi 3094. num.1. egimus, hisce circiter temporibus, nempe mortuo Iosaphat Rege Iuda, & Ioram filio ac successore eius regnante, impleri cœpisse, quemadmodum sub anno mundi numeroque proximè allegatis dictum est.

7. Sub finem eiusdem anni, Ioram filius Achab Rex Israel mouit bellum aduersus Hazael Regem Syriæ, & congregato omni Israele, adductoque secum socio Ochozia

Rege Iuda, profectus est in Ramoth Galaad, & obsedit eam. Cumque in prælio vulneratus esset à Syris, relicto ibi exercitu, ipse reuersus est vt curaretur in Iezrahel. Interim autem Eliseus, Iehu filium Iosaphat filij Namsi Regem (Dei admonitu) creandum curauit, mittens ad Principes exercitus Israel obsidentes Ramoth, vnum de filiis Prophetarum cum lenticula olei, vt vngeret ipsum Iehu in Regem super Israel, præciperetque ei vt percuteret domũ Achab. Quæ cùm filius Prophetæ ad vnguem, prout iniunxerat Eliseus, præstitisset, ac deinde Iehu retulisset aliis Principibus quæ fecerat dixeratq; sibi Propheta, illicò omnes vnanimes elegerunt eum in Regem: 4. Reg. cap. 8. vers. 28. vsque ad 16. capitis sequentis, & 2. Paralip. cap. 22. vers. 5. & 6. Porrò Iehu regnauit viginti octo annis super Israel in Samaria, vt traditur 4. Reg. in calce capitis 10.

IEHV REGNAT IN ISRAEL.

AB ORBE CONDITO ANNVS 3151. | QVINTÆ MVNDI ÆTAT. ANNVS 129.

IEHV OCCIDIT IORAM FILIVM ACHAB,

1 Anno regni sui primo Iehu, statim ac se vidit electum Regem, coniuratione facta contra Ioram filium Achab, profectus est in Iezrahel, vt executioni mandaret quæ præceperat ei Propheta. Venerat autem tum fortè Ochozias Rex Iuda in Iezrahel, ad inuisendum Ioram Regem Israel ibi ægrotantem. Cùm igitur speculatore indicante intellexissent duo Reges de aduentu Iehu, occurrissentque pariter in curribus suis obuiàm ei in agro Naboth Iezrahelitæ: ille primum quidem, nempe Ioram, sagitta in corde percussum interemit, iussitque corpus eius in eodem agro proiici, pro sanguine dicti Naboth ibidem iniustè sparso; vt adimpleretur vaticinium Eliæ Prophetæ, quod habetur 3. Reg. c. 21. vers. 19. Alterum verò, videlicet Ochoziam, fugientem persequi mandauit, & occidi, eò quòd & ipse ex parte matris esset de stirpe Achab. Vt autem venit Iehu in Iezrahel, viditque Iezabel olim Achabi vxorem de fenestra prospicientem, confestim iussit eam inde præcipitem dari; cuius posteà carnes à canibus voratæ sunt, vt præfatus Elias cap. Reg. proximè adducto vers. 23. prædixerat. Sic impia Iezabel, quæ canina rabie in Prophetam sæuierat, meritò à canibus comesta est. Porrò qui missi fuerant ad persequendum Ochoziam, percusserunt eum in ascensu Gauer, qui est iuxta Ieblaam; at ille percussus fugit in Mageddo, inde in Samariam; vbi latitans comprehensus, iterùm adductus est in Mageddo ad Iehu, ibidemque occisus. Erant autem Ieblaa & Mageddo, ciuitates in tribu Manasse, vt patet Iosue cap. 17. vers. 11. Et quoniam Ochozias erat filius, hoc est nepos Iosaphat Regis iusti; permisit Iehu deferri cadauer eius in Ierusalem à seruis suis super curru suo, & sepeliri cum patribus suis: 4. Reg. cap. 9. vers. 16. vsque ad finem capitis, & 2. Paralip. cap. 22. vers. 6. vsque ad 10. Iustè ergo Ochozias, quemadmodum non affinitate solùm, sed etiam impietate coniunctissimus fuerat domui Achab; ita quoque punitionis eidem à Domino inflictæ particeps esse debuit.

ET IEZABEL VXOREM ACHAB,

ET OCHOZIAM NEPOTEM IOSAPHAT,

ET 70. FILIOS ACHAB

2. Post hæc, recolens Iehu quòd in Samaria nutriebantur septuaginta filij Achab apud optimates vrbis, missis eò minacibus litteris, egit cum eis vt omnes interficerentur, & capita eorum ad se in Iezrahel transmitterentur. Quod cùm factum esset, præcepit ea exponi in porta vrbis Iezrahel; sumpsitque inde occasionem sese iustificandi coram populo Iezrahel; pulchrè insinuans, quòd si contra domum Achab ipse coniurauerat, id Domino inspirante ac volente fecerat; qui non se solùm, sed ipsos quoque Samaritas pariter impulerat vt occiderent filios Achab, quorum capita habebant ante oculos posita: itaque debere eos pro certo habere, omnia hæc diuina dispensatione contigisse, vt adimplerentur, quæ iam anteà Dominus, per os serui sui Eliæ Prophetæ, contra eamdem domum Achab vaticinatus fuerat. Et his actis, prosecutus est Iehu percutere in Iezrahel reliquos de domo Achab; & insuper optimates, & notos, & sacerdotes (vtique idolorum,) & quoscumque eidem domui adhærentes adinuenire potuit. Deinde profectus est in Samariam; atque in itinere, cùm in quodam loco, vbi conuenire pastores consueuerant, casu inuenisset quadraginta duos fratres, vel potiùs filios fratrum Ochoziæ Regis Iuda, vt clariùs exprimitur 2. Paralip. cap. 22. vers. 8. (etenim fratres dicti Ochoziæ omnes interfecti fuerant ab Arabibus & Philisthæis, quemadmodum sub anno mundi 3146. num. 2. dictum est) iussit omnes viuos comprehendi, & in cisterna ibidem existente iugulari. Et inde aliquantulum progressus, inuenit Iehu Ionadab filium Rechab. Erat autem iste Ionadab, vir singularis cuiusdam sanctitatis, & magnæ existimationis in populo Israel; quippe qui, vt meliùs Deo vacare posset, non bibebat vinum; nec habitabat in domo, sed in tabernaculis, nec agrum possidebat, nec semen-

ET RELIQVIAS DOMVS ACHAB, EIDEMQVE ADHAERENTES.

DE IONADAB FILIO RECHAB.

fementem ferebat, nec vineam plantabat colebátve: quin etiam filiis ac fucceſſoribus ſuis præceperat, vt talem vitam perpetuò agerent: qui optimè deinceps mandata patris obſeruarunt, vt teſtatum poſteà reliquit Ieremias cap. 35. verſ. 6. vſque ad 10. Hunc ergo Ionadab cùm vidiſſet Iehu, & ſalutaſſet, ac benè ergà ſe affectum cognouiſſet; leuauit eum in curru ſuo, dicens: *Veni mecum, & vide zelum meum pro Domino.* Volebat enim Rex, quæ continuò facturus erat, etiam tam ſancti viri teſtimonio auctoritateque magis ac magis comprobari, & quodammodò (vt ita dixerim) authenticari; vt vel ſic eadem non humanis dumtaxat conſiliis, ſed diuina fieri diſpenſatione, ab omnibus crederentur. Cùm ergo Rex & Ionadab veniſſent in Samariā, percuſſit Iehu reliquos quotquot remanſerant de domo Achab; ita vt nè vnus quidem viuere permiſſus fuerit, iuxta verbum Domini, quod ab Elia fuerat prænuntiatum. Volens deinde Rex etiam ſacerdotes Baal perdere; quadam die vniuerſos in ipſo Baal templo callidè congregatos, vt ſollemne quoddam eidem ſacrificium facerent; cunctos ibidem, ipſiſmet Iehu Ionadabque inſpectantibus, iuſſit occidi, & ſtatuam eiuſdem Baal comminui & comburi, ædemque eius demoliri, atque in ipſius locum latrinas conſtitui. Sic tandem & Achabi ſtirps funditus deleta eſt, & Samaria paulìſper expurgata. Accepit autem poſt hæc Iehu, pro mercede perditionis domus Achab, & cultus Baal de Iſraele propulſi, hanc à Domino promiſſionem, (vtique per aliquem Prophetam) nimirum quòd filij eius ſeſſuri erant ſuper thronum Iſrael vſque ad quartam generationem. quod & factum eſt: tametſi de cetero ipſe quoque Iehu fuerit valdè impius, ac impia prædeceſſorum ſuorum exempla ſecutus, coluerit vitulos aureos, ambulaueritque in viis Ieroboam qui eos fecerat. Quamobrem permiſit eum Dominus valdè affligi ac moleſtari ab Hazaele Syriæ Rege, quemadmodum ſub anno mundi 3157. num. 3. dicemus. Quæ omnia latiùs deſcribuntur 4. Reg. cap. 10. verſ. 1. vſque ad 32. Sed mirum valdè eſt, quòd iſte Iehu idololatras quidem occidit, ipſe verò ab idolorum cultu non abſtinuit: Baalis templum diruit, eiuſque ſacerdotes interemit; & tamen vitulos aureos non abhorruit, nec ſubditos ſuos, vt debuerat, ab eorum veneratione compeſcuit. Quàm multi ſunt impij huius Regis imitatores, qui in quorumdam errata, rectè quidem vehementiùs inuehuntur, eademque grauiter admodum puniunt; alia verò non minora in ſe & in aliis facilè diſſimulant, vel etiam ſtudiosè perpetrare non verentur; haud intelligentes, nihil ad æternam conferre ſalutem, ſi ab vno aut altero peccato mortifero abſtineas; aliis verò eiuſmodi vltrò indulgeas; aut ſi quos debes, ab aliquo flagitioſo crimine auertas, eoſdem autem ad alia non minùs grauia impellas. Nam vt dicitur Iacobi cap. 2. verſ. 10. *Qui in vno offendit, factus eſt omnium reus.* nimirum, quia tamquam Legis tranſgreſſor, præmio Legem obſeruantibus præſtituto ſe omnino reddit indignum.

IEHV EXTINGVIT OMNINO DOMVM ACHAB. OCCIDIT SACERDOTES BAAL, ET CVLTVM EIVS TOLLIT, PRO QVA RE REMVNERATIONEM A DOMINO ACCIPIT.

3. Eodem anno circiter inchoante, Athalia mater Ochoziæ Regis Iudæ, videns mortuum eſſe filium ſuum, occupato regno Iudæ interfecit omnem ſtirpem regiam quæ remanſerat, intellige maſculinam, domus Ioram viri, & Ochoziæ filij ſui, & ſi quæ erat alia priorum Regum, ad quam ſpectare poſſet regnum Iudæ; præter Ioas filium Ochoziæ infantulum lactentem, quem Ioſabeth (quæ & Ioſaba dicebatur) ſoror Ochoziæ, & vxor Ioiadæ Pontificis, clàm ſublatum abſcondit cum nutrice ſua, occultumque tenuit in Domo Dei ſex annis: totidem enim regnauit Athalia ſuper Iudam: 4. Reg. cap. 11. verſ. 1. vſque ad 4. & 2. Paralip. cap. 22. verſ. 10. vſque ad finem capitis. Horrendum ſanè dictu, quòd aliquando mulier, fame perurgente, proprium necare filium non erubuerit: verùm multò horribilius, quòd femina, nulla prorſus neceſſitate cogente, ſed ſola regnandi libidine, totam ferè viri ac filij ſui progeniem crudeliter extinguere non ſit verita. Dixi, Athaliam regnaſſe annis ſex; iuxta Textus emendatiores: corruptè namque, vt credimus, in quibuſdam codicibus loco Regum citato legimus, Athaliam regnaſſe annis ſeptem; vel ſi non corruptè, certè annus ſeptimus accipiendus eſt tantummodò inchoatus. Vnde arbitror hallucinari Euſebium in Chronicis, & alios Chronographos, qui inter obitum Ochoziæ & initium regni Ioas filij eius, ponunt annos ſeptem integros regni Athaliæ; quod ſtare non poteſt: quia neceſſariò ſequeretur, ipſum Ioas regnare cœpiſſe ſuper Iudam anno octauo Iehu Regis Iſrael; cuius oppoſitum paulò pòſt demonſtrabimus.

ATHALIA OCCVPAT REGNVM IVDAE.

CHRONOGRAPHORVM LAPSVS

AB ORBE CONDITO ANNVS 3157. QVINTÆ MVNDI ÆTAT. ANNVS 135.

IOAS REGNAT IN IVDA.

1 ANNO Iehu Regis Iſraël ſeptimo, nimirum circiter inchoante, regnauit Ioas filius Ochoziæ ſuper Iudam opera & induſtria Ioiadæ Pontificis; qui clàm percuſſo fœdere cum Centurionibus & militibus in Domo Domini, vnxit ipſum Ioam ſeptennem (annum enim vitæ octauum paulò antè erat ingreſſus) in Regem, populo pariter collætante, manibuſque plaudente, & acclamante: Viuat rex. Athaliam autem illicò eò accurrentem ac reclamantem, milites, iubente Ioiada, impulerunt extra Templum, & occiderunt. Pepigit dein Ioiada Pontifex fœdus inter Dominum & Regem ſimul ac populum, & item inter ipſum Regem ac populum: qui confeſtim accurrens, ingreſſus eſt templum Baal, deſtruxitque illud, & altaria ſimulacraque eius confregit, atque ſacerdotem illius, nomine Mathan, ante aras occidit. Deinde relictis qui cuſtodirent Domum Domini, Centuriones, & legiones Cerethi ac Phelethi, cum reliquo populo, deduxerunt cum lætitia Regem de Domo Domini in Palatium Regum, & collocauerunt eum in ſolio patrum ſuorum; vt accuratiùs deſcribitur 4. Reg. cap. 11. verſ. 4. vſque ad finem capitis, & 2. Paralip. cap. 23. per totum. Diximus, Ioas regnare cœpiſſe anno ſeptimo regni Iehu circiter incipiente. Et ſic fateri neceſſe eſt: alioqui non poſſent vera eſſe, quæ 4. Reg. cap. 13. verſ. 1. dicuntur de Ioachaz filio Iehu, nimirum quòd mortuo patre regnauit anno vigeſimo tertio regni Ioas filij Ochoziæ Regis Iuda. Cùm enim, vt ſub anno mundi 3150. num. 6. dictum eſt, Iehu regnauerit annos viginti octo; ſi anno ſeptimo completo, ſeu, quod idem eſt, anno octauo incipiente eiuſdem Iehu, regnare cœpiſſet Ioas; proculdubiò annus vigeſimus primus regni Ioas fuiſſet vltimus regni Iehu, & conſequenter inter ipſum Iehu & Ioachaz filium eius oporteret ponere Interregnum ſaltem vnius anni; de quo tamen neque Scriptura ſacra, neque vllus ex Chronographis, vllam vmquam mentionem fecerunt. Igitur ne, vt communiter dicitur, multiplicemus entia ſine neceſſitate, præſtat dicere, Ioas conſtitutum fuiſſe Regem circa initia anni ſeptimi regni Iehu, ita vt primus annus regni Ioas concurrat cum ſeptimo Iehu, & vigeſimus ſecundus Ioas cum poſtremo dicti Iehu, & vigeſimus tertius Ioas cum primo regni Ioachaz, quemadmodum in tabulis digeſtum intueri licet. Septem annorum, nempe completorum, erat Ioas cùm regnare cœpiſſet, & quadraginta annis regnauit in Ieruſalem; fecitque rectum coram Domino cunctis diebus quibus vixit Ioiada Pontifex: 2. Paralip. cap. 24. verſ. 1. & 2. & 4. Reg. cap. 12. verſ. 1. vſque ad 4. vbi tamen illud additur, quòd nihilominus Ioas excelſa non abſtulit.

ATHALIA AD IVSSVM IOIADAE OCCISA.

IOIADA PONTIFEX PERCVTIT FOEDVS CVM DOMINO.

DE ANNO QVO REGNARE COEPIT IOAS.

¶ 2. Aduertendum autem hoc loco eſt, quòd Io. Lucidus in ſuo Chronicon lib. 2. qui eſt Hebræorum temporum, cap. 9. & Io. Driedo lib. 3. de Eccleſiaſticis Scripturis & Dogmatibus, tract. 3. cap. 5. qui de Supputationibus annorum & hebdomadarum inſcribitur, concluſ. 7. duo notant; Primò, ſtirpem Salomonis defeciſſe in Ochozia filio Ioram Regis Iuda, cuius progeniem interfecit Athalia; & ipſum Ioas, qui poſt Athaliam prædicto Ochoziæ ſucceſſit, fuiſſe primum Regem ex proſapia Nathan fratris memorati Salomonis. Secundò, hæc haberi ex Philone. Sed, vt arbitror, vtrumque falſum eſt: nam in propriis legitimiſque dicti Philonis libris nihil tale reperitur; ſed in illo temporum Breuiario, quod Io. Annius & eius aſſeclæ, inter quos etiam fuere Lucidus & Driedo, perperàm ipſi Philoni adſcriptum referunt. Quin etiam addimus, quòd etiamſi Philo, aut quiuis alius ex antiquis Scriptoribus id diceret, non eſſet in hoc recipiendus, quoniam in genealogia Saluatoris, quam deducit S. Lucas in ſui Euangelij cap. 3. per lineam ipſius Nathan, non reperitur Ioas. Et prætereà, quia habemus Scripturã ſacram non ſemel oppoſitum aſſerentem. Nam ſi Ioas non fuiſſet de ſtirpe Salomonis, ſed Nathan; vtique non fuiſſet filius Ochoziæ, de quo nemo dubitat quin fuerit de proſapia Salomonis. Atqui Scriptura ſacra multis in locis appellat Ioam filium Ochoziæ; nimirum 4. Reg. cap. 11. verſ. 2. & cap. 13. verſ. 1. & 2. Paralip. cap. 22. verſ. 11. & item in catalogo progenitorum ex Dauide per lineam Salomonis, qui habetur 1. Paralip. cap. 3. verſ. 11. vbi apertè legimus, quòd Ochozias genuit Ioam, & Ioas genuit Amaſiam, &c. Quamobrem dubitare de Ioa, num fuerit verus ac naturalis filius Ochoziæ, eſſet totam illam Dauidis ac Salomonis genealogiam in dubium vocare. Non enim maior ratio videretur dubitandi de vno ex illis poſteris, quàm de quouis alio. Nec quemquam moueat, quòd alicubi pro *Ochozia* legatur *Ozia* vel *Azoria*; quia id prouenit ex corruptione codicis: etenim conſtat, codices emendatiores locis citatis habere Ochoziam, vel Ioachaz;

CONTRA ANNII ASSECLAS.

chaz; vtroque enim nomine vocabatur. Nisi fortè etiã dici possit, eumdem Ochoziam non modò Ioachaz, vel vt aliqui legunt, Ioachim, sed Oziam quoque, siue Azariam interdum fuisse nuncupatum; sicuti certum est, sanctum Petrum, qui & Cephas, aliquando etiam Simonem, & Bar-Iona, appellari consueuisse: vt propterea idem Io. Driedo lib. 3. superiùs citato tract. 2. cap. 1. asserere non dubitauerit, prædictum Ochoziam fuisse trinominem; quod nos quoque sub anno mundi 3149. nu. 1. tetigimus. Denique, si Ioas fuisset de stirpe Nathan; non omnino verè dici posset fuisse de naturali stirpe Dauidis: siquidem ipse Nathan, tametsi verè fuerit frater Salomonis vterinus, creditur tamen fuisse filius Dauidis adoptiuus, non autem naturalis; quemadmodum sub anno mundi 2987. num. 5. probauimus. Quare si Ioas non verè fuit de naturali semine Dauidis, ergo nec eius posteri, nimirum Amasias, Ozias, & reliqui; immò neque ipse Christus: quod asserere, absurdum esset intolerabile. Valeat igitur memorata sectatorum Annij opinio tamquam erronea, & Scripturæ sacræ prorsus contraria. Quin potiùs, ex eiusmodi opinione tam apertè sacris assertionibus contradicente, ad confirmationem eorum quæ in horum Annalium Procemio num. 9. diximus, liceat arguere, prædictum Breuiarium, & ferè totam Annianam Chronologiã esse fictam, & nullatenus recipiendam; vtpote quæ etiam Sacris libris aduersantia contineat. Sed ad institutum nostrum redeamus.

☞ 3. Per hæc circiter tempora, cùm Iehu Rex Israel non ambularet in Lege Domini, nec recessisset à peccatis Ieroboam, qui fecerat adorauerat que ipse vitulos aureos, & in eis peccare fecerat Israel; cœpit Dominum tædere Israelis, permisitque eum percuti ab Hazaele Rege Syriæ in omnibus finibus eius, à Iordane contra Orientalem plagam; nimirum in omni terra Galaad, & Gad, & Ruben, & Manasse, ab vrbe Aroër quæ erat super torrentem Arnon, & Galaad, & Basan: 4. Reg. cap. 10. vers. 29. & 31. vsque ad 34. Et tunc creditur Hazael fecisse Israeli mala illa, quæ eidem Hazaeli cum lacrymis prædixerat Eliseus 4. Reg. cap. 8. vers. 12. illis verbis: *Ciuitates eorum munitas igne succendes, & iuuenes eorum interficies gladio, & paruulos eorum elides, & prægnantes diuides.* Quibus addere possumus aliud sæuitiæ genus, quod refertur Amos cap. 1. vers. 3. vsque ad 6. vbi Dominus de Damascenis, siue de Syris qui parebant Hazaeli ipsorum Regi conqueritur, quòd nimia crudelitate triturauerint in plaustris ferreis Galaad: hoc est, plaustra rotas ferratas ac dentatas habentia, excurrere fecerint super corpora Galaaditarum viuentia; quemadmodum facere solebant, quando spicas triturabant, & simul etiam paleas pro iumentis alendis in area comminuebant. In Iudæa autem per idem ferè tempus Ioiada Pontifex accepit vxores duas Regi Ioas, ex quibus posteà genuit filios & filias: 2. Paralip. cap. 24. vers. 3.

PROPTER PECCATA IEHV PERCVTITVR ISRAEL AB HAZAELE.

IOAS DVCIT VXORES, ET GIGNIT FILIOS.

AB ORBE CONDITO ANNVS 3166. — QVINTÆ MVNDI ÆTAT. ANNVS 144.

1 ANNO centesimo quadragesimo quarto à Templi Salomonis fundatione, qui concurrit cum anno regni Ioas Regis Iuda decimo, & regni Ophratanis in Assyria quadragesimo tertio (vt patet in tabulis) mense octauo, condi cœptam fuisse à Didone, Pygmalionis Tyriorum Regis sorore profuga, Carthaginem illam in Africa, quæ posteà fuit vrbs in toto orbe terrarum celeberrima, & Romanis multo tempore admodum infesta, tradit Iosephus lib. 1. Aduersus Apionem, aliquantò ante libri medietatem, sumpto ex Phœnicum historiis testimonio: & idem insuper confirmat ex successiua Regum dinumeratione qui fuerunt in Tyro, ab Hiram Salomonis contemporaneo vsque ad memoratum Pygmalionem: subductis quoque ex Menandro annis, quibus singuli regnarunt; & notato item anno regni ipsius Hiram, nimirum duodecimo, in quo iacta sunt præfati Templi fundamenta; à quibus, ad condendæ Carthaginis initia, numerat annos centum quadraginta tres, & menses octo. Vnde patet, ipsam Carthaginem non fuisse conditã eodem ferè tempore quo Roma, post inceptas scilicet Olympiades, vt perperàm scripserat memoratus Apion: neque anno demum septuagesimo post Romam conditam, vt alij putauerunt. Quin etiam oportet falli eos, qui ponunt fundamenta Carthaginis ante fundamenta Romæ annis sexaginta quinque, aut ad summum septuaginta duobus, inter quos est Trogus Pompeius, & ex ipso Iustinus lib. 18. quos sequuntur alij, præsertim Orosius lib. 4. c. 6. & Genebrardus lib. 1. suæ Chronologiæ, vbi agit de Profanis sub Rege Ioas actis, & ibidem addit, ipsam Carthaginem conditam fuisse anno regni eiusdem Ioas trigesimo. Appianus verò, qui initio

CARTHAGO CONDITVR.

tio lib. de Bellis Punicis ait, anno à Carthagine condita ſeptingenteſimo Romanos abſtuliſſe Carthaginenſibus Siciliam, videtur ſenſiſſe, ipſam Carthaginem non ſeptuaginta duobus, ſed centum octoginta octo annis ante Romam fuiſſe conditam: ſiquidem (vt nos ſub anno mun. 3812. num. 1. diximus) Sicilia Carthaginenſibus adempta fuit anno Vrbis quingenteſimo duodecimo; quibus ſi addantur centum octoginta octo, fient anni ſeptingenti à fundata Carthagine. Euſebius autem in Chronicis nihil certi adfert, ſed tantummodò varias aliorum refert opiniones, nimirum quoſdam ponere fundamenta Carthaginis circa annum regni Mitrei Regis Aſſyriorum decimumquintum: alios anno Laoſthenis circiter decimotertio: alios autem anno Ocrazapis circiter trigeſimo. Et aliàs dicit ipſam fuiſſe conditam, antequam à Scipione capta eſſet & incenſa, annis ſecundùm aliquos ſexcentis ſexaginta octo, ſecundùm alios verò ſeptingentis quadraginta octo. Vnde ex his (quemadmodum computari poteſt in tabulis) deduci poſſet, quoſdam ponere conditionem Carthaginis ante Vrbem conditam annis quadringentis ſexaginta quattuor, aliquos ducentis quinquaginta nouem, nonnullos centum quadraginta vno, quoſdam nonaginta ſeptem, & demum alios ſexaginta vno. Quo quid incertius dici poteſt? Nos verò, reiectis aliis opinionibus ſine vlla probatione adductis, ſecuti ſumus Phœnicum hiſtorias ſuperiùs relatas, tamquam in hac re magis fide dignas, & continua Regum Tyri ſucceſſione comprobantes, Carthaginem præceſſiſſe Olympiadum initia per annos centum & duodecim, & conſequenter fuiſſe ædificatam annis centum triginta quattuor ante Romam, vt in noſtris tabulis ſupputari facilè poteſt. Ex quibus omnibus apparet, fabuloſa eſſe quæ Virgilius lib. 2. & 4. Æneid. licentia nimirum poëtica finxit de Æneæ ac Didonis congreſſu, quòd ſcilicet ille euerſa Troia Italiam petens, tempeſtate in Africam deuectus, reperit Didonem Carthaginis fundamenta iacientem: quæ illius amore capta, cùm præter ſpem ab eo poſteà deſeri ſe videret, ipſa ſibi mortem conſciuit. Hæc autem falſa eſſe, non ſolùm illud oſtendit, quòd ex ijs quæ nos hîc & ſub anno mundi 2872. num. 2. diximus, manifeſtè infertur, ab interitu Troiæ ad Carthaginis fundamenta interceſſiſſe annos ſaltem ducentos octoginta ſex, vt videri poteſt in tabulis; ſed etiam idem demonſtrat elegans illud apud Auſonium Epigramma 117. in Didûs imaginem ex Græco prænotatum, quo illa ſe ab impudicitiæ nota purgat, inquiens:

FALSA ESSE QVAE DE DIDONE ET AENEA SCRIBIT VIRGILIVS.

Illa ego ſum Dido, vultu quam conſpicis, hoſpes,
Aſſimulata modis pulchráque mirificis.
Talis eram, ſed non Maro quam mihi finxit, erat mens,
Vita nec inceſtis læta cupidinibus.
Namque nec Aeneas vidit me Troius vmquam,
Nec Libyam aduenit claſsibus Iliacis:
Sed furias fugiens, atque arma procacis Iarbæ,
Seruaui, fateor, morte pudicitiam,
Pectore transfixo, caſtos quod pertulit enſes,
Non furor aut læſo crudus amore dolor.
Sic cecidiſſe iuuat: vixi ſine vulnere famæ
Vlta virum, poſitis mœnibus, oppetij.
Inuida cur in me ſtimulaſti muſa Maronem,
Fingeret vt noſtræ damna pudicitiæ?
Vos magis Hiſtoricis lectores credite de me,
Quàm qui furta Deûm concubituſque canunt.
Falſidici Vates temerant qui carmine verum:
Humaniſque Deos aſſimilant vitiis.

Igitur vera Didonis hiſtoria illa eſt, quæ ex probatis Hiſtoricis collecta, & memorato Auſonij Epigrammate confirmata, communiter in hunc modum referri ſolet: quòd ſcilicet ipſa fuit ſoror prędicti Pygmalionis Regis Tyri; qui cùm anno regni ſui ſeptimo, hoc eſt, poſt Troiam captam 285. Sichæum Didonis maritum, & Herculis ſacerdotem, theſauris eius inhians, ante aram obtruncaſſet; illa in ſomnis admonita, cum multis Pygmalioni infenſis, theſauris clàm ſublatis, nauim conſcendit, & in eam Africæ regionem, quæ Zeugitana dicta eſt, delata, tantum ſoli emit ſibi, quantum tauri corio circumdare poſſet: quo in loco, cùm in tenuiſſimas corium partes diſſecuiſſet, eoque locum ſatis amplum complexa eſſet, vrbem condidit, quam Carthaginem appellauit; arcemque in medio vrbis, quam à corio bubulo Byrſam vocauit. Deinde cùm Iarbas Getuliæ Rex nuptias eius ambiret, recuſantemque vi atque armis cogeret, ſibi ipſi manus

nus intulit; præferens honesta morte occumbere, quàm prioris lecti iura violentis hisce nuptiis polluere. Didonis siue Elissæ, & Carthaginis conditæ historiam tradunt Iustinus vbi suprà, & alij.

AB ORBE CONDITO ANNVS 3172. | QVINTÆ MVNDI ÆTAT. ANNVS 150.

1 ANNO regni sui decimosexto circiter ineunte, Ioas Rex Iuda ex vna de vxoribus suis nomine Ioaden, vt dicitur 2. Paral. cap. 25. vers. 1. genuit Amasiam, qui postea patri defuncto successit in regnum annos natus viginti quinque, vt dicitur loco Paralip. citato: tot autem annos ab hoc ad primum regni Amasiæ inueniri, patet in tabulis. AMASIAE ORTVS.

2. Per hæc quoque tempora, nimirum posteaquam Ioas Rex Iuda genuit filios, vt colligitur 2. Paralip. cap. 24. vers. 3. & 4. aduertens Rex, suggerente forsitan Ioiada Pontifice, quod Templū Domini ab Athalia Regina impiissima, & priùs à viro eius Ioram, & filio eius Ochozia, pæne destructum fuerat: non quia illud demoliri ausi essent; sed quia, quòd temporum iniuria sensim labefactari & consumi cœperat, fulcire ac reparare non curauerant. Quin potiùs pecuniam, & alia aliàs Domino oblata, ad templum Baal exornandum contulerant: atque ita Templum Domini (quantum ad ipsos spectabat) in destructionem deuenire permiserant. Videns inquam Rex quòd Templum Domini instauratione indigeret, placuit ei vt huic operi manus admouerentur: & pro impensis, applicauit fabricæ omnem pecuniam quæ sponte ibidem offerri consueuerat; & item eam quæ à prætereuntibus, hoc est, excedentibus vigesimum ætatis annum (tunc enim transire dicebantur ad nomen) dari debebat pro pretio animæ, iuxta Legem latam Exod. cap. 30. vers. 13. vsque ad 17. vbi præcipitur, quòd quilibet transiens ad numerum viginti annorum, soluere teneatur dimidium siclum; hoc enim erat pretium singulis, tam diuitibus quàm pauperibus indifferenter à Lege taxatum, & ad vsus Tabernaculi olim ab eadem Lege applicatum; vt loco citato patet. Itaque, quoniam quotannis aliqui ad prædictam ætatem peruenientes recensendi erant, & insuper alij plurimi; quia propter idololatriam quæ sub Athalia, ac viro filioque suo viguerat, iam diu talis exactio intermissa fuerat: propterea Rex, congregatis Sacerdotibus & Leuitis, præcepit eis vt deinceps singulis annis cum festinatione exirent discurrerentque per singulas ciuitates, ad dictam pecuniam colligendam; & vt ex ea refici instaurarique curarent Templum Domini, quemadmodum satis concisè traditur 4. Reg. cap. 12. vers. 4. & 5. & 2. Paralip. cap. 24. vers. 4. 5. & 7. IOAS MANDAT INSTAVRARI TEMPLVM.

AB ORBE CONDITO ANNVS 3173. | QVINTÆ MVNDI ÆTAT. ANNVS 151.

1 SVB finem anni decimiseptimi regni Ioas Regis Iuda, oportet incidisse obitum Ophratanis Regis Assyriorum, quem Eusebius in Chronicis testatur regnasse annis quinquaginta: hos autem hoc tempore terminatos esse, apparet in tabulis. OPHRATANES REX ASSYRIORVM MORITVR.

AB ORBE CONDITO ANNVS 3174. | QVINTÆ MVNDI ÆTAT. ANNVS 152.

1 ANNO proximo regnauit in Assyria Ocrazapes Rex Assyriorum trigesimus quintus, vt ait Eusebius in Chronicis. OCRAZAPES REGNAT IN ASSYRIA.

AB ORBE CONDITO ANNVS 3178. | QVINTÆ MVNDI ÆTAT. ANNVS 156.

1 SVB finem anni vigesimi secundi regni Ioas Regis Iuda, necesse est mortuum esse Iehu Regem Israel: quandoquidem hoc circiter tempore impletus est numerus annorum viginti octo; quibus ipsum regnasse, ex 4. Reg. cap. 10. vers. 36. probauimus. Vnde necesse est hallucinari Iosephum, qui 9. Antiq. cap. 8. ait, eumdem Iehu septem dumtaxat annos regnasse. IEHV MORITVR.

AB ORBE CONDITO ANNVS 3179. QVINTÆ MVNDI ÆTAT. ANNVS 157.

IOACHAZ REGNAT IN ISRAEL.

1 Anno regni Ioas Regis Iuda vigesimo tertio, (non autem vigesimo primo, vt perperàm scribit Iosephus 9. Antiq. cap. 9.) regnauit Ioachaz filius Iehu super Israel in Samaria decem & septem annis: 4. Reg. cap. 13. vers. 1. Intellige, ipsum Ioachaz regnare cœpisse hoc anno circiter inchoante, quia pater eius in fine præcedentis, vt diximus, mortuus est; & regnasse decem & septem annis incompletis, vt infrà sub anno mundi 3195. num. 2. probabitur. Quare oportet primum annum regni Ioachaz ferè totum concurrisse cum vigesimo tertio dicti Ioas, & decimumseptimum cum primo filij sui Ioas, vt videre est in tabulis.

QVOMODO COLLECTA SIT PECVNIA, TEMPLVMQVE INSTAVRATVM.

2. Eodem anno, Ioas Rex Iuda cùm cognouisset quòd Leuitæ negligentiùs quàm par erat se gesserant in exequendo quod eis fuerat demandatum, nempe in colligenda per singulas vrbes pecunia pro Domo Domini resarcienda; vocauit Ioiadam Pontificem, & cum eo questus est, quòd non coëgisset illos imperata facere: qui (vt arbitror) respondit Regi, nimis onerosum esse Leuitis, per omnes regni vrbes quotannis multo labore discurrere; quin etiam id fabricæ ipsi non expedire, quandoquidem sic magna illarum exactionum pars, in tot Leuitarum itineribus atque expensis frustrà insumeretur: quamobrem, aliquam aliam colligendæ pecuniæ rationem omnino esse ineundam. Itaque re diligentiùs examinata, tandem consentiente ac iubente Rege sancitum est, vt adinstar Gazophylacij, fieret arca lignea in Domo Domini ponenda, quæ desuper foramen haberet, vnde immitti pecunia posset: & vt exiret Regis edictum in omni Iu a & Ierusalem, obligans singulos prætereuntes, hoc est, peruenientes ad vigesimum ætatis annum, deferre ad dictam arcam dimidij sicli nummum Lege statutum, pro pretio animæ. Quæ omnia libenter, & cum vniuersali omnium lætitia executioni statim mandari cœperunt. Et arca quidem primò posita est in Atrio Sacerdotum, iuxta Altare, ad dexteram ingredientium, loco nimirum omnibus conspicuo; & per manus Sacerdotum qui custodiebant ostium prædicti Atrij, acceptæ à populo pecuniæ, cunctis videntibus ad arcam deferebantur; vt dicitur loco Reg. inferiùs citando. Deinde verò, ad maiorem populi commoditatem, videtur eadem arca extra propeque ostium dicti Atrij fuisse locata, vt per se populus in eam, pecuniam immittere posset; quemadmodum ex loco Paralip. mox adducendo colligi potest. Certis autem temporibus, quando nimirum multæ iam erant pecuniæ in arca, ferebant eam Leuitæ ad Regem, vbi per Scribam Regis & Pontificem, seu alium ab ipso delegatum, educebantur, numerabantur, ac fabricæ præpositis tradebantur, variis artificibus, prout opus erat, distribuendæ; ipsam verò arcam ad eumdem locum reportandam curabant: atque hoc pacto collecta est pecunia valdè multa: quæ licet à fabricæ præpositis infidè tractata fuerit; nihilominùs ipsis, pariterque artificibus industriè admodum agentibus, breuî Domus Domini benè suffulta, munita, instaurataque fuit, atque in pristinum statum restituta. Et insuper ex pecunia quæ superfuit, facta sunt vasa Templi aurea & argentea, ad vsum ministeriorum eius, fortassis pro his quæ abstulerat Athalia vt ornaret fanum Baal. Et hæc sunt, quæ, quoniam obscuriùs traduntur 4. Reg. cap. 12. vers. 6. vsque ad 17. & 2. Paralip. cap. 24. vers. 5. vsque ad 15. ideò à nobis hîc clariùs explicari debuerunt.

IOACHAZ PROPTER PECCATA SVA AB HAZAELE AFFLIGITVR.

3. Intereà Ioachaz Rex Israel faciebat mala coram Domino, sequebaturque peccata Ieroboam, qui peccare fecerat Israel in vitulis aureis. Quamobrem iratus Dominus afflixit ipsum Ioachaz vehementer, tradens Israelem in manu Hazaelis Regis Syriæ, & Benadad filij eius, cunctis diebus dicti Ioachaz, vt breuiter tangitur 4. Reg. c. 13. vers. 2. & 3. & nos copiosiùs sub anno mundi 3193. num. 2. memorabimus.

AB ORBE CONDITO ANNVS 3183. QVINTÆ MVNDI ÆTAT. ANNVS 161.

ANNVS IVBILAEI DVODECIMI.

1 Anno regni Ioas Regis Iuda vigesimo septimo, incidit annus Iubilei duodecimi, vt colligi potest ex Æra, quæ deducitur ab introitu filiorum Israel in Terram promissionis: cum hoc etenim anno concurrit annus eiusdem Æræ sexcentesimus, vt videre est in tabulis.

AB

AB ORBE CONDITO ANNVS 3189. QVINTÆ MVNDI ÆTAT. ANNVS 167.

1 ANNO, vt probabiliter conijcere possumus, regni Ioas Regis Iuda circiter trigesimo tertio, quando Hazael Rex Syriæ magnam iam regni Ioachaz Regis Israel partem occupauerat, idem Hazael ascendens in Iuda, pugnabat contra Geth vrbem Philisthinorum, quæ ad sortem Iudæ pertinuerat; & cùm cepisset eam, direxit exercitum suum vt ascenderet in Ierusalem. Quod audiens Ioas Rex Iuda, videns se ei armis resistere non posse, magnam vim auri atque argenti de thesauris Templi & Regis ablatam misit Hazaëli; qui tam amplis placatus muneribus discessit: 4. Regum cap. 12. vers. 17. & 18. *HAZAEL VENIENS CONTRA IERVSALEM, REGIS IOAS MVNERIBVS PLACATVS ABSCEDIT.*

2 Sanè hîc non me latet, Iosephum 9. Antiq. c. 8. & Abulensem super cap. Reg. citato, post quæst. 15. in expositione textus, & quæst. 17. putasse memoratum ascensum Syrorum in Ierusalem loco Reg. adducto descriptum, eumdem esse cum eo qui 2. Paralip. cap. 24. vers. 23. vsque ad 26. describitur, & sub finem Regni vitæque Ioas Regis Iudæ creditur contigisse: sed si accuratiùs vtraque descriptio inter se conferatur, profectò videtur in pluribus à se inuicem dissidere, vt paulò pòst constabit; & propterea probabilius esse, duos extitisse Syrorum aduentus in terram Iuda contra Regem Ioas; alterum viuente & præsente ipso Hazaële; alterum verò post obitum eius. de quo secundo bello nos sub anno mundi 3196. num. 1. agemus. Primum autem Hazaëlis ascensum in Ierusalem, credimus aliquot annis post instauratum Templum, nempe per hæc circiter tempora accidisse, vt etiam innuit Sacer textus, qui cap. Reg. allegato, post descriptam Templi restaurationem, subintulit: *Tunc ascendit Hazael*, &c. *quæ verba*, vt ibidem exponit Caietanus, *posita sunt ad differentiam alterius belli, quod postea à Syris illatum fuit Regi Ioas, prope finem regni sui, de quo agitur 2. Paralip.* sic Caietanus. Abulensis autem eadem verba exponens, ait, illud *tunc* non strictè esse accipiendum, sed tamquam si dictum esset, *aliquanto tempore pòst. Nam quia*, inquit, *inter præcedentia & ista, hoc est inter reparationem Templi & istum ascensum, non acciderunt aliqua relatu digna; ideò dicitur, Tunc ascendit Hazael Rex Syriæ*, &c. *quasi nullum tempus medium interfluxisset.* Quæ expositio, si supponamus (quemadmodum ipse supponit Abulensis) hoc bellum esse illud, quod describitur 2. Paralip. sustineri nullo modo potest: siquidem constat, inter memoratam Templi reparationem & postremum illud bellum plura relatu digna accidisse, quæ in eodem cap. Paralip. vers. 15. vsque ad 23. referũtur; nimirum, mors Ioiadæ Pontificis: declinatio Regis ac populi ad idololatriam: missio Prophetarum, qui incassùm conuersionem eiusdem populi Regisque procurabant: & demum impia interfectio Zachariæ filij Ioiadæ Pontificis. Posito autem, vt nos credimus, ascensum prædictum Hazaëlis in Ierusalem hoc circiter anno contigisse, esseque diuersum ab eo bello quod memoratur 2. Paralipomenon: vtique prænarrata Abulensis expositio optimè Sacro textui adaptari poterit, & pariter cum adducta Caietani expositione cõformari. Quòd autem ascensus Syrorum in Ierusalem, 4. Reg. descriptus, non sit idem, sed diuersus ab eo qui traditur 2. Paralipomenon, ex his colligi potest. Etenim de primo dicitur, quòd ipse Hazael ascendit, & consequenter oportet totum cum Rege robur exercitus Syrorum extitisse. Item nulla tunc pugna, neque Iudæorum mors, neque vlla Regis ipsorum læsio interuenisse, aut de Iudæis præda facta fuisse describitur; sed ipsum Hazaëlem, ingentibus à Ioas acceptis muneribus, cum exercitu suo abiisse. In secundo autem Syrorum aduentu nulla prorsus Hazaëlis fit mentio, quippe qui tunc iam decessisse credatur: insuper & à paruo Syrorum numero cuncti Principes & infinita propè Iudæorum multitudo cæsa perhibetur: & vniuersa de Iudæis facta præda, à Syris in Damascum transmissa dicitur ad Regem, qui tum non Hazael, sed filius eius Benadad fuisse putatur. Et denique subiungitur, eosdem Syros in ipsum Ioas Regem Iudæ ignominiosa exercuisse iudicia, eumdemque in magnis languoribus reliquisse. Quæ omnia prædictis valdè aduersari videntur, & satis euidenter arguere, multò probabilius esse, vt diximus, non vnum tantùm, sed duos Syrorum aduentus facere; eosdemque diuersis admodum temporibus, multisque interpositis annis subsecutos, vt ex sub anno mundi 3196. dicendis comprobari poterit.

AVCTOR DISCEDIT A IOSEPHO ET ABVLENSE.

DE DVPLICI SYRORVM ASCENSV IN IERVSALEM REGNANTE IOAS.

AB ORBE CONDITO ANNVS 3191. QVINTÆ MVNDI ÆTAT. ANNVS 169.

IOIADAE PONTIFICIS OBITVS AETASQVE.

1 ANNO regni Ioas Regis Iuda circiter trigesimo quinto, post absolutam Templi pænè collabentis reparationem, post eiusdem Templi vasa aurea atque argentea instaurata, ac denique post veri Dei cultum in Iudæa, qui circa initia regni prædicti Regis iam pænè extinctus videbatur, Ioiadæ Pontificis opera restitutum; ipse Ioiada, cùm esset valdè senex, centum scilicet triginta annorum, mortuus est, & sepultus in ciuitate Dauid cum Regibus, eò quòd de ipsis & de vniuerso Iuda valdè fuisset benemeritus: 2.Paralip.cap.24.vers.15.& 16.

AB ORBE CONDITO ANNVS 3192. QVINTÆ MVNDI ÆTAT. ANNVS 170.

IOAS REX PERMITTIT IVDAEOS SERVIRE IDOLIS.

1 NON multò pòst, nimirum (vt arbitror) anno circiter proximo ineunte, Ioas Rex Iuda, obsequiis Principum regni sui delinitus, acquieuit eis, & permisit vt derelicto Templo Domini Dei patrum suorum, seruire cœperint lucis & sculptilibus; prouocantes contra se & contra populum iram Domini, qui pro sua immensa bonitate, antequam ad punitionem deueniret, cœpit mittere eis Prophetas, vt protestarentur eis diuinam vltionem imminentem, hæc aut similia verba dicentes: *Nisi conuersi fueritis, gladium suum vibrabit, arcum suum tetendit, & parauit illum: & in ea parauit vasa mortis, sagittas suas ardentibus effecit.* at illi audire nolebant: 2.Paralip.cap.24. vers.17.vsque ad 20. Probabile verò est, Dominum sustinuisse eos per aliquot annos, puta tres aut quattuor, expectans, si ad crebras Prophetarum voces aliquando resipiscere vellent: sed econtrariò accidit, vt sub anno mundi 3195. num.3. dicemus.

¶ 2. Verùm hîc ego me continere non valeo, quin propriæ pusillitatis oblitus, & viscera charitatis indutus, Reges ac Principes per salutem ipsorum obsecrare atque obtestari non cessem, vt vniuersam hanc Ioiadæ Pontificis & Ioas Regis historiam animo reuoluere, & piè mecum contemplari non grauentur: meminerintque de ipsa quoque dici posse, quod de aliis sub veteri Testamento gestis dicebat Apostolus 1.ad Corinth. cap.10.vers.11. *Hæc autem omnia in figura contingebant illis: scripta sunt autem ad correptionem nostram, in quos fines sæculorum deuenerunt.* Certè Ioiada Aaronici ordinis Pontifex, strenuè admodum functus est officio suo, tum quando aduersus tyrannidem impiæ Athaliæ, quæ populum à vero Dei cultu ad idola veneranda inducebat, sancto Dei actus zelo, eam de regno, quod per vim necemque totius ferè stirpis regiæ crudeliter inuaserat, fortiter detrusit; Ioamque tunc pium ac legitimum illius regni heredem, pro illa, in sede regia collocauit; tum etiam quando posteà, donec vixit, eumdem Regem Ioam salutaribus consiliis iuuare numquam destitit. At verò Ioiada mortuo, Rex talibus destitutus auxiliis, & fallacibus Principum obsequiis allectus, non solùm subditos idololatrare permisit, ac fortè eos ipse imitari non recusauit; verùm etiam Zachariam Ioiadæ filium, iustè se corripientem, ingratissimus interfecit; ac deinceps, iusto Dei iudicio, de malis in mala prolabi se sinens, tandem vltiones sibi ac populo suo diuinitus intentatas effugere non valuit. Quid, obsecro, ista præmonstrabant? quid per hæc Spiritus sanctus primarius eiusdem historiæ Auctor Principes Christianos edocere intendebat? Nisi quòd summus Pontifex Romanus, legitimus successor sancti Petri, qui pastor omnium Christi ouium ab ipsomet Christo ita constitutus fuit, vt necessarium sit fateri, eum inter Christi oues non esse censendum, qui se ab eius Vicario gubernari non permittit. ipse, inquã, Romanus Pontifex (ad quem pertinet gregem Dominicum sibi commissum custodire ac tueri) quotiescumque videt populos Catholicos ab hæreticis Principibus à sancta Fide & à Christianis institutis auocari, & ad falsa dogmata recipienda sollicitari & compelli, tenetur ex officio pro viribus illis obsistere; &, si aliter non potest, eosdem (quod ab aliquibus summis Pontificibus non semel factum legimus) excommunicare, deponere, eorum subditos à iuramento fidelitatis absoluere, ditiones terrasque illorum Principibus Catholicis occupandas tradere, atque omni ratione curare, vt ipsis hæreticis Regibus ac Principibus, alij Catholici ac pietatem colentes sufficiantur, & vt suffecti optimè in his quæ sunt ad Deum instruantur, instituantur, dirigantur. Quid sibi volunt illa Sacri textus verba 2.Paralip.cap.24.vers.2. *Fecitq;* (subaudi Ioas) *quod bonum est coram Domino cunctis diebus Ioiadæ Sacerdotis?* nisi quòd

DE OFFICIO SVMMI PONTIFICIS ADVERSVS HAERETICOS PRINCIPES.

Reges

Reges & Principes quamdiu retinent debitam erga Romanum Pontificem reuerentiam atque obseruantiam,quamdiu ipsum libenter audiunt, eius monita salutis excipiunt atque exequuntur,quamdiu ab eius sancta obedientia non se subtrahunt; tamdiu in vero Dei cultu permanent ipsi, suosq; subditos continent. Quid verò est,quod cap. Paralip.citato vers.17.subiungitur? videlicet: *Postquam autem obiit Ioiada, ingressi sunt Principes Iuda,& adorauerunt Regem,qui delinitus obsequiis eorum, acquieuit eis, & dereliquerunt Templum Domini Dei patrum suorum, seruieruntq; lucis & sculptilibus, & facta est ira contra Iudam & Ierusalem propter hoc peccatum.* Quid, inquam, hoc facto significabatur? nisi quòd,si contingat (quod Deus auertat) in animis Catholicorum Principum mori Ioiadam,hoc est,deficere debitam Pontifici Romano subiectionem; si in animum induxerint,salutares eiusdem Pontificis monitiones paruipendere, & eidem in spiritualibus non obtemperare; sciant se plausibilibus hæreticorum fallaciis deceptos, aut decipiendos;sciant se à vera Religione deuiare,& super se suosque iracundiam Dei prouocare; sciant se ab Ecclesia Catholica,extra quam non est salus, esse segregatos, vel diuina auctoritate segregandos; & denique iustum ac tremendũ Dei iudicium, & pœnas desertoribus propriæ salutis debitas, neque in hoc neq; in futuro sæculo euasuros.Curent itaque Christiani Reges & Principes, tamquam veri & boni sanctæ Ecclesiæ Catholicæ filij, non orbari Ioiada, id est, spirituali Pontificis Romani præsidio numquam destitui, ne seipsos regnaque sua in tale tantumque discrimen inducant.Immò verò,vt diu feliciterque regnare valeant,ipsum Romanum Pontificem piè colere studeant,& tamquam patrem spiritualem sibi à Deo datum agnoscere; ac non solùm peramanter hortantem, sed etiam interdum pro officij sui munere corripientem patienter ferre, libenter audire,eique humiliter parêre,scientes talia eius officia ex paterno affectu ac dilectione,ipsorumque salutis desiderio proficisci; simulque recolentes, illud etiam inter naturalia Decalogi præcepta haberi: *Honora patrem tuum, & matrem tuam,vt sis longæuus super terram.* Quod non de carnalibus tantùm parentibus,sed etiam de spiritualibus, dubio procul accipiendum est. Recurramus ad prosequendam Historiam.

HORTATIO AD PRINCIPES CATHOLICOS VT LIBENTER PAREANT SVMMO PONTIFICI.

AB ORBE CONDITO ANNVS 3193. QVINTÆ MVNDI ÆTAT. ANNVS 171.

1 Anno regni Ioas Regis Iuda trigesimo septimo, cœpit regnare Ioas filius Ioachaz Regis Israel in Samaria: 4.Reg.cap.13.vers.10. Vbi notandum est,quòd hîc non possumus intelligere, Ioas Regem Israel anno prænotato regnare cœpisse post mortem patris sui Ioachaz: quia si Ioachaz regnauit decem & septem annis, & primus annus regni eius concurrit cum vigesimo tertio regni Ioas Regis Iuda, vt sub anno mundi 3179.num.1.probatum est; ergo vltimus annus regni Ioachaz concurrit cum anno trigesimo nono regni præfati Ioas,non autem cum trigesimo septimo. Igitur dicendum est,quòd anno trigesimo septimo regni Ioas Regis Iuda, regnare cœpit alter Ioas super Israel cum patre suo Ioachaz; qui tunc,ob causam numero sequenti dicendam,regnare secum fecit Ioas filium suum; & sic iste Ioas regnauit cum patre annis ferè tribus,vt videre est in tabulis, & sentiunt Caietanus & Richardus, & Auctor Historiæ Scholasticæ ab Abulense relatus,& alij: quorum opinionem non rectè confutare nititur ipse Abulensis super 4.Reg.cap.13.quæst.6. Non enim officit eius obiectio, quòd nimirum loco Reg.citato,priùs facta fuerit mentio obitus dicti Ioachaz: quia responderi debet,id factum esse per figuram anticipationis, in Sacro eloquio frequenter vsitatam.Sed neque vllo modo placet illa huius difficultatis solutio, quam ibidem ipse adfert Abulensis; qui nesciens aliter nodum extricare,tandem in calce quæstionis compulsus est dicere,Textum sacrum ibi esse corruptum; & pro *trigesimo septimo,* debere corrigi vt dicat, *trigesimo nono:* quod hîc nullatenus admittendum putamus; tum quia in omnibus omnium editionum codicibus constanter legimus *trigesimo septimo*, non autem *trigesimo nono*; tum etiam,quoniam benè ac sine vllo inconuenienti, possumus & debemus cum præcitatis Auctoribus,quemadmodum dictum est,Vulgatam saluare lectionem.

IOAS FILIVS IOACHAZ REGNAT IN ISRAEL CVM PATRE.

2. Per idem tempus Hazael Syriæ Rex præualuerat nimis contra Israëlem, non solùm regnante Iehu, cui abstulerat omnem terram trans Iordanem, vt sub anno mundi 3157.num.3.diximus: sed etiam omnibus diebus regni Ioachaz filij eius;quo tempore ciuitates eius munitas ceperat & succenderat, iuuenes earum gladio interfecerat, paruulos

IOACHAZ AB HAZAELE AFFLICTVS CONVERTITVR AD DOMINVM.

paruulos ad petras alliserat,& prægnantes diuiserat, ac multa alia malè perpetrauerat in Israel; quæ iam anteà deplorãs Eliseus prædixerat coram ipso Hazaele, priusquam ad regnum euectus esset, vt legimus 4. Reg. cap. 8. vers. 12. Cùm igitur Hazael paulatim eousque Israelem contriuisset, vt tandem istis temporibus ipsi Ioachaz remansissent tantummodò quinquaginta equites, & decem currus, ac decem millia pedites: tot tantisque calamitatibus eruditus Ioachaz, conuersus est ad Dominum, deprecans eum vt se de manu Hazaëlis liberaret. Deus autem, qui (vt hæc narrans benè Iosephus ait) non solùm perpetuam innocentiam, verumetiam resipiscentiam fauore complectitur; & cùm perdere possit, si velit, castigare mauult; exaudiuit eum, & dedit saluatorem Israeli, vt dicitur 4.Reg.cap.13.vers.4.& 5.

DE SALVATORE DIVINITVS DATO IPSI IOACHAZ.

¶ Verùm quis nam fuerit iste saluator, Scriptura sacra non exprimit. vnde quidam putarunt fuisse Ioam filium dicti Ioachaz: alij Ieroboam eiusdem Ioachaz nepotem (isti enim plurimas posteà de hostibus victorias retulerunt;) alij Eliseum Prophetam, qui suis apud Deum precibus illas impetrauit; & hoc nobis magis arridet: nisi fortè præstet dicere, fuisse hos omnes; & Scripturam sacram hîc numerum singularem pro plurali, vt aliàs non semel, hoc est *saluatorem* pro *saluatores* vsurpasse. Etenim reuerà per istos magna salus facta est in Israel, vt suis locis infrà videbimus: præcipuè verò per ipsum Eliseum, qui in tanta temporum difficultate (vt de tam sancto viro existimare credibile est) ex vna parte considerans peccata illius populi grauissima, & iam admodum inueterata; quæ proculdubiò exitiale eiusdem populi exterminium merebantur: ex alia verò clades oppressionesque multiplices & maximas; quæ eumdem populum propè ad interitum iam perduxerant: tantorum Israelitici regni malorum commiseratione commotus, attenta maximè Regis ad Dominum recenti conuersione, creditur pro ipso pariter ac vniuerso populo vehementiùs orasse, obtinuisseque à Domino, vt in diebus dicti Regis Ioachaz, qui tum fortè senex erat, & bellis gerendis minùs aptus, afflictio oppressioque vlteriùs non procederet; & vt etiam dignaretur suscitare de posteris eius, qui liberaret Israelem de manu Syrorum. Quod deinde per Ioam filium dicti Ioachaz, Deo fauente, magna ex parte factum est; & omnino præstitum fuisset, si ipse Ioas, quando ad iussum Elisei percussit iaculo terram ter, eamdem pluries percussisset; quemadmodum eidem protestatus est Propheta 4.Reg.cap.13.vers.18.& 19. Sed quod Ioas perficere non valuit, posteà compleuit Ieroboam filius eius, vt infrà suo loco dicetur. Et nihilominùs post hæc omnia non recessit Israel à cultu idolorum, quem introduxerat alter Ieroboam primus post Salomonem Israelitarum Rex; sed permansit etiam deinceps in Samaria lucus, in quo colebantur idola. Et hæc, quæ per anticipationem cap.Reg. citato, vers.2. vsque ad 8. breuiter insinuantur, nos hîc clarioris doctrinæ gratia fusiùs explicare operæ pretium duximus. ☞ Itaque, vt ad rem redeamus, probabile est, Eliseum Prophetam, vt primùm de Regis Ioachaz conuersione, ac de diuina miseratione eidem præstita certior factus est; sciens ipsum in magna tribulatione positum, Deo inspirante venisse vt consolaretur eum, ac memoratis prædictionibus leuasse dolorem eius; & fortè item prænuntiando ei obitum Hazaëlis oppressoris eius in proximo esse.

REGNAT IOAS CVM PATRE IOACHAZ SVPER ISRAEL.

Quibus consolationibus confirmatus Rex Ioachaz, voluit vt Ioas filius suus, quem inter saluatores Israelis à Domino electum intellexerat, ex tunc secum regnare inciperet, eidemque præcepisse creditur, vt deinceps ipsum Eliseum non solùm vt Prophetam Domini honoraret semper, sed etiam vt patrem haberet, cunctaque de ipsius consilio perageret: vt proptereà non mirum sit, si posteà idem Ioas Rex, quando audiuit quòd Eliseus ægrotaret, non dedignatus est venire ad ipsum inuisendum, & flere super eius infirmitate, ac compellare eum patrem suum, & currum pariter aurigamque Israëlis, vt legimus 4.Reg. cap. 13. vers. 14.

AB ORBE CONDITO ANNVS 3194. | QVINTÆ MVNDI ÆTAT. ANNVS 172.

HAZAEL SYRIAE REX MORITVR.

1 ANNO, vt arbitror, proximo, qui erat regni Ioas Regis Iuda trigesimus octauus, & pænultimus regni Ioachaz Regis Israel, vt patet in tabulis, puto decessisse Hazaelem Regem Syriæ, vt dicitur 4.Reg. cap.13.vers.25. Quòd autem Hazael decesserit ante dictum Ioachaz, colligi potest ex eo, quòd ibidem vers. 3. dicitur, à Domino traditum esse Israelem in manu Hazael & Benadad filij eius cunctis diebus; non prædictorum Regum Syriæ, vt benè notat Abulensis; quia regnante Benadad, Ioas Rex Israel recuperauit ciuitates quas amiserat pater eius Ioachaz, ergo illud, *omnibus*

nibus diebus, referri debet ad dies regni Ioachaz. Si igitur regnante Ioachaz, traditus fuit Israel non solùm in manu Hazaëlis, sed etiam in manu filij ac successoris eius Benadad, ergo oportet Hazaëlem priùs mortuum esse quàm Ioachaz. Nec obstant illa verba, quæ habentur in eodem Reg. cap. vers. 22. videlicet, *Hazael Rex Syriæ afflixit Israel cunctis diebus Ioachaz:* quia non absolutè sunt accipienda, sed vsque ad conuersionem dicti Ioachaz; sequitur enim: *Et misertus est Dominus eorum*, &c. Constat autem, hanc miserationem factam esse adhuc viuente Ioachaz, quando scilicet conuersus est ad Dominũ, vt traditur in eodem cap. v. 4. Quoniam verò hæc conuersio & miseratio contigit in annis vitæ Ioachaz postremis, propterea memorata Hazaëlis afflictio dicitur perdurasse cunctis diebus Ioachaz. Porrò ipse Ioachaz, & filius eius Ioas, audita morte Hazaelis, respirare cœperunt; sperantes breuî se recuperaturos ciuitates suas, quemadmodum posteà reipsa factum est, vt suo loco dicemus.

AB ORBE CONDITO ANNVS 3195. — QVINTÆ MVNDI ÆTAT. ANNVS 173.

1 ANNO regni Ioas Regis Iuda trigesimo nono per aliquot dumtaxat menses inchoato, vt numero proximo probabitur, necesse est mortuum esse Ioachaz Regem Israel; quemadmodum ex his, quæ sub anno mundi 3193. num. 1. diximus, manifestum est. Quare falluntur Abulensis initio quæstionis sextæ super 4. Reg. cap. 13. & Richardus in suo tractatu de Concordia annorum Regum Iuda & Israel; putantes, vltimum regni Ioachaz annum debuisse pariter esse vltimum seu quadragesimum regni Ioas Regis Iuda: quia, inquiunt, si Ioachaz cœpit regnare anno vigesimo tertio regni Ioas, & regnauit annis decem & septem; vtique decem & septem additi viginti tribus, complent annos quadraginta. Sed non aduertunt isti, quòd Ioachaz non cœpit regnare in fine anni vigesimi tertij dicti Ioas, sed circa initia, vt nos sub anno mundi 3179. num. 1. demonstrauimus: & consequenter annus vltimus regni Ioachaz concurrit cum trigesimo nono dicti Ioas, non autem cum quadragesimo. Igitur

IOACHAZ REX ISRAEL MORITVR.

2. Eodem anno per paucos menses iam inchoato, non autem propè expleto, oportet Ioas filium Ioachaz secundò regnare cœpisse super Israel; nimirum nunc sine patre, qui priùs cum eo regnauerat; alioqui ipse Ioas Rex Israel, qui non peruenit nisi ad finem decimiquarti anni regni Amasiæ Regis Iudæ, vt sub anno mundi proximo num. 2. probabitur, non posset dici regnasse sexdecim annis, quemadmodum traditur 4. Reg. cap. 13. vers. 10. sed quindecim tantùm; videlicet vnum superstite adhuc Ioas Rege Iuda, & quattuordecim regnante in Ierusalem Amasia filio eius. Igitur necesse est fateri, dictum Ioachaz non expleuisse, sed per paucos dumtaxat menses inchoasse decimumseptimum regni sui annum; dicique regnasse decem & septem annis; nimirum fractis, non autem integris, eò quòd iste idem annus regni Ioachaz decimusseptimus, pro maiori parte fuerit etiam primus regni Ioas filij eius: primus inquam post obitum patris, vt digestum est in tabulis. Quare oportet decipi Chronographos, qui in recensendis annis Regum Israel, passim omnes vnus post alterum, ipsi Ioachaz annos decem & septem integros tribuere solent, & Ioas filio eius sexdecim; qui simul faciunt triginta tres; cùm reuerà anni quos ambo regnarunt, simul computati, fuerint tantummodò triginta duo. Ceterùm iste Ioas Rex Israel, cap. Reg. citato vers. 11. dicitur & ipse malum fecisse in conspectu Domini, hoc est fuisse idololatra, vt ibidem Scriptura sacra declarat; subiungens, ipsum ambulasse in viis prædecessorum suorum, & in peccatis Ieroboam filij Nabat, qui peccare fecerat Israelem. Quæ res magis auget ingratitudinem ipsius Ioas; qui cùm tantopere adiutus fuerit à Domino contra Syros, vt suis locis posteà dicemus, ardentiùs eum colere debuisset, nedum ab eo tam impiè recedere. Quòd autem sexdecim anni quibus regnauit iste Ioas super Israel, non ab eo tempore quo regnare cœperat viuente patre, sed ab obitu patris numerandi sint, ex his quæ sub anno proximo num. 3. dicentur magis patebit.

IOAS REGNAT SINE PATRE SVPER ISRAEL.

CHRONOGRAPHORVM LAPSVS

3. Per eadem circiter tempora, perseuerante Ioas Rege Iuda cum Principibus & populo suo in cultu idolorum, ac quotidie magis declinante & se elongante à Domino Deo suo, non obstantibus crebris Prophetarum increpationibus, necnon repetitis diuinæ vindictæ appropinquantis comminationibus publicisque protestationibus: cùm quadam die Zacharias filius Ioiadæ Pontificis, qui patri iam defuncto in Sacerdotium successerat, diuino actus Spiritu stetisset in conspectu populi, eumque pater-

nè ſanctéque, pro officij ſui munere, reprehendiſſet illis verbis: *Hæc dicit Dominus Deus: Quare transgredimini præceptum Domini, quod vobis non proderit, & dereliquiſtis Dominum, vt derelinqueret vos?* iuſſu ingratiſſimi Regis, qui propriam vitam regnumque ab ipſo Ioiada, poſt Deum, accepta referre debuerat; lapidibus obrutus eſt in ipſomet Atrio Domini, vt traditur 2. Paralip. cap. 24. verſ. 20. vſque ad 23. Ex quo autem Ioas Zachariam occidit, ceſſarunt in polluto Templo Dei reſponſa & oracula ex Dabir ſecretiore parte Templi, in qua erat Propitiatorium, & ex Ephod ornamento Pontificio, vt ſcribit lib. 1. ſuæ Chronologiæ Genebrardus ex S. Epiphanio. Cui tamen opinioni aduerſari videtur Ioſephus, qui 3. Antiq. cap. 9. ait, fulgorem illum gemmarum in Ephod exiſtentium, ex quo Dei reſponſa oraculáve peti ſolebant, deſiiſſe ducentis annis antequam Commentaria ſua ipſe ſcripſiſſet. Atque ab hoc anno ad Ioſephi tempora, non ducenti dumtaxat, ſed pluſquam nongenti computantur anni.

ZACHARIAS PONTIFEX IN TEMPLO OCCIDITVR.

QVANDO CESSASSE DICANTVR DIVINA IN TEMPLO RESPONSA.

AB ORBE CONDITO ANNVS 3196. — QVINTÆ MVNDI ÆTAT. ANNVS 174.

IOAS A SYRIS CAPTVS MALE TRACTATVR.

1 ANNO regni Ioas Regis Iuda quadrageſimo, qui fuit regni eius vitæque poſtremus, euoluto nimirum anno vno ab interitu Zachariæ, vt preſſiùs notatur 2. Paralipom. cap. 24. verſ. 23. Syrorum exercitus excurſione facta venit in Iudam & Ieruſalem. Quibus obuiàm exiens Ioas Rex cum pæne infinita pugnatorum multitudine, licet Syri pauci admodum eſſent in comparatione Iudæorum, nihilominùs, quia ipſi Iudæi dereliquerant Dominum Deum ſuum, tradidit eos Dominus in manu Syrorum, qui interfecerunt cunctos Principes populi, & pæne totum dicti Ioas exercitum; quin etiam in ipſummet Ioas Regem captum ignominioſa exercuere iudicia, nimirum, vt creditur, indignè eum tractantes, ac ſubſannantes, & inſuper diuerſis torquentes ſuppliciis, vt cogerent ipſum augere ſupra modum ſuæ redemptionis pretium. Denique Syri, tranſmiſſa ingenti præda quam fecerant, in Damaſcum ad Regem, qui tum alius eſſe non poterat niſi Benadad filius Hazaelis anno præcedenti (vt dictum eſt) iam defuncti; videntes quòd ipſi tot non erant, qui poſſent Ieruſalem oppugnare & capere, receſſerunt ab ea, dimittentes Ioas Regem in languoribus magnis; vtique propter plagas, quas (vt exponit Abulenſis) eidem intulerant. Rex igitur Ioas grauiſſimis non ſolùm animi, ſed etiam corporis cruciatibus doloribuſque afflictus aliquamdiu permanſit, donec tandem ſub finem eiuſdem anni, duo ex ſeruis eius, quorum alter erat de genere Ammonitarum, alter Moabitarum, coniuratione facta in vltionem ſanguinis Zachariæ filij Ioiadæ, quem Rex lapidari iuſſerat, iuſto Dei iudicio occiderunt eum in lectulo ſuo; qui poſteà ſepultus eſt cum patribus ſuis in ciuitate Dauid, ſed non in ſepulchris Regum: 4. Reg. cap. 12. verſ. 20. & 21. & 2. Paralip. cap. 24. verſ. 25. vſque ad finem capitis. Et

A SERVIS SVIS OCCIDITVR.

REGNAT PRO EO AMASIAS FILIVS EIVS.

2. Eodem anno, qui erat ſecundus regni Ioas Regis Iſrael, vt dicitur 4. Reg. cap. 14. verſ. 1. regnauit Amaſias filius Ioas Regis Iuda, in Ieruſalem. *Viginti quinque annorum erat Amaſias cùm regnare cœpiſſet, & viginti nouem annis regnauit in Ieruſalem*: ibidem verſ. 2. & 2. Paralip. cap. 25. verſ. 1. Intellige, hîc Amaſiam regnare cœpiſſe, ſub finem, vt dictum eſt, huius anni; ita vt primus annus regni Amaſiæ, tametſi cœperit currente adhuc anno ſecundo regni Ioas Regis Iſrael, attamen ferè totus concurrat cum tertio eiuſdem Ioas, vt poſuimus in tabulis; alioqui non poſſet verum eſſe quod dicitur cap. Reg. proximè citato verſ. 17. & 2. Paralip. cap. 25. verſ. 25. videlicet, Amaſiam vixiſſe annis quindecim poſtquam mortuus eſt Ioas Rex Iſrael: quia cùm ipſe Amaſias regnauerit viginti nouem annis, vt iam probatum eſt, ſi vixit quindecim annis poſt obitum dicti Ioas, ergo regnauit quattuordecim tantùm annos viuente Ipſo Ioas; & conſequenter, oportet iſtum Ioas regnaſſe duobus ferè annis ante initium regni Amaſiæ: quandoquidem ſub anno præcedenti num 2. iam probatum eſt, iſtum Ioas regnaſſe ſexdecim annis.

ANNI REGNI AMASIAE VNDE AVSPICANDI.

¶ 3. Quoniam autem id quod diximus, Amaſiam regnare cœpiſſe in Iuda anno regni ſecundo Ioas Regis Iſrael, poteſt dupliciter accipi (ſiquidem ex ſupradictis conſtat, duo extitiſſe initia regni huius Ioas; alterum cum patre ſuo Ioachaz, alterum ab obitu patris:) meritò hîc quæri poteſt, de quonam ſecundo anno Scriptura ſacra intelligat; num de ſecundo, ex quo corregnare cœperat patri; an de ſecundo, ex quo regnare cœpit mortuo patre. Verùm ad priorem intelligentiam conſequeretur, etiam ipſum Amaſiam bis regnare cœpiſſe; nempe priùs cum patre, & poſteà defuncto patre.

Clarum

Clarum eſt enim, vt etiam apparet in tabulis,quòd annus regni Ioas Regis Iſrael ſecundus,primo modo ſumptus, concurrit cum anno trigeſimo octauo regni Ioas Regis Iuda;quo anno oporteret Amaſiam corregnare cœpiſſe patri ſuo Ioas,& poſt tres ferè annos,illo mortuo,iterùm regnare cœpiſſe ſine patre. Atqui ex nullo Sacro textu apparet, Amaſiam bis regnare inchoaſſe: quin potiùs tum ex 4.Reg.cap.12.in fine,tum ex 2.Paralip. cap.24. in fine, ſatis euidenter oppoſitum colligi poteſt: vtrobique enim, poſt deſcriptam Ioas Regis Iudæ internecionem, ſtatim ſubiungitur, regnaſſe Amaſiam filium eius pro eo: neque vllus ex ſacris Expoſitoribus,aliiſve probatis Auctoribus, aut vlla ratio cogit nos aliter ſentire. Propterea, vt ad quæſitum reſpondeamus, dicimus, citatum Scripturæ ſacræ locum, in quo aſſeritur, Amaſiam regnare cœpiſſe anno ſecundo regni Ioas Regis Iſrael, proculdubiò exponendum eſſe de anno ſecundo ex quo ipſe Ioas regnare cœperat poſt mortem patris ſui Ioachaz; qui annus ſecundus concurrit cum anno quadrageſimo regni Ioas Regis Iuda, vt patet in tabulis; ſub cuius anni finem interfectus fuit Ioas Rex Iuda, & illicò ſucceſſit ei in regno filius eius Amaſias,vt ſuprà dictũ eſt. Et hinc neceſſariò infertur,verum eſſe quod nos ſub anno mundi 3195. num.2.aſſeruimus; videlicet, eoſdem ſexdecim annos regni Ioas Regis Iſrael ſine vlla dubitatione numerandos eſſe ab obitu patris ſui Ioachaz, non autem à tempore quo cum eo regnare inchoauerat: ſiquidem hoc poſito, ſequeretur, ipſum Ioas obiiſſe anno regni Amaſiæ circiter vndecimo; & conſequenter, ipſum Amaſiam vixiſſe poſt mortem dicti Ioas annis ferè decem & octo; quod manifeſtè aduerſatur Scripturæ ſacræ aſſerenti,Amaſiam quindecim dumtaxat annis eidem Ioas ſuperuixiſſe,quemadmodum numero præcedenti probauimus.

4. Sed huic poſitioni fortè quis obiiciet, quòd multi codices Hebraici ac Latini 4.Reg.c.14. verſ.17.expreſsè habent,Amaſiam vixiſſe annos viginti quinque poſtquam mortuus eſt Ioas Rex Iſrael, non autem quindecim. Ad hoc reſponderi debet, (quod etiam ibi adnotauit Caietanus) dictos codices loco citato proculdubiò eſſe corruptos, & debere corrigi, vt pro *viginti quinque* dicant *quindecim*. Et hoc confirmatur, quia ſic ibidem legimus in codicibus emendatioribus ac magis probatis, cuiuſmodi ſunt codices editionis Vulgatæ anno ſalutis 1593.& LXX. Interpretũ anno 1588. Romæ excuſi, qui maioris ſunt auctoritatis: & item in codicibus Græcis & Chaldaicæ Paraphraſis,vt videre eſt in Bibliis Regiis, quorum lectio pariter concordat cum ea quæ habetur 2.Paralip.cap.25. verſ.25. vbi in omnibus codicibus Hebraicis, Græcis, & Latinis, vniformiter legimus, Amaſiam vixiſſe poſtquam mortuus eſt Ioas Rex Iſrael, quindecim annis; non autem vigintiquinque. Quod valdè notandum eſt; quia hinc patet decipi Richardum in ſuo tractatu de Concordia annorum Regum Iuda & Iſrael; qui corruptis codicibus faciliùs quàm par erat fide adhibita, dixit, inde dari intelligi, Amaſiam poſt vigeſimum nonum regni ſui annum, quem Scriptura ſacra vltimum facit, alios quoque decem annos ſuperuixiſſe,interimque ſiue propter infirmitatem,ſiue alia de cauſa ſibi vacaſſe, & filio coronato commiſiſſe negotia regni. Quæ doctrina nullo pacto eſt admittenda, vtpote, quæ ex manifeſtè falſo principio deducta ſit: quemadmodum etiam eadem de cauſa penitus reiicienda eſt expoſitio Lyrani ſuper loco Reg. citato, & nonnullorum dicentium,Amaſiam vixiſſe quidem poſt Ioas viginti quinque annis, ſed decem, quibus, inquiunt, exulauit in Lachis, non computari in annis regni eius: quod falſum eſſe,nos infrà etiam ſub anno mundi 3225.num.2.demonſtrabimus.

OBIECTIO.

RESPONSIO

REFELLITVR RICHARDVS,

ET LYRANVS.

AB ORBE CONDITO ANNVS 3197. | QVINTÆ MVNDI ÆTAT. ANNVS 175.

1 SVB finem anni primi, vt credimus, regni Amaſiæ Regis Iuda,quem annum diximus concurrere pro maiori parte cum tertio regni Ioas Regis Iſrael,ipſe Amaſias, vt primùm ſe in regno firmiter roboratum aduertit, iugulari iuſſit eos qui occiderant patrem ſuum Ioas, filios verò ipſorum interficere noluit, propter Legem quæ habetur Deuter. cap.24. verſ.16. prohibentem occidi patres pro filiis, & econuersò. Profitebatur namque Amaſias in prioribus regni ſui annis diuinarum Legum obſeruantiam: propterea dicitur feciſſe bonum in conſpectu Domini, non tamen in corde perfecto: immò nec ſemper, vt ſub annis 3208. num.3. & 3209. num.1. apparebit; ſed per aliquot dumtaxat regni ſui annos; quemadmodum fecerat Ioas pater eius. Porrò quæ diximus egiſſe Amaſiam, traduntur 4.Reg.cap.14. verſ.3. vſque ad 7.& 2.Paralip. cap.25. verſ.2. vſque ad 5.

ACTA AMASIAE ANNO REGNI SVI PRIMO.

AB

AB ORBE CONDITO ANNVS 3198. QVINTÆ MVNDI ÆTAT. ANNVS 176.

ELISEVS MORTI PROXIMVS PROPHETAT IPSI IOAS DE SYRIS VICTORIAS.

1 ANNO regni Ioas Regis Iſrael, vt arbitror, circiter quarto, qui erat ſecundus regni Amaſiæ Regis Iudæ, audiens Ioas Rex quòd Eliſeus Propheta ægrotaret, deſcendit ad eum; & vt cognouit quòd infirmitas illa eſſet ad mortem, flere cœpit coram eo Rex, ſimulque peramanter compellare virum hiſce verbis: *Pater mi, pater mi, currus Iſrael, & auriga eius.* ac ſi diceret: Cur nos pater deſeris, aut cui nos deſolatos relinquis? Sine te, quem meritò tamquam patrem colimus, & à quo poſt Deum omnis pendet ſpes & fortitudo noſtra; quid opis, quid ſalutis reliquum erit nobis? quid Regi, quid populo hoc tam grandi præſidio deſtitutis fiet? quomodo poterimus potentiæ Syrorum reſiſtere? His atque eiuſmodi querimoniis vir Dei permotus, ac mœſti Regis anguſtias miſeratus, iuſſit afferri arcum & ſagittas: & cùm ſuperpoſuiſſet manus ſuas manibus Regis, dixit ad Regem, vt aperta Orientali feneſtra, inde ſagittam arcu iaceret; quod cùm ille feciſſet: *Sagitta ſalutis Domini*, ait Eliſeus, *& ſagitta ſalutis contra Syriam.* & continuò prophetauit dicens: *Percuties Syriam in Aphec, donec conſumas eam.* Deinde Eliſeo iterùm dicente Regi vt percuteret iaculo terram; ille cùm ter percuſſiſſet, ſubſtitit. cui excandeſcens Propheta ait: Quia ter tantùm percuſſiſti terram, tribus dumtaxat vicibus percuties Syriam; ſi quinquies aut ſepties terram percuſſiſſes, Syriam quoque vſque ad conſumptionem percutere valuiſſes: 4. Reg. c. 13. verſ. 14. vſque ad 21.

ELISEI OBITVS. EIVS EX ECCLESIAST. ELOGIVM.

2. Poſt hæc mortuus eſt Eliſeus, vt ibidem ſubiungitur; & (vt refert S. Epiphanius in vita ipſius) honorificè ſepultus eſt Sebaſtopoli Samariæ. Eximij huius Prophetæ, breue quidem, ſed valdè præclarum habemus elogium Eccleſiaſtici cap. 48. verſ. 13. vſque ad 16. in hæc verba: *Elias quidem in turbine tectus eſt, & in Eliſeo completus* (id eſt duplicatus) *eſt ſpiritus eius: in diebus ſuis non pertimuit Principem* (videlicet Ioram Regem Iſrael, neque alium) *& potentia nemo vicit illum, nec ſuperauit illum verbum aliquod*, (ſiue blandum, ſiue comminatorium, neque vlla res eum à recto dimouere vmquam potuit) *& mortuum prophetauit corpus eius* (hoc eſt, & inaudita illa mortui ſuſcitatio ex contactu cadaueris eius, ipſum verum Dei Prophetam fuiſſe declarauit) *In vita ſua fecit monſtra* (id eſt prodigia) *& in morte mirabilia operatus eſt.* hactenus Auctor Eccleſiaſtici. Sed & S. Iſidorus in vita Eliſei, multa ac ſtupenda quæ edidit miracula, breuiter perſtringit dicens: *Hic gemino Eliæ glorificatus ſpiritu, plurimis atque magnis virtutum ſignis emicuit. Iordanem tranſitu ſuo diuiſum refrænans, vndas retrò conuertit. Aquas Iericho ſteriles, demerſo vaſculo, ad fecunditatem perduxit. Pueros inſultantes ſibi, verbo tradens beſtiis, repentè vorauit. Sanguineas aquas in necem hoſtium decurrere fecit. Inter hæc, ſterilem conceptione fecundauit, eiuſq; filium mortuum ſuſcitauit. Ciborum temperat amaritudinem. Denique ex paucis panibus plebem refecit. reliquias collegit. Et Naaman lepra lauacro Iordanis purgauit. Lepra quoque maledictum aſperſit diſcipulum. Ferrum ſecuris in Iordane merſum, ligno in aquas miſſo ſupernatare fecit. Hoſtes Syriæ cæcitate percuſſit. Mortem incredulo* (hoc eſt vni de Regis Iſrael Principibus) *prædicauit. Fragore quadrigarum fugauit hoſtem. Obſidionem diſperſit. Famem depellit. Poſtremò, poſt mortem, exanimo cadaueri vitam dedit.* hæc Iſidorus.

EIVSDEM MIRACVLA EX S. ISIDORO.

DE ANNIS VITAE IPSIVS.

3. De annis verò vitæ Eliſei, nihil omnino certum ex Sacris libris neque ex Ioſepho habere poſſumus, niſi quòd oportet ipſum tempore mortis ſuæ fuiſſe valdè ſenem. Nihilominùs, ex ſequenti computo ſatis probabiliter coniicere licet, ipſum ad ætatis annos circiter centum duos peruenire potuiſſe: nam circa annũ regni Achab Regis Iſrael decimum, ipſe Eliſeus quando ab Elia vocatus vnctuſque eſt in Prophetam, poterat eſſe annorum circiter triginta; ſiquidẽ in duodecim iugis boum eo tempore iam arare conſueuerat: & credibile etiam eſt, quòd & ipſe, ſicuti poſteà Ezechiel, in ętate perfecta conſtitutus, hoc eſt anno vitæ ſuæ circiter trigeſimo, ſpiritum Prophetiæ acceperit. Sanè à decimo regni Achab anno ad quartũ regni Ioas Regis Iſrael, inueniuntur anni ſeptuaginta duo, vt facilè in noſtris tabulis ſupputari poteſt: quibus ſi addantur anni triginta, quos tum natus fuiſſe creditur; reſultabit prædicta ſumma annorum centum duorum.

QVANDO ELISEI CADAVER MORTVVM SVSCITAVERIT.

4. Eodem anno quo mortuus eſt Eliſeus, vt apertè traditur 4. Reg. cap. 13. verſ. 20. ſub finem, vt creditur, illius anni, & prope introitum ſequentis (vt cum textu Vulgato conciliemus textum LXX. Interpretum dicentem, hoc accidiſſe *ſequenti anno*; & textum Paraphraſis Chaldaicæ dicentis, *in introitu anni*, ſupple, ſequentis) contigit, vt quidam viri pergentes ad mortuum quemdam ſepeliendum, viderent quoſdam latrunculos Moa-

Moabitas contra se venientes, à quibus vt citiùs aufugere possent, derepentè proiecerunt mortuum suum in sepulchro Elisei, quod tum eis propius esse acciderat. Vt autem cadauer illud ossa tetigit Elisei, statim mirabiliter reuixit, atque erexit se super pedes suos: cap. Reg. citato vers. 21. Quo tam insigni miraculo, & numquam anteà audito, placuit diuinæ bonitati simul & singularem Prophetæ sui sanctitatem declarare, & Prophetias eius, præsertim de Syrorum percussione, ita in cordibus Regis ac populi Israelitici confirmare, vt omni pusillanimitate, quam ex continuis præcedentibus cladibus iam contraxerant, penitus deposita, deinceps alacriter sese aduersus Syros erigere valerent. Et fortassis ex huius potissimùm miraculi nouitate factum est, vt sepulchrum eius (quo, vt testatur Iosephus 9. Antiq. cap. 9. valdè magnifico Eliseus honoratus est, quale decuit hominem numini diuino acceptissimum) multis posteà temporibus magno in honore ac veneratione habitum fuerit, quemadmodum scriptum reliquit S. Isidorus vbi suprà. Ceterùm, de illo qui ex contactu ossium Elisei resurrexit, Eusebius Emissenus de Pascha Homil. 2. sic habet: *Sed, vt dicunt Hebræi, statim mortuus est; quia impius erat, & indignus qui iaceret cum viro Dei. Alij dicunt, illum post resurrectionem diutiùs vixisse; & Sellum fuisse vocatum.* sic Emissenus. Verumtamen primam Hebræorum opinionem multis argumentis optimè reprobat Abulensis super cap. Reg. allegato quæst. 20. Quare multò rationabilior est positio illorum, qui prædictum resuscitatum diu posteà vixisse putarunt: tametsi vndénam Emissenus hauserit, quòd ille Sellum vocaretur, incompertum sit.

RATIO ASSERTI MIRACVLI.

QVI RESVRREXIT, DIVNE AN PARVM VIXERIT.

AB ORBE CONDITO ANNVS 3199. — QVINTÆ MVNDI ÆTAT. ANNVS 177.

1 ANNO regni sui quinto circiter incipiente, Ioas filius Ioachaz Rex Israel necesse est quòd secum regnare fecerit Ieroboam filium, vt notat Caietanus super 4. Reg. cap. 15. & ex his quæ sub anno mundi 3225. num. 8. dicemus, comprobari poterit; & hoc tunc factum credimus, quando Ioas Rex parabat primam profectionem suam contra Syros, de qua numero sequenti agemus. Quo fit, vt iste Ioas quattuor dumtaxat annos regnauerit solus, & posteà duodecim cum filio. Igitur

IEROBOAM REGNAT CVM PATRE IOAS.

2. Eodem (vt arbitror) anno, Ioas Rex Israel Elisei Prophetæ vaticinijs animatus, iis præsertim, quæ coram se præcedenti anno sanctus ille vir morti proximus pronuntiauerat, ac nouissimè stupendissimo illo miraculo, quod post ipsius Prophetæ obitum contigerat, confirmauerat; allectus item Rex totius populi promptitudine, ac vniuersali omnium expectatione, instruxit exercitum; & relicto filio Rege iam declarato in Samaria, qui regnum interim gubernaret, ipse copias duxit in Aphec; & inito cum Syris certamine, percussit hostium turmas, grandemque de ipsis victoriam reportauit; & fortè etiam tunc aliquas ex vrbibus, quas pater suus amiserat, recuperauit. Vtrùm autem ipse primus bellum istud Syris intulerit, an à Benadad tum Syrorum Rege sibi illatum propulsare tentauerit, incertum habeo. Quidquid sit, dubitare non debemus, prouidentia Dei suauiter omnia disponentis factum esse, vt Benadad circa regni sui initia, aliis districtus negotiis, non venerit contra Israelem, iam à patre suo Hazaele bellis acerrimè contritum ac eneruatum; vt interim ille populus aliquantisper quiescere, ac vires resumere posset, quibus non modò Syris posteà resistere, sed eosdem quoque superare valeret; iuxta diuinam dispositionem, per os Elisei 4. Reg. cap. 13. vers. 17. prænuntiatam, atque hoc anno (vt dictum est) impleri cœptam.

IOAS REX PRIMAM DE SYRIS VICTORIAM REVEXIT.

AB ORBE CONDITO ANNVS 3200. — QVINTÆ MVNDI ÆTAT. ANNVS 178.

1 ANNO proximo, qui erat regni sui sextus, credimus Ioas Regem Israel secundò conflixisse cum Syris, fortassis multò maiori quàm anteà conatu contra ipsum instructis; & alteram de ipsis victoriam, iuxta memorati Prophetæ vaticinium, retulisse; priori, vt reor, longè gloriosiorem; aliasque item nonnullas eodem tempore terras recuperasse.

ITERVM FELICITER PVGNAT CVM SYRIS.

AB ORBE CONDITO ANNVS 3201. QVINTAE MVNDI AETAT. ANNVS 179.

TERTIO VICIT SYROS.

1 ANNO insequenti, nimirum septimo regni eiusdem Ioas Regis Israel, probabile est, Syros, omnes vires suas contulisse, vt Israelem duabus iam victoriis roboratum atque audaciorem factum reprimerent humiliarentque: sed contrà accidit; nam Deo Israelitis fauente, ipsi potius Syri tertiò victi, & adhuc grauiùs ab illis contriti, inferiores esse, & maiores Israelitarum vires non solùm agnoscere, sed & non mediocriter pertimescere cœperunt; amissis nimirum omnibus ferè vrbibus, quas priùs Israeli abstulerant: 4. Reg. cap. 13. in fine.

AB ORBE CONDITO ANNVS 3208. QVINTÆ MVNDI ÆTAT. ANNVS 186.

AMASIAS BELLVM INFERT IDVMAEIS.

1 ANNO regni Amasiæ Regis Iuda (vt ex numero proximo dicendis probabiliter coniici potest) circiter duodecimo, qui erat regni Ioas Regis Israel decimusquartus, ipse Amasias congregauit exercitum suum de vniuerso Iuda & Beniamin, trecenta millia virorum, vt iret contra Idumæos, qui olim à proauo suo Ioram filio Iosaphat Rege Iuda rebellauerant, vt sub anno mundi 3146. num. 1. dictum est. Et insuper maiorem vincendi fiduciam ponens in multitudine ac robore exercitus quàm in Domino, conduxit quoque de Israel centum millia (Iosephus perperàm habet viginti millia) bellatorum fortium, centum talentis argenti. Sed hac de re à viro Dei redargutus, dimisit Israelitas, qui propterea indignati valdè, post Amasiæ cum Iudæorum exercitu discessum, diffusi sunt per ciuitates Iuda: vbi sparsim interfecerunt ad tria millia hominum; ablataque ingenti præda, reuersi sunt in regionem suam. Intereà Amasias, deductis in Idumæam copiis, percussit de Idumæis decem millia, & totidem viuos cepit in valle Salinarum, vbi olim Dauid, parta grandi victoria, fecerat sibi nomen, quemadmodum sub anno mundi 2992. num. 2. diximus. & prætereà apprehendit Amasias petram, quam aliqui putant fuisse famosam illam Idumeæ vrbem, quæ nunc quoque Petra dici perhibetur, ex cuius nomine pars quædam Arabiæ, Petrea denominata est. Quidam autem putant, quòd fuerit excelsa quædam & lata petra in illis montibus posita, ad quam magna Idumæorum pars de prælio fugata confugerat, & ibidem tamquam in valdè eminenti tutoque loco sese receperat. Denique alij opinantur fuisse illam petram, cuius fit mentio in cap. Paralip. proximè notando; vbi dicitur, quòd Iudæi victores duxerunt decem mille Idumæos in memorato conflictu captos ad quamdam petram, ac de eiusdem petræ præruptu præcipitantes interemerunt. Et hoc probabilius videtur; tum quia sic etiam sensit Iosephus 9. Antiq. cap. 10. tum verò maximè, quoniam hoc pacto, alter Scripturæ locus per alterum exponitur; & item, quia Codices sacri correctiores loco Reg. citando scriptum habent *petra* nomen non cum prima littera maiuscula, vt factum esset si nomen inclytæ vrbis significaret; sed cum paruo; hoc signo indicantes, ibi *petram* in sua tantùm vulgari seu communi significatione esse accipiendam. Porrò prænarrata historia describitur 4. Reg. cap. 14. vers. 7. & 2. Paralip. cap. 25. vers. 5. vsque ad 14.

PERCVTIT EOS INGENTI PLAGA.

DE ANNO MEMORATAE VICTORIAE.

¶ 2. Diximus Amasiam hoc circiter anno inuasisse Idumæam; tum quia rationabile admodum est credere, ipsum non priùs tam grauem expeditionem moliri ausum fuisse, ob nimiam pecuniæ hominumque penuriam, in qua eum reliquerat pater suus Ioas, quando à Syris contritus, infinitam propè hominum multitudinem, omnesque populi sui Principes amiserat; & pro se redimendo cunctos regiæ cameræ ac Domus Domini thesauros exhauserat. Quamobrem credibile est, Amasiam, tametsi fortassis multò anteà in animo habuerit bellum Idumæis inferre, quòd aliàs à regno Iudæ defecissent: tamen hactenus illud differre coactum fuisse, donec scilicet instauratis thesauris & aucto populo commodè posset illud suscipere & conficere. Tum etiam, quoniam non multis post hanc victoriam annis creditur Amasias contra se prouocasse Ioas Regem Israel, & ab eo fuisse in bello captum: & Amasiæ captiuitas contigit anno regni eius decimoquarto, vt sub anno mundi 3210. num. 1. ex Iosepho ostendemus.

AMASIAS PARTA DE IDVMAEIS VICTORIA, DEOS EORVM VENERATVR

3. Ceterùm Amasias, post cædem Idumæorum, tulit secum deos illorum; & oblitus Domini Dei sui, cuius ope & fauore tam grandem consecutus fuerat victoriam, ingratissimus adorabat eos. Quin etiam à quodam Propheta vice Domini correptus, audire con-

contempsit; & quod grauius fuit, salubriter corripientem superbè nimis à se repulit, minitatus ei necem, nisi eum ampliùs de hac re monere desisteret. Quamobrē ille abiens, prædixit idcircò, Amasiam, Deo sic permittente, proculdubiò occisum iri: quod posteà reipsa euenisse, suo loco dicetur. Sed priùs alias quoque eidem Amasiæ iratus Dominus præmisit calamitates. Et primò quidem, iusto Dei iudicio permissus est à vehementi quodam nimisque inordinato elationis ac temeritatis spiritu occupari & inflari, pessimisque quibusdam consiliis decipi, ac tandem à Rege Israel capi, admodumque affligi, vt paulò pòst dicemus: 2. Paralip. cap. 25. vers. 14. vsque ad 17. PROPHETAM SE CORRIPIENTEM SVPERBE REPELLIT. CASTIGATVR A DOMINO.

¶ 4. Quis autem fuerit ille Propheta, quem misit Dominus ad arguendum Amasiam, incertum est: tametsi non videretur omnino improbabile arbitrari, fuisse Amos; illum inquam Amos, qui in duodecim Prophetis minoribus tertius ponitur; si verum esset, quòd ipse prophetare cœpisset in diebus Amasiæ Regis Iudæ, quemadmodum ex S. Isidoro colligi potest; qui in Vita ipsius Amos ait, quòd eum Amasias Rex frequenter plagis afflixit; nouissimè verò Ozias filius eius vecte per tempora transfixo, necauit. Sed quod S. Isidorus de Amasia Rege tradit, S. Epiphanius in Vita dicti Amos tribuit cuidam Amasiæ Sacerdoti idolorum in Bethel, qui eidem Prophetæ acriter aduersabatur, vt colligitur Amos cap. 7. vers. 10. & sequentibus. Quamobrem Auctor Martyrologij Romani, sub titulo Pridie Kal. Aprilis, secutus S. Epiphanium, dicit, Amos Prophetam ab Amasia Sacerdote multa passum; tandem ab Ozia filio eius fuisse necatum. Et hoc probabilius videtur; præsertim cùm constet, Prophetiam ipsius Amos, non regnante Amasia, sed Ozia esse scriptam, vt patet ex ipsomet eiusdem Prophetiæ initio, & nos infrà sub annis mundi 3238. num. 4. & 5. & 3248. num. 1. comprobabimus. Et præterea non est verisimile, quòd ipse Ozias Rex, qui numquam legitur ad idola declinasse, adeò crudeliter necauerit Prophetam Domini. QVISNAM FVERIT MEMORATVS PROPHETA.

AB ORBE CONDITO ANNVS 3209.	QVINTÆ MVNDI ÆTAT. ANNVS 187.

1 ANNO proximo, Amasias Rex Iudæ in cultu deorum quos tulerat de Idumæa obstinatiùs perseuerans, & ob victoriam præcedenti anno habitam, sed multò magis ob impietatem suam insolentior factus; diuina permissione, vt scilicet meritas impietatis suæ pœnas exolueret, incidit in consilium pessimum; persuadens sibi, se posse vniuersum Israëlem imperio suo subiugare: tametsi sciret, aut scire debuisset, diuisionem regni Israel à regno Iuda olim, Deo sic volente, fuisse factam; quemadmodum prædixerat Ahias Silonites Ieroboamo filio Nabat, & posteà protestatus fuerat Semeias vir Dei Roboamo filio Salomonis, quando præparabat pugnare contra Israëlem, vt reduceret eum sub ditionē suam; sicuti sub annis mundi 3058. n. 2. & 3060. num. 1. dictum est. His non obstantibus, cogitabat infelix Amasias, vt dixi, bellum inferre Regi Israel, si non ei obtemperare promitteret. Quare sub finem (vt arbitror) huius anni misit nuntios ad Ioas Regem Israel; qui demiratus temerarias, ne dicam insanas hominis cogitationes, proposita parabola de inepta humilis cardui competentia cum cedro excelsa montis Libani, remisit nuntios, admonens Amasiam ne se extolli nimiùm sineret ob victoriam de Idumæis reportatam; sed magis ea contentus, consideraret regni sui paruitatem, & Israëlis magnitudinem atq; potentiam, præsertim post Syros toties deuictos ac humiliatos tantopere auctam; & proptereà saniori consilio acquiesceret, ac desineret prouocare contra se malum. Vt autem intellexit Ioas Rex Israel, quòd Amasias Rex Iuda monita sua audire noluisset, sed nihilominùs in bellandi sententia persisteret; non fuit segnis præparare se ad bellum; quin potiùs hostem præuenire curauit: 4. Regum cap. 14. vers. 8. vsque ad 11. & 2. Paralip. cap. 25. v. 17. vsque ad 21. AMASIAS IDOLOLATRA IN SVPERBIAM ERIGITVR.

AB ORBE CONDITO ANNVS 3210.	QVINTÆ MVNDI ÆTAT. ANNVS 89.

1 ANNO itaque sequenti ineunte, qui erat regni Amasiæ decimusquartus, vt testatur Iosephus 9. Antiq. cap. 10. in fine, ascendit Ioas Rex Israel cum exercitu suo contra Amasiam Regem Iuda existentem cum suis copiis in Bethsames Iudæ, cuius fit mentio Iosue cap. 15. vers. 10. ad differentiam alterius Bethsames, quæ erat in tribu Issachar, vt patet Iosue cap. 19. vers. 22. Igitur in Bethsames Iudæ, non IOAS REX ISRAEL FELICITER PVGNAT CONTRA AMASIAM

CAPTVM AMASIAM SPOLIAT THESAVRIS longè à finibus vtriusque regni, commissum est prælium; & corruit Iudas coram Israële, & Amasias Rex victus captusque est à Ioas Rege Israel: qui ingressus cum eo in Ierusalem, destruxit murum eius, à porta quæ dicebatur Ephraim, vsque ad portam Anguli, longitudine quadringentorum cubitorum: & ablato omni auro atque argento quod repertum est in thesauris domus regiæ, & in Domo Domini, & apud Obededom, qui tum forte custos erat thesaurorum eius; relicto ibi Amasia, ipse cum obsidibus reuersus est in Samariam: 4. Reg. cap. 14. vers. 11. vsque ad 15. & 2. Paralip. cap. 25. vers. 21. vsque ad 25.

OZIAE ORTVS. 2. Circa initia quoque eiusdem anni regni Amasiæ decimiquarti, necesse est natum esse Oziam siue Azariam (vtroque enim nomine nuncupari solebat) filium ipsius Amasiæ, ex vxore eius Iechelia de Ierusalem, vt colligitur 2. Paralip. cap. 26. vers. 3. siquidem ipse Ozias successit patri in regno Iudæ, annos natus sexdecim, vt sub anno mundi 3225. num. 3. vsque ad 8. fusius probabitur. Sanè à decimoquarto regni Amasiæ anno ad vigesimum nonum, qui fuit eiusdem Amasiæ postremus, computatione, quam vocant, vtrimque inclusiua, inueniuntur præcisè anni sexdecim.

IOAS REX ISRAEL MORITVR. 3. Sub finem verò eiusdem anni regni Amasiæ Regis Iudæ decimiquarti, mortuus est Ioas Rex Israel: quod ex triplici capite fit manifestum. Nam tunc completi sunt sexdecim anni, quibus ipse regnasse dicitur, vt videri potest in tabulis, supputando nimirum illos ab obitu patris sui Ioachaz; quemadmodum supputari eos debere ostendimus sub anno mundi 3196. num. 3. Deinde, quia posito, Ioas hoc tempore decessisse, adamussim impletur ac veridica redditur Scriptura, quæ 4. Reg. cap. 14. vers. 17. & 2. Paralipom. cap. 25. vers. 25. asserit, Amasiam vixisse quindecim annis postquam mortuus est Ioas Rex Israel: etenim ab exitu anni decimiquarti regni Amasiæ ad finem vigesimi noni, præcisè numerantur anni quindecim. Denique memorata positio confirmatur; quoniam certum est, anno proximo regnare cœpisse Ieroboam filium ac successorem præfati Ioas, vt ex ipsamet sacra Scriptura consequenter probabimus.

AB ORBE CONDITO ANNVS 3211. | QVINTÆ MVNDI ÆTAT. ANNVS 189.

IEROBOAM FILIVS IOAS REGNAT POST PATREM IN ISRAEL. 1 Anno decimoquinto regni Amasiæ filij Ioas Regis Iuda, regnauit Ieroboam (huius nominis secũdus) filius Ioas Regis Israel in Samaria solus, quadraginta & vno annis, vt expresè traditur 4. Reg. c. 14. v. 23. Quare non recipiendus est Iosephus, qui 9. Antiq. c. 11. prope medium capitis dicit, eumdem Ieroboam, exactis feliciter in Principatu suo annis quadraginta, mortuum esse. Rabbi Abraham bar Meir bar Ezra, id est filius Meir filij Esdræ, qui communiter sub nomine Abben Ezræ citari solet, fuitque inter Hebræos Christo posteriores vir magni nominis: siquidem Theologus, Astronomus, & Philosophus fuisse dicitur, & scripsisse Commentaria in tota Biblia, & speciatim vnum in Danielem anno nostræ salutis 1144. & anno sequenti in vrbe Rhodo alterum in duodecim Prophetas minores: iste, inquam, Rabbinus (quem citat sequiturque Genebrardus lib. 1. suæ Chronologiæ, vbi incipit agere de Regibus Israel) super cap. 13. Osee, asserit memoratũ Ieroboam fuisse de tribu Ephraim. Hoc si verum est, oportet idem quoque necessariò fateri de Ioas patre, & de Ioachaz auo, & de Iehu pro auo, & pariter de Zacharia filio eius, qui omnes successiuè vnus post alterum regnarunt super Israel: & consequenter credi potest vera esse quæ de dicta tribu Ephraim dicuntur, videlicet, eam per multa tempora sceptrum tenuisse in Israel. Quod & clariùs persuaderi poterit, si prædictis Regibus addiderimus quæ nos sub anno mundi 2345. num. 3. diximus de Ieroboam primo Israëlis Rege, & de Nadab filio eius, & sub anno 3117. nu. 1. de Amri, Achab, Ochozia, & Ioram Regibus Israel, quòd

GESTA EIVS. scilicet & ipsi omnes fuerint de tribu Ephraim. Porrò Ieroboam, de quo nunc agimus, fuit omnium Regum Israel bellicosissimus ac fortissimus, atque humana felicitate super omnes prædictos Reges valdè conspicuus; quippe qui plus ceteris regnauit: ceterorum enim nemo ad trigesimum regni annũ peruenit, ipse verò etiam quadragesimum excessit. Et prætereà restituit Israëli non solùm omnes vrbes quas eidem abstulerat Hazael Rex Syriæ, his dumtaxat exceptis, quas pater suus Ioas recuperauerat; sed illas quoque, quæ sub finem regni Salomonis ab ipso defecerant, nimirum in Syria Damasci & in Syria Emath, quas ipse Ieroboam denuò subiugauit Israëli; ita vt in ea parte, termini Israëliticæ ditionis pænè essent illimet, qui olim fuerant Dauidis ac Salomonis temporibus:

ribus, 4.Reg.cap. 14.verf.25.& clariùs verf.28. Porrò res geftæ dicti Ieroboam, tametsi multæ ac præclaræ fuerint, quia tamen breuiffimo in Scripturis facris compendio perftringuntur, propterea per propria digeri tempora minimè poffunt. Quare de ipfis breuiter hoc loco meminiffe fat fit: fi tamen illud addiderimus, Deum Opt.Max.non ideò tantam in re bellica felicitatem Ieroboamo præftitiffe, quòd vir bonus effet; quin potiùs, Scriptura facra cap.Reg.citato verf.24.atteftante, fuit vir malus & idololatra, ficut omnes prædeceffores eius; & præcipuè ficut alter Ieroboam filius Nabat, qui primus fecerat vitulos aureos, vt diuerteret Ifraëlitas à cultu Domini, & ab afcenfu ad Templum Ierofolymitanum: fed ideò per ipfum Ieroboam fecit Dominus falutem magnam in Ifrael, quoniam (quemadmodum ex 4.Reg.cap.13.v.22. fub anno mundi 3193.num.2.dictum eft) fub finem regni Ioachaz aui iftius Ieroboam, orante ipfo Ioachaz, mifertus fuerat Dominus Ifraëlis, videns afflictionem eius amaram valdè, quam ab Hazaële Syrorum Rege patiebantur cunctis diebus ipfius Ioachaz, ita vt iam pænè omnes confumpti effent, & pauci qui remanferant, veluti in carcere fine vllo refugio claufi viderentur; & idcircò, ad fubleuandum populum fuum, promiferat Dominus dare ei faluatorē, propter pactum (vt ibidem dicitur) quod habebat cum Abraham, Ifaac, & Iacob. Et hæc funt quæ breuiter tanguntur 4.Reg.cap.14.verf.24. vfque ad finem capitis. Vbi etiam adiungitur, quòd prædictas de Syris victorias retulit memoratus Ieroboam, iuxta fermonem Domini Dei Ifrael, quem locutus eft per feruum fuum Ionam filium Amathi Prophetam, qui erat de Geth, quæ eft in Opher. Per quod datur intelligi, iftam Geth non effe vrbem illam infignem Philifthinorum, de qua ortus eft Goliath Getheus gigas; fed aliam obfcuriorem, feu viculum quemdam exiftentem fub ditione vrbis Opher, quæ olim connumerabatur inter vrbes regias terræ Chanaan à Iofue captas, vt patet Iofue c.12.v.17. De ifta Geth B.Hieronymus in Procemio fuper Ionam Prophetam fic ait: *Porrò Geth in fecundo Sephorim milliario, quæ hodie appellatur Diocæfaria euntibus Tiberiadem, haud grandis eft viculus, vbi & fepulchrum eius oftenditur. Quamquam alij iuxta Diofpolim, id eft Lyddam, eum & natum & conditum velint: non intelligentes hoc quod additur* Opher, *ad diftinctionem aliarum Geth vrbium pertinere, quæ iuxta Eleutheropolim, fiue Diofpolim hodie quoque monftrantur*: hæc S. Hieronymus.

CVR DEVS IMPIO REGI TAMTAM FELICITATEM INDVLSERIT.

DE DVPLICI GETH.

2. Ceterùm, ex loco Reg.citato quinque admodum notatu digna inferri poffunt. Primum eft, hunc Ionam proculdubiò effe illum, qui inter duodecim Prophetas minores quinto loco in Sacris libris ponitur: fiquidem ipfemet in principio fuæ Prophetiæ, filium Amathi fe nominat. Alterum eft, dictum Ionam prophetaffe temporibus Ieroboam filij Ioas Regis Ifrael; quod ex Prophetia eius colligi non poterat, vbi nulla temporis fit mentio. Tertium eft, eumdem Ionam non ea folùm quæ in eius Prophetia habentur prophetaffe, fed alia quoque prædixiffe, nimirùm faltem victorias Ieroboami Regis Ifrael de Syris poftea reuectas; de quibus nihil prorfus in dicta eius Prophetia agitur. Quartò, Prophetiam eius ad hæc circiter tempora pertinere; quod etiam ex Iofepho 9.Antiq.c.11.apparet, & nos fub anno mundi 3215. num.2. comprobabimus. Denique, non effe recipiendam illam Hebræorum traditionem, quam refert B.Hieronymus vbi fuprà, his verbis: *Tradunt autem Hebræi, hunc* (& loquitur ibi de Iona) *effe filium Viduæ Sareptanæ, quem Elias Propheta mortuum fufcitauit; matre poftea dicente ad eum: Nunc cognoui quia vir Dei es tu, & verbum Dei in ore tuo eft veritas. Et ob hanc caufam, etiam ipfum puerum fic vocatum. Amathi enim in noftra lingua veritatem fonat. & ex eo quòd verum Elias locutus eft; ille qui fufcitatus eft, filius effe dicitur veritatis.* hucufque S.Hieronymus. Sed fi Ionas fuit de Geth, vt dictum eft, & ipfe fe Hebræum fuiffe teftatur cap.1.verf.9.fuæ Prophetiæ; non videtur potuiffe filius effe mulieris Sareptanæ, quæ non in terra Hebræorum, fed in Sarepta Sidoniorum habitabat. Et prætereà oporteret ipfum Ionam fuiffe centum circiter annorum, vel ampliùs, quando miffus fuit prophetare & prædicare Niniuitis pœnitentiam, vt ex tabulis dignofci poterit. Et non eft verifimile, quòd Scriptura facra, quæ aliàs de Prophetis verba faciens, folet interdum nomina patrum ipforum propria ad litteram indicare, nunc tantummodò metaphoricè loqui voluerit, dicens, Ionam effe filium Amathi, hoc eft veritatis; & non potiùs propriè intellexerit Amathi, quatenus proprium viri nomen erat. Ex his aliifque rationibus, quas adfert Abulenfis fuper 3.Reg.cap.17.quæft.32. & 4.Reg.cap.9.quæft.3. & cap.14. quæft.22. fatis patere poteft, memoratam Hebræorum traditionem effe reijciendam.

DE IONA PROPHETA

AB ORBE CONDITO ANNVS 3214. | QVINTÆ MVNDI ÆTAT. ANNVS 192.

OCRAZAPES REX ASSYRIORVM MORITVR.

1 ANNO regni Amasiæ Regis Iuda decimooctauo circiter desinente, oportet decessisse Ocrazapem Regem Assyriorum: hoc enim tempore, vt videre est in tabulis, desinunt anni quadraginta vnus, quos ipsum regnasse scriptum reliquit Eusebius in Chronicis.

AB ORBE CONDITO ANNVS 3215. | QVINTÆ MVNDI ÆTAT. ANNVS 193.

REGNAT IN ASSYRIA SARDANAPALVS.

QVOD NON FVERIT VLTIMVS ASSYRIORVM REX.

1 ANNO proximo, nimirum regni Amasiæ Regis Iuda decimonono, & Ieroboam Regis Israel ab obitu patris sui quinto circiter inchoante, regnauit in Niniue Tonosconcoleros, qui Græcè dicitur Sardanapalus, Rex Assyriorum trigesimus sextus, quem memorato Ocrazapi successisse tradit Eusebius in Chronicis. Hunc idem Eusebius ibidem, & alij ipsum sequentes, putant fuisse vltimum Regem Assyriorum; quia sub ipso credunt à Medis & Babyloniis captam vastatamq; fuisse Niniuem, & Assyriorum Imperium translatum tunc fuisse ad Medos. Verumtamen licet verum sit, Niniuem anno vigesimo circiter desinente regni ipsius Sardanapali captam fuisse ac subuersam, vt sub anno mundi 3234. num. 1. & 2. dicemus: non tamen admittere debemus, tunc finem habuisse Assyriorum Imperium: quia ex ipsamet sacra Scriptura perspicuè constat, deinceps alios quoque plures extitisse Reges Assyriorum, & quosdam fortasse præcedentibus potentiores, vt sub anno mundi 2016. num. 5. diximus; & infrà etiam, sub anno mundi paulò antè citato, latiùs ostendemus, euidentiusque confirmabimus.

QVOD POENITENTIAM EGERIT IN PRAEDICATIONE IONAE.

2. Probabile item valdè est, eumdem Sardanapalum fuisse illum Niniue Regem, qui cum Principibus suis & vniuerso populo pœnitentiam egit in prædicatione Ionæ, quemadmodum in eius Prophetiæ c. 3. legimus: nam tempora ipsius Sardanapali prorsus conueniunt cum tempore prædicationis Ionæ; quandoquidem regnante Sardanapalo in Niniue, regnabat Ieroboam filius Ioas in Israel, vt patet apud Eusebium in Chronicis; & nos iam sub anno mundi 3211. n. 2. ex sacra Scriptura probauimus, quòd regnante dicto Ieroboam, prophetabat Ionas. Et prætereà communior sententia Doctorũ est, Ionam ijsdem prophetasse temporibus, quibus prophetarunt Osea & Amos; quos ipso regnante Ieroboam prophetasse, ex initiis Prophetiarum ipsorum manifestum est.

OBIECTIO.

Neque prædictis obstat, quòd Ethnici Scriptores prodiderint, Niniuem sub dicto Sardanapalo fuisse vastatam; Scriptura verò sacra dicat, eamdem prædicante Iona pœnituisse, ac ieiuniis aliisque veræ pœnitentiæ actibus, à Deo obtinuisse ab ipsa interitus comminatione præseruari:

RESPONSIO.

quia vtrumque verum esse potest, si diligentiùs attendamus quæ hac de re scribit Diodorus Siculus lib. 3. de Antiquorum gestis, sub finem capitis 1. Non enim dicit, Arbacem Medum & Belosum Babylonium, quando à Sardanapalo eorum domino deficientes, eidem bellum intulerunt, statim aduersus ipsum præualuisse, vrbemque regiam expugnasse; sed contrà, ipsos priùs multoties à Rege victos profligatosque fuisse, ita vt se quidquam ampliùs contra ipsum moliri iam posse desperarent. Verumtamen postremò tandem ad dicti Belosi instantiam, qui ex astrorum obseruatione, quam mirificè profitebatur, militibus certam de Sardanapalo Rege victoriam pollicebatur, præuidereque se prædicabat, breuî destructum iri Assyriorum Imperium: resumptis denuò viribus, rursus cum Sardanapalo conflixisse; ac exercitu eius trucidato, ipsum Regem biennio in Niniue obsessum, vt demum seipsum cum regia incendio traderet, compulisse; ac non multò pòst, vastata Niniue, Arbacem, qui fortè Beloso potentior erat, Imperium ad Medos transtulisse. Ex quibus liquidò apparet, aliquot annos inter vnanimem illam Arbacis ac Belosi conspirationem aduersus Sardanapalum, & ipsius Niniue excidium intercessisse: & consequenter, non esse inconueniens coniectari, Dominum iam ex tunc, quando prædicti Duces à Rege suo rebellarunt, disposuisse voluisseque Niniuem subuertere, propter peccata Niniuitarum, & inauditas Sardanapali abominationes, satis superque posteà à præcitato & aliis Ethnicis Auctoribus euulgatas, nisi resipiscerent. Et idcircò ex vna parte memoratos Duces ad insurgendum contra proprium Regem, bellumq; ei inferendum excitasse; ex alia verò, eodem tempore misisse Ionam Prophetam, qui prædicaret Niniuitis Regique ipsorum pœni-

pœnitentiam. Videns autem quòd resipuissent, distulisse vindictam; ac tunc quidem concessisse plurimas Regi de perduellibus victorias: deinde verò, cùm non multos post annos ad pristina peccata Rex populusque rediissent, demum tradidisse eos vrbemque hostibus in direptionem atq; in exterminium; quemadmodum sub anno mundi 3234. num. 1. vsque ad 5. pleniùs explicabimus.

AB ORBE CONDITO ANNVS 3225. | QVINTÆ MVNDI ÆTAT. ANNVS 203.

1 ANNO regni Amasiæ Regis Iudæ vigesimo nono, vt numero proximo probabitur, facta est in Ierusalem coniuratio magna contra ipsum Regem Amasiam, eò quòd recessisset à Domino, & in idolorum cultu perseuerans, esset in causa, quòd Deus multas populo ac regno Iudæ permitteret euenire calamitates. Quod cùm cognouisset Rex, nec aliter tunc tueri se posse speraret, propter conspirantium multitudinem ac potentiam, declinare statuit ab eis; ideòque fugit in Lachis: 4. Reg. cap. 14. vers. 19. & 2. Paralip. cap. 25. vers. 27. Erat autem Lachis vrbs tribus Iudæ, vt patet Iosue cap. 15. vers. 39. vbi putauit Amasias securiùs se posse viuere; siue quia illa vrbs esset valdè tuta & benè munita, siue quia habitatores illius essent erga ipsum meliùs affecti. Quamquam autem Scriptura sacra simpliciter dicat, ipsum fugisse; credendum tamen est, Regem honoris sui causa, quantum potuit, fugam occultare studuisse, honestamque aliquam discedendi ab Ierusalem, & morandi in Lachis occasionem arripuisse. Et quoniam sciebat, contra se esse odium Iudæorum, & memoratam coniurationem; non autem contra domum suam, sicuti fuerat Israelitarum temporibus Roboam filij Salomonis, quando dicebant, *Quæ nobis pars in Dauid? vel quæ hereditas in filio Isai?* &c. propterea credimus Amasiã reliquisse in Ierusalem Oziam filium suum, bonæ spei adolescentulum, quem nouerat in oculis populi valdè esse acceptum: & ne occasionem daret coniuratis cogitandi de eligendo sibi Rege alterius stirpis; quod facilè fecissent, nisi vidissent in Ierusalem legitimum regni successorem, eximiæ pietatis signa præseferentem, & cunctis gratum. Itaque Iudæi, vt viderunt Oziam relictum in Ierusalem, quòd sperarent ipsum longè meliùs posse regnum administrare, quàm pater eius fecerat; & quòd crederent ipsos interim faciliùs posse adolescentulum suadere atque inducere ad ea quæ communi bono magis conducerent, peragenda: tametsi eum publicè in Regem eligere non sunt ausi, donec superuixit pater eius Amasias; tamen statim, audita nece eius, id fecerunt. Quin etiam intra modicum illud tempus in quo mansit Amasias in Lachis, Ierosolymitæ quodammodò tamquam pro Rege habebant Oziam, vt videtur innui 4. Reg. cap. 14. vers. 22. & 2. Paralip. cap. 26. vers. 2. vbi dicitur quòd Ozias *ædificauit Aelath, & restituit eam Iudæ, postquam dormiuit Rex cum patribus suis.* Ex quibus verbis perspicuè infertur, ipsum habuisse aliquam regni administrationem, etiam antequam interfectus fuisset pater eius Amasias; alioqui ineptè viderentur addita illa verba: *Postquam dormiuit Rex cum patribus suis.*

AMASIAS OB SVORVM CONTRA SE CONSPIRATIONEM FVGIT IN LACHIS.

¶ 2. Diximus, Amasiam, vt declinaret conspirationem contra se factam, fugisse in Lachis, anno regni sui postremo: quoniam credimus opinionem illorum, qui putant eamdem coniurationem & fugam accidisse decennio ante eius interfectionem, esse omnino falsam & erroneam, vtpote ex quibusdam deprauatis codicibus deductam, qui 4. Reg. cap. 14. vers. 17. habent, Amasiam vixisse annos viginti quinque post obitum Ioas Regis Israel, quem sub anno mundi 3210. num. 3. probauimus decessisse anno regni Amasiæ decimoquarto circiter desinente. Vnde sequeretur, Amasiam regnasse annis triginta nouem, videlicet quattuordecim ante obitũ dicti Ioas, & viginti quinque post. Et quia apertè Scriptura sacra 4. Reg. cap. 14. vers. 2. & 2. Paralip. cap. 25. vers. 1. dicit, Amasiam regnasse tantùm annos viginti nouem; dicunt Scripturam sacram non computasse annos decem quibus exulauit in Lachis. Sed contrà nos dicimus, id nullatenus esse admittendum; quia hoc esset totam destruere sacram Chronologiam: posset enim idem dici aut suspicari de aliis Regibus; nimirum, aliquos regni eorum annos ignotis quibusdã de causis in Sacris libris fuisse prætermissos. Præterea sub anno mundi 3196. num. 4. iam probauimus, prædictos codices omnino esse corrigendos, vt pro *viginti quinque* dicant *quindecim*; quemadmodũ habent alij emendatiores & maioris in S. Ecclesia auctoritatis. Denique ex his quæ dicuntur 4. Reg. cap. 14. vers. 19. nimirum, quòd quando Amasias fugit in Lachis, coniurati miserunt post eum qui occiderent eum ibi: proculdubiò datur intelligi, eos non decennio post, sed statim vel non multò post discef-

NON ESSE VERVM QVOD AMASIAS DECENNIO EXVLAVERIT IN LACHIS.

discessum Regis, misisse qui occiderunt eum, vt notauit etiam Abulensis super cap. Reg. proximè citato q. 15. Igitur reiicienda est prædicta positio, de decem annis exilij Amasiæ Regis in Lachis. Quis enim credat, Regem per tam longum tempus non potuisse præualere aduersus coniuratos sibi subditos; aut clàm datis mandatis, vt illi priùs occiderentur; aut etiam palàm, si opus fuisset, exercitu contra eos comparato? Quare proculdubiò tenendum est, prædictam coniurationem & fugam hoc eodem anno accidisse, & sub finem eiusdem anni eumdem Amasiam interfectum fuisse. Id enim etiam indicat Sacer textus, qui tum 4. Reg. adducto, tum 2. Paralip. cap. 25. vers. 27. coniunctim tria hæc narrat; nempe coniurationem factam, & Regis fugam, atque ipsius internecionem; tamquam successiuè singula nullo longi temporis interstitio subsecuta. Cetérùm, hoc tempore interfectum fuisse Amasiam Regem Iuda in Lachis per quosdam de Ierusalem illuc à coniuratis transmissos, & deinde reportatum fuisse cadauer eius in Ierusalem, ac sepultum cum patribus suis in ciuitate Dauid, vt dicitur locis Reg. & Paralip. proximè allegatis, inde fit manifestum; quia, vt videri potest in tabulis, sub finem huius anni complétur viginti nouem anni, quibus ipse Amasias regnasse dicitur 4. Reg. cap. 14. vers. 2. & 2. Paralip. cap. 25. vers. 1. & apud Iosephum 9. Antiq. cap. 10. in fine. & pariter expleti sunt anni quindecim, quibus vixisse dicitur post mortem Ioas Regis Israel, vt paulò antè satis superque probatum est.

DE TEMPORE QVO COEPIT REGNARE OZIAS.

3. Vtrùm autem continuò post occisionem Amasiæ Regis constitutus fuerit Rex ab vniuerso populo Ozias, qui & Azarias, filius eius, sexdecim tum annos natus, quemadmodum legimus 4. Reg. cap. 14. vers. 21. & 2. Paralip. cap. 26. vers. 1. valdè controuersum est. Et ratio difficultatis est, quia ex vna parte Iosephus lib. 9. Antiq. cap. 11. & Eusebius in Chronicis, ponunt initium regni Oziæ statim post interitum patris sui Amasiæ; licet in assignando anno regni Ieroboam Regis Israel, in quo regnare cœpit Ozias in Iuda, non conueniant, propter diuersam supputandi rationem ab eis initam: Iosephus enim, quia credidit Ieroboam regnare cœpisse sub finem anni decimiquinti regni Amasiæ, ponit initium regni Oziæ in anno decimoquarto regni Ieroboam, videlicet sub finem anni, qui iuxta eius computum erat vltimus regni Amasiæ. Eusebius verò, quia malè posuerat primum annum regni Ieroboam concurrisse cum anno decimooctauo regni Amasiæ; ideò coactus fuit ponere, Oziæ primum concurrere cum decimotertio ipsius Ieroboam. Licet, inquam, in hoc Iosephus, & multò magis Eusebius, decepti sint; quia, vt sæpiùs iam dictum est, Scriptura sacra manifestè testatur, Amasiam Regem Iuda vixisse annos quindecim post mortem Ioas Regis Israel: ex quo sequitur, eumdem Amasiam necessariò regnasse annis quindecim in Iuda, regnante Ieroboam prædicti Ioas filio in Israel; & consequenter, eosdem Auctores debuisse ponere, initium regni Oziæ contigisse sub finem eiusdẽ anni decimiquinti regni Ieroboam, quemadmodum nos fecimus: attamen, vt dixi, ambo in hoc satis conuenienter concurrere videntur, quòd Ozias continuò post obitum Amasiæ patris sui regnare cœperit. Et idem videtur satis apertè insinuare Scriptura sacra, quæ 4. Reg. cap. 14. vers. 21. & 2. Paralip. cap. 26. vers. 1. statim & immediatè post descriptam interfectionem sepulturamque Amasiæ, subiungit creationem Oziæ in Regem, tamquam tunc protinus à populo factam. Ex alia verò parte, eadem Scriptura sacra 4. Reg. cap. 15. vers. 1. expressè dicit, eumdem Oziam regnare cœpisse anno vigesimo septimo regni Ieroboam. Quo posito, necessarium est alterum de duobus sequi; videlicet, Vel Amasiam regnasse annis quadraginta & vno, quod locis Scripturæ sacræ & Iosephi sub finem præcedentis numeri citatis manifestè aduersatur: Vel ponenda esse duo Interregna; alterum duodecim ferè annorum in regno Iudæ, inter mortem Amasiæ & initium regni Oziæ filij eius; & posteà alterum viginti quattuor circiter annorum in Regno Israel, inter obitum Ieroboam & principium regni Zachariæ filij eius. Probatur vtraque illatio. Nam si Ieroboam regnare cœpit anno decimoquinto regni Amasiæ, vt expressè traditur 4. Reg. cap. 14. vers. 23. & apud Iosephum 9. Antiq. in principio capitis 11. ergo ad minus Amasias regnauerat annos quattuordecim antequã regnare cœpisset Ieroboam: his iunge alios viginti septem annos (diximus enim Oziam cœpisse regnare anno vigesimo septimo regni Ieroboam) & fient omnes regni Amasiæ anni quadraginta & vnus. Atqui Amasias regnauit annis dumtaxat viginti nouem, vt sæpiùs probatum est; ergo à fine regni Amasiæ ad initium regni Oziæ, interfuerunt anni pænè duodecim sine Rege in regno Iudæ. Deinde, quod attinet ad regnum Israel, si Ieroboam iam regnauerat annos ferè viginti septem in Samaria, quando cœpit regnare Ozias in Ierusalem; ergo desinente anno decimoquarto regni Oziæ, mortuus est Ieroboam; siquidem ipse regnauit annis quadraginta & vno,

vt dicitur 4.Reg.cap.14.verſ.23. ergo ab obitu ipſius Ieroboam, hoc eſt à fine anni decimiquarti regni Oziæ Regis Iuda, ad annum trigeſimum octauũ regni eiuſdem Oziæ, in quo cœpit regnare Zacharias filius dicti Ieroboam ſuper Iſrael, quemadmodũ conſtat ex 4.Reg. cap. 15. verſ.8. remanſerunt viginti quattuor circiter anni ſine Rege in regno Iſrael. Et ſic ab initio regni Amaſiæ Regis Iudæ ad initium regni Zachariæ Regis Iſrael, oporteret fluxiſſe annos ſeptuaginta nouem. Quæ quò clariùs perſpici poſſint, ſubiectam hîc delineare tabellam viſum eſt, in qua, ni fallor, eadem quæ diximus diſtinctè magis & perſpicuè ante oculos ponuntur.

	ANNI				
	Regni Amaſiæ in Iuda.	Regni Ieroboã in Iſrael.	Regni Oziæ in Iuda.	Regni Zachariæ in Iſrael.	A primo regni Amaſiæ ad 1. Zachariæ.
Regnat Amaſias in Iuda.	1				1
Poſt annos 14.	14				14
Regnat Ieroboam in Iſrael.	15	1			15
Poſt annos 14.	14	14			14
Moritur Amaſias.	29	15			29
Poſt Interregnum annorum 12.		12			12
Regnat Ozias in Iuda ſub finem anni;		27			41
Quare Annus proximus		1			1
Concurrit ferè totus cum primo Oziæ.		28	1		42
Poſt annos 13.		13	13		13
Moritur Ieroboam.		41	14		55
Poſt Interregnum annorum 24.			24		24
Regnat Zacharias in Iſrael.			38	1	79

4. Verumtamen nonnulli, quibus durum videtur ponere hæc Interregna, quorum Scriptura ſacra nullam prorſus mentionem facit, conati ſunt adinuenire modos, quibus ipſa poſſent euadere, & ſimul conciliare prædictos Scripturæ ſacræ locos. Vnde Caietanus ſuper 4.Reg.cap.14.& 15. duo facit initia regni Oziæ Regis Iuda. Primum, duodecim circiter annis ante obitum patris, quando (vt ipſe putat) Amaſias pater eius fugit in Lachis; & tunc dicit Oziam fuiſſe ſexdecim annorum: atque ab hoc eodem tempore quo cœpit regnare viuente patre, numerandos eſſe annos quinquaginta duos, quibus ipſe Ozias regnaſſe dicitur. Alterum eiuſdem regni Oziæ initium fuit (ait) ſtatim poſt necem patris; & tunc oportet quòd Ozias eſſet iam annos viginti octo natus. Similiter duo ponit initia regni Ieroboam Regis Iſrael; alterum cum patre, alterum defuncto patre: credidit enim ipſum Ieroboam regnaſſe cum patre ſuo Ioas annis duodecim; & annum illum vigeſimum ſeptimũ regni Ieroboam, in quo dicitur regnare cœpiſſe Ozias poſt mortem patris ſui, debere recenſeri non à ſecundo regni Ieroboam initio, ſed à primo, quando ſcilicet regnare cœperat cum patre. Atque hoc pacto nullum ponit Interregnum inter Amaſiam & Oziam in regno Iudæ; immò neque in regno Iſrael, inter obitum Ieroboam & initium regni Zachariæ filij eius: nam ponendo, Oziam regnaſſe duodecim annis cum Amaſia patre eius, & numerando annos regni eius à primo eius regnandi initio; vtique ſequitur, Ieroboam obiiſſe anno regni Oziæ trigeſimo octauo; quo etiam tempore regnare cœpit Zacharias filius eius, vt expreſsè traditur 4.Reg.c.15. verſ.8. & ſic nulla interuenit vacatio regni in Iſrael, neque in Iuda; & conſequenter, ab initio regni Amaſiæ in Iuda ad initium regni Zachariæ in Iſrael, inueniuntur tantummodò anni quinquaginta quinque, vt in ſubſequenti tabella, quam ad Caietani mentem accommodauimus, videri poteſt. CAIETANI OPINIO.

ANNI

	Regni Ioas in Israel.	Regni Amasiæ in Iuda.	Vitæ Oziæ	Regni Ieroboam cum patre.	Regni Ieroboam sine patre.	Regni Oziæ cum patre.	Regni Oziæ sine patre.	A 1. Amasiæ ad 1. Zachariæ
Regnat Amasias sub finem anni, Quare annus subsequens	2 1							
Concurrit ferè totus cum primo Amasiæ. Post annos 2.	3 2	1 2						1 2
Nascitur Ozias, & regnat Ieroboam cum patre. Post annos 11.	5 11	3 11	1 11	1 11				3 11
Moritur Ioas Rex Israel. Anno insequenti	16	14 1	12 1	12 1				14 1
Regnat Ieroboam solus in Israel. Post annos 3.		15 3	13 3	13 3	1 3			15 3
Regnat Ozias cum patre in Iuda. Post annos 11.		18 11	16 11	16 11	4 11	1 11		18 11
Moritur Amasias sub finem anni, & regnat Ozias solus in Iuda. Quare annus insequens		29	27 1	27 1	15 1	12 1		29 1
Concurrit ferè totus cum primo Oziæ ab obitu patris. Post annos 25.			28 25	28 25	16 25	13 25	1 25	30 25
Moritur Ieroboam, & regnat Zacharias in Israel.			53	53	41	38	26	55

REFELLITVR. 5. Sed hæc Caietani opinio, tametsi subtilis & ingeniosa sit, admitti non potest; tum quia falsum supponit; nempe Amasiam exulasse annis decem vel duodecim in Lachis, quod nos suprà num. 2. impugnauimus; tum etiam, quia Scriptura sacra nusquam dicit Oziam fuisse Regem, nisi quando post necem patris à populo factus est Rex. Nec obstat, quòd 4. Reg. cap. 14. vers. 22. & 2. Paralip. cap. 26. vers. 2. Ozias dicatur ædificasse Ælath, siue Ailath, & restituisse eam Iudæ, postquam dormiuit Rex cum patribus suis; quæ postrema verba, *postquam*, &c. nequaquam (inquit Caietanus) Scriptura addidisset, nisi Ozias fuisset Rex etiam viuente patre. Non, inquam, hoc obstat; quia fieri potest, vt Ozias, tametsi non fuerit Rex viuente patre, nihilominùs, tamquam filius Regis, cui debebatur successio in regno, aliqua ad regni augmentum gesserit, ad quorum differentiam dicatur ædificasse Ælath post obitum patris. Videtur etiam nimis alienum à sacra Scriptura, ponere Oziam fuisse sexdecim annorum, duodecim annis ante obitum patris; cùm ipsa apertè dicat, eumdem fuisse sexdecim annorum, quando post necem patris à populo electus fuit in Regem. Denique quod magis vrget, posita Caietani opinione, necesse est sacram confundere Chronologiam, & bis numerare duodecim primos regni Oziæ annos; semel nimirum in annis regni Amasiæ patris sui, & iterùm in annis regni ipsius Oziæ: alioqui non poterit inueniri summa annorum octoginta & vnius, quam ponit Scriptura sacra, ab initio regni Amasiæ ad finem regni Oziæ; tribuit enim regno Amasiæ annos viginti nouem, & regno Ozię quinquaginta duos: Caietanus verò, ab initio regni Amasię ad annum trigesimum octauum regni Oziæ, in quo regnauit Zacharias in Israel, numerat tantummodò annos quinquaginta quinque, vt in proximè superposita tabella apparet; vnde restant anni dumtaxat quattuordecim de regno ipsius Oziæ, vt manifestè etiam colligi potest ex 4. Reg. cap. 25. vers. 8. vsque ad 35. computando etiam annos Regum qui interim regnarunt in Israel. Quod ideò dixi, ne quis fortè suspicetur, Oziam regnasse quinquaginta duobus annis ab obitu patris, & insuper etiam duodecim cum patre; id enim sacræ Scripturæ congruere nullo modo potest. Itaque prædicti quattuor anni, si iungantur prædictis quinquaginta quinque, efficient summam annorum sexaginta nouem, non autem vnius & octoginta. Ecce quomodo iuxta Caietani computum, deficiunt de summa

29.
52.
——
81.

ma in Sacro eloquio notata anni duodecim; quos,vt dictum est, bis numerare oportet, si velimus dictam summam conficere.

6. Abulensis super 4.Reg.cap.15.quæst.1. sed latiùs quæst.2.vt prædicta excluderet Interregna, aliam excogitauit viam à memorata valdè diuersam : siquidem duo dicit. Primò, Oziam fuisse puerulum, duorum scilicet,inquit, sed vult dicere quattuor circiter annorum, quando occisus fuit pater eius; quod proculdubiò contigit sub finem anni decimiquinti, ex quo regnare cœperat Ieroboam in Israel: & ideò vult Abulensis,ipsum Oziam mansisse sub tutoribus per annos duodecim; intra quod tempus, licet haberetur pro legitimo Rege, non tamen, ob defectum ætatis, habere poterat regni administrationem. At verò quando impleuit decimumsextum ætatis annum (quod accidit desinente circiter anno regni Ieroboam vigesimo septimo) tunc denuò dicitur regnare cœpisse; quia tunc primùm regni gubernacula suscepit. Secundò putat Abulensis, annos quinquaginta duos, quibus regnasse dicitur Ozias, non esse numerandos ab anno vitæ eius decimosexto,sed ab eo tempore, quo existens puerulus,vt dictum est, immediatè defuncto successit patri. Deinde, super eodem Reg. capite quæst.14. dicit, idem euenisse Zachariæ filio Ieroboam; nimirum, quòd qui erat paruulus quando obiit pater eius, successit quidem statim patri quoad legitimum regis titulum, sed non quoad regni administrationem, nisi post annos ferè duodecim,videlicet anno trigesimo octauo regni Oziæ. Atque hoc pacto credidit Abulensis,se euasisse necessitatem ponendi prædicta Interregna; quoniam nullo tempore putat defuisse legitimorum Regum continuationem, licet per ætatem non continuò regni res administrare potuerint, vt ex sequenti tabella faciliùs capi poterit. ABVLENSIS OPINIO.

ANNI

	Regni Amasiæ in Iuda.	Regni Ieroboam in Israel.	Vitæ Oziæ	Regni Oziæ 1.	Regni Oziæ 2.	Regni Zachariæ 1.	Regni Zachariæ 2.	A 1. Amasiæ ad 1. Zachariæ 2.
Regnat Amasias in Iuda. Post annos 14.	1 14							1 14
Regnat Ieroboam in Israel. Post annos 11.	15 11	1 11						15 11
Nascitur Ozias. Post annos 3.	26 3	12 3	1 3					26 3
Moritur Amasias sub finem anni Anno proximo	29	15 1	4 1					29 1
Regnat Ozias prima vice. Post annos 11.		16 11	5 11	1 11				30 11
Regnat Ozias 2. sub finem anni; quo fit, vt Annus insequens		27 1	16 1	12 1				41 1
Concurrat ferè totus cum primo Oziæ. Post annos 13.		28 13	17 13	13 13	1 13			42 13
Moritur Ieroboam in fine anni Anno proximo		41	30 1	26 1	14 1			55 1
Regnat Zacharias primò Post annos 11.			31 11	27 11	15 11	1 11		56 11
Regnat Zacharias secundò			42	38	26	12	1	67

7. Hæc Abulensis opinio,quam sequitur etiam Ribera super cap.1.Amos, in hoc magis probanda videtur, quòd per viam quodammodò mediam inter prædictas procedit: siquidem Prima,quæ admittit duo illa Interregna,addit Quintæ huic mundi ætati annos viginti quattuor,& ponit ab initio regni Amasiæ ad initium regni Zachariæ, annos septuaginta nouem,vt in prima tabella cernitur. Altera autem illos omnino remouet,& numerat à primo Amasiæ ad primum Zachariæ annos dumtaxat quinquaginta quinque,vt in secunda tabella apparet. Hæc verò medio quodam modo se habet,ponens in dicto temporis interuallo solù annos sexaginta septem, quemadmodum tertia ostendit tabella. Verumenimuerò, duo priora Abulensis dicta sacræ Scripturæ nimis

REFELLVNTVR DVO DICTA ABVLENSIS. mis manifestè aduersari videntur: nusquam enim reperitur dixisse, Oziam fuisse duorum aut quattuor annorum, quando immediatè successit patri: quin potiùs, post descriptam Amasiæ internecionem, quater & eodem ferè modo repetit, eumdem Oziam sexdecim fuisse annorum quando regnare cœpit, vtique post necem patris; vt planè patebit legenti quæ dicuntur 4. Reg. cap. 14. vers. 21. & cap. 15. vers. 2. & 2. Paralipom. cap. 26. vers. 1. & 3. quibus in locis perspicuè insinuatur, Oziam non nisi semel regnare cœpisse, & tunc fuisse sexdecim annos natum, & hoc accidisse statim post interitum patris, vt ipsa quoque Sacri textus continuatio demonstrat 4. Reg. cap. 14. vers. 19. vsq; ad 22. vbi successiuè describuntur, Amasiæ occisio, & sepultura, & constitutio Oziæ, tunc sexdecim annos nati, in Regem ab vniuerso populo vnanimiter facta. Et hæc eadem omnia, eodem ordine, & iisdem pænè verbis repetita inuenies 2. Paralip. sub finem capitis 25. & consequenter in principio capitis 26. vt nullus iam de hac re videatur remanere ambigendi locus. Prætereà, si fuisset Ozias puerulus tempore obitus patris; non esset ad quid de ipso Scriptura diceret, quòd ædificauit Ælath post mortem patris, cùm ante nihil præclari aut Rege dignum, præ ipsa ætatis teneritudine, agere potuisset. Ex citatis item Scripturæ locis euidenter refutatur aliud Abulensis dictum: nam cùm illa non semel hæc eadem verba pronuntiet: *Sexdecim annorum erat Ozias cùm regnare cœpisset, & quinquaginta duobus annis regnauit in Ierusalem.* quis non videt, quinquaginta duos hos annos, vtique à memorato decimosexto ætatis suæ anno, non autem à secundo aut quarto, debere numerari? Sed si Scriptura sacra regni Oziæ tempora ab eius pueritia metiri vellet, cur non eodem modo fecisset in recensendis regni Zachariæ temporibus, quem Abulensis putat duodecim annis sub tutorum cura mansisse? Et tamen 4. Reg. c. 15. vers. 8. non dicitur Zacharias regnasse duodecim annis, sed tantummodò menses sex; notato nimirum dumtaxat tempore, ex quo ipse regni gubernacula susceperat. Patet igitur, memoratas Abulensis positiones sacræ Scripturæ non esse consentaneas.

AVCTORIS SENTENTIA 8. Sed hìc iam, arbitror, expectat prudens Lector, quid ad propositam difficultatem responderi debeat. Equidem puto in hac re à memorata via media non esse discedendum, tamquam minùs periculosa sacræ Chronologiæ plus iusto augendæ aut minuendæ; verumtamen longè aliter quàm Abulensis, ad eam inueniendam ac stabiliendam esse procedendum; ne quidquam supponamus, quod Scripturæ sacræ vllatenus aduersari videatur. Erit igitur facilis & clara, ni fallor, difficultatis enodatio, si dixerimus, Oziam semel tantùm regnare cœpisse in Iuda, idque statim post necem patris, quando ipse Ozias sexdecim erat annorum, vt numero præcedenti satis superque probatum est: Ieroboam autem duplex habuisse regnandi super Israel initium, (vt sentit Caietanus, & colligi potest ex collatione eorum quæ dicuntur 4. Reg. cap. 14. vers. 17. cum his quæ traduntur ibidem cap. 15. vers. 1.) nempe alterum viuente patre, cum quo regnauit annis duodecim, alterum verò defuncto patre, post quem regnauit annis quadraginta & vno: quibus elapsis, ab obitu dicti Ieroboam ad initium regni Zachariæ filij eius, fluxerunt anni duodecim sine Rege in Israel. Et sic annus vigesimus septimus, ex quo Ieroboam regnare cœperat cum patre, concurrit cum decimoquinto ex quo mortuus est pater eius, vt videre est in tabulis. Vnde facile erit, dictum Iosephi & Eusebij, ponentium Oziæ regnum inchoasse statim post mortem patris sui Amasiæ, (quam suprà num. 3. probauimus contigisse sub finem anni decimiquinti regni Ieroboam) conciliare cum Textu sacro 4. Reg. cap. 15. vers. 1. asserente, eumdem Oziam regnare cœpisse anno vigesimo septimo regni ipsius Ieroboam. Nam citati Auctores proculdubiò numerarunt annos regni Ieroboam ab obitu patris eius Ioas; Scriptura verò sacra loco proximè citato, intelligenda est eosdem numerasse ab eo tempore quo Ieroboam cœperat regnare cum patre, vt ibidem exponit Caietanus. Et sic omnia fiunt plana & consona; & ab initio regni Amasiæ Regis Iudæ, ad initium regni Zachariæ, qui cap. Reg. proximè citato vers. 8. dicitur regnasse anno regni Oziæ trigesimo octauo, inueniuntur anni sexaginta septem (nimirum viginti nouem Amasiæ, & triginta octo Oziæ) quæ est summa media inter duas extremas in præcedentibus tabellis contentas. Hæc autem nos hìc alia particulari tabella exprimere non curauimus, quia in tabulis in calce huius Ætatis mundi ponendis, eadem omnia dilucidè perspici poterunt. Quòd si quis percontetur, Cur, ex quo magis placet vnicum ponere Interregnum, non potiùs illud ponimus inter Amasiam & Oziam? Respondemus, triplici potissimùm de causa id fieri. Primò, propter rationes contra opinionem Abulensis & Riberæ suprà num. 7. allegatas, quibus euidenter ostendimus, Oziam annos sexdecim natum, proximè defuncto

successisse patri; & ab eodem tempore, per annos quinquaginta duos regnasse. Secundò, quia Abulensis non aliter subterfugere potest Interregnum ab obitu Ieroboam ad initium regni Zachariæ, nisi tribuendo ipsi Zachariæ annos regni duodecim; quod manifestè aduersatur Scripturæ, quæ loco Reg. citato conceptis verbis tradit, ipsum sex dumtaxat mensibus regnasse. Tertiò demum, quia aliter non posset conciliari dictum Iosephi & Eusebij cum sacra Scriptura; neque item retineri posset sententia Hebræorum & nostra de tempore terræmotus, qui factus est in diebus Oziæ Regis; quòd scilicet cõtigerit anno eius vigesimo quinto, vt nos sub annis mundi 3248. num. 1. & 3250. num. 1. etiam ex Isaiæ Prophetia comprobabimus. Denique si nos hîc poneremus duo Interregna, vt fit in prima tabella; aut nullum, vt in secunda; proculdubiò annorum Sabbaticorum Æra, quã ab introitu Israëlitarum in terram Chanaan nostris in tabulis deduximus, tota subuerteretur. Posito autem hoc tantùm Interregno inter Ieroboam & filium eius Zachariam, cessant omnes memoratæ difficultates: & prædicta Æra optimè cum omnibus annis Sabbaticis in sacra Scriptura & à Iosepho notatis, competere comperietur; quemadmodum ex sub annis mundi 3892. num. 4. & 3920. num. 1. & 4018. num. 4. dicendis, liquidò colligi poterit.

AB ORBE CONDITO ANNVS 3226. | QVINTÆ MVNDI ÆTAT. ANNVS 204.

1 CVM anno igitur insequente, qui erat regni Ieroboam Regis Israel, ab obitu patris eius decimussextus, (& qui coincidit cum anno eiusdem Ieroboami vigesimo octauo, ex quo cœperat regnare cum patre, vt patet in tabulis) concurrit ferè totus annus primus regni Oziæ Regis Iuda: diximus enim quòd ipse Ozias regnare cœpit sub finem anni præcedentis, qui erat decimusquintus regni Ieroboam ab obitu patris, & vigesimus septimus ex quo regnare cœperat cum patre, vt in tabulis pariter notatum inuenies. Porrò Ozias vsque ad annum regni sui (vt sub anno mundi 3265. num. 1. dicemus) circiter quadragesimum, fecit rectum in conspectu Domini: & licet excelsa non abstulerit, nihilominùs per Zachariam Videntem, qui, vt ait Glossa interlinearis, creditur fuisse filius alterius Zachariæ filij Ioiadæ Pontificis, exquisiuit Dominum, à quo directus fuit in omnibus, & prosperatus est. Ac primò quidem munire curauit Ierusalem turribus, præsertim à porta Anguli ad portam Vallis, fortè vbi murum destruxerat Ioas Rex Israel, vt sub anno mundi 3210. num. 1. dictum est: fecitque diuersi generis machinas, quæ sagittas & saxa grandia iacerent; quas collocauit in turribus ac murorum angulis. Deinde militiam suam ordinauit, fuitque exercitus eius trecentorum septem millium quingentorum, qui sub capitibus familiarum duobus millibus & sexcentis distributi erant; omnes tamen parebant duobus primariis Principibus, quorum alter Iehiel, alter Maasia vocabatur. Parauit insuper Rex exercitui suo omnia armorum genera, clypeos, hastas, galeas, loricas, arcus, fundas, & his similia. Ipse ædificauit Ælath siue Ailath, quæ & Aila seu Ailam dicitur, eratque in finibus Idumæorum prope Asiongaber in ora maris Rubri, vt colligitur Deuter. c. 2. vers. 8. & clariùs 2. Paralip. cap. 8. vers. 17. ac restituit eam Iudæ: puto enim quòd priùs à Syris occupata fuisset & destructa, quemadmodum ex 4. Reg. cap. 16. vers. 6. nos sub anno mundi 3295. num. 1. probabimus. Sæpiùs item pugnauit Ozias feliciter cõtra Philisthæos, & destruxit murum vrbis Geth, & Iabniæ, & Azoti; ædificauitque oppida in ditione Azoti & Philisthinorum. Adiutus quoque fuit à Deo contra Arabes habitantes in Gurbaal, & contra Ammonitas, qui posteà eidem munera seu tributa pendere coacti sunt. Atque hoc pacto, propter crebras victorias de hostibus reportatas, diuulgatum est nomen eius vsque ad introitum Ægypti. De cetero, quando ei bella non imminebant, Ozias agriculturæ deditus erat, habuitque vinitores plurimos, ac vineas in montibus, ac præcipuè in Carmelo. Extruxit etiam turres in solitudine, & effodit cisternas multas, ad commoditatem potandarum tuendarumque pecudum, quarum numerosissimos habebat greges. Itaque fuit Ozias Rex tum in pace, tum in bello, Reipub. admodum vtilis. Et hæc sunt, quæ de Regis Oziæ rebus gestis Scriptura sacra 4. Reg. cap. 14. v. 22. & cap. 15. vers. 3. & 4. & 2. Paralip. cap. 26. vers. 2. vsque ad 16. breuiter ac veluti raptim, sine vlla temporum notatione, tradidit; ita vt per proprios dicti Regis annos distribui nullo modo queant. Eadem ferè de hoc Rege, & eodem pænè modo percurrit Iosephus 9. Antiq. c. 11. quæ quia ad prædictorum declarationem facere videntur, hoc loco referre non grauabor: *Hic erat*, inquit, *naturâ bonus, ac iustus, & magnanimus, prouidendisq;*

ANNVS REGNI OZIAE PRIMVS CVM QVO ANNO REGNI IEROBOAM CONCVRRAT.

OZIAE GESTA.

dendisq; rebus solers & industrius. Is suscepta expeditione in Palæstinos, prælio victor vrbes eorum vi cepit, Gittam, & Iamniam, & earum mœnia diruit. Alia deinde expeditione duxit in Arabas Aegypto vicinos, & condita vrbe ad mare Rubrum, præsidium in ea posuit. Post hæc Ammanitis subactis, tributoq; genti præfinito, & omnibus locis vsque ad Aegypti terminos in potestatem suam redactis, in posterum ad curam vrbis se contulit. quidquid enim mœnium vel vetustate labefactum erat, vel superiorum Regum incuria, totum instaurauit: atque eam etiam partem, quam Israelitarum Rex Amasia patre huius capto diruerat, quando victor vrbem ingressus est. His addidit non paucas turres centenûm quinquagenûm cubitorum altitudinis, & arces aliquot in locis minus frequentatis ad tutelam disposuit. Aquæductus quoque non paucos extruxit. Habuit etiam iumentorum aliarumq; pecudum infinitam penè multitudinem, quòd regio esset apta pascuis. Cumq; esset admodum agriculturæ studiosus, terram variis arborum ceterarumq; plantarum generibus excoluit. Habuit prætereà selectorum militum trecenta septuaginta millia, quibus præerant Centuriones ac Tribuni viri generosi & inuicto robore præditi ad duo millia numero, edocuitq; exercitum phalangis ordinem struere in aciem, & arma singulis distribuit, gladios, clypeos, & thoraces æreos; arcus etiam, & fundas. Prætereà machinas fecit multas ad expugnanda oppida, quibus vel saxa, vel tela emitteret, harpagones quoque, & alia instrumenta his similia. sic Iosephus.

AB ORBE CONDITO ANNVS 3227. | QVINTÆ MVNDI ÆTAT. ANNVS 205.

HISTORIA IONAE PROPHETAE HOC TEMPORE GESTA.

1 ANNO regni Oziæ Regis Iudæ secundo, qui, vt videre est in tabulis, concurrit cum anno regni Sardanapali Regis Assyriorum decimotertio, vel circiter, credimus facta esse omnia quæ in Prophetia Ionæ describuntur. Nam cùm per idem tempus defecissent ab eodem Rege, qui regiam tenebat in Niniue, duo illi primarij eius Duces, nimirum Arbaces Medus, & Belosus Babylonius, concitataque Media ac Babylonia contra dominum suum Sardanapalum, cœpissent eidem graue bellum inferre, Deo sic permittẽte, eò quòd cogitasset per illos tunc subuertere Niniuem, propter illius populi ac Regis peccata grauissima; complacuit diuinæ miserationi mittere Ionam Prophetam de Israële in Niniuem, qui prænuntiaret ciuitati interitum, post quadraginta secuturum dies; vt saltem timore perterriti Niniuitæ agerent pœnitentiam, & prænuntiatam deuitarent ruinam. At verò Ionas, accepto Domini mandato, veritus ne ille (cuius miserationes benè nouerat esse super omnia opera eius) sententiam mutaret, & ipse posteà Propheta mendax fuisse videretur; fugiens à facie Domini, conscendit nauim vt iret in Tharsis; hoc est, vt cum negotiatoribus per mare huc illucque discurrens, atque ad maritimas ciuitates, modò hanc modò illam diuertens, interim Domini obedientiam subterfugeret. Sed diuino consilio factum est, vt quadam die, maxima insurgente in mari tempestate, cùm essent omnes in summo periculo, datis sortibus cognita sit Ionæ inobedientia, quæ erat causa illius tempestatis; ad quam auferendam, ipsomet consulente ac consentiente, missus est Ionas in mare, & à quodam grandi ceto, quem Dominus ad hoc præparauerat, illicò integer deglutitus. qui cùm ab eodem ceto post triduum mirabiliter viuus atque illæsus in littore euomitus fuisset, iterùm mandante Domino perrexit in Niniuem, cœpitque prędicare in ea illis verbis: *Adhuc quadraginta dies, & Niniue subuertetur.* Niniuitis ergo Ionæ verbis fidem adhibentibus, ac pœnitentiam agentibus, dilata est à Domino (quemadmodum sub anno mundi 3215. num. 2. diximus) eorumdem subuersio. Quamobrem indignatus Ionas, querimonias suas effundebat coram Domino; putans iustas se habere irascendi causas, eò quòd non euenisset ciuitati excidium, quod ipse, Domino iubente, prædixerat. Et quoniam, tametsi benignè admodum à Domino correptus illis verbis: *Putásne benè irasceris?* tamen ille culpam non agnouit; sed exiens extra ciuitatem, ac sub vmbraculo quodam sedens, expectabat videre quid eidem ciuitati accideret: propterea, vt naturali quadam similitudine suauiter Dominus erudiret seruum suum, fecit vt protinus oriretur hedera valdè frondosa, quæ Prophetam ab æstu protegeret, eidemque virore suo refrigerium præberet; quæ res magnam ei lætitiam attulit: altera verò die, vt eadem hedera à verme in radice erosa siccaretur: deinde conuersus ad Ionam valdè æstuantem, ac præ indignatione mortem exoptantem, dixit: Si tu doles de interitu hederæ, quam non plantasti, nec in ea colenda laborasti; nónne multo æquius fuit, vt ego & dolerem quòd tot homines perirent quos creaui; & propterea tantæ parcerem multitudini? Hæc sunt in summa, quæ in Ionæ prophetia fusius traduntur. Sed hîc pro certo sup-

to ſupponendum eſt,eoſdem Niniuitas non multò poſt memorata ab eodem Propheta ipſorum pœnitentiæ opera,& elapſos quadraginta dies eiſdem pro termino aſſignatos,denuò ad priſtina rediiſſe peccata; quin etiam (vt ait B. Hieronymus in Prologo ſuper Nahum) accepta miſericordia, grauioribus ſe criminibus implicuiſſe: & ideò poſteà, iuſto Dei iudicio, ab hoſtibus tandem fuiſſe ſubuerſos, vt conſequenter dicemus.

AB ORBE CONDITO ANNVS 3232. QVINTÆ MVNDI ÆTAT. ANNVS 210.

1 ANNO regni Oziæ Regis Iudæ ſeptimo,qui erat regni Sardanapali Regis Aſſyriorum in Niniue decimusoctauus,Arbaces Medus & Beloſus Babylonius,deuicto ac profligato Sardanapali exercitu,ipſum Regem,qui cum parte exercitus ſui in Niniuem ſeſe receperat,ibidem ſub eiuſdem anni finem obſidere cœperunt; ac biennio deinceps perdurauit obſeſſio, vt ex his quæ ſub anno mundi 3215.num.2. ex Diodoro Siculo retulimus,manifeſtum eſt. SARDANAPALVS AB ARBACE ET BELOSO OBSIDETVR IN NINIVE.

AB ORBE CONDITO ANNVS 3233. QVINTAE MVNDI AETAT. ANNVS 211.

1 ANNO regni Oziæ Regis Iudæ octauo, incidiſſe annum Iubilei decimitertij, colligitur ex tabulis; in quibus apparet, prædictum Oziæ annum concurrere cum anno ſexcenteſimo quinquageſimo introitus filiorum Iſrael in terram Chanaan. ANNVS IVBILEI DECIMITERTII.

AB ORBE CONDITO ANNVS 3234. QVINTÆ MVNDI ÆTAT. ANNVS 212.

1 SVB finem anni regni eiuſdem Oziæ noni,neceſſe eſt Sardanapalum Aſſyriorum Regem vltrò concrematum, ne hoſtibus præda fieret, incendio periiſſe, quemadmodum ex Diodoro, ſub anno mundi 3215. num. 2. dictum eſt: hoc enim tempore deſinunt viginti anni,quibus ipſum Sardanapalum regnaſſe teſtatur Euſebius in Chronicis. Nec refert, quòd ibidem Euſebius ponat obitum Sardanapali contigiſſe ſub finem anni regni Oziæ ſexti: quia id factum eſt per errorem,partim quidem Auctoris, vt mox declarabitur; partim verò codicis ſeu impreſſoris: qui cùm appoſitè ad mentem Auctoris feciſſet concurrere annum regni Ocrazapis Regis Aſſyriorum trigeſimum octauum, cum anno regni Amaſiæ Regis Iudæ vndecimo; proculdubiò ſucceſſiuè debebat etiam facere, vt poſteà annus quadrageſimus primus pariterque vltimus dicti Ocrazapis,concurreret cum decimoquarto Amaſiæ;& conſequenter primus Sardanapali cum decimoquinto eiuſdem Amaſiæ,& vigeſimus vltimuſque ipſius Sardanapali, cum quinto regni Oziæ; ita enim continuationis ordo requirebat: ſed per errorem (vt dixi) impreſſoris, relicto in ſerie annorum dicti Ocrazapis vno interlineari vacuo, accidit vt poſtremus Ocrazapis annus concurrerit cum decimoquinto Amaſiæ, & primus Sardanapali cum decimoſexto Amaſiæ, & denique poſtremus Sardanapali cum ſexto regni Oziæ. Igitur inter Euſebij computum & noſtrum interſunt anni quattuor, qui numerantur à quinto regni Oziæ ad nonum. Vnde ergo, dicet aliquis, prouenit hæc differentia? Inde ſine dubio, quia Euſebius ex vna parte, in annis Ducatus Tholæ recenſendis, omiſit annum vnum, vt nos ſub anno mundi 2148. num.2. adnotauimus; ex alia verò parte, ab anno quinto regni Ioram Regis Iuda, vſque ad primum regni Ioas regis Iuda, perperàm addidit annos quinque, quemadmodum nos ſub annis mundi 3143. num.3. & 3150.num.5. & 3151. num.3. probauimus. Quo fit, vt à memorato Tholæ Ducatu ad annum primum Ioas Regis Iuda, ipſe Euſebius non rectè ſacram auxerit Chronologiam annis quattuor; & propterea coactus ſit ponere obitum Sardanapali ſub anno regni Oziæ quinto, quem tamen proculdubiò poſuiſſet ſub finem anni noni, ſicuti nos fecimus, ſi in ſua temporum ratione ineunda accuratiùs, vt par erat, Sacros textus perpendere ſtuduiſſet. SARDANAPALVS SE IPSVM INCENDIO PERIMIT. EVSEBII LAPSVS AD CHRONOLOGIAM PERTINENS

2. Eodem pariter tempore finem habuiſſe Aſſyriorum Imperium, euerſamque fuiſſe Niniuem à memoratis Ducibus, nimirum ab Arbace Medo & Beloſo Babylonio, qui (vt ſub anno mundi 3215. num. 2. diximus) à Rege ſuo Sardanapalo deficientes, eidem ASSYRIORVM IMPERIVM AN HOC TEMPORE DESIERIT

PLVRIMORVM OPINIO.

eidem iam aliquot ante annos bellum intulerant; tradunt in primis Diodorus lib. 3. de Antiquorum gestis, sub finem primi capitis, Iustinus Histor. libro 1. Eusebius in Chronicis, Paulus Orosius lib. 1. cap. 19. & lib. 2. cap. 2. B. Hieronymus in principio Commentariorum super Amos, Beda in libello de Sex ætatibus mundi, & lib. de Temporibus cap. 20. & alij multi. Horum, ac præcipuè Eusebij sententiam, sequi se profitetur Antonius Sabellicus Enneade 2. libro 3. paulò post medium: vbi post nonnulla de Sennacherib & Ezechia Regibus relata, quædam subiungit, quæ profectò non eam ostendunt reuerentiam, quam Sacris libris præstare debuerat. Inquit enim, *Non posse non mirari quid sit, quòd ad hunc locum Bibliaci libri, Assyriorum tantas Regum opes fuisse dicant, cùm iam inde à Sardanapali interitu, Reges in Assyria esse desierint.* & continuò addit: *Suspicari libet, aut Medorum Regum eos. Præfectos fuisse, quos hi Assyriæ Reges idcircò arbitrati sunt, quia ex ea terra, veluti Syriæ propinqua, minæ illæ bellorum Iudææ finibus intendebantur; aut certè locorum vicinitatem secuti, Medicæ terræ Reges, Assyrios arbitrati sunt, quando vtramque terram Medi imperio obtinerent.* hæc Sabellicus. Quem multò sanè magis mirari nos possumus, quòd tam audacter, ne dicam temerè, ausus fuerit præferre Eusebij dictum ipsimet sacræ Scripturæ, & sacros Bibliorum Auctores inscitiæ arguere, quos certum est diuino afflatos Spiritu, nullatenus falli potuisse, aut ignorasse, num qui tunc Iudæam infestabant, verè essent Assyriorum Reges, an non. Sanè quos Scriptura sacra vbique semper & absolutè vocat Assyriorum Reges, quis non videt, quàm præter rationem fuerit suspicari, quòd essent Reges Medorum, aut eorumdem Præfecti? præsertim cùm præfati Auctoris coniectura ibidem subiuncta, Quòd scilicet *Israelitarum tribus Assyrio bello captæ, in Medos, non autem in Assyrios translatæ sint,* falso nitatur fundamento: quandoquidem certum est, partem ipsarum, etiam in Assyrios, immò in Babylonem quoque fuisse abductam, vt ex 4. Reg. cap. 17. vers. 23. & 24. manifestè colligitur. Quod quomodo ab Assyriis Regibus fieri potuerit, ex infrà num. 4. dicendis apparebit. Videtur ergo iste Auctor loco citato, Reges qui tum in Media, Assyria, & Babylonia (quemadmodum nos infrà num. 3. & 4. ostendemus) regnabant, inter se confundere: &, quod intolerabile est, contra duos sacræ Scripturæ textus expressos asserit, Baladam (quem 4. Reg. cap. 20. vers. 12. constat regnasse in Babylonem) successisse Sennacheribo, qui regnabat in Niniue: *Nam,* inquit, *filiis parricidio pollutis regnare non contigit.* Qua in re apertè demonstrat, se aut non vidisse, aut fidem non adhibuisse his quæ habentur 4. Reg. in calce capitis 19. & Isai. cap. 37. in fine, de Sennacherib, cui in Niniue occiso successit filius eius Asarhaddon. Quod & clariùs ex Beroso explicat Iosephus 10. Antiq. cap. 2. dicens, eumdem Sennacherib à duobus filiis suis maioribus fuisse interfectum; & illis propterea à populo eiectis, successisse patri alium eius filium minorem, nomine Assarachoddas. Cautè igitur Sabellicus, in

ANTONII SABELLICI AVDACIA RETVNDITVR.

☞ his quæ ad sacram pertinent historiam, legendus est. Sed vt ad id, vnde digressi sumus, redeamus, valdè diuersam à præcitatis Auctoribus opinionem sequitur Genebrardus lib. 1. suæ Chronologiæ, vbi agit de rebus sub Ezechia gestis; & item in fine libri, vbi agit de tempore captiuitatis Babylonicæ: putat enim Sardanapalum, eumdem fuisse cum Asarhaddon, qui post Sennacherib, Ezechiæ temporibus regnauit super Assyrios in Niniue, vt legimus 4. Reg. cap. 19. in fine: dicitque falli eos qui credunt, Assyriorum Imperium, Ozia regnante in Iudæa, desiisse; cùm constat illud vsque ad Ezechiæ tempora perdurasse: *Tunc enim,* inquit, *Merodac Nabuchodonosoris auus, cum Arbace Medo, percusso Asarhaddon, seu Sardanapalo, omnem Assyriorum potentiam ad Chaldæos transtulit.* & pro se citat Iosephum, qui 10. Antiq. cap. 3. ait, Imperium Assyriorum, Ezechiæ temporibus, à Medis fuisse dissolutum. *Addo ego* (subiungit Genebrardus) *& à Babyloniis.* Verumenimuerò, quod attinet ad subuersionem Niniue, nihil prohibet vtramque opinionem esse veram; quandoquidem eamdem vrbem non semel fuisse euersam ac reædificatam, ex his quæ sub annis mundi 3321. num. 4. & 5. & 3371. num. 3. & 4. dicemus, manifestum fiet.

GENEBRARDI OPINIO.

3. At verò quod spectat ad Assyriorum Monarchiam (quidquid alij dixerint) nullatenus admittendum putamus, eam sub Rege Asarhaddon, Ezechiæ temporibus, omnino fuisse extinctam, vt sub anno mundi 3335. num. 1. probabimus. Sed neque nunc, Ozia apud Iudæos regnante. etenim ex Sacris libris (vt paulò pòst demonstrabimus) apertissimè constat, idem Assyriorum Imperium, non multò post memoratam cladem à Medis Babyloniisque acceptam, nescio quo modo compositis rebus iterùm reflorere cœpisse: vnde quid aliud cogitare possumus, nisi quòd fortè, ad dirimendas inter Arbacem & Belosum discordias post victoriam (vt sæpè accidit) exortas, ita

AVCTORIS OPINIO.

inter

inter ipſos tandem conuentum ſit, vt Arbaces in Media regnaret, Beloſus verò in Babylonia: & Phul, qui tum valdè potens in Aſſyria fuiſſe, & fortaſſis etiam Beloſi partes contra Arbacem potentiorem, ac omnia affectantem ſuſtinuiſſe atque adiuuiſſe creditur, Aſſyriæ regnum à reliquo Imperio diuiſum teneret. Neque enim tale quid opinari improbabile eſt: quandoquidem ſimile quoquomodò eſt illud, quod ſcimus in Romano contigiſſe Imperio; quando nimirum poſt Cæſaris necem, Triumuiratum iniere Octauianus, Antonius, & Lepidus; atque inter ſe Aſiam, Africam, Europamque diſpertierunt: & nihilominùs nemo vmquam dixit ſcripſitve, Romanum tunc ceſſaſſe Imperium, licet inter tres prædictos tunc diſtributum fuerit; quia non multò pòſt ad vnum rediit dominum. Quòd autem poſt extinctum Sardanapalum tale quid in Aſſyriorum Imperio acciderit, ex paulò pòſt dicendis admodum videtur probabile. Niſi fortè (vt arbitror) multò probabilius ſit, & hiſtoriis Ethnicorum magis conſentaneum, dicere, quòd extincto Sardanapalo, totum eius regnum, tunc quidem ſtatim ad Arbacem deuenerit: qui, vt erat natione Medus, præfecto Babyloniæ Beloſo, Aſſyriæ autem Phul, regni ſedem in Media conſtituit. Vnde poſteà occaſionem ſumpſerunt Auctores ſcribendi, quòd ipſe Aſſyriorum Imperium ad Medos tranſtulerit. Sed non multò pòſt, iuſto Dei iudicio, oportet tum Beloſum tum etiam ipſum Phul ab Arbace, ſicut ipſe priùs à Sardanapalo receſſerat, defeciſſe, & poſt paucos annos, ambo ſibi diademata impoſuiſſe, alterum in Babylonia, & in Aſſyria alterum. Nam (vtcumque res ſe habuerit) certum eſt, breuî diuiſum fuiſſe Imperium illud in tria regna; vt vel ex eo probari poteſt, quòd deinceps conſtat extitiſſe diſtinctos Reges, in Media, Babylonia, & Aſſyria: ſiquidem Arbacis ſucceſſores in regno Medorum deſcribit Euſebius in Chronicis. De his autem, qui poſt Beloſum regnarunt apud Babylonios, nos ſub annis mundi 3238. num. 2. & 3306. num. 4. agemus. INITIVM REGNI MEDORVM.

4. Poſterorum autem Phul Regis Aſſyriorum, cuius ſit mentio 4. Reg. cap. 15. verſ. 19. multi Reges commemorantur in eodem libr. 4. Reg. quos ſibi inuicem in ipſo Aſſyriorum regno ſucceſſiſſe, non dubitamus. Etenim regnantibus eodem Ozia in Iuda, & Manahem in Iſrael, legimus cap. Reg. citato, quòd *veniebat Phul Rex Aſſyriorum in terram* (ſupple Iſrael;) *& dabat Manahem* ipſi *Phul mille talenta argenti, vt eſſet ei in auxilium, & firmaret regnum eius*. Et paulò pòſt in eodem cap. verſ. 27. & 29. ſcriptum eſt, quòd in diebus Phacee filij Romeliæ, qui regnare cœperat in Iſrael anno vltimo Oziæ Regis Iuda, venit Theglathphalaſar Rex Aſſur, & tranſtulit quaſdam tribus de Iſrael in captiuitatem. & cap. 16. verſ. 7. dicitur, quòd Achaz Rex Iuda petiit auxilium ab eodem Theglathphalaſar. & cap. 17. verſ. 3. 6. & 24. deſcribitur, quomodo Salmanaſar Rex Aſſyriorum aſcendit contra Oſee Regem Iſrael. & anno dicti Oſee nono, qui concurrit cum ſexto regni Ezechiæ Regis Iuda, vt patet in tabulis, tranſtulit reliquum Iſraëlem in Aſſyrios, poſuitque eos in ciuitatibus Medorum; & item adduxit de prouincia Babylonis colonias, quas collocauit in vrbibus Samariæ, pro filiis Iſrael. Ex quibus locis euidenter infertur, quòd tunc temporis Reges Aſſyriorum plurima bella feliciter geſſerant cum Regibus Medorum, & item cum Regibus Babyloniorum; iamque multas de illis prouinciis ciuitates recuperauerant: quod nos etiam ſub anno mundi 3314. num. 1. aliis apertiſſimis ſacræ Scripturæ teſtimoniis comprobabimus. Inſuper etiam cap. 18. verſ. 13. & cap. 19. verſ. 35. vſque ad finem capitis habemus, quòd anno regni Ezechiæ Regis Iuda decimoquarto, aſcendit Sennacherib Rex Aſſyriorum in Iudæam, vbi tandem amiſſo exercitu, reuerſus eſt Niniuem, & cùm non multò pòſt à duobus filiis ſuis occiſus fuiſſet, ſucceſſit ei in regno alius ex filiis ſuis, nomine Aſarhaddon. Ecce quot Reges in Aſſyria ſucceſſerunt prædicto Phul, & quomodo paulatim iterùm in Niniue inſtaurarunt Imperium Aſſyriorum. Neque verò ad eludenda hæc argumenta, quæ ſunt euidentiſſima, confugiendum eſt ad eos, qui mendacem Annij Chronologiam ſecuti, dicere auſi ſunt, prædictos Reges fuiſſe Chaldæos: aut (vt perperàm credidit Sabellicus vbi ſuprà) fuiſſe Medos Aſſyriis dominantes, non autem reuerà Aſſyrios: quia hæc gratis aſſeruntur; immò & falſa ſunt, ſi ſacræ Scripturæ magis, vt par eſt, quàm Annio eiuſque aſſeclis, atque Sabellico credimus. Etenim in Sacris libris ſemper & expreſsè appellantur Reges Aſſyriorum, numquam autem Babyloniorum, aut Medorum: & de Sennacherib ſpecialiter dicitur 4. Reg. cap. 19. verſ. 36. & Iſai. cap. 37. v. 37. quòd habitabat in Niniue; & de eodem Sennacherib Ioſephus 10. Antiq. in fine capitis 1. ait, quòd Beroſus Sennacheribi Regis meminit, & quòd apud Aſſyrios regnauerit, totamque Aſiam atque Ægyptum bello infeſtauerit. Et præterea (quod adhuc magis vrget) certum eſt, quòd vno

eodemque tempore, nimirum regnante Ezechia in Iuda, regnabant Sennacherib Rex Assyriorum in Niniue, & Berodac siue Meredac, vel potiùs (quemadmodum nos sub anno mundi 3324. num. 3. ostendemus) pater eius Baladan Rex Babyloniorum, in Babylone: cuius fit mentio 4. Reg. cap. 20. vers. 12. & Isai. cap. 39. vers. 1. & in Media (teste Eusebio in Chronicis) regnabat Medidus, Medorum Rex tertius. Ergo si præfati Auctores perperàm opinati sunt, Sennacherib fuisse Chaldæum aut Medum, profectò idem quoque iudicium debebit esse de reliquis.

QVOD SARDANAPALVS NON FVERIT VLTIMVS ASSYRIORVM REX.

☞ 5. Vt igitur ad rem redeamus, ex dictis patet, certissimum esse quòd prædictus Sardanapalus, qui Oziæ temporibus regnasse dicitur in Niniue, non fuit vltimus Assyriorum Rex; neque in fine vitæ eius, Monarchia Assyriorum omnino extincta est; vt sacræ Scripturæ loca, quæ numero præcedenti retulimus, manifestè demonstrant. Quamquam negari non possit, quin per mortem memorati Sardanapali, Imperium illud in summum deuenerit periculum, ac propè ad interitum accesserit, vt iam dictum est. Ceterùm, quia post defunctum Sardanapalum non continuò particularis Rex in Niniue constitutus fuit; si quis quærat, Quot nam post annos Phul regnare cœperit in Niniue: dicimus id præcisè quidem sciri non posse; verumtamen ex annorum dinumeratione singulorum Regum, qui post Sardanapalum fuerunt in Niniue, satis probabiliter coniici posse, grauia illa inter victores exorta dissidia non plus tribus annis perdurare potuisse, & propterea quarto circiter anno à nece Sardanapali inchoante, regnasse Phul in Niniue super Assyrios, quemadmodum in tabulis intueri licet. Et ratio est, quia cùm ex his, quæ habentur 4. Reg. cap. 18. vers. 13. vsque ad finem capitis 19. & Tobiæ cap. 1. vers. 21. vsque ad finem capitis, & Isai. cap. 36. & 37. per totum, liquidò colligi possit, Sennacherib occisum fuisse anno circiter decimoseptimo regni Ezechiæ Regis Iuda: si verum est, (vt suis locis probabitur) ipsum Sennacherib septem ferè annis regnasse, & Salmanasar patrem eius, decem; & ante hunc, Theglathphalasar, viginti tribus, & Phul quadraginta octo: vtique à prædicto Ezechiæ anno decimoseptimo sursum progredientes, inueniemus, initium regni eiusdem Phul incidisse anno regni Oziæ Regis Iudæ decimotertio circiter incipiente: tribus igitur dumtaxat annis ab obitu Sardanapali, idem Phul cum Arbace de Assyriorum regno disceptauerat. Itaque

QVANDO PHVL REGNARE COEPERIT IN NINIVE.

AB ORBE CONDITO ANNVS 3238.	QVINTÆ MVNDI ÆTAT. ANNVS 216.

PHVL REGNAT IN ASSYRIA.

1 Anno regni Oziæ Regis Iuda decimotertio circiter ineunte, oportet (vt probatum est) regnare cœpisse memoratum Phul super Assyrios in Niniue, quem, & successores eius sub anno mundi 3224. num. 4. commemoratos, credimus iuxta ibidem probata, verè fuisse Assyrios, non Chaldæos. Quamobrem explodenda est opinio sectatorum Annij, qui putant hunc Phul, eumdem fuisse cum Beloco seu Beloso illo Babylonio, qui simul cum Arbace Medo Niniuem expugnasse perhibetur; eumdemque appellant Phul Belocum, asserentes ipsum regnare cœpisse anno regni Amasiæ Regis Iudæ postremo. Quæ omnia proculdubiò commentitia & falsa sunt: nam neque antiqui probatique Scriptores Belocum etiam Phul nuncupatum fuisse asserunt, neque Scriptura sacra vspiam Phul cum Beloco coniunxit: quin potiùs ponens, vt diximus, Phul fuisse Assyrium, consequenter negat fuisse Babylonium. Denique, si iste Phul Belocus regnauit anno Amasiæ vltimo, ergo ante expugnationem Niniue; quod aduersatur omnibus ferè Ethnicis Scriptoribus, qui supponunt ipsum Belocum aut fuisse Satrapam, aut tantummodò militum Ducem: accepisse autem Babyloniorum Satrapiam ab Arbace, post subactos Niniuitas. Fuit ergo iste Phul, primus Assyriorum Rex post Sardanapalum, & trigesimus septimus post Belum, & regnauit annis quadraginta octo, vt tradunt Genebrardus & alij Chronographi. Licet autem non fuerit adeò potens vt prædecessores eius, quia iam Assyriorum Imperium in obitu Sardanapali (vt diximus) amiserat Mediam ab Arbace occupatam, & Babyloniam à Beloso: nihilominùs videtur idem Phul paulatim posteà adauxisse Imperium suum, idemque in parte præsertim Occidentali ac Meridionali, quæ respiciebat terram Israel, admodum dilatasse: & propterea commodè potuit venire in auxilium Manahem Regis Israel, vt dictum est.

BELOSVS REGNAT IN BABYLONIA.

2. Eodem anno quo Phul regnauit super Assyrios, vel non multò pòst, credimus regnare etiam cœpisse Belosum super Babylonios: probabile enim est, eos concordes ab Arbace

Arbace defeciſſe, vt ſeſe inuicem pariter ab eo, qui multò potentior erat, defendere poſſent. Quot autem annis regnauerit iſte Beloſus, incertum eſt; & ideò ſcire non poſſumus, num inter ipſum & Baladan, qui poſteà regnare cœpit in Babylone anno regni Oſee Regis Iſrael primo, quemadmodum nos ſub anno mundi 3306. num.4. oſtendemus; interceſſerit vllus alius Rex, vnus, vel plures, nec ne. Si enim nullus interfuiſſet, oporteret vel ipſum Beloſum regnaſſe annos ſexaginta octo, vel aliquot annorum Interregnum inter Beloſum & Baladan interceſſiſſe. De ipſo autem Baladan, quiſnam fuerit, & de ſucceſſoribus eius, ſub anno mundi 3306. num. 1. & ſequentibus aliquid dicendum erit.

3. Per hæc circiter tempora, videns Dominus quòd Iſraelitæ, ab initio potiſſimùm regni Ieroboam filij Nabat vſque modò, centum ſcilicet & octoginta ferè annorum curriculo, perenni quadam continuatione in idolorum cultu multiſque abominandis actionibus perſeuerarent, ac indies peccata peccatis addentes, diutina Dei patientia abuterentur: volens eos, vt par erat, pro culparum acceſſione ſeueriùs punire, cœpit priùs miſericors pater frequentiores præmittere Prophetas, modò ad decem tribus, quæ magis à via Dei aberrabant; modò ad duas tantùm; modò ad omnes ſimul: qui non ſolùm eas paternè corrigerent, increparent, hortarenturque redire ad Deum patrum ſuorum, quemadmodum hactenus per alios factum fuerat; ſed etiam, qui quodammodò iuridicè, & vt dicitur, peremptoriè, imminentem ipſis, ni reſipiſcerent, interitum denuntiarent; prædicerentque, primò quidem decem tribus ab Aſſyriis in perpetuam abducendas eſſe captiuitatem; mox etiam reliquas duas in Babylonem captiuas annis ſeptuaginta manſuras; ac denique Iudaicam infidelitatem reprobandam, genteſque ad Dei Eccleſiam eſſe vocandas. Et nihilominùs, ne fortè qui inter eos non ſatis firmi iudicij eſſent, inde ſcandali occaſionem nanciſcerentur; quòd populus Dei tantùm, & is ab incircumciſis Gentilibus, qui non minùs ipſo idololatræ erant ac peccatores, opprimendus eſſet; ipſi verò Gentiles impunè peccare viderentur: aut ne putarent Deum illos vel nolle, vel non poſſe punire: voluit Dominus, vt iſtimet Prophetæ etiam contra Aſſyrios, Babylonios, Aegyptios, alioſque Ethnicorum populos Iſraelitarum oppreſſores prophetarent, prænuntiarentque ipſorum quoque interitus. Sed & ne boni pijque Hebræi de propria ſalute, ac de promiſſionibus Abrahæ factis deſperarent, quin potiùs ad pietatem magis accenderentur; dedit Dominus eiſdem Prophetis tantam ſui ſancti Spiritus copiam & affluentiam, vt inter prænuntiandum quæ diximus mala, multò etiam clariùs quàm eorum prædeceſſores prophetarent de aduentu Chriſti, de conuerſione Gentium, de ſanctæ Eccleſiæ ſplendore, de iuſtorum felicitate & malorum reprobatione, aliiſque eiuſmodi; quemadmodum in ipſorum Prophetiis intueri licet. Etenim Prophetæ, qui ab hoc circiter tempore & deinceps mitti cœperunt, hi ſunt quos communiter Quattuor maiores, & Duodecim minores, ea de cauſa nuncupamus, quam tradit S. Auguſtinus lib. 18. de Ciuit. cap. 29. nimirum, minores illos dicimus, quorum ſermones breues ſunt, in eorum comparatione, qui maiores ideò dicuntur, quòd prolixiora volumina conſcripſerint. Horum autem omnium ſcripta, Dei beneficio ac prouidentia, adhuc in Sacrorum librorum Canone regiſtrata manent, manebuntque vſque ad conſumationem ſæculi; tum in teſtimonium aduerſus perfidos Iudæos, quorum ſcelera tanto ſtudio diuina illa bonitas per ſeruos ſuos arguebat, & vt aliquando conuerterentur, cæleſtes eis vltiones intentabat; tum ad ſolatium confirmationemque fidelium Chriſtianorum, vt intelligant quantò antè ſacra ipſorum myſteria, & ſpiritualis Dei colendi ratio (antiquatis carnalibus antiquæ Legis ritibus) à Chriſto inſtituta, per eoſdem Prophetas præuiſa ac vaticinata fuerint.

CVR DOMINVS FREQVENTIVS MITTERE PROPHETAS COEPERIT.

DE 4. PROPHETIS MAIORIBVS ET 12. MINORIBVS, ET CVR SIC DICTI.

4. Porrò qui, diuino conſilio, ab hoc circiter tempore ad Babylonicam vſque captiuitatem, Hebraico populo Prophetæ miſſi ſunt, (nam de ijs qui poſt ipſam ſurrexerunt, infrà ſuis locis dicendum erit) fuerunt, Oſeas, Ioel, Amos, Abdias, Ionas, & Iſaias; qui omnes Oziæ Regis Iudæ temporibus prophetare cœperunt: deinde Michæas, regnante Ioathan dicti Oziæ filio: poſteà ſub Ezechia pariter Iudæorum Rege, Nahum: & ſub Manaſſe, Habacuc: & ſub Ioſia, Sophonias & Ieremias: denique ſub Sedecia, Ezechiel, qui licet ſexennio ante eiuſdem Sedeciæ captiuitatem, quæ per antonomaſiam Babylonica captiuitas dicitur, prophetare cœperit; prophetare tamen exorſus eſt in Babylone, hiſce nimirum Iudæis, qui cum Iechonia iam quinquennio eò tranſlati fuerant, vt patet ex initio Prophetiæ eius. Sanè ex hiſce Prophetis, Oſeas, Amos, Iſaias, Michæas, & interdum etiam Ezechiel, (licet, vt arbitror, non ex profeſſo, ſed data occaſione conferendi peccata Iudæorum cum ſceleribus Iſraelitarum) de vtroque regno, nempe Iſrae-

QVIBVS TEMPORIBVS SINGVLI PROPHETAVERINT.

AD QVOS SPECIATIM MISSI.

litico & Iudaico, nunc commixtim, nunc separatim, sua texunt oracula. In quorum numero videtur etiam poni posse Nahum, cuius de Niniue excidio Prophetia (vt in eius Prologo ait B.Hieronymus) edita fuit ad consolationem vtriusque populi, videlicet tam decem tribuũ, quæ iam à Salmanasaro abductæ Assyriis seruiebant; quàm reliquarum duarum, quæ sub Ezechia earum Rege, ab ijsdem Assyriis, Duce Sennacherib eorumdem Rege, obsidebantur. Ionas autem, qui Ieroboam in Israele regnanti plures de hostibus victorias (quemadmodum sub anno mundi 3211. num.1. probatum est) prænuntiauit, & contra Niniuem metropolim Assyriorum, à quibus posteà Israeliticus populus in captiuitatem ductus est, prophetauit; ad ipsas tantùm decem tribus missus fuisse videtur. At verò Ioël, Abdias, Habacuc, Sophonias, Ieremias, & (vt puto) Ezechiel, ad duas dumtaxat tribus, hoc est ad regnum Iudæ suas potissimùm direxisse Prophetias visi sunt. Nam (vt ait Hieronymus Prado super Ezechielis cap.2. prope finem) *nihil aliud continet Ezechielis vaticinium, nisi comminationes de euersione Vrbis & Templi; promissiones de eorumdem restitutione; atque vtrasque, verbo Dei interueniente, ratas & irreuocabiles fore*. sic ille. Subintellige, præter pauca quædam, quæ contra populos Iudæis finitimos, & alios quosdam vaticinatur, vt nos suis locis dicemus. Nec obstat quòd Ezechielis cap.2.vers.3. legimus de Domino eidem Ezechieli dicente: *Fili hominis, mitto ego te ad filios Israel*. Quia tam ibi, quàm multis aliis in locis, Scripturam sacram Israel pro Iuda vsurpasse certissimum est, vt nos sub anno mundi 3094.num.1. satis superque demonstrauimus. Ex ijsdem quoque Prophetis, Osee, Michææ, & Habacuc vaticinia ad Hebræos tantummodò pertinuisse, & nihil de alienigenis nationibus tetigisse videntur; sicuti econuersò Ionam & Nahum nihil de Hebraico populo, sed solùm de Niniuitarum interitu egisse constat. Quando autẽ memorati Prophetæ specialiter suas edere singuli cœperint Prophetias, & quænam de Christo ac de gratiæ temporibus vaticinati fuerint, & quarum nationum clades prænuntiauerint; nunc quidem de ipsorum nonnullis, aliàs verò de ceteris, vbi de singulis agere opus fuerit, dicenda erunt.

QVANDO PROPHETARE COEPERINT.

5. Igitur hisce temporibus, Ozia scilicet in Iuda, & Ieroboam filio Ioas in Israele regnantibus, vaticinari cœpisse quinque illos Prophetas, qui inter Duodecim minores primi recensentur, nempe Osee, Ioëlem, Amos, Abdiam, & Ionam, insuper & post obitum Ieroboami, adhuc tamen regnante Ozia, Isaiam, qui primus inter Quattuor Prophetas maiores ponitur; Scriptores ferè omnes admittunt. Et quidem de Osee, Amos & Isaia, ex ipsorum Prophetiarum initiis manifestum est, quòd scilicet Oziæ temporibus vaticinari cœperunt. Quamuis illud inter eos intersit, quòd ex ijs Prophetis primus omnium Oseas missus creditur; quemadmodum ex illis quoque primis Prophetiæ suæ verbis, *Principium loquendi Domino in Osee*, colligunt SS. Hieronymus & Basilius in cap.1. Isaiæ; & alij item super ipsum Osee, & alibi. Proximè verò post Osee credimus missum fuisse Amos: hi namque duo videntur prophetasse in prioribus regni Oziæ annis, quando scilicet adhuc regnabat in Israele Ieroboam. Ad quorum duorum tempora referri quoque debet Ionas, quem Regi Ieroboamo plures de hostibus victorias prænuntiasse numero præcedenti iam diximus. Isaias autem creditur vaticinia sua inchoasse in posterioribus eiusdem Oziæ annis, videlicet post defunctum Ieroboam: quandoquidem nulla ipsius mentio fit in ipso Isaiæ exordio, sicuti expressa reperitur in ipsis Osee & Amos initiis. De reliquis verò duobus, nimirum Ioële & Abdia, quoniam neque ipsi (vt interdum alij Prophetæ) neque alibi Scriptura sacra, neque Iosephus (quòd ipse obseruauerim) de ipsorum vaticinationis tempore quidquam meminere, nihil probabilius adferri posse videtur, quàm quod, vt dixi, communiter sensisse videntur Auctores, nempe eos ijsdem circiter temporibus prophetasse quibus Osee, iuxta regulam B.Hieronymi in calce Præfationis in Duodecim Prophetas traditam, & iam satis receptam, quæ habet: *Prophetas quorum tempus non præfertur in titulo, sub illis eos Regibus prophetasse, sub quibus & hi qui ante eos habent titulos, prophetauerunt*. Quod & eiusdem sancti Doctoris auctoritate confirmari potest, qui in principio Commentariorum suorum in Osee, ponit, Ioëlem & Abdiam, Osee suppares extitisse. Et prætereà de Ioële speciatim idem sentiunt ipse B.Hieronymus in primis Osee, Ioëlis, & Isaiæ capitibus; & B.Theodoretus in Prologo Duodecim Prophetarum; & Clemens Alexandrinus in primo Stromatũ, paulò post medium; & B.Augustinus lib.18.de Ciuit. cap. 27. quamuis duo postremi videantur ponere, Ioelem prophetasse temporibus Ioathan, id est aliquantò post eos, qui Ozia regnante vaticinari cœperant. Vnde non video qua ductus ratione Genebrardus libro 1.suæ Chronologiæ, Ioëlis Prophetiam sub Manasse potiùs collocare voluerit. De Abdia autem aliqua potest esse dubitatio; quia B.Theodoretus eum non Osee

DE ABDIA PROPHETA.

tantùm

tantùm & Iona, sed etiam ipso Nahum posteriorem esse voluit. Contrà autem Hebræi, ac nonnulli ex Latinis, opinati sunt hunc Abdiam fuisse eumdem cum illo, qui (quemadmodum 3.Reg.cap.18.vers.4.& 13.legimus) erat dispensator domus regis Achab: & cùm impia Iezabel ad necem quæreret Prophetas Domini, ipse abscondit eos, & clàm pauit in speluncis. Sanctus verò Epiphanius in vita Abdiæ, putat eum fuisse tertium illum Quinquagenarium Principem, quem Ochozias Rex Israel misit ad accersendum Eliam, vt latè describitur 4.Reg.cap.1.vers.13. Alij autem crediderunt, Abdiam Prophetam fuisse virum pauperculæ illius viduæ, quæ cùm debitione pecuniarum viro suo, cùm viueret, creditarum, valdè torqueretur, auxilij gratia ad Eliseum accurrit; cui ille, oleo mirabiliter multiplicato, largè subueniendum curauit, vt fusiùs traditur 4.Reg. cap.4.vers.1.vsque ad 8. Et consequenter, omnes isti faciunt Abdiam Osee multò antiquiorem. Verumtamen sanior opinio inter has media est, quòd fuerit synchronos & æqualis seu contemporaneus Osee, vt sentiunt S. Cyrillus in principio Commentariorum suorum in Abdiam, & Abulensis super 4.Reg. cap.15. quæst.31. quin etiam ipse B.Hieronymus super Osee cap.1. Et comprobari potest ex regula eiusdem S.Doctoris paulò superiùs adducta: siquidem Amos, qui proximè præcedit Abdiam, habet in titulo tempora Oziæ Regis Iudæ, & Ieroboam Regis Israel. Nec refert quòd idem Sanctus super cap.1.Abdiæ, & in Epitaphio S. Paulæ ad Eustochium, eumdem facere videatur Abdiam Prophetam cum dispensatore domus Regis Achab; quia ibi non propriam, sed Hebræorum sententiam, vt aliàs solet, simpliciter retulisse, ne sibi contrarius videatur, censeri debet. Fallitur ergo Eusebius, qui in Chronicis ait, sub Iosaphat Rege Iuda prophetasse Abdiam; quia ille Abdias, vel potiùs Obdias, cum alijs qui 2.Paralip. cap.17. vers.7. recensentur, ibidem non dicuntur Prophetæ, sed Principes Regis Iosaphat, ab eo missi vt docerent in ciuitatibus Iuda.

6. Quoniam autem numero præcedenti diximus, Amos quoque per hæc tempora prophetare cœpisse; si quæratur, idémne fuerit iste Amos cum illo qui pater fuit Isaiæ Prophetæ, vt dicitur in principio Prophetiæ eius; dicimus, non eamdem esse omnium opinionem. Nam S. Epiphanius in vita Amos Prophetæ, & Clemens Alexandrinus in 1.Stromatum, tenent hunc fuisse patrem Isaiæ: sanctus verò Augustinus lib.18. de Ciu.c.27.in oppositam magis inclinat sententiam. Beatus autem Hieronymus in Prologo Commentariorum suorum in Amos, & in principio Isaiæ, & S.Basilius in cap.1. Isaiæ, & S.Isidorus in vita Amos, absolutè tenent fuisse diuersos. Quod & probat idem S.Isidorus: *Quia*, inquit, *Amos Isaiæ pater, erat vir nobilis, habitabatq; in Ierusalem: alter verò Amos, fuit vir rusticus & pauper, nempe* (vt ipsemet cap.Prophetiæ suæ 7.vers.14. testatur) *armentarius vellicans sycomoros*, & ex oppido Thecuæ (vt patet eiusdem Prophetiæ initio) quod oppidū olim reædificauerat Roboam Rex filius Salomonis, quemadmodum dicitur 2.Paralip.cap.11.vers.6. & distabat à Bethleem Iudæ passuum millibus sex, vt tradit B.Hieronymus in Prologo Commentariorum in Amos, & ab Ierusalem, duodecim, vt idem testatur in principio capitis 6. Ieremiæ. Ex quibus obiter inferri potest, decipi S.Epiphanium loco proximè citato, vbi ponit hanc Thecuam in terra Zabulon, quæ proculdubiò multò longiùs aberat à Ierusalem: & certum est, Regem Roboam nullum habuisse oppidum in tribu Zabulon, vtpote qui super duas tantùm, Iudæ scilicet & Beniamin, tribus regnauerit. Addunt SS. Hieronymus & Basilius, Amos Isaiæ patrem ab hoc Amos Propheta, nomine etiam ipso differre, iuxta Hebraicam scriptionem, pronuntiationem, ac significationem: nam licet Latinè ijsdem prorsus vterque scribatur litteris, & eadem proferri pronuntiatione consueuerit; Hebraicè tamen, notis nonnihil diuersis scribi debere asserunt, & alterum altero, maiori aspiratione pronuntiari: & prætereà alterum ait B.Hieronymus interpretari robustum & fortem, alterum verò auulsum.

DE AMOS PROPHETA.

DE OPPIDO THECVA.

7. Ceterùm, vt aliquid etiam, iuxta superiùs num.4.pollicita, de his quæ in commemoratorum Vatum Prophetiis continentur, hoc loco attingamus; sciendum est, Osee (quem S.Epiphanius ait fuisse de tribu Issachar) cap.1.prædixisse vocationem Gentium ad Christi fidem, quemadmodùm pluribus docet B.Augustinus lib.18.de Ciu. cap.28. vbi addit, hoc etiam intellexisse Apostolos. nimirum ad Rom. cap.9. vers.25. & 26. & 1.Petr.cap.2.vers.10. vbi singuli Apostolorum Principes ipsius Osee verba in eiusdem vocationis testimonium adducunt. Prænuntiauit etiam (eodem ibidem B.Augustino teste) iste Propheta cap.eius 6.& præsertim vers.3.Christi tertio ab obitu eius die resurrectionem, quæ fuit causa nostræ tum resurrectionis, tum etiam iustificationis, vt docet Apostolus ad Rom.cap.4.in fine, & 1.ad Cor.cap.15.vers.12.& deinceps. Videtur etiam

QVAE IN SINGVLIS IPSORVM PROPHETIIS CONTINEANTVR. OSEE VATICINIA.

Osee cap.vlt.licet subobscurè, hortari Hebræos ad Christi, cùm venerit, fidem suscipiendam, vt sacri ibidem docent Expositores. Porrò Ioel prædicit duabus tribubus vastitatem, & captiuitatem Babylonicam; & hortatur eas ad pœnitentiam,& speciatim cap.2.vers.28. vsque ad finem capitis, manifestè vaticinatus est largam illam sancti Spiritus effusionem, quæ posteà decimo post Domini Ascensionem die, qui erat primus Pentecostes, cælitus facta fuit, quemadmodum eius verba citans contestatur Princeps Apostolorum S. Petrus, Actorum cap.2.vers.17. Denique idem Propheta cap. vltimo multa prædicit de postremo Iudicij die, & sub figura Tyriorum ac Sidoniorum, qui vendiderant Iudæos Græcis, de æterna tum eorum qui persecuti sunt Sanctos damnatione, tum eorumdem Sanctorum beatitudine. Amos verò, præter ea quæ Hebraico populo superuentura mala prænuntiat, prophetat etiam contra Syros,Philisthæos, Tyrios,Idumæos,Ammonitas, & Moabitas, vt videre est cap.eius 1.& 2.Sed & sub finem capitis 4.nonnihil de Christi futura prædicatione Euangelica insinuat, monetque Hebræos vt parati ad eam inueniri satagant: & cap.vlt.prædicit extremum Ierosolymæ interitum,subaudi,à Romanis faciendum.Deinde à vers.11.vsque ad finem,haud obscurè differit de vocatione Gentium; & figuratè sub quibusdam metaphoris de bonorum spiritualium affluentia & copia, quibus tunc sancta Dei fruetur Ecclesia. At verò Abdias vnico capite vaticinatur aduersus Idumæos,eò quòd adiuuissent hostes Iudæorum, quorum deinde prædicit, transacta captiuitate Babylonica,prosperitatem. Sanè Ionas, tametsi nullum verbum de pertinentibus ad tempora Legis Euangelicæ facere videatur;factis tamen suis in sua Prophetia descriptis, dilucidè admodum Christi obitum & resurrectionem præfigurauit, ipsomet Domino Matthæi cap.12.vers.40. attestante illis verbis: *Sicut enim fuit Ionas in ventre ceti tribus diebus & tribus noctibus; sic erit Filius hominis in corde terræ tribus diebus & tribus noctibus.* Et hæc pauca de hisce Prophetis hîc memorasse sufficiat:nam de Isaiæ vaticiniis, infrà sub anno mundi 3253.num.2.& aliorum item Prophetarum,locis proprijs,quantum opus fuerit,agemus. Nunc ad historiæ seriem calamum conuertamus.

(Margin: IOELIS, AMOS, ABDIAE, IONAE.)

AB ORBE CONDITO ANNVS 3248. — QVINTÆ MVNDI ÆTAT. ANNVS 226.

ISRAELITICA CAPTIVITAS POST AN.65.FVTVRA PRAEDICITVR.

1 SVB finem anni vigesimi tertij regni Oziæ Regis Iuda, qui erat trigesimus octauus regni Ieroboam Regis Israel ab obitu patris sui, vt videre est in tabulis; nimirum sexaginta quinque annis ante captam Samariam, ductosque ab Assyrijs Israelitas in perpetuam captiuitatem; prædixit Amos Propheta eamdem captiuitatem, vt totam eius Prophetiam, & præsertim ab initio capitis 5. & deinceps legentibus patet. Et hoc apertè colligitur ex Isaiæ cap.7.vers.8. vbi sub nomine Ephraim, prænuntiat interitum populi Israelitici,& Samariæ,quæ erat metropolis & caput regni eius,futurum post sexaginta quinque annos; quos impossibile est inuenire, à tempore quo hæc vaticinatus est Isaias, nempe à diebus Achaz Regis Iuda, vt in principio dicti capitis exprimitur. nam ab exordio regni Achaz ad captam Samariam, fluxerunt non plusquam vnus & viginti circiter anni,vt in tabulis supputare licet. Igitur prędicti sexaginta quinque anni (quemadmodum etiam optimè adnotauit Hector Pintus super loco Isaiæ citato) numerandi sunt à Prophetia Amos;quam plusquam quadraginta post annos confirmauit Isaias vbi suprà, addens numerum annorum, à Prophetia ipsius Amos ad prædictam Israeliticam captiuitatem à Deo præfinitum. Nec quemquam moueat,quòd ibidem Isaias dicat: *Et adhuc sexaginta & quinque anni*,&c.qui modus loquendi videtur prima fronte significare, illos annos ab eo tempore quo hæc dicebat esse numerandos: quia sensus illorum verborum est, ac si dicere voluisset: Non erit nunc quod cogitant Syri & Israelitæ aduersus Iudam, vt scilicet destruant eum;quin potiùs ipsi Israelitæ priùs destruendi sunt, quia adhuc inconcussa manet diuina præordinatio destruendi Israeliticum populum post sexaginta quinque annos,ex quo eius interitum pręnuntiauit Amos,qui anni adhuc non sunt impleti.Porrò hæc expositio sic confirmari potest.Nam Amos initio suæ Prophetiæ testatur se vidisse quæ in ea scripsit, in diebus Oziæ Regis Iuda, & in diebus Ieroboam Regis Israel, & biennio ante terræmotum, illum vtique valdè famosum, qui (vt dicitur Zachar.cap.14.vers.5.) contigit in diebus Oziæ Regis Iuda;id est anno regni eius vigesimo quinto,quemadmodum sub anno mundi 3250.num.1.dicemus.Oportet igitur ipsum Amos prophetasse anno vigesimo tertio dicti Oziæ, & trigesimo octauo præfati Ieroboam: nam ab hoc anno, ad captam Samariam atque Israeliticam captiuitatem

tatem (computatione, vt aiunt, exclusiua) medij præcisè inueniuntur anni sexaginta quinque, vt in tabulis deprehendi perspicuè potest.

¶ 2. Ex dictis duo consequuntur. Primò, decipi Riberam, qui super cap. 1. Osee num. 16. tenuit, quòd Osee & Amos prophetare cœperint intra quattuordecim primos regni Oziæ annos; & ad hoc tenendum compulsus fuit, quia credidit Ieroboam Regem Israel mortuum esse anno decimoquarto vel decimoquinto regni ipsius Oziæ: sed nos sub anno mundi 3251. num. 1. ostendemus memoratum Ieroboam reverà decessisse anno regni eiusdem Oziæ vigesimo sexto. Secundò consequitur, hallucinari Iosephum, qui lib. 9. Antiq. c. 11. circa medium, affirmat hunc terræmotum contigisse, quando Ozias Rex ausus, contra fas, vsurpare sibi officium Sacerdotale, illicò mirabiliter in fronte lepra percussus est: quod certè verum esse non potest; quia quando prodigium illud in Oziæ Regis persona accidit, iam multos ante annos obierat Ieroboam, vt ex sub annis mundi 3250. num. 1. & 3268. num. 1. dicendis apparebit. Quare, si verum est quod loco citato scribit Iosephus, & fortè ex illius sententia refert B. Hieronymus super cap. 1. Amos, & super Zachariæ cap. 14. nimirum tunc accidisse terræmotum, quando Ozias Rex officium Sacerdotale sibi vsurpare præsumpsit; profectò non potuit esse ille terræmotus admodum famosus, de quo loquitur Amos, asseritque contigisse adhuc viuente ac regnante Ieroboam in Israel; sed alter.

REFELLITVR OPINIO RIBERAE DE INITIO PROPHETIARVM OSEE ET AMOS.

REFVTATVR OPINIO IOSEPHI DE TEMPORE TERRAEMOTVS.

AB ORBE CONDITO ANNVS 3250. — QVINTÆ MVNDI ÆTAT. ANNVS 228.

1 Svb finem igitur anni regni Oziæ Regis Iudæ vigesimi quinti, qui erat pænultimus regni Ieroboam Regis Israel, biennio postquam prophetare cœperat Amos, vt ex prædictis infertur, factus est terræmotus ille, cuius meminere Amos cap. 1. vers. 1. & Zacharias cap. 14. vers. 5. conuenit enim inter omnes, terræmotum illum de quo loquitur ibidem Zacharias, eumdem esse de quo agit Amos vbi suprà. Quòd autem hoc anno contigerit iste terræmotus, probari potest tum ex Hebræorum traditione, de qua fidem facit Glossa ordinaria super 2. Paralip. cap. 26. tum ex memorata Isaiæ Prophetia. Si enim ex ipsa deducitur, Amos prophetare cœpisse anno regni Oziæ vigesimo tertio, vt iam declaratum est; & ipse Amos asserit, se prophetare cœpisse ante duos annos terræmotus; vtique sequitur, eumdem terræmotum accidisse anno regni eiusdem Oziæ vigesimo quinto. Falluntur igitur, qui putant ipsum euenisse anno regni Oziæ vigesimo secundo. Sed quid dicemus ad rationem Riberæ, qui probat eumdem esse factum anno decimoquarto, dicens: Ozias regnare cœpit anno vigesimo septimo regni Ieroboam, vt expressè dicitur 4. Reg. c. 15. vers. 1. restabant igitur tantummodò anni circiter quattuordecim de regno ipsius Ieroboam; siquidem ipse regnauit vno & quadraginta annis: itaque si Amos prophetauit regnante Ieroboam, & biennio ante terræmotum, oportet eumdem terræmotum accidisse saltem anno regni Oziæ decimoquarto, vel ante, non autem post. Solutio huius argumenti pendet ex his, quæ nos sub anno mundi 3225. num. 8. diximus, nimirum, prædictum Ieroboam bis regnare cœpisse, primò cum patre, mox sine ipso; & annum illum regni sui vigesimum septimum, in quo dicitur regnasse Ozias, numerandum esse ab eo tempore quo cœperat regnare cum patre; idem enim annus concurrit cum decimoquinto ex quo ipse Ieroboam regnare cœpit post mortem patris, vt patet in tabulis; & nos sub anno mundi proximè citato latiùs declarauimus. Et quoniam, vt ibidem expositum est, anni quadraginta & vnus regni Ieroboam, numerandi sunt ab obitu patris eius; ideò fit consequens, ipsum Ieroboam non solùm peruenisse ad annum regni Oziç vigesimum quintum, sed etiam vsque ad finem vigesimi sexti, vt in tabulis cernitur. Quare, posito, terræmotum accidisse anno regni Oziæ vigesimo quinto, nullum sequitur inconueniens, neque vlla Scripturarum dissonantia. Sanè in hoc terræmotu magnum accidisse prodigium, tradit Iosephus 9. Antiq. cap. 11. vbi quodnam illud fuerit, breuiter refert his verbis: *Eodem terræmotu, in loco qui dicitur Eroge, dimidium montis ad Occidentem vergentis reuulsum, per quattuor stadia volutum, obiectu demum Orientalis montis constitit, obstructa via publica, & oppressis ruina hortis regiis.* hæc ille.

QVOD TERRAEMOTVS, DE QVO AGVNT AMOS ET ZACHARIAS, HOC ANNO ACCIDERIT.

AB ORBE CONDITO ANNVS 3251. QVINTÆ MVNDI ÆTAT. ANNVS 229.

DE IEROBOAMI OBITV.

1 SVB finem anni regni Oziæ Regis Iudæ vigesimi sexti, necesse est obiisse Ieroboam filium Ioas Regem Israel: hoc enim tempore complentur anni quadraginta & vnus, quibus ipsum regnasse traditur 4. Reg. cap. 14. vers. 23. quandoquidem ipse Ieroboam post mortem patris sui regnauit in Israel quindecim annis, regnante Amasia in Iuda, vt ex his quæ sub anno mundi 3210. num. 3. diximus, euidenter consequitur; ergo superuixit Ieroboam ipsi Amasiæ viginti sex annis, Ozia interim regnante in Iuda. Non igitur verum est quod ait Ribera super cap. 1. Osee num. 16. videlicet, Regnum Oziæ concurrisse quattuordecim aut quindecim dumtaxat annis cum regno Ieroboam. Ceterùm, defuncto Ieroboamo non statim successisse ei in regno filium eius Zachariam, ex his quæ sub anno mundi 3225. num. 8. dicta sunt, & sub anno mundi 3263. num. 1. dicentur, manifestum fiet.

AB ORBE CONDITO ANNVS 3253. QVINTÆ MVNDI ÆTAT. ANNVS 231.

OZIAS GENVIT IOATHAM.

1 ANNO regni sui vigesimo octauo circiter ineunte, Ozias Rex Iuda, de Ierusa filia Sadoc (vt dicitur 2. Paralip. c. 27. vers. 1.) genuit Ioatham, qui posteà successit ei in regnum annos natus viginti quinque, quemadmodum sub anno mundi 3278. num. 1. probabitur. totidem autem hinc annos de Oziæ regno reliquos esse, patet in tabulis.

ISAIAS QVANDO PROPHETARE COEPERIT.

2. Per hæc circiter tempora, nimirum in diebus Oziæ Regis Iuda, postquam mortuus est Ieroboam Rex Israel, prophetare cœpit Isaias, qui primus inter Quattuor Prophetas maiores ponitur: id enim colligitur ex initio Prophetiæ eius; vbi cùm nullam fecerit mentionem dicti Ieroboam, sicuti faciunt Osee & Amos, videtur tacitè insinuare voluisse, quòd post obitum memorati Ieroboam ipse prophetare cœperit; quemadmodum etiam sub anno mundi 3238. num. 3. declarauimus. Creditur autem Isaias, regnante Ozia, ea prophetasse, (vt notat Hector Pintus in principio capitis Isaiæ 7.) quæ in primis quinque capitibus Prophetię eius continentur; nimirum multa de Iudæorum ac Synagogę exterminio, & de Gentilium vocatione ad Christi fidem, sanctęque Ecclesiæ exortu, ac mirabili incremento. Quæ verò in cap. 6. traduntur, ex eius initio certum est, contigisse anno primo regni Ioatham, qui patri successit Oziæ. Et quæ habentur in cap. 7. ac fortè etiam 8. in diebus regni Achaz; cetera verò vsque ad finem Prophetiæ, temporibus Ezechiæ prędnuntiata esse creduntur, vt infrà suis locis adnotabimus. In vniuersum autem iste sanctus Vates, quod attinet ad externas nationes, prophetat contra Assyrios cap. 10. & contra Babylonios, Philisthęos, Moabitas, Damascenos, Aegyptios, Aethiopes, & Idumęos, cap. 13. vsque ad 22. item aduersus Tyrios, & vniuersaliter contra omnes alias terræ nationes, cap. 23. & 24. Quod verò spectat ad populum Dei, præter plura Hebraici populi peccata, quæ sparsim arguit; & monita salutis, quæ eidem tradit; atque imminentia ei mala, quæ prædicit; multa item per singula ferè capita de Christo venturo, & ad eius Ecclesiam pertinentibus tangit, præsertim cap. 7. vers. 14. & 15. vbi apertè tradit, Christum de Virgine concipiendum ac nasciturum: quod &, ad maiorem huius Prophetiæ certitudinem, tamquam si iam res esset peracta, confirmat cap. 9. vers. 6. 7. & 8. & in toto ferè cap. 11. vbi de his quæ facturus erat Messias, latè differit, nimirum de eius prædicatione & fructu, hoc est de Israelitarum & Gentium conuersione; ac pro his capite sequenti gratias agit Deo. Eadem quoque, & alia his similia aliàs frequenter, modò subobscurè, modò apertè indicat, vt accuratè legentibus manifestum fiet; præsertim verò cap. 53. in quo tota ferè historia Passionis Christi traditur; & cap. 35. 54. 55. & 60. vbi apertissimè agitur de miraculis à Christo faciendis, & de vocatione ac conuersione populorum ad Christianismum. Quare non immeritò S. Hieronymus in Præfatione sua super eiusdem Isaiæ Prophetia ait, quòd non tam Propheta dicendus est, quàm Euangelista. *Ita enim*, inquit, *vniuersa Christi Ecclesiæq; mysteria ad liquidum prosecutus est, vt non putes eum de futuro vaticinari, sed de præteritis historiam texere.* & B. Augustinus lib. 18. de Ciuit. cap. 29. *Isaias*, ait, *inter illa quæ iniqua arguit, & iusta præcipit, & peccatori populo mala futura prædixit: etiam de Christo & Ecclesia, hoc est de Rege, & ea quam condidit ciuitate, multò plura quàm ceteri prophe-*

QVÆ ET SVB QVIBVS REGIBVS PROPHETAVERIT.

prophetauit, ita vt à quibusdam (alludens fortasse ad S. Hieronymi dictum) *Euangelista potiùs quàm Propheta diceretur*. Et hæc ibidem comprobat, referens multa ex capite Prophetiæ eius 53. quæ de Christo sunt; & quædam de Ecclesia, ex capite 54. *Quæ omnia*, subdit, *ita sunt aperta, vt etiam inimici intelligere cogantur.*

AB ORBE CONDITO ANNVS 3263. QVINTÆ MVNDI ÆTAT. ANNVS 241.

1 ANNO regni Oziæ Regis Iudæ trigesimo octauo, nimirum sub finem anni, regnauit Zacharias filius Ieroboam super Israel in Samaria sex mensibus, non tam eiusdem, quàm sequentis anni, vt benè notauit etiam Richardus de S. Victore in libello aliàs sæpè citato; & fecit malum coram Domino: 4. Reg. cap. 15. vers. 8. Vnde infertur, verum esse quod sub anno 3225. num. 8. supposuimus, videlicet, intercessisse annos circiter duodecim, ab obitu Ieroboam Regis Israel, ad initium regni Zachariæ filij eius: intra quod tempus necesse est fuisse Interregnum in Israel, siue ob Principum discordias, siue (vt opinatur Abulensis super cap. Reg. citato quæst. 14.) quia Zacharias, quando obiit pater eius, erat puerulus, mansitque sub Principum tutela vsque ad prædictum annum regni Oziæ trigesimum octauum propè expletum. Nec refert, quòd Scriptura sacra nullam dicti Interregni expressam fecerit mentionem; sufficit enim quòd ex antecedentibus & consequentibus satis perspicuè illud indicauerit. ZACHARIAS REGNAT IN ISRAEL.

AB ORBE CONDITO ANNVS 3264. QVINTÆ MVNDI ÆTAT. ANNVS 242.

1 ANNO regni Oziæ Regis Iuda trigesimo nono, Sellum filius Iabes, coniuratione contra Zachariam Regem facta, interfecit eum palàm, & regnauit pro eo, iuxta sermonē Domini, qui olim factus fuerat Iehu filio Iosaphat filij Namsi, quòd scilicet filij eius sessuri erant super thronum Israel, vsque ad quartam generationem, vt legitur 4. Reg. cap. 10. vers. 30. Nam post dictum Iehu regnauit filius eius Ioachaz, cui successit Ioas, deinde Ieroboam, & denique quarto & vltimo loco præfatus Zacharias. Porrò Sellum post occisum Zachariam vno dumtaxat mense in Samaria regnauit: 4. Reg. cap. 15. vers. 10. vsque ad 14. ZACHARIA OCCISO REGNAT SELLVM IN SAMARIA.

2. Eodem anno (vt expresè traditur 4. Reg. cap. 15. vers. 17.) Manahem filius Gadi de Thersa, qui (vt ait Iosephus 9. Antiq. cap. 11. vltra medium capitis) erat Dux exercitus Zachariæ, & tunc temporis apud vrbem Thapsam morabatur; audita impia domini sui nece, ascendit cum exercitu in Samariam contra Sellum Zachariæ interfectorem, eumdemque prælio victum interfecit, ac sibi Israëlis regnum propria auctoritate vsurpauit. Rediens deinde ad Thapsam, cùm noluissent eum Thapsenses recipere; ipse, vastata priùs tota eorum regione, vrbem quoque ipsam inuadens expugnauit, & tanta in eos crudelitate bacchatus est, vt non viros modò omnes gladio interfecerit, sed etiam prægnantes ipsas scindere non erubuerit. Cùm autem satis probabiliter pertimesceret, ne siue ob nimiam crudelitatem in Thapsenses exercitam, siue ob indebitam Israelitici regni vsurpationem, commotio aliqua oriretur in populo, & magna contra ipsum rebellio protinus insurgeret, pepigit fœdus cum Phul Assyriorum Rege, vt esset ei in auxilium, ac veniens firmaret regnum eius; & hac de causa ipse dabat ei mille talenta argenti, quæ exigebat ab Israele, indictis quinquaginta siclis argenti per singula cunctorum potentium ac diuitum capita. atque hac arte, & Assyriorum auxiliis, regnauit Manahem super Israel in Samaria decem annis, fecitque malum coram Domino, id est, fuit idololatra sicut fuerat Ieroboam filius Nabat: 4. Reg. cap. 15. vers. 14. vsque ad 21. MANAHEM SELLO INTERFECTO REGNAT IN ISRAEL. PEPIGIT FOEDVS CVM PHVL ASSYRIORVM REGE.

3. Sanè, quod diximus Manahem regnare cœpisse anno regni Oziæ trigesimo nono; exponi debet, sub finem anni: oportet enim ipsum esse mortuum in fine anni regni eiusdem Oziæ quadragesimi noni, vt sub anno mundi 3274. num. 2. probabitur. Igitur ex his necessariò infertur, primum annum regni Manahem concurrisse ferè totum cum anno regni Oziæ quadragesimo; & postremum dicti Manahem, cum quadragesimo nono regni Oziæ; & primum Phaceiæ filij Manahem, cum quinquagesimo eiusdem Oziæ; quemadmodum in tabulis digestum videri poterit. HORVM TEMPORVM RATIO COMPROBATVR.

AB

AB ORBE CONDITO ANNVS 3268. QVINTÆ MVNDI ÆTAT. ANNVS 246.

OZIAS SACERDOTALE OFFICIVM VSVRPANS, LEPRA MIRABILITER PERCVTITVR.

1 ANNO regni sui circiter quadragesimo tertio incipiente (vt ex infrà dicendis admodum probabiliter colligi potest) Ozias Rex Iuda, ob multa fortiter gesta in superbiam elatus, Sacerdotale officium, quod in sola tribu Leuitica, immò in sola Aaronis prosapia (vt sub anno mundi 2545. num. 16. probauimus) Dominus constituerat; vsurpare præsumpsit. Ingressus namque in Templum Domini, incensum super altare thymiamatis, obsistente sibi Azaria Sacerdote, adolere attentauit: quamobrem illicò percussit eum Dominus lepra in fronte; qua conspecta, derepentè à Sacerdotibus inde eiectus, leprosus posteà permansit vsque in diem mortis suæ, habitans in domo separata, & interim Ioatham filius eius regebat domum Regis, & iudicabat populum: 4. Reg. cap. 15. vers. 5. & fusiùs 2. Paralip. cap. 26. vers. 16. vsque ad 22. & Iosephus 9. Antiq. cap. 11. Meritò igitur qui Sacerdotale munus inuaserat, à regni gubernaculis remotus fuit. Sanè ex locis proximè citatis euidenter colligi potest, portentum istud non multis valdè annis ante ipsius Oziæ obitum contigisse; sed eo tempore, quo Ioatham filius eius iam per ætatem cœperat esse habilis (patris præsertim, licet infirmi, & Principum consiliis adiutus) ad domum regiam gubernandam, populumque iudicandum, ac cetera regni negotia expedienda: hæc enim omnia anno regni patris sui circiter quadragesimo tertio, quando ipse Ioatham sextumdecimum ætatis annum, vt videre est in tabulis, iam erat ingressus, satis commodè videtur præstare potuisse. Vnde patet omnino decipi eos, qui putant Oziam lepra fuisse percussum paulò ante obitum Ieroboam Regis Israel, quando scilicet factus est terræmotus ille famosus, de quo sub annis mundi 3248. num. 2. & 3250. num. 1. egimus: quia tunc Ioatham nondùm natus erat, nedum aptus regere populum, regiamque moderari. Eadem item ferè de causa manifestum est, nullatenus admitti posse opinionem Auctoris Chronologiæ maioris Hebræorum, qui cap. 19. satis inconsideratè protulit, Oziam postremis viginti quinque regni vitæque suæ annis mansisse leprosum: quia pariter sequeretur, Oziam fuisse percussum lepra paulò ante natiuitatem filij sui Ioatham; qui iam expleuerat vigesimum quintum ætatis annum, quando defuncto successit patri, vt infrà sub anno mundi 3278. num. 1. dicemus.

QVOD PRAEDICTA HOC CIRCITER ANNO ACCIDERINT.

AB ORBE CONDITO ANNVS 3270. QVINTÆ MVNDI ÆTAT. ANNVS 248.

TOBIAE SENIORIS ORTVS.

1 ANNO regni Oziæ Regis Iuda quadragesimo quinto circiter incipiente natum esse Tobiam seniorem, inferri potest ex his quæ sub anno mundi 3325. n. 4. dicemus; nimirum quòd quinquaginta sex annorum erat, quando cæcus repentè factus est: totidem enim annos ab hoc tempore ad illud reperiri, perspicuè patet in tabulis. De isto Tobia legimus in libro ex eius nomine inscripto, quòd vsque à pueritia sua & deinceps fuit semper valdè bonus ac timens Deum: nam cùm esset iunior, nihil puerile gessit in operibus suis: & cùm omnes ferè contribules eius pergerent ad adorandum vitulos aureos, quos fecerat Ieroboam Rex Israel huius nominis primus; ipse idololatrarum consortia deuitans, ibat statutis temporibus in Ierusalem, ibique adorabat Dominum; & omnia primitiua sua decimasque fideliter offerebat, ac tertio quoque anno proselytis & aduenis omnem decimationem ministrabat; ceteraque Legalia diligenter admodum obseruabat: Tob. cap. 1. vers. 4. vsque ad 9.

EIVS PIETAS.

AB ORBE CONDITO ANNVS 3274. QVINTÆ MVNDI ÆTAT. ANNVS 252.

IOATHAM GENVIT ACHAZ.

1 ANNO regni Oziæ Regis Iuda quadragesimonono circiter inchoante, oportet quòd Ioatham dicti Oziæ filius genuerit Achaz, qui posteà successit eis in regnum annos natus viginti, vt sub anno mundi 3293. num. 3. probabimus. tot autem annos ab hoc ad illum computari, manifestum est in tabulis.

MANAHEM MORITVR.

2. Eodem anno desinente, necesse est obiisse Manahem Regem Israel, vt dicitur 4. Reg. cap. 15. vers. 22. Quod dupliciter probari potest; Primò, quia hoc tempore expletus

pletus est numerus annorum decem, quibus ipsum regnasse iam sub anno mũdi 3264. num. 2. probatum est. Deinde, quoniam sequenti anno inchoante cœpit regnare filius eius, vt consequenter dicemus.

AB ORBE CONDITO ANNVS 3275. QVINTÆ MVNDI ÆTAT. ANNVS 253.

1 ANNO regni Oziæ Regis Iuda quinquagesimo circiter ineunte, regnauit Phaceia filius Manahem super Israel in Samaria biennio, fuitque etiam ipse idololatra, quemadmodum antecessores eius: 4. Reg. cap. 15. vers. 23. & 24. PHACEIA FILIVS MANAHEM REGNAT IN ISRAEL.

AB ORBE CONDITO ANNVS 3276. QVINTÆ MVNDI ÆTAT. ANNVS 254.

1 SVB finem anni regni Oziæ Regis Iuda quinquagesimi primi, Phacee filius Romeliæ Dux exercitus Regis Israel, coniuratione facta percussit Phaceiam Regem Israel in conuiuio, vt ait Iosephus 9. Antiq. cap. 11. prope finem capitis, & interfecit eum in turre domus regiæ, iuxta Argob in Samaria, quò fortè de conuiuio surgens confugerat; & cum eo pariter occidit quinquaginta viros de filiis Galaaditarum, qui cũstodiebant Regem, & à coniuratis defendere conabantur: 4. Reg. cap. 15. vers. 25. PHACEIA INTERFICITVR.

AB ORBE CONDITO ANNVS 3277. QVINTÆ MVNDI ÆTAT. ANNVS 255.

1 ANNO regni Oziæ Regis Iuda quinquagesimo secundo circiter inchoante, memoratus Phacee filius Romeliæ obtinuit regnum Israel, & regnauit pro Phaceia filio Manahem in Samaria viginti annis; fuitque ipse quoque impius valdè coràm Domino: 4. Reg. cap. 15. vers. 27. & 28. PHACEE FILIVS ROMELIAE REGNAT IN ISRAEL.

2. Sub finem eiusdem anni, necesse est decessisse Oziam Regem Iuda: tunc enim impletus est numerus quinquaginta duorum annorum, quibus ipsum regnasse, sæpiùs dictum est. Sepultus est autem in agro regalium sepulchrorum, eò quòd esset leprosus. Acta verò ipsius Oziæ scripsit Isaias filius Amos Propheta, vt traditur 2. Paralip. cap. 26. vers. 22. Vnde patet, ipsum Isaiam scripsisse alia quæ nunc non reperiuntur, præter ea quæ habentur in Prophetia eius. OZIAS MORITVR. ISAIAE SCRIPTA NON OMNIA REPERIRI.

AB ORBE CONDITO ANNVS 3278. QVINTÆ MVNDI ÆTAT. ANNVS 256.

1 ANNO proximo inchoante, qui erat secundus regni Phacee filij Romeliæ Regis Israel, cœpit regnare Ioatham filius Oziæ Regis Iuda in Ierusalem. Viginti quinque annos vitæ expleuerat Ioatham cùm regnare cœpisset, & sexdecim annis regnauit super Iuda (intellige, incompletis) vt ex sub anno mundi 3293. num. 2. dicendis patebit. IOATHAM REGNAT IN IVDA.

2. Eodem anno quo mortuus est Ozias Rex Iuda, & successit ei Ioatham filius eius; id est, circa initia regni eiusdem Ioatham, vt exponit Hector Pintus in principio capitis 7. Isaiæ; vidit idem Isaias Propheta Dominum sedentem super solium excelsum & eleuatum, & cetera quæ ipsemet describit in suæ Prophetiæ cap. 6. per totum. Quod autem attinet ad Ioatham Regem, quoniam fuit veri Dei cultor, & sperauit in eo, proptereà direxit Dominus vias eius, & prosperauit eum in omnibus operibus eius. Ipse extruxit vnam de quattuor portis Templi, fecitque eam sublimissimam atque excelsam. Hanc quidam putant esse illam, quam Ieremias cap. 26. vers. 10. & cap. 36. vers. 10. appellat Portam nouam, vt scribit Dionysius Carthusianus super eisdem Ierem. locis. Et item idem Rex in muro qui dicebatur Ophel, multa construxit. Vrbes quoque ædificauit in montibus Iuda, & in saltibus castella & turres. Pugnauit item feliciter contra Ammonitas, redegitque eos sub tributo: siquidem per aliquot annos dabant ei centum talenta argenti, & decem millia coros tritici, ac totidem hordei. Et hæc sunt, ISAIAS VIDIT VISIONEM GRANDEM. IOATHAM GESTA.

quæ de actis Ioatham Regis Iuda breuiter tanguntur 4. Reg.cap.15. verſ.32. vſque ad 37.& 2.Paralip.cap.27. per totum.

DE INITIO OLYMPIADVM.

3. Eodem anno regni Ioatham Regis Iuda primo, credimus inchoatas eſſe in Græcia,quas vocant Olympiades, vt ex infrà, præſertim num.6. dicendis manifeſtum fiet: non quòd reverà tunc primùm celebrari cœperint ludi Olympici; conſtat enim ipſos longè ante hæc tempora primùm ab Hercule, vt aiunt, in Elea regione fuiſſe introductos; ac deinde aliquoties quibuſdam de cauſis intermiſſos, atque item à pluribus deinceps fuiſſe renouatos; quemadmodum veterum Scriptorum auctoritatibus fusè admodum probat Onuphrius Panuinius in ſuis ſuper lib.1. Faſtorum Commentariis: ſed quia tunc demum ab Eleorum Rege,cui nomen erat Iphitus,adeò firmiter ſollemniterque reſtituti, & deinde ab ipſo poſteriſque continuati fuerunt; vt propterea poſtmodum Scriptores ad id temporis ipſorum exordium referre non dubitauerint, eumdemque Iphitum non modò eorumdem inſtauratorem, ſed tamquam primarium inſtitutorem communiter celebrare. Sanè,quid de hoc Olympiadum initio cum ſacris Annalibus componendo alij ſenſerint, non valdè curandum puto: nam ſi Doctorum opiniones, quoto ſcilicet Hebræorum Regum anno iſta Olympiadum inſtitutio, ſeu veriùs reſtitutio facta fuerit, attendere velimus; vix aliquos inter ſe omnino conſentientes inueniemus: quandoquidem aliqui Oziæ temporibus, alij regnante Ioatham, alij in diebus Achaz eas cœpiſſe contendunt; & qui de Rege non diſcrepant, de eiuſdem regni anno diſſentiunt. Verùm enimuerò,non mirum eſt,diuerſos Auctores, vtpote tempora diuerſimodè calculantes, diuerſa ſentire: illud magis mirandum videtur,vnum eumdemque Auctorem, Euſebium dico, in hac re adeò varium extitiſſe, vt in Chronicis teſtatum reliquerit ex Iulio Africano, primam Olympiadem temporibus Ioatham incidiſſe; & lib. 10. de Præparatione Euangelica, circa poſtremi capitis initia ſcripſerit, Olympiades ab anno Oziæ quinquageſimo ſumpſiſſe principium; & deniquesub finem eiuſdem capitis dixerit, eaſdem inchoaſſe temporibus Achaz. Quod etſi fortè non ex propria, ſed aliorum ſententia protuliſſe putandum eſt, non tamen defuerunt ex recentioribus haud infimæ notæ Auctoribus, inter quos Pererius lib. 11. in Danielem quæſt. 2. qui poſtremam hanc ſecuti opinionem, eumdem pro ſe adducunt Euſebium;quamuis ipſe in Chronicis,vt ſeſe cum Africani ſententia conformaret, primum quidem primæ Olympiadis annum in anno regni Oziæ quinquageſimo, quartum verò in primo regni Ioatham collocare ſtuduerit; & nihilominùs in ſua ſubductione lapſus eſt, vt num. 5. oſtendemus.

QVO HEBRAEORVM TEMPORE ID FACTVM FVERIT.

CVR AVCTORES INTER SE VARII FVERINT.

4. Sed vt penitiùs rem ſcrutantes, tandem huius inter Auctores diuerſitatis cauſas aperiamus; ſcire oportet, Scriptores, quotquot Olympiadum initia ad Regum Hebræorum tempora reducere conati ſunt, omnes vno ore in hoc principio conueniſſe, quòd ſcilicet primus regni Cyri Regis Perſarum annus anno primo Olympiadis quinquageſimæ quintæ inciderit, vt nos ſub anno mundi 3494. num. 1. oſtendemus. Excipio hîc Annianæ Chronologiæ ſectatores, qui perperàm, & contra communem veterum probatiſſimorumque Scriptorum ſententiam, primum eiuſdem Cyri annum in primum Olympiadis ſexageſimæ ſextæ annum coniicere non erubuerunt. Cùm igitur communiter magis probati Auctores pro certo habuerint, ipſas Olympiades à memorato Iphito celebrari cœpiſſe ducentis ſexdecim annis ante primum dicti Cyri annum: hanc ducentorum ſexdecim annorum ſummam, ab eodem primo Cyri anno ſurſum per tempora in Sacris libris notata deducentes, vnuſquiſque primum primæ Olympiadis annum in eo Hebræorum Regum anno ſtatuit, in quo prædictam ſummam terminaſſe deprehendit. Hæc nimirum optima ſemper fuit methodus, ad indagandum, in quonam regni Hebræorum anno apud Græcos cœperint Olympiades.

DIVERSA SVPPVTANDI RATIO EX TRIBVS DIFFICVLTATIBVS ORTA.

5. Sed quænam,obſecro (dicet aliquis) fuit tot tamque diuerſarum opinionum occaſio? Nulla certè (vt arbitror) alia, niſi diuerſa ſupputandi ratio. Nam vt omittam quòd aliqui annos fractos pro integris enumerant, & contrà; quæ res paucorum profectò annorum differentiam parere poteſt: tres potiſſimùm difficultates in horum temporum ſerie ex ſacris Annalibus colligenda reperiuntur, ex quibus tota pænè eiuſmodi opinionum varietas emanauit. Prima difficultas eſt de annis regni Amon filij Ezechiæ Regis Iuda, quos aliqui plures, aliqui pauciores faciunt, vt paulò pòſt dicemus. Secunda, à quonam tempore numerandi ſint ſeptuaginta Babylonicæ captiuitatis anni. Tertia, num ille primus regni Cyri annus, quem diximus incidiſſe anno primo Olympiadis quinquageſimæ quintæ, fuerit ille in quo ſoluta fuit dicta captiuitas,nec ne. Cùm enim in hiſce difficultatibus diſſoluendis, de quibus nos accuratiùs infrà ſuis locis agemus, non

non eadem fuerit Scriptorum sententia;necessariò etiam inter ipsos de initio Olympia- PERERII
dum opiniones fuisse diuersas oportuit. Quod vt aliquot exemplis planum fiat, suppo- SVPPVTA-
namus primò,aliquos credidisse quòd Amon duobus tantùm annis super Iudam regna- TIO.
uerit; & quòd Babylonicæ captiuitatis septuaginta anni, ab vndecimo regni Sedeciæ
Regis Iuda anno numerari debeant; & item, quòd annus regni Cyri primus fuerit et-
iam primus solutæ captiuitatis: isti profectò ex Sacris libris ita suam instituent suppu-
tationem. Annum Cyri primum immediatè præcesserunt captiuitatis anni septuagin- 70
ta,dein Sedeciæ anni vndecim, & Ioakim pariter alij vndecim, & Iosiæ triginta vnus, 11
Amonis duo, Manasses quinquaginta quinque, Ezechiæ viginti nouem. his si de annis 11 31
regni Achaz addantur anni septem,habebimus summam ducentorum sexdecim anno- 2
rum. Ergo (inferre poterunt) annus primus primæ Olympiadis, fuit annus octauus 55 29
regni Achaz: ab ipso enim ad primum Monarchiæ Cyri, inueniuntur anni ducenti 7
sexdecim, vt ait Pererius vbi suprà. Eusebius verò in Chronicis, licet etiam ipse putet,
Cyrum anno regni sui primo soluisse captiuitatem; quia tamen ibidem supponit, se- 216 EVSEBII
ptuaginta eiusdē captiuitatis annos à regni Iosiæ anno decimotertio esse numerandos; SVPPVTA-
& item Amonem non duobus tantùm, sed duodecim annos regnasse super Iudam;cre- TIO.
didit se posse initium Olympiadum ad initium quinquagesimi regni Oziæ anni redu-
cere,verumtamen in sua supputatione defecit: etenim reliqui regni Oziæ anni tres, & 3
Ioatham sexdecim, & Achaz sexdecim, & Ezechiæ viginti nouem, & Manasses quin- 16
quaginta quinque,& Amonis duodecim, & Iosiæ tredecim, & captiuitatis septuaginta, 16 29
conficiunt summam annorum ducentorum quattuordecim . vnde ad explendas quin- 55
quaginta quattuor Olympiades plenas,id est ducentos sexdecim annos, deficiunt anni 12
duo. Igitur iuxta Eusebij computum,remoto errore calculi,initium Olympiadum,non 13 70
ad quinquagesimum, sed ad quadragesimū octauum regni Oziæ annum referri debet.
Qui autem senserunt (inter quos fortè credi potest fuisse Iulius Africanus) septuaginta 214 ALIORVM
annos Babylonicæ captiuitatis desiisse quidem in anno primo Cyri, vt tenuerunt Euse- SVPPVTA-
bius & alij, sed inchoasse anno regni Ioakim tertio desinente,& præterea Amonem an- TIO.
nis dumtaxat duobus regnasse; proculdubiò ex his suppositionibus deducunt, Olym-
piades anno regni Ioatham septimo esse inchoatas. Nam si numeremus captiuitatis an- 70 3
nos septuaginta,& Ioakim tres, & Iosiæ triginta vnum, & Amonis duos, & Manasses 31
quinquaginta quinque, & Ezechiæ viginti nouem,& Achaz sexdecim, & Ioatham de- 2 55
cem;resultabit prædicta summa ducentorum sexdecim annorum:& ita annus septimus 29
regni Ioatham, erit primus primæ Olympiadis. Quare ex his paucis exemplis discere li- 16 10
cet,quàm facile sit,ex varia prædictarum difficultatum terminatione,varias quoque at-
que multiplices de Olympiadum initio deducere positiones. 216

6. Nos igitur cùm pro certo habeamus, Amonem duos tantū regni annos transegis- AVCTORIS
se, vt ex his quæ sub anno mundi 3393.num.2.dicemus,euidenter patebit; & item se- SENTENTIA
ptuaginta captiuitatis annos à Ieremia prænuntiatos,credamus ab anno Sedeciæ vnde-
cimo esse numerandos; quemadmodum pluribus argumentis sub anno mundi 3447.
num.2.demonstrabimus; & præterea teneamus, Cyrum non anno regni sui primo, sed
vigesimo quarto, qui fuit Monarchiæ suæ primus, soluisse Iudæorum captiuitatem, vt
sub anno mundi 3494.num.2.3.& 4. cùm ex sacris, tum ex Ethnicis probatisque Scri-
ptoribus comprobabimus; consequenter ponere debemus,primum primæ Olympiadis
annum cum anno regni Ioatham primo concurrisse, quemadmodum ex computatio-
ne in nostris tabulis digesta cognoscere quiuis poterit. Pro qua sententia confirmanda,
illud etiam adduci potest, quòd sic in re antiquissima,ab antiquissimo probatissimoque
Scriptore, Iulio scilicet Africano, qui Olympiades temporibus Ioatham Regis Iuda
cœpisse, Eusebio teste,affirmauit, non discedimus, neque à B.Hieronymo, qui super
cap.1. Isaiæ ait, Ezechiam Regem Iuda regnare cœpisse anno regni Romuli duodeci-
mo. Quamuis meliùs dixisset, nono vel decimo:nam si anno regni Achaz septimo Ro-
ma condi cœpta est, vt nos sub anno mundi 3300.num.1. probabimus;vtique necessa-
riò consequitur, initium regni Ezechiæ incidisse anno Vrbis conditæ nono vel decimo,
vt videre est in tabulis. constat enim, omnes Auctores Romuli annos ab Vrbe condita
dinumerare consueuisse. Et præterea,cùm hac eadem nostra sententia concurrit com-
munis veterum Scriptorum opinio,qui,vt sub anno mundi 2849.num.2.diximus,asse-
runt Troiam à Græcis fuisse captam regnante in Assyria Tautane Rege Assyriorū XXVI.
ponuntque à Troia capta ad initium Olympiadum (quemadmodum sub anno mun-
di 2872.num.2.diximus) alij quidem annos quadringentos nouem, alij quadringentos
sex, alij quadringentos quinque, alij verò quadringentos; vnde oportet ipsam fuisse ca-

ptam vel anno regni prædicti Tautanis trigesimo, vel vigesimo quarto, vel vigesimo tertio, vel vigesimo primo: quarum opinionum mediam, tamquam tutiorem, nobis deligendam duximus, nimirum ipsam Troiam anno dicti Tautanis vigesimo quarto fuisse incensam; à quo anno ad hunc primum regni Ioatham, anni quadringenti sex inueniuntur, vt patet in tabulis. Neque verò nos in hoc à B. Cyrillo Alexandrino, qui lib. 1. Contra Iulianum, eos facit quadringentos quinque, discrepare censendi sumus; quia parum refert, arbitrari quòd fuerint quadringenti quinque integri, aut quadringenti sex inchoati. Si autem in annis regni Achaz, vt quidam volunt, inchoatę essent Olympiades; vtique fateri oporteret, Troianum incendium non Tautane, sed Tanteo in Assyria regnante, incidisse: & annum regni Romuli seu Vrbis conditæ nonum aut duodecimum, non cum primis, sed cum postremis regni Ezechiæ annis concurrere necesse esset.

DE ALIQVA OLYMPIADVM NOTITIA.

7. Vt autem hîc aliquid, quantum instituto nostro deseruire possit, de Olympiadum notitia breuiter disseramus; supponendum est primò, vnamquamque Olympiadem, vnius cuiusdam anni magni, qui quattuor annorum Solarium intercapedinem complectebatur, quodammodò vicem gessisse, quemadmodum fusè admodum pluribus veterum Scriptorum auctoritatibus probat Panuinius suprà num. 3. allegatus. Et hæc est communissima receptissimaque omnium sententia, ita vt hac in re ampliùs non sit immorandum. Etymologia verò & origo Olympiadum hęc fuisse traditur: Fuit olim apud Græcos in Occidentali tractu Peloponnesi, regio nomine Elea, habens ab Occasu Zacynthum, Ionij maris insulã, vt videre est apud Abrahamum Ortelium in Tabula 112. Græcia vetus inscripta. Porrò in dicta regione, prope Alpheum fluuium, vrbs erat Olympia nuncupata, à qua non procul aberat fanum quoddam celeberrimum Ioui dicatum, quod à proximæ vrbis nomine, Iouis Olympij fanum dicebatur: in cuius conspectu instituti antiquitus fuerant (vt suprà num. 3. dictum est) ab Hercule, & post multa tempora ab Iphito renouati, ludi quidam gymnici, & diuersi generis certamina, quæ, quòd ibi in honorem Iouis Olympij, maximo totius Græciæ concursu, quarto quoque anno exacto, seu quinto iam incepto, celebrarentur, Olympia nuncupari cœperunt. Et exinde inualuit consuetudo, singula illa quattuor annorũ interualla, non solùm Olympiadum nomine appellare, sed etiam per easdem Olympiades tempora metiri. Cùm enim, qui in eiusmodi ludis ac certaminibus victores euasissent, valdè in populis commendari, atque in honore apud omnes haberi cœpissent; cœperunt quoque Scriptores, tum de singularibus ludorum certaminumque adinuentionibus, quæ in tali vel tali Olympiade primùm inuectæ essent; tum de his qui in singulis Olympiadibus ludorúmve generibus victoriam reportarant, in suis Commentariis mentionem facere. Cuius rei exempla collegit plurima Panuinius loco suprà citato. Deinceps verò paulatim ceteras quoque res gestas memoratu dignas, per annos Olympiadum digerere ac notare introductum fuit, hoc pacto: Anno 1. vel 2. vel 3. vel 4. Olympiadis primæ vel secundæ, aut decimæ, aut centesimæ, &c. actum est hoc vel illud. Et ex tunc, boni Scriptores quæque ad sua tempora referre consueuerunt: nam anteà (vt optimè à Iulio Africano lib. suorum Annalium 3. scriptum fuisse refertur) vsque ad Olympiades, nihil exploratum, quo quid tempore actum sit, in Historia Græcorum inueniri, certum est; sed omnia confusis corrupta temporibus: post Olympiades verò, quoniam quadriennio omnia diligentissimè notabantur, nullam prorsus temporum confusionem extitisse.

ETYMOLOGIA ORIGOQVE OLYMPIADVM.

QVOD ANNI OLYMPICI IN AESTATE INCIPERENT.

8. Sanè quòd prædicti agones gymnastici fierent in æstate, (hoc enim scitu maximè necessarium est) constat auctoritate Pindari Scriptoris antiquissimi, & Titi Liuij Decadis tertiæ lib. 7. & Censorini lib. de Die natali cap. 14. quod est De annis Romanis; & Senecæ in Hercule furente, & aliorum quos citat Panuinius loco superiùs adducto: vnde etiam consequitur, annos Olympiadum ab æstiuo tempore, id est à Solstitio circiter Æstiuo, siue à Nouilunio ei proximo; non autem ab Autumnali Æquinoctio, vt quidam existimarunt, initium sumere consueuisse. Et quidẽ, quòd idem esset anni Olympici exordium, & Anni ciuilis seu communis, supponitur ab omnibus, tamquam valdè admodum verisimile, vel potiùs indubitabile: quoniam ipsæ Olympiades per annos ciuiles computari solebant. Verùm causa dissensionis inter Auctores de anni tempore, quod esset principium anni Olympici, fuit, quia plurimi arbitrati sunt, annum ciuilem seu vulgarem apud Græcos inchoari consueuisse ab Autumno, & consequenter ipsas quoque Olympiades, & singulos ipsarum annos. Huius opinionis fuerunt Alphonsus in Tabulis, & Rogerius Bacco in Epistola ad Clementem Quintum, & Io. Lucidus in libello de Vero die Passionis Christi cap. 7. vbi memoratas Pindari, Liuij, Censorini, & aliorum auctoritates, asserentium, ludicra Olympica fieri in æstate, non benè interpretatur,

tatur; esse intelligendas de fine Æstatis, qui cum Autumno continuatur. At Onuphrius vbi suprà probat auctoritatibus Bedæ in lib. de Rerum natura cap. 10. & 35. & Theodori Gazæ in lib. de Mensibus, Grecos incipere solitos fuisse annum suum ab Aestiuo Solstitio. Solutio autem huius difficultatis à Simplicio est desumenda, qui in Commentariis lib. 5. Physicorum Aristotelis; *Nos*, inquit, *Athenienses, anni principium in Solstitio Aestiuo facimus; hi verò qui eam partem, quæ nunc Asia dicitur, incolunt, in Autumnali Aequinoctio*, &c. Patet igitur ex hoc præstantissimi Philosophi testimonio, in casu nostro esse distinguendum de Græcis Europæis, & Asiaticis: extitisse enim antiquitus Græcos Europæos, & Asiaticos, perspicuè licet intueri in præclara Veteris Greciæ tabula, quam posuit in suo mundi Theatro Abrahamus Ortelius, & est in numero Tabularum 112. Itaque Auctores, qui aiunt Græcos inchoasse annum suum ab Autumno, intelligendi sunt loqui de Græcis, qui partes Asiæ, quam vocant minorem, Mediterraneo proximas inhabitabant: qui verò asserunt, eosdem Græcos ab Aestiuo Solstitio annum exordiri, proculdubiò accipi debent de his qui Greciæ prouincias in Europa existentes incolebant, inter quas etiam illam, quam olim tenebant Athenienses, & illam item in qua vrbs Olympia & fanum Iouis Olympij erant, computari certissimum est. Cùm igitur apud Græcos Europeos prædicti ludi seu agones Olympici, quinque diebus continuis, hoc est ab vndecima die primi mensis vsque ad decimamsextam, quarto quoque anno celebrarentur: vtique consequitur, sine vlla prorsus hæsitatione tenendum esse, quòd anni Olympici & singulæ Olympiades, non ab Autumnali Aequinoctio, sed à Solstitio Aestiuo incipere consueuerant. Et hæc de Olympiadum notitia hîc attigisse sufficiat: qui enim plura desiderant, ad commemoratos Auctores pro libito suo recurrere poterunt.

AB ORBE CONDITO ANNVS 3283. QVINTÆ MVNDI ÆTAT. ANNVS 261.

☞ 1 ANNO regni Ioatham Regis Iuda sexto, incidit annus Iubilei decimiquarti: concurrit enim dicti Regis annus sextus, vt patet in tabulis, cum anno introitus filiorum Israel in terram Chanaan septingentesimo; qui præcisè quattuordecim continet Iubileos. IVBILEVS DECIMVS-QVARTVS.

AB ORBE CONDITO ANNVS 3285. QVINTÆ MVNDI ÆTAT. ANNVS 263.

1 ANNO regni Ioatham Regis Iuda octauo circiter inchoante, qui concurrit cum duodecimo vitæ filij sui Achaz, vt cernitur in tabulis, oportet natum esse Ezechiam, qui posteà patri suo Achaz successit in regnum: etenim viginti quinque annorum erat Ezechias quando regnare cœpit, vt sub anno mundi 3308. num. 2. probabitur: totidem autem ab hoc anno ad primum regni ipsius Ezechiæ reperiri, constat in tabulis. Est autem admodum admirabile (vt notat etiam Caietanus super 4. Reg. cap. 18.) quòd puer vndecim annorum generare potuerit; cùm illa ætas communiter ad generandum apta non sit. Verumtamen idem quoque in Salomone, sicut in Achaz, contigisse affirmat B. Hieronymus in Epistola 132. quæ est ad Vitalem; vbi ad huius rei comprobationem adducit exemplum cuiusdam mulieris, quæ suo tempore de puero decem annorum concepisse dicebatur; & pluribus item rationibus id fieri potuisse confirmat. Sed, quod attinet ad Salomonem, nos iam sub anno mundi 3018. num. 1. probauimus, non esse verum quòd ipse anno vitæ suæ vndecimo filium genuerit. De ipso autem Achaz id negare nullo modo possumus: nam etsi Abulensis super 4. Reg. cap. 18. quęst. 3. & 4. nimis subtiliter componendo annos fractos cum integris, nitatur ex Sacro textu elicere, ipsum Achaz quattuordecim ferè annorum fuisse, quando genuit Ezechiam; nihilominus, meo iudicio, fallitur, nec intentum assequitur: quandoquidem, præterquam quòd expositio eius nimis videtur extorta, supponit etiam, ipsum Achaz vixisse annos triginta octo; quod manifestè refragatur Scripturæ sacrę, ex qua euidenter colligitur, ipsum Achaz nec trigesimum sextum vitæ annum expleuisse: siquidē viginti annorum erat quando regnare cœpit, & sexdecim annis incompletis regnauit, vt nos sub anno mundi 3293. num. 2. probabimus. Ceterùm, nomen matris ipsius Ezechiæ fuit Abi siue Abia filia Zachariæ, vt dicitur 4. Reg. cap. 18. vers. 2. & 2. Paralip. cap. 29. vers. 1. ACHAZ GENVIT EZECHIAM.

PHVL REX ASSYRIORVM MORITVR.

2. Eodem anno regni Ioatham Regis Iuda propè explendo, credimus decessisse Phul Regem Assyriorum; cùm regnasset (vt scribunt Genebrardus in sua Chronologia, & alij) annis quadraginta octo: hi enim hoc tempore impleti sunt, vt videre est in tabulis. Quare

AB ORBE CONDITO ANNVS 3286. | QVINTÆ MVNDI ÆTAT. ANNVS 264.

THEGLATHPHALASAR REGNAT IN ASSYRIA.

1 ANNO proximo, qui erat regni Ioatham Regis Iudæ nonus, regnare cœpit Theglathphalasar Rex Assyriorum XXXVIII. Fallitur ergo Genebrardus in sua annorum supputatione, asserens ipsum Theglathphalasar anno regni Ioatham septimo imperium adiisse.

MICHAEAS PROPHETARE INCIPIT.

2. In diebus Ioatham Regis Iudæ cœpit prophetare Michęas (vnus de Duodecim Prophetis minoribus, & in ordine ipsorum iuxta editionem Vulgatam sextus) vt ipsemet in initio suæ Prophetię testatur; vbi addit, se etiam prophetasse in diebus Achaz & Ezechiæ: ex quo patet, ipsum multis annis in hoc vaticinandi munere perseuerasse; & consequenter alia plura, præter pauca illa, quæ in eiusdem Prophetia habentur, prophetasse. Quo verò dicti Regis anno prophetare cœperit, quia definire non possumus, propiùs vero accedere satagentes, hîc, nimirum circa medietatem regni eius, huius Prophetæ mentionem facere maluimus. Oportet autem prædictum Michęam longè diuersum esse ab eo, cuius fit mentio 3. Reg. c. vlt. qui prophetauit interitum Regi Achab, prædicens quòd Dominus decipere illum decreuerat per spiritum mendacem in ore omnium prophetarum; quamobrem ab eodem Rege iussus est includi in carcerem, & interim parco admodum ac vili cibo sustentari, vt ibidem describitur. Et ratio diuersitatis euidens est: nam alioqui oporteret Michæam, qui (vt diximus) etiam Ezechiæ temporibus prophetauit, supra ducentos vixisse annos; & plus centum ac septuaginta annis prophetandi munus exercuisse: etenim, à postremo anno regni Achab, quando ille Michæas filius Iemla iam vir erat, & prophetabat, & consequenter non videtur fuisse minor triginta annorum, vsque ad secundum regni Ezechiæ annum, inueniuntur anni centum septuaginta duo, vt dinumerari potest in tabulis. Porrò Michæas, de quo hîc agimus, in sua Prophetia quæ in Sacris libris registrata est, prophetat contra Samariam, & vniuersum regnum Israeliticum, cuius illa erat metropolis, quòd scilicet breuî ab Assyriis erat destruendum: & item aduersus Regnum Iudæ, prædicens duas tribus, Iudæ videlicet & Beniamin, ab iisdem Assyriis primò grauiter affligendas; quod posteà contigit regnante Achaz, contra quem misit Dominus Theglathphalasar, vt sub anno mundi 3305. num. 2. dicemus: & Ezechiæ temporibus, quando venit Sennacherib in Iudæam, vt sub anno mundi 3322. num. 1. patebit. Mox vaticinatur easdem tribus à Chaldæis in captiuitatem abducendas, & denique ab ea liberandas. Quædam pręterea sparsim vaticinatur de Christo venturo, nempe cap. 2. vers. 12. & 13. vbi præmonstrat Christi Sanctorumque in cælum ascensionem, & c. 4. multa de Gentium ac Iudæorum conuersione, & cap. 5. vers. 2. prædicit Christum nasciturum in Bethleem Iudæ, quemadmodum ipsimet Iudæi ab Herode interrogati testificantur Matthæi cap. 2. vers. 5. & multa alia subobscurè insinuat ad tempus prædicationis Euangelicæ pertinentia, vt accuratiùs sensum eius scrutantibus innotescere poterit.

QVOD SIT DIVERSVS AB EO QVI PROPHETAVIT TEMPORE ACHAB.

EIVS VATICINIA.

NAHVM QVANDO PROPHETAVERIT.

3. Sub eodem quoque Rege Ioatham prophetasse Nahum, scribit Iosephus 9. Antiq. propè finem capitis 11. Quamquam tutior videtur opinio dicentium, Prophetiam ipsius Nahum potiùs ad Ezechiæ Regis tempora pertinere, vt nos sub anno mundi 3321. num. 3. & 4. dicemus.

AB ORBE CONDITO ANNVS 3293. | QVINTÆ MVNDI ÆTAT. ANNVS 271.

DVO REGES, SYRIAE SCILICET ET ISRAEL, INCIPIVNT VEXARE IVDAM.

1 ANNO regni Phacee filij Romeliæ Regis Israel decimoseptimo, qui erat regni Ioatham Regis Iuda postremus, cœpit Dominus mittere Rasin Regem Syriæ, & prædictum Phacee Regem Israel contra Iudam (vt dicitur 4. Reg. cap. 15. vers. 37. & ibidem putat Abulensis, exponens verba illa; *In diebus illis*, id est postremis regni Ioatham, de quo ibi agitur:) deinceps verò temporibus filij eius Achaz, ijdem Reges magis infestarunt Iudæos, vt ex sequentibus patebit. Quamquam probabile est, prædictos duos Reges, etsi adhuc viuente Ioatham, qui fuit vir bonus ac timens Deum, aliquas

aliquas fortè in Iudam excursiones facere cœperunt; nullum tamen eidem notabile damnum intulisse, sed fuisse quædam malorum veluti præludia futurorum.

2. Eodem anno, qui erat regni eius decimussextus, mense circiter (vt arbitror) nono, dormiuit Ioatham Rex Iuda cum patribus suis, & sepultus est cum eis in ciuitate David: 4. Reg. cap. 15. in fine, & 2. Paralip. in calce capitis 27. Vnde patet, ipsum Ioatham non omnino expleuisse sextumdecimum regni sui annum. Et hoc necessarium est pro certo ponere; alioqui non potuisset filius eius Achaz aliquid attingere de anno regni sui sexto decimo; & consequenter nullo modo veridicum esse posset dictum sacræ Scripturæ paulò pôst citandæ, asserentis, ipsum Achaz regnasse annis sexdecim: siquidem ab anno regni Phacee secundo, in quo dictum est regnare cœpisse Ioatham, vsque ad annum tertium regni Osee Regis Israel, in quo (vt sub anno mundi 3308. num. 1. dicemus) regnare cœpit Ezechias filius Achaz Regis Iuda; computatione, vt aiunt, vtrimque inclusiua, inueniuntur anni tantummodò triginta & vnus, vt dinumerari potest in tabulis. Quare constat, Scripturæ sacræ assertiones, tam de Ioatham quàm de Achaz, quòd scilicet vterque regnauerit sexdecim annis, necessariò debere subintelligi, incompletis. Quamquam crediderim, vt dictum est, ipsi Ioatham tres vel quattuor dumtaxat menses defuisse quò minùs annum regni sextumdecimum expleret: Achaz verò suum decimumsextum regni annum per tres tantùm aut quattuor circiter menses inchoasse. IOATHAM REX IVDA MORITVR. DE ANNIS REGNI EIVS, ET FILII EIVS ACHAZ

3. Eodem anno regni Phacee Regis Israel decimoseptimo propè desinente, nimirum statim defuncto Ioatham, regnauit Achaz filius eius pro eo super Iuda: 4. Reg. cap. 16. vers. 1. & 2. Paralip. cap. 28. vers. 1. quibus in locis protinus subiungitur: *Viginti annorum erat Achaz cùm regnare cœpisset* (id est vigesimum vitæ annum iam expleuerat; ita vt primus regni, esset ætatis vigesimus primus) *& sexdecim annis regnauit in Ierusalem*, subintellige, fractis, vt numero præcedenti probatum est. Oportet igitur primũ regni Achaz annum aliquid tantùm participasse de anno regni Phacee decimoseptimo, pro maiori autem parte cum decimooctauo concurrisse, quemadmodum positum est in tabulis. Porrò Achaz fuit Rex valdè impius, & idololatra: siquidem derelicto Domino Deo patrum suorum, secutus est vias Regum Israel; fecitque statuas, & coluit eas in excelsis, & in collibus, & sub omni ligno frondoso, & insuper lustrauit filios suos in igne, & consecrauit eos idolis, vt olim solebant gentes Chananæorum, quas deleuerat Dominus de terra illa: 4. Reg. cap. 16. vers. 3. & 4. & 2. Paralip. cap. 28. vers. 1. vsque ad 5. Iosephus 9. Antiq. cap. 12. quod dictum est de filiorum lustratione, sic exponit: *Proprium filium holocautoma obtulit ritu Chananæorum.* Propterea idem Achaz, Domino permittente in punitionem scelerum suorum & populi qui eum sequebatur, cœpit statim maximis bellorum inuasionibus molestari & opprimi, primò à Rasin Rege Syriæ, deinde à prædicto Phacee Rege Israel, mox ab ambobus simul iunctis, (ij enim duo, partim seorsum alter ab altero, partim simul conuenientes, Iudam sæpiùs vehementer afflixerunt;) & denique à Rege Assyriorum, vt infrà suis locis dicetur. Igitur ACHAZ REGNAT IN IVDA. EIVS IMPIETATES. PVNITIONES.

AB ORBE CONDITO ANNVS 3294. | QVINTÆ MVNDI ÆTAT. ANNVS 272.

1 ANNO regni Phacee Regis Israel decimooctauo, qui (vt diximus) pro maiori parte concurrebat cum primo regni Achaz Regis Iuda, tradidit Dominus exercitum ipsius Achaz in manu Regis Syriæ, qui percussit eum, magnamque ex eo prædam transtulit in Damascum. Deinde venit Phacee Rex Israel contra eumdem Achaz Regem Iuda, & inito prælio percussit de viris Iuda in vno die centum viginti millia: atque eodem tempore vir quidam potens de tribu Ephraim, nomine Zechri, occidit viros primarios de domo Regis; nempe Maasiam filium ipsius Achaz, & Ezricam Ducem domus eius, & Eleanam Principem secundum à Rege; ceperuntque filij Israel de Iuda ducenta millia mulierum, puellorum, ac puellarum, infinitamque diuersi generis prædam, quam tulerunt in Samariam. Accidit autem, vt exercitui in Samariam redeunti occurreret Propheta Domini nomine Oded, qui increpare cœpit Israelitas, quòd non solùm fratres suos Iudæos crudeliter occidissent, sed insuper etiam plurimos de Iuda & de Ierusalem sibi in seruos & ancillas subiicere non erubescerent, consuluitque eis, & hortatus est, vt saltem captiuos dimitterent liberos; alioqui certò scirent, magnum ipsis Domini furorem imminere. Quæ audientes quidam de Principibus Ephraim, cœperunt ipsi pariter de eadem re redarguere exercitum: qui acquiescens eis, dimisit omnia dispositioni eorum: at illi captiuos omni charitatis officio susci- PVGNAT INFELICITER CVM REGE SYRIAE. PERCVTITVR PLAGA MAGNA A REGE ISRAEL. ISRAELITAE IVDAEOS CAPTIVOS DIMITTVNT LIBEROS.

 pientes,

pientes, cibo potuque refectos, necnon nudos fessosque vestibus de præda vnguentisque recreatos, ac insuper corpore imbecilles iumentis impositos non solùm beneuolentissimè dimiserunt, sed etiam ad fratres suos vsque Iericho deduxerunt: 2.Paralip. cap.28.vers.5.vsque ad 16.

AB ORBE CONDITO ANNVS 3295. QVINTÆ MVNDI ÆTAT. ANNVS 273.

ITERVM PRAEDICTI DVO REGES VENIVNT CONTRA ACHAZ.

1 ANNO regni Achaz Regis Iudæ secundo (vt arbitror) circiter inchoante, Rasin Rex Syriæ, & Phacee filius Romeliæ Rex Israel inito fœdere, condixerunt pariter ascendere contra Achaz ea intentione, vt eo sublato constituerent alium, videlicet filium Thabeel, Regem in Ierusalem, qui eis subditus esset. Quibus auditis Iudæi trepidare cœperunt: Achaz verò, qui ab eisdem Regibus anno præcedenti contritus valdè fuerat, non est ausus exire obuiàm eis; sed studuit munire se quantum potuit in Ierusalem. Intereà misit ad eum Dominus Isaiam Prophetam, qui monuit eum nomine Domini, ne timeret ab aduentu duorum Regum, irritos promittens fore conatus eorum: & vt indubitatam Prophetiæ suæ fidem faceret, subiunxit præcipiens, vt peteret quæcumque mallet signa fieri, siue in profundum inferni, siue in excelsum supra. Cui impius Rex ementitam præseferens pietatem, reverà autem veritus, ne cùm ipse palàm esset idololatra, si signum à Domino peteret, illudque obtineret, eidem mox credere, & ab ipso solo salutem illam recognoscere cogeretur, respondit: *Non petam, & non tentabo Dominum.* Quæ verba (vt sentiunt S.Hieronymus ibidem & alij) non humilitatis, aut veræ religionis ac reuerentiæ, sed superbiæ, incredulitatis, & auersionis à Domino fuere. Timuit enim (vt exponit Hugo Cardinalis) ne Dominus in signo dato clarificaretur, & idola sua vilificarentur. quod patet ex altera translatione, quæ habet: *Et non exaltabo Dominum.* quasi dicat: Nolo petere, ne in signo dato exaltetur Deus. sic citatus Auctor. Porrò Propheta diuino Spiritu videns hanc Regis iniquitatem, conuersus ad domum Dauid de qua erat ipse Rex, & ex qua multi alij cum Rege suo non credebant Domino, sed idola colebant; grauiter de ipsis conquestus est; quòd in incredulitate perseuerantes, non Prophetis modò, sed etiam ipsimet Deo admodum molesti essent. Atque occasione signi, quod iniquus Rex petere recusauerat, protinus Isaias, diuino quodam afflatus Spiritu, obiter (quemadmodum sub anno mundi 2345.nu.7. diximus) ad prænuntiandum Christi aduentum digressus est, dicens: *Propter hoc* (id est, vt appareat quantum Dei bonitas iniquorum delictis præualere solita sit) *dabit Dominus ipse vobis* præfinito tempore *signum,* quod non petitis, immò cui posteri vestri, ad suam ipsorum perniciem, perperàm contradicere non verebuntur, nempe Christum, de quo Simeon iustus (Luc.cap.2.vers.34.) dicit: *Ecce positus est hic in ruinam & in resurrectionem multorum in Israel, & in signum cui contradicetur.* vt vel hoc tam admirabili signo & vos & vniuersus mundus intelligat, verissimum esse quod posteà docuit Apostolus ad Rom.cap.5.vers.20. *Vbi abundauit delictum, superabundauit gratia.* Simile quid contigisse legimus Matth.cap.12. & 16. & Luc. cap.11. vbi cùm increduli Scribæ, & Pharisæi, & Sadducæi tentantes Christum, peterent ab eo signum de cælo; ipse huius petitionis occasione prædixit mortem suam, & post triduum resurrectionem, dicens: *Generatio hæc mala signum quærit, & signum non dabitur ei, nisi signum Ionæ Prophetæ. Sicut enim fuit Ionas in ventre ceti tribus diebus & tribus noctibus; sic erit Filius hominis in corde terræ tribus diebus & tribus noctibus.* Verùm quod attinet ad memoratum signum ab Isaia prænuntiatum, ipsemet cap.7.vers.14. illud explicauit illis verbis: *Ecce virgo concipiet, & pariet filium, & vocabitur nomen eius Emmanuel,* &c. Quæ verba S.Matthæus cap.1. vers.21. & 22. apertè asseruit, prædicta fuisse de Matre Iesu Maria, quam non ex humano semine, sed de Spiritu sancto concepisse, eodem Euangelista ibidem attestante certissimum est; & insuper ex multis sacræ Scripturæ locis, quæ nos sub anno mundi 4050. num.5. adducemus, constat eam semper, hoc est, ante partum, in partu, & post partum, virginem inuiolatam extitisse. Vnde patet, quàm falsò & impiè Hebræi qui post Christum vixerunt, contendant, loco Isaiæ allegato, pro *virgo* debere legi *iuuencula*; quasi mirabile signum dici possit, quòd iuuencula de viro concipiat & pariat. Sed contra hos præclarè disputant, ex veteribus quidem sanctus Hieronymus; ex recentioribus verò, Hector Pintus super eodem Isaiæ loco, & alij non pauci, probantes, verbum illud, quod ibi in Hebræo codice habetur, non significare iuuenculam à viro cognitam, sed virginem; nec solùm virginem (vt ait ibidem S. Hieronymus) sed virginem absconditam &

ISAIAS VATICINATVR AD FAVOREM REGIS ACHAZ.

PRAENVNTIAT CHRISTVM DE VIRGINE NASCITVRVM.

secre-

ſecretam, quæ numquam virorum patuerit aſpectibus, & magna parentum diligentia cuſtodita ſit. Benè ergo editiones Latinæ, quæ maioris ſunt auctoritatis, nempe Vulgata, & LXX. Interpretum habent *virgo*; quibus etiam adſtipulatur Chaldaica Paraphraſis. Ceterùm, quæ hactenus ad Hiſtoriam pertinentia hîc diximus, breuiter collecta ſunt ex capite proximè adducto ipſius Iſaiæ, qui, vt ex initio dicti capitis conſtat, ſub iſto Rege prophetauit ea quæ in toto ipſo cap. 7. & 8. continentur; nimirum omnia ferè ad fauorem ipſius Achaz. Sed his non obſtantibus, impius Rex vt primùm audiuit aduentare hoſtes, hominum magis quàm Dei auxilio confiſus, confeſtim collecto auro atque argento quod inueniri potuit in domo Domini & Regis, miſit ad Theglathphalaſar Regem Aſſyriorum, obſecrans vt veniret ei in auxilium contra præfatos duos Reges; qui petitis libenter annuit, nec cunctatus eſt promiſſa præſtare, vt numero ſequeti dicemus. Interim autem memorati duo Reges, exercitus ſuos applicuerunt ad Ieruſalē; cumque obſediſſent in ea ipſum Achaz, non valuerunt ſuperare eum: 4. Reg. cap. 16. verſ. 5. vſque ad 10. Vbi etiam illud adiicitur, quòd in tempore illo Raſin Rex Syriæ recuperauit Ailam, quæ erat in finibus Idumęorum; eiectiſque inde Iudæis, introduxit in eam Idumæos, qui deinceps habitauerunt ibi. Ex quo loco colligi poteſt, verum eſſe quod ſub anno mundi 3226. num. 1. diximus; nimirum, eamdem vrbem olim à Syris captam vaſtatamque fuiſſe, deinde ab Ozia Rege Iudæ reædificatam reſtitutamque Iudæis, denique à Raſin denuò captam, & Syrorum ditioni adiectam.

ACHAZ AVXILIVM PETITA REGE ASSYRIORVM.

REX SYRVS RECVPERAT AILAM.

2. Eodem annò regni Achaz Regis Iudæ ſecundo, nimirum quando ipſe obſidebatur in Ieruſalem à duobus Regibus, Syrię ſcilicet & Iſrael, Theglathphalaſar Rex Aſſyriorum anno regni ſui decimo (vt ſcribit Genebrardus lib. ſuæ Chronologiæ 1. & noſtris etiam patet in tabulis) à Rege Iuda (quemadmodum nùm. præcedenti dictum eſt) exoratus, venit cum ingenti exercitu in terram Iſrael; & vt cogeret prædictos duos Reges recedere ab Ieruſalem, & ſoluere obſidionem, cœpit primò inuadere terras regni Iſraël, cepitque multas vrbes eius in Galilæa & in Galaad, & vniuerſam terram Nephthali; & captiuos tranſtulit in Aſſyrios, vt per anticipationis figuram traditur 4. Reg. cap. 15. verſ. 19. Et fortaſſis idem feciſſet reliquo Iſraeli, niſi Phacee Rex his auditis receſſiſſet ab Ieruſalem, veniſſetque cum exercitu ſuo ad tuendum regnum ſuum. Sanè prædictum aduentum Regis Aſſyriorum prophetauerat Iſaias cap. 8. verſ. 7. Puto autem primam hanc Iſraelitarum tranſlationem in Aſſyrios, cuius meminit etiam Iſaias cap. 9. verſ. 1. ſub finem huius anni contigiſſe. Cauſam huius tranſmigrationis tangit Scriptura 1. Paralip. cap. 5. verſ. 25. & 26. dicens: *Reliquerunt autem Deum patrum ſuorum, & fornicati ſunt poſt deos populorum terræ, quos abſtulit Deus coram eis. Et ſuſcitauit Deus Iſrael ſpiritum Phul Regis Aſſyriorum, & ſpiritum Theglathphalaſar Regis Aſſur; & tranſtulit Ruben, & Gad, & dimidiam tribum Manaſſe; & adduxit eos in Lahela, & in Habor, & in Ara, & fluuium Gozan, vſque ad diem hanc.* & ſuprà verſ. 6. dixerat, quòd tunc Princeps in tribu Ruben erat *Beera, quem captiuum duxit Theglathphalaſar Rex Aſſyriorum.* Ex quibus patet, ipſum Theglathphalaſar non ſolùm partem tribus Zabulon, & totam tribum Nephthalim quæ erat cis Iordanem; ſed etiam tribus Ruben & Gad, & dimidiam Manaſſe, quæ habitabant trans Iordanem, tranſtuliſſe in Aſſyrios, ob cauſam ſuperiùs tactam, quæ fuſiùs explicatur 4. Reg. cap. 17. verſ. 7. vſque ad 24.

THEGLATHPHALASAR INVADIT REGNVM ISRAEL.

TRANSFERT PARTEM ISRAELIS IN ASSYRIOS.

CAVSA DICTAE CAPTIVITATIS

AB ORBE CONDITO ANNVS 3296. — QVINTÆ MVNDI ÆTAT. ANNVS 274.

1 ANNO regni Achaz regis Iuda tertio (vt arbitror) circiter inchoante, Theglathphalaſar Rex Aſſyriorum, poſt deprædatum Iſraëlis regnum, vt proximè dictum eſt; ad fauorem pariter Regis Iudæ perrexit etiam contra Damaſcum, & expugnata ciuitate vaſtauit eam, & tranſtulit habitatores eius in vrbem quæ vocabatur Cyrene; non illam admodum celebrem, quæ erat in Africa, circa partes Libyæ, cuius fit mentio Actorum cap. 2. verſ. 10. & à qua regio ſeu prouincia Cyrenaica nomen accepit; quia illis temporibus Aſſyriorum Imperium nondum ad Africę regiones pertingere potuerat: ſed in aliam eiuſdem nominis vrbem, in Aſia tum exiſtentem, ac ditioni Regis Aſſyriorum ſubiectam. Creditur autem iſta Cyrene in ſuperiore Media extitiſſe, quia Ioſephus 9. Antiq. cap. 13. ait, quòd iſte Rex Aſſyriorum Damaſcenos in ſuperiorem Mediam populariter traduxit, & pro illis quaſdam Aſſyriorum gentes in agrum Damaſcenum poſuit. Vnde ſunt qui putant, hanc Cyrenem eſſe illam Mediæ vrbem, quam Ptolemæus Geographiæ lib. 6. cap. 2. vocat Curnam, ſeu Culiſtam.

TRANSFERT DAMASCENOS CYRENEM.

DE DVPLICI CYRENE.

Quid-

THEGLATH PHALASAR RASIN SYRIAE REGEM INTERFICIT.

Quidquid sit, constat, quòd hæc Syrorum translatio Cyrenem, illa est quam multis anteà annis, nimirum Ozia Ierosolymis regnante, prophetauerat Amos cap. 1. vers. 5. Prophetiæ suæ. Insuper idem Theglathphalasar Rasin Syriæ Regem, qui audita regni sui inuasione, Iudæa protinus relicta, cum exercitu in Syriam redierat, bello superatum captumque interfecit; 4. Reg. cap. 16. vers. 9.

ACHAZ INVISIT REGEM ASSYRIORVM IN DAMASCO.

2. Per idem tempus, Achaz Rex Iuda videns se Regis Assyriorum opera ac potentia ab inimicis suis, Rasin scilicet Rege Syriæ & Phacee Israelis Rege, liberatum, magis erga homines gratus, quàm erga Deum, cui tamquam primario suæ liberationis auctori, tantum beneficium inprimis acceptum referre debuisset; in Damascum se contulit ad ipsum Theglathphalasar Regem Assyriorum, vt eidem deferret munera, gratiasque ageret quòd se ab hostium oppressione liberum fecisset; & vt pariter ei præsens, insignes proximè partas victorias, auctumque Imperium gratularetur. Cùm autem ibidem vidisset Achaz altare, Gentilium more fabricatum, id est non ex ære, neque ex lapidibus impolitis, sed fabrè quadratis ac sectis, variisque item cælaturis exornatum: statim tam elegantis, perfecti, atque elaborati operis delectatus, eius exemplar misit ad Vriam Sacerdotem, mandans ei vt protinus, hoc est antequam ipse Ierosolymam rediret, aliud in Templo altare, exemplari transmisso per omnia simile, extrueret. quod & factum fuit: 4. Regum cap. 16. vers. 10. & 11.

IVBET FABRICARI IN TEMPLO ALTARE GENTIVM EXEMPLARI SIMILE.

PHACEE REX ISRAEL OCCIDITVR.

3. Sub finem eiusdem anni regni Achaz Regis Iudæ tertij, qui erat regni Phacee filij Romeliæ regis Israel vigesimus idemque postremus, Osee filius Ela coniurauit contra prædictum Phacee, tetenditque ei insidias, & interfecit eum: 4. Reg. cap. 15. vers. 30. Quod verò id sub anni huius finem acciderit, inde necessariò infertur, quòd tunc præcisè (vt patet in tabulis) desinunt viginti anni, quibus ipsum regnasse, nos sub anno mundi 3277. num. 1. diximus. Et hoc idem ex his quæ sub anno mundi proximo num. 1. dicturi sumus, confirmari poterit.

AB ORBE CONDITO ANNVS 3297. — QVINTÆ MVNDI ÆTAT. ANNVS 275.

OSEE FILIVS ELA REGNAT IN ISRAEL. EXPLICATVR LOCVS 4 REG. C. 15. VERS. 30.

1 ANNO proximo, qui erat (vt ex hactenus dictis consequitur) regni Achaz quartus, & pariter, vt loco Regum proximè adducendo expressè traditur) vigesimus Ioatham filij Oziæ, regnauit Osee filius Ela super Israel pro Phacee ab eodem interfecto: 4. Regum c. 15. vers. 30. Vbi aduertendum est, quòd cùm prædictus Phacee regnare cœperit circa initia anni postremi regni Oziæ, & Ioatham circa initia anni secundi regni ipsius Phacee, qui (vt dictum est) desinente anno regni sui vigesimo interfectus fuit: si Ioatham tam diu vixisset, vtique oporteret annum vigesimum regni Ioatham coincidisse cum anno vigesimo primo Phacee, id est cum anno qui immediatè sequebatur post necem ipsius Phacee; in cuius anni exordio diximus regnasse pro eo Osee interfectorem eius. ¶ Non igitur ex præcitato Reg. loco inferri necessariò debet, vt quidam putant, Ioatham regnasse annis viginti; cùm Scriptura sacra locis paulò infrà citandis apertè dicat, ipsum annos dumtaxat sexdecim in regno exegisse. Neque verò pro inueniẽdis viginti annis regni Ioatham, possumus hîc recurrere ad distinctionem illam de annis quibus regnauerit cum patre, & à morte patris; quia non facit ad rem, vt optimè ostendit Abulensis super 4. Reg. cap. 15. quæst. 33. Neque item placet opinio Richardi dicentis, Ioatham regnasse ad minus viginti annis ab obitu patris sui Oziæ; nimirum sexdecim sine corregnante, & quattuor cum Achaz filio suo: quia huic positioni valdè videtur aduersari Scriptura sacra, quæ 4. Reg. cap. 15. vers. 33. & 2. Paralip. cap. 27. vers. 1. & 8. de Ioatham verba faciens, ter repetit hæc eadem verba: *Vigintiquinque annorum erat cùm regnare cœpisset, & sexdecim annis regnauit in Ierusalem.* & in calce vtriusque capitis, vbi describit obitum dicti Ioatham, protinus subiungit: *Et regnauit Achaz filius eius pro eo.* quibus verbis satis apertè indicat, Ioatham non regnasse cum filio, sed decessisse antequam filius regnare cœperit. Itaque multò meliùs dicendum puto, textum 4. Reg. cap. 15. vers. 30. superiùs adductum, vbi expresè dicitur, quòd Osee regnauit anno vigesimo Ioatham filij Oziæ; proculdubiò accipi debere in sensu à nobis iam insinuato; nimirum ita vt non velit inferre, quòd tunc adhuc viueret regnaretq; Ioatham; sed hoc solùm, quòd initium regni Osee inciderit inchoante anno vigesimo, ex quo cœperat regnare Ioatham, siue ex quo decesserat pater eius Ozias; quod in idem incidit, ac si dictum esset, ipsum Osee regnare cœpisse anno regni Achaz, vt diximus, quarto. Et hanc eamdem expositionem videtur confirmare

Gene-

Genebrardus, qui lib. suæ Chronologiæ I. *Dedignata*, ait, *Scriptura nominare impium Achaz, patris sui iam defuncti proferre nomen maluit.*

2. Eodem anno regni sui quarto circiter inchoante, Achaz reuersus de Damasco in Ierusalem, immolauit victimas super altare, quod ad similitudinem Gentium fieri iusserat; & præcepit Sacerdoti, vt deinceps vteretur semper eodem altari nouo, offerretque super eo iuge sacrificium, matutinum scilicet & vespertinum; & sacrificia Regis, ac reliqua omnia vniuersi populi: altare verò æneum olim à Salomone constructum, quod de loco proprio auferri fecerat, & ad prædicti altaris noui latus Aquilonare reponi, relinqueret paratum ad ipsius Regis voluntatem, hoc est, haberet illud pro derelicto. Et præterea idem Achaz Rex, vt diuini cultus ordinem à Lege patribusque sancitum penitus subuerteret, iussit auferri luteres de basibus suis cælatis, & labrum item, quod Mare æneum dicebatur, de bobus qui illud fulciebant, deponi; omniaque sic separata atque disiuncta reponi in aliquo Atrij angulo super pauimentum, ita vt non amplius Templi ministeriis vsui esse possent. Musach quoque Sabbati quod ædificauerat in Templo, & ingressum Regis exteriùs paratum, conuertit in Templum Domini. Erat autem Musach (vt ait Rabbi Salomon ab Abulense relatus) quidam locus decenter opertus, & eleganter exornatus, in Atrio laicorum positus, sub quo manere consueuerat Rex in Sabbatis, quando sollemniora fiebant sacrificia; ad quem locum, reuerentiæ gratia, transire solebat per quamdam viam pariter opertam, quæ à palatio Regis, secus extrinsecum Templi latus, seorsum ducebat intra prædictum Templi Atrium. Porrò Achaz posthabita, vel etiam contempta reuerentia sacro loco debita, tam ipsum Musach, quàm viam ad eum ducentem, transtulit de loco suo; posuitque Musach in Atrio Sacerdotum, quod Lege laicis erat interdictum; voluitque vt via eundi ad Musach esset aperta, & per media Templi Atria, rectà ad ipsum pertransiret: 4. Reg. cap. 16. vers. 10. vsque ad 19. Et hæc omnia fecit impius Achaz (inquit ibidem Scriptura) propter Regem Assyriorum; id est, vt in sacro cultu, & in loci ambitione, sese conformaret ritibus, quos ab idololatris in Damasco obseruari viderat coram Rege Assyriorum. ¶ Videant Principes Christiani ne in Ecclesiis loca Sacerdotibus sacra facientibus destinata, superbè nimis propriaque auctoritate vsurpare se posse præsumant, ne prædictorum Regum audaciam impietatemque æmulari videantur, & diuinam inducant super se indignationem: magis autem, obsecro, studeant piissimum illud Theodosij Imperatoris exemplum imitari; qui cùm Mediolani semel in Ecclesia inter clericos improuidè forsitan se collocasset, à S. Ambrosio Episcopo, pro officij sui munere admonitus, ad loca laicorum protinus se recepit, minimè offensus, neque vel leuiter commotus. Quin potiùs sancti Pastoris zelo ac libertate Christiana tantopere delectatus est, vt posteà Constantinopoli vltrò oblatam ab Ecclesiæ illius Antistite sedem in Choro humiliter recusauerit, dicens, talem sibi locum non deberi; ac non minùs argutè quàm opportunè subiungens, neminem se nouisse, præter Ambrosium, qui Episcopum pro dignitate ageret.

IMPIUS ACHAZ PLURA IN TEMPLO MUTAT AD GENTILIUM SIMILITUDINEM. EIUS SACRILEGIA.

3. Post hæc, vt arbitror, Idumæi excursione facta in Iudæam, percusserunt multos, & abstulerunt prædam magnam. Philisthæi quoque diffusi sunt per vrbes campestres ad Meridiem Iuda; & illis captis, habitauerunt in eis; humiliauitque Iudam Dominus propter impietates regis Achaz: 2. Paralip. cap. 28. vers. 17. vsque ad 20.

IUDAEAM IDUMAEI AC PHILISTHAEI DEPRAEDANTUR.

AB ORBE CONDITO ANNUS 3300. — QUINTÆ MUNDI ÆTAT. ANNUS 278.

1 Anno regni Achaz Regis Iuda septimo, qui concurrit cum anno tertio Olympiadis sextæ, vt patet in tabulis, oportet Romam ædificari à Romulo cœptam esse; si (relictis ceteris Antiquorum de hac re opinionibus nimiùm inter se variis, de quibus hoc loco disputare non intendimus) sequi volumus M. Terentij Varronis supputationem; quam, vtpote veriorem, magis etiam ab aliis, tum veteribus tum recentioribus Scriptoribus receptam probatamque esse, multis argumentis auctoritatibusque probat Onuphrius Panuinius lib. I. Commentariorum suorum in Fastis cap. De anno & die Vrbis conditæ. Etenim Varronis sententia est, Romulum cœpisse Romam condere die vigesimo primo Aprilis, anni Olympiadis sextæ tertij; id est duobus circiter mensibus ante exitum anni Olympici, quem sub anno 3278. num. 8. diximus terminare consueuisse in Solstitio Æstiuo, nimirum prope Kalendas Iulij. Quo fit vt annus primus Vrbis conditæ ferè totus concurrat cum sequenti, nempe cum quarto

DE ANNO, MENSE, ET DIE VRBIS CONDITAE.

præ-

prædictæ Olympiadis, & cum octauo regni Achaz, vt in tabulis digestum inueniri poterit. Ab hac opinione parum absunt Solinus & Dionysius Halicarnasseus; quorum primus cap. 2. ponit Romam fuisse conditam incipiente Olympiade septima; alter verò ferè in principio lib. 2. ait, Romam conditam esse Olympiade septima (subaudi, in eius exordio) vt ipsemet clariùs sese exponit lib. 1. versus finem, dicens, Romulum regnare cœpisse anno 1. Oympiadis septimæ. Constat autem, Auctores communiter ab vno eodemque initio & annos Vrbis, & regni ipsius Romuli deducere solitos esse. Quoniam verò (quemadmodum ex B. Augustino lib. 2. de Doctrina Christiana cap. 18. in huius Operis Præfatione adnotauimus) multos errare coëgit ignorantia Consulatus: ne idem nobis quoque contingeret, & vt hos etiam annos (quantum ad rem nostram attinet) faciliùs metiri, & cum annis sacris ritè componere possemus; operæpretium duximus, non solùm hîc aliquam de Vrbis origine mentionem facere; verùm etiam Æram ab Vrbe condita Varronianam deinceps in tabulis deducere. Hæc enim admodum conferre poterit ad notitiam annorum Consularium, qui ex eadem Æra commodiùs reperiri poterunt. Incipiunt namque ab anno Regisfugij, qui ex Varrone incidit desinente anno eiusdem Æræ ducentesimo quadragesimo quarto, vt probat Onuphrius Panuinius libro 1. Commentariorum suorum in Fastis cap. De primis Coss. quare annus primus Consulum concurrit cum anno Vrbis ducentesimo quadragesimo quinto: & deinceps in eo tantùm inuicem differre videntur, quòd anni Vrbis (vt dictum est) à die vigesimo primo Aprilis; Consulares autem, primò quidem à vigesimo tertio Februarij initium sumpsisse perhibentur; posteà verò non semper ab vno eodemque anni tempore, præsertim vsque ad annum Vrbis sexcentesimum: exinde autem ordinariè à Kal. Ianuarij exordiri consueuisse dicuntur. Ab hisce circiter temporibus suas exordiri solent Historias, qui vniuersaliter de Romanorum gestis scribere professi sunt: tametsi aliqui ipsorum veluti prælud. quædam præmittere consueuerint, in quibus summatim de his agunt nationibus, quibus in vnum conuenientibus Romanum genus concreuit ante Vrbem conditam, vt sunt Vmbri, Aborigenes, *qui posteà* (vt ait Dionysius Halicarnasseus lib. 1.) *appellatione desumpta ab ipsorùm Rege Latino, Latini vocati sunt, & Euandri comites ex vrbe Palantio ad Italiam delati, & Aeneæ socij Troiani, & si qui sunt eiusmodi alij.* Sic Dionysius proximè allegatus in suis Antiquitatum Romanorum libris, sic T. Liuius in libris de Historia ab Vrbe condita, & eodem modo alij.

AERA AB VRBE CONDITA.

AB ORBE CONDITO ANNVS 3305. — QVINTÆ MVNDI ÆTAT. ANNVS 283.

REGNAT SECVNDO OSEE SVPER ISRAEL.

I Anno regni Achaz Regis Iuda duodecimo ad finem, vt paulò pòst probabitur, appropinquante, regnauit Osee filius Ela in Samaria super Israel nouem annis, fecitque malum coram Domino; sed non sicut alij Reges Israel qui eum præcesserant: 4. Reg. cap. 17. vers. 1. & 2. Verùm hîc necessariò debemus intelligere, Osee nunc secundò regnare cœpisse, & magis plenè atque absolutè quàm priùs fecerat: nam nouem annis anteà; hoc est quando occidit Phacee filium Romeliæ Regem, licet ex tunc regnare cœpisset, vt dicitur 4. Reg. cap. 15. vers. 30. credendum tamen est, ipsum nō potuisse tunc plenè subiicere sibi regnum, obsistentibus fortè cognatis & amicis, seu fautoribus ipsius Phacee ab ipso interfecti, vt sentiunt Lyranus & Abulensis, & alij: vel fortè etiam aliqua ratione impeditus à Theglathphalasar Assyriorum Rege; à cuius posteà filio factus est tributarius, vt sub anno mundi 3309. nu. 1. dicemus. Oportet etiam hoc loco supponere, prædictum Osee regnare cœpisse sub finem huius anni, vt dictum est; ita vt primus iste annus regni eiusdem Osee concurrat ferè totus cum decimotertio regni ipsius Achaz, & consequenter tertius cum decimoquinto, vt in tabulis dispositum est; alioqui Achaz, qui regnare cœperat sub finem anni decimiseptimi Phacee, vt sub anno mundi 3293. num. 3. diximus, non potuisset attingere aliquid de anno regni sui decimosexto: nam Ezechias filius eius regnare cœpit anno tertio prædicti Osee, vt sub anno mundi 3308. num. 1. probabimus. Neque dicere possumus, Ezechiam regnare cœpisse anno circiter vno ante obitum patris, ipso forsitan Achaz tunc ægrotante; quia de hac re nihil constat, quin potiùs oppositum colligi potest ex 2. Paralip. cap. 29. vers. 3. vbi dicitur quòd Ezechias anno & mense primo regni sui aperuit valuas Domus Domini; quod proculdubiò facere non ausus

esset, si tunc etiam superstes fuisset pater eius, qui, vt numero proximo dicemus, eas clauserat.

2. Per eadem circiter, vt probabile est, tempora, perseuerante Achaz Rege Iuda in suis idololatriæ abominationibus, adduxit contra eum Dominus Theglathphalasar Regem Assyriorum, qui Iudam afflixit, ac nullo resistente vastauit. Et quamuis Achaz spoliata Domo Domini, & domo Regum ac Principum, dedisset dicto Regi Assyriorum munera quæ potuerat maiora; nihil tamen ei profuit. Sed & post hasce clades Achaz non modò ab idolorum cultura non cessauit; verumetiam in ipsómet maiorum angustiarum suarum tempore, magis contemptum Domini auxit: etenim tunc ipse immolauit victimas diis Regum Syriæ, à quibus putabat sibi malum illud infligi; atque hoc pacto placare eos hostiis ratus, magis contra se omnipotentis Dei iram vindictamque prouocabat. Itaque eò tandem impietatis ac dementiæ deuenit Achaz, vt direptis atque confractis omnibus vasis Domus Domini, clauserit ianuas Templi eius, & fecerit sibi altaria in cunctis angulis Ierusalem; ac in omnibus vrbibus Iuda, addens iugiter nouas veteribus præuaricationes, quibus in iracundiam prouocabat quotidie Dominum: 2. Paralip. cap. 28. vers. 20. vsque ad finem.

ACHAZ A REGE ASSYRIORVM GRAVITER AFFLICTVS PEIOR EVADIT.

EIVS SACRILEGIA.

AB ORBE CONDITO ANNVS 3306. — QVINTÆ MVNDI ÆTAT. ANNVS 284.

1 ANNO regni Achaz Regis Iuda decimotertio, qui concurrit ferè totus cum primo Osee Regis Israel, & cum primo Olympiadis octauæ, & cum anno Vrbis conditæ sexto, vt videre est in tabulis, necesse est incidisse annum primum regni illius Nabonassar, à cuius regni exordio, tamquam à radice, Ptolemæus Geographorum Astronomorumque facilè princeps, qui Adriano imperante floruit, lib. 3. sui Almagesti cap. 8. testatur, priscas se habuisse Astronomicas obseruationes, ad sua vsque tempora conseruatas. Nam in eodem cap. subdit, à primo anno regni eiusdem Nabonassar ad Alexandri Magni obitum, colligi annos quadringentos viginti quattuor, qui faciunt Olympiades centum sex. Cùm igitur in confesso sit apud omnes (quemadmodum nos sub anno mundi 3730. numero 1. probabimus) Alexandrum Magnum decessisse inchoante circiter anno primo Olympiadis centesimæ decimæquartæ, qui fuit annus quadringentesimus trigesimus ab Vrbe condita, vt patet in tabulis, si de memorato Olympiadum numero excipiamus centum sex Olympiades completas, ab initio regni Nabonassar ad Alexandri Magni obitum decursas; necessarium erit fateri, superesse dumtaxat Olympiades septem plenas ante initium regni Nabonassar; ac proinde annum regni eius primum concurrisse, vt dictum est, cum anno primo Olympiadis octauæ, qui pariter erat annus Vrbis conditæ sextus, quemadmodum liquet in tabulis. Hinc infertur hallucinari Genebrardum, qui lib. 1. suæ Chronologiæ, vbi agit de his quæ Oziæ temporibus acta sunt, dicit, quòd prima Olympias antecedit dictum Nabonassar annis sexdecim (cùm dicere debuisset, viginti octo;) & Nabonassar Vrbis fundamenta annis octo (cùm reuerà præcesserint tantummodò quinque.) Et hęc volui hoc loco obiter adnotasse, ne quis facilè fide adhibentis his & eiusmodi dictis, quæ apud quosdam tamquam axiomata habentur, decipiatur; cùm sæpenumerò potiùs vniuersam pænè temporum seriem perturbare, vel etiam confundere soleant. Ex falsis namque principiis, infinitas propemodum erronearum consequentiarum deductiones subsequi necesse est. Aduertere tamen hîc oportet, quòd licet annus primus regni Nabonassar concurrat pro maiori parte cum hoc de quo nunc agimus anno, quemadmodum pariter adnotatum est in tabulis: credimus tamen ipsum Nabonassar regnare cœpisse anno præcedenti ad finem iam vergere incipiente; & propterea annum primum regni Nabuchodonosor, qui in nostris tabulis concurrit cum centesimo vigesimo quarto Æræ dicti Nabonassar; posse etiam, aliqua saltem ex parte, simul concurrere cum centesimo vigesimotertio: & consequenter, eodem modo annum quintum dicti Nabuchodonosor, qui in tabulis coincidit cum centesimo vigesimo octauo eiusdem Æræ, posse similiter aliquatenus etiam concurrere cum centesimo vigesimo septimo, vt sub annis mundi 3429. num. 2. & 3433. num. 2. dicemus.

ANNVS PRIMVS REGNI NABONASSAR.

GENEBRARDI DICTVM REFVTATVR

QVOMODO ETIAM ALIQVA EX PARTE PRIMVS ANNVS NABONASSAR CONCVRRERE POSSIT CVM PRAECEDENTI.

2. Sciendum item est, quòd Ptolemæus lib. 4. Almagesti cap. 8. & 9. colligit à primo anno regni Nabonassar ad initium anni secundi alterius Regis, quem ipse vocat Mardo kenpadum, annos circiter viginti septem: & cap. eiusdem lib. 9. ab exordio anni secundi eiusdem Mardokenpadi, ad vigesimum Darij Hystaspis, qui Cambysi successit,

ANNORVM SVPPVTATIO EX PTOLEMAEI ALMAGESTO.

cessit, annos ferè ducentos decem & nouem: & lib. 5. cap. 14. dicit, annum regni Cambysis septimum, fuisse ducentesimum vigesimum quintum à primo regni Nabonassar: & lib. 4. cap. 9. à primo ipsius Nabonassar ad vigesimum eius Darij, qui Cambysi successit, colligit annos fermè ducentos quadraginta sex; & ad trigesimum primum eiusdem Darij, annos ducentos quinquaginta septem: & lib. 10. cap. 4. idem Auctor ait, annum decimumtertium regni Philadelphi, fuisse quadringentesimum septuagesimum sextum ab initio regni Nabonassar: & lib. 3. cap. 8. à primo anno regni Nabonassar ad mortem Alexandri Magni (vt numero præcedenti dictum est) annos quadringentos viginti quattuor: à morte verò Alexandri ad regnum Augusti Cæsaris, annos ducentos nonaginta quattuor: à primo autem Augusti, ad decimumseptimum (non Domitiani, vt corruptè quædam habent exemplaria: ipse enim quindecim dumtaxat annis imperauit, sed) Adriani; colligit annos centum sexaginta vnum. Et ad summum, ab exordio regni Nabonassar ad annum decimumseptimum Imperij ipsius Adriani, annos octingentos septuaginta nouem. Cùm ergo de hac temporum ratione, quam secuti sunt Ptolemæus, & alij Astronomi, nullatenus dubitandum videatur; quoniam, si in ea mendum esset, vtique rueret vniuersa, quæ ex Astronomicis obseruationibus doctrina inde deducitur; & insuper cùm hæc eadem annorum supputatio valdè apposita sit, ad Sacrorum temporum rationem à nobis initam vel maximè comprobandam: propterea operæpretium duximus, hoc loco non solùm commemorare adnotareque exordium regni ipsius Nabonassar; verumetiam de hoc Rege aliquid agere, & quisnam ipse fuerit, aliquanto diligentiùs exquirere; atque ab eo Æram in nostris tabulis deriuare, in qua prædicta omnia cum nostris Annalibus conuenire perspiciantur; vt omnes intelligant, Chronologiam sacram, ab ea quæ ex naturali astrorum motu desumpta est, nequaquam discrepare; & consequenter, esse certissimam atque indubitatam; quandoquidem verum vero aduersari non potest. Omittemus autem de industria computare subtiliores quasdam dierum & horarum differentias, & modicas quoque quorumdam annorum varietates, eiusmodique alia minutiora tempora, tamquam proposito nostro minimè necessaria: non enim hîc punctuales & Mathematicas, sed communes ac morales quærimus annorum supputationes; quemadmodum etiam in huius Operis Præfatione num. 6. professi sumus.

AERA AB EXORDIO REGNI NABONASSAR.

QVIS NAM FVERIT NABONASSAR. QVOD NON FVERIT REX ASSYRIORVM,

3. Itaque ante omnia disquirere oportet, quis nam fuerit memoratus Nabonassar; varia namque admodum de ipso est Scriptorum sententia: nam recentiores Chronologi, vt testatur Genebrardus lib. 1. suæ Chronologiæ, vbi agit de rebus Ezechia regnante gestis, putant fuisse illum Regem Assyriorum, qui in Sacris libris Salmanasar nuncupatur, quique Israelitas transtulit in Assyrios; quod profectò verum esse non potest: quia certum est, vt sub anno mundi 3309. num. 1. dicemus, istum Salmanasar regnare cœpisse sexdecim circiter annis post initium regni Achaz, anno nimirum primo regni Ezechiæ, & consequenter, anno Olympiadis octauæ quarto, & Vrbis conditæ nono, vt constat etiam ex tabulis. Multò minùs Sennacherib, qui Salmanasaro immediatè successit, potuit (vt alij existimarunt) esse Nabonassar. Neque item ille Rex, qui ipsum Salmanasar præcesserat, nempe Theglathphalasar, (vt fortè posset aliquis suspicari;) quoniam ipse iam ex multis annis ante Achaz regnare cœperat, nimirum anno regni Ioatham nono, quemadmodum sub anno mundi 3286. num. 1. dictum est; & per consequens quindecim annis ante vrbem conditam. Oportet igitur memoratum Ptolemæi Nabonassar, longè diuersum fuisse à Salmanasaro, Sennacheribo, & Theglathphalasaro. Sed neque potuit esse vllus ex Regibus Assyriorum, si verum est quod Iosephus Scaliger lib. 5. de Emendatione temporum, in capite cui titulus est De primo Thoth Nabonassari, aliquot probare nititur argumentis, videlicet, Nabonassar de quo nunc agimus, non Niniue, sed Babylonis fuisse Regem. Etenim Nabo, inquit, prima pars est nominis Babylonici idiomatis; Salma verò, Assyrij. Et Astronomicæ veterum rationes non ex Assyria, sed ex Chaldæa, & proinde ab eius metropoli, quæ olim erat Babylon, peti solebant; vnde etiam credibile est, Ptolemæum suam temporum Epochen, seu calculi principium, non ab Assyrio, sed à Chaldæo Rege desumpsisse; quod etiam ex ipsomet Ptolemæo comprobare possumus, qui lib. 4. Almagesti cap. 6. non longè ab initio ait, primam trium antiquissimarum eclipsium apud Babylonios obseruatarum, incidisse anno primo regni Mardokenpadi, quem suprà nu. 2. diximus successisse ipsi Nabonassar.

SED BABYLONIS.

OBIECTIO. Nec obstat quòd 4. Reg. cap. 17. vers. 24. dicatur, Salmanasar deduxisse colonias de Ba-

RESPONSIO. bylone in Samariam; quia non propterea sequitur, ipsum fuisse Regem Babylonis; sed quòd iam ex tunc Reges Assyriorum recuperauerant partem prouinciæ Babylonis, quem-

quemadmodum nos sub anno mundi 3234. num. 4. diximus. Non etiam probare possumus sententiam Genebrardi vbi suprà existimantis, Nabonassar fuisse illum Regem, quem Scriptura sacra vocat Phul; quia Phul Rex fuit Assyriorum, non autem Babylonis; & ipse regnare cœpit anno regni Oziæ decimotertio, vt sub anno mundi 3238. num. 1. dictum est; & propterea multò ante initia Olympiadum. Neque item fieri potest, vt Nabonassar, cuius meminit Ptolemæus, sit ille Nabolasar, quem Iosephus libro 1. Contra Apionem circa medium, dicit fuisse patrem illius Nabuchodonosor, qui posteà Templum Ierosolymitanum incendit, & Iudæos in Babyloniam duxit captiuos; & quem idem Iosephus 10. Antiq. cap. 11. alio nomine appellat Nabuchodonosorem patrem, ad differentiam prædicti Nabuchodonosoris eius filij: quia memoratus Nabuchodonosor pater, seu Nabolasar, qui etiam à Scaligero & alijs appellatur Nabopollasar, regnauit viginti vno annis ante præfatum Nabuchodonosor Templi euersorem, vt ex eodem Iosepho sub anno mundi 3408. num. 1. probabimus; & consequenter, anno tertio Olympiadis trigesimæ tertiæ, vt in tabulis perspici potest. At Nabonassarum Ptolemæi oportet, vt num. 1. probatum est, regnare cœpisse anno primo Olympiadis octauæ. Ex his etiam quæ hactenus dicta sunt, manifestum fit, adhuc magis deceptos esse Alphonsum in suis Tabulis, & eius asseclas, qui Nabonassar eumdem faciunt cum illo Nabuchodonosor, qui transtulit Iudæos in Babylonem: quem tamen errorem non ab ipso Alphonso, sed ab Arabibus propagatum esse, docet Scaliger vbi suprà. OPINIO GENEBRARDI REIICITVR. ALIAE OPINIONES REFVTANTVR.

4. Quid igitur? quem nam dicemus fuisse Nabonassar illum, à cuius regni exordio Astronomicas Ptolemæus speculatur obseruationes? Mihi profectò, vt liberè dicam quod sentio, omnium probabilior videtur opinio Scaligeri, qui putat Nabonassar, de quo Ptolemæus, fuisse illum Babyloniorum Regem, quem Scriptura sacra nomine proprio appellat Baladan (Nabonassar quippe, ait Scaliger, nomen erat regium, sicuti olim apud Aegyptios Pharao, & posteà apud Romanos Cæsar) quemque 4. Reg. cap. 20. vers. 12. & Isaiæ cap. 39. vers. 1. dicit fuisse patrem Merodach, qui & Berodac, Regis Babylonis: non enim cum eodem Scaligero lib. 5. de Emendatione temporum, cap. De initio Merodach, siue Mardokenpadi, suspicari debemus, Scripturam locis proximè citatis loqui more Hebræorum, qui antecessores, patrum; successores verò, filiorum nomine nuncupare solent: quia eadem Scriptura vtrobique eodem modo expresse & assertiuè dicit Marodach fuisse filium Baladan; neque ex vllo alio eiusdem Scripturæ loco, aut antiquo probatoque Scriptore constat, ipsum Merodach fuisse nepotem aut pronepotem prædicti Baladan. Quare si verè (vt credimus) Baladan fuit pater dicti Merodach; idem vtique erit qui in Scripturis sacris vocatur Baladan, cum eo quem Ptolemæus vocat Nabonassar: & qui ab eodem Ptolemæo appellatur Mardokenpadus siue Merodac-ken-pad, idem erit cum eo quem Scriptura sacra, prima tantùm nominis parte vocat Merodach; vt sentiunt citati Auctores, nimirum Scaliger, & Genebrardus, & alij. Hoc idem sic confirmari potest. Nam si numeremus annos singulorum Regum Babylonis, qui fuerunt ante illum Nabuchodonosor, qui regnare cœpit anno quarto regni Ioakim, vt dicitur Ierem. cap. 25. vers. 1. qui annus concurrit cum anno quarto Olympiadis trigesimæ octauæ, vt patet in tabulis: certè videtur nullum alium Regem Babylonis inchoare potuisse regnum suum anno primo Olympiadis octauæ, nisi ipsum Baladan: quandoquidem si, quemadmodũ suis locis probabitur, ante memoratum Nabuchodonosor immediatè regnauit eius pater Nabolasar viginti & vno annis; & ante hunc, Ben-Merodach viginti quattuor; quem præcessit Merodach filius Baladan per annos quinquaginta duos: igitur, si pater eius Baladan regnauerat annis viginti sex, proculdubiò primus annus ipsius Baladan incidit anno primo regni Osee Regis Israel; & pariter anno primo Olympiadis octauæ, vt in tabulis manifestè apparet; & consequenter ipse Baladan, & non alius, fuit ille Rex, quem alio nomine Ptolemæus, Nabonassar nuncupauit. Hunc enim regnasse annis viginti sex, satis apertè idem indicat Ptolemæus lib. 4. Almagesti cap. 8. vbi colligit annos viginti septem ab exordio regni Nabonassar ad initium anni secundi regni Mardokenpadi, ergo ipse Nabonassar regnauerat annis viginti sex: nam vigesimus septimus, fuit primus Mardokenpadi successoris eius, vt affirmat Scaliger vbi suprà. Neminem verò offendat, quòd idem Rex aliter nominetur in Sacro eloquio, & aliter apud Ethnicos Scriptores; id enim pluribus de causis prouenisse potuit; puta vel quia binominis fuerit, vel, vt diximus, quoniam quandoque nomine proprio, quandoque regio sit appellatus; vel etiam ob varia gentium idiomata, aut alijs de causis. Nam & quem Moyses in Genesi vocat Nemrod, alij Belum appellant; & quem Scriptura sacra nominat Baltassar, Iosephus nuncupat Nabonidem. eius- AVCTORIS SENTENTIA EADEM QVAE IOSEPHI SCALIGERI. CVR QVIDAM REGES ALITER IN SACRO ELOQVIO, ALITER AB ETHNICIS SCRIPTORIBVS NOMINATI.

modi alia hîc referre exempla superuacaneum puto. Vtrùm autẽ memoratus Baladan, qui & Nabonassar, immediatè successerit Beloco siue Beloso illi, qui post deuictum Sardanapalum Assyriorum Regem primus regnasse creditur in Babylone; an verò alius vel alij extiterint Reges Babylonis inter Belosum & Baladan medij, adhuc incompertum habeo; quoniam non certò constat quot annis regnauerit Belocus, quemadmodum etiam sub anno mundi 3238. num. 2. dictum est.

AB ORBE CONDITO ANNVS 3308. — QVINTÆ MVNDI ÆTAT. ANNVS 286.

ACHAZ REX MORITVR.

☞ 1 ANNO tertio regni Osee filij Ela Regis Israel, credimus decessisse Achaz Regem Iuda: siquidem hoc anno regnare pro eo cœpisse Ezechiam filium eius, expresè habemus 4. Reg. cap. 18. vers. 1. & idem indicatum fuerat in calce capitis 16. Nec obstat quòd Achaz dicatur regnasse annos sexdecim, iste autem sit annus regni eius decimusquintus, vt conspicitur in tabulis; quia primus annus regni Achaz, licet pro maiori parte concurrat cum anno regni Phacee decimooctauo; attamẽ participat etiam aliquid de decimoseptimo, qui erat vltimus regni Ioatham patris eius, quemadmodum in eisdem tabulis adnotatum inuenies. Ioatham enim & Achaz, quamuis vterque dicatur regnasse annis sexdecim; nihilominùs neuter ipsorum suos expleuit, sed postremus Ioatham, fuit etiam pro aliqua parte primus regni Achaz. quo fit, vt amborum regni tempus non excesserit summam vnius & triginta annorum, vt sub anno mundi 3293. num. 2. probatum est. Vnde, quod diximus, Ezechiam regnare cœpisse anno regni Osee tertio, debet intelligi, circa finem anni, ita vt primus annus regni Ezechiæ ferè totus concurrat cum quarto regni Osee, vt posuimus in tabulis. Nam ex locis ipsiusmet Scripturæ sub annis mundi 3312. num. 1. & 3314. num. 1. citandis manifestum est, quartum regni Ezechiæ annum, non fuisse sextum, sed septimum regni Osee; & sextum Ezechiæ, non fuisse octauum, sed nonum eiusdem Osee.

REGNAT EZECHIAS IN IVDA.

2. Viginti quinque annorum erat Ezechias cùm regnare cœpisset: 4. Reg. c. 18. vers. 2. & 2. Paralip. cap. 29. vers. 1. hoc est, tunc inchoauerat annum vitæ vigesimum quintum, quando factus est Rex; ita vt annus ætatis suæ vigesimus quintus, idem fuerit regni sui primus: alioqui oporteret ipsum fuisse conceptum anno vitæ patris sui Achaz circiter decimo; quod aduersaretur his quæ nos sub anno mundi 3285. num. 1. diximus. Regnauit verò Ezechias viginti nouem annis in Ierusalem, fecitque quod placitum erat in conspectu Domini, sicut fecerat Dauid pater eius: cap. Reg. citato vers. 2. vsque ad 7. Siquidem ipse anno & mense regni sui primo aperuit valuas Domus Domini, quas (vt sub anno mundi 3305. num. 2. diximus) Achaz pater eius clauserat; & instaurauit eas idem Ezechias; congregatisque Sacerdotibus ac Leuitis in platea Orientali, eosdem graui admodum oratione hortatus est, vt mundarent Domum Domini, declarans voluntatis suæ esse, vt sollemniter inirent fœdus cum Domino Deo Israel. Itaque ad imperium Regis, qui tunc aderant Sacerdotes & Leuitæ, surgentes congregauerunt fratres suos, & sanctificati sunt vt expiarent Domum Domini, quam polluerat Rex Achaz. Et primo die mensis primi mundare cœperunt, vt dicitur 2. Paralip. cap. 29. vers. 17. id est inchoante primo mense, non quidem regni ipsius Ezechiæ, sed Anni sacri, qui non multò pòst quàm Ezechias regnare cœperat, subsecutus est. Non enim videntur vno eodemque die tam multa fieri potuisse: videlicet, ipsa Regis conclamatio, & solita ipsius à cunctis Principibus adoratio, item prima Sacerdotum ac Leuitarum congregatio coram Rege, eiusque ad eos habita oratio, mox altera fratrum ipsorum adunatio, & eorumdem omnium sanctificatio, & denique mundationis Templi inchoatio, quam omnia priùs commemorata præcessisse necessarium est. Prima inquam die mensis primi, hoc est, vt primùm occurrit Anni sacri introitus, in ipsomet eius exordio, ingressi Sacerdotes Templum interius, vbi erant Sancta & Sancta sanctorum, cœperunt mundare omnia, expiaueruntque Templum interius diebus octo; & totidem alijs immediatè subsequentibus sanctificauerunt porticus & atria Templi exterioris: & die decimasexta eiusdem mensis absoluta est purificatio totius Templi, & omniũ in ipso contentorum; restitueruntque Altare Domini quod fecerat Salomon, in locum suum; inde sublato eo quod fieri iusserat Achaz ad similitudinem altaris idololatrarum, quod viderat in Damasco. Immunditiam verò omnem à Sacerdotibus in vestibulo Domus Domini redactam, asportauerunt Leuitæ foras ad torrentem Cedron. Quæ cùm nuntiata essent Ezechiæ Regi, ipse diluculo consurgens cum omnibus ciuitatis Principibus, ascendit in domum

REGNI EIVS VITAEQVE ANNI.

PIA EIVSDEM GESTA

EXPIATIO TEMPLI.

Domum Domini; iussitque offerri sacrificia pro peccato, pro regno, pro sanctuario, & pro Iuda, coram vniuersa multitudine. Deinde constitutis cantoribus cum organis suis; iuxta dispositionem olim factam à Dauide de consilio Gad Videntis & Nathan Prophetæ, præcepit offerri holocausta, nimirum regia, cantoribus interim iugiter diuersimodè personantibus, ac laudes Deo canentibus, omnique turba adorante, donec impleretur holocaustum. Quo expleto, vniuersa quoque multitudo, hortante Rege, obtulit etiam ipsa hostias & laudes & holocausta Domino mente deuota. Quoniam autem Sacerdotes sanctificati, pauci erant; quia ex multo tempore, hoc est, ex quo Achaz Rex destruxerat cultum Domini, nemo fuerat consecratus; nec pauci illi qui tunc aderant, sufficere poterant ad detrahendas hostiarum pelles, præ ipsarum multitudine; necesse fuit eos adiuuari à Leuitis, donec alij Sacerdotes consecrari possent. Et hæc sunt quæ statim ab initio regni sui agere cœpit Ezechias, qui lætatus est valdè; & omnis populus cum eo, quando viderunt cultum Domini, ac ministeria Domus eius pariter restituta: 2. Paralip. cap. 29. per totum.

OFFERVNTVR SACRIFICIA DOMINO.

SACERDOTES ADIVVANTVR A LEVITIS IN OFFICIO SVO.

3. Eodem anno quo mortuus est Achaz Rex Iuda, & successit ei Ezechias, prophetauit Isaias contra Philistheos ea quæ habentur in eius Prophetiæ capite 14. vers. 28. vsque ad finem capitis; prædixitque excidium, quod eis posteà intulit Sennacherib, vt quidam putant; vel meliùs Ezechias, quemadmodum legimus 4. Reg. cap. 18. vers. 8. & sentit Hector Pintus super cap. eiusdem Isaiæ citato; vbi etiam dicit, quòd reliqua deinceps in Prophetia ipsius Isaiæ, vsque ad finem eius contenta, sub eodem Ezechia prænuntiata sunt.

ISAIAS PROPHETAT CONTRA PHILISTHAEOS.

4. Eodem item anno circiter desinente, oportet defunctum esse Theglathphalasar Regem Assyriorum: etenim hoc tempore, vt videri potest in tabulis, completi sunt viginti tres anni, quibus ipsum regnasse scripserunt Genebrardus & alij.

THEGLATHPHALASAR MORITVR.

AB ORBE CONDITO ANNVS 3309. — QVINTÆ MVNDI ÆTAT. ANNVS 287.

1 ANNO proximo circiter inchoante, qui (vt dictum est) concurrit penè totus cum primo regni Ezechiæ Regis Iuda, regnare cœpit in Assyria Salmanasar, qui fuit Rex Assyriorum ab obitu Sardanapali tertius, à Belo autem primo Assyriorum Rege trigesimus nonus. Sed hîc, antequã vlteriùs procedamus, aduertere necessarium est, Eusebium in Chronicis, & alios Scriptores, eumdem facere hunc Salmanasar cum Sennacherib, & hoc idem in cuiusdam Commentario se legisse testatur S. Hieronymus super Isaiæ cap. 36. vbi statim hæc subiungit: *Quod omnino falsum est; Sacra enim narrat historia, Primum Phul Regem Assyriorum, sub Manahem Rege Israel, vastasse decem tribus. Secundum Theglathphalasar, sub Phacee filio Romeliæ Rege Israel, venisse Samariam. Tertium Salmanasar, sub Osee Rege Israel, totam cepisse Samariam. Quartum fuisse Sargon, qui expugnauit Azotum. Quintum Asarhaddon, qui translato Israel, Samaritanos in terram Iudæam custodes misit. Sextum Sennacherib, qui sub Ezechia Rege Iudæ, capta Lachis & ceteris Iudææ vrbibus, obsedit Ierusalem. Alij autem vnum atque eumdem multis putant nominibus appellari.* hucusque S. Hieronymus. Cuius hæc posteriora verba (vt ipsa planè indicant) non ex propria, prout ei Glossa ordinaria & alij super Isaiæ cap. 20. imponunt; sed ex aliorum sententia sanctus Doctor protulit, nimirum ex Hebræorum traditione, quemadmodum eadem Glossa super Isa. cap. 36. testatur. Quæ traditio, quòd scilicet vnus tantùm fuerit Rex pluribus hisce nominibus appellatus, licet ab ipsa Glossa atque à nonnullis aliis probari videatur; quia, inquiunt, non est verisimile, decem annorum interuallo, tot Reges in Assyria sibi inuicem successisse: nihilominùs constat eam esse falsam; non solùm quia (vt ait Hugo Cardinalis super Isaiæ cap. 20.) aduersari videtur historiis; verumetiam, quia eius sectatores falso nituntur fundamento; supponentes, necessarium esse concedere, quòd intra decennium tot Reges sibi inuicem successerint: nam Phul venisse dicitur in Israel anno regni Oziæ trigesimo nono, vt sub anno mundi 3264. nu. 2. ex 4. Reg. cap. 15. vers. 19. probatum est: Asarhaddon autem decessisse anno regni Ezechiæ vigesimo septimo, ex infrà sub anno mundi 3335. num. 1. dicendis apparebit; inter quæ tempora, plus septuaginta annos excurrisse, dignosci potest in tabulis. Vnde magis econuersò dici posse videtur, non esse verisimile, vnum eumdemque Regem per hæc tempora, plus septuaginta annis in Assyria regnasse. Præterea certum est ex Tobiæ c. 1. vers. 18. Sennacherib fuisse filium dicti Salmanasar. Et ex his quæ 4. Reg. in calce capitis 19. & Isaiæ cap. 37. pariter in fine dicuntur, quòd Asarhaddon fuit filius dicti Senna-

SALMANASAR REGNAT IN ASSYRIA.

DE QVORVMDAM REGVM ASSYRIORVM DISTINCTIONE.

cherib: ergo non fuit vnus atque idem Rex pluribus nominibus nuncupatus, sed plures singuli propriis vocabulis appellati, vt etiam sentiunt Genebrardus aliijque Chronographi ferè omnes; qui tamen excipiunt Sargon & Sennacherib, quos rectè non inter se diuersos faciunt, sed pro vno eodemque Rege binomine reputant. Quod si verum est, vt credimus, vtique oportet sex illos Reges à B. Hieronymo & ab aliis recensitos, reverà fuisse tantùm quinque, & illorum postremum non esse Sennacherib (vt ipsi putant) sed Asarhaddon, qui, vt probatum est, patri Sennacheribo successit. Porrò Salmanasar, de quo hîc agere cœperamus, ascendit contra Osee Regem Israel, compulitque ipsum sibi seruire ac tributa pendere: 4.Reg.c.17.vers.3. Oportet autem hunc primum ascensum dicti Salmanasar in terram Israel contigisse anno regni eius primo aut secundo; quia certum est, quòd posteà idem Salmanasar, audiens dictum Regem Israel fœdus iniisse cum Sua Rege Ægypti, vt illius auxilio fretus, posset à se deficere; ascendit denuò in Israel, & obsidere cœpit Samariam, inchoante circiter anno regni Ezechiæ Regis Iudæ quarto, quemadmodum sub anno mundi 3312. num. 1. dicemus.

DE PRIMO ASCENSV SALMANASAR IN TERRAM ISRAEL.

2. Per hæc circiter tempora, nimirum circa annum ætatis Tobiæ quadragesimum, qui concurrit cum primo regni Ezechiæ, vt patet in tabulis, probabiliter credimus, ipsum Tobiam duxisse vxorem Annam de tribu sua; ex qua non multò pòst genuit filium, quem de suo proprio nomine appellauit Tobiam (vnde nos ad vtriusq; distinctionem, primum appellabimus Tobiam seniorem, alterum verò iuniorem) & ab infantia timere Deum docuit, & abstinere ab omni peccato, vt dicitur Tob.cap.1. vers.9. & 10. Nec refert quòd ibi dicatur: *Cùm verò factus esset vir*, &c. ex quibus verbis videtur inferri, quòd duxerit vxorem anno circiter vitæ suæ trigesimo; (eo enim tempore communiter quilibet, vir esse dicique consueuit.) non, inquam, hoc obstat; tum quia si hoc esset, proculdubiò ex his quæ sub anno mundi 3314. num.2. dicemus, sequeretur, ipsum Tobiam non nisi decennio post ductam vxorem, genuisse Tobiam filium, quem tamen Scriptura sacra ex modo loquendi innuere videtur, paulò pòst, puta primo aut altero coniugij anno fuisse genitum: copulatiuè enim inquit: *Cùm factus esset vir, accepit vxorem Annam, genuitq; ex ea filium*. ac si diceret, vtrumq; accidisse quando factus est vir: tum quia lectio sacra ibidem non vtitur hisce terminis, pueritiæ scilicet & virilitatis, & eiusmodi aliis, adeò strictè, sicuti à quibusdam distingui ac definiri solent; sed latiori quodam modo, vt patet in eodem capite, vbi post narrata quædam Tobiæ opera, quæ viro, vel saltem adolescenti potiùs quàm puerulo conuenire videntur, protinus subiungit: *Hæc & his similia secundùm legem Dei puerulus obseruabat*. id est, antequam omnino ad virilem peruenisset ætatem. Et post pauca ait, quòd filium suum *ab infantia timere Deum docuit, & abstinere ab omni peccato*. vbi infantiæ nomen pro pueritia vsurpari videtur; sicuti paulò antè, pueritia pro adolescentia. cuius rei alia quoque ex Sacris libris exempla adduximus sub anno mundi 3018. num.1. Quare illa verba, *Cum verò factus esset vir*, non ita accipienda sunt, tamquam si præcisè virilitatis initium indicare voluerint; sed ac si solùm significent, ipsum intra virilitatis latitudinem, duxisse vxorem; & paulò pòst, puta anno sequenti, genuisse filium, &c.

TOBIAS DVCIT VXOREM.

AETATIS NOMINA QVANDOQ. ALTERVM PRO ALTERO VSVRPARI.

AB ORBE CONDITO ANNVS 3310. — QVINTÆ MVNDI ÆTAT. ANNVS 288.

TOBIAE IVNIORIS ORTVS.

1 ANNO regni Ezechiæ Regis Iuda circiter secundo, probabile est natum esse Tobiam iuniorem, vt tum ex his quæ sub præcedenti anno mundi num.2. dicta sunt, tum sub anno mundi 3314. num.2. de eius ætate, quando in captiuitatem ductus fuit, dicemus, inferri potest.

AB ORBE CONDITO ANNVS 3312. — QVINTÆ MVNDI ÆTAT. ANNVS 290.

SALMANASAR OBSIDET OSEE REGEM IN SAMARIA.

1 ANNO regni Ezechiæ Regis Iudæ quarto, qui erat Osee Regis Israel septimus, vt exprimitur 4.Reg.cap.18. vers.9. Salmanasar Rex Assyriorum, cùm deprehendisset quòd Osee Rex Israel misisset litteras ad Sua Regem Aegypti, vt cum eò fœdus iniret, & eius auxilio fretus posset à se deficere, & solita sibi tributa denegare: venit contra eum secundò; & peruagata omni terra eius, obsedit ipsum in Samaria tribus annis: 4.Reg. cap.17. vers.4. & 5. & cap.18. vers.1. Oportet autem subintelligere, hæc circa huius anni initia accidisse; alioqui non posset reperiri numerus prædictorum

rum trium annorum obſidionis, à quarto Ezechiæ anno ad ſextum, ſiue (quòd in idem incidit) à ſeptimo Oſee ad nonum. Nam certum eſt quòd

AB ORBE CONDITO ANNVS 3314. QVINTÆ MVNDI ÆTAT. ANNVS 292.

1 ANNO regni Ezechiæ ſexto, qui concurrebat cum anno regni Oſee nono, vt apertè traditur 4. Reg. cap. 17. verſ. 6. & cap. 18. verſ. 10. poſt tres annos obſidionis, nimirum propè iam expletos, & conſequenter ſub finem huius anni, expugnata captaque eſt Samaria à Salmanaſar Rege Aſſyriorum, qui vinctum Oſee Regem Iſrael miſit in carcerem, quemadmodum per anticipationis figuram dicitur 4. Reg. cap. 17. verſ. 4. tranſtulitque reliquos Iſraelitas in Aſſyrios, impoſuitque finem regno Iſraelitico, poſt annos ducentos quinquaginta quinque, ex quo diſtingui cœperat à regno Iudæ: & item poſt ſexaginta quinque annos, per Amos Prophetam prænuntiatos; de quibus ſub anno mundi 3248. num. 1. dictum eſt. Vnde oportet hallucinatos eſſe Ioſephum & Euſebium, quorum iſte in Chronicis ait, regnatum eſſe in Samaria annis ducentis quinquaginta; ille verò 9. Antiq. cap. vlt. dicit, eumdem regni Iſraelitici interitum contigiſſe poſt annos ducentos quadraginta & menſes ſeptem ac dies ſeptem, ex quo defecerat à Roboamo Dauidis nepote, ad Ieroboam. Niſi fortè in vtriuſque codicibus annorum numeri (quod facilè fieri poteſt) corrupti fuerint. Huius regni Regum ſeriem, ſingulorumque annos, & ſubductam ipſorum ſummam hîc non ponimus, quoniam hæc ſub anno mundi 3446. num. 7. opportuniùs inſeri poſſe cenſuimus: ad quem locum Lectorem huius rei cupidum remittimus. CAPTA SAMARIA TRANSFERT ISRAELEM IN ASSYRIOS. FINIS REGNI ISRAELITICI, ET QVAMDIV STETERIT.

2. Cùm igitur Salmanaſar tranſtuliſſet Iſraelitas primò in Niniuem, vt colligitur Tobiæ cap. 1. verſ. 11. maiorem poſteà ipſorum partem diſtribuit per ciuitates Medorum quæ erant in Hala & in Habor fluuijs Gozan; adduxitque colonias de Babylone, hoc eſt, de prouincia Babylonis; & de Cutha, & de Auah, & de Emath, & de Sepharuaim: 4. Reg. cap. 17. verſ. 24. & cap. 18. verſ. 11. quæ loca Reges Aſſyriorum iam occupauerant, vt obiter dicitur 4. Reg. cap. 19. verſ. 13. & Iſaiæ cap. 36. verſ. 19. & nos ſub annis mundi 3234. num. 4. & 3306. num. 3. diximus. Porrò dictas colonias collocauit Salmanaſar Rex in ciuitatibus Samariæ, pro filijs Iſrael quos inde abſtulerat: & hi ſunt qui poſteà à Iudæis dicebantur Samaritani, de quibus fit mentio in Euangelio Ioan. cap. 4. verſ. 9. illis verbis: *Non enim coütuntur Iudæi Samaritanis.* & nos infrà ſub anno mundi proximo num. 2. agemus. SALMANASAR DVCIT DE BABYLONIA COLONIAS IN SAMARIAM.

3. In hac poſtrema Iſraelitarum captiuitate tranſlatus quoque fuit Tobias in ciuitatem Niniuem cum vxore ſua, & paruulo filio eiuſdem cum patre nominis; tametſi LXX. Interpretes patrem vocent Tobiel, & filium Tobit. Erat autem Tobias de tribu & ciuitate Nephthalim, in Galilæa ſuperiori poſita, ſupra Naaſſon, poſt viam quæ ducebat ad Occidentem, ad læuam habens ciuitatem Sephet: Tobiæ cap. 1. verſ. 1. & 2. Vnde oportet, quòd quando Theglathphalaſar (vt ſub anno mundi 3295. num. 2. diximus) tranſtulit tribum Nephthalim, ipſe Tobias vel iam inde aufugiſſet; vel caſu aliquo, aut potiùs Dei prouidentia, contigerit eum tunc cum domo ſua, extra patriam commorari; alioqui tunc primùm cum alijs tranſlatus fuiſſet. Igitur ab hoc anno incipit hiſtoria ipſius Tobiæ in libro eius deſcripta. Poterat autem Tobias eſſe quadraginta quinque circiter annorum, quando ductus fuit in Aſſyrios: nam quando cæcus factus eſt, erat quinquaginta ſex annos natus, vt patet Tob. cap. vlt. verſ. 3. accidit verò ei cæcitas non multò poſt mortem Sennacherib, anno ſcilicet regni Ezechiæ circiter decimoſeptimo, vt ſub anno mundi 3325. num. 4. videbimus. ſubductis ergo prædictis quadraginta quinque Tobiæ annis, cum alijs vndecim, qui ab hoc anno regni Ezechiæ ſexto ad decimumſeptimum eiuſdem inueniuntur; conficitur prædicta ſumma annorum quinquaginta ſex, vt patet in tabulis. Filius verò ipſius Tobiæ, poterat tempore captiuitatis huius eſſe annorum circiter quinque: agebatur namque adhuc annus eiuſdem captiuitatis circiter primus, quando Tobias mutuauit Gabelo egenti pecuniam, vt colligi poteſt Tobiæ cap. 1. verſ. 17. & 18. vbi ſubiungitur, quòd poſt multum deinde temporis; hoc eſt, poſt annos ferè tres, mortuus eſt Salmanaſar Rex, & regnauit pro eo Sennacherib. Sanè quando Tobias dedit pecuniam Gabelo, filius Tobiæ adhuc erat infantulus, vt apertè traditur Tobiæ cap. 4. verſ. 21. hoc eſt, puerulus, ſeu vt ibidem exponit Lyranus, nondum plenum vſum habebat rationis; quod communiter in his qui quintum circiter annum agunt, quotidie videmus. vnde hæc TOBIAS CVM VXORE ET FILIO DVCITVR IN ASSYRIOS. DE ANNIS TOBIAE SENIORIS, ET IVNIORIS.

Lyrani expositio valdè rationabilis & propria videtur, & ad nostram hanc positionem confirmandam accommodata.

CAVSA CAPTIVITATIS ISRAELITARVM.

4. Sed vt ad memoratam Israelis captiuitatem redeamus, causam ipsius breuiter tangit Scriptura 4. Reg. cap. 18. vers. 12. & latiùs eamdem prosequitur cap. 17. vers. 7. vsque ad 24. Quoniam, inquit, ex quo decem tribus recesserant à domo Dauidis, seductæ à Ieroboam primo ipsarum Rege, ad idololatriam declinare cœperunt: & deinceps non modò in idolorum cultu perseuerauerunt, (tametsi non cessaret interim Dominus per os omnium Prophetarum frequenter eas arguere, increpare, atque admonere, vt aliquando tandem ad ipsum, & ad mandatorum eius obseruantiam redire non ampliùs recusarent, ne diuina in eos sæuiret ira;) sed insuper indurantes ceruices suas, ac Domini Dei sui subiectionem debitamque obedientiam contemnentes, tradiderunt se Gentilium ritibus, & adorauerunt vitulos aureos quos fecerat Ieroboam, & vniuersam militiam cæli, hoc est astra eius; seruieruntque Baal, consecrantes filios ac filias suas per ignem idolis: necnon diuinationibus atque auguriis operam dantes, valdè admodum prouocauerunt contra se iusta Dei iudicia. Qui denique non ampliùs tantas sustinere volens populi sui abominationes, afflixit eos grauiter, tradiditque in manus inimicorum suorum, & abduci permisit de terra quam ipsis & patribus ipsorum dederat; atque ad terras alienigenarum Gentium captiuos transferri voluit. Ceterùm, nemini mirum videatur, quòd inter tot malos, Tobias quoque valdè bonus translatus sit: etenim, quemadmodum in bonorum cœtibus peruersos quosdam semper diabolus intromittere satagit, ad infirmiores subuertendos; ita benignissimus Deus, ad exemplum, correctionem, vel etiam interdum confusionem malorum hominum, quosdam bonos ac sanctos viros inter illos reperiri ac permanere disponit, quos etiam in medio malorum protegere, adiuuare, ac dirigere non desinit; vt in hoc Tobiæ exemplo videmus: quem etsi Dominus multa mala pati permisit, eadem tamen ad patientiam eius ac virtutem magis declarandam, sibi aliisque profuerunt; & sic eximia virtus inter malos enituit; *vt* (quemadmodum de sancto Iob B. Gregorius libro 1. Moral. cap. 1. ait) *hoc etiam eius laudibus proficeret, quòd bonus inter malos fuerit. Neque enim valdè laudabile est, bonum esse cum bonis, sed bonum esse cum malis. Sicut enim grauioris culpæ est, inter bonos bonum non esse, ita immensi est præconij, bonum etiam inter malos extitisse.* sic B. Gregorius.

CVR TOBIAS BONVS INTER TOT MALOS TRANSLATVS.

¶

AN ISRAELIS CAPTIVITAS PERPETVA FVERIT.

5. Verùm hîc fortè aliquis quæret, num memorata Israelitarum captiuitas perpetua fuerit, an verò aliquando postmodum soluta, sicuti certum est dimissam fuisse Babylonicam duarum tribuum captiuitatem, Iudæ scilicet & Beniamin. Ad hoc dicimus, rem esse valdè perplexam atque obscuram, propter SS. Patrum probatissimorumque Scriptorum sententias inter se diuersas, &, quod magis refert, propter ipsius sacræ Scripturæ loca, quæ pro vtraque parte plurima, eademque satis clara adduci posse videntur. Nihilominùs, vt omnia plana & consona fiant; ad quæsitum quattuor propositionibus responderi posse putamus. Et prima quidem erit, Decem tribuum captiuitatem in Assyrios abductam, numquam hactenus, quòd sciatur, vniuersaliter fuisse relaxatam, iuxta Osee Prophetiam, quæ habetur cap. eius 1. vers. 6. & 7. his verbis: *Quia non addam vltrà misereri domui Israel; sed obliuione obliuiscar eorum. Et domui Iuda miserebor, & saluabo eos in Domino Deo suo*, &c. Quod etiam confirmari potest ex 4. Regum cap. 17. vers. 23. vbi dicitur: *Translatusque est Israel de terra sua in Assyrios vsque in diem hanc*. id est, vsque in perpetuum; iuxta Origenis expositionem Homilia 7. in Iosue, quam ibidem aliquot aliis eiusdem Scripturæ confirmat exemplis. Huc accedit, quòd de solutione captiuitatis Babylonicæ plura reperiuntur aperta, præsertim apud Ieremiam, & Baruch, & Danielem, vaticinia; quæ posteà cumulatissimè impleta fuisse legimus in libris Esdræ: at solutio captiuitatis decem tribuum neque omnino clarè prænuntiata est (quod enim vniuersaliter prædici videtur Ierem. cap. 19. vers. 14. non ad decem, sed ad duas tribus pertinet, vt ex illius capitis initio constat.) neque quòd vmquam facta fuerit, vspiam legimus: quin potiùs econtrariò videtur Dominus protestari per Oseam loco citato, se eas in perpetuam obliuionem traditurum; atque reipsa id præstitisse, colligi potest ex Iosepho, qui lib. 11. Antiq. cap. 5. sic scriptum reliquit: *Duæ tantùm tribus per Asiam & Europam sub Romano degunt Imperio: decem autem tribus nunc quoque vltra Euphraten sunt, infinita hominum millia, quæ vix est numero comprehendere*. & B. Hieronymus in Ezechielis cap. 23. non longè à principio: *Vsque hodie*, ait, *decem tribus captiuæ tenentur in montibus, & in vrbibus Medorum ad quas translatæ sunt.* & in Osee cap. 1. de eisdem dicit: *Vsque hodie Persarum Regibus seruiunt, & numquam est eorum*

PRIMA PROPOSITIO.

eorum soluta captiuitas. Idem ferè asserit super Ezechiel. cap.37. & in Zachar. cap.2. Porrò Iosephum & B.Hieronymum posteà secuti sunt Lyranus & Rupertus, & ceteri ferè omnes sacræ Scripturæ Expositores. Quare de hac re nulla remanet apud Doctores dubitatio. Vtrùm autem prædicta Israelitarum captiuitas aliquando omnino liberanda sit, & ad terram Israel reducenda, (quòd frustrà in aduentu sui Messiæ, Hebræi futurum sperant expectantque;) incompertum est. Nam licet communiter credatur, Israelitarum reliquias in consummatione sæculi fidem Christianam suscepturas, ac tandem salutem consecuturas; de vniuersali tamen ipsorum reuersione ad terram Israel, nihil certi affirmare possumus.

6. Altera propositio est: Non omnes qui ex decem tribubus erant Israelitas, in Assyrios fuisse translatos: etenim probabile admodum est, plurimos eorum ipsiusmet captiuitatis tempore, in terra Israel ab ipso Rege Assyriorum fuisse relictos, præcipuè pauciores, de quibus ipsum non curasse credendum est, sicuti posteà fecit Nabuchodonosor, quando traduxit duas tribus in Babylonem, vt suo loco dicemus. Et item non modò credibile, sed certissimum est, plurimos eodem pariter captiuitatis tempore ab Assyriis clàm aufugisse, atque in montibus ac speluncis sese abdidisse, ac post Assyriorum discessum, ad proprias vrbes cum his qui relicti fuerant remeasse, ad quos posteà Ezechias Rex Iuda misit cursores, qui inuitarent eos ad celebrandum Phase in Ierusalem, vt sub anno mundi proximo num.3.dicemus. Iosephus quoque 10. Antiq. cap.5. non procul à fine capitis scribit, Iosiam visitasse & alios Israelitas, qui captiuitatem & seruitutem Assyriorum euitauerant. denique 2.Paralip.cap.30. vers.6.legimus, quod cursores Ezechiæ Regis prædicabant dicentes: *Filij Israel reuertimini ad Dominum*, &c. *& reuertetur ad reliquias quæ effugerunt manum Regis Assyriorum*. Porrò horum alios probabile est ad tutiora loca, nimirum ad vrbes Regum Iuda sese recepisse, ibique deinceps cum fratribus suis, tam ipsos quàm ipsorum posteros perpetuò habitasse: mirum namque valdè esset, in tanta præsertim, non vnius dumtaxat vrbis, sed totius regni Israelitici captiuorum multitudine, si non plurimi variis modis è manibus hostium euasissent. Sed & ante hanc decem tribuum captiuitatem, scimus plurimos voluntariè de regno Israelitico ad Iudaicum transisse, ibidemque posteà inhabitasse, atque hoc pacto auxisse ac roborasse regnum Iudæ, præsertim temporibus Roboam Regis Iuda, vt apertè colligitur tum 2.Paralip. cap.11. vers.16.& 17. tum ex Iosepho Antiq. lib. 8. cap.3. prope finem: & item regnante Asa Rege Iuda, vt patet 2. Paralip. cap.15. vers.9. Sanè qui ex aliis tribubus, siue ante siue post Israëliticam captiuitatem sese duabus tribubus, Iudæ videlicet & Beniamin, quouis modo adiunxerunt, tametsi certum sit, eos vel eorum posteros posteà cum illis captiuos in Babylonem fuisse abductos; attamen eosdem quoque pariter cum ceteris, soluta illa captiuitate, rediisse, colligit Beda (quemadmodum habemus in Glossa ordinaria super 1.Esdræ cap.2.in fine) ex illis verbis: *Habitaueruntq; Sacerdotes*, &c. *& vniuersus Israel in vrbibus suis*. & hoc idem comprobari potest ex eodem 1. Esdræ cap.6. vers.17. vbi legimus, quòd, qui de captiuitate Babylonica in Iudæam redierant, inter alia ibidem memorata, obtulerunt in dedicatione Domus Dei hircos caprarum, pro peccato totius Israel, duodecim, iuxta numerum tribuum Israel. ergo signum est, quòd inter illos, qui de dicta captiuitate redierant, aderant etiam aliqui de singulis tribubus Israel. Itaque constat, vt dixi, non omnes decem tribuum Israelitas in terram Assyriorum fuisse abductos; sed ex ipsis non paucos cum duabus tribubus, ante & post Babylonicam captiuitatem, simul in Ierusalem & in aliis vrbibus terræ Iudæ & Israel cohabitasse, vt etiam ex infrà num.8. & 10. dicendis comprobari poterit.

ALTERA PROPOSITIO.

7. Tertia propositio sit: Plurimos, vel saltem aliquos de posteritate illorum, qui à Theglathphalasar primò, & deinde à Salmanasar in Assyrios translati fuerant, postmodum Cyri Regis Persarum temporibus rediisse in Ierusalem, vt sentiunt S. Cyrillus in Prologo Zachariæ, & super Osee cap.11.& in Malach.cap.2. & B.Theodoretus, ac Theophylactus in Osee cap.3.prope finem: quorum opinio non modò falsa, vt putat asseritque Ribera super Osee cap.1.sed nobis multò probabilior videtur, quàm eius opposita. Etenim rationabile admodum est credere, aliquos ex aliis tribubus, nimirum magis Deum timentes, qui per Medorum Persarumque ac Babyloniorum vrbes dispersi erant, quando promulgatum fuit gratiosum illud Cyri edictum in fauorem Hebræorum, putantes se quoque in tam vniuersali liberatione comprehendi, statim sine alia speciali facultate impetrata properasse in Babylonem; & cum his qui erant ibi, ad sedes patrias cum gaudio remeasse: alios verò non multò pòst, priorum exemplo

TERTIA PROPOSITIO.

exci-

excitatos, obtenta ab eodem Rege licentia, pariter in terram natiuitatis patrum suorum venisse. Quamuis non sit etiam improbabile, nonnullos quoque prædictorum Israelitarum, post Cyri tempora, videlicet Artaxerxe Longimano regnante, de ipsius etiam Regis, qui erga Hebræos satis benè affectus erat, licentia, vel cum Esdra, vel cum Nehemia, de alienigenarum regionibus tandem in patriam rediisse. Nam pro ea non mediocri beneuolentia, quam prædicti duo Reges erga Hebraicum populum ostendebant, credere possumus ac debemus, eos non negasse facultatem iis, qui redire in Iudæam cuperent, etiamsi non essent de illis quos transtulerat Nabuchodonosor: quoniam ista Hebræorum distinctio vix cognita, & nullius momenti erat apud Reges Persarum; qui cùm ita dominarentur vniuersæ terræ Iudæ ac Israel, sicuti regionibus Medorum in quibus Israelitæ tùnc habitabant; parum aut nihil eis referre poterat, quòd aliqui ipsorum in vna magis Imperij sui parte manerent quàm in altera; præsertim cùm tanta tùnc esset prædictorum Regum potentia, vt nihil minus pertimescere possent, quàm ne Israelitæ ab eis rebellare auderent, si quidam illorum ad proprias sedes reuerti permitterentur.

SCRIPTVRAE LOCA DE ISRAELITARVM REDVCTIONE QVOMODO CONCILIANDA.

8. Hanc tertiam propositionem satis confirmare possunt aliquot Prophetiæ locaque Scripturæ sacræ, quæ videntur prænuntiasse, Israelitas quoque aliquando à sua captiuitate redituros: quæ loca vt cùm præcitatis oppositum significantibus conciliari possint, cogimur non de vniuersali omnium, sed de particulari nonnullorum Israelitarum reditu exponere. Eiusmodi est, quod legimus Ezechiel. cap. 37. vers. 16. vsque ad 23. vbi sub figura duorum lignorum, quæ simul copulare Propheta iussus est, manifestè indicauit Dominus reditum Israelitarum ad montes Israel, & vnionem eorum cum Iudæis, vt ibidem latè explicari videtur. Et Ierem. cap. 50. vers. 4. vbi sic legitur: *In diebus illis* (id est cùm capta fuerit Babylon) *venient filij Israel, ipsi & filij Iuda simul*, &c. & post pauca: *Venient, & apponentur ad Dominum fœdere sempiterno, quod nulla obliuione delebitur*. & in eodem capite vers. 19. & 20. vbi dicitur: *Et reducam Israel ad habitaculum suum, pascetur Carmelum & Basan, & in monte Ephraim, & Galaad saturabitur anima eius. In diebus illis, ait Dominus, quæretur iniquitas Israel, & non erit, & peccatum Iudæ, & non inuenietur; quoniam propitius ero eis*, &c. Sed multò clariùs idem Propheta nostram hanc positionem confirmare videtur cap. 3. vers. 11. vsque ad 16. vbi primò inducit Dominum dicentem sibi, quòd aduersatrix Israel iustificauit animam suam in comparatione præuaricatricis Iudæ, quæ non est reuersa ad eum in toto corde, sed in mendacio. Deinde præcipientem sibi vt clamet contra Aquilonem, dicens: *Reuertere auersatrix Israel, ait Dominus, & non auertam faciem meam à vobis, & non irascar in perpetuum*. Et denique post pauca ait: *Quia ego vir vester: & assumam vos, vnum de ciuitate, & duos de cognatione; & introducam vos in Sion, & dabo vobis pastores iuxta cor meum, & pascent vos scientia & doctrina*. In quibus verbis apertissimè promittitur reductio Israelitarum non vniuersalis, sed aliquorum particularium in Sion: non enim eludi potest hoc vaticinium, dicendo, Dominum ibidem loqui ex suppositione; videlicet, si conuersi fuerint: quoniam certissimum est, quòd si omnes conuersi fuissent, omnes de captiuitate liberasset: sed assertiuè loquitur Dominus, prænuntians aliquos ex illis conuersum iri, & promittens se assumpturum eos & reducturum in Sion. Præterea Osee, licet cap. 9. præcipuè à vers. 14. vsque ad finem capitis, & cap. 11. vers. 5. vsque ad 9. videatur prophetasse perpetuam decem tribuum futuram captiuitatem: nihilominùs ex his quæ ibidem subiunguntur, nempe cap. 11. à vers. 8. vsque ad finem capitis, videtur Propheta vaticinari, Dominum pœnituisse iræ suæ, & promisisse denuò reducere Israelem de terra Assyriorum: *Et auolabunt*, inquit, *quasi columba de terra Assyriorum, & collocabo eos in domibus suis, dicit Dominus*. & in calce capitis 1. ait: *Et congregabuntur filij Iuda, & filij Israel pariter, & ponent sibimet caput vnum*. Deinde in principio capitis 2. filiam vxoris suæ, quæ typum Israelis gerebat, quamque præcedenti capite vers. 6. vocauerat, Asque misericordia; mox iubet vocari, Misericordiam consecutam. quem locum posteà fusiùs apertiusque ex eadem Prophetia explicauit Apostolus ad Rom. cap. 9. vers. 25. dicens: *Vocabo non plebem meam, plebem meam: & non dilectam, dilectam: & non misericordiam consecutam, misericordiam consecutam*. Quamuis autem prædicta Scripturæ loca benè possint debeantque primariò intelligi de Israelitarum Iudæorumque conuersione ad fidem Christi, & de ipsorum cum Gentibus vnione in vna Ecclesia, & sub vno capite Christo; quod nunc iam ex parte videmus impletum in prædicatione Euangelica; & adhuc pleniùs implendum expectamus sub mundi finem, quando reliquiæ Israel saluæ fient, vt est communis Patrum opinio: nihilo-

nihilominus non inconuenit etiam, eadem Scripturæ loca ad litteram accipere de quorumdam Iſraelitarum reditu in patriam, ac de eorumdem vnione cum Iudæis, quæ, vt numero præcedenti diximus, ante & poſt Babylonicam captiuitatem facta eſt, & vſque ad Chriſti tempora & deinceps etiam poſteà perſeuerauit, quemadmodum in ſequenti propoſitione demonſtrabimus. Extat etiam ad prædictorum confirmationem Tobiæ ſenioris Prophetia, quæ habetur in capite libri eius vlt.verſ.6. vbi ait: *Propè eſt interitus Niniue: non enim excidit verbum Domini: Et fratres noſtri, qui diſperſi ſunt à terra Iſrael, reuertentur ad eam.* ſubintellige, non omnes abſolutè, ſed omnes timentes Deum; vt preſſiùs ibidem verſ.7. declaratur: licet enim hæc Prophetia videatur etiam ipſa poſſe intelligi de reditu duarum tribuum, & ſolutione Babylonicæ captiuitatis; quia ibidem more Prophetarum, (de quibus S. Io. Chryſoſtomus ſuper Pſal.43. ait, quòd omnia tempora percurrunt, præſentia, præterita, futura) ſubdidit mentionem ſeu prædictionem combuſtionis Templi, tamquam iam factæ; quæ tamen multò poſt ipſius Tobiæ obitum contigit. Verumtamen, quia ſtatim poſt prænuntiatum Niniue interitum, qui nihil ad Iudæos pertinebat, ſubiungit: *Et fratres noſtri qui diſperſi ſunt à terra Iſrael, reuertentur ad eam*; proculdubiò datur intelligi, in eadem Prophetia comprehendi debere non Iudæos tantùm, ſed plures etiam de Iſraelitis qui inter Aſſyrios morabantur: illos enim magis propriè fratres ſuos Tobias poterat appellare. Niſi fortè hæc Prophetia ſpecialiter reſpiciebat ipſius Tobiæ poſteros, quos admodum credibile eſt, ob merita ipſius & filij eius, fuiſſe poſteà aliquando ab illa captiuitate liberatos, & ab idololatrarum regionibus ad patriam ſuam, in qua verus Deus colebatur, reductos; præſertim cùm in calce libri ipſius Tobiæ tradatur, quòd *omnis cognatio & generatio eius, in bona vita, & ſancta conuerſatione permanſit; ita vt accepti eſſent tam Deo, quàm hominibus, & cunctis habitantibus in terra.* Denique Zacharias cap.10.verſ.6. vſque ad finem capitis manifeſtè de conuerſione & ſalute decem tribuum, & de reductione earum ab Aſſyrijs in terram Galaad, vaticinatur. Quæ omnia Scripturæ loca, & ſi quæ ſunt eiuſmodi alia, vt cum alijs quæ oppoſitum indicare videntur, conciliari poſſint, exponenda ſunt (vt diximus) non de vniuerſali & communi Iſraelitarum reductione, qualis facta eſt Iudæorum; ſed de pluribus illorum, quorum ſpeciatim Deus corda tetigit, & vel ſimul cùm Iudæis, vel priuatim reduxit in terram Iſrael.

9. Reſtat nunc reſpondere ad argumenta quæ contra hanc poſitionem deſumit Ribera ex 1.Eſdræ cap.2. verſ.1. vbi hæc habentur: *Hi ſunt prouinciæ filij qui aſcenderunt de captiuitate, quam tranſtulerat Nabuchodonoſor Rex Babylonis in Babylonem; & reuerſi ſunt in Ieruſalem & Iudam, vnuſquiſque in ciuitatem ſuam.* Et ex Ioſepho, qui lib.11. Antiq. cap.5. quemadmodum ſuprà num.4. dictum eſt, dicit, duas tantùm tribus rediiſſe, ac ſub Romano degere Imperio; decem verò, trans Euphraten manſiſſe. & in eiuſdem libri cap.1. & 4. ſcribit, eos qui redierunt de Babylonia, fuiſſe ex duabus tribubus, & ex Leuitica, quæ in duabus ſemper intelligitur. & ex B. Hieronymo, qui præter ea quæ ſuperiùs num.4. retulimus, ſuper illa verba quæ habentur Malachiæ cap.2.verſ.11. *Et abominatio facta eſt in Iſrael, & in Ieruſalem*, ait: *Nequaquam in decem tribubus, quæ ab Aſſyrijs tenebantur; ſed in his qui ad Cyri Regis imperium, ſub Zorobabele, & Eſdra, & Nehemia, de Babylone ſunt reuerſi.* Ad hæc & eiuſmodi alia breuiter dicimus, non mirum eſſe quòd Scriptura ſacra & citati Auctores nullam fecerint mentionem eorum qui de Aſſyriorum captiuitate redierunt; quia quidam illorum non ſemel ac ſimul omnes publicè, ſed ſparſim, interpolatis vicibus, ac priuatim venerunt; & qui publicè cum duabus tribubus reuerſi ſunt, quòd pauci admodum eſſent reſpectu illorum quibuſcum ſe immiſcuerant; ad eaſdem duas tribus pertinuiſſe videntur. Vnde cùm denominatio ſemper à maiori parte fieri ſoleat; proptereà dicuntur duæ tribus Iudæorum in patriam rediiſſe, & decem Iſraelitarum trans Euphraten remanſiſſe; tametſi econuersò, aliqui ex duabus tribubus remanſerint, vt de Daniele & aliis nos ſub anno mundi 3519. num.2. dicemus; & aliqui ex decem venerint. RESPONSIO AD ARGVMENTA CONTRARIVM PROBANTIA.

10. Quarta demum propoſitio, eademque certiſſima eſt, Chriſti Apoſtolorumque temporibus plurimos in Iudæa & in omni terra Iſrael de ſingulis tribubus Iſraelitas extitiſſe: nam Anna Prophetiſſa filia Phanuel, erat de tribu Aſer, vt patet Luc. cap.2. verſ.36. & Apoſtoli dicũtur fuiſſe de variis tribubus, iuxta illud quod dicitur in Pſal.67. *Principes Iuda Duces eorum, Principes Zabulon, Principes Nephthali*: & Dominum prædicaſſe in finibus Zabulon & Nephthalim, patet Matthæi cap.4. verſ. 13. & denique ſcimus Catholicam B. Iacobi Apoſtoli Epiſtolam, duodecim tribubus in diſperſione exiſtentibus fuiſſe ſcriptam, vt ex eius initio perſpicuum eſt: nimirum non illis tribubus QVARTA PROPOSITIO.

(vt

(vt aliqui perperàm opinantur) quæ vſque hodie dicuntur eſſe vltra Euphraten, ſcripta fuit memorata S.Iacobi Epiſtola; illæ enim decem tantùm eſſe perhibentur; ſed duodecim tribubus, inquit citatus Scripturæ locus, id eſt ijs qui de ſingulis duodecim tribubus, propter ſuſceptam Chriſti fidem (quemadmodum exponit Venerabilis Beda) à contribulibus ſuis eiecti fuerant de Ieruſalem, & diſperſi per regiones Iudææ & Samariæ, in prima illa Fidelium perſecutione, cuius fit mentio Actorum cap.8.verſ.1. Igitur euidentiſſimè conſtat, quòd hiſce temporibus plurimi Iſraelitæ, etiam ex ſingulis decem tribubus quæ olim abductæ fuerant in Aſſyrios, inueniebantur in Ieruſalem, & in tota terra Iſrael; quos proculdubiò partim ab his qui ante Aſſyriacam captiuitatem vltrò ſeſe duabus tribubus aſſociauerant; partim ab his qui ab Aſſyrijs relicti fuerant, aut ab ipſis clàm aufugerant; partim quoque ab illis paucis, quos de Iſraelitica captiuitate quomodolibet rediiſſe num.6. ac 7. diximus, propagatos fuiſſe, dubitare nemo debet: qui ſucceſſiuè inter Iudæos non mediocriter multiplicati, ſub poſterioribus Iudæorum Regibus, quemadmodum olim ſub Dauide ac Salomone, vniformiter cum Iudæis viuentes, nihil ab ipſis in diuino cultu moribùſque diſcrepabant. Et in iſtis credimus impletas eſſe memoratas Ezechielis, Oſee, & Tobiæ Prophetias, de quorumdam Iſraelitarum reductione in terram Iſrael, eorumdemque copulatione cum Iudæis, ſub vno eodemque communi regimine.

AN X. TRIBUS ISRAELITICAE AD NOVI ORBIS PARTES COMMIGRAVERINT.

11. Ceterùm, quoniam dictum eſt, Iſraelitas decem illarum tribuum, quas Reges Aſſyriorum duxerant captiuas, numquam poſteà, paucis dumtaxat exceptis, rediiſſe in Iudæam, ſed circa montes Caſpios conſediſſe, ibidemque poſteà perpetuò remanſiſſe, vt eſt communis ſententia, non videtur hîc ſilentio prætereunda, ſed commemoranda pariter ac explodenda alia quorumdam opinio, exiſtimantium, eos ad Noui orbis terras primò incolendas eſſe profectos; dediſſeque primam Indis Occidentalibus, hoc eſt vtriuſque Americæ incolis, originem. Ad quàm rem confirmandam aiunt, quòd idcircò Noui orbis incolæ ſunt natura timidi, & ſuperſtitionibus dediti, & ingenio acuti, & mendaces, quia à prædictis Iſraelitis ſunt propagati; vnde & in eiuſmodi omnibus, illis aſſimilantur; quemadmodum etiam, inquiunt, in veſtitu: nam vel nudis pedibus ambulant, vel calceis vtuntur plantam tantummodò pedis operientibus, & duplici dumtaxat veſtiuntur indumento, nimirum tunica & ſindone: & hæc aiunt eſſe, qualia erant illa quæ à Samſone promiſſa fuerunt problema ſuum diſſoluentibus, Iudic. cap.14. verſ.12. & 13. Et adhuc etiam ampliùs opinionem ſuam comprobare nituntur auctoritate Eſdræ, qui lib.4.cap.13. verſ.40. (tametſi liber ille inter apocryphos computatur) ſic ait: *Hæ ſunt decem tribus, quæ captiuæ factæ ſunt de terra ſua in diebus Oſee Regis, quem captiuum duxit Salmanaſar Rex Aſſyriorum, & tranſtulit eos trans flumen, & tranſlati ſunt in terram aliam. Ipſi autem ſibi dederunt conſilium hoc, vt derelinquerent multitudinem Gentium, & proficiſcerentur in vlteriorem regionem, vbi numquam habitauit genus humanum, vel ibi obſeruare legitima ſua, quæ non fuerant ſeruantes in regione ſua. Per introitus autem anguſtos fluminis Euphratem introierunt. Fecit enim eis tunc Altiſsimus ſigna, & ſtatuit venas fluminis vſquequò tranſirent: per eam enim regionem erat via multa, itineris anni vnius & dimidij; nam regio illa vocatur Arſareth. Tunc inhabitauerunt ibi vſque in nouiſsimo tempore: & nunc iterùm cùm cœperint venire, iterùm Altiſsimus ſtatuet venas fluminis, vt poſſint tranſire,* &c. hæc ibi Eſdras, ſeu liber Eſdræ adſcriptus. Ex cuius verbis, præſertim ex eo quod ait, decem tribus Iſraeliticas dereliquiſſe multitudinem Gentium, & profectas eſſe itinere anni vnius cum dimidio in regione Arſareth, vbi numquam habitauerat humanum genus: colligunt iſti, eoſdem Iſraelitas abiiſſe in regionẽ Noui orbis, antequam ad eam vllus hominum adhuc penetraſſet, ibidemque permanſiſſe; & conſequenter, ab ipſis poſteà propagatos eſſe, qui nunc eas incolunt regiones. Sed profectò hæc argumenta non modò non cogunt nos in ipſorum ire ſententiam; quin potiùs contrariam perſuadent. Nam poſito (licet id probare debuiſſent) quòd per regionem Arſareth, Auctor citati libri prouincias Noui orbis intelligere voluerit; certè ab Aſſyria ad Americam, vt ex Geographorum tabulis patet, duplex potuit eſſe via; altera quæ ad Orientem tenderet, altera ad Occidentem; ambæ quidem longiſſimæ, ſed prima tamen multò breuior. Si ergo per viam Orientalem nonnihil ad Aquilonem flectentes, tamquam breuiorem & commodiorem perrexerunt; vtique ſine vlla maris tranſmiſſione (ſi, vt Arias Montanus putat, Aſia nullo mediante freto cum America copulatur.) Si autem (quemadmodum alij Geographi ponunt, & nos ſub anno mundi 1931. num.44. diximus) inter Aſiam & Americam fretum extat Annianum, certè breui eiuſdem tranſitu ad ipſas Noui orbis regiones peruenire potuiſſent. Sed ſi per hanc viam Orientalem profecti

fecti sunt, proculdubiò non opus fuit eos transire Euphraten, quem in Assyria existentes habebant ad Occidentem; neque verum esset, quòd Altissimus ad eorum transitum mirabiliter venas fluminis siccasset. Si autem per viam Occiduam, Euphrate iterùm transmisso, vt apertè citatus Auctor indicat, incedere maluerunt; necessarium fuisset, eos vel vniuersa Syriæ, Arabiæ, Africæque latitudine longis itineribus peragrata, ad Atlanticum vsque Oceanum, & inde, eo magnis nauigiis ac longa admodū nauigatione transmisso, tandem ad Americam peruenisse: Vel ab Assyria ad Occiduos Syriæ fines terrestri itinere, mox nauibus tota Mediterranei longitudine vsque ad freti Gaditani exitum emensa, inde per vastissima & tunc omnino incognita Oceani maria ad Noui orbis oras postremò appulisse. Quòd si reipsa factum fuisset, profectò tam longam tanti populi nauigationem, vtpote magnum quid, & nouum, & numquam anteà auditum, nullatenus citati libri Auctor silentio inuoluisset; sed id quoque inter signa ad illius populi fauorem ab Altissimo facta retulisset. Cùm igitur èconuersò prædictus Auctor in memorati itineris narratione, nullius prorsus nautici traiectus, parui aut magni, meminerit; manifestum est, quòd nequaquam ex ipso colligere possumus, præfatas decem Israelitarum tribus ad Noui orbis plagas vmquàm transmigrasse. Præterea, si eo consilio ad Americam, tunc temporis omnino inhabitatam, profecti essent, ne à quoquam legitima sua obseruare impedirentur; vtique oporteret aliqua saltem in illis regionibus Hebraicæ Legis obseruantiæ vestigia reperiri. At contrà constat, omnes illarum regionum incolas ante receptam Euangelij prædicationem fuisse idololatras; nec quemquam ipsorum nouisse, nedum obseruasse circumcisionem, aliáve Hebræorum legitima. Vndę liquet, populos illos non à prædictis Israelitis, sed ab aliis idololatris genus suum duxisse. Quòd autem timidi sint & acuti ingenij, non magis indicat eorum originem à memoratis Israelitis, quàm ab aliis eiusdem naturæ populis esse deductam. Sed neque omnibus Noui orbis populis commune est, esse timidioris & acuti ingenij: cùm alioqui plures quoque ibidem reperiantur & animo audaciores, & ingenio obtusiores, quemadmodum Iosephus Acosta, qui diu admodum in Americæ prouinciis versatus est, attestatur lib. 1. suarum Historiarum naturalium & moralium Indicarum cap. 23. Quòd verò illæ gentes mendaces sint, & admodum superstitiosæ, proprium esse videtur & commune omnibus idololatris. Vestitus item ille satis simplex & modicus, redolet magis illorum rusticitatem ac imperitiam, & climatis caliditatem, propter quam pluribus non indigent indumentis, sicuti fit in alijs calidioribus prouincijs; quàm quòd arguat eos ab Israelitis ortum habuisse. Nam dicere, quòd vestimenta Indorum similia sint tunicis & sindonibus, quorum meminit Samson loco Iudicum allegato; neque probari potest, neque si sic esset, inferri posset intentum: quandoquidem, si diligentiùs perpendatur ille locus, palàm fiet, Samsonem non ab Israelitis illas tunicas ac sindones abstulisse; sed à Philisthæis ab eo apud Ascalonem occisis, vt ibidem vers. 19. perspicuè traditur. Itaque vt rem paucis absoluam, non minùs inepta est ista opinio, de profectione decem tribuum Israel in Americam ad eam primò incolendam, quàm ea quæ putat primos eiusdem Americæ incolas ad eam deuenisse gradientes per insulam Atlantidem (nescio à quo somniatam) ab Occiduis Africæ oris, vt aiunt, olim ad ipsius Americæ fines pertingentem; de qua insula habentur multa apud Platonem in Timæo fabulosè narrata. Fabulosè dixi; quia certissimum est, talem insulam nùnc non extare, & à Geographis antiquis nusquam eiusmodi terminis fuisse descriptam. Sed non est præsentis negotij in hac re diutiùs immorari, neque hîc disquirere, quomodo homines ad Americæ plagas primò incolendas penetrare potuerint; cùm de hoc satis sub anno mundi 1931. num. 45. vsquę ad 48. dictum sit. DE INSVLA ATLANTICA A QVIBVSDAM CONFICTA.

☞ 12. Per hæc circiter tempora, videlicet, sub finem anni Ezechiæ Regis Iuda sexti, prophetauit Isaias quædam ad natiuitatem Domini pertinentia, quæ traduntur in capite Prophetiæ eius 9. vt non obscurè colligi potest ex initio eiusdem capitis. vbi memorantur duæ, quæ præcesserant, Assyriorum de Israelitis victoriæ; Altera, quando Theglathphalasar deprædauerat tribus Zabulon & Nephthalim, de quibus dicitur: *Primo tempore alleuiata est terra Zabulon, & terra Nephthali.* Altera, quando Salmanasar vniuersum Israelem transtulerat in Assyrios: quod quidem paulò ante memoratam Prophetiam accidisse, planè indicant illa Prophetæ verba, quæ citatis subsequuntur: *Et nouissimò aggrauata est via maris trans Iordanem Galilææ Gentium.* siquidem ibi (vt sacri exponunt Doctores) non solùm indicatur Israelitica captiuitas à Salmanasar in Assyrios abducta; sed etiam significatur, eamdem paulò anteà contigisse; quemadmodum apertè ostendit vocabulum illud *nouissimò*, quod est ac si dictum esset, *nuperrimè*. Ab hoc verò ISAIAS VATICINATVR DE NATIVITATE CHRISTI.

tempore vſque ad annum regni eiuſdem Ezechiæ decimumquartum, proſecutus eſt Iſaias prophetare, quæ leguntur à prædicto eius cap. 9. vſque ad 20.

AB ORBE CONDITO ANNVS 3315. QVINTÆ MVNDI ÆTAT. ANNVS 293.

TOBIAS IN CAPTIVITATE POSITVS DEI LEGEM OBSERVABAT.

1 ANNO regni Ezechiæ Regis Iuda ſeptimo, qui erat Iſraeliticæ captiuitatis primus, Tobias (vt in tabulis etiam expreſſum videbitur) in eadem captiuitate, cum vxore & filio & reliquis de tribu ſua in Niniuem perductus, in vera pietate perſeuerans, veri Dei cultum Legemque, etiam in medio idololatrarum poſitus, omnino obſeruabat: nam cùm ceteri Iſraelitæ ederent de cibis Gentilium, ipſe à cunctis eſcis Lege vetitis abſtinebat: & quia in ſancto Dei timore iugiter perſeuerans viam veritatis non deſerebat, dedit illi Dominus gratiam in conſpectu Salmanaſar Regis, qui præter pecunias non modicas eidem gratis erogatas, fecit quoque ei facultatem quocumque pergendi, ac faciendi quæcumque vellet. qua libertate ipſe non ad propriam, ſed ad fratrum ſuorum, hoc eſt Iſraelitarum, vtilitatem vtebatur: etenim frequenter huc atque illuc ad concaptiuos ſuos diſcurrebat; quibus non ſolùm monita ſalutis peramanter dabat, verumetiam quidquid habere poterat, quotidie eis impertiebatur; atque ita pro viribus adiuuabat omnes. Cùm autem quadam die (vt vel ab vno hoc exemplo cetera diſcere liceat) in Rages ciuitatem Medorum deueniſſet, ibique inter alios de tribu & genere ſuo inueniſſet quemdam, nomine Gabelum, valdè notabili pecuniæ ſumma egentem, pro ære (vt arbitror) alieno diſſoluendo; ne decoqueret, aliáve grauiſſima incurreret damna, puta aut perpetui carceris, aut ne ipſe & liberi eius in ſeruos & ancillas à creditoribus redigerentur; pius Tobias viri miſeratione commotus, accommodauit ei ſub chirographo decem talenta argenti, de pecuniis ſibi à Rege dono datis; quæ penes ſe ad pias eiuſmodi cauſas tulerat: Tobiæ cap. 1. verſ. 2. 3. & 11. vſque ad 18.

A SALMANASAR BENEFICIA ACCIPIT.

OPERA CHARITATIS EXERCET.

PECVNIAM GABELO GRATIS ACCOMMODAT

DE CVTHAEIS SIVE SAMARITANIS.

2. At verò per idem tempus, illæ gentes quas (vt ſub anno præcedenti num. 2. diximus) pro filijs Iſrael inde tranſlatis poſuerat Rex Aſſyriorum in vrbibus Samariæ, in cultu idolorum ſuorum perſeuerantes, faciebant ſibi ſingulæ deos ſuos, quos priùs colere conſueuerant in regionibus ſuis: quamobrem immiſit Dominus leones, qui per terram Iſrael diſcurrentes interficiebant eas. Quod cùm audiſſet Rex Aſſyriorum, præcepit illuc adduci vnum de Sacerdotibus Domini, qui doceret eos legitima Dei terræ. Quem illæ gentes non omnino auſcultarunt; quandoquidem tametſi timerent Dominum propter plagam leonum eis immiſſam, nihilominùs etiam non ceſſabant colere idola ſua: atque in hac mixtura cultus Domini & idolorum deinceps perſeuerauerunt ipſi & poſteri eorum vſque ad tempora Chriſti & Apoſtolorum, quando recepit Samaria verbum Dei, vt patet legenti Actorum cap. 8. verſ. 5. vſque ad 18. Quæ omnia deſcribuntur 4. Reg. cap. 17. verſ. 25. vſque ad finem capitis. Sanè vt teſtatur Ioſephus in calce lib. 9. Antiq. prædictos populos Iudæi olim appellabant Cuthæos, quòd maxima ipſorum pars de Cutha Perſidis regione, & à flumine Cutho ibidem exiſtente traducti eſſent: Græci verò, quando dominari cœperunt Hebræis, illos poſteà vocarunt Samaritas ſiue Samaritanos; quo nomine etiam vtuntur Euangeliſtæ. Et quemadmodum cor iſtorum non erat rectum cum Domino, ita etiam neque cum Iudæis ſincerè ambulabant: nam (vt ait Ioſephus vbi ſuprà, & repetit 11. Antiq. cap. 8. prope finem) erant ſemper pro præſenti temporum conditione mutabiles; & eo ingenio, vt in rebus Iudæorum aduerſis, negarent ſe eſſe eorum cognatos, veritatem tunc dicentes; quoties autem res Iudæis feliciter ſuccedere perſpiciebant, confeſtim in ipſorum ſocietatem irruentes, eoſdem ad ſe attinere affirmabant, à Ioſepho eiuſque filiis Manaſſe ac Ephraimo ſeriem generis ſui deducere iactantes. B. Chryſoſtomus quoque Homil. 30. in Ioan. dicit, quòd quamuis reverà iſti eſſent Gentiles, tamen aliquando in Iudaicam ſeſe nobilitatem inſerere nitebantur, & Iudæos vocare cognatos, quoniam Iſraelitarum terram tenebant, & aliqua de eorum Lege receperant. Huius rei exemplum videre licet 1. Eſdræ cap. 4. vbi legimus, quòd quando Iudæi de licentia Cyri Regis Perſarum cœperunt ædificare templum in Ieruſalem, ipſi quoque Samaritani volebant ſe ſimul intromittere, & cum eis ædificare: Iudæis verò id recuſantibus, impedire conati ſunt ædificium; ſiquidem corruptis Regijs miniſtris, eorumdem auxilio & fauore fregerunt conſilia Iudæorum, dilataque eſt ædificatio vſque ad tempora Darij Regis, vt infrà ſuo loco dicetur. Ex quibus omnibus colligi poteſt cauſa, cur Iudæi non coütebantur Samaritanis, vt dicitur Ioan. cap. 4. verſ. 9. & cur mulier illa Samaritana ibidem verſ. 12. reſpon-

CVR DEVM ET PARITER IDOLA COLERENT.

responderit Christo: *Numquid tu maior es patre nostro Iacob, qui dedit nobis puteum istum, & ipse ex eo bibit, & filij eius, & pecora eius?* & item cur Dominus dixerit Apostolis: *In viam Gentium ne abieritis, & in ciuitates Samaritanorum ne intraueritis; sed potiùs ite ad oues quæ perierunt domus Israel:* Matthæi cap. 10. vers. 5.

3. Per hæc quoque tempora, nimirum (vt notat Caietanus super 2. Paralip. cap. 30.) post sextum regni Ezechiæ annum, & abductos in terram Assyriorum Israelitas, misit Ezechias Rex Iuda cursores siue nuntios cum epistolis Regiis ad Iudam, & ad Ephraim & Manasse, & ad omnem Israel, id est, ad reliquias Israelitarum quæ remanserant in terra ipsorum; inuitauitque eas vt venirent ad Domum Domini in Ierusalem, & ad celebritatem Paschæ, quam sollemniter restituere cogitabat. Et certè Caietani opinio est valdè rationabilis: nam si tunc Israel habuisset vt priùs proprium Regem, non est credibile quòd Rex Iuda, sine illius consensu, ausus fuisset conuocare Israelitas in Ierusalem, nec est verisimile, quòd ipse Rex Israel tale quid vmquam concedere permitteréve voluisset, veritus nimirum, ne hac occasione deficeret à se populus, & ad Iudæ partes transitum faceret: quandoquidem non ignorasset, hac de causa olim Ieroboam primum Israelis Regem fecisse vitulos aureos, vt auerteret populum ab ascensu ad Templum Domini; prohibuisseque ne irent adorare in Ierusalem: & idipsum posteà ab omnibus successoribus eius accuratè admodum fuisse obseruatum. Sed quid in re apertissima immoramu rcùm cap. Paralip. citato vers. 6. & 7. manifestè tradatur, quòd nuntij qui ab Ezechia Rege missi fuerant, dicebant ad Israelitas: *Reuertimini ad Dominum, &c. & reuertetur ad reliquias quæ effugerunt manum Regis Assyriorum.* ergo iam præcesserat captiuitas: quod etiam clariùs ibidem subiungitur illis verbus: *Nolite,* dicebant, *fieri sicut patres vestri, & fratres qui recesserunt à Domino Deo patrum suorum, qui tradidit eos in interitum, vt ipsi cernitis.* & adhuc manifestiùs infrà vers. 9. vbi dicitur: *Si vos reuersi fueritis ad Dominum; fratres vestri, & filij habebunt misericordiam coram dominis suis, qui illos duxerunt captiuos; & reuertentur in terram hanc.* Ex his itaque patet decipi Abulensem, qui super 4. Reg. cap. 18. quæst. 16. putat omnia quæ narrantur 2. Paralip. cap. 30. & 31. acta fuisse anno primo regni Ezechiæ; & Riberam item, qui super cap. 1. Osee num. 101. dicit, prædictos cursores missos fuisse ad Israel in initio regni Ezechiæ; & Israelitas ab eo inuitatos, posteà ingruente Assyriorum bello transisse ad duas tribus, id est ad regnum Iuda.

QVANDO EZECHIAS INVITAVERIT ISRAELITAS AD CELEBRANDVM PASCHA IN IERVSALEM.

4. Cùm ergo nuntij Regis Iuda per Israeliticas quoque regiones excurrerent de ciuitate in ciuitatem, hortantes vbique vniuersos, vt tandem post tot tantasque castigationes à Deo acceptas, non ampliùs renuerent differréntve conuerti ad Dominum Deum patrum suorum; sed tandem deliberarent venire in Ierusalem ad celebrandum Phase cum fratribus suis Iudæis: alij quidem irridebant eos, alij verò, præsertim quidam de tribu Aser, & Manasse, & Zabulon, cursorum consilio & hortationibus acquiescentes, venerunt in Ierusalem; vbi pariter omnes quoque viri Iuda vnanimes conuenerunt. Et quoniam in mense Anni sacri primo, quando Paschæ sollemnitas ordinariè celebrari debebat, nondum populi congregari potuerant; nec tot Sacerdotes sanctificari, quot pro tam grandi ac numeroso Paschate celebrando necessarij videbantur: inito consilio decreuerunt, Rege etiam annuente, celebritatem differre in mensem secundum, prout olim iusserat Dominus per manum Moysi Numer. cap. 9. vers. 10. & 11. in eiusmodi casibus esse faciendum. Igitur in mense secundo congregati pariter populi multi, ante omnia destruxerunt altaria idolorum quæ fecerat impius Achaz in vniuersis angulis Ierusalem, quando clauserat Templi iauuas, vt dicitur 2. Paralip. cap. 18. vers. 24. & proiecerunt ea in torrentem Cedron. Deinde, quartadecima die eiusdem mensis secundi, ad vesperam, immolauerunt Phase, & consequenter fecerunt sollemnitatem Azymorum septem diebus, offerentes holocausta in domo Domini, & immolantes victimas pacificas, & comedentes ac laudantes Dominum per singulos dies cum ingenti lætitia; cùm interim Leuitæ Sacerdotesque organis officio suo congruentibus dulciter admodum personarent.

IDOLORVM SVBVERSIO IN IERVSALEM. PASCHAE ET AZYMORVM CELEBRITAS

5. Ceterùm, in hac Paschali sollemnitate quattuor singularia contigisse memorantur. Nam Primò, quia multi ad eam immundi conuenerant; quando ventum est ad immolationem agnorum Paschalium, quæ non in Templo, sed per domos & familias, ritu Exod. cap. 12. vers. 1. vsque ad 29. descripto, fieri debebat; cùm capita familiarum ad quæ pertinebat immolare agnos, sanctificata non essent, pro ipsis suppleuerunt Leuitæ, iugulantes familiis agnos, & ponentes de sanguine ipsorum in superliminaribus domorum, & cetera quæ fieri præcepta erant sedulò exequentes. Secundò, inter alios im-

QVATVOR SINGVLARIA IN HOC PASCHATE ACTA.

immundos qui ibidem conuenerant, magna pars populi tribus Ephraim, & Manasse, & Issachar, & Zabulon, contra Legis præceptum comederunt agnos Paschales, antequam sanctificarentur; pro quibus orauit Ezechias Rex Dominum, qui exaudiuit eum, & placatus non imputauit eis, quòd minùs sanctificati comedissent Phase. Tertiò, in oblatione etiam victimarum quæ fiebat in Templo, quoniam (vt dictum est) multi erant immundi, vt & ipsi possent victimas offerre Sacerdotibus immolandas, in ipso oblationis actu, Leuitarum ministerio vsi sunt, qui suppleuerunt officium, quod ab offerentibus mundis fieri debuisset. Quartò demum, præter septem primos dies Azymorum, placuit quoque vniuersæ multitudini vt celebrarent etiam alios dies septem; quod & fecerunt, offerentes Domino sacrificia plurima cum ingenti gaudio: & in hac secunda celebritate ipse Rex præbuit populo tauros mille, & ouium septem millia; & similiter Principes præbuerunt eidem populo tauros totidem, & oues decem millia; fuitque ista sollemnitas in Ierusalem tam grandis, qualis à diebus Salomonis in ea vrbe facta non fuerat. Denique peracta festiuitate, Sacerdotes & Leuitæ benedicentes populo, dimiserunt illum. Quæ omnia, licet aliquantò obscuriùs, describuntur 2. Paralipomenon cap. 30. per totum.

DESTRVVNTVR IDOLA ETIAM IN VRBIBVS EPHRAIM ET MANASSE.

6. Expleta Paschali sollemnitate, omnes Israelitæ qui inuenti sunt in vrbibus Iudę, vnanimiter egressi, fregerunt cuncta idolorum simulacra, & succenderunt lucos, demolitique sunt excelsa & altaria eorum, non solùm in omni Iuda & Beniamin, sed & in vrbibus Ephraim, & Manasse; atque his peractis reuersi sunt ad possessiones ac ciuitates suas: 2. Paralip. cap. 31. vers. 1. Et hinc confirmatur, quòd iam ex tunc defecerat regnum Israel, vt suprà num. 3. dictum est: alioqui Rex hæc & eiusmodi in vrbibus suis proculdubiò fieri prohibuisset.

EZECHIAS QVOMODO STVDERET AVGERE CVLTVM DOMINI.

7. Ezechias autem Rex in Ierusalem quotidie proficiebat, atque in promouendo indiesque magis augendo cultu Domini, totis viribus incumbebat; & vt hoc faciliùs meliusque consequi posset, curabat in primis instaurare Sacerdotum ac Leuitarum officia, necnon eorumdem distributiones vicesque ad normam olim à Dauide institutam restituere. Cùm ergo priùs suscepisset in se onus prouidendi ex propriis redditibus victimas pro holocausto, quod manè ac vespere iugiter fieri debebat, & item pro holocaustis Sabbatorum & Kalendarum, ac reliquarum anni sollemnitatum; præcepit deinde populo Ierosolymitano vt daret partes Sacerdotibus ac Leuitis in Lege statutas, quibus commodè sustentari, & absque alia sollicitudine, his quæ ad Legem Domini ac ministeria Templi pertinebant, vacare possent: quod alacriter & magna animorum promptitudine protinus executioni mandari cœpit. Etenim cernens populus eximiam Regis sui pietatem, (quippe qui non præcipiendo dumtaxat, sed præuio opere exemploque suo cunctos ad diuinum cultum instaurandum ac prouehendum animabat prouocabatque;) plurimas abundanterque offerebat primitias ac decimas frumenti, vini, olei, mellis, & omniũ quæ gignebat humus. Eiusdẽ quoque populi Ierosolymitani exemplo excitati ceteri Iudæi ac Israelitæ qui in aliis vrbibus habitabant, ipsi similiter decimas boum ouiumque, & aliarum rerum quæ vouerant, alacriter obtulerunt, cuncta deferentes in Ierusalem coram Domino Deo suo. Cùm autem vidissent, qui curam habebant colligendi ac distribuendi memoratas oblationes, eas largè admodum excrescere, & supra præsentem necessitatem nimiùm superabundare; cœperunt mense tertio distinctos quosdam frugum aliarumque rerum aceruos facere, quos posteà mense septimo, quando eiusmodi collectio in illis regionibus cessare consueuit, compleuerunt. Hos cùm quadam die Rex conspexisset, iussit pro his condendis fabricari horrea & cellaria in Domo Domini, quibus pręfecit Choneiam Leuitam, & alios nonnullos qui eidem deseruirent, & curarent omnia fideliter condi ac conseruari. Sed & alter Leuites, cui nomen erat Core, ianitor Portæ Orientalis, præpositus erat his quæ sponte offerebantur Domino; habebatque sub se alios plures, qui dispositi erant per vrbes Sacerdotum ac Leuitarum, per quos illis, qui expleta ministerij sui vice ad propria redierant, tam pro ipsis quàm pro vxoribus & liberis vtriusque sexus alendis, partes de his quæ oblata fuerant, fideliter præbebantur. Neque verò prædicti Leuitę tantùm, verumetiam alij quoque viri filiorum Aaron, hoc est Sacerdotes, erant dispositi per agros & suburbana vrbium Sacerdotalium ac Leuiticarum, qui partes distribuerent vniuerso sexui masculino Sacerdotali. Etenim ista rerum Domino oblatarum distributio, quæ hîc indistinctè traditur, intelligenda est iussa fieri secundùm Leges olim à Domino per Moysen traditas: siquidem ex his quædam distribuenda erant communiter tum Sacerdotibus tum Leuitis, & pro vxoribus ipsorum ac filiis vtriuſ-

vtriusque sexus, vt decimæ: quædam solis Sacerdotibus, vt partes sacrificiorum, quibus masculi tantùm & mundi vesci poterant; & primitiæ, quæ communes erant etiam vxoribus & filiabus eorumdem Sacerdotum, de quibus aliàs. Et hæc sunt, quæ Ezechias Rex fieri curabat, vt regnum suum in vero ac legitimo Dei cultu conseruaret, quemadmodum describitur 2.Paralip. cap.31. per totum.

8. Quoniam autem filij Israel vsque ad hæc tempora adolere solebant incensum serpenti æneo, quem olim, iubente Deo, fecerat Moyses in deserto, vt in eo aspicientes Israelitæ à serpentum morsibus sanarentur, sicuti legimus Numer.cap.21. vers.8. videns pius Rex quòd prædictus serpens, qui in memoriam tanti beneficij hactenus fuerat asseruatus, iam non ampliùs ad recolendam Dei beneficentiam deseruire videbatur: quin potiùs, inuidia diaboli, populo in occasionem scandali & idololatriæ deuenerat: confregit eum, voluitque deinceps nominari Hebraicè Nohestan, quod aiunt Latinè significare, purum æs, seu massam æneam, vt vel hoc ipso nomine cunctis innotesceret, nullum esse ei ampliùs cultum adhibendum: 4.Reg. cap.18.vers.4. Et hinc patet, quòd ille serpens æneus, qui vsque hodie Mediolani in templo S.Ambrosij palàm visitur, & quem (vt refert Sigonius Historiarum de regno Italiæ lib.7.) Arnulphus eiusdem vrbis Archiepiscopus, anno salutis circiter 971. ab Ottone Germanorum Imperatore Constantinopolim ad Ioannem ibi tum imperantem missus, ex thesauro eiusdem Ioannis dono acceptum ad Ecclesiam suam detulit, non est illemet serpens (vt falsò quidam existimarunt, & adhuc à nonnullis imperitis creditur) qui olim à Moyse in deserto factus fuerat; sed alter postmodum, nescio à quo, aut quando, ad illius similitudinem, & (quemadmodum eidem Arnulpho Græci, citato Auctore attestante, asserebant) ex eodem, quo ille Moysaicus, ære conflatus.

CVR SERPENTEM AENEVM CONFREGERIT.

9. Per eadem (vt arbitror) tempora, nonnulli docti pariterque religiosi admodum viri, siue iussu Ezechiæ Regis, qui, quemadmodum religionem iam pænè collapsam sedulò restituere curauerat, ita studium quoque sacrarum Scripturarum promouere ac prouehere intendebat; siue ipsi motu proprio, eò quòd diligerent Ezechiam propter singularem eius sanctitatem, & existimarent gratum se ei facturos, si aliquid ad Dei cultum pertinens eidem offerrent; multas de Parabolis Salomonis, quæ tunc temporis dispersæ ac iam pænè deperditæ erant, diligentissimè conquisitas; atque in vnum collectas, Regique oblatas, de ipsius mandato, vt creditur, addiderunt libro Prouerbiorum eiusdem Salomonis. Incipit autem hæc additio, ab eiusdem libri cap.25. & extenditur vsque ad finem libri, vt ex inscriptione seu initio dicti capitis manifestum est.

ALIQVOT EX PARABOLIS SALOMONIS INVENTAE, ET CETERIS ADDITAE.

10. Fertur quoq; Ezechias Rex coluisse bonas artes, & fuisse Mathematicarũ scientiarum, quæ tunc maximè apud Chaldæos vigebant, valdè studiosum, ac restituisse annum, positis legibus de intercalando tertio quoque anno, mense Nisan. Quamuis hodie Iudæi mensem Adar intercalare malint. sed id ferè in idem recidit. Quouis enim ipsorum duplicato, ita vt ille tertius annus tredecim lunationes contineat, procul dubiò annus Lunaris ad Solarem, in fine decennouenalis cuiusque Cycli reducitur, quemadmodum nos sub anno mundi 2544. num.9. declarauimus. Non tamen credendum est, Ezechiam fuisse primum, qui apud Hebræos annum Lunarem Solari æquare tentauerit. Nisi enim id aliquo modo priùs fieri consueuisset, profectò non semper Nisan potuisset verè dici, esseque mensis nouarum frugum; neque semper in die eiusdem mensis decimosexto aut decimoseptimo potuissent Hebræi offerre manipulum spicarum in Lege sancitum, vt sub anno mundi numeroque proximè citatis probatum est: sed oportet quòd Ezechias regulas quasdam prioribus & vsque ad sua tempora vsitatis exactiores & commodiores adinuenerit, easque in vsum induci curarit. Ex his nonnulli suspicantur, appositè Dominum exhibuisse ipsi Ezechiæ ægrotanti consequendæ salutis signum, Isaiæ cap.38.vers.7. in re Mathematica, nimirum retrocessionis vmbræ solaris, tamquam ingenio & inclinationi eius valdè commodatum; vt refert Genebrardus lib. suæ Chronologiæ 1.

EZECHIAS COLVIT BONAS ARTES, PRAESERTIM MATHEMATICAS.

AB ORBE CONDITO ANNVS 3318. | QVINTÆ MVNDI ÆTAT. ANNVS 299.

3 ANNO regni Ezechiæ Regis Iuda decimo ferè expleto, oportet decessisse Salmanasar Regem Assyriorum: hoc enim circiter tempore desinunt anni decem, quibus ipsum regnasse tradunt Genebrardus vbi suprà, & alij.

SALMANASAR MORITVR.

AB ORBE CONDITO ANNVS 3319. | QVINTÆ MVNDI ÆTAT. ANNVS 297.

SENNACHERIB REGNAT IN ASSYRIA.

1 Anno proximo circiter ineunte regnauit in Assyria Sennacherib, fuitque Rex Assyriorum à Belo quadragesimus. Huius Regis fit mentio 4.Reg.c.18.vers.13. vsque ad finem capitis 19.& 2.Paralip.cap.32.vers.1.vsque ad 23.& Isaiæ c.36. & 37.& Tob cap.1.vers.18.vbi expressè dicitur, quòd erat filius dicti Salmanasar. Vnde manifestè apparet hallucinari Eusebium, qui in Chronicis, vbi agit de fine regni Israel, qui contigit postremo regni Osee anno, eumdem facit Sennacherib cum Salmanasar: ait enim quòd Sennacherib, qui & Salmanasar, vicit duxitque Israelitas in captiuitatem. Fallitur etiam ibidem idem Auctor in eo quòd ait, prædictum Sennacherib siue Salmanasar, fuisse Regem Chaldæorum; cùm tamen certissimum sit, Scripturam sacram vbique appellare eum Regem Assyriorum; & prætereà constet ex 4.Reg.cap.20.vers.12. & Isaiæ cap.39. vers.1. quòd eodem tempore quo regnabant Ezechias in Iuda, & Sennacherib in Assyria, regnabat quoque Merodac Baladan in Babylone, quæ & Chaldæa dicebatur. Ceterùm, iste Sennacherib creditur idem esse qui apud Isaiam cap.20. vers.1. nuncupatur Sargon: quod si verum est, oportet ipsum fuisse binominem.

EZECHIAS QVANDO COEPERIT MVNIRE IEROSOLYMAM.

2. Per hæc circiter tempora, probabile est quòd Ezechias Rex Iuda, cogitans excutere à se iugum Assyriorum, cœperit priùs munire Ierusalem, vt breuiter tangitur Ecclesiastici cap.48.vers.19. & latiùs explicatur 2.Paralip.cap.32.vers.5.his verbis: *Aedificauit quoque, agens industriè, omnem murum qui fuerat dissipatus, & extruxit turres desuper, & forinsecus alterum murum; instaurauitque Mello, & ciuitatem Dauid; & fecit vniuersi generis armaturam, & clypeos*, &c. Vbi tametsi hæc videantur facta post aduentum Sennacherib in Iudæam, nihilominùs multò probabilius est, quòd facta fuerint ante: non enim verisimile est, quòd Ezechias, quando statuit deficere à Rege Assyriorum, differre voluerit munitionem ciuitatis, donec videret illum aduersum se cum exercitu venientem; sed prudenter, longè priùs anteuerterit prouidere rebus suis; cœperitque paulatim reficere muros & turres, quæ non modico tempore absolui poterant: deinde aduenientibus Assyriis, cuncta quæ inchoauerat accelerari ac perfici, & reliquas præparationes bellicas in promptu haberi quantocyùs curauerit. Probabile item est opinari, quòd eodem pariter tempore, quo munire curabat Ierosolymam, idem Ezechias Rex, vt indeficientem aquarum copiam in vrbem induceret, ne obsidionis tempore populus aquæ penuria laboraret, fecerit aquæductum, magnis laboribus ac impensis excauata ferro rupe, quemadmodũ dicitur loco Ecclesiastici citato, atque ita per subterraneos canales deduxerit aquas in medium ciuitatis iugiter fluentes, extructa ibidem publica, ad populi commodum, piscina; quod etiam traditur 4.Reg.cap.20.vers.20. & 2.Paralip. cap.32. vers.30. Cuius piscinæ historiam ex citatis Scripturæ locis contexuit Brocardus in sua Terræ sanctæ descriptione parte 1.cap.7.§.43.in hæc verba: *Intrantibus in Ecclesiam sanctæ Annæ ostenditur piscina interior, quam Rex Ezechias hoc modo fecit. Obturauit superiorem fontem aquarum Gihon, conuertitque aquas eius subtus ad Occidentem vrbis Dauid, per vallem paulò antè dictam,* (nimirum Iosaphat) *incidens petram ferro, & inducens aquas per ciuitatis medium in piscinam istam, vt in obsidione haberet populus aquas ad bibendum, & eas non possent Assyrij prohibere: fontem verò aquarum Gihon, qui non longè distat ab Agro fullonis, duxit in piscinam superiorem, quæ est super Natatoria Siloe, quam Achaz inceperat, sed non perfecerat. De hac piscina, & de hoc fonte eiusque situ, dictum est illud Isaiæ cap.7. vers.3. Egredere ad extremum aquæductus piscinæ superioris in via Agri fullonis.*] *est enim piscina hæc, & dicitur superior respectu Natatoriæ Siloe, quæ ex hac piscina, & ex fonte Siloë aquam recipit tamquam inferior.* Hæc Brocardus, qui ibidem prosequitur agere de alijs piscinis in Ierusalem existentibus, quæ nunc ad rem nostram non faciunt.

AQVAEDVCTVM FABRICAT.

AB ORBE CONDITO ANNVS 3321. | QVINTÆ MVNDI ÆTAT. ANNVS 299.

REBELLAT A REGE ASSYRIORVM.

1 Anno regni sui decimotertio, vt num.2. probabimus, Ezechias rebellauit à Rege Assyriorum, & non seruiuit ei, quemadmodum traditur 4.Reg. cap.18. vers.7. Dicitur autem rebellasse, non impropriè, vt putat Lyranus; quia videlicet noluerit recipere eum; sed verè & propriè (vt arbitror) rebellauit, quoniam ex proposito se exemit à subiectione Regum Assyriorum, nec voluit ampliùs seruire eis, nec solita

illis

illis pendere tributa. Nam, vt benè notat Abulensis, à diebus Achaz, qui petierat auxilium à Theglathphalasar Rege Assyriorum, vt legimus 4.Reg.cap.16.vers.7.& postmodum, Dei prouidentia, ab eodem afflictus valdè fuit; tametsi ei resistere non ausus esset, quin potiùs frustrà muneribus ipsum placare curasset, quemadmodum dicitur 2.Paral. cap.28.vers.20.& 21. ab eo, inquam, tempore, videtur Iudæ Regnum aliquatenus semper remansisse subiectum Regibus Assyriorum; eisque aliqua quotannis soluisse tributa. Quod etiam colligi potest ex his quæ habentur 4.Reg.cap.18.vers.14.vbi legimus, Ezechiam misisse nuntios ad Sennacherib Regem Assyriorum oppugnantem Lachis, ac dixisse: *Peccaui, recede à me, & omne quod imposueris mihi, feram.* Quid enim est, *Peccaui:* nisi apertè fateri, se non debuisse ab eo rebellare? aut ei negare tributa, quæ priùs tum ipse, tum pater eius, eidem pendere consueuerant? Idem quoque elici potest ex his quæ in eodem Regum cap. vers.20. habentur, & repetita inueniuntur Isaiæ cap.36.vers.5. de Rabsace, qui missus à præfato Rege Assyriorum, acerbè admodum increpabat Ezechiam, quòd à Sennacherib recessisset, ac rebellare ausus esset.

2. Quòd autem hæc Ezechiæ Regis Iuda à Rege Assyriorum defectio hoc circiter anno acciderit, inde satis comprobatur, quòd anno insequenti (vt nos ibidem probabimus) statim idem Sennacherib, ingenti coacto exercitu, contra Ezechiam venerit: non enim credibile est, ipsum, attenta maximè tam grandi eius potentia, sustinere diutiùs voluisse aut differre talem vlcisci defectionem. Neque verò videtur Ezechias ante hæc circiter tempora rebellare potuisse à Rege Assyriorum; tum quia regnum Iuda priùs valdè attenuatum ac debilitatum fuerat propter maximas plurimasque calamitates, quas regnante Achaz perpessum fuerat; tum quia ex supradictis constat, Ezechiam ante & post Israeliticam captiuitatem in restaurando Dei cultu fuisse occupatum; & denique, quia si multò ante hæc tempora hæc defectio contigisset, vtique non à Sennacherib, sed à Salmanasar, qui tunc regnabat, ei statim bellum illatum fuisset. Quare non possum Abulensi subscribere, qui super 4.Reg. cap.18.quæst.25.dicit, credendum quidem esse, quòd ex dicto tempore Achaz soluerit tributa Regibus Assyriorum; sed tamen Ezechiam cùm regnare cœpit, noluisse ea soluere; & ideò, inquit, ascendit contra eum Sennacherib. Verùm si hoc esset, sequeretur, ipsum Salmanasar, qui pænè eodem tempore regnare cœpit super Assyrios quo Ezechias super Iuda, hanc defectionis iniuriam toto regni sui tempore, nimirum decennio, aut dissimulasse, aut vindicare non valuisse. neutrum autem credibile est. Non enim fortius erat Iudæ regnum regno Israel; quod tamen idem Salmanasar simili de causa aggressum cepit, & extinxit. Ecquis dubitare queat, quin tum præsertim, quando proximus terræ Iudæ cum exercitu numerosissimo inueniebatur, & parta de Israelitis tam grandi victoria audacior factus fuerat; quin, inquam, tunc (si aliquam ab Ezechia offensionem accepisset) tam commoda ei occasione oblata, facillimè potuisset Iudæam quoque inuadere, & habitatores eius in Assyriam deportare? Dicamus igitur, Ezechiam non à Salmanasar, sed à Sennacherib, & consequenter hoc circiter anno defecisse.

QVOD HOC ANNO ID EGERIT.

3. Per idem tempus, videlicet quando Ierosolymis vulgari cœpit, quòd Sennacherib Rex Assyriorum, audita Ezechiæ Regis Iuda defectione, parabat exercitum & profectionem suam contra Iudæos, credimus prophetare cœpisse Nahum, qui in numero Duodecim Prophetarum minorum septimus numeratur; idque colligimus ex his quæ B.Hieronymus in eiusdem Prophetiæ Prologo dicit in hæc verba: *Iam enim decem tribus ab Assyriis ductæ fuerant in captiuitatem sub Ezechia Rege Iuda, sub quo etiam nunc in consolationem populi transmigrati, aduersus Niniuem visio cernitur: nec erat parua consolatio, tam his qui iam Assyriis seruiebant, quàm reliquis qui sub Ezechia de tribu Iuda & Beniamin ab eisdē hostibus obsidebantur, vt audirent Assyrios quoque à Chaldæis esse capiendos.* hæc B. Hieronymus: qui licet ibi videatur referre Prophetiam Nahum ad illud tempus in quo Sennacherib oppugnabat ciuitates Iudææ; rationabilius tamen videtur, eiusdem Prophetiæ initium ponere sub anno qui ipsius Sennacherib aduentum in Iudæam proximè præcesserat; tum quia communior opinio est, Nahum prophetasse post Israeliticam captiuitatem, & antequam venisset Sennacherib contra Iudæam, vt latè probat Ribera in Præludio 2.suorum Commentariorū in Duodecim Prophetas minores; tum quia quę in 1.capite Prophetiæ Nahum, à vers.1. vsque ad 7. habentur; tametsi (vt citatus Auctor ibidem exponit) ad subuersionem quoque Niniue pertinere possint; magis tamen propriè ad prænuntiandum tremendum aduentus Sennacherib furorem, qui in proximo expectabatur, spectare videntur; cuius etiam Sennacherib interfectio, tamquam non multos post annos subsecutura, ibidem, licet subobscurè, prædici creditur. Quare, quod ait

TEMPVS PROPHETIAE NAHVM.

B. Hieronymus, Nahum prophetasse contra Assyrios, etiam ad consolationem Iudæorum qui ab eisdem hostibus obsidebantur; ita accipiendum puto, ac si dictum esset: qui ab eisdem hostibus paulò pòst obsidendi erant, iuxta dictum illud satis vulgatum: De proximo accingendus, quodammodò habetur pro accincto. vel, qui præ hostium timore & expectatione, iam quoquomodò obsideri videbantur.

CONTRA PONENTES DICTAM PROPHETIAM SVB ALIIS REGIBVS.

¶ 4. Decipiuntur ergo Iosephus, qui lib. 9. Antiq. cap. 11. ponit Prophetiam dicti Nahum contigisse Ioatham in Iuda regnante; & Auctores vtriusque Chronologiæ, maioris scilicet & minoris Hebræorum; & Genebrardus eosdem secutus: quorum primus c. 20. alter verò Decuria 5. tertiùs autem lib. 1. aiunt, Nahum tempestate Manasses Regis Iuda prophetasse: & Clemens Alexandrinus, qui in 1. Stromatum affirmat, eumdem Nahum prophetasse post Ezechielem. quod si esset, profectò non potuisset prænuntiare aduentum Sennacherib in Iudæam, neque eius occisionem, quæ constat Ezechiæ temporibus accidisse, & consequenter, multò ante Manasse & Ezechielis tempora præcesserant. Sanè quod aliqui dicunt, & præcipuè Dionysius Carthusianus super Nahum c. 1. Niniuitas cùm ad prædicationem Ionæ pœnituissent, post aliquantulum temporis ad vomitum rediisse, & idcircò Spiritum sanctum per Nahum prædixisse eosdem perituros: non puto posse accipi de prima illa Niniuitarum recidiuatione, quæ post actam prædicante Iona pœnitentiam subsecuta est, vt fusiùs probat Ribera super Nahum cap. 2. num. 5. vsque ad 16. sed de alia longè posteriori præuaricatione; nam propter illum priorem Niniuitarum relapsum, iam permiserat Dominus eos ab Arsace Medo & Beloso Babylonio subuerti; quemadmodum nos sub annis mundi 3215. num. 2. & 3234. nu. 2. diximus. Cùm autem post dictam subuersionem iterùm refloruisset Niniuitarum Imperium, vt sub anno mundi proximè citato num. 3. & 4. demonstrauimus; pluresque subinde Reges potentissimos habuisset: denuò ad grauissima peccata Niniuitæ redeuntes, à Merodac Rege Chaldæorum iterùm capi ac subiugari meruerunt, vt infrà sub anno mundi 3335. num. 1. dicemus.

DICTVM CARTHVSIANI QVOMODO SIT INTELLIGENDVM.

QVANDO IMPLETA SIT PROPHETIA NAHVM DE INTERITV NINIVE.

5. Vtrùm autem subuersa tunc fuerit Niniue, quando capta fuit à Merodac; & an hæc sit illa vrbis subuersio quam prædixit Nahum in Prophetia sua, dubitari potest: quoniam ex vna parte constat, Tobiam (quemadmodum in libro ex eius nomine inscripto apparet) cum tota familia sua habitasse in Niniue, vsque ad obitum suum, quem quadragesimo circiter regni Merodac anno accidisse sub anno mundi 3371. num. 2. dicemus; & Tob. cap. vlt. vers. 4. apertè dicitur, quòd posteaquam lumen recepit (hoc autem contigisse regni anno Asarhaddon circiter quarto, infrà sub anno mundi 3329. num. 1. & 3. apparebit) ipse Tobias reliquum vitæ transegit in gaudio, & demum morti appropinquans, prædixit propè esse interitum Niniue: ergo signum est quòd quando à Merodac (anno scilicet regni eius quarto, vt nos sub anno mundi 3335. num. 1. dicemus) capta fuit, nequaquam subuersa est. Ex alia verò parte, videtur tanta illius regni reuolutio, in qua omnis Assyriorum potentia ad Chaldæos translata esse perhibetur, non sine magna aliqua metropolis eius clade fieri potuisse. Quamobrem probabilius videtur, ipsam quidem Niniuem tunc à Merodac non omnino fuisse subuersam, sed tamen valdè admodum labefactatam atque humiliatam: Tobiæ verò domum tunc temporis aliquo modo ab incendijs ac rapinis diuina prouidentia fuisse præseruatam. Porrò, quamquam istam quoque prædictæ ciuitatis calamitatem atque humiliationem reor comprehensam fuisse, saltem implicitè, in illo onere ipsius Niniue, hoc est in illa graui admodumq; minaci Prophetia, quam contra Niniuem edidit Nahum: propriam tamen ac primariam illius vrbis subuersionem, à prædicto Propheta longè priusquam euenerit prænuntiatam, crediderim esse illammet, quam posteà Tobias quoque moriens non solùm suo vaticinio confirmauit, sed etiam in proximo futuram prædixit. Illa namque eius verba, quæ habentur Tobiæ cap. vlt. vers. 6. *Propè est interitus Niniue; non enim excidit verbum Domini.* certè de nullo Domini verbo veriùs accipi posse videntur, quàm de illo quod factum fuerat per os Nahum: nam quod ibi LXX. Interpretes & S. Hieronymus in Procemio Isaiæ exponunt de Iona, non videtur satis tutum; quia prænuntiatio interitus Niniue facta per Ionam, fuit ad certum tempus determinata, videlicet post quadraginta dies; & insuper conditionata, nimirum, nisi intra prædictos dies ad prædicationem Prophetæ, qui ad ipsam mittebatur, conuersa esset: secuta namque conuersione, statim euersionis sententia reuocata est. At verò Nahum neque vllum in sua Prophetia præcisum tempus præfinit, neque vllam talem apponit conditionem; sed absolute supponit, Niniuem in peccatis suis omnino aliquando fore subuertendam: Tobias autem addidit, *In proximo.* Quare de vna eademque subuersione ambo prophetasse

phetasse videntur. Quæ autem ea fuerit, nos infrà sub anno mundi 3371. num. 5. dicemus. Quamquam, quod attinet ad Prophetiam Nahum, nemini dubium esse debeat, quin non prædictam modò, sed & reliquas item mox secuturas eiusdem vrbis subuersiones vniuersaliter complecti voluerit; & præcipuè illam. (quæ fortè fuit ceterarum maxima) quam aiunt eidem vrbi posteà illatam fuisse à Nabuchodonosor Rege Babylonis, post deuastatam Alexandriam; quemadmodum apertè idem Propheta insinuat prænuntiatque capite suæ Prophetiç 3. vers. 8. & deinceps, & nos sub anno mundi 3452. num. 2. dicemus. Ceterùm Nahum, præter Niniue vastationem, vt dicebamus, vaticinatur etiam contra Regem Assyriorum, id est contra Sennacherib, prædicens ipsum nequaquam præualiturum aduersus Iudæos; & insuper eius quoque prænuntiat interitum.

AB ORBE CONDITO ANNVS 3322. — QVINTÆ MVNDI ÆTAT. ANNVS 300.

☞ 1 ANNO regni Ezechiæ Regis Iuda decimoquarto ascendit Sennacherib, qui & Sargon, Rex Assyriorum in Iudam, & obsedit ciuitates munitas: 4. Reg. cap. 18. vers. 13. & Isaiæ c. 36. vers. 1. & misit Tharthan, vnum de Principibus suis, cum parte exercitus, in Azotum, qui cepit eam: Isaiæ cap. 20. vers. 1. Quæ audiens Ezechias Rex, & intelligens hæc esse veluti præludia malorum, ac tandem omnem belli impetum contra Ierusalem fore conuertendum; festinauit parare se ad resistendum. Et primò quidem, de Principum suorum consilio, obturauit capita fontium, & cunctos riuos aquarum qui erant extra vrbem, ne venientes Assyrij aquas ad ipsorum vsus inuenirent. Deinde curauit accelerari consummarique ædificia quæ cœperat murorum ac turrium, pro vrbis munitione, & ad instaurationem Mello in ciuitate Dauid, & parari omnium generum armamenta. Denique instructo exercitu, conuocatisque omnibus in platea portæ ciuitatis, habuit ad eos concionem, qua cunctos ad bellandum animauit; eo præsertim vsus argumento, quòd hostes propriis dumtaxat viribus confiderent; nos autem, inquit, in Domino, qui nobiscum est auxiliator noster, & pugnabit pro nobis: 2. Paralip. cap. 32. vers. 1. vsque ad 9.

SENNACHERIB ASCENDIT IN IVDAM.

EZECHIAS PARAT SE AB EO DEFENDERE.

2. Vt autem audiuit Ezechias, quòd Sennacherib cepisset aliquas ciuitates munitas, & obsideret Lachis, & cuncta ei prosperè admodum succederent: tanta hostium progressione perterritus, misit ad Sennacherib legationem, obsecrans vt discederet à ditione sua; simulque offerens se paratum illi deinceps soluere quidquid sibi imposuisset. Qui indixit Ezechiæ trecenta argenti talenta, & auri triginta. Igitur coacto omni argento quod reperiri potuit in thesauris Domus Domini & domus Regiæ, ablatisque laminis aureis, quas ipse affixerat valuis Templi, dedit Ezechias omnia Regi Assyriorũ: 4. Reg. cap. 18. vers. 14. vsque ad 17. Porrò Sennacherib his acceptis non modò non recessit de terra Iuda, sed de vrbe Lachis quam obsidebat, missis ad Ezechiam & ad populum Ierosolymitanum nuntijs, videlicet Tharthan, Rabsaris, & Rabsacem, cum manu valida ac minacibus litteris blasphemiæ plenis, nitebatur perterrefacere Ezechiam Regem, vt vltrò traderet se ei, & ciuitatem, & omnia; atque his artibus procurabat auertere populum à suo proprio Rege, & à fiducia quam Rex populusque habebant in Deo patrum suorum; vt latè describitur cap. Reg. citato vers. 17. vsque ad finem capitis, & cap. Paralip. proximè adducto vers. 9. vsque ad 20. & Isaiæ cap. 36. per totum. Quæ cùm perlata essent ad Ezechiam Regem, scissis præ dolore vestibus, & opertus sacco, misit confestim nuntios saccis pariter opertos ad Isaiam Prophetam, qui nuntiarent ei omnia quæ fecerat petebatque Rex Assyriorum; vt super hoc consuleret Dominum, oraretque pro populo: ipse verò Rex, sacco vt erat obuolutus, ingressus Domum Domini, enixè orabat Deum aduersus blasphemias Regis Assyriorum. ac non multò pòst confortatus fausto Isaiæ vaticinio, creditur remisisse nuntios Sennacherib vacuos; nimirum cum expressa protestatione, quòd nullo modo volebat tradere ei ciuitatem, neque recedere à spe, quam habebat in Domino Deo suo; quem sciebat esse omnipotentem, & valdè misericordem erga seruos suos. Reuersi ergo nuntij ad Sennacherib, qui tum recesserat de Lachis, inuenerunt eum expugnantem Lobnam. Factum est autem Dei prouidentia, vt quemadmodum prædixerat Isaias, eodemmet tempore quo Sennacherib prædictorum nuntiorum relationem auscultabat, derepentè à quodam audiret, egressum esse Tharacam Regem Aethiopiæ vt pugnaret contra ipsum: creditur autem iste Rex Aethiopum venisse in auxilium Regis Aegypti, contra quem etiam tunc Sennacherib bellum gerebat, vt scribit Iosephus 10. Antiq. cap. 1. sub finem. Itaque his auditis, Sennacherib,

MAGNA VI AVRI ATQVE ARGENTI FRVSTRA ILLVM PLACARE NITITVR.

DIVINO FRETVS AVXILIO, LIBERE NEGAT SE TRADITVRVM CIVITATEM

COGITVR SENNACHERIB IRE CVM EXERCITV IN AEGYPTVM.

cherib, qui alioqui Ezechiæ admodum iratus, voluisset confestim totis viribus ascendere ad expugnandam Ierusalem, coactus est cum exercitu benè instructo quantocyùs obuiàm ire prædicto Regi Aethiopiæ. Verumtamen, ne quid interim pro obtinenda etiam Ierosolyma intentatum relinqueret, denuò misit alios nuntios ac litteras prioribus peiores ad Ezechiam; si fortè his permotus, traderet se ciuitatemque ei. At ille acceptis litteris de manu nuntiorum, & lectis, ascendit in Domum Domini; & illis coram Domino expansis, deuotè admodum orauit pro sua populique de vi ac potentia tam impij tyranni liberatione; & exaudita est oratio eius: etenim eodemmet tempore prophetauit Isaias contra Sennacherib, misitque diuinam nuntiari Ezechiæ visionem quam viderat; nimirum quòd Dominus audita ipsius Ezechiæ deprecatione, disposuerat protegere ciuitatem, & Regis Assyrij superbiã frangere, & non sinere ipsum ingredi Ierosolymam, sed nec obsidere eam, aut vel vnam sagittam contra ipsam iacere: quin etiam eumdem cogere, per viam qua venerat, reuerti, tertio scilicet anno ex quo ascenderat in Iudæam; vt numero insequenti ex eadem Isaię Prophetia probabimus. Quæ omnia fusiùs describuntur 4.Reg.cap.19.vers.1.vsque ad 35. & Isaiæ c.37.vers.1. vsque ad 36. Itaque Ezechias eodem Isaiæ vaticinio animatus, etiam hac vice constanter nuntios remisit ad Sennacherib inanes; qui relicta parte exercitus sui in Iudæa, iam profectus fuerat in Aegyptum, vt suos, qui tum oppugnabant Pelusium, ab aduentu Aethiopum defenderet, quemadmodum dictum est, & clariùs tradit Iosephus lib.10. Antiq. in calce capitis 1. Quare qui Ierosolymis erant Iudæi, tametsi non omnino tunc ab hostibus liberati, nihilominùs sublato maiori periculo, valdè admodum subleuati sunt.

ISAIAS PROPHETAT CONTRA SENNACHERIB.

ISAIAE VERBA EXPLICANTVR.

3. Et hoc est, quod prædixerat Ezechiæ Regi Isaias illis verbis quæ habentur 4.Reg. cap.19.vers.29.& Isaiæ cap.37. vers.30. *Tibi autem Ezechia hoc erit signum: Comede hoc anno quæ repereris; in secundo autem anno, quæ sponte nascuntur; porrò in tertio anno seminate & metite*, &c. Quæ verba, quia aliquantò obscuriora sunt, neque ab omnibus in vno eodemque sensu accipi videntur; & tamen recta eorum intelligentia ad historiæ veritatem plurimùm refert: propterea necessarium erit ea hìc exponere. Sed priùs sciendum est, quòd Iosephus Scaliger lib.5.de Emendatione temporum, in capite cui titulus est, De initio Ezechiæ pij Regis, ex recitatis Scripturæ verbis colligit, primum & secundum regni Ezechiæ annum, & item decimumquartum & decimumquintum ex parte fuisse Sabbaticos. Nam cùm septimus quisque annus, qui ex vi Moysaicæ Legis erat sabbatizandus, non ab initio Anni sacri, cuius exordium erat in Vere; sed ab initio anni vulgaris, qui incipiebat in Autumno, exordiri soleret, vt tradit idem Scaliger libro citato, in capite De anno Sabbatico; & nos sub anno mundi 2584. num.4. probauimus: putat Scaliger, in Autumno anni primi regni Ezechiæ cœpisse annum remissionis, terminasse verò in Autumno anni secundi eiusdem Regis; & similiter inchoasse alterum annum Sabbaticum in Autumno anni decimiquarti, ac desiisse in Autumno decimiquinti: & hoc probat, quia, inquit, quando Ezechias anno regni sui decimoquarto pertimescebat obsessum iri Ierosolymam à Sennacherib Rege Assyriorum, dixit Ezechiæ Isaias Propheta: *Comede hoc anno quæ repereris* (subaudi, de veteribus terræ fructibus remansisse) *in secundo autẽ anno, quæ sponte nascuntur* (quia, inquit, annus erat Sabbaticus:) *porrò in tertio anno* (nimirum, exacto Sabbatico) *seminate & metite*, &c. Ex qua expositione, si vera esset, necessariò consequeretur, primum pariter & secundum regni Ezechiæ annum aliquid de anno Sabbatico participasse, vt dictum est; siquidem remissionis annus septimo quoque anno incidebat. Verumenimuerò, arbitror Scaligerum in prædictorum expositione verborum hallucinari: quandoquidem ex ipsomet Sacro textu euidentissimè constat, Isaiam proposuisse ibidem Ezechiæ, quę dicta sunt de vescendis fructibus, primò veteribus, mox sponte natis, & denique serendis, in signum quo confirmaret certò adimplendum iri vaticinium à se prolatum de reditu Sennacherib, per viam qua venerat, in terram suam; & simul ad insinuandum tempus dictæ reuersionis, quemadmodum optimè docent illius loci Expositores. Etenim solebant Prophetæ ad confirmandas prædictiones suas, quædam alia particularia illis quodammodò annexa prænuntiare, vt per hæc, priora comprobarent. Possem plurima eiusmodi exempla proferre; sed nunc sufficiat illud admodum illustre, quod habetur 1.Reg. cap. 10. vers. 1. vsque ad 7. vbi cùm Samuel prædixisset Sauli quòd regnaturus esset super Israel; pro demonstratiuo huius veritatis signo, prosequitur prædicere singula quæ eidem euentura erant in via, per quam rediturus erat ad patrem suum: & denique vers.7. subiungit: *Quando ergo euenerint signa hæc omnia tibi, fac quæcumque inuenerit manus tua; quia Dominus tecum est.* Quasi diceret: Cùm videris hæc signa, prout dixi, euenisse; scias pariter certissimum

SCALIGERI EXPOSITIO.

REFVTATVR.

mum esse quod priùs prædixi tibi, nimirum breuî te fore Regem populi Israelitici; & consequenter habiturum à Domino potestatem, quæcumque tibi benè visa fuerint, faciendi. Sed quodnam, obsecro, signum fuisset reuersionis Sennacherib in patriã suam, si Isaias prænuntiasset Ezechiæ, quòd in proximo erat initium anni Sabbatici; & quòd propterea deberet tunc comedere quæ reliqua erant de fructibus iam collectis; & in sequenti anno, quæ sponte, hoc est sine cultura nascerentur; in tertio autem anno, seminare & metere, &c.? Numquid Ezechias Legis Moysaicæ obseruãtissimus, si in anno regni sui primo incidisset annus Sabbaticus, ignorare potuisset, eumdem quoque Sabbatismum in decimoquarto incepturum, atque in eo à rusticanis operibus omnino cessandum, & tantummodò sponte nata fore comedenda; exacto autem ipso remissionis anno, posse seminari ac meti? certè non videntur hæc, quæ notissima fuissent Ezechiæ, danda eidem pro signo discessus Sennacherib: nihil enim ad id facere videbantur. Huc accedit, quòd (quidquid dicat Scaliger) si rectè supputentur anni ab introitu Israelitarum in terram Chanaan, vnde incipit Æra annorum Sabbaticorum, quemadmodum nos sub anno mundi 2584. num. 2. probauimus, ijque deducantur vsque ad annos regni Ezechiæ; proculdubiò comperiemus, non in primo, neque in decimoquarto; sed in tertio, & decimo, & decimoseptimo, regni Ezechiæ annis annum Sabbaticum incidere debuisse, vt manifestè in tabulis licet intueri. Denique si verum est, quemadmodum sub anno mundi numeroque proximè citatis probauimus, ex multis annis ante Babylonicam captiuitatem non fuisse in vsu apud Hebręos annorum Sabbaticorum obseruantiam; profectò neque Ezechiæ temporibus illam celebratam esse credendum est: alioqui etiam Iosias, qui posteà non fuit ipso Ezechia Moysaicæ Legis minùs zelator, eamdem quoque suis temporibus retineri curasset; & Scriptura sacra inter res pias ab ipso gestas, aliquam etiam de celebratione anni remissionis mentionem alicubi facere non neglexisset. Quare verus ac germanus memoratorum Isaiæ verborum sensus ille est, quem communiter explicant plures sacri illius loci Expositores, nimirum, Hoc erit tibi signũ, ô Ezechia, quòd Sennacherib non sit obsessurus Ierusalem, sed rebus infectis cogendus sit redire cum tristitia in Niniuem ciuitatem suam, vt prædictum est. Comedetis hoc anno tu & populus tuus fruges veteres, hoc est, tum quas ante Assyriorum aduentum iam collegeratis, tum quæ post agrorum vastationem ab ipsis factam remanserunt: in sequenti verò anno, quia Assyrij in Iudęa à Sennacherib relinquendi, crebris incursionibus non permittent Iudæos vacare agriculturæ; vescemini his quæ sponte nascentur. At in tertio ab hinc anno, quoniam approximante Autumno, & non priùs, reuertetur Sennacherib in terram suam, liberè tunc ac sine vllo hostium metu, poteritis pro libito deinceps serere, plantare, metere, & comedere fructus laborum vestrorum. AVCTORIS EXPOSITIO.

☞ 4. Eodem anno regni Ezechiæ decimoquarto, eo scilicet tempore quo capta est Azotus à Tharthan, vno ex primarijs Sennacherib Regis Ducibus, Isaias Propheta (vt ipsemet in capitis 20. initio ait) detractis sibi calceis & sacco quo erat indutus, ad iussum Domini incessit nudus per tres, vt creditur, dies, in signum & portentum Aegyptiis atque Aethiopibus; quòd scilicet post tres annos, vel (vt alij exponunt) tribus annis, à Rege Assyriorum infestandi erant valdè, & multi ipsorum discalceati ac nudis natibus, magna cum ipsorum ignominia abducendi erant captiui: Isaiæ cap. citato per totum. ISAIAS NVDVS INCEDENS PRAENVNTIAT IGNOMINIOSAM AEGYPTIORVM ATQVE AETHIOPVM CAPTIVITATEM.

¶ Vbi duo occurrunt adnotanda. Primum est, idcircò Dominum voluisse eiusmodi ignominiosam Aegyptiorum Aethiopumque afflictionem quam ab Assyrijs passuri erant, signo vsqueadeò opprobrioso in Iudæa tunc pręcipuè prænuntiari ac diuulgari, quando ipsi quoque Iudæi ab Assyrijs valdè opprimebantur; vt propterea ijdem Iudæi stabiles permanerent in ea fiducia, quam habere tenebantur in Domino Deo suo, quamque prædicauerat eis ipsorum Rex Ezechias; & vt non confiderent se posse ab Aegypti Aethiopiæque Regibus aduersus Assyrios adiuuari. Alterum est, quòd de tempore huius Aegyptiorum Aethiopumque calamitatis, & item de Rege Assyriorum, qui eis posteà eam intulerit, nihil omnino certi asserere possumus. Nam licet ex supradictis constet, Sennacherib hoc eodem anno profectum esse contra Tharacam Regem Aethiopiæ, & pariter contra Regem Aegypti diutina Pelusij obsidione bellasse, vt scribit Iosephus 10. Antiq. cap. 1. attamen quia (quemadmodum ibidem subditur) quando post multa, frustrari conatus suos vidit, rebus infectis rediit in Niniuem, vbi (vt idem Auctor cap. 2. ex Beroso refert) paulò pòst interfectus fuit; propterea non videtur prænuntiata Aegyptiorum Aethiopumque calamitas ab ipso Sennacherib infligi potuisse; nisi fortè alicui magis arrideat coniectari, eumdem Sennacherib, præ nimia indignatione quòd Pelusium expugnare non valuisset, in suo reditu Aegyptios atque Aethiopes, quotquot in eo QVANDO PRAEDICTA AEGYPTIORVM AETHIOPVMQVE CALAMITAS EVENERIT.

bello

bello à suis capi contigerat, memorata affectos ignominia abduxisse: quod certè non videtur improbabile, præsertim cùm iam numero præcedenti dictum sit, ipsum Sennacherib non nisi tertio ab hoc anno in patriam reuersurum; & probabilius videatur, Prophetam flagellum illis gentibus breui, quàm longo pòst tempore superuenturum prædixisse. Quamquam si memorata clades (vt quidam putant, & ex citato Isaiæ cap. vers. 3. vbi trium annorum meminit, elicere nituntur) post tres annos accidisset; proculdubiò oporteret eam ab Asarhaddon filio ac successore Sennacherib Ægyptiis atque Æthiopibus fuisse illatam. Sed neque hoc certum est, quoniam nondum satis exploratum habemus, num Isaias ibi magis indicare voluerit malum illud post tres annos venturum, an potiùs tribus dumtaxat annis duraturum: & prætereà probare non possumus, quòd Asarhaddon Ægyptios Æthiopesque vmquam bello oppresserit. Quo fit vt non absurdum quoque fuerit opinari, hanc Isaiæ Prophetiam ad valdè posteriora tempora (vt sæpè solent in suis prædictionibus Prophetæ) respexisse; puta ad multas grauesque admodum vastationes, quas posteà Ægyptiis atque Æthiopibus aliisque finitimis nationibus inflixit Nabuchodonosor, vt nos sub anno mundi 3451. num. 4. & 5. adnotabimus. Nec refert, quòd Nabuchodonosor fuerit Rex Babylonis, quia tunc etiam dominabatur Assyriis, & regnum eius ad Monarchiam pertinebat Assyriorum, quemadmodum nos sub anno mundi 2016. num. 5. diximus, & sub anno 3335. num. 1. iterùm dicendum erit. Quòd si præfata Isaiæ Prophetia in hoc postremo sensu accipienda est; profectò coniectari possumus, id quod in ea trium annorum memoratur, indicare, eamdem post tres ab excidio Ierosolymitano annos fore implendam; quemadmodum sub anno mundi proximè citato dicemus, significare illud, *In tribus annis*, quod habetur apud eumdem Isaiam cap. 16. vers. 14. Et hæc in re perobscura probabiliter disseruisse sufficiat.

QVAE ALIA HOC ANNO ISAIAS PROPHETAVERIT. DE SOBNA PRAEPOSITO TEMPLI, ET ISAIAE VATICINIO CONTRA EVM PROLATO.

☞ 5. Eodem regni Ezechiæ anno, creditur Isaias prophetasse cetera omnia, quæ à citato Prophetiæ suæ cap. 20. vsque ad 39. continentur: inter quæ extat cap. 22. vers. 15. vsque ad finem capitis, vaticinium quod idem Propheta, iubente Domino, protulit contra impium Sobnam præpositum Templi. Hic, vt nonnulli tradunt, & refert Hector Pintus super citato Isaiæ cap. cùm esset Sacerdos & Pontifex, persuaserat Iudæis ne crederent Prophetarum prædictionibus; & ipse aduersus Ezechiam Regem cum Sennacherib coniurauerat, & nihilominùs, præ superbia nimiùm sibi arrogans, putabat à nemine se suo posse officio priuari. Ad hunc ergo missus à Domino Isaias, durè admodum increpauit eum, prædicens ei, quòd de illo tam sublimi ministerio deponendus erat, & quasi gallus gallinaceus inde asportandus, cum ignominia moriturus in terra aliena: & quòd in eius locum sufficiendus erat Eliacim filius Helciæ; & alia huiusmodi, quæ describuntur loco Isaiæ citato. Vbi aduertere oportet, quòd memorati Sobna & Eliacim, valdè diuersi erant ab illis, quorum fit mentio 4. Reg. cap. 18. vers. 18. & 37. & cap. 19. vers. 1. quia illi de quibus loquitur Isaias, erant ambo Sacerdotes; ij verò qui locis Reg. allegatis memorantur, erant laici, & ministri Regij: Sobna enim, vt ibidem dicitur, erat Scriba Regis; & Eliacim dicitur fuisse Præpositus domus, nimirum regiæ; vel Procurator, vt ait Iosephus 10. Antiq. cap. 1. & latè probat Abulensis super 4. Reg. cap. 18. quæst. 33. Nec refert quòd vterque Eliacim dicatur filius Helciæ; quia non inconuenit, quòd eodem tempore fuerint duo Eliacim, filij duorum patrum eiusdem nominis; sicuti sub anno mundi 3079. num. 2. diximus, Abiæ matrem nomine Maacha filiã Abessalom fuisse diuersam ab alia Maacha, quę fuit filia alterius Abessalom, & mater Asa. & sub anno mundi 3208. nu 4. diximus, extitisse quemdam Oziam, Prophetæ Amos interfectorem, ac filium Amasiæ, qui ambo, pater scilicet & filius, erant sacerdotes idolorum in Bethel; & consequenter, longè diuersi ab Ozia filio Amasiæ Regibus Iudæ. & certum est, quòd illi tres qui nominantur 1. Paralip. cap. 6. vers. 7. & 8. videlicet, Amarias pater, & Achitob filius, & Sadoc nepos, omnino differunt ab illis tribus, patres scilicet, & filio, & nepote, qui eodem capite vers. 11. & 12. iisdemmet nominibus appellantur. Quis autem fuerit memoratus Eliacim filius Helciæ, de quo vaticinatus est Isaias, nos sub anno mundi 3451. num. 2. indicabimus. De dicto verò Sobna, quandonam, & à quo de Pontificatu fuerit depositus, ac de Iudæa eiectus, Scriptura sacra non refert: probabile tamen est id contigisse post fugam Sennacheribi de Iudæa in Niniuem, vt nos sub anno mundi 3324. num. 6. dicemus.

DE DVPLICI SOBNA, ET ELIACIM, ET HELCIA.

EZECHIAS MORTALI AEGRITVDINE CORRIPITVR.

6. Sub finem eiusdem anni regni sui decimiquarti, vt paulò pòst probabitur, ægrotauit Ezechias vsque ad mortem; & cùm audisset ab Isaia Propheta, quòd in illa infirmitate moriturus esset; conuersus ad parietem, orauit fletu magno ad Dominum, qui exau-

exaudiuit eum; & per eumdem Prophetam prædixit promisitque dare ei perfectam tertia pòst die sanitatem, & insuper adiicere vitæ eius annos quindecim, ac liberare ipsum ciuitatemque eius de manu Regis Assyriorum. Pro cuius promissionis confirmatione petenti Ezechiæ signum, data est optio, num vellet vt cresceret vmbra, an retrocederet: quo respondente, vt retrocederet decem gradibus; confestim orauit Isaias Dominum, & ecce mirabiliter retrò rediit sol in cælo: Ecclesiastici cap. 48. vers. 26. & pariter vmbra in horologio solari, quod fieri iusserat Achaz pater Ezechiæ, decem gradibus seu lineis retrocessit; atque ita præter naturæ ordinem productus fuit dies ille horis decem ampliùs quàm essent ceteri illius temporis. Simile quid accidisse etiam temporibus Iosue, diximus sub anno mundi 2584. num. 19. & item de vno ex posteris Selæ filij Iudæ, quòd stare fecerit Solem, nos sub anno mundi 2300. num. 1. adnotauimus. Itaque Ezechias, vt Propheta iniunxerat, apposita loco affecto massa caricarum, tertia die sanus è lecto surgens, ascendit in Templum; vbi pro gratiarum actione cecinit Canticum illud Domino, quod incipit: *Ego dixi, In dimidio dierum meorum*, &c. acciderat enim ei hæc infirmitas circa medietatem dierum suorum, non ætatis, sed regni. Et hæc omnia fusiùs describuntur 4. Reg. cap. 20. vers. 1. vsque ad 12. & Isai. cap. 38. per totum. Ex his ergo patet, hallucinari Iosephum, qui lib. 10. Antiq. in principio capitis 3. asserit, hanc Ezechiæ infirmitatem accidisse paulò pòst percussum ab Angelo Sennacheribi exercitum. Sed si Ezechiæ ægrotanti promisit Dominus liberare ipsum, & cum eo Ierosolymam de manu Regis Assyriorum; profectò consequens est, quòd tunc nondum percussus esset exercitus eius. Præterea hæc percussio (ex suprà num. 3. dictis, & item sub anno mundi 3324. dicendis) necessariò ponenda est sub annò regni Ezechiæ decimosexto: ergo si iam sexdecim propè annis regnasset Ezechias, quando promisit Dominus adiicere ei annos quindecim, vtique oporteret ipsum vno & triginta annis regnasse; & tamen Scriptura sacra asserit, eumdem annos dumtaxat viginti nouem in regno exegisse. Igitur non anno regni sui decimosexto, sed decimoquarto circiter desinente, ægrotauit Ezechias: quindecim namq; vitæ anni mox additi, prædictam præcisè viginti nouem regni eius annorũ summam efficiunt. Quoniam autem Sennacherib, licet tunc iam profectus esset in Ægyptum, vt dictũ est; partem tamen exercitus sui in Iudæa reliquerat, & redire ad obsidendam Ierusalem ipse decreuerat: rectè propterea promisit Dominus liberare Ezechiam, & ciuitatem de manu Regis Assyriorum; quod & reipsa postmodum præstitit, vt sub anno mundi 3324. num. 1. & 2. dicemus. Porrò quæ nos contra proximè adductam Iosephi positionem diximus, militant pariter contra aliorum quoque Hebræorum sententiam, quam refert S. Hieronymus super Isai. cap. 39. vbi, *Tradunt*, inquit, *Hebræi, ideò ægrotasse Ezechiam, quoniam post inauditam victoriam Iudæorum, & Assyrij Regis interitum, non cecinerit laudes Domino, quas cecinit Moyses Pharaone submerso, & Debbora interfecto Sisara, & Anna genito Samuele, vnde commonitum esse fragilitatis suæ: rursumq; post corporis sanitatem, & signi magnitudinem, offerri aliam occasionem superbiæ; quam, vt prudens & Dei cultor, vitare debuerat, nec monstrare alienigenis diuitias suas, quas Deo tribuente possederat*. hactenus ille de Hebræorum traditione, quam tamquam S. Doctoris auctoritate firmatam (tametsi eam ipse nec probasse, nec refutasse, sed simpliciter retulisse videatur) secuti sunt nonnulli ex modernis Scriptoribus, alioquin valdè probati, nempe Didacus Stella, in Opere quod Hispano sermone edidit, de Contemptu vanitatum mundi par. 3. cap. 53. & Gaspar Sanchez Concione 3. Feriæ 6. post Dominicam. 1. Quadragesimæ, non procul à fine. Qui si Sacram lectionem accuratiùs ponderassent, proculdubiò intellexissent dici nullo modo posse, quòd Ezechias ideò grauissima illa infirmitate punitus fuerit, quia Canticum Deo non cecinerat pro mirabili illa Assyriorum percussione; quoniam iste Assyriorum interitus, vt probatum est, biennio circiter post dictum Ezechiæ languorem accidit: & prædictam diuitiarum suarum ostentationem pòst Assyrios cælitus percussos accidisse, nos sub anno mundi 3324. num. 2. ostendemus.

MIRA DIEI PRODVCTIO

EZECHIAS SANITATI RESTITVTVS CANIT DEO CANTICVM PRO GRATIARVM ACTIONE.

IOSEPHI POSITIO REFELLITVR.

QVAEDAM HEBRAEORVM TRADITIO REFVTATVR.

AB ORBE CONDITO ANNVS 3324. — QVINTÆ MVNDI ÆTAT. ANNVS 302.

1 ANNO regni Ezechiæ decimosexto, rediens ab Ægyptiaco bello Sennacherib valdè iratus, quòd illud sibi non ex sententia successisset; & intelligẽs, Ezechiam nullatenus sibi velle Ierosolymam tradere; iunctis copiis secum de Ægypto adductis

cum his quas in Iudæa reliquerat, protinus Ierusalem obsidere parabat; sed in ipso obsidionis initio, priusquam potuisset vel vnicam sagittam contra vrbem iacere, ecce Angelus Domini, qui vt vindictam sumeret de blasphemiis quas impius Rex contra Deum Israel proferre ausus fuerat, & vt pariter impleretur Prophetia Isaiæ sub anno mundi 3322. num. 3. relata, de Rege Assyriorum humiliando, & Iudæis tertio anno ab ipsius infestatione omnino liberandis; interfecit in vna nocte centum octoginta quinque millia in castris Assyriorum, cum Principe exercitus ipsius Sennacherib; qui manè diluculo consurgens, visa tam ingenti atque inopinata suorum strage, quantocyùs, relictis omnibus, ipse cum paucis qui remanserant illæsi, confusione atque ignominia plenus properauit ad suos, mansitq; in Niniue: 4. Reg. cap. 19. v. 35. & 2. Paralip. c. 32. v. 21. & Isa. c. 37. v. 36. & Tob. c. 1. v. 21. & Eccli. c. 48. v. 24. De isto Sennacherib Rege Assyriorum, quòd bellũ intulerit Ægyptiis, tradit etiam Herodotus lib. 2. valdè post medium; & item Berosus antiquissimus Chaldæorum Scriptor, qui (vt testantur Iosephus 10. Antiq. cap. 10. & 11. & B. Hieronymus super Isai. cap. 37.) insuper addit, eumdem Regem, in suo reditu de expeditione Ægyptiaca, iuxta Ierosolymam amisisse de exercitu suo centum octoginta quinque millia viros, pestilentia, nocte vna diuinitus interemptos. Vnde satis perspicuè licet inferre (quod aliàs quoque non semel adnotauimus) Berosum Annianum, apud quem nulla prorsus Sennacheribi mentio reperitur, à vero Beroso valdè esse diuersum. Quod autem ex vero Beroso Iosephus & B. Hieronymus vbi suprà referunt, Sennacheribi exercitum peste diuinitus immissa fuisse deletum; quamuis non videatur repugnare Scripturæ sacræ dicenti, eumdem ab Angelo fuisse percussum: quandoquidem scimus, Angelum Domini temporibus Dauidis euaginato gladio apparuisse super Ierusalem, ac percussisse pestilentia populum, quemadmodum sub anno mundi 3017. num. 1. dictum est: attamen probabilius videtur, hoc exterminium non peste, sed aliqua alia ratione ab Angelo fuisse perpetratum; alioqui non potuissent Rex populusque Iudæorum spoliis atque opibus Assyriorum ibidem relictis, vtpote tali contagio infectis, valdè ditari; quod tamen factum fuisse, ex sequenti numero dicendis manifestum fiet. Ceterùm, hîc dissimulare nequeo, non rectè Antonium Sabellicum Enneade 2. lib. 3. paulò post medium, mirabilem hanc Assyriis à Deo inflictam cladem, quam ingenuè & simpliciter ad mentem Sacri textus, de cuius veritate dubitare non licet, referre debuerat; nescio ad quid, tali hæsitatione ac verborũ circuitu retulisse, vt de re tam apertè in Sacro eloquio contestata, quasi suspensum quodammodò Lectoris animum relinquere voluisse videri possit.

SENNACHERIB, EXERCITVS AB ANGELO PERCVTITVR.

BEROSVM ANNIANVM A VERO BEROSO ESSE DIVERSVM.

ARGVITVR SABELLICVS.

2. In tempore illo, id est, vt mox ostendemus, non multò post Sennacheribi de Iudæa discessum, Berodach Baladan filius Baladan Rex Babylonis, occasione accepta quòd audisset Ezechiam Regem Iuda grauiter admodum ægrotasse, sed eximio Dei beneficio conualuisse; misit ad eum Legatos cum litteris ac muneribus, specie quidem vt congratulationis officio fungerentur, reverà autem, quemadmodum creditur, vt interrogarent eum de portento quod acciderat, quemadmodum expresè traditur 2. Paralip. cap. 32. vers. 31. hoc est, de mirabili illa vnius diei productione, quæ ipso Ezechia ægrotante facta fuerat. Cùm enim Chaldæi, qui præ ceteris nationibus Astronomicis obseruationibus operam dabant, assignare non possent causam, cur illa dies præter rerum ordinem ferè in duplum protensa fuisset; audissentque id cælitus in gratiam Regis Iudæorum factum esse; induxerunt, vt probalile est, filium Regis, vt mitteret qui causam rei sciscitarentur: & quoniam Chaldæi, vtpote olim à Nemrod (quemadmodum sub anno mundi 1931. num. 28. probatum est, edocti, etiam adorabant Solem tamquam astrorum omnium Principem, credibile item est, eosdem quoque misisse munera Regi Iudæorum, vt & ipsi honorarent eum, quem Deus ipsorum eo miraculo tantoperè magnificauerat. Itaque Ezechias, suscepta tanti Regis tamque honorifica legatione, plus iusto lætatus & elatus animo est; nec satis ei visum est, Legatos omni quo par erat honore excipere, ac petitionibus ipsorum plenè satisfacere; sed insuper multa cum ambitione, complacuit sibi ostendere eis omnia quæ habebat in domo sua, & in thesauris suis; nimirum magnam vim auri atque argenti; multitudinemque admirandi operis vasorum, aromatum quoque, ac varij generis vnguentorum, pigmentorumque, & aliarum rerum pretiosissimarum ingentem copiam: 4. Reg. cap. 20. v. 12. vsque ad 14. Quæ profectò omnia necesse est paulò antè, videlicet ex quo percussus ab Angelo fuerat Assyriorum exercitus, de eorumdem manubiis ab ipso Ezechia fuisse congesta: quandoquidem ex suprà dictis constat, quòd ante dictum exterminium ipse Ezechias erat valdè attenuatus & pauper: nam quidquid auri atque argenti cogere potuerat, dederat

AD QVID BERODACH REX BABYLONIS MISERIT EZECHIAE LEGATIONEM.

dederat Regi Aſſyriorum, vt à terra ſua diſcederet; & quia ad explendam ſummam talentorum ſibi ab Aſſyrio impoſitam, non ſuffecerant quæ in theſauris ſuis inuenerat; coactus fuerat, confractis Templi valuis, auferre inde laminas aureas, quas illis anteà affixerat. Quare neceſſariò fateri cogimur, memoratam legationem poſt percuſſos ab Angelo Aſſyrios fuiſſe tranſmiſſam: alioqui non potuiſſet Ezechias tot tantaſque diuitias oſtentare ſuas.

¶ 3. Sed hîc aduertere oportet, quòd prædictus Merodach (ſi fuit filius Nabonaſſaris, quemadmodum nos ſub anno mundi 3306.num.4. oſtendimus, probantes eumdem fuiſſe Nabonaſſar & Baladan) non potuit regnare cœpiſſe, niſi ſeptennio poſt hunc annum regni Ezechiæ decimumſextum: ſiquidem, vt patet in tabulis, poſtremus regni Nabonaſſaris annus concurrit cum regni Ezechiæ vigeſimo tertio; & primus regni Merodach cum eiuſdem Ezechiæ vigeſimo quarto. Quare neceſſarium eſt alterū de duobus dicere: Vel hanc Merodach legationem non hoc, ſed vigeſimo quarto regni Ezechię anno fuiſſe miſſam: Vel, quia non videtur credibile tanto tempore fuiſſe dilatam, oportet fateri, iſtum Merodach 4.Reg.cap.20.verſ.12.appellari Regem Babylonis, non quia tunc iam deceſſiſſet pater eius Baladan, ſed quoniam à patre tunc regnante iam deſignatus eſſet eius in regno ſucceſſor; & iam aliqua regni negotia, conſentiente patre, adminiſtrare cœpiſſet. Neque enim nouum eſt, in Scripturis ſacris filium Regis dici Regem, etiam adhuc viuente ac regnante patre: quandoquidem Danielis cap.1. verſ.1. Nabuchodonoſor appellatur Rex Babylonis, & tamen nondum verè erat Rex: regnabat enim tunc adhuc pater eius Nabolaſar, qui tum miſerat filium ſuum Nabuchodonoſor ad bellicam quamdam expeditionem in Syria conficiendam, quemadmodum nos ſub anno mundi 3428. num.2. ex Beroſo per Ioſephum allegato probabimus. Credimus autem quòd potiùs Merodach, & non pater eius Baladan, prædictos miſerit ad Ezechiam Legatos; quoniam communiter iuuenes ſunt magis curioſi, & faciliùs admirari ac perſuaderi ſolent quàm ſenes. RESPONDETVR TACITAE OBIECTIONI.

4. Diſplicuit autem valdè in oculis Domini vana illa Ezechiæ opum ſuarum externa oſtentatio, & multò magis interna cordis eiuſdem Regis elatio, & habitatorum item Iudæ & Ieruſalem, quos (vt colligi poteſt 2.Paralip.cap.32.verſ.25.& 26.) oportet pariter nonnihil intumuiſſe, quando viderunt Legatos Regis Babylonis de tam longinquis regionibus veniſſe, admirantes Regis Iudæorum celſitudinem, apud Deum quem ipſi colebant, tanti putatam, vt ad eius requiſitionem, Sol, hoc eſt, ipſemet Babyloniorū deus, contra proprium ac ſibi naturalem curſum retrocedere non recuſaſſet, tamquam ſi dicto Regi obedientiam præſtare non fuiſſet dedignatus. Quamobrem iratus Dominus contra Ezechiam, & contra Iudam & Ieruſalem, eò quòd non dediſſent gloriam Deo, ſed potiùs tantorum beneficiorum occaſione inflati eſſent; volens ipſorum ſuperbiam retundere, & ingratitudinem vindicare, miſit Prophetam ſuum Iſaiam, qui de hac re corriperet Regem, prædiceretque ei, futurum vt Rex Babylonis transferret omnia bona ab ipſo Ezechia, & à prædeceſſoribus eius congregata, in Babylonem; & filios ab eodem Ezechia generandos, ſeu nepotes illorum, ſeruire faceret in palatio ſuo. Vnde obiter colligi poteſt, Danielem, Ananiam, Miſaelem, & Azariam, qui Danielis cap.1. dicuntur electi de ſemine regio, & qui de mandato Nabuchodonoſor eruditi ſunt, vt poſſent ſtare in palatio Regis Babylonis; fuiſſe poſteros ipſius Ezechiæ, & de proſapia eius genitos, vt etiam infrà ſub anno mundi 3426.num.3. dicemus. Verumtamen quia ad præfata Iſaiæ verba humiliatus eſt Rex Ezechias, & cum eo etiam habitatores Ieruſalem, miſertus eorum Dominus, intentatam diſtulit vindictam vſque ad tempora filiorum Ioſiæ, vt infrà ſub anno mundi 3428.num.4.dicemus. Et hęc quæ hîc diximus, collecta ſunt ex 4.Reg.cap.20.verſ.12. vſque ad 20.& 2.Paralip.c.32.verſ.24. vſque ad 27. & Iſaiæ cap.39. per totum. EZECHIAE SVPERBIA. PVNITIO. HVMILIATIO ET PVNITIONIS DILATIO.

5. Quòd autem reliqua omnia quæ à 39.Iſaiæ capite vſque ad finem Prophetiæ eius habentur, idem Propheta deinceps Ezechia viuente vaticinatus fuerit, inde colligi poteſt, quòd in principio Prophetiæ ſuæ, vbi recenſet Reges ſub quibus prophetauerat, nullum alium Regem ponit Ezechia poſteriorē, ſub quo ea prænuntiaſſe ſuſpicari poſſit. QVANDO ISAIAS RELIQVA PROPHETAVERIT.

6. Per hæc quoque circiter tempora, nimirum poſteaquam Ezechias Rex ab omni Aſſyriorum timore ſe liberum vidit, probabile eſt, quòd Sobnam Pontificem, tamquam de clandeſtina cum Aſſyrijs amicitia ſuſpectum ac diffamatum, in iudicium vocari præceperit; & de coniuratione aliàs cum Sennacheribo inita conuicto, tametſi propter Sacerdotij reuerentiam non interfecerit (quemadmodum olim Salomon egerat cum Abiatharo) è Pontificatu tamen depoſitum, perpetuo exilio mulctauerit, atque extra

Iudææ regnum deportari iusserit, Eliacim Helciæ filio eidem suffecto: & quòd posteà idem Sobna cum ignominia ac dedecore in terra aliena perierit, iuxta omnia quæ de ipso prophetauerat Isaias cap. 22. vers. 15. vsque ad finem capitis.

AB ORBE CONDITO ANNVS 3325. QVINTÆ MVNDI ÆTAT. ANNVS 303.

SENNACHERIBI INTERFECTIO QVANDO ET A QVIBVS.

1 ANNO regni Ezechiæ circiter decimoseptimo oportet occisum fuisse Sennacherib, iste enim est annus regni eius septimus, vt patet in tabulis; & pariter vltimus, vt numero sequenti probabitur. Fuit autem mors eius miserrima valdè; quandoquidē à proprijs filijs interfectus est in actu idololatriæ, quæ inter peccata computatur omnium grauissima; nimirum cùm adoraret in templo Nesroch deum suum, vt breuiter describitur 4. Reg. cap. 19. in fine, & 2. Paralip. cap. 32. vers. 21. & Tob. cap. 1. vers. 24. & Isaiæ cap. 37. in calce capitis. Et his consentiunt quæ ex Beroso scribit Iosephus lib. 10. Antiq. cap. 2. dicens, quòd *Sennacherib cùm peruenisset in Niniuem, paulò pòst, per insidias seniorum è filijs suis, Adramelechi & Selennari, vitam amisit, occisus in ipso templo Arasci, quem præcipuo cultu dignabatur.* hucusque Berosus à Iosepho relatus. Vbi illud *paulò pòst* oportet exponere, ac si dictum esset, post tres aut quattuor menses: nam certum est, quòd ipse Sennacherib, posteaquam amisso in Iudæa exercitu venit in Niniuem, iratus aduersus Israelitas, multos ipsorū occidebat; & vbi audiuit quòd Tobias, qui tunc ibidem morabatur, occisorum corpora sepeliret, iussit ipsum quoque interfici, & omnia bona eius confiscari: at ille protinus Dei fauore & amicorum auxilio latitans cum filio & vxore sua, quod sibi instabat periculum, feliciter euasit: post dies verò quadraginta quinque, ex quo Tobias latitare cœperat, interfectus fuit impius Rex à filijs suis, vt dictum est; rediitque Tobias in domum suam, & tota ei substantia sua restituta fuit: Tob. cap. 1. vers. 21. vsque ad finem capitis.

DE ANNIS REGNI EIVS.

2. Regnauit autem Sennacherib annos ferè septem, vt scribit Metasthenes Annianus, in hac parte receptus à Genebrardo lib. suæ Chronologiæ 1. & ab alijs. Quamquam Io. Lucidus lib. 4. de Emendatione temporum cap. 2. videns Annij Chronologiā, quam ipse sequitur, perperàm ponere, primum regni Sennacheribi annum concurrere cum anno regni Ezechiæ sexto; aduertensque inde sequi, eumdem Sennacherib necatum fuisse anno regni Ezechiæ duodecimo, quod apertè aduersaretur Scripturæ sacræ 4. Reg. cap. 18. vers. 13. dicenti, ipsum Sennacherib venisse anno regni Ezechiæ decimoquarto cum exercitu contra Iudæos: ad tollendum apertissimum hoc Annianæ Chronologiæ mendum, coactus fuit corrigere, vel potiùs corrumpere textū sui Metasthenis; dicens, vitio scriptorum commutatos fuisse numeros annorum Sennacheribi & Asarhaddon; & pro eo quod textus dicti Auctoris, inquit, mendosè habet Sennacheribum regnasse septem annos, Asarhaddon verò decem; corrigi debere, vt econuersò dicat, Sennacherib decem annis regnum tenuisse, Asarhaddon autem septem: alioqui, subiungit, non potuisset Sennacherib peruenire ad decimumquartum regni Ezechiæ annum. Sic Lucidus, vt Chronologiam suam à manifestissimo errore vindicaret. Sed iuxta nostram temporum supputationem, quemadmodum in nostris tabulis apparet, nulla opus est, aut haberi ratio debet huius vanæ correctionis; quin potiùs reiicienda est tamquam commentitia & falsa, & quæ magis probatis Auctoribus aduersatur.

REGNAT IN NINIVE ASARHADDON.

3. Eodem anno ad finem vergente, regnauit in Niniue Asarhaddon, vt dicitur locis Reg. & Isaiæ & Iosephi num. 1. citatis: quare primus regni eius annus pro maiori parte concurrit cum sequenti, vt in tabulis adnotatum inuenies. Erat autem Asarhaddon filius Sennacheribi minor, vt ibidem exprimit ex Beroso Iosephus. Et hic fuit Rex Assyriorum quadragesimus primus & vltimus, eo nimirum modo, quo sub anno mundi 3335. num. 1. declarabitur.

TOBIAS VISVM AMITTIT.

4. Per idem quoque tempus, videlicet non multò post necem Sennacheribi (quemadmodum colligi potest ex his quæ habemus Tob. cap. 1. vers. 24. & c. 2. vers. 10.) contigit vt S. Tobias, qui ad officia pietatis, præsertim verò mortuos sepeliendi, de more suo exercenda redierat, quadam die defatigatus à sepultura, cùm iactasset se iuxta parietem, ibique præ lassitudine protinus obdormire cœpisset, inopinato quodam casu, ex calido hirundinum stercore, quod cecidit super oculos eius, repentè cæcus factus sit. Quamobrem ipse contra Deum non est contristatus; sed in sancto eius timore immobilis perseuerans, agebat Deo gratias omnibus diebus vitæ suæ: insuper & cognatos ei insultantes, vitamque eius irridentes, sapienter admodum increpabat redarguebatque, eo

eo ferè modo, quo legimus fecisse sanctum Iob. Quare, Scriptura ipsa attestante, manifestum est, eiusmodi tribulationem diuinitus Tobiæ fuisse permissam, ad virtutem eius manifestandam, & vt posteris ipse non secùs ac olim sanctus Iob, mira patientiæ suæ exempla relinqueret: Tob.cap.2.vers.10. vsque ad finem cap. Sanè Tobias quinquaginta sex annorum erat quando lumen oculorum amisit, atque in ea cæcitate perseuerauit annis quattuor integris, nimirum vsque ad annum vitæ suæ sexagesimum, vt dicitur Tob.cap.vlt.vers.3. Vbi aduertendum est, nos hîc & vbicumque de Tobiæ, tum senioris tum iunioris, annis agemus, loqui semper secundùm textum editionis Latinæ Vulgatum, & Romæ postremò recognitum, quem maioris esse auctoritatis, atque alijs omnibus meritò præferendum censemus: non ignorantes, in LXX. Interpretibus longè plures vtriusque Tobiæ annos reperiri.

AB ORBE CONDITO ANNVS 3326. — QVINTÆ MVNDI ÆTAT. ANNVS 304.

1 ANNO regni sui decimooctauo circiter inchoante, Ezechias ex vxore sua Haphsiba, vt colligitur 4.Reg.cap.21.vers.1. genuit Manassen, qui posteà successit ei in regnum, annos natus duodecim, quos hinc ad initium regni eius computare licet in tabulis. De cetero, quid aliud gesserit Ezechias in toto reliquo vitæ regnique sui tempore, Scriptura sacra non retulit: nisi quòd ipse deinceps fuit diues & inclytus valdè; & thesauros sibi plurimos congregauit argenti & auri, ac lapidis pretiosi; aromatum item, armorumque vniuersi generis, & vasorum magni pretij; habuitque ouium greges & armentorum pænè innumerabiles, atque horrea ac cellaria frumenti, vini & olei exuberantia, & præsepia iumentorum plurima; & insuper vrbes ædificauit: atque, vt vno verbo dicam, prosperè egit cuncta quæ voluit: 2.Paralip.c.32.vers.27.vsque ad 30.

EZECHIAS GENVIT MANASSEN.

QVAM FVERIT DIVES, ET INVICTVS.

2. Per hæc circiter tempora, nimirum non longè post initia regni sui, quemadmodum paulò infrà probabiliter ostendemus, Asarhaddon Rex Assyriorum misit de Assyria alias Gentes in terram Israel, vt habitarent simul cum illis, quas olim illuc transmiserat auus eius Salmanasar Rex, quando inde abduxerat decem tribus Israel in Assyriam captiuas. Huius coloniæ denuò in terram Israel traductæ, obiter fit mentio 1. Esdræ c.4. vers.2. illis verbis: *Aedificemus vobiscum, quia ita vt vos, quærimus Deum vestrum: ecce nos immolauimus victimas à diebus Asarhaddon Regis Assur, qui adduxit nos huc.* Super quæ verba, inter Expositores nonnihil interest temporis & occasionis. Quidam enim dicunt hoc contigisse, quando ob idololatriam illarum Gentium immisit Dominus leones, qui deuorarent eas, & propterea iussit Rex Assyriorum eò transmitti vnum de Sacerdotibus Israeliticis, qui doceret eas legitima Dei terræ, & cessaret ab eis plaga leonum, vt nos sub anno mundi 3315.num.2.ex 4.Reg.cap.17.diximus: quam plagam putant accidisse regnante ipso Asarhaddon; & ab eodem transmissas tunc fuisse cum illo Sacerdote, seu (vt putat Iosephus 9.Antiq. cap.14.) cum aliquot Sacerdotibus alias quoque Gentes, quæ Samariæ vrbes incolerent. Alij verò præfatum Esdræ textum exponentes, dicunt, non esse verisimile, quòd tamdiu, toto scilicet reliquo tempore regni Salmanasar & Sennacherib, vsque ad tempora regni Asarhaddon, manserint illæ nationes idololatræ in terra Israel sine memorata vltione diuina, quam Iosephus vbi suprà, putat fuisse pestilentiam; sed magis sacræ Scripturæ credendum est asserenti, fuisse plagam leonum. Putant ergo isti, diuinam hanc illis Gentibus castigationem euenisse regnante Salmanasar; videlicet non multò postquam illæ gentes venerant habitare in terram Israel: & nihilominus etiam ipsi concedunt, quòd posteà Asarhaddon alia de causa nouas quoque colonias de Assyria in Samariam traducendas curauerit, vt ex loco Esdræ adducto manifestū est, & negari non potest. Quin etiam ex Historia Scholastica addunt, Salmanasar paucos adduxisse Gentiles in vrbes Samariæ; Asarhaddon autem posteà multò plures, totamque regionem illam alienigenis populis repleuisse. Quòd si quis percontetur, quænam ex prædictis duabus opinionibus verior sit: dicimus, id non facilè demonstrari posse; quoniam neque Scriptura sacra, neque Iosephus, aut alius Scriptor antiquus & grauis, quem viderim, exprimunt tempus memoratæ calamitatis; neque quis ex prædictis Assyriorum Regibus miserit eò Sacerdotem aut Sacerdotes, qui illas Gentes veri summique Dei cultum edocerent. Verumtamen secunda opinio nobis multò rationabilior videtur: quamuis, vtcumque res fuerit, nihil referat; quandoquidem, vt dictum est, quauis opinione posita, necessarium est admittere, quòd Asarhaddon Rex Assyriorum miserit de Assyria gentes, quæ Samariæ vrbes inhabitarent: pro-

ASARHADDON NOVAS TRANSMITTIT IN SAMARIAM COLONIAS.

ESDRAE VERBA EXPLICANTVR.

babile verò eſt, id circa initia regni ſui feciſſe; & hanc huius miſſionis cauſam fuiſſe, quòd Aſarhaddon non multò pòſt ac regnare cœpit, veritus ſit, ne propter ingentem illam cladem à patre ſuo recèns in Iudæa habitam, & item ne ob paucitatem Aſſyriorum in vrbibus Samariæ tunc commorantium, Iudæis fortè in mentem veniret, regiones illas adeò ipſis proximas, & aliàs ad ſe pertinentes, inuadere atque occupare; quas poſteà idem Aſarhaddon, ob bella ſibi à fratribus ſuis imminentia, recuperare non poſſet: propterea vt benè firmaret dominium quod habebat in terra Iſrael, nouas illuc Aſſyriorum colonias traduci curauerit, quæ in omnem belli euentum Regi Iudæorum reſiſtere valerent.

AB ORBE CONDITO ANNVS 3329. | QVINTÆ MVNDI ÆTAT. ANNVS 307.

HISTORIA ILLVMINATIONIS TOBIAE.

1. ANNO regni Ezechiæ Regis Iuda, vt videre eſt in tabulis, vigeſimo primo, qui erat regni Aſarhaddon Regis Aſſyriorum quartus, vt patet in tabulis, Tobias ſexagenarius à cæcitate ſua curatus fuit; quemadmodum traditur in libro nominis eius cap. vltimo verſ. 3. & omnia item tunc acta ſunt, quæ in eodem libro cap. 3. vſque ad 14. latiùs deſcribuntur, & nos hîc compendio recenſebimus. Contigit ergo triginta octo diebus ante eius illuminationem, quemadmodum ex infrà num. 3. dicendis patebit, vt Tobias in Niniue, vbi tum habitabat, tandem aliquando diutinæ cæcitatis tædio affectus, & crebris cognatorum ſuorum, præcipuè verò vxoris, exprobrationibus nimiùm moleſtatus, putaret expedire ſibi magis mori quàm viuere, & proinde ſedulò oraret Dominum, vt ſi ei placeret, præciperet in pace recipi ſpiritum eius. Accidit quoque eodemmet die, vt Sara filia Raguelis conſobrini Tobiæ, quæ cum patre ſuo habitabat non valdè procul à Rages ciuitate Medorum, (vt colligitur ex textu LXX. Interpretum Tob. cap. 6.) ab vna de ancillis ſuis improperata tamquam interfectrix ſeptem maritorum, (quos tamen non ipſa, ſed Aſmodæus nequam immunditiæ ſpiritus occiderat) grauiter id ferens, deuotè admodum rogaret Dominum, vt aut ipſam de tali improperio liberaret, vel certè de hac vita eam educeret. Eodem igitur tempore factum eſt, vt vtriuſque preces pariter exauditæ fuerint in conſpectu Domini; qui ad vtroſque ab anguſtiis quibus premebantur liberandos, miſit Angelum Raphaelem, per quem ambo tandem voti compotes facti ſunt, & mira exultatione repleti. Res autem hoc modo acta eſt: Putabat Tobias ſenior, finita oratione ſua placere Deo, vt breuî moreretur; proptereà confeſtim accerſito Tobia filio ſuo (qui tunc, quemadmodum ex dictis ſub anno mundi 3314. numero 2. conſequitur, & apparet in tabulis, poterat eſſe annorum circiter viginti) præmiſſiſque eidem paternis aliquot documentis, quæ habentur Tob. c. 4. verſ. 1. vſque ad 21. dedit ei chirographum, quo poſſet recipere pecuniam, quam multis ab hinc annis cuidam Gabelo habitanti in Rages ciuitate Medorum gratis accommodauerat, præcepitque vt inquireret ſibi aliquem virum fidelem ac viæ gnarum, qui deduceret eum in Rages. Exiens itaque Tobias filius vt iuſſionem patris impleret, ecce diuinâ prouidentiâ protinus offendit Angelum Raphaelem, ſub ſpecie egregij cuiuſdam iuuenis ad iter faciendum parati; quem cùm percontatus eſſet de via ducente in Mediam, inuenit tum viæ tum Gabeli, omniumque apprimè inſtructiſſimum: introductus ergo Angelus ad ſenem, promiſit ſe ducturum ac reducturum filium eius ſanum & incolumem. Quare paratis quæ in itinere portanda erant, Tobias filius cum Angelo, qui ſe Azariam vocari faciebat, perrexit annuente patre, matre autem flente, & conſolante eam ſene. Itaque cùm feciſſent primam manſionem occidente ſole iuxta fluuium Tigrim, voluiſſetque Tobias iunior ad flumen lauare pedes, vidit immanem quemdam piſcem ad ſe deuorandum properantem. Perterritus ergo Tobias exclamauit, ſed poſteà Angelo iubente apprehendit branchiam eius, traxitque piſcem in terram, quem palpitantem exenterauit, & repoſito ſibi ſeorſum corde, iecore, & felle, quòd ea vſui fore prædixiſſet Angelus: carnem piſcis, quæ tunc opus erat pro ipſorum cœna, aſſauit; reliquam verò partem ſalierunt, vt eis pro viatico ſufficere poſſet. Percontatus autem Tobias Angelum dum ſimul proficiſcerentur, cognouit ab eo, quòd cor ſiue iecur piſcis poſitum ſuper accenſos carbones, fumum produceret ad extricandum omne genus dæmoniorum validiſſimum; & fel eiuſdem inunctum, mirificè valeret ad oculorum albugines curandas.

TOBIAS IVNIOR CVM ANGELO PROFICISCITVR IN RAGES CIVITATEM MEDORVM.

2. Poſt dies circiter octo, vt numero ſequenti probabitur, peruenerunt ad quoddam oppidum, in quo habitabat Raguel Tobiæ ſenioris conſobrinus. Indicauit ergo Angelus

lus Tobiæ iuniori, oportere eos hospitari apud ipsum Raguelem, quia habebat filiam vnicam nomine Saram, quæ ipsi Tobiæ iuniori iure propinquitatis debebatur cum omni substantia eius: propterea suasit ei, vt peteret eam dari in vxorem sibi. Renuente autem Tobia, quòd audisset illam successiuè traditam fuisse septem viris, & singulos à dæmonio occisos; replicauit Angelus, ne timeret; edocuitque quinam sint, quibus præualere valeat dæmonium, & quomodo ipse tutus esse posset ab eo. Itaque benignè suscepti à Raguele, & agnita propinquitate, osculati sunt se mutuò cum lacrymis præ gaudio. Et antequam discumberent, petiit Tobias dari sibi Saram in coniugem: Raguel verò nutabat, nec responsum dare audebat, veritus ne eidem contingeret sicut & ceteris; sed tandem Angeli rationibus & cohortatione animatus, spopondit; & facta de more coniugij conscriptione, apprehensaque filiæ dextera, & pariter Tobiæ, tradidit eam illi, diuinam vtrisque precatus benedictionem. Quibus expletis, epulati sunt simul omnes benedicentes Deum. Post cœnam, ductus Tobias ad cubiculum virginis, memor omnium quæ dixerat ei Angelus, posuit partem iecoris quod de pisce sustulerat, super accensos carbones; hortatusque est sponsam suam, vt pariter orarent prima, secunda, ac tertia nocte, vt sic deinde possent cum sancto Dei timore, & absque dæmonis impedimento liberis gignendis operam dare. Quæ cùm facere cœpissent, Angelus apprehenso dæmone Asmodæo religauit eum, ne vllatenus eis nocere valeret. Raguel autē prima nuptiarum nocte iussit clàm effodi foueam, in quam, si fortè interficeretur à dæmonio Tobias, antequam illucesceret, sepeliret eum: sed vbi intellexit quòd ambo incolumes pariter obdormirent, lætus illicò fossam impleri præcepit, & parari conuiuium; adiurauitque manè generum suum, vt duabus saltem hebdomadis apud se maneret: qui tam honestæ petitioni reluctari quidem non valuit; verumtamen, ne diutiùs posteà cogeretur protrahere reditum suum, si ei deinde eundum esset in Rages ad Gabelum, & sic parentes suos de se valdè sollicitos nimiùm contristaret; rogauit Azariam, nesciens quòd esset Angelus Domini: qui accepto chirographo, assumptisque quattuor seruis ac duobus camelis de domo Raguelis, perrexit ipse in Rages, recepitque à Gabelo pecuniam, & ipsum quoque Gabelum adduxit ad iunioris Tobiæ nuptias: vbi lætatus est valdè, ac multa bona sponsis precabatur, cunctis qui aderant respondentibus, Amen. Itaque cum timore Domini nuptiarum conuiuia exercebant. Contrà verò, dum hæc apud Raguelem agerentur, Tobiæ parentes, aduersi aliquid suspicantes, quòd die statuto filius non rediisset, simul flere cœperunt; quamquam senior magis confideret, & vxorem interdum consolari niteretur.

FILIAM RAGVELIS PROPINQVI SVI PETIT DVCITQVE VXOREM.

3. Transacta autem secunda nuptiarum hebdomada, Tobias obtenta, licet ægrè, à socero suo redeundi licentia, profectus est cum sponsa sua, ferens secum mediam totius substantiæ Raguelis partem, cum cautione scripta succedendi eidem in reliquis iure hereditario post obitum eius. Vndecim igitur diebus commodè ambulantes, confecta itineris medietate, peruenerunt in Charan: Tob. cap. 11. vers. 1. vbi Azaria consulente reliquit Tobias vxorem, totamque cum ea familiam, vt lento quo cœperant gradu prosequerentur iter suum, ipse verò cum Azaria aliquantò velociùs præcedentes, alteram itineris medietatem quattuor diebus confecerunt; septem enim diebus ante sponsam peruenerunt in Niniuem, vt cap. citato vers. 18. exprimitur. Ex quo colligi potest, inter Niniuem & oppidum Raguelis, iter octo dierum extitisse. Intereà mater Tobiæ sollicitè admodum præstolabatur aduentum filij sui, & quotidie sedens in supercilio montis secus viam, prospiciens speculabatur; quando ecce tandem de longè vidit agnouitque venientem filium, & festina nuntiauit seni; qui statim porrecta manu puero qui eum deducere solebat, & cum eo mater, perrexerunt obuiàm filio, quem præ gaudio cum lacrymis suscipientes osculati sunt. Cùm autem domum intrantes, ante omnia adorassent Deum, eique gratias egissent, liniuit filius oculos cæci patris felle piscis, sicut præceperat ei Angelus; & post dimidiam ferè horam egredi cœpit albugo, qua apprehensa & extracta, protinus visum recepit; & gaudentes ipse & Anna vxor eius, & omnes qui nouerant eos, dabant gloriam Deo. Igitur triginta octo dierum circiter spatio à profectione sua, rediit Tobias iunior, patremque cæcitate curauit: octo namque diebus de Niniue venerat ad Raguelem: apud quem per quindecim moratus est dies; & inde rediens, vndecim diebus dimidium viæ cum familia sua confecit; reliquum autem cum Angelo quattuor diebus.

REDIT CVM SPONSA AD SVOS.

8
15
11
4
38

4. Post septem verò alios dies, aduenienis Sara vxor ipsius Tobiæ iunioris cum vniuersa familia sua, & pecoribus, & camelis, & pecunia multa, tum à Raguele habita, tum à Gabelo recuperata, denuò lætificauit parentes viri sui; quibus Tobias filius narrabat

SARA TOBIAE VXOR QVANDO AD DOMVM VIRI SVI PERVENERIT.

bat omnia beneficia, quæ fecerat ei Deus per Azariam comitem viæ suæ: venientesque consobrini sui, congratulabantur de vniuersis quæ prosperè euenerant domui Tobiæ, & septem dies integros duxerunt in gaudio exultantes. Quibus transactis, cœperunt inter se consulere, pater scilicet & filius, quid nam pro mercede darè deberent viro, qui duxerat ac reduxerat filium tot tantisque beneficiis cumulatum; decreueruntque seorsum illum rogare, si fortè dignaretur accipere sibi medietatem omniũ quæ attulerant. Quod cùm fecissent, ille indicauit eis se esse Angelum Dei, qui obtulerat Domino orationes & alia pietatis opera, quæ fecerat Tobias senior; & nunc se missum à Deo, vt curaret eum à cæcitate sua, & Saram pariter à dæmonis potestate liberaret, hortatusque est eos vt benedicerent Domino, & prædicarent vniuersa beneficia eius, & vt in bonis operibus iugiter exercendis perpetuò perseuerarent: & his dictis cælestia repetens, statim Angelus ab eorum aspectibus disparuit; ipsi verò tribus horis in facies suas prostrati benedicebant Domino, & mox exurgentes narrabant vniuersa mirabilia quæ fecerat eis. Et tunc cecinit Tobias senior Canticum illud Domino, quod legitur in toto c. 13. libri eius. Sanè ex his quæ Raphael Angelus Tobiæ patri & filio corporalia beneficia præstitit, intelligere licet spiritualia, quæ nos iugiter Angelorum ministerio accipimus: nimirum quòd ipsi opera nostra bona precesque & vota Deo offerunt, & ab eo quæ nobis profutura sunt, impetrata reportant. Ipsi ignaros docent, cæcos illuminant, actus dirigunt, corda & corpora regunt & gubernant; denique mala arcent, ac nos bonis spiritualibus, atque interdum etiam temporalibus ditant, vt proptereà cunctis innotescere facilè possit quantum ipsis debeamus, eosdemque venerari teneamur. De cetero, Tobias senior ab hoc sexagesimo ętatis suę anno superuixit adhuc annos quadraginta duos in gaudio: nam compleuit annum vitæ centesimum secundum, vt dicitur Tob. cap. vlt. vers. 1. vsque ad 5. Quoniam autem cap. 12. vers. 20. vbi in editione Vulgata legimus, *& narrate vniuersa mirabilia eius*, textus LXX. Interpretum habet, *& scribite omnia quæ consummata sunt, in libro*, rectè hinc Doctores colligunt, ipsos deinceps, patrem scilicet & filium, vt Angeli iussionem implerent, librum titulo Tobiam, qui posteà inter Sacros receptus computatusque fuit, conscripsisse; ac proptereà nullum alium dicti libri Auctorem esse requirendum.

ANGELVS SESE MANIFESTAT TOBIAE PATRI AC FILIO.

QVIS AVCTOR LIBRI TOBIAE

AB ORBE CONDITO ANNVS 3331. — QVINTÆ MVNDI ÆTAT. ANNVS 309.

BALADAN, QVI ET NABONASSAR, REX BABYLONIS MORITVR.

1 ANNO regni Ezechiæ vigesimo tertio oportet vita functum esse Baladan Regem Babylonis, quem nos sub anno mundi 3306. num. 4. probauimus esse illum Nabonassar, cuius sæpè meminit Ptolemæus in libris Almagesti; hoc namque anno complentur anni viginti sex, quibus ipsum regnasse ex eodem Ptolemæo sub anno mundi citato ostensum est.

AB ORBE CONDITO ANNVS 3332. — QVINTÆ MVNDI ÆTAT. ANNVS 310.

REGNAT IN BABYLONE BERODACH FILIVS BALADAN.

1 ANNO regni Ezechiæ vigesimo quarto regnare cœpisse in Babylone Merodach siue Berodach Baladan, qui fuit filius prædicti Baladan, vt apertè dicitur 4. Reg. cap. 20. vers. 12. & Isaiæ cap. 39. vers. 1. & colligitur ex his, quæ sub anno mundi 3306. num. 4. diximus. Hunc Regem Iosephus 10. Antiq. cap. 3. vocat Baladas: Genebrardus verò lib. 1. suæ Chronologię, vbi agit de Rebus regnante Ezechia gestis, & lib. 2. vbi agit de Monarchia Chaldæorum, quattuor de hoc Rege sparsim dicit; videlicet, ipsum eumdem esse cum illo Rege, quem Ptolemæus lib. 4. Almagesti cap. 6. & 8. appellat Mardockenpadum; quod nos quoque sub anno mundi 3306. num. 4. ex Scaligero asseruimus. Item, eumdem Merodach fuisse auum Regis Nabuchodonosor; & benè dicit, si de primo Nabuchodonosor, qui etiam Nabolasar dictus est, intelligit: si autem (vt videtur) de secundo, qui posteà Magni nomen adeptus est; non eius auus, sed proauus fuit Merodach: iste enim genuit Ben-Merodac, qui genuit primum Nabuchodonosor seu Nabolasar, qui fuit pater alterius Nabuchodonosor, nimirum illius qui posteà transtulit Iudæos in Babylonem, & magni Monarchæ nomen obtinuit: fuisse autem duos Nabuchodonosor, & priorem alio nomine appellatum esse Nabolasar, manifestè colligitur ex collatione verborum Berosi, quæ refert Iosephus 10. Antiq. cap. 11. non procul à fine capitis, cum his quæ ab eodem Auctore relata sunt lib. 1. Contra Apionem,

QVISNAM FVERIT ISTE MERODACH, ET QVAE EGERIT.

nem, prope libri medium. Tertiò ait Genebrardus, præfatum Merodach anno regni sui duodecimo abstulisse regnum Asarhaddon Regi Assyriorum, quem Sardanapalum esse censet; & omnem Assyriorum potentiam transtulisse ad Chaldæos. Quod verum quidem esse, non tamen id anno regni eius duodecimo accidisse credimus, sed quarto, in quem incidit mors ipsius Asarhaddon, vt sub anno mundi 3335. num. 1. dicemus, & notatum est in tabulis. Fortè autem Genebrardus credidit, regnum Merodach inchoasse in anno quo misit legationem Regi Ezechiæ, quod nos sub anno mundi 3324. num. 3. refutauimus. Denique putat Genebrardus, memoratum Merodach fuisse illum Regem Babylonis, qui Manassen Regem Iuda à Ducibus suis captum restituit in regnum suum; & hoc nos quoque sub anno mundi 3352. num. 1. comprobabimus.

2. Ceterùm, Cardinalis Bellarminus lib. 1. de Verbo Dei cap. 12. credit prædictum Merodach fuisse illum Regem Niniue, qui in lib. Iudith appellatur Nabuchodonosor. Nam, inquit, sub finem regni Ezechiæ Regis Iuda & patris ipsius Manasse, in Niniue post Sennacherib regnauit Asarhaddon, 4. Reg. cap. 19. post Asarhaddon regnauit Merodach Baladan, cuius fit mentio 4. Reg. cap. 20. & Ierem. cap. 50. necnon Isaiæ cap. 39. qui quidem Rex Babylonis erat, sed transtulit ad se etiam regnum Assyriorum; & propterea nulla deinceps in Scripturis mentio fit Regum Assyriorum, sed solùm Babylonis. sic Bellarminus. Quem quidem sequimur in eo, quòd dicit, Merodach subiugasse sibi regnum Assyriorum; sed non credimus quòd Asarhaddon regnare cœperit sub finem regni Ezechiæ; quandoquidem sub anno mundi 3325. num. 3. ostendimus, ipsum Asarhaddon regnare cœpisse anno regni Ezechiæ decimoseptimo, & sub anno mundi 3335. num. 1. eumdem Asarhaddon obiisse anno regni eiusdem Ezechiæ vigesimo septimo: & hæc clariùs videri poterunt in tabulis. Quòd autem præfatus Merodach non fuerit ille Nabuchodonosor, de quo agitur in libro Iudith, nos sub annis mundi 3353. num. 1. vsque ad 5. & 3572. num. 3. vsque ad 7. disputabimus.

AB ORBE CONDITO ANNVS 3333. QVINTÆ MVNDI ÆTAT. ANNVS 311.

1 ANNO regni Ezechiæ vigesimo quinto, oportet incidisse annum Iubilei decimiquinti: concurrit enim cum anno septingentesimo quinquagesimo Æræ ab introitu Israelitarum in Terram promissionis deductæ, vt patet in tabulis. ANNVS IVBILEI 15.

AB ORBE CONDITO ANNVS 3335. QVINTÆ MVNDI ÆTAT. ANNVS 313.

1 ANNO regni Ezechiæ vigesimo septimo, quemadmodum ex dictis sub anno mundi 3325. num. 2. & 3. consequitur, oportet mortuum esse Asarhaddon Regem Assyriorum, cùm regnasset annos decem, vt scribunt Genebrardus & alij. Vtrùm autem in bello ceciderit, aut quomodo, incompertum habemus, quamuis constet ipsum deuictum fuisse à Merodach Baladan Rege Babylonis, qui hoc tempore dicitur transtulisse omnem Assyriorum potentiam ad Chaldæos, vt non semel scriptum reliquit Genebrardus lib. suæ Chronologiæ primo, vbi agit de Rebus sub Ezechia & sub Manasse gestis; & item sub finem libri, vbi de Sexta mundi ætate agere incipit. Idem confirmat Cardinalis Bellarminus lib. 1. de Verbo Dei cap. 12. & alij. Quamobrem Genebrardus vbi suprà, facit Asarhaddon vltimum Regem Assyriorum, & eumdem cum Sardanapalo: ait enim quòd Asarhaddon idem significat, quod Latinè & Græcè Sardanapalus. Sed si hoc est, oportet fateri duos extitisse Sardanapalos Assyriorum Reges; alterum temporibus Amasiæ & Oziæ Regum Iuda, de quo iam sub annis mundi 3215. num. 1. & 3234. num. 1. vsque ad 5. inclusiuè, dictum est: alterum Ezechia regnante, de quo nunc agimus. Et hunc Asarhaddon siue Sardanapalum, credimus quidem fuisse vltimum Regem Assyriorum qui regnabant in Niniue; sed non absolutè vltimum Regem Monarchiæ seu Imperij Assyriorum: quoniam constat, hoc Imperium habuisse aliquando quidem regni sedem in Niniue, aliquandò autem in Babylone; quemadmodum sub anno mundi 2016. num. 5. diximus: & quandoque Regem vnum in Niniue, alterum in Babylone, immò verò & tertium in Media, quemadmodum accidit post primi Sardanapali obitum. Quòd enim tunc aliquantisper tripartitum mansferit inter Reges Niniue, & Babyloniæ, ac Mediæ, iam nos sub anno mundi 3234. n. 3. & 4. probauimus. Sic posteà etiam contigit regno Græcorum, quod mortuo Alexandro diuisum

ASARHADDON MORITVR.

ASSYRIORVM POTENTIA DEVENIT AD CHALDAEOS

DVOS FVISSE SARDANAPALOS.

QVOMODO ASARHADDON DICI POSSIT VLTIMVS REX ASSYRIORVM.

diuiſum fuit inter Reges Aſiæ, Ægypti,& Græciæ, vt ſuo loco dicetur: & iſti ferè ſemper inter ſe de ſumma rerum decertarunt, atque ita interim quandoque vnus,quandoque alter præualebat ceteris, ſicuti diximus accidiſſe etiam hoc tempore regno Aſſyriorum,quando Merodach præualuit Aſarhaddoni. Et propterea idem Merodach,qui priùs, nimirum Ezechiæ temporibus, in Scripturis ſacris dicebatur Rex Babylonis, mox temporibus Manaſſe dici quoque interdum cœpit Rex Aſſyriorum,tametſi adhuc regni ſedem teneret in Babylone: ex quo intelligimus,cur 2.Paralip.cap.33.v.11. dicatur, quòd Principes Regis Aſſyriorum ceperunt Manaſſen, & vinctum catenis duxerunt in Babylonem, nempe ad ipſum Merodach qui reſidebat in Babylone; quamuis poſt deuictum Aſarhaddon, titulum quoque Regis Aſſyriorum ſibi vindicaſſet. Sic quoque Cyrus Rex Perſarum, poſt deuictos Babylonios, appellatur Rex Babylonis: 1. Eſdr.cap.5. verſ. 13.

2. Ceterùm,de hoc Aſſyriorum interitu meminit Ieremias cap.50.ſuæ Prophetiæ verſ. 18. vbi prædicit, Dominum viſitaturum Regem Babylonis & terram eius, ſicut viſitauerat Regem Aſſur. Eiuſdem excidij mentionem quoque facit Ioſephus lib.10. Antiq. cap.3. dicens, quòd *circa hæc tempora*, videlicet Ezechia ſuper Iuda regnante, *Imperium Aſſyriorum per Medos diſſolui contigit*: ſed fallitur in eo, quòd dicit, *per Medos*; debuiſſet enim dicere, *per Babylonios*, ſi benè nouiſſet diſtinguere huius Imperij diſſolutionem, quæ olim ſub primo Sardanapalo, ab Arbace Medorum Rege facta fuerat, ab ea quæ nunc per Merodach Babyloniorum Regem perpetrata eſt. Vtrùm autem hoc eodem tempore Merodach Niniuem ſubuerterit, nihil aliud addere poſſumus his quæ hac de re ſub anno mundi 3321. numero 5. diſſeruimus.

AB ORBE CONDITO ANNVS 3337. QVINTÆ MVNDI ÆTAT. ANNVS 315.

EZECHIAS REX MORITVR.

1 ANNO regni ſui vigeſimo nono, ætatis verò quinquageſimo tertio circiter expletis, iuxta ea quæ ſub anno mundi 3308. numero 2.explicauimus, neceſſe eſt Ezechiam Regem Iuda ex humanis exceſſiſſe. Quo mortuo,vniuerſus Iuda eius exequias honorificè celebrauit, & ſepelierunt eum ſuper ſepulchra filiorum Dauid; hoc eſt, vt exponit Caietanus, in loco præſtantiori ſeu ſublimiori, quàm eſſent cetera ſepulchra Regum qui fuerant de poſteritate Dauidis. Porrò Ezechiæ res geſtas, ſaltem aliquas,cap.36.vſque ad 40.conſcripſit Iſaias Propheta in ſuis viſionibus,& Auctor 2.Paralip.in calce capitis 32.Habemus etiam egregium huius Regis elogium Eccleſiaſtici cap.48. verſ. 19. vſque ad trigeſimum; in quo præcipua eius geſta breuiter commemorantur, cuius verba ſunt hæc: *Ezechias muniuit ciuitatem ſuam,& induxit in medium ipſius aquam, & fodit ferro rupem,& ædificauit ad aquam puteum. In diebus ipſius aſcendit Sennacherib, & miſit Rabſacen, & ſuſtulit manum ſuam contra illos,& extulit manum ſuam in Sion, & ſuperbus factus eſt potentia ſua. Tunc mota ſunt corda, & manus ipſorum: & doluerunt quaſi parturientes mulieres. Et inuocauerunt Dominum miſericordem, & expandentes manus ſuas, extulerunt ad cœlum: & ſanctus Dominus Deus audiuit citò vocem ipſorum. Non eſt commemoratus peccatorum illorum,neque dedit illos inimicis ſuis, ſed purgauit eos in manu Iſaiæ ſancti Prophetæ. Deiecit caſtra Aſſyriorum, & contriuit illos Angelus Domini. nam fecit Ezechias quod placuit Deo, & fortiter iuit in via Dauid patris ſui, quam mandauit illi Iſaias Propheta magnus, & fidelis in conſpectu Dei*. hactenus verba Eccleſiaſtici.

AB ORBE CONDITO ANNVS 3338. QVINTÆ MVNDI ÆTAT. ANNVS 316.

MANASSES REGNAT IN IVDAEA.

1 ANNO qui ſubſequebatur circiter ineunte,regnauit Manaſſes filius Ezechiæ ſuper Iudam. Duodecimum ætatis expleuerat annum Manaſſes cùm regnare cœpiſſet,& quinquaginta quinque annis regnauit in Ieruſalem. Et quidem in prioribus regni ſui annis iſte Rex multa eademque valdè impia facinora perpetrauit in conſpectu Domini & totius populi, quę ad quatuor præcipuè genera reduci poſſe videntur. Primum genus eſt,quòd ipſe fuit idololatra ſuper omnes qui ante ipſum extiterant Reges Iudæorum: omnia namque pænè Gentium idola coluit, ædificauitque eis excelſa, quæ diſſipauerat Ezechias pater eius; & fecit lucos opacos,ſicuti olim fecerat impius Achab in Samaria: 3.Reg. cap. 16. verſ. 33. In quibus lucis more Gentilium,

PRIMVM GENVS IMPIETATVM EIVS.

poſt

post sacrificia Priapo immolata, in lupanaria sub quibusdam specubus, seu domunculis tentoriísve ibidem existentia, sese recipientes, omnia inter se immunditiarum genera committebant: & propterea in eisdem locis non solùm impudicæ mulieres, sed effeminati quoque, hoc est ephebi, ad nefanda vltrò perpetienda expositi, manere consueuerant, vt ex collatione eorum quæ in variis sacræ Scripturæ locis reperiuntur, colligi potest, nimirum 3. Reg. cap. 14. vers. 23. & 24. & cap. 15. vers. 12. & 13. & c. vlt. vers. 47. & 4. Reg. cap. 23. vers. 6. & 7. Vnum verò ex his lucis (quod intolerabile videri poterat) plantari voluit impius Manasses in vno ex Atriis Domus Domini, cum suo pariter simulacro, & effeminatorum ædiculis, tentoriorum more ex tela per mulieres contexta fabricatis; vt nos sub anno mundi 3406. num. 1. ex loco Reg. proximè adducto comprobabimus. Erexit quoque Manasses aras Baalam, & adorauit vniuersam militiam cæli, id est omnia astra quæ in cælo sunt; in primis verò Solem, tamquam ceterorum Principem; cui equos & currus consecrare solebant, vt patet 4. Reg. cap. 23. vers. 11. & Lunam, quam appellabant Reginam cæli; cui mulieres quando coquebant panes, quasdam honoris causa faciebant placentas, offerebantque libamina, vt colligitur Ierem. cap. 44. vers. 17. vsque ad 20. & ceteros Planetas, & duodecim signa Zodiaci, Arietem, Cancrum, Leonem, &c. quemadmodum traditur 4. Reg. cap. 23. v. 5. & fortè etiam alias ceterarum stellarum figuras, quas vocant Arcturum, Oriona, Hyades, & huiusmodi, quæ in militia cæli certum est comprehendi. Quibus omnibus extruxit Manasses altaria in Domo Domini, hoc est in duobus Atriis Templi, videlicet in Atrio Sacerdotum, & in eo quod dicebatur laicorum; nec erubuit ponere in Templo Domini idolum: & præterea proprium filium traduxit per ignem, id est, vt sub anno mundi 3293. num. 3. ex Iosepho exposuimus, obtulit proprium filium holocautoma ritu Chananæorum: vel, vt alij interpretantur, consecrauit (contra præceptum Domini quod habetur Leuitici cap. 18. vers. 21.) seu consecrandum tradidit filium suum idolo Moloch; quod quomodo fieri soleret, nos sub anno mundi 3406. numero 2. explicabimus.

ALTERVM GENVS IMPIETATVM MANASSAE.

2. Alterum genus impietatum Regis Manassæ erat, quòd ad consilia in rebus dubiis capienda, & de futuris euentibus, nolebat consulere Dominum per Sacerdotes seu Prophetas, quemadmodum facere consueuerant Dauid, Iosaphat, Ezechias, aliique Reges Deum colentes; sed declinabat ad vanas quasdam superstitiosasque somniorum obseruationes; item ad augures, ariolos, aruspices, & Pythones; quos non solùm de regno suo non eiiciebat, vt præceperat Dominus Deuter. cap. 18. vers. 10. vsque ad 13. sed magis eos augere ac multiplicare studebat. Erant autem propriè loquendo augures, qui ex auium garritu diuinare profitebantur: arioli autem & aruspices, qui ex his quæ circa aras & victimarum interiora conspici contigerent, ominabantur: Pythones verò, qui habebant spiritum familiarem, quem Pythonicum appellabant, indicantem eis quid dubia sciscitantibus respondere deberent. huius exemplum traditur Act. cap. 16. vers. 16. Inseruiebat præterea Manasses maleficis artibus, habens secum magos, & incantatores, per quos faciebat abominationes pessimas, super omnia quæ olim fecerant Amorrhæi; atque prauis hisce exemplis seducebat peruertebatque populum Iudaicum, ac præcipuè Ierosolymitanum; & peccare fecit eos in immunditiis Gentium, quas inde Dominus deleuerat.

TERTIVM GENVS IMPIETATVM EIVS.

QVARTVM GENVS PRAEVARICATIONVM EIVSDEM REGIS.

3. Quartum huius Regis prauitatum genus fuit, quòd iustitiæ (cuius ex officio primarius custos esse debuerat) penitus oblitus, innoxios quosque inhumaniter occidebat, ita vt insontium sanguine pænè totam repleuerit ciuitatem: etenim, vt ait Iosephus 10. Antiq. cap. 4. *in omnes quotquot erant in Hebræis iustos, grassabatur cædibus, ne à Prophetis quidem cruentas manus abstinens: nam & ex eorum numero per singulos dies aliquem afficiebat supplicio, vt Ierosolyma inundarentur sanguine*. sic Iosephus. Causa autem cur etiam Prophetas interimeret, erat; quia ipsum, & cum eo populum pariter arguebant de tot tantisque sceleribus, quæ quotidie ipso Rege in primis auctore committi videbant, & pro his multa eademque grauissima eisdem à Deo imminentia mala prænuntiantes comminabantur. Et hæc quæ hactenus de Manasse diximus, ex 4. Reg. cap. 21. vers. 1. vsque ad 17. & 2. Paralip. cap. 33. vers. 1. vsque ad 11. excerpta sunt.

QVOMODO CRVDELITER NECAVERIT ISAIAM.

4. Inter alios autem Prophetas, communis tum Hebræorum tum Catholicorum opinio est, quòd Isaiam quoque, (tametsi socer eius esset, vt tradunt Hebræi, & refert S. Hieronymus lib. 5. super Isaiæ cap. 20.) Manasses serrâ ligneâ in duas partes secari, atque hoc crudelissimo supplicio necari iusserit; vt tradunt S. Epiphanius in Vita

Isaiæ,

Isaiæ, & S. Isidorus in lib. de Vita & morte Sanctorum, cap. 37. & Eusebius in Chronicis, & Historia Scholastica 4. Reg. cap. 32. & alij. Quin etiam B. Hieronymus super Isaiæ cap. 57. asserit hanc esse certissimam Hebræorum traditionem. quam tamen Abulensis super 4. Reg. cap. 21. quæst. 18. improbare nititur eo potissimùm argumento, quòd in Prophetiæ suæ initio Isaias non dicat se prophetasse sub Manasse, sed tantummodò sub præcedentibus Regibus, videlicet Ozia, Ioatham, Achaz, & Ezechia: ex quo elicit, ipsum non peruenisse ad tempora Manasse, sed Ezechiæ temporibus obiisse. Verumtamen Abulensis argumentum non videtur satis firmum, præsertim ad refellendam opinionem adeò antiquam, atque à talibus Auctoribus traditam, & communiter receptam; quæ etiam in Martyrologio Romano registrata, sub Pridie Nonas Iulij, quotannis publicè in Ecclesiis legitur: quandoquidem Ieremias quoque in principio suæ Prophetiæ dicit se prophetasse à decimotertio Iosiæ anno, vsque ad consummationem vndecimi anni Sedeciæ in mense quinto; & tamen constat (vt ex sub anno mundi 3447. num. 8. dicendis patebit) quòd non tunc mortuus est, sed posteà fleuit scripsitque super Ierusalem desolatam lamentationes; ac deinde post occisum in mense septimo ab Ismaele Godoliam, cùm vniuersus populus Iudaicus, qui remanserat in Iudæa, fugisset in Ægyptum, illuc quoque cum eo perductus est Ieremias, vbi multa aduersus Iudæos vaticinatus est, quemadmodum legimus Ierem. cap. 41. vsque ad 45.

ISAIAE LAVDATIO EX LIB. ECCLESIASTICI.

5. Ceterùm, Ecclesiastici cap. 48. vers. 25. vsque ad finem capitis habemus Isaiæ elogium, breue quidem, sed admodum illustre, in hæc verba: *Isaias Propheta magnus & fidelis in conspectu Dei. In diebus ipsius retrò rediit Sol, & addidit regi* (nimirum Ezechiæ) *vitam. Spiritu magno vidit vltima* (videlicet, de aduentu Messiæ, de vocatione Gentium, de Ecclesiæ splendore, de nouissimo Iudicij magni die, necnon de iustorum felicitate, ac damnatione impiorum) *& consolatus est lugentes in Sion* (vt patet præsertim Isaiæ cap. 40.) *Vsque in sempiternum ostendit futura & abscondita antequam euenirent.* Quæ quàm clare ostenderit, testatur B. Hieronymus ad Paulam & Eustochium in Præfatione in Isaiam his verbis: *Deinde etiam hoc adiiciendum est, quòd non tam Propheta dicendus sit quàm Euangelista; ita enim vniuersa Christi Ecclesiæque mysteria ad liquidum prosecutus est, vt non putes eum de futuro vaticinari, sed de præteritis historiam texere.* Sic S. Hieronymus.

AB ORBE CONDITO ANNVS 3351. — QVINTÆ MVNDI ÆTAT. ANNVS 329.

HABACVC PROPHETAT.

1 ANNO regni Manasse Regis Iuda circiter decimoquarto, credimus Habacuc, qui inter duodecim Prophetas minores octauo loco ponitur, prophetasse ea quæ habentur in Prophetia eius, vt colligi potest ex Auctore Chronologiæ maioris Hebræorum, qui cap. 20. ait prædictum Habacuc prophetasse temporibus Regis Manasse. Et addit, quòd ideò in initio Prophetiæ suæ subticuit Regis nomen tunc regnantis, quia erat improbus valdè. Quibus verbis videtur indicare, quòd Habacuc prophetauerit, antequam Manasses Rex captiuus duceretur in Babylonem, conuersusque esset ad Dominum. Et satis probabile videtur, quòd paulò ante captiuitatem dicti Regis, Habacuc ediderit Prophetiam suam; alioqui si peruenisset ad aures Regis, facilè cum aliis Prophetis hunc quoque Manasses interfici curasset. Huic opinioni valdè arrident verba illa ipsius Habacuc cap. 1. vers. 4. *Lacerata est Lex, & non peruenit vsque ad finem iudicium: quia impius* (subaudi Manasses) *præualet aduersus iustum*, hoc est iustos (vsurpatur enim hìc singulare pro plurali) *propterea egreditur iudicium peruersum*, &c. Nec ab eadem opinione alienus fuisse videtur S. Epiphanius, qui in lib. de Vita & interitu Prophetarum ait, ipsum Habacuc ante duarum tribuum captiuitatem prophetasse. quod & alij quoque confirmant. Et quod magis vrget, ipsemet Sacer eiusdem Prophetiæ textus cap. 1. vers. 6. & sequentibus idipsum apertissimè demonstrat, dicens: *Ecce ego suscitabo Chaldæos*, &c. vbi, vt tradunt sacri illius loci Expositores, prænuntiat validissimam Regis Nabuchodonosor Chaldæorumque potentiam ac ferocitatem aduersus plures nationes, & præsertim aduersus Iudæos suscitandam, vt cum ceteris Gentibus captiui ducantur. Quare manifestum fit, ipsum Habacuc non solùm prophetasse ante duarum tribuum captiuitatem, sed etiam antequam regnare cœperit dictus Nabuchodonosor, alioqui non futura prænuntiasse, sed potiùs præterita narrasse, aut præsentia demonstrasse videretur; & consequenter, non Propheta, sed Historicus magis dicendus esset. Cogimur itaque cùm Ribera Præludio 2. in Prophetas

phetas minores, diſcedere ab opinione illorum, qui putarunt ipſum Habacuc prophetaſſe poſt abductos Iudæos in Babylonicam captiuitatem; inter quos videntur fuiſſe S. Hieronymus in Prologo ſuper Habacuc, & ibidem Theophylactus, & B. Theodoretus in Prologo ſuper Duodecim Prophetas, & Clemens Alexandrinus in 1. Stromatum, & alij nonnulli.

VTRVM IDEM FVERIT CVM EO QVI DETVLIT PRANDIVM DANIELI IN BABYLONEM.

2. Vtrùm autem iſte Habacuc fuerit illemet, qui poſteà iubente Domino detulit prandium Danieli poſito in lacu leonum, incertum eſt: nam SS. Hieronymus & Epiphanius putarunt eſſe eumdem; alij verò diuerſum; quibus magis aſſentiri cogimur: quandoquidem à prioribus regni Manaſſæ annis, quando oportuit Habacuc Prophetam perfectæ iam fuiſſe ætatis, quoniam iam Prophetiæ ſpiritum acceperat, vſque ad miſſionem Danielis in lacum leonum, videntur fluxiſſe anni ferè centum & quinquaginta, vt ſupputari poteſt in tabulis. Vnde oporteret ipſum Habacuc fuiſſe annorum pænè centum octoginta, quando prandium Danieli detulit: quod non videtur veriſimile, præſertim cùm Scriptura ſacra Daniel. cap. 14. verſ. 32. dicat, quòd tunc Habacuc *coxerat pulmentum, & intriuerat panes in alueolo, & ibat in campum vt ferret meſſoribus:* quæ proculdubiò tam prouectæ ætatis viro conuenire nullo modo poſſe videntur. Ceterùm, Propheta Habacuc, qui (vt aiunt SS. Epiphanius & Iſidorus) fuit de tribu Simeon, præter ea quæ, vt dictum eſt, vaticinatur aduerſus Iudæos, aliosque populos multos à Nabuchodonoſor debellandos, atque in captiuitatem ducendos; prophetat etiam aduerſus ipſos Babylonios, & item vniuerſaliter contra vbique gentium perſecutores iuſtorum; & denique in Cantico multa de Chriſto venturo prædicit, nimirum de paſſione, reſurrectione, & de ſecundo eius aduentu in gloria, vt accuratè legentibus totam Prophetiam eius innoteſcere poterit.

QVAENAM PROPHETAVERIT HABACVC.

AB ORBE CONDITO ANNVS 3352. — QVINTÆ MVNDI ÆTAT. ANNVS 330.

MANASSES A DEO CASTIGATVS EMENDATVR.

1 ANNO circiter regni ſui decimoquinto, vt ex numero ſequenti dicendis probabiliter credi poteſt, videns Dominus quòd Manaſſes Rex maiora indies facinora perpetraret, nec quidquam Prophetarum monitiones increpationeſque proficerent, quippe qui non ſolùm eos audire contemneret, ſed inſuper tamquam multa febre phreneticus in illos, tamquam in Medicos ipſum curare volentes, quotidie ampliùs inſaniret ſæuiretque, ad grauiora procedens; ſuperinduxit ei Principes Regis Aſſyriorum, qui Manaſſen dolo, vt ait Ioſephus 10. Antiq. cap. 4. interceptum, mox catenis ac compedibus vinctum duxerunt in Babylonem: vbi tam graui infortunio eruditus, & in ſe reuerſus, & conuerſus ad Dominum, tantorum ſcelerum ſuorum eum valdè pœnituit, oranſque meruit à Deo miſericorditer exaudiri; & item à Rege, qui eum tenebat captiuum, liberè dimitti, ac rurſus in regnum ſuum reſtitui: 2. Paralip. cap. 33. verſ. 10. vſque ad 14. & loco Ioſephi allegato.

QVOD PRAEDICTO REGNI SVI ANNO CAPTVS FVERIT.

2. Diximus, Manaſſen anno regni ſui circiter decimoquinto, qui erat vitæ eius vigeſimus ſeptimus, fuiſſe captum: quia tametſi præciſus captiuitatis eius annus neque ex Sacro textu, neque ex Ioſepho haberi poſſit; fuiſſe nihilominùs illum quem diximus, ſatis probabiliter colligi poteſt ex Cardinali Bellarmino, qui lib. 1. de Verbo Dei c. 12. duo dicit: nempe, Holofernem veniſſe in Iudæam anno regni Manaſſæ decimoſexto. Deinde ſubiungit, quem Manaſſen paulò antè, puto anno præcedenti, Rex Aſſyriorum duxerat captiuum in Babylonem. Ex quibus quidem duobus dictis, licet primum nos ſub anno mundi proximo improbare intendamus; alterum tamen admitti poſſe videtur, præſertim cùm illud idem Auctor Ioſephi teſtimonio aliquatenus confirmare videatur, qui 10. Antiq. cap. 4. in fine, de Amone filio Manaſſæ verba faciens, ait, ipſum iuuenilia patris ſui opera fuiſſe imitatum, per quod indicatur, Manaſſen non niſi in ætate admodum iuuenili, peruerſa illa opera quæ nos ſub anno mundi 3338. num. 1. vſque ad 5. recenſuimus, perpetraſſe. Quod alio quoque argumento comprobari poteſt. Nam ex quo Manaſſes non caſtigatione deterior, aut ad modicum dumtaxat tempus emendatior factus eſt, vt communiter ſolent qui iam in malis inueterati ſunt; ſed contrà adeò profecit, vt non modò ad priſtinas vmquam redierit impietates, verumetiam deinceps eaſdem bonis operibus ſemper diluere curauerit; vtique non eſt veriſimile, ipſum longiores moras, ſed iuueniles tantummodò annos, vt Ioſephus teſtatur, in memoratis ſceleribus exegiſſe. Quare nos elicitam ex citatis Bellarmini verbis opinionem longè probabiliorem putamus ea quam tenet Auctor Chronologiæ maioris

Hebræorum, qui cap. 24. sine vlla probatione asserit, ipsum Manassen Regem anno regni sui vigesimo secundo abductum fuisse captiuum in Babylonem, & deinceps triginta tribus annis egisse pœnitentiam. At verò sententia Rabbi Kimhi, qui in cap. Ezechiel. 4. impiæ ipsius Manassæ vitæ totos quadraginta annos, resipiscentiæ autem ipsius quindecim tantùm tribuit, quemadmodum refert Genebrardus libro suæ Chronologiæ 1. vbi de his quæ sub Manasse acta sunt agit, proculdubiò ex rationibus suprà adductis conuincitur esse falsissima.

QVISNAM FVERIT REX ASSYRIORVM QVI MANASSEN TENVIT CAPTIVVM, LIBERVMQVE DIMISIT.

3. Itaque si verum est, Manassen anno (vt diximus) regni sui circiter decimoquinto, vel (vt tradit Chronologia Hebræorum) vigesimo secundo, captiuum ad Regem Babylonis fuisse perductum; vtique non potuit iste Rex Babylonis alius fuisse, nisi Merodach Baladan: hisce namque temporibus, vt videre est in tabulis, ipse regnabat in Babylone; & iam deuicto Asarhaddon Rege Assyriorum, regnum quoque eius suo adiunxerat Imperio, vt sub anno mundi 3335. num. 1. dictum est. Diuina ergo prouidentia factum credimus, vt Manasses inciderit in manus prædicti Merodach, qui amicus fuerat patris sui Ezechiæ, quemadmodum sub anno mundi 3324. num. 2. dictum est: vt vel sic faciliùs veniam consequi, & denuò in suum regnum restitui posset. Quando autem restitutus fuerit, incompertum habemus: & nihilominùs existimamus, id non multò pòst contigisse, quemadmodum Iosephus vbi suprà satis apertè indicat, & ex Sacro item textu colligit Caietanus super 2. Paralip. cap. 33. vbi accuratiùs ibidem narrata perpendens, ait: Tempus autem carceris insinuatur breuissimum, ex eo quòd nullus legitur electus Rex interim in Ierusalem.

AB ORBE CONDITO ANNVS 3353. — QVINTÆ MVNDI ÆTAT. ANNVS 331.

DE HISTORIA IVDITH, QVOD NON PER HAEC TEMPORA ACCIDERIT.

1 ANNO regni Manassæ Regis Iuda decimosexto, putat Cardinalis Bellarminus acta esse quæ referuntur in Historia libri Iudith, idque pluribus probare nititur argumentis lib. 1. de Verbo Dei cap. 12. vbi primò optimè refellit opinionem illorum, qui dicunt, illum Nabuchodonosor qui regnabat in Niniue, fuisse Cambysem: deinde illorum qui arbitrati sunt, eamdem Historiam contigisse sub Iosia aut Sedecia Regibus Iudæorum: postremò concludit, ipsam cœpisse (vt dictum est) anno decimosexto regni Manassæ; & memoratum Nabuchodonosor, qui misit Holofernem in Iudæam, fuisse Merodach Baladan Regem Babylonis, qui superato Asarhaddon Sennacheribi filio, subiugauit sibi regnum Assyriorum, & deinceps regnauit in Niniue; atque anno regni sui duodecimo, percusso Arphaxad Rege Medorum, obtinuit quoque regnum eius: anno autē proximo misit Holofernem cum ingenti exercitu aduersus regna Occidentis, vt dicitur Iudith cap. 2. vers. 5. eò quòd Legatos suos repulissent, quemadmodum refertur cap. 1. eiusdem libri. Sed ego, tametsi tanto viro plurimum sanè tribuendum censeam, ipsumque valdè admodum (vt par est) reuerear, tum propter eminentem eius in sancta Ecclesia dignitatem, tum verò maximè ob singularem virtutem excellentemque doctrinam; & non ignorem, Nicolaum Serariū in c. 1. Iudith quæst. 2. plures variasque referre opiniones de præfato Nabuchodonosor, quisnam fuerit, & de tempore quo gesta sit historia ipsius Iudith, & tandem ceteris omnibus præferre opinionem Cardinalis Bellarmini à nobis paulò antè relatam: nihilominùs, vt liberè dicam quod sentio, non possum in hac parte eiusdem sententiæ subscribere. Nam si annus decimustertius dicti Nabuchodonosor concurrit cum anno regni Manasse decimosexto, vtique oporteret primum annum regni eiusdem Nabuchodonosor concurrisse cum quarto regni Manassæ; ergo non est idem iste Nabuchodonosor cum Merodach Baladan, quem sub anno mundi 3332. num. 1. probauimus regnare cœpisse anno regni Ezechiæ vigesimo quarto. Item, si Manasses, quemadmodum ex Bellarmini dictis consequitur, & ipsemet concedit, non alterius Regis Assyriorum captiuus fuit, nisi istius Nabuchodonosor, quem putat etiam regnasse super Babylonios; quomodo verisimile est, Iudæos ausos esse remittere vacuos, & sine honore à se abiicere nuntios tanti Regis, eo præsertim tempore, quo ille captiuū tenebat Regem ipsorum? Et quomodo ausi sunt, vt dicitur Iudith cap. 5. vers. 4. præ omnibus aliis nationibus contemnere Holofernem cum tam valido exercitu, post tot tantasque partas de multis populis victorias, contra ipsos tunc sine Rege existentes tanto impetu venientem? Vel si tunc (quod magis placere videtur Bellarmino) iam de captiuitate dimissus redierat Manasses in Ierusalem; nonne credibile est, ipsum talibus mulctis seu conditionibus in suum regnum fuisse restitu-

ſtitutum, vt iam non opus eſſet Regi Aſſyriorum mittere ad eum Legatos, qui cum eo agerent, ne parêre Regis Aſſyriorum imperio reluctaret? Aut ſi miſiſſet, quis dubitet, Manaſſen eos maximo cum honore excipere voluiſſe; nec tam magno Regi, à quo paulò antè vitam regnumque conſecutus eſſet, palàm contradicere, vel eum denuò contra ſe prouocare auſum eſſe; præſertim audita tam grandi eius victoria, quam nuper de potentiſſimo Rege Medorum reportauerat? Sed eſto, quòd Manaſſes nihil horum veritus, audacter nimis dictos repuliſſet Legatos, & ſe ſuoſque contra Aſſyriorum vires præparare voluiſſet: quomodo Holofernes primarius militiæ Regis Aſſyriorum Princeps gentem Iudæorum ignorare potuiſſet, & quærere, quiſnam eſſet ille populus, quæ, quales, & quantæ eſſent ciuitates eorum, quæ virtus & multitudo, & quis Rex militiæ illorum, vt legimus Iudith cap. 5. verſ. 3. ſi contra eumdem populum Duces eiuſdem Regis Aſſyriorum paulò antè bellauerant, & vaſtata regione Iudæorum (vt refert Ioſephus 10. Antiq. cap. 4.) Manaſſen Regem duxerant tenuerantque captiuum? Quî fieri poteſt, vt Holofernes ignorauerit, Manaſſen Regem Iudæorum à domino ſuo recèns de captiuitate fuiſſe dimiſſum? Verùm illud mirabile videtur, ſi tunc Manaſſes aut alius Rex Iudæorum erat in Ieruſalem, quando venit Holofernes in Iudæã, cur Achior Holoferni ſciſcitanti, Quis eſſet rex populi Iudaici, nihil de hac re reſponderit, nec dixerit eſſe Manaſſen, qui captus, vel qui nuper dimiſſus fuerat à domino ſuo Rege Aſſyriorum; ſed tantummodò de origine, religione, & virtute populi tam multa diſſeruerit? & cur in toto libro Iudith nulla prorſus Regis in Iudæa tum regnantis mentio facta ſit? quin potiùs, vbicumque de bellico aduerſus Holofernis potentiam apparatu agitur, cuncta ſemper ad nutum iuſſumque ſummi Sacerdotis acta fuiſſe perhibentur. Quid, obſecro, hoc indicat? niſi hiſtoriam Iudith & Holofernis contigiſſe, non quando à Regibus, ſed quando à ſummis Sacerdotibus res Iudæorum adminiſtrabantur; nimirum poſt reditum populi de captiuitate Babylonica.

2. His adde, hanc fuiſſe plurimorum grauiſſimorumque Scriptorum veterum ac recentiorum ſententiam, quòd ſcilicet hæc hiſtoria acciderit eo tempore, quo Cyri ſucceſſores regnabant in Perſide. ita ſentiunt S. Auguſtinus lib. 18. de Ciuit. cap. 26. Euſebius in Chronicis, Beda in libello de Sex ætatibus mundi, Seuerus Sulpitius lib. 2. Sacræ Hiſtoriæ, Petrus Comeſtor in Hiſtoria Scholaſtica libri Iudith cap. 1. Lyranus in cap. vlt. Tobiæ, & 1. Iudith, & ibidem Carthuſianus, & Hugo Cardinalis, item Io. Driedo de Eccleſiaſticis Scripturis & Dogmatibus lib. 1. cap. 2. par. 2. & lib. 3. cap. 5. par. 3. Gerardus Mercator in ſuà Chronologia, Georgius Cedrenus in Compendio Hiſtoriarum fol. 114. & alij plures: quamquam non omnes inter ſe conueniant de particulari Perſarum Rege, ſub quo dicta Iudith hiſtoria contigerit. Sed & hoc idem videtur ſatis apertè colligi poſſe ex ipſomet Sacro textu: nam Iudith cap. 5. verſ. 23. in editione Vulgata hæc ad verbum habentur: *Nuper autem reuerſi ad Dominum Deum ſuum, ex diſperſione qua diſperſi fuerant, adunati ſunt, & aſcenderunt montana hæc omnia, & iterùm poſsident Ieruſalem, vbi ſunt ſancta eorum.* hactenus Sacer textus. Ex quo manifeſtè apparet, quòd quando hæc dicebat Achior, Iudæi non multò anteà reuerſi erant de captiuitate Babylonica; dicere enim, *Et iterùm poſsident Ieruſalem,* apertiſſimè ſupponit, quòd ab ea priùs pulſi fuerint. Quis autem neſciat, Iudæos numquam actualem Ieroſolymæ poſſeſſionem amiſiſſe, niſi quando captiui ducti ſunt in Babylonem? Nam licet regnante Manaſſe, deuaſtata ſit regio Iudæorum à Ducibus Regis Aſſyriorum, vt ex Ioſepho conſtat loco paulò ſuperius citato; (quod & temporibus Ezechiæ & Achaz, aliaſque etiam ab aliis ipſorum hoſtibus, contigiſſe certum eſt) non tamen capta eſt Ieruſalem: & ſi aliquando capta fuit, vt ſub Amaſia à Ioas Rege Iſrael, quemadmodum ſub anno mundi 3210. num. 1. diximus; non tamen inde Iudæi eiecti pulsíve ſunt. Neque verò eſt quòd hîc quis cum Melchiore Cano Locorum Theologicorum lib. 11. cap. 6. ſuſpicetur, præfatum Achior non de captiuitate Babylonica, ſed de aliqua alia in ſacris Scripturis minimè regiſtrata, eſſe locutum; quia hoc eſſet velle potiùs diuinare quàm docere. Quamuis enim certum ſit (vt etiam notat Caietanus ſuper lib. Iudic. in calce capitis 18.) non omnia eſſe ſcripta; & fieri poſſit, vt particularis aliqua quorumdam Iſraelitarum captiuitas non admodum celebris, ſilentio ſit prætereita, quemadmodum idem Caietanus exemplo captiuitatis filiorum Dan ibidem memoratæ probat, quam, inquit, neceſſe eſt ante Dauidis tempora contigiſſe, nimirum ſub aliquo ex præcedentibus Regibus aut Iudicibus; & conſequenter, priuſquam Ieruſalem facta eſſet Iudæorum metropolis: non tamen rationabile videtur, tale quid ſuſpicari de inſigni aliqua totius populi Iudaici captiuitate, quæ poſt ampliatam Ieroſolymam, ſedemque regni conſtitutam, & Templum

QVOD EADEM HISTORIA POST REDITVM DE CAPTIVITATE SIT GESTA.

plum toto orbe celeberrimum in ea extructum, ante eiusdem Templi interitum facta fuerit; quòd scilicet tanta ac tanti populi clades (si contigisset) à nemine alicubi in Sacris libris relata esset; ad ea præsertim tempora pertinens, quorum in Iudæa res gestæ, diligentiùs quàm aliorum, non modò in Regum, sed etiam in Paralipomenon libris describi videntur. Cùm igitur multò probabilius sit, Iudæos numquam ciuitate Temploque spoliatos fuisse, nisi Babylonicæ captiuitatis tempore: proculdubiò in controuersiis dirimendis non debemus à re adeò obscura & minùs probabili, immò verò quæ omnino probari non potest, argumentum sumere. Prætereà capite Iudith proximè adducto in textu LXX. Interpretum expresse adiungitur, quòd in illa Iudæorum dispersione, de qua ibi agitur, Templum quoque ipsorum solo æquatum fuerat. Quid igitur hisce testimoniis clarius desiderari potest? Neque verò admitti vllatenus debet Bellarmini effugium, qui aduertens se hoc testimonio nimis aperto valdè arctari, velut effracto muro euadere tentauit, dicens, illa LXX. Interpretum verba videri supposititia; quia B. Hieronymus in sua translatione non meminit de Templi euersione. Sed si essent supposititia, vtique expuncta fuissent in accurata admodum illa eiusdem textus LXX. Interpretum recognitione, quæ Romæ facta, necnon Pontificia auctoritate approbata editaque fuit anno salutis 1588. Quòd si prædicta verba ideò supposititia censenda essent, quia in editione Vulgata non habentur: profectò idem quoque dici deberet de aliis pluribus, quæ in eadem LXX. Interpretum editione extant, & in Vulgata minimè reperiuntur: cuiusmodi sunt illa Exod. cap. 12. *Habitatio autem filiorum Israel, qua habitauerunt in Aegypto, & in terra Chanaan, anni quadringenti triginta.* Scimus namque particulam illam, *Et in terra Chanaan,* in editione Vulgata non haberi: & nihilominùs constat illam non modò non esse supposititiam, quin potiùs maximè conferre ad Sacri illius textus declarationem; & ad eumdem cum his quæ in Exod. cap. 6. vers. 16. vsque ad 21. dicuntur, conciliandum; quemadmodum ex dictis sub anno mundi 2329. num. 10. vsque ad 22. colligi potest. Et præterea sub anno mundi 1694. num. 2. & 3. demonstrauimus, nullo modo expungendam esse generationem Cainan, quæ ponitur à LXX. Interpretibus Genes. c. 11. tametsi in Vulgata editione non habeatur. Plura eiusmodi alia possent exempla proferri, quæ breuitatis causa prætermittimus; cùm præsertim omnibus notum sit, non tam modicæ auctoritatis fuisse apud veteres, aut apud nos habendam esse LXX. Interpretum editionem, vt ea quæ plus ceteris ipsa continet, tam facilè censeri debeant supposititia; & præcipuè illa, quæ nulli alij sacræ Scripturæ textui aduersari conspiciuntur, & à tot clarissimis Auctoribus recepta probataque sunt.

RESPONDETVR AD EA QVAE PRO OPPOSITA SENTENTIA ADDVCI POSSENT.

3. Non etiam conuenientiæ illæ à Bellarmino adductæ conuincunt, historiam Iudith referendam esse ad tempora Manassę Regis Iuda; puta, quòd tunc summus Sacerdos in Ierusalem esset Eliachim, vt ipse probat ex Chronologia B. Nicephori Patriarchæ Constantinopolitani: & item, quòd hisce temporibus inueniri possit ille decursus longissimæ pacis in Israel, qui in calce lib. Iudith perdurasse dicitur toto tempore vitæ ipsius Iudith, & post obitum eius multis annis. Etenim, quod pertinet ad primam conuenientiam, tametsi non sit vsquequaque clarũ, quòd regnante in Ierusalem Manasse, esset ibi summus Pontifex ille Eliachim, cuius meminit Isaias cap. 22. vers. 20. quia ille Eliachim, vt ibidem asserit Isaias, fuit filius Helciæ: atqui constat ex 4. Reg. cap. 22. vers. 4. & 8. Helciam fuisse summum Sacerdotem temporibus Iosiæ Regis; non igitur videtur filius eius Pontifex fieri potuisse temporibus Manassæ, videlicet ante Pontificatum patris sui. Nihilominùs, quia potuit contingere, vt ille Eliachim, qui ab Isaia loco allegato prædicitur successurus Sobnæ Pontifici, fuerit alter Eliachim filius alterius Helciæ, & pater illius Helciæ qui posteà Pontificatum gessit regnante Iosia: idcircò dicimus, quòd etiamsi admitteremus extitisse, quando regnabat Manasses, Pontificem nomine Eliachim; non tamen sequeretur, hunc fuisse illummet Eliachim, de quo agitur in libro Iudith: quandoquidem argumenta superiùs allata id concedi posse non patiantur. Et præterea constat, etiam post reditum populi de Babylonica captiuitate, quando videlicet nullus erat proprius Rex in Iudæa neque in Israel, sed res Iudæorum, qui tunc parebant imperio Regum Persarum, per summos Pontifices administrabantur; extitisse Xerxis temporibus in Ierusalem alium Eliachim summum Pontificem, vt nos sub anno mundi 3572. nu. 3. ex Iosepho ostendemus; & ex ipsa quoque sacra Scriptura comprobabimus.

AD ALIVD RESPONSIO

4. Quod verò attinet ad alteram conuenientiam, nimirum ad memoratum tempus longissimæ pacis in Israel; respondemus, illud multò meliùs & euidentiùs reperiri posse post captiuitatem Babylonicam, quàm ante ipsam: siquidem sub Regibus Persarum, qui regnabant ab India vsque ad Æthiopiam, ferè semper fuit pax in Israel, ita vt in sup-

putandis

putandis annis vitæ Iudith in pace transactis, non sit necessarium ponere, vt ponit Bellarminus, ipsam fuisse quadragenariam, aut, vt alij, plusquam quinquagenariam, (vt paulò pòst probabimus) quando propter eximiam eius pulchritudinem vocabatur puella, & ardenter admodum ab Holoferne concupita fuit: nam etsi negandum non est, aliquibus nonnumquam contigisse mulieribus, vt in prouectiori etiam ætate pulcherrimæ essent, & iuuenculæ viderentur; non tamen probari potest id ipsi euenisse Iudith. Verùm hîc ostendere oportet, cur dixerim Cardinalem Bellarminum supponere, ipsam Iudith fuisse quadragenariam, alios verò plusquam quinquagenariam. 39
Nam cùm certum sit, ab hoc anno regni Manassæ decimo sexto, vsque ad initia regni 2
Ioachaz filij Iosiæ, quem Rex Aegypti duxit captiuum, fluxisse annos septuaginta duos 31
cōtinuæ pacis in terra Israel, nimirū triginta nouem qui residui erant de regno Manassę, 72
& duo regni Amon, & triginta vnum regni Iosiæ: si illi centum quinque anni, quorum sit mentio Iudith cap. vlt. vers. 28. computandi sunt ab ortu ad obitum ipsius Iudith, (vt ex textu LXX. Interpretum colligit Bellarminus) & ex annis totius vitæ Iudith centum quinque, detrahantur anni quadraginta ætatis eius, quando placuit Holoferni; profectò remanent sexaginta quinque anni pacis, à nece Holofernis vsque ad mortem Iudith; quibus addit Bellarminus alios septem, vt conficiat prædictam summam annorum septuaginta duorum pacis; & illud etiam verum sit, quod in calce citati libri adiungitur illis verbis: *Et post mortem eius annis multis*. Si autem prædicti centum quinque anni, vt alij putant, & Sacer editionis Vulgatæ textus magis insinuare videtur, computari debent non à die natiuitatis Iudith, sed à tempore quo ipsa nupserat, & ducta fuerat in domum viri sui, cùm necesse sit ipsam tunc fuisse quindecim circiter annorum, oportet eam quidem mansisse in domo viri sui annis centum quinque, vt dicitur loco Iudith allegato; sed vixisse in summa annos circiter centum viginti; & consequenter, quòd detractis prædictis septuaginta duobus annis posteà in pace decursis, ipsa esset annorum saltem quinquaginta trium quando stetit coram Holoferne. Itaque, vt ad rem redeamus, multò conuenientius tutiusque videtur, tollere necessitatem supponendi rem mirabilem, videlicet quòd mulier quadraginta vel etiam quinquaginta trium annorum tantæ fuerit pulchritudinis ac decoris, vt puella existimari potuerit, & tam magnum Principem statim in sui concupiscentiam allicere: hoc autem fiet, ponendo historiam Iudith contigisse post Babylonicam captiuitatem. Et hæc pro nunc dicta sufficiant, ad ostendendum quòd ad hæc tempora pertinere non possit dictæ Iudith historia: nam ad alia Bellarmini argumenta opportuniùs sub anno mundi numero præcedenti adducto respondebimus, vbi eamdem historiam loco suo proprio collocabimus.

☞ 5. Per hæc tempora Manasses Rex Iuda, summa Dei miseratione, & Merodach Regis Babylonis benignitate de sua captiuitate liberatus, & in pristinam libertatem regnumque suum restitutus, vt primùm rediit in Ierusalem, experimentoque proprio didicit, quòd vbi abundauerat delictum, diuina superabundauerat & gratia; in recognitionem tanti beneficij, protinus cœpit auferre deos alienos & simulacra de Domo Domini, & aras idolorum quas fecerat in monte Domus Domini, & in Ierusalem; proiecitque omnia extra vrbem. Deinde instaurauit altare Domini, & cùm immolari fecisset pro se super illud victimas & hostias pacificas ad laudem Dei & pro gratiarum actione Domino; post exemplum pietatis exhibitum, addidit præcepta subditis suis, vt & ipsi deinceps seruirent Domino Deo Israel: non tamen prohibere potuit, quominùs immolaret populus in excelsis Domino. Et in summa (vt ait Iosephus 10. Antiq. cap. 4.) *dedit operam* Manasse, *si posset abolere priorum peccatorum etiam memoriam, mutatis moribus totúsque conuersus ad studia religionis*. Fuit præterea in aliis quoque Reipublicæ admodum vtilis: nam & murum ædificauit in conualle Gihon, quæ erat ad Occidentem, incipiens ab exitu ciuitatis Dauid, seu ab introitu portæ, quæ dicebatur Piscium, seu (vt alij) Fontis, per Ierosolymæ circuitum, vsque ad turrim siue arcem, quæ vocabatur Ophel: & quoniam murus iste erat in valle, exaltauit eum valdè, vt meliùs protegere posset ciuitatem. Constituit insuper Principes exercitus in cunctis vrbibus Iuda, ne subitò eas ab hostibus præoccupari contingeret. Illud verò illustrius fuit, quòd ex quo Deum verum colere cœpit, ita in bonis operibus iugiter toto reliquo vitæ suæ tempore perseuerauit, vt propterea deinceps, Iosepho teste, prædicatus fuerit beatissimus: 2. Paralip. cap. 33. vers. 14. vsque ad 20.

MANASSES DE CAPTIVITATE REVERSVS, AD STVDIA RELIGIONIS SE CONVERTIT.

AB ORBE CONDITO ANNVS 3370. QVINTÆ MVNDI ÆTAT. ANNVS 348.

CESSANT ATHENIENSIVM REGES.

1 ANNO primo Olympiadis vigesimæ quartæ, Athenis cessarunt Reges, quorum loco constitui cœperunt nouem annui Principes ex nobilioribus, qui Atheniensibus præessent, vt tradit Eusebius in Chronicis, & nos sub anno mundi 2498. num. 1. tetigimus.

AB ORBE CONDITO ANNVS 3371. QVINTÆ MVNDI ÆTAT. ANNVS 349.

MANASSES GENVIT AMONEM.

1 ANNO regni sui trigesimo quarto circiter inchoante, Manasses ex vxore sua Messalemeth filia Harus de Ieteba, vt dicitur 4. Reg. cap. 21. vers. 19. genuit Amon, qui posteà ei in regnum successit annos natus viginti duos: totidem autem superesse de regno Manasse, ex tabulis constare poterit.

TOBIAS MORTI PROXIMVS PRAENVNTIAT NINIVE INTERITVM.

2. Sub finem eiusdem anni, qui (quemadmodum ex his quæ sub annis mundi 3270. num. 1. & 3325. num. 4. & 3329. num. 1. dicta sunt, inferri potest) coincidit cum anno ab illuminato Tobia seniore quadragesimo secundo, vt supputari potest in tabulis: idem Tobias propè iam expletis vitæ suæ annis centum duobus, mortique appropinquare se sentiens, vocauit ad se Tobiam filium suum; cui prædixit, in proximo subuersum iri Niniuem iuxta verbum Domini; subintellige, quod ante plures annos prænuntiauerat Nahum Propheta, vt nos sub anno mundi 3321. num. 5. probauimus: vbi etiam ostendimus, inter multos Niniue interitus à prædicto Propheta prænuntiatos istum quoque inprimis contineri, quem Tobias moriens, in proximo esse denuntiauit. Itaque iste sanctus vir, prænuntiata, vt diximus, filio suo ciuitatis in qua habitabat euersione, eumdem quoque præmonuit, vt cùm ex humanis excederet mater sua, ipse ab ea vrbe discedere non differret; vtique tali præcepto indicans, tunc proculdubiò imminere vrbis excidium quod prædixerat. Denique bonus senex, piè admodum hortatus familiam suam, vt in sancto Dei seruitio perseuerare proficereque satageret, mortuus est & sepultus in Niniue: Tob. cap. vlt. vers. 8. vsque ad 14.

EIVSDEM OBITVS.

NINIVE PLVRIES EVERSA.

3. Quis autem fuerit iste interitus Niniue, & à quo, & quando eidem fuerit illatus, non facile est determinare: plures namque legimus apud Scriptores potentissimæ huius vrbis subuersiones, & primò quidem maximam hanc & antiquissimam ciuitatem, amplissimæ quondam Monarchiæ caput, regnante Semiramide, à Medis captam dirutamque fuisse, tradit Diodorus Siculus lib. 3. de Antiquorum gestis, vbi ait, quòd post Ninam à Medis dirutam, *Semiramis magni mulier animi, cupiens virum rerum gloria excellere, vrbem in Babylonia condidit*. sic Diodorus. Deinde iterùm Niniuem sub Sardanapalo euersam ab Arbace Medorum Duce, qui cum Beloso Babyloniorum Satrapa à domino suo Sardanapalo defecerat, tradunt inprimis diffusè idem Diodorus libro citato, nec non & alij multi, quos sub anno mundi 3234. num. 2. citauimus; vbi etiam eamdem cladem sub finem anni noni regni Oziæ Regis Iuda accidisse diximus. Captam denuò esse Niniuem à Merodach Rege Babylonis anno regni Asarhaddon postremo, & regnante in Ierusalem Ezechia, sententia est Iosephi 10. Antiq. cap. 3. & Genebrardi lib. 1. suæ Chronologiæ, vbi agit de his quæ sub dicto Ezechia sunt gesta; & aliorum, vt sub anno mundi 3335. num. 1. dictum est. Quartò item euersam fuisse Niniuem à Ben-Merodach, numero sequenti ostendemus. Et denique iterùm ab illo Nabuchodonosor, qui regnare cœpit in Babylone anno regni Ioakim Regis Iuda quarto, scriptum reliquit idem Genebrardus lib. 2. suæ Chronologiæ, vbi agit de Monarchia Chaldæorum; & Ribera in Duodecim Prophetas Præludio 2. vbi differit de Habacuc. Sed differunt inter se isti Auctores, quòd Genebrardus secutus Chronologiam maiorem Hebræorum cap. 24. credit hanc Niniue subuersionem factam esse à præfato Nabuchodonosor anno regni sui primo; Ribera autem super cap. 2. Nahum, num. 16. & deinceps, multis argumentis probare nititur, illam non anno primo regni, sed Monarchiæ ipsius Nabuchodonosor, qui concurrit cum anno regni eius 23. contigisse.

A MEDIS.

AB ARBACE ET BELOSO.

A MERODACH.

A BEN-MERODACH.

A NABVCHODONOSOR.

QVISNAM FVERIT QVEM TOBIAS PROPHETAVIT.

4. Sanè illum Niniue interitum, quem Tobias senior morti proximus breuì futurum prænuntiauit, necesse est post eius obitum, & consequenter post hunc trigesimum quartum regni Manassæ annum euenisse. Vnde patet, non esse eumdem cum eo quem

quem multò antè prædicauerat Ionas, nam hunc Niniuitæ ad pœnitentiam conuersi deuitauerant, vt in ipsius Ionæ Prophetia describitur. Neque esse illum, quem non multos post annos, nimirum regno Sardanapali desinente, passi sunt à Medis & Babyloniis, anno regni Oziæ Regis Iudæ nono propè expleto, vt sub anno mundi 3234. n. 1. diximus; quia manifestum est, illa tempora longè admodum præcessisse Tobiæ senioris obitum, vt liquidò etiam apparet in tabulis. Non etiam Niniue interitus à Tobia prænuntiatus, potuit esse ille, quem diximus contigisse anno regni Ezechiæ Regis Iuda vigesimo septimo, quando Imperium Assyriorum transiuit ad Babylonios, vt sub anno mundi 3335. num. 1. dictum est: nam ex sub annis mundi 3325. num. 4. & 3329. num. 1. & 4. notatis constat, Tobiam seniorem non multò post necem Sennacheribi, plagam cæcitatis incurrisse, & quòd tunc erat annorum quinquaginta sex, sexagenarius verò quando visum recuperauit; & exinde superuixit annis quadraginta duobus in gaudio: ac sic expletis vitæ annis centum duobus, mortuus, & honorificè sepultus est in Niniue, vt explicitè traditur Tob. cap. vlt. vers. 1. vsque ad 5. Igitur interitus Niniue ab ipso paulò antequam moreretur prædictus, non potuit contigisse nisi ad minus post quadraginta sex annos ab obitu Sennacheribi: non ergo anno regni Ezechiæ vigesimo septimo, in fine regni Asarhaddon, quem decem dumtaxat annos regnasse probatum est. Quin etiam, dato quòd iste Asarhaddon, vt quibusdam placet, fuisset idem cum eo qui Sardanapalus dicitur; neque sic potuisset peruenire ad tempora obitus Tobiæ, tum propter illius valdè celebratam incontinentiam, quæ diuturnitati vitæ omnino aduersatur: tum quia Eusebius in Chronicis, & alij, viginti dumtaxat regni annos eidem Sardanapalo tribuunt. Non item exterminium Niniue, de quo hîc agimus, videtur posse accipi fuisse illud, quod dicitur factum à Nabuchodonosor Rege Babylonis anno regni eius primo, & multò minùs si non primo, sed vigesimo tertio regni eius anno accidisset, vt præcedenti numero dictum est: quoniam Tobias senior mortis suæ tempore protestatus est, excidium illud quod ipse prænuntiabat, in proximo esse; & insuper satis euidenter indicauit futurum post mortem quidem vxoris suæ, sed adhuc filio suo superstite; ideoque præcepit ei, vt posteaquam sepelisset matrem suam, confestim discederet ab illa vrbe cum vniuersa familia sua. Ad quid, obsecro, iste discessus; nisi ne & ipse inuolueretur in ruina eius. Illa autem expugnatio ac vastatio Niniue, quæ à Nabuchodonosor facta perhibetur, non potuit accidisse, nisi longè post obitum Tobiæ iunioris: nam ab eius obitu ad annum primum regni Nabuchodonosor computantur anni non minus viginti; ad annum verò regni eius vigesimum tertium, anni saltem quadraginta tres, vt quiuis experiri potest in tabulis.

5. Cùm igitur necessarium sit, interitum Niniue à Tobia seniore prophetatum accidisse post annum regni Manassæ trigesimum quartum, in quo Tobias senior mortuus est; & ante annum regni Iosiæ decimumquartum, in quo Tobiam iuniorem decessisse dicemus sub anno mundi 3408. num. 1. & consequenter probabile admodum sit, idem Niniue excidium circa postremos annos regni Manassæ fuisse perpetratum (non enim verisimile est, quod Tobias senior proximè futurum prædixit, posteà vsque ad postrema filij sui tempora esse dilatum:) fateri vtique oportet, ipsum valdè à memoratis subuersionibus fuisse diuersum. Neque item factum ab illo Nabuchodonosor (quisquis ille fuerit) qui misit Holofernem contra Iudæos, vt describitur in libro Iudith: nam ibidem quoque dicitur, quòd ipse regnabat in Niniue; nec probabile est quòd tam grandem proprij regni metropolim destruere voluerit. Et prætereà iam satis sub anno mundi 3353. num. 1. vsque ad 4. probauimus, historiam Iudith nequaquam ad tempora quæ Babylonicam Iudæorum captiuitatem præcesserant, posse pertinere: quod etiam infrà sub anno mundi 3572. num. 3. vsque ad 7. comprobabimus. Itaque auctorem interitus Niniue à Tobia seniore prænuntiati, nullum alium probabiliùs ponere nos posse videmur, nisi Ben-Merodach, de quo sub anno mundi 3384. num. 1. agemus; ipse enim regnasse dicitur in Babylone ab anno regni Manasse Regis Iuda quadragesimo septimo, vsque ad decimumtertium regni Iosiæ, vt videre est in tabulis. Nemo autem demiretur, hanc vrbem à Ben-Merodach fuisse destructã, quæ à patre suo Merodach Baladan pariter capta, & aliquatenus deuastata fuerat: quandoquidem non modò ab istis, sed ab aliis quoque Regibus, anteà & pòst aliàs expugnatam euersamque fuisse, numero præcedenti ostendimus. vnde fit manifestum, eamdem vrbem etiam posteaquam in potestatem Chaldæorum deuenit, sæpiùs destructam reædificatamque fuisse: credibile enim est, ipsam, quæ per tot sæcula priùs ditissima ac potentissima fuerat, & tamquam amplissimæ Monarchiæ ac veluti totius orbis caput, alijs nationibus, ipsisque præcipuè

AVCTORIS AD QVAESITVM RESPONSIO.

Chaldæis imperare consueuerat, ægrè admodum deinceps ferre potuisse Chaldæorum imperium, ac proinde sæpiùs contra Babylonios Reges erectam, sæpiùs quoque ab ipsis humiliatam deuastatamque fuisse.

AB ORBE CONDITO ANNVS 3377. | QVINTÆ MVNDI ÆTAT. ANNVS 355.

REGNI ATHENIENSIVM FINIS.

☞ 1 ANNO sexto desinente, vel potiùs septimo incipiente ex quo desierant Atheniensium Reges, defecit quoque regnum ipsorum, vt videre est apud Eusebium in Chronicis.

AB ORBE CONDITO ANNVS 3383. | QVINTÆ MVNDI ÆTAT. ANNVS 361.

ANNVS IVBILEI DECIMISEXTI.

1 ANNO regni Manassæ Regis Iuda quadragesimo sexto incidere debuisse annum Iubilei decimisexti, apertè colligitur ex Æra, quæ deducitur in tabulis ab introitu filiorum Israel in terram Chanaan; vbi cernitur, prædictum annum regni Manassæ quadragesimum sextum concurrere cum anno eiusdem Æræ octingentesimo, qui præcisè continet sexdecim quinquagenarios Iubileos.

MERODACH MORITVR.

2. Sub finem eiusdem anni oportet è vita excessisse Merodach Baladan Regem Babylonis, quem Ptolemæus lib. 4. Almagesti cap. 8. & 9. vocat Mardokenpadum: siquidem hoc anno complentur anni quinquaginta duo, quibus ipsum regnasse tradunt Genebrardus in sua Chronologia, & alij.

AB ORBE CONDITO ANNVS 3384. | QVINTÆ MVNDI ÆTAT. ANNVS 362.

REGNAT IN BABYLONIA BEN-MERODACH

1 ANNO proximo circiter ineunte regnasse dicitur in Babylone Ben-Merodach; de quo licet nulla fiat mentio in Sacris paginis, fit tamen apud probatos Auctores. Hunc Genebrardus lib. 1. suæ Chronologiæ, vbi agit de rebus Iosia super Iuda regnante gestis, vocat Merodach secundum, ad differentiam primi, qui dicebatur Merodach Baladan: & putat eumdem fuisse cum illo Nabuchodonosor primo, quem Berosus lib. 3. Rerum Chaldaicarum, à Iosepho lib. 10. Antiq. cap. 11. & lib. 1. Contra Apionem relatus, alio nomine vocat Nabolassar, de quo sub anno mundi 3400. num. 1. agemus. At alij multò meliùs diuersum ab eo, & proximum eius prædecessorem ipsum faciunt. Sunt etiam qui hunc Ben-Merodach asserant fuisse illum Assyriorum Regem, cuius Principes duxerunt Manassen Regem Iuda captiuum in Babylonem, & qui eumdem de captiuitate dimisit. Sed hæc opinio sustineri non potest, etiam supposita opinione Rabbi Kimhi de huius captiuitatis tempore, quam tamen sub anno mundi 3352. num. 2. refutauimus: ibi enim probauimus, ipsum Manassen circa priores regni sui annos captum dimissumque fuisse, & consequenter multis annis antequam decessisset Merodach Baladan, cœpissetque regnare Ben-Merodach.

QVOT ANNIS REGNAVERIT.

2. De annis verò regni ipsius Ben-Merodach, variæ sunt Scriptorum sententiæ; aliis asserentibus ipsum regnasse per annos quadraginta quinque, alijs, viginti & vnum. Nos dicimus, ipsum annos viginti quattuor in regno exegisse: quandoquidem sub anno mundi 3429. n. 1. ostendemus, Nabuchodonosor regnare cœpisse anno quarto Olympiadis trigesimæ octauæ, id est anno centesimo vigesimo quarto Æræ Nabonassaris: constat autem ex his quæ diximus sub anno mundi 3306. num. 1. & 4. dictam Æram cœpisse anno primo Olympiadis octauæ, siue quod ferè in idem recidit, sub finem anni
26 quarti Olympiadis septimæ. Porrò, vt ibidem diximus, Nabonassar regnauit annis vi-
52 ginti sex; & post ipsum Merodach Baladan annis quinquaginta duobus, vt sub anno
21 mundi 3383. num. 2. probauimus. Quòd verò ille Nabolassar qui proximè præcessit
24 Nabuchodonosor, regnauerit viginti & vno annis, sub anno mundi 3408. num. 3. pro-
123 babitur. Igitur oportet Ben-Merodach, qui inter Merodach Baladan & Nabolassar medius fuit, regnasse annos vigintiquattuor: totidem enim remanent ad explendam summam annorum centum viginti trium, qui fluxerunt ab initio prædictæ Olympiadis octauæ, vsque ad initium anni quarti Olympiadis trigesimæ octauæ, circa quod regnare cœpit Nabuchodonosor, quemadmodum colligere licet ex tabulis.

AB ORBE CONDITO ANNVS 3387. QVINTÆ MVNDI ÆTAT. ANNVS 365.

1 ANNO regni Manassæ Regis Iuda quinquagesimo circiter inchoante, Amon filius eius annos natus, vt constat ex tabulis, decem & septem, ex Idida vxore sua, filia Hadaia de Besecath, vt patet 4. Reg. cap. 22. vers. 1. genuit Iosiam, qui posteà cùm octo esset annorum, successit patri & auo in regnum, vt infrà suo loco dicetur. Huius Iosiæ natiuitas & nomen, & pia quædam eademque præclara eius gesta, longè antè, nimirum trecentis & triginta circiter annis priusquam nasceretur, à quodam Propheta Domini prænuntiata fuere, anno scilicet primo regni Ierobam filij Nabat Regis Israel; quemadmodum ex his quæ sub anno mundi 3060. num. 4. diximus, manifestè apparet, & in tabulis supputari potest. AMON GENVIT IOSIAM. IOSIAE ORTVS ET VIRTVS LONGE ANTE PRAENVNTIATA.

2. Per hæc circiter tempora mortuam esse Saram Tobiæ iunioris matrem, & à filio suo sepultam in Niniue iuxta virum suum, prout ipsemet morti proximus præceperat, & continuò eumdem Tobiam iuniorem recessisse de Niniue cum tota familia sua, ac deinceps habitasse non procul à Rages ciuitate Medorum cum Raguele socero suo, vt legimus Tob. cap. vlt. vers. 14. ac non multò pòst subuersam fuisse Niniuem à Ben-Merodach Rege Babylonis, colligi potest ex his quæ sub anno mundi 3371. num. 1. & 4. dicta sunt, nimirum ex causa ibidem tacta. SARAE TOBIAE MATRIS OBITVS.

AB ORBE CONDITO ANNVS 3392. QVINTÆ MVNDI ÆTAT. ANNVS 370.

1 ANNO regni sui quinquagesimo quinto circiter expleto, ætatis verò sexagesimo septimo, Manasses Rex Iuda mortuus est, & sepultus in horto domus suæ, qui dicebatur Oza. Huius opera tam mala quæ ante eius conuersionem, quàm bona quæ post egit, scripta sunt in libro Sermonum Regum Iuda, vt dicitur 4. Reg. c. 21. vers. 17. siue in Sermonibus Regum Israel, vt traditur 2. Paralip. cap. 33. vers. 18. vbi etiam subiungitur, quòd eius oratio, quam in actu suæ conuersionis habuit ad Dominum, & exauditio, & cuncta peccata quæ priùs fecerat, scripta sunt in sermonibus Hozai. Quis autem fuerit dictus Hozai, & an Propheta, incompertum habemus: quandoquidem scripta eius temporum iniuria perierunt. De memorata verò oratione ab ipso Manasse habita, vtrùm sit illa quæ passim in Bibliis circumfertur, neque affirmare ausim, neque negare: quoniam tametsi in Bibliis Romæ anno salutis 1593. excusis, ponitur in calce, & extra seriem Scripturarum, quas sancta Synodus Tridentina suscepit, & pro Canonicis suscipiendas decreuit; proindeque illa cum tertio & quarto libro Esdræ ibidem adiectis, inter Canonicas Scripturas minimè computetur: nihilominùs certum quoque est, vt ibidem in titulo refertur, prædictam orationem memoratosque libros à nonnullis sanctis Patribus interdum citari, & in aliquibus Bibliis Latinis, tam manuscriptis quàm impressis, locis propriis notata reperiri. MANASSES MORITVR. DE EIVS ORATIONE.

AB ORBE CONDITO ANNVS 3395. QVINTÆ MVNDI ÆTAT. ANNVS 371.

1 ANNO insequente circiter incipiente, regnauit pro Manasse filius eius Amon super Iuda. Viginti duorum annorum erat Amon cùm regnare cœpisset, & duobus annis regnauit in Ierusalem; fecitque malum sicut fecerat Manasses pater eius (subintellige, in prioribus regni sui annis) derelinquens Dominum Deum patrum suorum, & seruiens cunctis immunditiis & idolis quæ fecerat pater eius: neque aliquando ad pœnitentiam rediit sicut ille; sed in malitia perseuerans, multò maiora deliquit: 4. Reg. cap. 21. vers. 18. vsque ad 23. & 2. Paralip. cap. 33. vers. 20. vsque ad 24. REGNAT AMON IN IVDAEA, FVITQVE IMPIVS.

2. Notandum verò hîc est, quòd aliqui textus Hebraici habent, Amonem regnasse annis vndecim, vt testantur Eusebius in Chronicis, & Beda in libro de Sex ætatibus mundi; qui tamen Beda non computat regni Amonis annos vndecim, sed duos tantùm. Iidem quoque Auctores asserunt, quòd LXX. Interpretes Amonis regno duodecim annos tribuunt; & eosdem secutus est præfatus Eusebius. Vnde Io. Driedo lib. 3. de Regulis & Dogmatibus tract. 3. cap. 5. conclus. 7. iuxta Philonis Hebræi & LXX. Interpretum sententiam, arbitratur Amonem regnasse quidem duos tantùm annos ab obitu patris; DE ANNIS REGNI EIVS

decem

decem verò, inquit, patre in Babylonia captiuo manente. Sed hæc opinio sustineri non potest; quia nullibi reperitur, quòd Manassæ captiuitas perdurauerit annos decem: quin potiùs nos sub anno mundi 3352. num. 2. & 3. probauimus, eumdem Manassen breuissimo tempore mansisse captiuum, & prætereà eius captiuitatem non in postremis, sed circa priores regni sui annos accidisse, quo tempore nondum natus erat, nedum ad regnandum aptus Amon esse poterat; & denique, quia non solùm 4. Reg. c. 21. sed etiam 2. Paralip. cap. 33. editio LXX. Interpretum, quæ habetur in Bibliis Regiis, & pariter illa, quæ Romæ anno salutis 1588. accuratè recognita prodiit, & item alij textus Hebraici, Græci, & Latini, qui nunc passim circumferuntur; necnon ipsa quoque Chaldaica Paraphrasis, vt in eisdem Bibliis Regiis videri potest, ponunt Amonem non vndecim aut duodecim, sed duos dumtaxat annos regnasse.

AB ORBE CONDITO ANNVS 3394. | QVINTÆ MVNDI ÆTAT. ANNVS 372.

AMON INTERFICITVR.

1 SVB finem anni secundi ex quo regnare cœperat, Amon, anno ætatis suæ vigesimo quarto circiter expleto, ob nimias impietates quas perpetrabat, Domino permittente, interfectus fuit in domo sua à seruis suis qui contra ipsum coniurauerant; sepultusque est in sepulchro suo, quod erat in horto Oza: 4. Reg. cap. 21. vers. 23. vsque ad finem capitis, & 2. Paralip. cap. 33. vers. 24.

AB ORBE CONDITO ANNVS 3395. | QVINTÆ MVNDI ÆTAT. ANNVS 373.

IOSIAS REGNAT IN IVDA.

1 ANNO immediatè sequente circiter inchoante, reliqua populi multitudo, cæsis his qui Amon percusserant, constituit Regem Iosiam filium eius pro eo: 4. Reg. cap. 21. vers. 24. & 2. Paralip. cap. 33. in fine. Octo annorum erat Iosias cùm regnare cœpisset (subintellige, quòd iam tunc expleuerat octauum vitæ annum, ita vt primus regni fuerit ætatis nonus, quemadmodum in tabulis dispositum inuenies) & vnum supra triginta annos regnauit in Ierusalem: quos tamen non omnino expleuisse, apparebit ex sub anno mundi 3425. num. 3. dicendis. Sanè Iosias fecit quod rectum erat in conspectu Domini, ambulans per omnes vias Dauid patris sui: 4. Reg. cap. 22. vers. 1. & 2. Paralip. cap. 34. vers. 1.

DE ANNIS REGNI EIVS.

2. Verùm hîc aduertere oportet, in Eusebij Chronicis dici, Iosiam regnasse triginta duobus annis; quod & haberi in LXX. Interpretibus, asserit Beda in libro de Sex ætatibus mundi. Sed reverà, in his qui nostris temporibus circumferuntur LXX. Interpretum codicibus, præsertim verò correctioribus, cuiusmodi sunt qui in Bibliis Regiis registrati habentur, & adhuc magis, qui Romæ anno salutis 1588. in lucem prodiere, nequaquam id reperitur: quin potiùs in omnibus his, duobus in locis, nimirum 4. Reg. cap. 22. & 2. Paralip. cap. 34. in principio legimus, Iosiam regnasse annis triginta & vno. Subdit Beda vbi suprà, Eusebium adiecisse de suo annum vnum, inter Iosiæ regnũ & Ioakim, propter menses bis ternos, quibus regnarunt Ioachaz post Iosiam, & Iechonias post Ioakim; & non determinat, num Eusebius benè fecerit nec ne. *Sed quid*, inquit, *veritas habeat, pandit Ieremias, qui se à decimotertio anno Iosiæ, vsque ad annum quartum Ioakim, per annos viginti tres prophetasse asserit; & Nabuchodonosor quarto anno Ioakim regnare cœpisse; decimonono autem regni eius anno, Ierosolymam fuisse destructam.* hæc Beda. Ex cuius verbis, nisi exactiùs res explicetur, adhuc remanere potest dubitatio, num adiiciendus sit annus vnus regno Iosiæ, sicuti fecit Eusebius, an non. Nam si Ieremiæ Prophetia cœpisset ab anno Iosiæ decimotertio exacto; vtique remanerent tantummodò anni viginti duo, vsque ad quartum Ioakim inclusiuè; & consequenter benè fuisset additus ab Eusebio annus vnus, ad implendam summam annorum viginti trium, ab ipso Ieremia notatam. At quoniam hæc summa proculdubiò accipienda est, ab anno Iosiæ decimotertio, vsque ad quartum Ioakim, vtrisque terminis supputatis, vt manifestè apparet Ierem. cap. 1. vers. 2. vbi disertè dicitur, factum fuisse verbum Domini ad ipsum, non exacto anno, sed in ipso anno decimotertio Iosiæ; & cap. 25. vers. 1. & 3. vbi pariter videmus ipsum quoque quartum Ioakim annum in eadem summa includi: proptereà concludendum est, Eusebium nullo modo debuisse addere annum illum trigesimũ secundum regno Iosiæ: siquidem tres illi menses regni Ioachaz, & alij tres regni Iechoniæ, in annis Iosiæ & Ioakim computandi sunt, vt ex infrà dicendis, videlicet sub anno mundi 3425. num. 5. & 3428. num. 2. & 3. & 3429. num. 5. planius fiet.

AB

AB ORBE CONDITO ANNVS 3401. QVINTÆ MVNDI ÆTAT. ANNVS 379.

1 Anno regni sui septimo circiter inchoante, qui erat vitæ eius decimusquintus, Iosias ex Zebida filia Phadaia de Ruma, vt traditur 4.Reg.cap.23.vers.36. genuit Eliacim, quem postea Rex Ægypti, mutato nomine, vocauit Ioakim, vt legimus 4.Reg.cap.23.vers.34. & 2.Paralip.cap.36.vers.4. Quòd autem hoc tempore natus sit Ioakim, inde liquidò colligi potest, quòd viginti quinque annorum erat quando regnare cœpit, mense post Iosiæ obitum quarto, vt infrà suo loco probabitur: quibus si addantur sex anni, quos iam in regno exegerat pater eius quando iste natus est, efficientur anni triginta & vnus, quos ab initio regni Iosiæ ad initium regni Ioakim fluxisse certum est, & infrà sub anno mundi 3425.num.3.probabitur. Sed hîc notandum est, quòd iste Ioakim, siue Eliacim, ille idem est, quem S.Matthæus cap.1.vers.11.vocat Iechoniam illis verbis: *Iosias autem genuit Iechoniam & fratres eius in transmigratione Babylonis*. Nam ille Iechonias de quo ibidem vers. sequenti idem S.Euangelista meminit, subiungens *Et post transmigrationem Babylonis, Iechonias genuit Salathiel*, non est idem cum priori Iechonia, vt crediderunt S.Ioan.Chrysostomus & Genebrardus; sed filius eius, vt apertè dicitur 4.Reg.cap.24.vers.6. & 2.Paralip.cap.36. vers.8. quibus in locis appellatur Ioachin; & 1.Paralip.cap.3.vers.16.& 17.vbi non secùs ac Matthæi c.1. vers.12.nuncupatur Iechonias. Et ita sentit etiam B.Hieronymus super Matthæi cap.1. quem ibidem sequuntur Lyranus & Abulensis, & alij. Porrò hæc opinio comprobari potest, Primò, quia prior Iechonias, qui & Ioakim, dicitur genitus in transmigratione, hoc est, ante transmigrationem Babylonis; siue (vt ait Iansenius) imminente iam Babylonica transmigratione; quinimmò etiam ante ipsam obiit: alter verò Iechonias, qui & Ioachin, post dictam transmigrationem genuit Salathielem. Deinde, quia primus Iechonias dicitur habuisse fratres, nimirum Ioachaz & Sedeciam filios Iosiæ, qui ambo fuerunt regia dignitate celebres, & propterea à S.Euangelista, & aliàs in sacra Scriptura sæpiùs memorati: posterior verò Iechonias vnum tantùm legitur habuisse fratrem nomine Sedeciam, qui nulla creditur fuisse dignitate clarus, eò quòd nusquam in Sacris paginis, nisi semel tantùm 1.Paralip.cap.3.vers.16.fuerit nominatus. Denique, si Iechonias filius Iosiæ fuisset pater Salathielis, non posset verum esse quod asserit S.Matthæus ibidem vers.17.vbi ait, quòd à Dauide ad transmigrationem Babylonis fuerunt generationes quattuordecim; & totidem à dicta transmigratione ad Christum: nam (vt ait S.Hieronymus vbi suprà) si voluerimus ponere Iechoniam in fine prioris tessaradecadis, in sequenti non inuenientur quattuordecim generationes, sed tantummodò tredecim: & econuersò, si ponamus Iechoniam in postremæ tessaradecadis initio, in præcedenti remanebunt solummodò tredecim. Igitur necesse est (vt diximus) primum Iechoniam in capite Matth.citato positum, esse diuersum à secundo; & primum quidem eumdem esse cum Ioakim filio Iosię, qui triplici nomine vocatus reperitur, nempe Eliacim, Ioakim, & Iechonias: alterum verò, qui etiam dictus est Ioachin, fuisse filium dicti Ioakim, & nepotem Iosiæ.

IOSIAS GENVIT ELIACIM, QVI ET IOAKIM.

AB ORBE CONDITO ANNVS 3402. QVINTÆ MVNDI ÆTAT. ANNVS 380.

1 Anno regni sui octauo, Iosias Rex Iuda cùm adhuc esset puer, hoc est pueritiæ fines vix egressus; vel meliùs, cùm adhuc esset adolescens (sumuntur enim in Scripturis sacris istæ ætatis humanæ distinctiones largè admodum, ita vt altera pro altera vsurpari sæpè soleat, quemadmodum nos sub annis mundi 3018. num.1. & 3309.num.2.ostendimus) cœpit quærere Deum patris sui Dauid, atque apertè declarare se veri Dei cultorem, ac contemptorem idolorum: 2.Paralip.cap.34.vers.3.

DECLARAT SE VERI DEI CVLTOREM.

AB ORBE CONDITO ANNVS 3403. QVINTÆ MVNDI ÆTAT. ANNVS 381.

1 Anno regni sui nono circiter inchoante, oportet Iosiam ex Amital filia Ieremiæ de Lobna, vt dicitur 4.Reg.cap.23.vers.31. genuisse alium filium, cui nomen imposuit Ioachaz: iste enim annos natus viginti tres successit patri in regnum, mense circiter

GENVIT ALIVM FILIVM NOMINE IOACHAZ.

circiter nono anni trigesimi primi regni eius, vt sub anno mundi 3425. num. 5. dicemus, & videre est in tabulis. Porro iste Ioachaz idem est cum eo, quem Auctor libri 3. Esdræ (qui tamen Canonicus non est) cap. 1. vers. 24. vocat Iechoniam, vt patet ex collatione eorum quæ ibi de isto Iosiæ filio dicuntur, cum his quæ de eodem narrantur 4. Reg. cap. 23. vers. 30. & 31. & 2. Paralip. cap. 36. vers. 1. & 2. Nisi quòd citatus textus libri 3. Esdræ perperàm vel corruptè discrepat à libris Canonicis in assignando anno vitæ huius filij Iosiæ, quando posteà regnare cœpit: dicit enim ipsum tunc fuisse annorum triginta trium; cùm dicere debuisset, viginti trium, vt nos sub anno mundi 3425. num. 4. euidentissimè probabimus. Fuit ergo iste filius Iosiæ binominis, nimirum dictus Ioachaz & Iechonias, vel fortè etiam trinominis, si appellatus quoque fuit Sellum, vt nos sub proximè citato mundi anno numeroque dicemus.

AB ORBE CONDITO ANNVS 3406. — QVINTÆ MVNDI ÆTAT. ANNVS 384.

IOSEPHI LAPSVS.

1 ANNO duodecimo ex quo Iosias regnare cœperat, vt conceptis verbis traditur 2. Paralip. cap. 34. vers. 3. (vnde proditur error Iosephi, qui 10. Antiq. ferè in principio cap. 5. prædictum annum facit duodecimum non regni, sed ætatis Iosiæ:) ipse Iosias cœpit subuertere & auferre atque ad nihilum redigere omnia ad cultum idolorum pertinentia, quæ reperire potuit; primò in Ierusalem, deinde in omni Iuda, demum in vniuerso Israele, vt breuiter tangitur loco Paralipomenon citato vsque ad vers. 8. & aliquantò latiùs 4. Reg. cap. 23. vers. 5. vsque ad 21. Porrò in Ierusalem (vt à nobiliori vrbis parte, hoc est à Templo exordiamur) præcepit Helciæ Pontifici, & Sacerdotibus, & ianitoribus, vt proiicerent de Templo Domini omnia vasa, quæ facta fuerant in ministerium sacrificiorum Baal, & eorum quæ fiebant in luco, & militiæ cæli; combustisque omnibus in conualle Cedron, iussit asportari puluerem ipsorum in Bethel: cap. Reg. citato vers. 4. Erat autem Bethel, locus immundus & contaminatus, ob vitulum aureum quem ibi olim posuerat Ieroboam filius Nabat, & in eo peccare fecerat Israel, & omnes Reges successores suos. De Templo item auferri iussit lucum, & simulacra, & effeminatorum ædiculas, de quibus sub anno mundi 3338. num. 1. diximus. Hæc, & si quæ erant eiusmodi alia, in conualle Cedron asportata, cuncta combussit, atque in cinerem redacta proiecit super sepulchra vulgi, vt dicitur cap. Reg. adducto vers. 6. id est, vt placet Caietano, super sepulchra vulgarium hominum immundorum, qui sese idolis consecrauerant; seu (quod idem est; & sic cap. Paralip. proximè allegato vers. 4. exponitur) super tumulos eorum qui illis immolare consueuerãt. Abstulit etiam equos, & quadrigas combussit, quas Reges Iuda, nimirum idololatræ, puta Ioram, Ochozias, Athalia, Ioas, Achaz, Manasses, & Amon, & si qui fuerant eiusmodi alij, dedicauerant Soli in introitu Templi Domini: 4. Reg. cap. 23. vers. 11. Altaria quoque quæ fecerat Manasses in duobus Atrijs Templi Domini, destruxit; eorumque cinerem dispergi fecit in torrentem Cedron: cap. Reg. citato vers. 11. & 12. Nam licet eadem altaria ab ipso Manasse post eius conuersionem & pœnitentiam ablata fuissent, & extra vrbem proiecta, vt apertè dicitur 2. Paralip. cap. 34. vers. 15. oportet tamen necessariò supponere, quòd illamet altaria postmodum ab impio Amone, ex iisdem lapidibus iterùm in vrbem reportatis, in eodem Templi loco reædificata ac reposita fuerint; ac propterea deinceps primi eorum Auctoris nomen retinuerint. In alijs item vrbis partibus, aras quotquot inuenit demolitus est; nimirum quæ erant super tecta cœnaculi Achaz: ibidem vers. 12. & quæ ad portas ciuitatis extructæ fuerant, quas vocabant Aras portarũ. & præcipuè illas (quæ speciatim memorantur, quòd fortè aliis essent insigniores) nimirum existentes in ostio domus vnius de Principibus ciuitatis nomine Iosue, quæ domus ad læuam vnius portæ vrbis posita erat: ibidem vers. 8. Nemo autem miretur, tot tantisque in locis Iosiæ temporibus extitisse idolorum altaria in Ierusalem: quandoquidem plures Reges eius, vt dictum est, fuerant idololatræ, & multa huiusmodi ad cultum idolorum pertinentia ibidem erexerant: & specialiter de Achaz legimus 2. Paralip. cap. 28. vers. 24. quòd fecerat sibi altaria in vniuersis angulis Ierusalem. Et licet multi boni Reges, puta Asa, Iosaphat, & Ezechias, multa ad idololatriam pertinentia destruxissent, non tamen omnia abstulerant. quin etiam posteà Manasses multò plura extruxerat; quæ quamuis ad pœnitentiam conuersus mox demoliri curauerit, attamen ab impio Amone denuò reædificata multiplicataque fuisse credendum est.

IOSIAS COEPIT AVFERRE CVLTVM IDOLORVM.

A TEMPLO.

AB ALIIS VRBIS PARTIBVS.

2. S. Hieronymus in quodam Prologo in Sophoniã, qui habetur in Glossa ordinaria, dicit

dicit Iosiam inter alia idolorum simulacra, etiam comminuisse serpentem æneum, eò quòd à Iudæis superstitiosè admodum coleretur. Et idem tradit Auctor Historiæ Scholasticæ libri 4. Reg. c. 36. Sed si ille Prologus verè S. Hieronymi est (qui tamen inter eius opera non inuenitur) nescio vnde id S. Doctor desumpserit: siquidem certum est ex 4. Reg. c. 18. vers. 4. dictum serpentem ab Ezechia, non à Iosia, fuisse liquatū, & in massam quamdam æream informem redactū. Brito in expositione dicti Prologi duo dicit: Primò, hanc historiam ex Iosepho fuisse haustam, qui errauit tribuens Iosiæ, quod Ezechiæ tribuendum erat. Sed nos nusquā hoc apud Iosephum inuenire potuimus. Deinde subdit, fieri posse, quòd Iosias partem dumtaxat dicti serpentis ab Ezechia relictā aboleri curauerit. Sed non videtur probabile, quòd Ezechias vllā illius serpentis partem integram reliquerit, præsertim cùm loco Reg. proximè citato legamus, Ezechiā vocasse dictum serpentē, Nohestan; quæ vox interpretatur, Massa ænea. Ex quo planè indicatur, dictum serpentem totum ab ipso Ezechia fuisse confractum & conflatum, atque (vt dixi) in massam quamdam æneam redactum. Relinquitur ergo, hanc historiā de serpente æneo à Iosia comminuto esse valdè dubiam atque incertam, & non facilè recipiendam.

3. Mundata ciuitate, suburbana quoque eius mundare aggressus Iosias Rex, contaminauit Topheth: 4. Reg. cap. 23. vers. 10. Erat autem Topheth insignis quidam lucus in valle filij Ennom, in quo luco, contra expressum Domini præceptum quod habetur Leuit. cap. 18. vers. 21. & cap. 20. vers. 2. vsque ad 6. per ignem consecrari solebant pueri idolo Moloch, cuius alibi in Scripturis sacris fit mentio, tamquam super omnia idola execrabilis & abominandi. Porrò prædicta vallis, quæ alio nomine dicebatur Gehennom siue Behennom, id est vallis Ennom (vt colligitur Iosue cap. 15. vers. 8. & cap. 18. vers. 16. & ex S. Hieronymo super Ierem. cap. 7.) sita erat in suburbiis Ierusalem, videlicet in extrema ac propinquiori parte vallis Raphidim, sub mōte Offensionis. Hęc Siloe fontibus irrigabatur, & nemoribus consita, amœnissimum ingredientibus præbebat aspectum. Itaque ibi (vt perditorum hominum mos est diuinis semper abuti beneficiis) colebatur abominandum idolum Moloch, cuius ara septem conclauia habuisse dicitur; quorum primum aperiebatur offerentibus similā; alterum, turtures; tertium, ouem; quartum, arietem; quintum, vitulum; sextum, bouem; septimum, filium. Porrò idoli huius imago, statua quædam erat ænea intus caua, figuram Regis in throno sedentis referens; nisi quòd caput habebat vituli, & brachia protendebat ad suscipiendos atque in sinu continendos pueros, qui sibi offerebantur. Erat autem ritus immolandi huic idolo puerulos talis: Ignem in simulacri concauitate supponentes accendebant, & vbi æs vrendi vim iam benè contraxisset, tum impiissimi parentes incredibili crudelitate proprios filios aut filias, charissima pignora, detestandis hisce idoli complexibus concremanda tradebant, & holocaustum fœdissimi odoris dæmonio Moloch diabolica superstitione offerebant, sperantes propterea magnas ab eo consequi prosperitates: at verò sacerdotes Moloch, quamdiu sacrificium perdurabat, (specie quidem, vt sic gratius idolo esset holocaustum, reverà autem, ne inter horrenda illa innocentium tormenta, miserabilis puerorum clamor exaudiri, ac parentum viscera commouere posset) rauco quodam tubarum clangore ac tympanorum strepitu iugiter personabant: vnde locus ille dictus est Hebraicè Topheth; quæ vox tametsi seductionem, & dilatationem, tympanum quoque significasse perhibetur. Sanè ab immanissimis hisce cruciatibus, quos in dicta valle Gehennom paruuli patiebantur, Saluator noster Infernum in Euangelio appellare voluit Gehennam; vt teste S. Hieronymo vbi suprà, & alibi non semel, tradunt Hebræi. De prædicto idolo, atque insano eiusdem cultu, scripsere Rabbi Salomon, & alij Hebræorum Rabbini, quemadmodum refert Lyranus super 4. Reg. cap. 16. & Abulensis super eiusdem libri cap. 23. De eodem quoque agit Isidorus Clarius Oratione 33. in Matthæum: & nouissimè Christianus Adrichomius Delphus, in suo Terræ sanctæ Theatro, vbi agit de vrbe Ierosolyma, num. 186. Verùm hîc, ex his quæ dicta sunt contemplari licet, quæ & qualia sæuissimus humani generis hostis sacrificia ad se colendum, vel potiùs ad diuinam bonitatem grauiùs offendendam, ab antiquissimis vsque temporibus instituerit: nam de his quæ eodem diabolo auctore, paucis etiam ab hinc annis in Americæ regionibus apud barbaras quasdam nationes, omni humanitatis ac pietatis sensu penitus exuto, fieri consueuerant; si quis videat quæ scribit Iosephus Acosta lib. 5. Historiarum naturalium & moralium Indicarum, à capite præsertim 18. ad 23. profectò non poterit inauditas diabolicæ crudelitatis adinuentiones non vehementer admodum demirari, vel potiùs perhorrescere, immortalesque gratiarum actiones incessanter Deo reddere, qui nos per Vnigeniti sui passionem, de tam fera immanique

A SVBVRBANIS.

DE GEHENNOM.

DE CVLTV MOLOCH.

niqueque tyrannide, singulari sua miseratione liberauit. Igitur, vt ad rem redeamus, Iosias idolo Moloch, quod etiam paulò infrà Melchom appellatur, & omnibus quæ ad cultum eius pertinebant, omnino deletis, polluit etiam & contaminauit excelsa, quę ad dexteram pręfati montis Offensionis olim ædificauerat Salomon in gratiã vxorum suarum, Astaroth idolo Sidoniorum, & Chamos idolo Moabitarũ, & Melchom idolo filiorum Ammon; contriuitque statuas, & succidit lucos, repleuitque loca illorum ossibus mortuorum, ne deinceps quis hæsitare posset, quin essent immundissima.

ALIAS ITEM IVDAE VRBES REX AB IDOLOLATRIA PVRGAT.

4. Sed neque solùm in Ierusalem atque in suburbanis eius, vt dictum est, idololatriam abolere conatus est Iosias Rex; verumetiam per cunctas ciuitates Iudæ in circuitu Ierusalem deleuit Aruspices, quos introduxerant præfati Reges Iuda, vt sacrificarent in excelsis; & eos item qui adolebant incensum Baal, & Soli, & Lunæ, & duodecim Zodiaci signis, ceterisque astrorum figuris, siue (vt in Sacro textu dicitur) omni militiæ cæli; 4. Reg. cap. 23. vers. 5. & præterea contaminauit excelsa, vbi sacrificabant Sacerdotes, à Gabaa Beniamin vsque Bersabee; ibidem vers. 8. hoc est, ab Aquilonari ad Australem regni sui terminum. Et congregatis cunctis Sacerdotibus Domini, qui extra Templum Ierosolymitanum immolabant Domino in excelsis, interdixit eis ascensum ad altare Domini in Ierusalem: & nihilominùs, vt & ipsi possent viuere, concessit eis facultatem vescendi azymis; ibidem vers. 9. & his quæ in Domo Domini pro alendis Sacerdotibus offerebantur; similes illos faciens his qui nascebantur de semine Aaron cum aliqua corporali macula, puta qui cæci, claudi, gibbi erant, &c. quibus Leuit. cap. 21. vers. 16. vsque ad finem capitis interdicebantur quidem ministeria in Domo Domini, verumtamen participatione iurium Sacerdotalium non erant priuati. Sed & Pythones, & ariolos, & idolorum figuras, & immunditias, & abominationes, quæ fuerant in terra Iudà & Ierusalem, abstulit Iosias, quemadmodum etiam cap. Reg. citato vers. 24. quodammodò obiter refertur.

IDEM FACIT IN RELIQVO ISRAELE.

5. Tantus verò fuit zelus ardorque Iosiæ in idololatria penitus exterminanda, vt non ei sufficeret, illam de regno suo propellere, nisi etiam eamdem de reliquo Israele, id est de Israelitarum reliquiis, quæ post captiuitatem in Assyrios abductam remanserant, disperdere ac delere quantum posset conaretur. Sciebat enim, eam esse diabolicæ huius contagionis conditionem, vt si non à finitimis quoque regionibus procul admodum abigatur, populos, propter mutua commercia, ab infectionis periculo liberos non relinquat: propterea Iosias operæpretiũ duxit, per vrbes Manasse, & Ephraim, & Simeon, vsque ad Nephthalim, ipsemet discurrere, cunctaque idolorum altaria, lucos, sculptilia, delubra, subuertere, dissipare, conterere; quod & reipsa præstitit: Præcipuè verò in Bethel destruxit excelsum illud famosum cum suo pariter luco atque altari, quod olim fecerat impius Ieroboam, primus Israëlis Rex, quando peccare fecit Israel diuertens eum ab ascensu ad Templum Domini, & inducens illum colere vitulos aureos. Huius altaris destructionem, iam annis propè trecentis quinquaginta antequam hæc agerentur, prædixerat vnus de Prophetis Domini, quemadmodum sub anno mundi 3060. num. 4. & 3387. num. 1. dictum est. Cùm igitur vidisset Iosias Rex quædam sepulchra ibidem in monte existentia, & inter alia vnum, ex cuius titulo cognouit esse illius Prophetæ qui hæc olim prænuntiauerat, iussit illud intactum relinqui; cetera verò, quæ fuerant sacerdotum altaris Bethel, præcepit aperiri, & ossa eorum super altare comburi, ad vnguem prout olim præfatus Propheta prædixerat. Inde profectus Rex ad alias Samariæ ciuitates, omnia excelsorum fana, quæ in eis fecerant Reges Israel irritantes Dominum, abstulit, occisis cunctis sacerdotibus quos reperit in eis; & combussit similiter ossa eorum super altaria, quemadmodum fecerat in Bethel: Quibus sex annorum interuallo peractis, nempe à duodecimo regni sui anno vsque ad finem ferè decimiseptimi, sanctus Rex rediit in Ierusalem: 4. Reg. cap. 23. vers. 4. vsque ad 21. & 2. Paralip. cap. 34. vers. 3. vsque ad 8. Intereà

AB ORBE CONDITO ANNVS 3407. — QVINTÆ MVNDI ÆTAT. ANNVS 385.

INCIPIT PROPHETARE IEREMIAS.

1 ANNO regni Iosiæ decimotertio prophetare cœpit Ieremias, vt patet tum ex initio Prophetiæ eius, tum ex cap. eiusdem 25. vers. 3. Prophetauit autem contra Iudam & Beniamin tantummodò, quoniam reliquæ decem tribus in Assyrios iam abductæ fuerant captiuæ; & propterea tota ferè Prophetia Ieremiæ videtur imprimis tendere ad prænuntiandam duabus tribubus Babylonicam captiuitatem. Quam-

Quamuis interdum etiam contra alias Gentes, tum Iudæis finitimas; puta aduersus Idumæos, Palæstinos, (quos LXX. Interpretes vocant Allophylos) Moabitas, Ammonitas, Aegyptios, Tyrios, Sidonios, Damascenos, & si qui erant eiusmodi alios; tum etiam contra valdè remotas, hoc est Assyrios & Babylonios, vaticinetur: & aliquando item, more aliorum Prophetarum, vt sub anno mundi 3238. num. 3. diximus, de futura Christi passione, de Gentium vocatione ad fidem, & de aliis ad Legem Euangelicam pertinentibus multa prænuntiet, vt librum eius accuratè perlegentibus innotescere poterit: in cuius fine etiam ciuitatis suæ Ierusalem ruinas quadruplici planxit alphabeto, vt B. Hieronymus scribit in Prologo. Sanè Iosephus 10. Antiq. cap. 6. addit, Ieremiam epicedium quoque scripsisse Iosiæ, lugubri carmine, quod, inquit, nunc quoque extat; & insuper non solùm instantem vrbi captiuitatem Babylonicam, sed etiam nostri temporis clades ab ipso prædictas litteris mandauit. sic Iosephus.

2. Per idem tempus creditur prophetare cœpisse etiam Sophonias, qui inter Duodecim Prophetas minores nonus annumeratur. Quòd enim Iosia regnante prophetauerit, ex initio Prophetiæ eius manifestum est. Quòd autem ante decimumoctauum regni Iosiæ annum, in quo iam expurgata ab idolis terra, ipse Rex populusque (vt sub anno mundi 3412. num. 4. dicemus) inierunt fœdus cum Domino, prophetare cœperit Sophonias, colligi potest ex cap. eius 3. vers. 4. vbi specialiter inuehitur contra Sacerdotes, quòd idololatriis Templum polluebant: id enim post prædictum fœdus non videtur potuisse contingere, vel saltem à Rege tam sancto tolerari. Porrò Prophetia Sophoniæ ipsa quoque principaliter ad duas tantùm tribus dirigitur, quibus captiuitatem valdè amaram imminere prænuntiat; proindeque eosdem ad pœnitentiam adhortatur; & tamen ipse quoque, licet quodammodò obiter, quarumdam etiam nationum, puta Palæstinorum, Moabitarum, Ammonitarum, Æthiopum, Assyriorum seu Niniuitarum, quæ semper Iudæis infensæ fuerant, excidium prænuntiat: &, vt ceteri solent Prophetæ, aliqua item vaticinatur de conuersione Gentium, & de ruina idololatriæ. Prædicit quoque Christi resurrectionem, & aliquid de mox futura Ecclesiæ felicitate, ac Iudæorum, tum Christi temporibus, tum etiam in fine mundi, conuersione commemorat. SOPHONIAE VATICINIA INCIPIVNT.

3. Per hæc eadem tempora vaticinabatur in Ierusalem etiam Holda prophetissa. Neque solùm mulier ista prophetabat, sed in tanta erat sanctitatis opinione, vt ad ipsam consulendam miserit Rex Helciam summum Pontificem, & propriũ Scribam, aliosque optimates ciuitatis, vt patet 4. Reg. cap. 22. v. 14. vsque ad finem capitis. DE HOLDA PROPHETISSA.

4. Sub finem eiusdem anni regni Iosiæ Regis Iudæ decimitertij, mortuum esse Ben-Merodach Regem Babylonis, cùm regnasset annis viginti quattuor, inferri potest ex his quæ sub anno mundi 3384. num. 1. & 2. dicta sunt. BEN-MERODACH MORITVR.

AB ORBE CONDITO ANNVS 3408. — QVINTÆ MVNDI ÆTAT. ANNVS 386.

1 ANNO proximo circiter ineunte, qui erat regni Iosiæ decimusquartus, regnauit in Babylonia Nabolassar ille, cuius meminit Iosephus lib. 1. Contra Apionem circa medium, & lib. 10. Antiq. non longè à fine capitis 11. ex Beroso: quibus in locis aliquando eum appellat Nabolassar, aliquando Nabuchodonosor seniorem, videlicet patrem alterius Nabuchodonosor iunioris, qui postmodum, Ierosolyma subuersa, Temploque Salomonis incenso, Iudæos duxit captiuos in Babylonem. REGNAT NABOLASSAR, QVI ET NABVCHODONOSOR, SENIOR IN BABYLONE.

2 Aduertendum verò hîc est, hos duos Reges Chaldæorum, patrem scilicet & filium, eodem nomine vocatos Nabuchodonosor, non esse illos quos ponit Petrus Comestor in sua Historia Scholastica Danielis cap. 5. & propterea Pererius super cap. 5. Danielis dicens, tam Sacram quàm Profanam historiam vnum dumtaxat Nabuchodonosor Regem Chaldæorum agnoscere & commemorare, non censendus est contradicere positioni nostræ paulò antè ex Iosepho ac Beroso probatæ: quoniam ibi Pererius non absolutè loquitur, sed ad hominem. Nam redarguens opinionem præfati Comestoris, qui putabat quòd ille Nabuchodonosor Magnus, qui Iudæos in Babylonicam duxit captiuitatem, habuerit filium eiusdem nominis; & quòd eiusdem filij fuerint præclara illa gesta, quę antiquissimi Scriptores, Berosus, Megasthenes, Diocles, & alij celebrarunt; dicit non esse verum, quòd prædictus Nabuchodonosor Magnus genuerit alium Nabuchodonosor: quandoquidem, quæ olim à præfatis Auctori- DE DVOBVS NABVCHODONOSOR.

bus de Nabuchodonosor scripta sunt, soli Nabuchodonosor Magno competunt; non autem alicui alij: vnde, quantum ad hoc, verissimum est, quòd Sacra & Profana historia vnius tantùm Nabuchodonosor, non autem duorum mentionem facit. Sed vt redeamus ad nostrum Nabolassar, Iosephus Scaliger lib. 5. de Emendatione temporum in capite cui titulus est: Initium Nabopollassari Regis Chaldæorum. putat esse illum quem Ptolemæus lib. 5. Almagesti cap. 14. appellat Nabopollassar. Sed fallitur Scaliger; quandoquidem Nabopollassar Ptolemæi, est ille Rex Chaldæorum quem Scriptura sacra vocat Nabuchodonosor, cuius annus regni quintus concurrit ex parte cum anno centesimo vigesimo septimo Æræ, quæ ducitur ab initio regni Nabonassar, vt ibidem testatur Ptolemæus, & concordat cum nostris tabulis; & nos hoc idem sub anno mundi 3429. num. 2. euidentissimè demonstrabimus.

NABOLASSAR QVOMODO DIFFERAT A NABOPOLLASSAR.

3. Ceterùm, Nabolassar de quo nunc agimus, quot annis regnauerit, dubitari potest; quoniam Iosephus 10. Antiq. cap. 11. prope finem dicit, ipsum regnasse annos viginti & vnum: at contra Appionem, annos vndetriginta; & vtrobique citat verba Berosi. Quare ad vtrumque dictum conciliandum, cogimur dicere, ipsum Nabolassar regnasse octo annis cum patre, & viginti vno sine patre.

QVOT ANNIS REGNAVERIT.

4. Eodem anno regni Iosiæ decimoquarto obiisse Tobiam iuniorem, inferri potest ex collatione eorum quæ in calce libri eius legimus; nimirum, quòd ipse vidit posterorum suorum quartam generationem, & compleuit in timore Dei annos vitæ suæ nonaginta nouem, cum his quæ nos sub anno mundi 3314. num. 2. diximus de eius ætate quando translatus est in Assyrios: ex his enim facile erit in tabulis dignoscere, annum vitæ eius postremum hoc circiter anno fuisse completum.

OBITVS TOBIAE IVNIORIS.

AB ORBE CONDITO ANNVS 3411. | QVINTÆ MVNDI ÆTAT. ANNVS 389.

ORTVS EZECHIELIS.

1. ANNO regni Iosiæ Regis Iuda decimoseptimo circiter inchoante natum esse Ezechielem, qui posteà egregius Propheta fuit, & inter Quattuor maiores tertio loco numeratur, inde colligi potest, quòd anno quinto transmigrationis Ioachin Iechoniæ, ipse Ezechiel agebat annum ætatis trigesimum (vt apparet ex initio Prophetiæ eius, & asserunt B. Hieronymus in Prologo super Ezechielem, & B. Gregorius super cap 1. eiusdem Prophetiæ, & nos sub anno mundi 3440. num. 2. aduersus Hieronymi Pradi positionem probabimus:) totidem autem annos inueniri ab hoc regni Iosiæ anno decimoseptimo, ad quintum transmigrationis Iechoniæ, in tabulis apertè videri potest. Nec obstant Paraphrasis Chaldaica, quam sequitur Hector Pintus, quæ expressè supputat hos triginta annos ab inuento libro Legis per Helciam Pontificem, anno regni Iosiæ decimooctauo, vt legimus 4. Reg. cap. 22. vers. 8. & 2. Paralip. cap. 34. vers. 15. & Glossa ordinaria ex B. Hieronymi Commentariis desumpta, quæ super Ezechielis cap. 1. dicit, illum trigesimum annum, cuius ibi fit mentio, non esse numerandum à natiuitate Ezechielis, sed à prædicti Legis libri inuentione. Non, inquam, hæc obstant; quoniam (quidquid Sacro textui præfata Paraphrasis de suo addiderit) proculdubiò multò probabilius est, Prophetam ibi notare voluisse ætatis suæ annum, in quo spiritum Prophetiæ accepit, quàm annum ab inuentione dicti libri, qui nihil ad rem faciebat. Et præterea, si exactiùs quis computet ab anno regni Iosiæ decimooctauo, ad quintum memoratæ transmigrationis, inueniet, etiam vtrisque terminis supputatis, annos dumtaxat viginti nouem, vt patet in tabulis. Et dato, quòd aliquomodò possent inueniri triginta, saltem inchoati: cùm neque ex sacra Scriptura, aut alio probato Auctore habeamus, Ezechielem natum esse ante vel post inuentionem dicti libri; nihil prohibet vtramque opinionem posse simul esse veram, nempe annum quintum dictæ transmigrationis fuisse trigesimum vitæ Ezechielis, & pariter etiam aliquomodo ab illius libri inuentione. Quod si ita est, necesse erit exponere dictam Glossam, prout eam exponunt Lyranus, Hugo Cardinalis, & Dionysius, adiecta nimirum hac particula *tantummodò*; vt sit sensus Glossæ & B. Hieronymi, illos triginta annos non esse numerandos tantummodò ab ortu Ezechielis, sed etiam ab inuento Legis libro aliquatenus posse dinumerari: alioqui oporteret fateri, B. Hieronymum (quod absit de tanto Doctore suspicari) inter se pugnantia super eadem Prophetia scripsisse.

AB

AB ORBE CONDITO ANNVS 3412. QVINTÆ MVNDI ÆTAT. ANNVS 390.

1 ANNO regni sui decimooctauo, Iosias mundata ab idolorum sordibus terra, cœpit instaurare cultum Domini. Congregatis namque Sacerdotibus & Leuitis, hortatus est eos vt bono animo resumerent officium suum ministrandi in Domo Domini, quod propter nonnullorum Regum impietatem, qui Templum multis idolorum cultibus profanauerant, sæpiùs intermittere ac deserere coacti fuerant: præcepitque eis vt reportarent Arcam fœderis Domini in Sanctuarium Templi, & non ampliùs aliò illam transferrent. Ex quo infert Caietanus, cetera quidem quæ manere solebant in anteriori parte Templi, nimirum Candelabra, Mensas, Altare incensi, & si quæ erant eiusmodi alia, ab idololatris Regibus non semel fuisse profanata: Arcam verò, quæ erat omnium sanctissima, neminem illorum profanare ausum esse; quòd quantumuis impij, memores tamen essent terribilium vltionum, quas olim exercuerat Dominus contra Philisthæos, Bethsamitas, & Ozam, qui erga illam minùs reuerenter se gesserant: & propterea, quandocumque in animum inducebant Templum polluere, libenter permisisse illam educi de Templo, & alicubi asseruari. Quando autē de Templo educta fuerit, & quoties, & vbi interim manserit, scire non possumus; nusquam enim id scriptum reperimus. Licet tamen cum præfato Auctore satis probabiliter coniectari, eamdem non semel neque modico tempore extra Templum mansisse, neque vno dumtaxat in loco; sed huc atque illuc per manus Sacerdotum ac Leuitarum, prout eis opportunius videbatur, fuisse translatam. Quamquam neque item absurdum videri possit arbitrari, præter Arcam, etiam Altare incensi, & Candelabrum, & Mensam, insciis Regibus idololatris, aliquando à bonis & sancto zelo plenis Sacerdotibus fuisse occultata, ne ab illis polluerentur; & posteà piorum Regum temporibus fuisse propriis locis restituta, tametsi Scriptura sacra hoc subticuerit; supponens, quod de Arca fieri solebat, id multò magis de aliis rebus minùs sacris fieri potuisse. Nam si hæc semper ab idololatris Regibus polluta fuissent, vt supponere videtur Caietanus, vtique oporteret eadem posteà à religiosis Regibus, nempe ab Ezechia, Manasse post eius conuersionem, & à Iosia, de nouo fuisse fabricata; quod tamen nullibi factum legimus.

IOSIAS INSTAVRAT CVLTVM DOMINI.

ARCA FOEDERIS CVR ALIQVOTIES EX SANCTVARIO EDVCTA.

2. Mandauit quoque Iosias Rex Sacerdotibus atque Leuitis, vt deinceps ministeria sua in Domo Domini per turmas familiasque suas, iuxta diuisiones ac distributiones olim à Dauide factas, exercerēt. & præterea, vt sanctificarent se, præpararentque fratres suos ad ea peragenda, quæ in sollemnitate Paschali, quam paulò pòst celebrare intendebat omnino ad formam in Lege præscriptam, opus essent. Ex quo intelligimus, hæc circa Anni sacri initia acta esse. Itaque pro hac festiuitate ritu sollemnissimo celebranda, ipse Rex de propriis gregibus dedit pecorum triginta millia, boum verò tria millia, vt hostias pro populo in eadem celebritate offerrent. Ad cuius exemplum, Duces ac Primates Regis etiam ipsi sponte quod vouerant obtulerunt, tam populo, quàm Sacerdotibus & Leuitis. Principes quoque Sacerdotum dederunt reliquis Sacerdotibus pecora diuersi generis duo millia sexcenta, & similiter Principes Leuitarum ceteris Leuitis dederunt pecora quinque millia, & boues quingentos: celebratumque est Phase sollemnissimum die quartodecimo mensis primi huius anni, & successiuè sollemnitas Azymorum septem diebus, cum tali ac tanto populorum concursu ac deuotione, cum tot tantisque hostiarum oblationibus, & sedula Sacerdotum ac Leuitarum in cunctis officiis suis administratione, vt à diebus Samuelis ad hæc vsque tempora, numquam tale factum sit Phase in Israel: 2. Paralip. cap. 35. vers. 1. vsque ad 20. & 4. Reg. cap. 23. vers. 21. vsque ad 24.

MANDAT REX SACERDOTIBVS ET LEVITIS, VT MVNIA SVA PER VICES EXERCEANT

PASCHA SOLLEMNITER ADMODVM CELEBRATVR.

ET CONSEQVENTER SOLLEMNITAS AZYMORVM.

3. Eodem anno regni Iosiæ decimooctauo, mense (vt signanter loco Reg. citato addit textus LXX. Interpretum) octauo, (ex quo perspicuè infertur, hæc quæ sequuntur facta fuisse post septem menses à memorato Phase:) delegit Rex viros qui curam susciperent instaurandi Domum Domini; venientesque ad Helciam Principem Sacerdotum, acciperent ab eo pecuniam quæ data fuerat in Templo, in præcedenti præsertim, vt arbitror, sollemnitate Paschali, quemadmodum tunc moris erat; & item quam Leuitæ, pro officij sui munere, de omni regno Iudæ, ac de vniuersis reliquiis Israel ad hoc speciatim collegerant. Itaque prædicti à Rege delecti, acceptam ab Helcia pecuniam tradiderunt operariorum Præfectis, qui eamdem distribuerent artificibus, puta cæmentariis, lapicidis, tignariis, & huiusmodi aliis; tum pro operum suorum mercede; tum et-

ELIGVNTVR VIRI QVI CVRENT INSTAVRARI DOMVM DOMINI.

iam vt omnia quæ Templo reficiendo opus essent, comparare conducereque possent. Qui fideliter cuncta præstiterunt: 4. Reg. cap. 22. vers. 3. vsque ad 8. & 2. Paralip. cap. 34. vers. 8. vsque ad 14.

INVENTO LIBRO LEGIS REX VERITVS MALEDICTA TRANSGREDIENTIBVS INTENTATA, CONSVLIT DOMINVM.

4. Contigit autem vt Helcias summus Sacerdos, in depromenda de Domo Domini pecunia, ibidem repererit librum Legis, qui dicitur Deuteronomiũ Moysi; quem cùm dedisset Saphan Scribæ, illeque eum detulisset legissetque coram Rege: audiens Rex horrenda illa, quæ ibidem cap. 28. Legem non obseruantibus maledicta intentantur, certoque superuentura prænuntiantur, scidit vestimenta sua, probè intelligens quòd illa, propter innumerabiles præcedentium Regum populique transgressiones, iusto Dei iudicio iam imminerent. Propterea confestim misit Helciam Pontificem & quosdam de seruis suis, vt per aliquem Videntem consulerent Dominum. Qui (quoniam tunc Ieremiæ Sophoniæque sanctitas nondum satis cognita perspectaque erat) venientes ad Holdam Prophetissam, quæ tunc magni nominis erat in Ierusalem, eiusmodi ab ea responsum acceperunt: Iustè Dominum Iudæis esse vehementer indignatum, & sine vlla dubitatione missurum mala super Iudam & Ierusalem, quæ in libro Legis audierant: verumtamen non in diebus Iosiæ, propter ipsius humiliationem ac pœnitentiam. Hæc cùm perlata essent ad Regem, ille congregatis de regno suo cunctis senioribus, ascendit in Templum cum Sacerdotibus & Leuitis, vniuersoque populo Ierosolymitano; & ibidem lecto cunctis audientibus volumine Legis, percussit fœdus coram Domino, adiurauitque qui aderant vniuersos, vt facerent omnia quæ scripta sunt in libro Legis Domini, in toto corde suo, & acquieuit populus pacto, vt latè describitur 4. Reg. cap. 22. vers. 8. vsque ad finem capitis, & capite sequenti vers. 1. vsque ad 4. & 2. Paralip. cap. 34. vers. 14. vsque ad finem. Hæc & huiusmodi faciebat sanctus Rex Iosias: qui licet totis viribus reuersus sit ad Dominum Legisque diuinæ obseruantiam, ita vt post ipsum non surrexerit similis illi in Israel; nihilominùs tantæ erant prædecessorum eius impietates, & præcipuè Manassæ antequam conuerteretur, adeoque irritauerant Dominum, populumque corruperant; vt propterea non sit auersus furor Domini à Iuda & Ierusalem, sed iuxta Holdæ aliorumque Prophetarum vaticinia, indubitanter decreuerit transferre Iudæos, sicut transtulerat Israelitas de terra sua; & ipsam quoque Ierusalem Templumque subuertere, vt protestantur quæ scripta sunt 4. Regum cap. 23. versic. 25. vsque ad 28.

HOLDAE PROPHETISSAE VATICINIVM.

IOSIAS CVM POPVLO PERCVTIT FOEDVS CORAM DOMINO.

AB ORBE CONDITO ANNVS 3415. — QVINTÆ MVNDI ÆTAT. ANNVS 393.

GENVIT MATTHANIAM, QVI POSTEA DICTVS EST SEDECIAS.

1 ANNO regni sui vigesimo primo, Iosias ex vxore sua Amital filia Iermiæ de Lobna, vt habetur 4. Reg. cap. 24. vers. 18. genuit Matthaniam, quem posteà Nabuchodonosor appellauit Sedeciam, quando constituit eum Regem pro Iechonia nepote eius; erat quippe tunc vnum & viginti annos natus Sedecias, vt infrà suo loco probabitur: quos ab hoc anno supputandos esse, manifestè dignosci potest in tabulis. Fuerunt igitur Ioachaz & Sedecias fratres, non solùm eodem patre geniti, sed etiam vterini, vt ex his quæ sub anno mundi 3403. num. 1. diximus, manifestè apparet.

AB ORBE CONDITO ANNVS 3418. — QVINTÆ MVNDI ÆTAT. ANNVS 396.

IOAKIM GENVIT IECHONIAM.

1 ANNO regni Iosiæ vigesimo quarto, Eliacim, qui & Ioakim, filius Iosiæ, ex Nohesta filia Elnathan de Ierusalem, vt dicitur 4. Reg. cap. 24. vers. 8. genuit Ioachin, qui etiam in sacris Scripturis dicitur Iechonias; nimirum 1. Paralip. cap. 3. vers. 16. & 17. & Matth. cap. 1. vers. 12. Quamobrem nos quoque deinceps, ad æquiuocationem deuitandam, eumdem, Iechoniam, vel Ioachin Iechoniam, nominabimus. Decem & octo annos ætatis habebat Iechonias, quando translato patre suo à Nabuchodonosor in Babylonem, ipse ab eodem Rege Babylonis constitutus est Rex in Ierusalem, vt inferiùs suo loco dicemus: totidem verò annos ab hoc tempore ad illud inueniri, patet in tabulis.

AB ORBE CONDITO ANNVS 3425. QVINTÆ MVNDI ÆTAT. ANNVS 403.

1 ANNO regni sui trigesimo primo, vitæ verò trigesimo nono, mense, vt infrà n. 5. probabitur, circiter nono, audiens Iosias quòd Pharao Nechao Rex Ægypti transiret cum valido exercitu per terram Israel, pergeretque contra Regem Assyriorum, (id est, vt ex paulò infrà dicendis inferri potest, contra Nabolassar Regem Babylonis, qui tunc etiã dominabatur regno Assyriorum à maioribus suis iam subacto, quemadmodum sub anno mundi 3335. n. 1. dictum est) vt pugnaret cum eo in Charcamis iuxta Euphraten: ipse Iosias exercitu comparato, processit obuiàm ei in campo vrbis Mageddo, quæ posita erat in tribu Manassæ citra Iordanem, vt patet Iosue cap. 17. vers. 11. Quem licet Pharao missis Legatis conatus sit à se diuertere, dicẽs, se non venisse vt ei bellum inferret, sed vt iret ad Euphraten: noluit tamen Iosias acquiescere, quin potius præparauit inire cum Pharaone certamen; atque in primo conflictu à sagittariis vulneratus, iussit se transponi in alterum currum, & duci in Ierusalem: verumtamen in via, vt arbitror, mortuus est, & posteà sepultus in mausoleo patrum suorum: luxitque eum valdè vniuersus Iuda, & præsertim Ieremias Propheta, cuius lamentationes metricè editas canebant cantores & cantatrices multo tempore, quemadmodum traditur 2. Paralip. cap. 35. vers. 20. vsque ad finem capitis, & 4. Reg. cap. 23. vers. 29. & 30. Huius luctus, tamquam de extremo quodam & valdè memorabili planctu, meminit Zacharias Propheta cap. 12. vers. 11. vbi eidem quodammodò comparat luctum illum grandem, qui fiet in extremi Iudicij die, his verbis: *In die illa magnus erit planctus in Ierusalem, sicut planctus Adadremmon in campo Mageddon.* Ex quo loco Abulensis super 4. Reg. cap. 23. quæst. 42. videtur elicere, quòd quando Iosias profectus est ad pugnandum contra Pharaonem in campo Mageddon, venit eò quoque Adadremmon Rex Syriæ, qui regnabat in Charcamis, vt ambo simul dimicarent aduersus Pharaonem: putat enim Abulensis, quòd Iosias bellum hoc susceperit in fauorem dicti Adadremmon; & quòd, quando mortuus est Iosias, fleuerit eum inconsolabiliter ipse Adadremmon, & proptereà dixerit Zacharias, *sicut planctus Adadremmon.* Sed hæc expositio & historia non videtur satis firma neque consona litteræ Sacri textus, qui non dicit, Pharaonem venisse contra Regem Syriæ, sed contra Regem Assyriorum, vt suprà expositum est; scimus autem Syriam ab Assyria valdè fuisse diuersam; neque hîc vllam Sacer textus Regis Syriæ facit mentionem: quinimmò, ex quo Theglathphalasar Rex Assyriorum occiso Rasin Rege Syriæ, vt sub anno mundi 3296. num. 1. dictum est, subiecerat illam prouinciam Imperio Assyriorum, non videtur Syria proprium habuisse Regem. Huc accedit, quòd vocabulum illud *Adadremmon*, si B. Hieronymo super loco Zachariæ citato credimus, nomen est non Regis Syriæ, sed vrbis iuxta Iezrahel positæ; *quæ*, inquit, *hoc olim vocabulo nuncupata est, & hodie vocatur Maximianopolis, in campo Mageddon, in quo Iosias Rex iustus à Pharaone cognomento Nechao vulneratus est, super quo lamentationes scripsit Ieremias.* Huius Pharaonis Nechao, siue Neci, meminit Herodotus lib. 2. versus finem; vbi etiam speciatim ac breuiter tangit prædictum bellum, quod contra Syros tunc, vt dictum est, Assyriis subditos gessit, his verbis: *Et classibus quidem Necus dum opus fuit est vsus. Terrestri autem acie congressus cum Syris in Magdolo* (hoc est, vt Scriptura sacra vbi suprà ait, in Mageddo) *victoria potitus est; & post prælium, Cadyti magna Syriæ vrbe.* sic Herodotus.

IOSIAS VENIT CVM EXERCITV OBVIAM PHARAONI NECHAO.

IN PRAELIO VVLNERATVS OBIIT.

DE EIVS LVCTV.

ZACHARIAE VERBA EXPONVNTVR.

DE PHARAONE NECHAO

2. Verùm ex quo hîc de prædicto Nechaone siue Neco agere cœpimus, non ingratum quoque Lectori fore existimauimus, de eodem Rege duo valdè memorabilia ex eodem Herodoto referre. Et primum quidem loco citato paulò antè narrauerat, videlicet, quòd idem Necus fossam à Nilo ad mare Rubrum ferentem primus aggressus est, longitudinis quattuor dierum nauigationis, & latitudinis vt per eam duæ possent agi triremes: verumtamen in medio eius opere destitit; veritus, ne quemadmodum oraculo didicerat, id opus Barbaro, hoc est alicui Regi alienigenæ præmuniret. Quam fossam posteà (vt ibidem citatus Auctor prosequitur) secundo loco depressit Darius Perses, ille nimirum qui Hystaspis filius fuit: nam alij huius nominis Persarum Reges proculdubiò fuerunt historiã Herodoti, quæ ad finem regni Xerxis non peruenit, posteriores. De hac quoque fossa meminit Plinius lib. 6. in ipso ferè capitis 29. initio; vbi addit, quòd post dictum Darium, *Ptolemæus sequens* (nescio si velit dicere, secundus, qui & Philadelphus dictus est) *eamdem fossam duxit, latitudine pedum centum, altitudine triginta, in longitudinem*

DE FOSSA A NILO AD MARE RVBRVM A NECHAONE COEPTA.

dinem triginta septem mill. & quingentorum passuum, vsque ad Fontes amaros. Vltrà deterruit inundationis metus; excelsiore tribus cubitis Rubro mari comperto, quàm terra Aegypti. Aliqui non eam afferunt causam, sed ne immisso mari, corrumperetur aqua Nili, quæ sola potus præbet. sic Plinius. Videtur autem Cleopatra, post deuictum in Actiaca pugna ab Augusto Antonium, tentasse denuò dictam fossam perficere, vt per eam à Mediterraneo mari classem suam in sinum Arabicum traiiceret, & inde ad Orientales plagas nauigare, ac sic Augusti Romanorumque manus effugere posset; vt scriptum reliquit Plutarchus in Antonio, non valdè procul à fine, his verbis: *Delatus igitur* (subaudi Antonius) *in Alexandriam ex Libya, offendit Cleopatram opus magnum & inopinatum aggressam. Inter Rubrum enim & Aegyptium mare, qua maximè vtrimque premitur, arctiorq; est tellus; trecentorum fermè stadiorum latitudo est; videturq; Asiæ Libyæq; esse terminus. Per hunc locum Cleopatra transferre classem instituit in Arabicum sinum, & cum auro, argento, & magna suorum manu, in ignotas sedes commigrare, fugiens bellum ac seruitutem. Sed cùm primas naues per terram delatas, Arabes qui circa Petram incolunt, igne corrupissent, & Antonius etiã tunc in legionibus, quas in Actio reliquerat, spem haberet, & incolumes esse putaret; destitit Cleopatra ab incepto, & portus ac littora custodire contendit.* ita Plutarchus.

DE PRIMA NAVIGATIONE DE MARI RVBRO AD COLVMNAS HERCVLIS, ET INDE AD AEGYPTVM.

3. Sed, vt ad præfatum Pharaonem Nechao redeamus, alterum quod dicebamus præclarum eius facinus ac memoratu dignum, narrat Herodotus lib. 4. non valdè procul ab initio, dicens, ipsum quoque fuisse, eorum omnium, quos idem Auctor nouerit, primum in demonstrando Africam circumfluam mari esse; excepto dumtaxat vbi Asiæ contermina est (nimirum in Ægypti isthmo, qui à mari Rubro ad Mediterraneum protenditur.) *Nam is*, inquit, *postquam destitit à deprimenda fossa de Nilo ad Arabicum sinum, misit nauibus quosdam Phœnices, præcipiens vt transuecti columnas Herculis, penetrarent ad Septemtrionale vsque mare,* (hoc est, ingrederentur Mediterraneum) *atque ita ad Aegyptum remearent. Phœnices igitur è Rubro mari soluentes, abierunt in mare Australe: qui postquam Autumnus aduenerat, applicitis ad terram nauibus, sementem faciebant, vt assiduè Africani legerent ac messem expectarent* (nimirum interim tamquam Africani ibidem hiemantes) *deinde messo frumento nauigabant. Ita biennio consumpto, ad Herculeas columnas anno tertio declinantes, in Aegyptum remearunt, referentes quæ apud me* (ait dictus Auctor) *fidem non habent; fortè apud aliquem alium: Prætereuntes Africam se habuisse Solem ad dexteram. Atque hunc in modum Africa primùm est cognita.* hucusque Herodoti verba. Ex quibus duo inferri possunt: Alterum est, decipi eos qui crediderunt, Australes Africæ terminos non nisi temporibus patrum aut auorum nostrorum à Lusitanis fuisse detectos. Alterum, quòd si Herodotus nouisset, quemadmodum nunc in Geographorum tabulis cernitur, eosdem Australes Africæ terminos multò ad Antarcticum vltra Capricorni Tropicum extendi, profectò non renuisset credere, quòd qui secus illos contra Occidentem nauigabant, necessariò semper, & in quocumque anni tempore, Solem non ad læuam, vt antequam illuc peruenirent, sed ad dexteram habuissent. Similem per Africæ totius ambitum nauigationem Xerxis temporibus fuisse attentatam, sed non absolutam, idem ibidem scribit Herodotus, narrans de quodam Sastaspe sororis Darij filio; *quem mater vt à crucis supplicio, cui, quòd honestam quamdam virginem vitiasset, à Rege fuerat adiudicatus, liberaret, ad hoc in Aegyptum, ipso annuente Xerxe, misit, vbi sumpta naui & sociis, nauigauit per Mediterraneum ad columnas Herculis: quibus transmissis, in Meridiem cursum tendebat. Verùm tandem, cùm nauigationis longitudine, tum terræ solitudine deterritus, retrò rediit, non impleto labore quem ei mater iniunxerat. Quamobrẽ iratus Xerxes, eum, quòd certamen sibi propositũ non absoluisset, in crucem sustulit.* Hæc ex Herodoto: qui etiam lib. 2. superiùs citato, de prædicto Nechao siue Neco agens, dicit, quòd ei successit filius nomine Psammis, qui fuit pater Apries (hoc est eius quem Ieremias cap. 44. vers. 30. vocat Ephree, de quo nos sub anno 3448. num. 2. agemus.) Sed si hæc vera sunt, oportet errorem aliquem, siue Auctoris vitio, siue antiquarij, in numero annorũ regni ipsius Apries irrepsisse. Nam idem Herodotus ait, ipsum regnasse per annos vigintiquinque, & patrem eius sex, qui faciunt annos vnum & triginta. Atqui à fine regni Iosiæ, quem dictus Nechao siue Necus interfecit, vsque ad annum vigesimum tertium regni Nabuchodonosor, in quo, vel fortè etiam aliquanto antè occisus fuisse creditur Apries, quemadmodum nos sub anno proximè citato dicemus; non anni triginta & vnus, sed tantummodò viginti sex inueniuntur, vt dinumerari potest in tabulis. Quin etiam ex Ierem. cap. 46. vers. 2. constat, dictum Pharaonem Nechao peruenisse vsque ad annum regni Ioakim quartũ, qui fuit primus regni Nabuchodonosor, vt idem testatur Ieremias in principio capitis 25. Oportet ergo (supposito quòd vno aut altero pòst anno decesserit Nechao)

HERODOTVS PRODIT SE GEOGRAPHIAE IGNARVM.

ALTERA EIVSMODI NAVIGATIO NON ABSOLVTA.

DE NECHAONIS SVCCESSORIBVS.

HERODOTI CODICES CORRIGENDI.

ab eius morte ad obitum dicti Apries, intercessisse annos circiter viginti duos, vel potius viginti vnum; ex quibus, si Psammis pater ipsius Apries regnauit sex annis, restant tantummodò quindecim regni eiusdem Apries. Quare arbitror Herodoti codices esse corrigendos, vt pro annis *viginti quinque*, dicant, *quindecim*. Sed de his satis. redeundum est enim ad id vnde aliquantulùm digressi sumus.

4. Eodem tempore, nimirum sub finem prædicti mensis noni eiusdem anni, vt numero sequenti probabitur, tulit populus Ioachaz filium Iosiæ, constituitque eum Regem pro Iosia patre suo in Ierusalem. Viginti trium annorum erat Ioachaz cùm regnare cœpisset, & tribus mensibus regnauit in Ierusalem; fecitque malum in cònspectu Domini, iuxta omnia quæ fecerant prædecessores eius idololatræ: 4. Reg. cap. 23. vers. 30. vsque ad 33. & 2. Paralip. cap. 36. vers. 1. & 2. Notandum verò est, quòd istum Ioachaz liber 3. Esdræ (qui tamen inter Sacros libros quos sancta Tridentina Synodus pro Canonicis suscipiendos decreuit, non annumeratur) cap. 1. vers. 24. vocat Iechoniam; additque ipsum fuisse triginta trium annorum quando constitutus est Rex. Quod nequaquam verum esse potest; tum quia hoc pugnat cum locis Reg. & Paralip. proximè citatis, vbi expresse dicitur, quòd tunc erat viginti trium annorum; tum etiam quia sequeretur, ipsum natum esse anno sexto vel septimo vitæ patris sui, quod est impossibile: diximus enim Iosiam anno ætatis suæ trigesimo nono fuisse interfectum. Eumdem Ioachaz Ieremias cap. 22. vers. 11. vocat Sellum; quo nomine videtur etiam appellari 1. Paralip. cap. 3. vers. 15. vbi nominatim recensentur quattuor filij Iosiæ hoc ordine: *primogenitus Iohanan, secundus Ioakim, tertius Sedecias, quartus Sellum*. quorum primus creditur ante patrem decessisse, reliqui verò sibi inuicem in regno successerunt: quamuis Sellum, qui postremò loco nominatur, primus post patrem regnauerit. Sed nescio quo modo in ordine natiuitatis Sellum ponatur post Sedeciam, cùm constet, Sedeciam Sello fuisse iuniorem; nam vigesimum primum annum ætatis agebat Sedecias quando regnare cœpit, vndecimo post Sellum anno, vt suo loco dicetur. nisi dixerimus cum Rabbi Salomone, quem refert Abulensis super 1. Paralip. cap. 3. quæst. 9. in fine, nimirum, qui in lib. Reg. dicitur Sedecias, in 1. Paralip. transposito nomine dici Sellũ: & econuersò, qui loco Ierem. citato vocatur Sellum, 1. Paralip. appellari Sedeciam. Quidquid sit, constat ex dictis, memoratum Ioachaz variis interdum nominibus in Sacro eloquio nuncupari consueuisse, sicut & ceteri eius fratres, quemadmodum propriis locis indicabimus.

REGNAT IOACHAZ IN IVDA.

MENDVM LIB. 3. ESDRAE.

DE FILIIS IOSIAE.

5. Diximus Ioachaz regnare cœpisse sub finem mensis noni anni postremi Iosiæ patris sui, regnasseque tribus mensibus, hoc est vsque ad complementum anni trigesimi primi ex quo regnare cœperat pater eius Iosias. Et hoc ponere necessarium videtur; alioquin si Iosias expleuisset annum regni sui trigesimum primum, & illi tres menses quibus regnauit Ioachaz filius eius, in annum insequentem referendi essent; proculdubiò sequeretur, Ioakim Iosiæ filium, qui post prædictum Ioachaz fratrem suum dicitur regnasse vndecim annis, non potuisse attingere annum regni vndecimum. quod sic probatur: Nam certissimum est, quòd ab anno decimotertio regni Iosiæ, ad quartum prædicti Ioakim, in quo, vt infrà patebit, incidit annus primus regni Nabuchodonosor Regis Babylonis, simul computatis vtrisque terminis, & pariter inclusis tribus mensibus regni Ioachaz, numerantur anni viginti tres: Ierem. cap. 25. vers. 3. nimirum ferè decem & nouem, qui reliqui erant de regno Iosiæ & Ioachaz, & quattuor regni Ioakim: & item ex infrà sub anno mundi 3429. num. 5. dicendis, constabit ipsum Ioakim captum fuisse sub finem anni septimi regni eiusdem Nabuchodonosor, & post Ioakim regnasse Iechoniam filium eius tribus mensibus, quibus elapsis, nimirum anno dicti Nabuchodonosor octauo incipiente, etiam ipse Iechonias factus est captiuus à præfato Rege Babylonis. Igitur oportet ipsum Ioakim à quarto regni sui anno inclusiuè, septem dumtaxat annis regnasse, qui tribus præcedentibus iuncti, faciunt summam annorum regni eius decem; ergo nihil attigit de vndecimo. Verùm hîc dicet aliquis: Annus primus regni Nabuchodonosor non incepit inchoante anno regni Ioakim quarto, sed inchoante mense eiusdem anni quinto, vt sub anno mundi citato nu. 4. dicturi sumus; ergo oportet annum regni Nabuchodonosor septimum terminasse in fine mensis quarti anni vndecimi Ioakim, & sic regnum ipsius Ioakim participasse de anno vndecimo menses quattuor. Respondeo, nec sic sequi illationem: quia de toto hoc decem annorum & quattuor mensium tempore, quod fluxit ab obitu Iosiæ ad captiuitatẽ Iechoniæ, oportet detrahere tres menses, quibus regnauit Ioachaz ante Ioakim, & totidem regni Iechoniæ post ipsum Ioakim: quibus detractis, proculdubiò consequeretur, ipsum Ioakim non potuisse explere decimum regni sui annum, nedum vndecimum inchoare.

DE ANNIS REGNI IOSIAE, IOACHAZ, ET IOAKIM.

OBIECTIO.

RESPONSIO.

Quo-

Quomodo ergo verum esse potest, quod Scriptura sacra non semel apertè testatur, præfatum Ioakim regnasse annis vndecim, hoc est, aliquid saltem de vndecimo? non aliter, vt arbitror, nisi computando memoratos tres regni Ioachaz menses in postremo regni Iosiæ patris sui anno, vt numero præcedenti dictum est.

AB ORBE CONDITO ANNVS 3426. — QVINTÆ MVNDI ÆTAT. ANNVS 404.

NECHAO IOACHAZ VINCTVM DVCIT IN ÆGYPTVM.

1 ANNO proximo circiter inchoante Pharao rediens de memorato bello, cùm adhuc esset in Syria Emath, in vrbe quadam, quæ tunc dicebatur Rebla, siue Reblatha, vel, vt ait Iosephus 10. Antiq.lib.6. Samatha, audissetque Iudæos constituisse sibi Regem Ioachaz, indignatus quòd se inconsulto, qui post occisum Iosiam supremum dominium in Iudæos sibi assumebat, ausi essent id facere: siue ad instantiam Eliachimi, qui fortassis ferre non valens prælatum sibi fuisse fratrem natu minorem, recursum habuerat ad ipsum Pharaonem; siue alia aliqua de causa; accersito ad se Ioachaz Rege Iuda, vinxit eum ibi, ac non multò pòst duxit secum in Ierusalem; vbi deposito ipso Ioachaz, constituit pro eo Eliachim fratrem suum natu maiorem, Regem in Ierusalem; mutatoque ei nomine, voluit vt deinceps diceretur Ioakim. Hoc autem factum esse circa anni sacri initia, ex infrà, præsertim verò sub anno mundi 3429. num.5. dicendis inferri potest. Ceterùm, Pharao in pœnam electionis priùs factæ, imposuit populo mulctam centum talentorum argenti, & vnius auri; quam ipse Ioakim, indicens vnicuique iuxta proprias vires, exegit, soluitque Pharaoni: qui inde profectus, tulit Ioachaz captiuum in Ægyptum, vbi & mortuus est iuxta Ieremiæ vaticinium, quòd habetur in Prophetiæ eius cap. 22. vers. 11. & 12. Vnde inferri potest, ea quæ in dicto capite dicuntur, ante hoc tempus, nimirum circa initia regni Ioachaz, à Ieremia fuisse prænuntiata. Viginti quinque annorum erat Ioakim cùm regnare cœpisset, & vndecim annis regnauit in Ierusalem (subintellige, incompletis, vel potiùs tantummodò inchoatis, vt sub præcedenti anno mundi num.5. probatum est; & ex dicendis sub anno mundi 3429. num. 5. clariùs apparebit) fecitque malum coram Domino: 4. Reg.cap.23. vers. 35. vsque ad finem capitis, & 2.Paralip. cap.36. vers.3. vsque ad 6.

IOAKIM REGNAT IN IVDA.

IEREMIAS PROPHETANS TEMPLI RVINAM, MORTI ADIVDICARI PERICLITATVR.

2. Eodem anno, videlicet in principio regni Ioakim filij Iosiæ Regis Iuda, Ieremias de mandato Domini prædicabat in Atrio Templi, prædicebatque publicè eiusdem Templi exterminium, ac Ierosolymæ desolationem, sicuti acciderat Silo, vbi olim manebant Tabernaculum & Arca Domini: Quod vt audierunt Sacerdotes & alij Prophetæ, indiscreto quodam accensi zelo concitarunt populum aduersus Ieremiam, & comprehenderunt, accusantesque eum coram Principibus qui sedebant in introitu portæ nouæ Domus Domini, acriter instabant vt statim morti adiudicaretur. Verumtamen ipsi, auditis partibus, & præsertim ipso Ieremia pro se dicente, & Ahicam filio Saphan Ieremiæ causam patrocinante, & senioribus populi Michææ exemplum adducentibus, quòd tametsi idipsum Ezechiæ Regis temporibus prophetasset, vt videre est Michææ cap. 3. in fine, non tamen à Rege condemnatus fuerat: censuerunt, non propterea Ieremiam esse reum mortis. Econtrariò autem accidit alteri Prophetæ, cui nomen erat Vrias. Hic enim cùm per idem tempus ipse quoque prophetasset contra Templum Domini & Ierusalem, audissetq; se idcircò à Rege Ioakim quæri ad mortem, timore perterritus fugit in Ægyptum; sed inde eductus, atque ad Regem perductus, ab eodem interfici, & ignobiliter sepeliri iussus est: Ierem. cap.26. per totum.

VRIAS EADEM DE CAVSA INTERFICITVR.

DANIELIS NATIVITAS

QVOD FVERIT DE TRIBV IVDA.

3. Eodem anno regni Ioakim primo natum esse Danielem, qui posteà fuit Propheta celeberrimus, & inter Quattuor maiores numeratur, satis probabiliter colligi potest ex his quæ nos de eius ætate, quando captiuus in Babylonem ductus est, dicemus sub anno mundi 3428. n. 5. Sanè Danielem fuisse de tribu Iuda, inferre possumus ex Danielis cap.1. vers.3. & 6. vbi dicitur, quòd Daniel & eius socij erant de filiis Israel, & de semine regio: tunc enim semen regium erat in tribu Iuda. Idem confirmari potest ex 4. Reg.cap.20. vers. 18. & Isaiæ cap. 39. vers.7. quibus in locis refertur quædam eiusdem Isaiæ protestatio ad Ezechiam Regem in hæc verba: *Sed & de filiis tuis, qui exibunt ex te, quos genueris, tollent, & erunt eunuchi in palatio Regis Babylonis*. quod de Daniele & sociis accipi posse, sub anno mundi 3324. num.4. diximus. Quamuis non desint, qui ipsum Danielem de tribu Leui fuisse existiment, ex quadam particula, quam apud LXX. Interpretes in titulo capitis vltimi, vbi describitur historia Belis à Daniele destru-

deſtructi, olim extitiſſe ſcribit B. Hieronymus in Præfatione Commentariorum ſuorum in Danielem: quæ ſic habet: *Homo quidam erat Sacerdos, nomine Daniel, filius Abda, conuiua Regis Babylonis*, &c. Ex qua etiam, vt arbitror, particula, Iſidorus in lib. de Vita & obitu Sanctorum, & Carthuſianus, & alij, inferre non dubitarunt, Danielem fuiſſe de genere Sacerdotum & Regum, id eſt, duxiſſe genus paternum de tribu Leui, maternum verò de tribu Iuda. Alij autem, inter quos eſt Cardinalis Bellarminus lib. 1. de Verbo Dei cap. 9. putant, non eſſe improbabile opinari, duos fuiſſe Danieles; & primum quidem egiſſe quæ de ipſo ſcribuntur in Prophetia eius à cap. 1. vſque ad 12. alterum verò, quæ in duobus poſtremis capitibus continentur. Hoc ſi verum eſſet, facilè poſſemus conciliare hanc controuerſiam, dicentes, primum fuiſſe de tribu Iuda, alterum autem de tribu Leui. Sed quoniam hæ poſitiones non admodum firmo niti videntur fundamento; quandoquidem particula illa, cuius meminit S. Hieronymus, hodie in probatis LXX. Interpretum codicibus non habetur; & conſtat, vt aliàs quoque notauimus, veteres LXX. Interpretum codices multis in locis fuiſſe corruptos: proptereà tutiùs videtur tenendum, vnum tantummodò fuiſſe Danielem, de quo agitur in Prophetia eius, eumdemque (vt ex Scriptura ſacra deduci teſtatur etiam B. Hieronymus vbi ſuprà) fuiſſe de tribu Iuda, hoc eſt, vt nos putamus, de ſtirpe Ezechiæ Regis Iuda exortum.

AB ORBE CONDITO ANNVS 3427.	QVINTÆ MVNDI ÆTAT. ANNVS 405.

1 ANNO regni Ioakim Regis Iuda ſecundo inchoante, neceſſe eſt ipſum Ioakim regnare ſecum feciſſe Iechoniam, qui & Ioachin, filium ſuum: non enim alioqui videtur poſſe verum eſſe quod dicitur 2. Paralip. cap. 36. verſ. 9. nempe, iſtum Ioachin octo fuiſſe annorum quando regnare cœpit; neque hoc idem conciliari cum eo quod de eodem legimus 4. Reg. cap. 24. verſ. 8. videlicet, *Decem & octo annorum erat Ioachin cùm regnare cœpiſſet*: niſi dicentes, ipſum Ioachin Iechoniam (quemadmodum multis aliis Regibus contigiſſe certum eſt) bis regnare cœpiſſe; nimirum ſemel cum patre ſuo Ioakim nunc, anno ſcilicet regni paterni ſecundo, quando ipſe Iechonias expleuerat annum ætatis octauum; & iterum poſt captum à Babyloniis patrem, cùm iam expleuiſſet idem Iechonias annos vitæ decem & octo, vt etiam infrà ſub anno mundi 3435. num 1. dicemus. Scio hìc poſſe aliquem meritò nobis obiicere, Quòd locis Reg. & Paralip. citatis hæc vtrobique ſubiunguntur, *& tribus menſibus regnauit in Ieruſalem, & fecit malum in conſpectu Domini*: quæ tamen verba non videntur poſſe referri, niſi ad tempus in quo ipſe Iechonias defuncto, aut captiuo ſucceſſit patri; & iam non octo tantùm, ſed decem & octo erat annorum. Quod certè veriſſimum eſt; alioqui enim non videretur de octo annorum puerulo verè dici potuiſſe, quòd fecerit malum in conſpectu Domini. Ad hoc dicimus, ita prorſus eſſe vt dictum eſt, & Scripturam ſacram id ſupponere, tamquam adeò ex ſe clarum, vt aliter omnino interpretari non poſſit: verumtamen per illam annorum diuerſitatem locis citatis expreſſam, illud ſolum (licet obiter, & ſubobſcurè) aliqualiter indicare voluiſſe, (quod nuſquam aliàs fecerat) eumdem Iechoniam bis regnare cœpiſſe, quemadmodum ſuprà expoſuimus. Solet enim ipſa Scriptura interdum de vna eademque re, non vno tantùm loco, neque ſemper eodem modo loqui: ſed quandoque aliquid diuerſum alicubi obiter interponere, quod cum aliàs dictis cohærere poſſe non videatur; vt per hoc nos prouocet ad aliquid aliud indagandum, præter id quod apertè traditum comperimus. Sic de filiis Dauidis 2. Reg. in fine capitis 8. ait ipſos fuiſſe Sacerdotes; & 1. Paral. in calce capitis 18. dicit eoſdem fuiſſe primos ad manum Regis: vt ex hac diuerſitate diſceremus, aliquos ipſorum, nempe quos naturaliter genuerat, fuiſſe Principes apud Regem primarios: quos verò de Vria ex Bethſabee natos ipſe Dauid ſibi adoptauerat in filios, verè fuiſſe Sacerdotes; quemadmodum ſub anno mundi 2993. num. 1. declaratum eſt. Sic etiam 4. Reg. cap. 8. verſ. 25. legimus, Ochoziam Regem Iuda regnaſſe anno regni Ioram Regis Iſrael duodecimo; & cap. 9. verſ. 29. idem Ochozias obiter traditur regnaſſe anno regni dicti Ioram vndecimo: vt ſcilicet intelligeremus, ipſum Ochoziam priùs regnaſſe cum patre, poſteà ſine ipſo, ſicuti ibidem exponit Caietanus. Sed & de initio regni Ioram Regis Iuda, patris dicti Ochoziæ, adeò diuerſimodè Scriptura ſacra loquitur, vt neceſſarium ſit dicere, ipſum ter regnâſſe cœpiſſe; nimirum bis cum patre ſuo Ioſaphat, & tertiò poſt eius obitum, quemadmodum nos latè ſub anno mundi

IOAKIM FACIT SECVM REGNARE IECHONIAM FILIVM.

OBIECTIO.

RESPONSIO.

mundi 3143. num. 2. ostendimus. Ex quibus exemplis perspicuum fieri potest, eodem quoque modo & eadem de causa Scripturam sacram de ipso Iechonia, quando regnare cœpit, interdum dixisse quòd erat octo, interdum autem decem & octo annorum; vt vel hinc innotesceret, ipsum duplex habuisse regnandi exordium; alterum regnante adhuc, alterum pulso iam de regno eius patre, vt suprà dictum est. Et hæc ad propositam dubitationem responsio longe videtur tutior ea quam adferunt Caietanus super 2. Paralip. cap. 36. & Melchior Canus lib. de Locis Theologicis 11. cap. 5. ad 12. dicentes, textum 2. Paralip. proximè citatum, vbi ait Iechoniam octo fuisse annorum, esse corruptum. Iam enim nos sub anno mundi 3095. num. 2. ex S. Augustino docuimus, valdè periculosum esse, tale quid in Sacro textu admittere, præsertim vbi omnes codices conueniunt. Sed quæret hîc fortasse aliquis, Cur tam citò Ioakim fecit secum regnare filium suum Iechoniam adhuc puerulum? Dicimus, id quidem in Sacris libris expressum non haberi: verumtamen, licet certi nihil affirmare possimus, credendum esse id, ipsum proculdubiò non sine aliqua satis rationabili causa, ne dicam necessaria, fecisse. Fortè enim probabiliter metuebat expectabatque in Iudæam venturum Nabuchodonosor Regem Babylonis, de quo sub anno proximo agemus; & propterea, vt vel sic melius consuleret regno suo, & magis pacatam ordinatamque relinqueret ciuitatem, si ipsi opus foret exire, & Babyloniorum exercitui occurrere; declarasse Iechoniam filium Regem, ac legitimum regni successorem; constituisseque ei curatores, & qui res ciuitatis ac regni, se absente, ritè administrare possent.

CVR IOAKIM FECERIT REGNARE IECHONIAM PVERVLVM.

AB ORBE CONDITO ANNVS 3428. — QVINTÆ MVNDI ÆTAT. ANNVS 406.

NABVCHODONOSOR SPOLIAT TEMPLVM DOMINI IN IERVSALEM.

1 ANNO regni Ioakim Regis Iuda tertio venit Nabuchodonosor Rex Babylonis ad Ierusalem, & obsedit eam; & tradidit Dominus in manu eius Ioakim Regem Iuda, & partem vasorum Domus Domini; & asportauit ea in terram Sennaar, & vasa intulit in domum thesauri dei sui: Daniel. cap. 1. vers. 1. & 2.

¶ OBIECTIO.

2. Sed hîc magna suboritur difficultas. Nam si Nabuchodonosor regnare cœpit anno quarto regni Ioakim, vt sub anno mundi proximo euidentissimè probabitur: quomodo potuit venire contra ipsum anno regni eiusdem Ioakim tertio, si tunc nondum regnare cœperat ipse Nabuchodonosor? Præterea Iosephus 10. Antiq. cap. 7. ponit primam expeditionem bellicam dicti Nabuchodonosor contigisse eodemmet anno quo ipse regnare cœperat, nimirum anno regni Ioakim Regis Iuda quarto, quando scilicet idem Nabuchodonosor conflixit cum Pharaone feliciter iuxta Euphraten in Charcamis: cuius pugnæ pariter ac victoriæ meminit etiam Ieremias suæ Prophetiæ cap. 46. vers. 2. Et tunc, ait Iosephus, subegit Nabuchodonosor totam Syriam vsque Pelusium, Iudæa excepta. Primum verò eiusdem Regis Babylonis aduentum in Iudæam, idem Auctor ponit in anno regni ipsius Nabuchodonosor quarto, qui erat, inquit, regni Ioakim octauus. non igitur videtur potuisse Nabuchodonosor anno Ioakim tertio obsidere capereque Ierosolymam. Beda in lib. de Sex ætatibus mundi, vt huic difficultati occurrat, ait, primum illum regni Nabuchodonosor annum, qui dicitur incidisse anno regni Ioakim quarto, fuisse primum ex quo Nabuchodonosor regnare cœperat super Assyrios, Ægyptios, ac Moabitas. quod idem videtur esse, ac si dixisset, fuisse primum non regni, sed Monarchiæ eius. Attamen puto in hoc Bedam falli, quoniam constat primum annum Monarchiæ Nabuchodonosor concurrisse cum anno regni eius vigesimo quarto, quemadmodum sub eodem anno num. 1. probabitur; & consequenter manifestum est, tempora Monarchiæ Nabuchodonosor fuisse longè posteriora temporibus regni Ioakim. Lyranus & Carthusianus super Daniel. cap. 1. & Io. Driedo lib. 3. de Scripturis Ecclesiasticis tract. 2. cap. 1. non longè à principio, & alij, vt propositum dissoluant nodum, alia procedunt via; dicuntque, quòd iste annus tertius Ioakim non est numerandus ab exordio regni eius, sed ab anno regni ipsius octauo, in quo, inquiunt, ipse Ioakim cœpit pendere tributa Regi Babylonis; & sic annus qui apud Danielem dicitur tertius regni Ioakim, concurrit cum vndecimo eiusdem Regis Ioakim, nimirum in tempore, quo, cùm rebellasset à Rege Babylonis, ab eodē inuasus, captus, occisusque fuit. Et in hanc sententiam inclinare videntur etiam Iosephus vbi suprà, & Historia Scholastica, & Abulensis super 4. Reg. cap. 24. quæst. 2. & 5. Sed, vt benè notat Pererius super Daniel. cap. 1. vtique nimis durum ac violentum videtur, quem Daniel simpliciter & expresè dicit annum tertiū regni Ioakim, eumdem interpretari fuisse vndecimum; id

BEDAE RESPONSIO REFELLITVR.

LYRANI ET ALIORVM RESPONSIO

REPROBATVR.

id est, non simpliciter tertium ab initio regni, sed à prima solutione tributi. Quare cum prædicto Auctore arbitror, memoratæ opinionis sectatores hallucinari. Non tamen subscribere possum sententiæ ipsius Pererij loco adducto, & in Præfatione eiusdem libri, quæ est etiã Riberæ super cap. 2. Nahum, & aliorum existimantium primum regni Nabuchodonosor annum concurrisse ferè totum, vel saltem magna quidem ex parte cum tertio, sed etiam ex aliqua parte cum quarto regni Ioakim anno; & idcircò verè dici, quòd Nabuchodonosor venit contra Iudæos anno tertio regni Ioakim, quia venit circa initia regni sui, quæ inciderant prædicto anno tertio. Non, inquam, admittere possumus tale responsum; quoniam sub anno mundi proximo num. 3. satis euidenter probabimus, annum primum regni Nabuchodonosor non modò non incepisse anno tertio regni Ioakim, ac terminasse in quarto; sed potiùs inchoasse anno quarto, & desiisse in quinto eiusdem Ioakim.

5. Quid igitur ad quæsitum respondere poterimus? Dico breuiter, solutionem propositæ difficultatis petendam esse ab his, quæ ex Beroso refert Iosephus circa medium lib. 1. Contra Apionem, & repetit clariùs 10. Antiq. cap. 11. prope finem capitis ex eodem Beroso. Quibus locis in summa tradit, quòd Nabolassar, qui & Nabuchodonosor, (pater huius Nabuchodonosor de quo nunc agimus, à quo Iudæi posteà ducti sunt captiui in Babylonem) cùm iam præ senectute non posset ampliùs militiæ labores sustinere, misit Nabuchodonosor filium cum exercitu aduersus quemdam Satrapam rebellem, quem Ægypto & Cœlesyriæ seu Cauæsyriæ, Phœniciæque, id est quibusdam harum prouinciarum ciuitatibus ac locis, iam ab eo (vt sub anno insequenti num. 6. declarabitur) occupatis, præfecerat. Itaque Nabuchodonosor filius, deuicto perduelle, redactaque regione sub Regis Imperio, cùm audisset patrem suum interim vita functum, compositis ibidẽ rebus, demandataque amicis cura captiuorum Iudæorum, Syrorum, Phœnicum, & Ægyptiorum in Babyloniam traducendorum, ipse Babylonem properauit; & suscepta regni paterni administratione, quæ intereà eidem à Chaldæorum Primario asseruata fuerat, captiuos, qui non multò pòst adducti sunt, per opportuna Babyloniæ loca in colonias distribuit, ac de manubiis in bello partis, Beli templum exornauit. Ex quibus Berosi dictis manifestissimè apparet, ipsum Nabuchodonosor iuniorem, anno circiter vno antequam successisset patri in regnum Babylonis, intulisse bellum etiam Iudæis ac finitimis nationibus, & eodemmet anno aliquot Iudæos cum aliis gentibus duxisse captiuos in Babyloniam; necnon de præda ac spoliis in memorato bello acquisitis, fanum Beli dei sui magnificentissimè exornasse. Quæ omnia, quis non videt quàm apposite respondeant his, quæ Daniel breuiter tangit in exordio Prophetiæ suæ? vbi nemo miretur, quòd appellet Nabuchodonosor Regem; quin potiùs hinc inferat, dictum Nabuchodonosor, antequam ad dictam expeditionem mitteretur, à patre iam admodum sene declaratum fuisse Regem. Itaque ex dictis coniicere licet, ipsum Nabuchodonosor post deuictum Ioakim accepisse nuntium de obitu patris, ac proinde vt expeditiùs properare posset in Babylonem, confestim composuisse res cum Iudæis; ac restituisse quidem ipsum Ioakim in regnum suum, sed abstulisse ab eo magnam vim pecuniarum, & partem vasorum Domus Dei, & plures captiuos, ac præcipue quosdam pueros de semine regio, tamquam obsides; illos nimirum, quorum fit mentio Danielis cap. 1. vers. 3. & deinceps, de quibus nos numero proximo agemus. Et hæc quodammodò dici potest prima Iudæorum captiuitas in Babylonem abducta: quamquam, quia pauci admodum (vt arbitror) fuere quos tunc Nabuchodonosor transtulit de Iudæa, respectu eorum qui in aliis posteà captiuitatibus ab eodem abducti sunt; propterea existimo hanc inter alias Iudæorum captiuitates, quæ in postremo Ieremiæ capite recensentur, nequaquam fuisse connumeratam. AVCTORIS RESPONSIO.

☞ 4. Porrò in hac captiuitate, quam diximus factam fuisse anno tertio regni Ioakim, vt impleretur Prophetia Isaiæ, cuius nos sub anno mundi 3324. num. 4. meminimus, inter alios captiuos translati quoque fuerunt in Babyloniam quattuor pueri de stirpe Iudæorum regia, nimirum Ezechiæ Regis Iudæ posteri, quemadmodum obiter sub anno mundi numeroque proximè citatis, & item sub anno mundi 3426. num. 3. adnotauimus. Horum nomina erant Daniel, Ananias, Misael, & Azarias, vt patet ex Daniel. cap. allegato vers. 6. Et istos hoc tempore fuisse abductos in Babylonem, sentiunt Eusebius ac B. Hieronymus in Chronicis. Quod autẽ idem B. Hieronymus super cap. 1. Ezechielis scripserit, Danielem cum Iechonia & Ezechiele captum translatumque esse in Babylonem; fortassis non tam memoriæ lapsu (quemadmodum ei imponit Pererius super Daniel. c. 1.) accidit, quàm quòd iste Sanctus illud peculiare videtur habuisse, vt sępiùs DANIEL ET SOCII EIVS PVERI DVCVNTVR CAPTIVI IN BABYLONEM.

aliorum opiniones ita retulerit, ac si ipsiusmet propriæ essent; cùm tamen ex aliis eiusdem scriptis, quid ipse reverà senserit, dignosci possit. Non ergo probandam putamus Auctoris Historiæ Scholasticæ, necnon Lyrani Carthusianique sententiam, existimantium Danielem cum sociis ductum fuisse in Babylonem anno regni Ioakim vndecimo; & multò minùs opinionem illorum, qui putant prædictos pueros cum Sedecia postremo Iudæ Rege fuisse translatos, anno regni eius vndecimo; tametsi id quoque videatur insinuasse Iosephus 10. Antiq. cap. 11. circa medium capitis.

CVIVS AETATIS TVNC ESSET.

¶ 5. Ceterùm, Danielem fuisse puerulum non maiorem annis decem, quando translatus fuit in Babylonem, colligit Pererius non procul à fine Præfationis Commentariorum suorum in Danielem, ex SS. Epiphanio & Isidoro; putatque decimum vitæ Danielis annum cum primo regni Nabuchodonosor, & cum tertio regni Ioakim anno concurrisse. quorum neutrum nos admittendum putamus. Non secundum, propter ea quæ suprà num. 2. tetigimus, & sub anno proximo num. 3. latiùs explicabimus, de concursu anni primi regni Nabuchodonosor cum quarto & quinto regni Ioakim. Non primum, tum quia licet B. Isidorus dicat Danielem tunc fuisse puerum, sanctus tamen Epiphanius rem magis explicans, eumdem pusionem & infantem vocat: quæ nomina conuenire magis videntur pueruło trium circiter quàm decem annorum: tum etiam, quia si poneremus Danielem fuisse decem annorum quando captus fuit, anno Ioakim tertio circiter desinente: cùm idem Daniel; vt sub anno mundi 3438. num. 1. probabimus, duodecim annos expleuisset ætatis, quando Susannam de falso crimine liberauit, proculdubiò oporteret ponere eiusdem Susannæ historiam sub anno regni Ioakim quinto, & consequenter multò ante captiuitatem ipsius Ioakim, & Iechoniæ eius filij: quod nobis videretur valdè absurdum; quoniam non est verisimile, quòd ante dictas captiuitates, Iudæis tunc in Babylonia existentibus, opus esset constituere duos Iudices pro causis inter ipsos, qui tùm pauci admodum erant, exorientibus diiudicandis: & item, quia sequeretur, fieri non posse vt prædicti Iudices qui condemnauerunt Susannam, ijdem fuerint cum duobus illis pseudoprophetis, Achab scilicet filio Coliæ, & Sedecia filio Maasiæ, contra quos prophetauit Ieremias cap. 29. vers. 21. & sequentibus, post ipsius Iechoniæ transmigrationem, vt ex initio eiusdem capitis manifestum est; quandoquidem oporteret ipsos dicti vaticinij tempore, iam ex multis annis à populo fuisse lapidatos: & tamen quòd ijdem fuerint, extat antiquissima Hebræorum traditio, à grauissimis Auctoribus confirmata, de qua sub annis mundi 3436. num. 8. & 9. & 3438. n. 4. & 5. agemus; vbi etiam ex collatione eorum quæ de prædictis pseudoprophetis vaticinatus est Ieremias, cum his quæ de memoratis Iudicibus in Susannæ historia apud Danielem habentur, eiusdem traditionis veritatem apertè ostendemus.

RECHABITAE VENIVNT IN IERVSALEM, ET DEINCEPS HABITANT IBI.

6. Eodem anno regni Ioakim tertio, cùm ascendisset Nabuchodonosor in terram Iuda, vel de proximo expectaretur, nimirum, paulò antequam obsideret Ierusalem; qui tunc superstites erant de posteritate Rechabitarum, de qua sub anno mundi 3151. num. 2. dictum est, cùm hactenus iuxta paterna ipsorum instituta habitassent in tabernaculis extra vrbes, nunc timentes ab exercitu Babyloniorum & Syrorum, ingressi sunt Ierusalem; ac deinceps manserunt in ea, obseruantes nihilominùs ibidem reliqua omnia quæ præceperat eis Ionadab filius Rechab, ipsorum pater, vt ipsimet fatentur apud Ierem. cap. 35. vers. 11.

IEREMIAS RECHABITARVM EXEMPLO VTITVR AD INCREPANDOS IVDAEOS.

7. Non longè ab his temporibus (vt arbitror) nimirum regnante prædicto Ioakim in Ierusalem, misit Dominus Ieremiam Prophetam ad domum, hoc est, familiam Rechabitarum habitantium in Ierusalem: qui cùm venisset ad eos, duxit secum omnes, atque introduxit in Domum Domini ad Gazophylacium filiorum Hanan, posuitque coram eis scyphos & calices plenos vino, cœpitque instare vt biberent. At illi constanter recusantes, dixerunt, nequaquam se bibituros vinum; quandoquidem decreuerant non discedere ab obedientia Ionadab filij Rechab patris eorum, qui olim præceperat eis vt omnino abstinerent à vino; sed & ne plantarent vineas, ædificarentve sibi domum, &c. Qua occasione accepta, Ieremias diuino actus Spiritu, & collatione facta obedientiæ Rechabitarum cùm inobedientia Iudæorum, cœpit acriter increpare eos, quòd noluerint accipere disciplinam Domini. Et Rechabitis firmiter ac perpetuò obseruantibus præcepta patris eorum, qui homo erat; ipsi econtrariò noluerint audire Dominum Deum suum, sæpiùs eos per Prophetas suos monentem ne sequerentur deos alienos, sed magis conuerterentur à via sua pessima; & bona facerent studia eorum. Propterea prophetauit mala quæ ventura erant super Iuda & Ierusalem; & econuersò, bona domui Rechabitarum, vt videre est in citato Ieremiæ cap. 35. per totum.

8. Sub

8. Sub finem eiusdem anni tertij regni Ioakim Regis Iuda, necesse est mortuum esse Nabolassar Regem Babylonis: hoc enim circiter tempore, vt patet in tabulis, completi sunt anni vnus & viginti, quibus ipsum regnasse iam sub anno mundi 3408. num. 3. probatum est; idemque ex his quæ consequenter dicemus, magis comprobabitur. Nec obstat, quòd Nabuchodonosor filius eius non nisi inchoante circiter mense quinto anni subsequentis regnare cœperit, vt sub anno mundi proximo probabitur; quia id accidit, quoniam ipse Nabuchodonosor absens erat cum exercitu bellum gerens in Iudæa, quando obiit pater eius; & propterea non potuit nisi post tres vel quattuor menses redire, ac suscipere in Babylonia regni administrationem; quam interim de more tenuit vnus de Principibus Chaldæorum, vt suprà num. 3. ex Beroso per Iosephum allegato, dictum est. NABOLASSAR REX BABYLONIS MORITVR.

AB ORBE CONDITO ANNVS 3429. QVINTÆ MVNDI ÆTAT. ANNVS 407.

1 ANNO regni Ioakim Regis Iuda quarto regnare cœpit Nabuchodonosor in Babylonia, vt testatur Ieremias cap. 25. vers. 1. vbi agens de anno quarto prædicti Regis Ioakim, subiungit: *Ipse est annus primus Nabuchodonosor Regis Babylonis*. primus, inquam, post mortem patris, quemadmodum sub præcedenti anno mundi num. 3. ex Beroso retulimus; & item ex Iosepho 10. Antiq. cap. 7. apparet. ¶ Verumtamen hîc tria sunt necessariò supponenda, quæ nihilominùs consequenter ex Ptolemæo, Iosepho, & sacra Scriptura comprobabimus. REGNAT NABVCHODONOSOR IN BABYLONE

2. Primum sit, quòd iste Nabuchodonosor est ille Rex, quem Ptolemæus lib. 5. Almagesti cap. 14. vocat Nabopollassar; cuius annus regni quintus, vt ibidem dicitur, fuit (subintellige, ex parte) centesimus vigesimus septimus ab initio regni Nabonassar. Ex quo Ptolemæi loco necessariò infertur; quòd primus dicti Nabopollassar regni annus, fuit centesimus vigesimus tertius ab eodem Nabonassar: hæc enim aptè conueniunt ipsi Nabuchodonosor, vt perspici potest in nostris tabulis. Sed quoniam hoc omnino exploratum habere, multùm refert ad rectam temporum rationem ineundam: confutanda necessariò hîc est opinio Scaligeri, qui lib. quinto de Emendatione temporum, vbi differit de initio Nabopollassaris Regis Chaldæorum, dicit, ipsum esse illum, qui à Beroso apud Iosephum lib. 1. Contra Apionem vocatur Nabolassar, quique fuit pater ipsius Nabuchodonosor. Sed necesse est Scaligerum in hac parte omnino hallucinari: quia Berosus ibidem dicit, ipsum Nabolassar regnasse annos vndetriginta; quamuis idem Auctor relatus 10. Antiq. cap. 11. dicat, vnum supra viginti, quemadmodum nos sub anno mundi 3408. num. 3. adnotauimus; vbi etiam vtrumque locum conciliauimus. Itaque supponamus quod ibidem diximus, & Scaligeri sententiæ minùs reluctari posse videtur, præfatum Nabolassar vnum & viginti annos tantùm regnasse: profectò, si primus regni huius Nabolassar annus, fuisset centesimus vigesimus tertius à Nabonassaro) sequeretur, penitus destructam iri totam Ptolemæi Epochen, ab ipso Nabonassaro deductam; & consequenter omnem doctrinam Astronomicam, quam ex cælorum motibus per annos prædictæ Epoches obseruatis, idem Auctor confirmat traditque: quandoquidem ipse Ptolemæus, quemadmodum sub anno mundi 3306. num. 2. probauimus, asserit, septimum Cambysis annum, fuisse ducentesimum vigesimum quintum Æræ Nabonassaris: & annum vigesimum illius Darij qui Cambysi successit, fuisse ducentesimum quadragesimum sextum eiusdem Æræ: & trigesimum primum dicti Darij, fuisse ducentesimum quinquagesimum septimum ab eodem Nabonassaro: & quòd annus decimustertius Philadelphi, erat quadringentesimus septuagesimus sextus Nabonassaris. Hæc, inquam, omnia, Scaligeri opinione posita, vera reperiri nullo modo poterunt: nam si Nabolassar Nabuchodonosoris pater regnare cœpisset anno Æræ Nabonassaris centesimo vigesimo tertio, vtique oporteret initium regni Nabuchodonosoris eius filij incidisse anno eiusdem Æræ centesimo quadragesimo tertio, (dictum est enim, patrem eius regnasse annos viginti vnum) & consequenter, quòd anno ipsius Nabonassaris centesimo sexagesimo primo, dictus Nabuchodonosor inchoante anno regni sui decimonono abduxisset Iudæos in Babylonem: & quòd ipsa Iudæorum captiuitas post septuaginta annos, id est anno ducentesimo trigesimo primo Æræ Nabonassaris, soluta fuisset: quomodo ergo posset annus ducentesimus vigesimus quintus dicti Nabonassaris concurrere cum anno septimo Cambysis, quem certum est multis post dictæ captiuitatis solutionem annis NABVCHODONOSOR IDEM EST CVM NABOPOLLASSARO PTOLEMAEI.

regnare cœpisse? Quòd si ex Scaligeri positione tam grandis oritur in primo annorum concursu dissonantia, eamdem certè in ceteris quoque subsequi necessarium erit; & & sic totam, vt diximus, Æram Ptolemæi à Nabonassaro deductam, perturbari & omnino confundi. Igitur nullo pacto fieri potest, vt ille Nabopolassar, quem Ptolemæus testatur regnare cœpisse anno Æræ Nabonassaris centesimo vigesimotertio, fuerit Nabolassar pater Nabuchodonosoris; sed magis necesse est quòd fuerit ipsemet Nabuchodonosor: sic enim omnia consona, & Ptolemæi dictis consentientia reddentur, vt in nostris tabulis experiri quisque poterit. Nec quemquam moueat, quòd in eisdem tabulis inueniatur annus primus regni Nabuchodonosor concurrere, non cum centesimo vigesimo tertio Æræ Nabonassaris, sed cum centesimo vigesimo quarto: & item annus quintus dicti Nabuchodonosor concurrat non cum centesimo vigesimo septimo, sed cum centesimo vigesimo octauo præfatæ Æræ: quia singuli anni Nabuchodonosor concurrunt ex parte cum duobus prædictæ Æræ annis, ob causam sub anno mundi 3306. num. 1. assignatam; & certum est, quòd quotiescumque propter diuersa regnorum principia, vnius regni annus concurrit ex parte cum duobus alterius regni annis; tunc quia id in tabulis exprimi non potest, sufficit vt dictus annus concurrat saltem cum vno ex illis duobus alterius regni; quemadmodum etiam in huius Operis Præfatione num. 5. adnotauimus. Ex supradictis item consequitur hallucinari Eusebium, qui in Chronicis posuit initium regni Nabuchodonosor in anno tertio Olympiadis quadragesimæ secundæ, cùm debuisset illum ponere in anno quarto Olympiadis trigesimæ octauæ: in hunc enim annum incidit annus à Nabonassaro centesimus vigesimus tertius, siue quartus, vt dictum est.

ANNVS I. REGNI NABVCHODONOSOR CONCVRRIT CVM 4. ET 5 REGNI IOAKIM.

3. Alterum hîc supponendum, erit, annum primum regni Nabuchodonosor tum de quarto, tum etiam de quinto regni Ioakim anno participasse: cuius assertionis veritas sic ostenditur: Nam Iosephus 10. Antiq. cap. 7. apertè ponit initium regni Nabuchononosor anno regni Ioakim quarto, & quartum regni Nabuchodonosor anno regni Ioakim octauo: ergo necesse est fateri, primum annum ipsius Nabuchodonosor concurrisse partim cum quarto & partim cum quinto Iaokim; alioquin si concurrisset vel totus cum quarto, vel ex parte cum tertio, & ex alia cum quarto, proculdubiò quartus Nabuchodonosoris annus nullo modo potuisset concurrere cum octauo Ioakim; sed vel totus cum septimo, vel cum sexto & septimo. Præterea Ierem. cap. vlt. vers. 28. legimus ipsum Nabuchodonosor transtulisse anno regni sui septimo Iudæos ter mille ac viginti tres: hæc autem captiuitas de nulla alia videtur posse accipi, nisi de illa quæ facta est, quando captus est ipse Ioakim anno regni sui vndecimo: præsertim cùm 4. Reg. cap. 24. vers. 12. scriptum sit, eumdem Nabuchodonosor anno regni sui octauo suscepisse Ioachin Iechoniam prædicti Ioakim filium, vltrò se suaque omnia eidem tradentem; quod post tres circiter menses à capto Ioakimo contigisse, ex citato Reg. cap. vers. 8. certum est; & consequenter, currente pariter vndecimo regni Ioakim anno. Ex quibus satis euidēter apparet, harum duarum captiuitatum primam accidisse sub finem anni septimi regni Nabuchodonosor, alteram verò circa initia anni eiusdem octaui. Igitur si annus vndecimus regni Ioakim concurrit partim cum septimo & partim etiam cum octauo regni Nubuchodonosor; necessariò oportet quintum dicti Ioakim concurrisse cum primo & secundo regni Nabuchodonosor; & consequenter, primum regni eiusdem Nabuchodonosor inchoasse currente anno quarto regni Ioakim, non autem tertio, vt in tabella inferiùs num. 5. ponenda intueri licebit.

NABVCHODONOSOR REGNARE COEPIT INCHOANTE MENSE QVINTO ANNI 4. IOAKIM.

4 Tertia denique propositio à nobis supponenda, quæ etiam propiùs ad punctum accedit, est, quòd annus primus regni Nabuchodonosor cœpit inchoante circiter mense quinto anni quarti Ioakim; qui mensis quintus tum fortè coincidebat cum mense quinto Anni sacri tunc currentis. Quæ propositio ita probari potest: Legimus Ierem. cap. 52. vers. 29. memoratum Nabuchodonosor anno regni sui decimooctauo transtulisse de Ierusalem animas octingentas triginta duas: neque videtur hîc Propheta potuisse loqui de alia translatione, quàm de ea quæ facta fuit in fine anni vndecimi Sedeciæ Regis Iuda; quam videlicet ipsemet Ieremias describit in eodem cap. vers. 5. vsque ad 28. & cap. 39. vers. 2. vsque ad 10. & refertur quoque 4. Reg. cap. 25. vers. 2. vsque ad 22. Ex quibus locis simul collatis constat, eamdem captiuitatem non solùm contigisse anno vndecimo regni Sedeciæ, verùm etiam in mense quarto, tunc enim aperta est ciuitas, & Sedecias cum quibusdam aliis fugiens captus est; & populus in Babyloniam transmissus. In mense autem quinto qui proximè sequebatur, Nabuzardan, iubente Rege Babylonis, post eductos nimirum Iudæos, desolauit ciuitatem, Templumque

plumque combussit. Cùm igitur Ieremias cap.52. vers.29. suprà citatis dicat, hanc captiuitatem factam esse anno regni Nabuchodonosor decimooctauo,& vers.6. eiusdem capitis dixerit, eamdem accidisse in mense quarto; & vers.12. subdat, in mense autem quinto (ipse est annus nonusdecimus Nabuchodonosor) incensum fuisse Templum, & subuersam vrbem; quod & repetitum legimus etiam 4. Reg.cap. vlt. vers.8. proculdubiò clarè infertur, (vt etiam benè notat Caietanus super loco Reg. citato) annum regni Nabuchodonosor decimumoctauum sub finem dicti mensis quarti terminasse,& annum decimumnonum circa exordia mensis quinti immediatè subsequentis incepisse. Quare quod ait Iosephus 10. Antiq.cap.11. non longè ab initiò capitis, & idem repetit lib.1.Contra Apionem circa medium libri ex Beroso, & item ex Alexandro Polyhistore refert Eusebius de Præparatione Euangelica lib.9.cap.4.nempe, Templum Ierosolymitanum incensum vastatùmque fuisse anno regni Nabuchodonosor decimooctauo; proculdubiò de fine eiusdem anni intelligendum est: alioqui dictum istud Scripturæ sacræ penitus aduersaretur. Itaque, vt ad caput redeat disputatio nostra, si annus regni Nabuchodonosor decimusnonus cœpit inchoante mense Anni sacri quinto; vtique necessariò consequitur, quòd pariter annus regni eius primus ab initio eiusdem mensis cœperit. Et hæc sit tertiæ huius propositionis probatio: si tamen illud addiderimus, memoratos quartum & quintum menses, non dici fuisséve tales respectu vndecimi anni Sedeciæ: nam si hoc esset, sequeretur, dictum Sedeciam non expleuisse annum regni sui vndecimum, cōtra id quod expressè colligitur Ierem.cap.1. vers.3. vbi dicitur: *Vsque ad consummationem vndecimi anni Sedeciæ filij Iosiæ Regis Iuda, vsque ad transmigrationem Ierusalem, in mense quinto*. ex quo loco manifestè apparet, quòd annus regni Sedeciæ vndecimus tunc complebatur, quando fieri cœpit transmigratio Iudæorum in Babylonem. Ergo, vt diximus, isti menses quartus & quintus, non possunt referri nisi ad Annum sacrum tunc currentem, quemadmodum etiam citatus sentit Caietanus. & ratio quoque ipsa suadet: nam non ad annum regni Sedeciæ vndecimum, quia tunc complebatur; neque ad decimumnonum ipsius Nabuchodonosor; quia tunc incipiebat, vt adhuc clariùs ex tabella in fine numeri sequentis ponenda dignosci poterit; ergo (vt dicebamus) ad Annum sacrum tunc currentem sunt referendi.

5. Ex his, aliquot deduci possunt corollaria. Et primum erit, Ioakim ab exordio Anni sacri regnare cœpisse, quemadmodùm sub anno mundi 3426.num.1. adnotauimus: nam si anni regni eius quarti mensis quintus, erat etiam quintus Anni sacri; vtique oportet primum quoque eius mensem fuisse primum Anni sacri;& consequenter, ceteros omnes ordinatim coincidisse cum singulis mensibus Anni sacri. Alterum corollarium sit, quòd ab initio anni quarti regni Ioakim, ad finem anni vndecimi Sedeciæ, non possunt inueniri nisi decem & octo anni, & menses quattuor: ab exordio autem regni Nabuchodonosor, ad finem regni eiusdem Sedeciæ, fluxerunt præcisè anni decem & octo (dictum est enim quòd ipse Nabuchodonosor regnare cœpit circa initia mensis quinti, anni quarti Ioakim:) qui anni decem & octo qualiter dispertiendi sint inter tempora dicti Ioakim, & Iechoniæ eius filij, & Sedeciæ eius fratris, ex tabella quæ in calce huius numeri ponetur, clariùs dignosci poterit. Aliud corollarium est, confirmatio assertionis, cuius non semel anteà, præsertim verò sub anno mundi 3425. num.3. meminimus; nimirum, Ioakim non modò non expleuisse, sed vnius tantùm mensis spatio inchoasse annum regni sui vndecimum. Si enim, vt diximus, ab initio anni quarti regni Ioakim ad finem regni Sedeciæ, computantur solùm anni decem & octo, & menses quattuor; ergo ab initio regni Ioakim ad finem regni Sedeciæ, defluxerunt vnus & viginti anni, & quattuor menses: ex quibus, si Sedecias regnauit annos vndecim completos, certè remanent anni dumtaxat decem, & menses quattuor: excipe ab his menses tres quibus regnauit Iechonias; & inuenies Ioakim regnasse tantummodò annos decem, & mensem vnum de anno eius vndecimo. Dicitur tamen regnasse annis vndecim, nimirùm fractis seu tantummodò inchoatis; vel eo modo quo etiam Mathusala dicitur vixisse annos nongentos sexaginta nouem; quamuis de nongentesimo sexagesimo nono vnum tantùm vitæ mensem, aut paulò plus exegerit; quemadmodum nos sub anno mundi 1656.num.1.ostendimus: vel quoniam Ioakim quodammodò dici potest peruenisse ad quintum vndecimi anni mensem, computatis nimirum tribus regni Iechoniæ filij sui mensibus, qui aliquatenus patri quoque attribui posse videntur; quoniam tametsi Ioakim sub finem mensis primi anni eius vndecimi captus fuerit, attamen (vt sub anno mundi 3435.nu.5.dicemus) fieri potest vt non fue-

COROLLARIA EX SVPRADICTIS DEDVCVNTVR.

rit occisus, nisi paulò antequam Iechonias filius eius sese tradidit Regi Nabuchodonosor, inchoante nimirum mense quinto prædicti anni eius vndecimi. Et quoniam eodem tempore, vt sub anno mundi 3435. num. 5. comprobabitur, idem Nabuchodonosor transtulit Iechoniam in Babylonem, & pro ipso substituit Sedeciam Regem in Ierusalem; ideò etiam sequitur, quòd primus annus regni Sedeciæ cœpit ab ipso mense Anni sacri quinto, non multò postquam iam inceperat annus regni Nubuchodonosor octauus; & sic ferè totus primus Sedeciæ annus concurrit cum octauo regni Nabuchodonosor, & cum primo transmigrationis Iechoniæ; & consequenter, annus vndecimus postremusque dicti Sedeciæ concurrit cum decimooctauo regni Nabuchodonosor, attingitque aliquid de initio deciminoni. Quæ omnia ex subsequenti laterculo facilius innotescere poterunt.

Regni Nabuchodonosor annus		incepit Regni Ioakim anno		definit eiusdem Ioakim anno		inchoante eiusdem anni, & pariter Anni sacri mense
	1.		4.		5.	5.
	2.		5.		6.	5.
	3.		6.		7.	5.
	4.		7.		8.	5.
	5.		8.		9.	5.
	6.		9.		10.	5.
	7.		10.		11.	5.

Ioakim captus est anno regni sui vndecimo, mense eiusdem anni primo circiter desinente: in cuius regnum successit filius eius Iechonias tribus mensibus; nimirum secundo, tertio, & quarto eiusdem anni vndecimi. post quem regnauit Sedecias. Igitur

Regni Sedeciæ annus		cœpit regni Nabuchodonosoris anno per aliquot dies iam inchoato		definit eiusdẽ Nabuchodonosoris anno per totidem dies iam incepto		currente Anni sacri mense
	1.		8.		9.	5.
	2.		9.		10.	5.
	3.		10.		11.	5.
	4.		11.		12.	5.
	5.		12.		13.	5.
	6.		13.		14.	5.
	7.		14.		15.	5.
	8.		15.		16.	5.
	9.		16.		17.	5.
	10.		17.		18.	5.
	11.		18.		19.	5.

Quare annus decimusnonus regni Nabuchodonosor, concurrit pro maiori parte cum anno primo transmigrationis Ierusalem, seu desolationis Templi, quæ facta est in consummatione anni vndecimi Sedeciæ, in mense Anni sacri quinto, vt habetur Ierem. cap. 1. vers. 3.

IEREMIAS PROPHETAT CONTRA PHARAONEM NECHAO.

6. Eodem anno Ioakim Regis Iuda quarto, paulò antequam Nabuchodonosor Rex Babylonis anno primo regni sui venisset cum exercitu iuxta Euphraten in Charcamis contra Pharaonem Nechao Regem Ægypti, qui tunc dominabatur Syriæ, Ieremias prophetauit aduersus exercitum prædicti Pharaonis, quæ habentur Ierem. c. 46. vers. 1. vsque ad 13. Atque ita non multò pòst collatis signis percussus est Pharaonis exercitus, vt cap. Ierem. citato vers. 2. dicitur, & scribit etiam Iosephus 10. Antiq. cap. 7. vbi addit, quòd tunc *Babylonius, superato Euphrate, totam Syriam Pelusium vsque subegit, Iudæa excepta.* quod etiam obiter traditur 4. Reg. cap. 24. vers. 7. his verbis: *Et vltrà non addidit Rex Aegypti, vt egrederetur de terra sua: tulerat enim Rex Babylonis, à riuo Aegypti vsque ad flumen Euphraten omnia quæ fuerant Regis Aegypti.* Illud autem, *Iudæa excepta*, à Iosepho additum puto, quòd fortasse ideò Rex Babylonis tunc Iudææ pepercerit, quia (vt dictum est) anno præcedenti ipse Nabuchodonosor fœdus percusserat cum Ioakim Rege Iudæorum. Et hoc facit ad confirmanda omnia, quæ sub eodem anno præcedenti num. 1. 2. & 3. diximus; nimirum illud bellum & illam pacem inter Nabuchodonosor & Regem Ioakim ibidem descripta, verè accidisse anno regni ipsius Ioakim tertio: alioqui non esset verisimile, quòd Nabuchodonosor anno præsenti in subigenda Syria

IDEM PHARAO A NABVCHODONOSOR PERCVTITVR.

vsque

vſque ad Peluſium, intactam reliquiſſet Iudæam, inter has regiones mediam. Ex eo autem quod hîc dictum eſt, Babylonium ſubegiſſe ſibi hoc anno totam Syriam; fit clarum, eamdem, aut non totam prius fuiſſe ſub Imperio patris; & propterea id quod ſub anno præcedenti num. 3. ex Beroſo retulimus de Satrapa illo, quem Nabolaſſar pater huius Nabuchodonoſor Ægypto Syriæque præfecerat, debere intelligi de aliquibus Ægypti Syriæque locis, non autem de omnibus: vel ſi ſaltem tota ferè Syria prius aliquando fuerat Nabolaſſar Regis Babylonis; oportet quòd eadem poſteà occupata fuerit à Pharaone, quando anno regni Ioſiæ Regis Iuda poſtremo profectus eſt ad Euphraten in Charcamis, vt ſub anno mundi 3425. num. 1. dictum eſt. Bis ergo conflixit Nechao Rex Ægypti in Charcamis prope Euphraten, ſemel contra Nabolaſſar Regem Babylonis, ſeu contra eius Duces; & hoc contigit anno regni Ioſiæ Regis Iuda poſtremo. Deinde iterum aduerſus Nabuchodonoſor dicti Nabolaſſar filium, currente anno quarto Ioakim memorati Ioſiæ filij. Et primò quidem pugnauit Nechao (vt creditur) feliciter; ſecundò autem (vt diximus) euentu infeliciſſimo.

IEREMIAS PROPHETAT IVDAEORVM CAPTIVITATEM 70. ANNIS DVRATVRAM. IN CARCEREM MITTITVR.

7. Eodem anno regni Ioakim quarto, qui pro maiori parte concurrebat cum primo regni Nabuchodonoſor, & cum anno vigeſimo tertio ex quo Ieremias prophetare cœperat, vt ipſemet teſtatur cap. 25. verſ. 1. & 3. & patet in tabulis, idem Ieremias prædixit ea omnia, quæ in citato Prophetiæ eius capite habentur: in primis verò aduentum Nabuchodonoſor Regis Babylonis contra Iudæos & finitima regna ibidem enumerata; & eorumdem Iudæorum captiuitatem ac Ieroſolymæ deſolationem annis ſeptuaginta duraturam; & his tranſactis, interitum regni Chaldæorum. Ob quam Prophetiam, vt arbitror, ab impio Rege Ioakim, ſanctus vir recludi in carcerem, ſiue in quodam particulari loco detineri iuſſus eſt; ita tamen, vt non eſſet prohibitum Barucho ſeruo eius ad ipſum accedere, eidemque inſeruire; vt ex his quæ infrà num. 13. dicentur, palàm fiet.

DIFFERENTIA INTER 70. CAPTIVITATIS ANNOS A IEREMIA ET ZACHARIA MEMORATOS.

¶ 8. Verùm quod attinet ad prædictos ſeptuaginta captiuitatis annos à Ieremia prænuntiatos; ſi quis percontetur, an ſint illimet, quorum meminit Zacharias Prophetiæ ſuæ cap. 1. verſ. 12. Breuiter reſpondeo, Nequaquam, ſed ab illis fuiſſe diuerſos; ſiquidem illi quos memorat Zacharias, deſierunt in anno ſecundo Darij regis Perſarum, vt patet ex initio capitis Zachariæ citati: at ſeptuaginta anni de quibus loquitur Ieremias, longè antè expleti ſunt, nimirum anno primo Monarchiæ Cyri, quemadmodum ex multis Scripturæ ſacræ locis manifeſtum eſt, & præſertim 2. Paralip. cap. vlt. verſ. 21. vſque ad finem capitis, & 1. Eſdræ cap. 1. verſ. 1. & Ierem. cap. 25. verſ. 12. vbi apertè prænuntiat, quòd in fine horum ſeptuaginta annorum, Deus viſitabit iniquitates Chaldæorum, deſtruetque eorum Imperium; quod poſteà à Cyro Perſa & Dario Medo exterminatum fuiſſe, certum eſt. Item Daniel. cap. 9. verſ. 1. & 2. vbi teſtatur Propheta, quòd in anno primo Darij Medi, qui imperauit ſuper regno Chaldæorum, intellexit compleri annos ſeptuaginta olim à Ieremia prophetatos: manifeſtum eſt autem, hunc annum primum Darij Medi, quo regnare cœpit ſuper regno Chaldæorum, concurrere aliqua ex parte cum anno primo Monarchiæ Cyri, vt ſub anno mundi 3516. num. 13. declarabitur. Itaque, ſi poſtremus vtriuſque ſeptuagenarij anni terminus non eodem incidit tempore, neceſſariò fit conſequens, etiam initia ipſorum fuiſſe diuerſa. Videamus igitur nunc, ſi placet, de ſeptuaginta annis hîc à Ieremia prophetatis, vndénam inchoari debeant: nam de illis quorum fit mentio apud Zachariam, poſteà ſub anno mundi 3462. numer. 3. agemus.

DE COMPVTATIONE ANNORVM 70. CAPTIVITATIS VARIAE SENTENTIAE.

9. Sanè de horum annorum ſupputatione conſtat varias reperiri Doctorum opiniones; & præcipuè quattuor. Etenim aliqui putant, illos initium ſumpſiſſe ab anno decimotertio regni Ioſiæ Regis Iuda, in quo idem Ieremias prophetare cœperat. Quidam ab hoc anno quarto regni Ioakim, qui fuit primus regni Nabuchodonoſor, & in quem credunt incidiſſe primum eius aduentum in Iudæam. Aliqui ab anno regni eiuſdem Ioakim vndecimo; ſiue (quod eodem anno contigit) ab eo tempore, quo filius eius Iechonias ductus eſt cum Regina matre, & vxoribus, & eunuchis, & Principibus, & magna populi multitudine, captiuus in Babylonem; vt deſcribitur 4. Reg. cap. 24. verſ. 12. & 2. Paralip. cap. vlt. verſ. 10. & Ierem. cap. 29. verſ. 2. & 3. Alij denique à fine anni vndecimi Sedeciæ, quando ſcilicet incenſum eſt Templum, & vaſtata fuit ciuitas. Harum ſententiarum varietatem illud maximè fouet nutritque, quòd tam ex Eccleſiaſticis quàm Ethnicis Scriptoribus, nullo modo videatur haberi poſſe verus atque indubitatus annorum numerus, qui ab obitu Regis Nabuchodonoſor, ſiue ab exordio regni Euilmerodach ad poſtremum Baltaſſaris annum, id eſt ad finem Babylonici Imperij, initiúmve Monarchiæ Cyri Regis Perſarum defluxerunt; idque ob ipſorum varias admo-

dum de hac re ſententias, vt numero proximo indicabimus. Neque item ex Sacris libris id ſciri poſſit, niſi priùs certò conſtiterit, vnde ſeptuaginta captiuitatis anni à Ieremia prænuntiati inchoari, vbíve terminari debeant. Propterea Scriptorum ſinguli, ſine vllo ſcrupulo, dictos annos à morte Nabuchodonoſor ad primum Monarchiæ Cyri, plures pauciorésve faciunt, prout propriæ ipſorum opinioni, de exordiendis ſeptuaginta huius captiuitatis annis magis quadrare perſpexerint. Atque hoc pacto, qui primã ſequuntur ſententiam, coguntur ponere ab obitu Nabuchodonoſor ad finem Imperij Babylonici, annos dumtaxat ſex: qui verò ſecundam, annos viginti ſex: qui autem tertiam, annos triginta tres: & denique qui quartam, annos quadraginta quattuor; quos inter alios Chaldæorum Reges pro libito ſuo diſpertiunt.

QVOD NON SINT EXORDIENDI AB ANNO REGNI IOSIAE 13.

QVOD NON AB ANNO REGNI IOAKIM QVARTO.

10. Vt igitur in re tam ancipiti & varia quid ſentiendum putemus, in medium proferamus: Dicimus, nequaquam poſſe nos in eorum ire ſententiam, qui primam ex enumeratis ſequuntur opinionem: quoniam ſacræ omnino videtur aduerſari Scripturæ, quæ Ierem. cap. 25. verſ. 11. proteſtatur, quòd durantibus illis ſeptuaginta annis, Iudæi ac finitimæ Gentes iugiter ſeruituræ erant Regi Babylonis: atqui conſtat, Iudæos ab anno regni Ioſiæ decimotertio vſque ad finem vitæ eius, per annos decem & octo, non modò Babyloniis, ſed nec vllis aliis externis Regibus fuiſſe ſubiectos; & Nabuchodonoſor Regem Babylonis non niſi anno regni Ioakim tertio cœpiſſe moleſtare Iudæos. Non item poſſumus ſecundam probare opinionem, tametſi viderimus quæ fuſiùs pro ea diſſerit Ribera ſuper cap. 1. Zachariæ: & ratio eſt, quia primus aduentus Nabuchodonoſor in Iudæam contigit non anno regni Ioakim quarto, vt ipſe opinatur, ſed tertio, vt apertè teſtatur Daniel in exordio Prophetiæ ſuæ; hoc eſt anno vno ante obitum patris ſui Nabolaſſar, vt nos ſub præcedenti anno mundi num. 3. declarauimus. Conſtat autem hoc Ieremiæ vaticinium eſſe factum anno inſequenti, nimirum quarto regni eiuſdem Ioakim, qui erat primus regni Nabuchodonoſor. Et ſi huius Prophetiæ verba benè perpendantur, proculdubiò planum fiet, illos ſeptuaginta annos non à primo aduentu Nabuchodonoſor iam præterito, ſed ab alio mox futuro eſſe numerãdos. Inquit enim Ieremias: *Ecce ego mittam, & aſſumam vniuerſas cognationes Aquilonis, ait Dominus, & Nabuchodonoſor Regem Babylonis ſeruum meum; & adducam eos ſuper terram iſtam, & ſuper habitatores eius, & ſuper omnes nationes quæ in circuitu illius ſunt.* & poſt pauca, ſubiungit: *Et ſeruient omnes Gentes iſtæ Regi Babylonis ſeptuaginta annis.* Ecce quomodo Propheta ſemper loquitur de tempore futuro, non poſt vnum (vt arbitror) aut alterum annum, ſed poſt plures. Solet enim miſericors Dominus, calamitates præſertim tam magnas, multis anteà annis prædicere & comminari, vt multos ad pœnitentiam inducat atque expectet. Præterea ſi hos ſeptuaginta annos ab anno regni Ioakim quarto exordiri voluerimus, neceſſarium erit cum Ribera nullum Regem Babyloniorum ponere inter Euilmerodach & Baltaſſarem; & admittere, ipſum Baltaſſarem tribus tantùm annis regnaſſe: ſiquidem (vt ipſe ait) communior opinio eſt, ipſum Nabuchodonoſor annis circiter quadraginta quattuor regnaſſe, & immediatè poſt ipſum, Euilmerodach annis viginti tribus; remanent igitur tres dumtaxat regni Baltaſſar, ad explendam ſummam annorum ſeptuaginta. Atqui veteres Scriptores tribuere ſolent plures regni annos Baltaſſaro, quemadmodum nos ſuo loco dicemus: & Beroſus Chaldæus, Chaldaicarumque rerum Scriptor antiquiſſimus, cui ratio dictat in hac parte magis eſſe credendum, inter Euilmerodach & Baltaſſar, duos alios recenſet Reges; videlicet Niglisar, & Laboſordach; vt refert Ioſephus lib. 1. Contra Apionem circa medium: quamquam conſtat, Ioſephi textus (quod ſpectat ad numeros annorum regni dictorum Regum Babylonis) eſſe vitiatos, vt colligi poteſt ex collatione loci Contra Apionem citati, cum his quæ idem Auctor de eiſdem Regibus repetit 10. Antiq. cap. 12. circa capitis initia. Porrò, quod attinet ad prædictos duos Reges inter Euilmerodach & Baltaſſar à Beroſo interpoſitos, non eſt credendum, quòd eos ipſe de ſuo capite finxerit, præſertim cùm idem ferè ſcriptum reliquerint alij antiquiſſimi Scriptores, nempe Alexander Polyhiſtor, Megaſthenes, & Alphæus, relati ab Euſebio lib. 9. de Præparatione Euangelica c. 4. quos deinde ſecuti ſunt alij poſteriores, videlicet ipſe Ioſephus locis citatis, Euſebius vbi ſuprà, Beatus Hieronymus ſuper cap. 5. Danielis, Beda in libro de Sex ætatibus mundi, Auctor Hiſtoriæ Scholaſticæ, Daniel. cap. 5. & alij.

44
23
3
70

INTER EVILMERODACH ET BALTASSAR EXTITISSE ALIOS DVOS REGES

LOCVS IEREMIAE EXPLICATVR.

11. Neque horum Auctorum ſententiæ aduerſari cenſendus eſt locus Ieremiæ c. 27. verſ. 7. vbi pollicetur Dominus ſe daturum regnum Regis Nabuchodonoſor, filio eius, & filio filij eius: Ex quo loco videtur poſſe inferri, quòd Nabuchodonoſor duos tantùm in regno Babylonis ſucceſſores habuerit; nempe filium ſuum Euilmerodach, & Baltaſ-

ſarem

ſarem nepotem. Non,inquam,hoc prædictis obſtare intelligemus,ſi animum attendamus his quæ ſcribit Pererius lib.5.Commentariorum ſuorum in Danielem:vbi de prædictis Regibus diſputans, tandem concludit, quòd Baltaſſar poſtremus Rex Chaldæorum verè fuit nepos ipſius Nabuchodonoſor;ſed quia paruulus erat,quando pater eius Euilmerodach à Nigliſaro ſororis ſuæ marito (vt præfati tradunt Auctores) occiſus fuit, idcircò, vt Ieremiæ Prophetia adimpleretur, Dei beneficio à cæde clàm ſublatus, & tuto loco aſſeruatus eſt, donec poſteà Nigliſar obiit,& filius eius Laboſardach interfectus fuit: tunc enim ipſe Baltaſſar paterno potitus regno, deinceps vſque ad Imperij Babylonici interitum regnauit.

12. Non etiam tertiam admittere poſſumus opinionem,illorum ſcilicet, qui ſeptuaginta annos Babylonicæ captiuitatis à Ieremia prænuntiatæ,ab anno regni Ioakim vndecimo; ſiue,quod idem eſt,à captiuitate Iechoniæ filij eius ſupputare incipiunt. Quia, tametſi prima fronte videatur id liquidò colligi poſſe ex ipſiuſmet Ieremiæ cap.29. in quo (vt patet ex initio eiuſdem capitis vſque ad verſ.4.) epiſtola ipſius Ieremiæ ad populum, qui cum Iechonia ductus fuerat captiuus in Babylonem, tranſmiſſa continetur: ibi enim à verſ.4.vſque ad 11. Ieremias hortatur eos, ne credant falſis prophetis prædicentibus ſolutionem captiuitatis breui eſſe faciendam ; quin potiùs admonet tranſmigratos,vt ibi,hoc eſt in Babylonia, pacificè permaneant,ædificent domos, ducant vxores, procreent filios;quoniam non niſi poſteaquam impleri cœperint ſeptuaginta captiuitatis anni, liberandi eſſent: *Hæc enim*,inquit,*dicit Dominus,cùm cœperint impleri in Babylone ſeptuaginta anni, viſitabo vos; & ſuſcitabo ſuper vos verbum meum bonum,vt reducam vos ad locum iſtum*,&c.Ex quibus verbis,vt dixi,videtur manifeſtè indicari,illos ſeptuaginta captiuitatis annos,de quibus ibidem agitur, ab ipſa tranſmigratione Iechoniæ numerandos eſſe:verumtamen ſi ea quæ in citato capite dicuntur,diligentiùs cum his quæ idem Propheta cap.25.dixerat, conferantur, proculdubiò comperiemus, rem aliter ſe habere,quemadmodum nos ſub anno mundi 3447. n.2. & 3. ſatis euidenter oſtendemus;vbi pariter probabimus,hos ſeptuaginta Babylonicæ captiuitatis annos,non aliunde quàm ab exacto vndecimo regni Sedeciæ anno eſſe inchoandos:quæ quarta ex ſuprà numeratis erat opinio.Nec obſtat quòd S.Matthæus cap.1. verſ.11. & 12. Babylonicæ tranſmigrationis nomine, intelligat illam quæ cum Rege Iechonia facta eſt : quia cùm ibi Euangeliſtæ intentio eſſet, Saluatoris genealogiam texere, quæ non per Sedeciam, ſed per Iechoniam deducenda erat;certè oportuit ipſum Iechoniæ,non autem Sedeciæ tranſmigrationis mentionem facere : & propterea nihil adiecit de ſeptuaginta annis à Ieremia prophetatis; per hoc inſinuans, ſe ibi non de illa eſſe locutum, ſed de alia, quæ octoginta annis & ampliùs perdurauit, quemadmodum nos ſub anno mundi proximè allegato num.3. dicemus.

QVOD PRAEDICTI 70. ANNI NON SINT NVMERANDI AB 11.IOAKIM.

AVCTORIS SENTENTIA.

☞ 13. Eodem anno regni Ioakim quarto,iuſſit Dominus Ieremiam deſcribere omnia mala,quæ idem Dominus diuerſis temporibus,à diebus Ioſiæ vſque nunc, indicauerat ei eſſe ventura ſuper Ieruſalem & Iudam; vt poſſint legi & notificari coram populo, ſi fortè prouocare eum valeant ad pœnitentiam & emendationem. Itaque ſtatim Ieremias accerſito ad ſe Baruch, nimirum in loco, vbi (quemadmodum ſuprà num.7. dictum eſt) clauſus detinebatur, dictauit eidem Barucho ſcribenti atramento (vt ſignanter verſ.18.capitis paulò pòſt citandi dicitur) in volumine pagellis diſtincto (quemadmodum ibidem verſ.23.colligitur) omnia quæ locutus fuerat ei Dominus contra Ieruſalem & Iudam.Ex quo loco obiter colligi poteſt, quàm vetus fuerit vſus ſcribendi per calamum & atramentum apud Iudæos : tametſi etiam longè ante, nimirum, Dauidis temporibus,eumdem ſcribendi modum extitiſſe, colligi poſſit ex illis Pſal.44. verbis: *Lingua mea calamus ſcribæ velociter ſcribentis*. Qui enim calamo ſcribebant,non niſi per atramentum quoque ſcribere potuiſſe videntur.Deinde præcepit Ieremias Barucho,vt poſteaquam ſibi inde egredi non permittebatur, ipſe iret, legeretque librum in Domo Domini;non ſolùm coram populo Ieroſolymitano, ſed etiam vniuerſo Iuda venienti de ciuitatibus ſuis ad diem ieiunij ſollemnem:Ierem.cap.36.verſ.1.vſque ad 8.De dicto ieiunio vide quæ ſub anno mundi 2545.num.44.diximus. Nunc illud tantùm hîc addendum eſt, non videri probabile, quòd hoc ieiunium prædicatum fuerit ob cauſam à Lyrano,Hugone Cardinali,& aliis adductam,nimirum quia audierant Babylonios præparare ſe, vt venirent aduerſus Iudam & Ieruſalem: quia (vt ex ſub anno mundi 3428. num.1.& 3.dictis patet) Nabuchodonoſor,non anno regni Ioakim quarto, vt ipſi putant,neque quinto, in quo prædicatum eſt ieiunium,venit; ſed anno tertio iam venerat in Ieruſalem,reſque cum ipſo Ioakim ita compoſuerat, vt iam non eſſet timendum de nouo

IEREMIAS DICTAT BARVCHO SCRIBAE OMNIA MALA QVAE IVDAEIS VENTVRA ERANT.

VSVS SCRIBENDI CALAMO ET ATRAMENTO QVAM VETVS.

DE CAVSA IEIVNII HOC ANNO PRAEDICATI.

nouo eius hostili reditu proximè secuturo. Et reuerà, tametsi posteà, hoc est, anno regni ipsius Ioakim octauo, idem Nabuchodonosor minis ac terroribus coëgerit Iudæos, more aliorum Syriæ populorum, sibi quotannis tributa soluere, quemadmodum sub anno mundi 3432. num. 1. dicemus, non tamen iterùm cum exercitu rediit in Ierusalem, nisi sub finem anni decimi regni eiusdem Ioakim, quando eum comprehendit, ac demum tamquam perduellem occidit, vt sub anno mundi 3435. n. 2. & 4. & 5. ostendemus. Sed neque verisimile est, ipsum Ioakim adeò religiosum fuisse, vt ad calamitates à Prophetis prænuntiatas auertendas, animum induceret publica indicere ieiunia, populosque ad opem Dei in Templo implorandam conuocare. Quis enim facilè credat, Regem impium & incredulum, qualis erat Ioakim, qui nolebat Prophetas de hac re loqui, & propterea Vriam, vt sub anno mundi 3426. num. 2. diximus, occidi iusserat; & ipsum Ieremiam, quemadmodum dictum est, clauserat in carcerem; & postmodum, vt anno proximo dicemus, eius Prophetiam in volumine scriptam, igne combussit; quis inquam credere valeat, talem Regem tali de causa permisisse prædicari ieiunium, & conuocari in Ierusalem vniuersum Iudam? neque enim fas est credere, talem conuentum inscio Rege, qui tum præsens erat, fieri potuisse. Quare oportet aliquam aliam huius indicendi ieiunij causam extitisse, & illam quidem vel omnibus tunc notam, ac propterea in Sacro textu non indicatam; vel à solo Ieremia prophetico spiritu præuisam, ac Barucho prænuntiatam. Ceterùm ipse Baruch, accepta à domino suo iussione legendi librum in die ieiunij coram vniuerso populo, præ spiritus pusillanimitate cœpit conqueri, & timere sibi, præsertim à Rege, malum: verumtamen vt primùm per os Prophetæ diuinum audiuit responsum, quod habetur Ierem. cap. 45. in fine, animatus, omnia sibi imperata mox intrepidè exequi curauit, vt consequenter dicemus.

AB ORBE CONDITO ANNVS 3430. — QVINTÆ MVNDI ÆTAT. ANNVS 408.

VATICINIA IEREMIAE SCRIPTA A BARVCHO LEGVNTVR IN DOMO DOMINI.

1 ANNO regni Ioakim Regis Iuda quinto, mense nono, prędicauerunt ieiunium, de quo paulò antè dictum est, in Domo Domini, cunctis qui eòdem confluxerant de ciuitatibus Iuda, & Ierusalem; legitque Baruch ex volumine quod scripserat, sermones Ieremiæ in introitu portæ nouæ Domus Domini. Quod cùm nuntiatum fuisset Principibus qui sedebant in domo Regis, miserunt ad Baruch, qui statim ad eos venit cum libro; quem cùm iterùm illis petentibus legisset coram eis, obstupescebant omnes; & cùm interrogassent audissentque Baruch referentem, qualiter & quomodo cuncta dictante Ieremia ipse descripsisset, suadentes ei vt cum Ieremia pariter abscondi curaret, decreuerunt, reposito volumine in quodam Gazophylacio domus Regiæ, renuntiare omnia Regi. Quod vt factum est, iussit Rex afferri sibi librum, & denuò coram se ac Principibus suis legi; cùm autem lectæ essent tres vel quattuor pagellæ, non sustinens impius Rex talia vlteriùs audire, neque quibusdam ex Principibus ibidem reclamantibus acquiescens, scidit illicò combussitque librum in arula prunis plena ante eum tunc existente, quia hiems erat. Neque his contentus, præcepit comprehendi Ieremiam Prophetam, & Baruch eius scribam: sed Dominus abscondit eos. Sanè tum ex hoc quod hîc dicitur, Ioakim mandasse comprehendi Ieremiam; tum ex eo quod paulò antè dictum est de Principibus, qui suadebant Baruch vt & ipse & Ieremias sese absconderent; perspicuè datur intelligi, quòd ipse Ieremias, quem sub præcedenti anno mundi num. 7. diximus à Ioakim in carcerem fuisse coniectum, iam inde (nescio quomodo & quando) dimissus fuerat. Dominus autem rursum præcepit Ieremiæ, vt in alio volumine conscribi faceret omnia, quæ in priori continebantur; & vt prophetaret contra Regem Ioakim, prædiceretque ei, quòd, quia combusserat librum, propterea cadauer eius proiiciendum foret insepultum ad æstum per diem, & ad gelu per noctem. Itaque Ieremias, prout iusserat Dominus, tulit volumen aliud, in quo, ipsomet dictante, scripsit Baruch vniuersa quæ descripta fuerant in priori libro, & alia insuper multò plura: Ierem. cap. 26. vers. 9. vsque ad finem capitis.

EADEM A REGE COMBVRVNTVR.

DENVO CONSCRIBVNTVR.

AB ORBE CONDITO ANNVS 3432. QVINTÆ MVNDI ÆTAT. ANNVS 410.

1 Anno regni Nabuchodonosor Regis Babylonis quarto, qui erat octauus regni Ioakim Regis Iuda, vt ait Iosephus loco paulò pôst citando, id est sub finem anni quarti Regis Nabuchodonosor, & circa initia octaui Regis Ioakim, facta sunt ea quæ paulò pôst narrabimus: licet enim octauus Ioakim pro maiori parte concurrat cum quinto Nabuchodonosor, vt patet in tabulis; nihilominùs, quemadmodum ex dictis sub anno mundi 3429. num. 4. inferri potest, postremi quattuor menses anni quarti Nabuchodonosor concurrebant cum primis quattuor mensibus anni octaui Ioakim: intra quos quattuor menses oportet accidisse id quod scribit Iosephus 10. Antiq. cap. 7. nimirum Babylonios voluisse bellum inferre Iudæis, dira eisdem comminantes, ni (quemadmodum reliqui Syriæ populi) Regi Nabuchodonosor tributa penderent. Quamobrem Ioakim timore suadente, factus est Babyloniorum tributarius, vt scribit Iosephus vbi suprà, & breuiter etiam tangitur 4. Reg. cap. 24. vers. 1. his verbis: *In diebus eius* (subaudi, Ioakim) *ascendit Nabuchodonosor Rex Babylonis, & factus est ei Ioakim seruus* (hoc est, tributarius) *tribus annis*. Oportet autem primam imperati huius tributi solutionem fuisse factam circa initia eiusdem anni octaui Ioakim, vel pro anno præterito, id est pro septimo; & secundam pro octauo, & tertiam pro nono: vel si prima solutio facta est pro anno octauo, necesse est eam aliasque sequentes fuisse anticipatas, ita vt tertia pro decimo anno facta fuerit circa initia eiusdem decimi anni; alioquin prima solutio non fuisset facienda, nisi inchoante circiter anno nono pro octauo tunc expleto; atque ita solutio tertia incidisset circa initia anni vndecimi; & consequenter Ioakimi rebellio, hoc est à solutione cessatio, non potuisset accidere, nisi inchoante circiter anno duodecimo; quod omnino aduersaretur his quæ ex sacra Scriptura & Iosepho infrà sub anno mundi 3435. num. 2. & 4. dicturi sumus.

QVOMODO ANNVS REGNI NABVCHODONOSOR 4. CONCVRRAT CVM 8. IOAKIM.

IOAKIM FIT BABYLONIORVM TRIBVTARIVS.

AB ORBE CONDITO ANNVS 3433. QVINTÆ MVNDI ÆTAT. ANNVS 411.

1 Anno regni Ioakim octauo, & regni Nabuchodonosor quinto, vt patet in tabulis, incidit annus Iubilei decimiseptimi, qui concurrebat cum anno octingentesimo quinquagesimo ab introitu filiorum Israel in terram Chanaan.

ANNVS IVBILEI 17.

AB ORBE CONDITO ANNVS 3435. QVINTÆ MVNDI ÆTAT. ANNVS 413.

1 Anno regni sui septimo cœpit Nabuchodonosor obsidere Tyrum, existente tum Rege eius Thobalo, quemadmodum narrat Iosephus lib. 1. Contra Apionem circa eiusdem libri medietatem; quæ obsidio, mira tum obsessorum tum obsidentium obstinatione, per annos tredecim protracta est, vt idem Iosephus ex Philostrato refert. 10. Antiq. in calce capitis 11. Idem innuere Ezechielem à cap. 26. ad 30. asserit Pererius lib. 1. in Danielem, sed huic sententiæ videtur obstare ratio temporum: nam illa Ezechielis vaticinia, facta sunt anno decimo & vndecimo captiuitatis Iechoniæ, vt constat ex initio capitis 26. & 29. eiusdem Ezechielis; quem à prædicta captiuitate computare annos Prophetiæ suæ, ex initio eius manifestum est. Porrò annus decimus & vndecimus prædictæ captiuitatis coincidunt cum anno decimoseptimo & decimooctauo regni ipsius Nabuchodonosor, vt patet in tabulis, ergo non potuit Ezechiel locis citatis prænuntiare illum aduentum Nabuchodonosor contra Tyrum, qui iam decennio antè præcesserat. Nisi fortè dixerimus, memoratas Ezechielis vaticinationes non ad dictæ obsidionis initium, quod iam priùs acciderat; sed ad finem exitumque illius, qui posteà secutus est, anno scilicet regni eiusdem Nabuchodonosor decimonono aut vigesimo, esse referendas. Nec obstat quòd cap. Ezechielis 26. vers. 7. dicatur: *Ecce ego adducam ad Tyrum Nabuchodonosor Regem Babylonis ab Aquilone Regem Regum, cum equis, & curribus*, &c. quia hoc, & si quid aliud simile à Propheta dictum reperiatur, rectè videtur exponi posse de nouo exercitu, qui cum ipsomet Rege Nabuchodonosor denuò superuenturus erat, ad augendam vrgendamque adhuc magis obsidionem, ex multis anteà annis inchoatam.

NABVCHODONOSOR OBSIDET TYRVM.

2. Eo-

IOAKIM DEFICIT A REGE BABYLONIS.

2. Eodem anno regni Nabuchodonosor septimo circiter inchoante, qui concurrebat cum anno regni Ioakim decimo per quattuor menses iam inchoato, videlicet post tributa iam tertiò Babyloniis persoluta; ipse Ioakim Rex Iuda (vt ait Iosephus 10. Antiq. cap. 7.) ad vanas inductus spes, rumoribus expeditionis Aegyptiorum contra Babylonios, rebellauit aduersus ipsum Nabuchodonosor (vt dicitur 4. Reg. cap. 24. vers. 1.) siue, vt exponit Iosephus vbi suprà, negauit velle deinceps ei solita pendere tributa. Quamobrem, permittente Domino, afflictus primò fuit cum populo suo à latrunculis Chaldæorum, Syrorum, Moabitarum, & Ammonitarum, quos immisit Dominus in Iudam, vt disperderent eum; sic enim legimus loco Reg. proximè citato vers. 2. deinde etiam ab ipsomet Nabuchodonosor, à quo tandem captus Ioakim & occisus fuit, vt num. 4. & 6. dicemus.

IEREMIAS DAT MONITA SALVTIS REGI, ET SERVIS EIVS.

3. Eodem (vt arbitror) anno misit Dominus Ieremiam Prophetam in domum Ioakim Regis Iuda; vbi primò leniter hortatus est Regem & seruos eius, vt facerent iudicium & iustitiam, oppressosque de manu opprimentium liberarent, atque alia eiusmodi virtutis opera exercerent, eis certissimè astruens verbis Domini securitatem, regnique, si ita fecerint, conseruationem; sin autem econuersò, indubitatum exterminium. Deinde diuino accensus zelo, cœpit magna spiritus libertate vaticinari contra Iudam, ac speciatim aduersus domum Regiam, & primò contra Sellum, qui & Ioachaz, fratrem dicti Regis Ioakim; mox contra ipsummet Ioakim; ac denique aduersus Iechoniam eius filium, ea omnia quæ habentur in toto Ierem. cap. 22. Vnde obiter inferri potest, quòd hoc tempore Sellum, siue Ioachaz, adhuc in Ægypto erat superstes. quando verò posteà obierit, incertum est.

PROPHETAT CONTRA REGEM ET FRATRES AC FILIVM EIVS.

IOAKIM CVM TRIBVS IVDAEORVM MILLIBVS DVCITVR CAPTIVVS IN BABYLONEM.

4. Eodem anno regni sui septimo ad finem iam, vt numero proximo probabitur, appropinquante, Nabuchodonosor cùm audisset Ioakim à se rebellasse, nec solita ei tributa soluere voluisse, iratus ascendit contra eum; & primò quidem cepit Ierosolymam, nullo resistente, vt ait Iosephus 10. Antiq. cap. 8. & Regem Ioakim catenis vinctum duxit in Babylonem; ad quam & vasa Domini transtulit, & posuit ea in templo dei sui, vt expresse traditur 2. Paralip. cap. vlt. vers. 6. & 7. Deinde, vt ait Iosephus vbi suprà, occiso iuuentutis flore, constituit pro Ioakim, filium eius Iechoniam Regem in Ierusalem; & tria millia eorum qui erant in aliqua dignitate, abduxit captiuos in Babylonem. Octo annorum erat Iechonias cùm regnare cœpisset, 2. Paralip. cap. vlt. vers. 9. intellige, quando regnare cœperat cum patre, vt sub anno mundi 3427. numero 1. dictum est: nam quando cœpit regnare post captum à Babyloniis patrem, decem & octo erat annos natus, vt apertè dicitur 4. Reg. cap. pænult. vers. 8. & nos sub anno mundi proximè citato diximus: & confirmari potest ex his quæ cap. Reg. adducto vers. 9. & 15. subduntur, nimirum, quòd fecit malum coram Domino, & item quòd iam habebat vxores; quę octo annorum puero conuenire nequaquam possunt. Regnauit verò Iechonias in Ierusalem tribus mensibus & decem diebus, vt legimus locis Paralip. & Iosephi allegatis.

IECHONIAS REGNAT IN IERVSALEM.

¶

QVANDO FACTA FVERIT PRAEDICTA CAPTIVITAS.

5. Ceterùm, quattuor hîc, pro pleniori historiæ huius illustratione, annotanda sunt. Primò, hunc Nabuchodonosor ascensum contra Ioakim Regem Iuda contigisse sub finem anni decimi regni Ioakim, & posteà sub finem primi mensis anni vndecimi eiusdem Ioakim captam esse Ierusalem, & Regem, & cetera, quæ numero præcedenti diximus à Nabuchodonosor fuisse peracta. Et ratio est, quia oportet hæc fuisse gesta durante adhuc septimo regni Nabuchodonosor anno, vt inferri potest ex Ieremiæ cap. vlt. vers. 28. vbi dicitur, quòd Nabuchodonosor anno regni sui septimo transtulit Iudæos tria millia & viginti tres. Quæ translatio, non nisi de ea quæ facta fuit, quando captus est Ioakim, accipi posse videtur: nam necesse est prædicta contigisse tribus tantùm mensibus & decem diebus ante translationem Iechoniæ; quam ex his quæ infrà num. 8. dicemus, & suprà sub anno mundi 3429. num. 5. diximus, constat factam fuisse anno regni Nabuchodonosor octauo circiter inchoante; id est, circa initium mensis quinti anni vndecimi regni Ioakim: patet enim ex superiùs annotatis, annum septimum regni Nabuchodonosor desiisse in fine mensis quarti anni vndecimi regni Ioakim.

IOAKIM AN DE BABYLONE REDVCTVS.

6. Alterum hoc loco aduertendum est, quòd licet 2. Paralip. cap. vlt. vers. 6. in editione Vulgata dicatur, Ioakim vinctum catenis ductum fuisse in Babylonem; tamen quia quædam alia lectio habet: *Vinxit eum vt duceret in Babylonem*, siue, *Ligauit eum ad faciendum ire in Babylonem*, vt refert Caietanus; ex qua versione colligit idem Caietanus, & ante ipsum Lyranus, Regem Ioakim victum fuisse à Nabuchodonosor vt duce-

duceretur in Babylonem; sed posteà, mutato consilio, ab eodem iussum fuisse occidi; & proiici corpus eius inhumatum secus muros Ierusalem, quemadmodum scribit Iosephus 10. Antiq. cap. 8. & antè prophetauerat Ieremias cap. 22. vers. 19. dicens: *Sepultura asini sepelietur, putrefactus & proiectus extra portas Ierusalem.* & cap. 36. vers. 30. de eodem Ioakim ait: *Et cadauer eius proiicietur ad æstum per diem, & ad gelu per noctem.* Abulensis autem super 4. Reg. c. 24. quæst. 6. cui consentiunt etiam Melchior Canus lib. 11. Theologicorum locorum cap. 5. & alij, putat multò melius esse (vt saluemus litteram Vulgatæ editionis, cui concordant etiam codices LXX. Interpretum, &. Auctor 3. lib. Esdræ cap. 1. vers. 40. & 41.) fateri, ipsum Ioakim verè & reipsa ductum fuisse in Babylonem; verumtamen ferè illicò inde reductum in Iudæam, & ibi posteà occisum: quamquam non satis exploratum sit, vtrùm occisus fuerit antequam Nabuchodonosor dedisset regnum Iudæ Iechoniæ filio eius; vt videtur placuisse Iosepho, qui 10. Antiq. cap. 9. de Nabuchodonosor ait, quòd cùm statim pœnituisset, tradidisse regnum Iechoniæ, veritus ne memor occisi patris, Iudæos ad defectionem impelleret; misit seruos suos in Ierusalem, &c. Ecce quomodo supponit iam occisum fuisse Ioakim. An verò, vt probabilius videtur, posteaquam circumdata est vrbs munitionibus, & ipsemet Nabuchodonosor venit ad ciuitatem cum seruis suis vt oppugnaret eam, quemadmodum dicitur 4. Reg. cap. 24. vers. 10. & 11. tunc occiderit Ioakim, proiicique ideò iusserit cadauer eius insepultum iuxta mœnia ciuitatis, vt videretur à Iudæis; & sic magis perterrefaceret eos, & tali spectaculo faciliùs Iechoniam ad sui vrbisque deditionem induceret. Sed quidquid sit de tempore necis Ioakim, profectò in eius cadauere inuenta fuisse stigmata quædam, veluti insignia idolorum quæ coluerat, scriptum reliquerunt Auctor Historiæ Scholasticæ & Lyranus ab Hebræis mutuatum; quod videntur ex illis Scripturæ verbis collegisse, quæ habentur 2. Paralip. cap. vlt. vers. 8. nimirum: *Et quæ inuenta sunt in eo.*

QVANDO FVERIT OCCISVS.

7. Tertium notandum, est, quòd hæc captiuitas Ioakim, & eorum qui cum eo abducti sunt, reverà fuit secunda Hebræorum transmigratio in Babylonem: nam prima fuit illa, quam tertio Ioakim anno contigisse, iam sub anno mundi 3428. num. 3. & 4. dictum est. Quamquam illa, ob causam ibi adductam, prætermissa, & hæc primo loco posita fuerit in breui illa Babylonicarum captiuitatum repetitione, quæ ad calcem Prophetiæ Ieremiæ adiecta est, his verbis: *Iste est populus quem transtulit Nabuchodonosor: In anno septimo, Iudæos tria millia, & viginti tres. In anno octauodecimo Nabuchodonosor, de Ierusalem animas octingentas triginta duas. In anno vigesimo tertio Nabuchodonosor, transtulit Nabuzardan Magister militiæ animas Iudæorum septingentas quadraginta quinque. Omnes ergo animæ, quattuor millia sexcentæ.* Ex quo loco apertè deducitur, Primò, caput illud Ieremiæ vltimum à Barucho eius scriba & successore ibi, vt creditur, fuisse adiectum: non enim Ieremias superstes fuit vsque ad annum regni Nabuchodonosor vigesimum tertium, & multò minùs peruenit vsque ad trigesimum septimum transmigrationis Iechoniæ, de quo ibidem successiuè fit mentio. Deinde etiam infertur, quòd omnes Iudæorum Babylonicæ captiuitates in memorato epilogo summatim reducuntur ad tres: & in prima eorum, quæ dicitur contigisse anno regni Nabuchodonosor septimo, & alia esse non potest, nisi quæ facta est in fine regni Ioakim, necesse est comprehendi aliam quoque captiuitatem, nimirum filij eius Iechoniæ, de qua sub anno mundi proximo agemus: alioqui ipsa Iechoniæ captiuitas, quæ tamen inter alias fuit valdè memorabilis, ibi omnino prætermissa esset; quod nullatenus videtur esse admittendum. Causa autem dictæ harum duarum captiuitatum copulationis, vt arbitror, fuit; quoniam ambæ fuerunt adeò proximæ, & quodammodò inter se continuatæ, vt pro vna eademque reputari rectè potuerint, & dici factæ anno regni Nabuchodonosor septimo; quia sub finem illius, prima fieri cœpit, & altera successiuè inchoante anno regni eiusdem Nabuchodonosor octauo (vt sub anno mundi 3429. num. 3. probauimus) subsecuta est. Nec obstat prædictis summa captiuorum quattuor millium sexcentorum, ex tribus illis transmigrationibus in prædicto catalogo subducta, quæ admodum diuersa est ab ea quam habemus 4. Reg. cap. 24. vers. 14. vbi in sola Iechoniæ transmigratione translata dicuntur decem millia Iudæorũ: quia Auctor Historiæ libri Reg. qui creditur fuisse Ieremias, intendebat ibi tradere numerum omnium cuiusuis generis captiuorum cum Iechonia translatorũ; Auctor verò prædictæ repetitionis, nobiliores dumtaxat recensere voluisse credendus est, licet eos populi vocabulo nominauerit; fortassis quòd sine honore cum reliquo populo commistim abducti fuerint.

DE IVDAEORVM CAPTIVITATIBVS.

CAPVT VLTIMVM IEREMIAE, A BARVCHO FVISSE ADIECTVM.

8. Quartò denique notandum est, quòd Caietanus super 2. Paralip. cap. vlt. ex illis

REFELLITVR CAIETANI EXPOSITIO VERBORVM 2. PARAL. CAP. VLT. VERS. 10.

verbis quæ ibidem verſ. 10. habentur, *Cùm anni circulus volueretur.* ſeu, vt ipſe dicit ex Hebraico haberi, *In reuerſione anni*; vel, vt habet editio LXX. Interpretum, *Vertente anno*; (omnia enim hæc in eumdem incidunt ſenſum;) putat indicari, reuolutum fuiſſe annum integrum à tempore quo venerat Nabuchodonoſor contra Ioakim, ad illud in quo pro ipſo Ioakim ſubſtituit filium eius Iechoniã Regem in Ieruſalem: & propterea infert, ipſum Iechoniam non ſtatim regnare cœpiſſe poſt necem patris ſui Ioakim, ſed inter eos extitiſſe Interregnum multorum menſium, propter cladem, inquit, quam fecerat Nabuchodonoſor in Ieruſalem poſt captum Ioakim. Sed hæc Caietani expoſitio nullo modo videtur eſſe recipienda: nam cùm ſub anno mundi 3429. num. 5. iam ſatis ſuperque tum ex Sacris libris, tum ex Ioſepho probatum ſit, primum regni Nabuchodonoſor annum pro maiori parte concurriſſe cum quarto regni Ioakim; & ipſum Ioakim captum fuiſſe anno regni ſui vndecimo recenter inchoato, id eſt ſub finem anni ſeptimi regni Nabuchodonoſor; & ipſum Nabuchodonoſor anno regni ſui decimooctauo deſinente, capto Sedecia, expugnaſſe vaſtaſſeque Ieroſolymam & Templum: ſi inter necem Ioakim & initium regni Iechoniæ filij eius, multi menſes ſine Iudæo Rege decurriſſent; proculdubiò neceſſe eſſet, Sedeciam, qui Iechoniæ ſucceſſit, non priùs regnare cœpiſſe, quàm vel deſinente octauo, vel incipiente nono regni Nabuchodonoſor anno; & conſequenter, ipſum Sedeciam annos tantùm decem regnare potuiſſe; totidem enim remanent vſque ad initia anni deciminoni eiuſdem Nabuchodonoſor: & nihilominùs, quemadmodum ſub proximè citato mundi anno dictum eſt, ex Ierem. cap. 1. verſ. 3. conſtat, ipſum Sedeciam expleuiſſe annum regni ſui vndecimum. Prætereà, non poſſent anni regni Sedeciæ ordinatim concurrere cum annis tranſmigrationis Iechoniæ, nimirum primus cum primo, & reliqui deinceps ſimiliter: & tamen nos ſub anno mundi proximo num. 3. oppoſitum oſtendemus. Igitur prædicta verba, *Cùm anni circulus volueretur*, non ſunt accipienda tamquam de reuolutione anni iam peracta, ſed dum adhuc eſſet in fieri, vt verba ipſa ſatis euidenter indicant. eſt enim ac ſi dictum eſſet: Currente eodem anno Ioakimi vndecimo, miſit Nabuchodonoſor, &c. Et iſte idem ſenſus colligi poteſt ex 4. Reg. cap. 24. verſ. 5. vſque ad 12. vbi eadem hiſtoria repetitur; & continuato ordine deſcribuntur Ioakimi interitus, & ſubſtitutio Iechoniæ filij eius in regno, & obſeſſio Ieroſolymæ, & vltronea egreſſio, ac ſui ipſius vrbiſque deditio, facta per Iechoniam ipſi Nabuchodonoſor. Ex quibus euidentiſſimè patet, inter Ioakim & Iechoniam nullum extitiſſe Interregnum. Itaque

NVLLVM EXTITISSE INTERREGNVM INTER IOAKIM ET IECHONIAM.

AVCTOR EXPONIT PRAEDICTA PARAL. VERBA.

AB ORBE CONDITO	QVINTÆ MVNDI ÆTAT.
ANNVS 3436.	ANNVS 414.

IECHONIAS CVM MVLTIS IVDAEORVM MILLIBVS DVCITVR IN BABYLONEM.

1 ANNO regni Nabuchodonoſor octauo inchoante, cùm anni (ſubintellige, vndecimi regni Ioakim) circulus volueretur, vt dicitur 2. Paralip. cap. vlt. verſ. 10. id eſt, iuxta ſub anno mundi 3429. num. 5. expoſita, in menſe prædicti anni vndecimi Ioakim quinto, à cuius menſis initio incipiebat annus regni Nabuchodonoſor octauus; Iechonias, veritus ne Nabuchodonoſor faceret ſibi ſicut fecerat patri ſuo, ad vocem Ieremiæ Prophetæ (vt notat Auctor Hiſtoriæ Scholaſticę lib. 4. Reg. c. 39.) egreſſus eſt de Ieruſalem ipſe, & mater, & ſerui, & Principes, & eunuchi eius, & vrbem, agros, aras, focos, ſeſeque dederunt Regi Babylonis; qui ſuſcepit eos anno regni ſui octauo, nimirum tunc incipiente; & tranſtulit omnes in Babylonem, quemadmodum prophetauerat Ieremias cap. 22. verſ. 25. vſque ad 28. & cum eis pariter tranſtulit de Ieruſalem decem millia diuerſi generis; nempe militum ſeptem millia, artifices mille, & reliquos bis mille, quos partim de populo, partim de Iudicibus terræ Iudæ, & partim item (vt colligitur Ierem. cap. 29. verſ. 1.) de Sacerdotibus & Prophetis extitiſſe credendum eſt: & ablatis inde theſauris domus regiæ, ac vaſis pretioſiſſimis Templi, conſtituit pro Iechonia Matthaniam patruum eius, filium Ioſiæ, Regem in Ieruſalem; quem deinceps mutato nomine vocari voluit Sedeciam: 4. Reg. cap. 24. verſ. 12. vſque ad 18. & 2. Paralip. cap. vlt. verſ. 10. & Ierem. cap. 37. verſ. 1.

REGNAT SEDECIAS IN IERVSALEM.

DE NVMERO CAPTIVORVM OPINIO CANI REIICITVR.

¶ 2. Aduertendum verò hîc eſt circa numerum captiuorum præcedenti numero expreſſum, quòd vbi Scriptura ſacra dicit, prædictos captiuos fuiſſe decem millia; Ioſephus 10. Antiq. cap. 9. ſcribit fuiſſe decem millia octingentos & triginta duos: quamobrem Melchior Canus lib. Locorum Theologicorum 11. c. 5. pro ipſorum conciliatione dicit, Ioſephum voluiſſe ſupplere ex Ieremia, quod deerat 4. Reg. c. 24. verſ. 14. ideoque ad decem millia, quæ ibidem exprimuntur, addidiſſe octingentos triginta duos, qui

notan-

notantur Ierem. cap.vlt. verſ.29. tamquam ſi Scriptura ſacra neutrobique expreſſiſſet integrum captiuorū numerum; ſed maiorem ipſius partem loco Reg. citato, minorem autem in Ieremiæ Prophetia adnotaſſet. Subtilis certè & ingenioſa expoſitio; ſed nullatenus admittenda: quia conſtat, Scripturam locis citatis non de vna eademque captiuitate loqui; ſed in vno quidem de tranſmigratione Iechoniæ, quæ facta eſt inchoante anno regni Nabuchodonoſor octauo: in alio autem de captiuitate Sedeciæ, quæ contigit anno regni eiuſdem Nabuchodonoſor decimooctauo. Quare melius eſt fateri, Ioſephum reverà in numero captiuorum tranſmigrationis Iechoniæ deſcribendo, à ſacra Scriptura diſceſſiſſe, vt in aliis quoque rebus maioris momenti ſolet: & propterea non eſt valdè pro eius conciliatione laborandum; ſed in huiuſmodi caſibûs liberè poſſumus ac debemus ab eo diſcedere, atque irrefragabili ſacrarum Scripturarum veritati adhærere.

3. Vt autem ad id vnde digreſſi ſumus, redeamus; ex his quæ num. 1. diximus, perſpicuè inferri poteſt, quòd annus regni Nabuchodonoſor octauus ferè totus, & item qui dicitur vndecimus regni Ioakim, pro maiori parte concurrunt cum primo tranſmigrationis Iechoniæ, & pariter cum primo regni Sedeciæ. Quòd autem anni prędictæ tranſmigrationis præçiſè coinciderint cum annis regni Sedeciæ, etiam ex quorumdam Scripturæ locorum collatione fit clarum: nam 4. Reg. cap. vlt. verſ. 1. & Ierem. cap. 39. verſ. 1. legimus, Regem Nabuchodonoſor obſediſſe Ieroſolymam anno regni Sedeciæ nono, menſe decimo, die decima menſis; & Ezechiel, qui, vt patet ex initio Prophetiæ ſuæ, ſolet annos dinumerare ab initio tranſmigrationis ſuæ, quæ eadem fuit cum tranſmigratione Iechoniæ, quemadmodum numero proximo dicemus; in c. 24. verſ. 1. expreſsè dicit, memoratam Ieroſolymæ obſidionem contigiſſe anno nono, die decima menſis decimi; ergo euidens eſt, quòd anni prædictæ tranſmigrationis præcisè coincidebant ☞ cum annis regni Sedeciæ. Igitur, vt num. 1. dicebamus, Nabuchodonoſor, ſtatim ac tranſmiſit Iechoniam in Babylonem, conſtituit pro eo Sedeciam Regem in Ieruſalem. Vigeſimum primum ætatis annum expleuerat Sedecias quando regnare cœpit, & annis vndecim integris, vt iam non ſemel probatum eſt, regnauit in Ieruſalem; fecitque malum coram Domino ſicut fecerat Ioakim: 4. Reg. cap. 24. verſ. 18. & 19. & 2. Paralip. cap. vlt. verſ. 11. & 12. & Ierem cap. vlt. verſ. 1. & 2.

DE ANNIS TRANSMIGRATIONIS IECHONIAE

DE ANNIS VITAE REGNIQVE SEDECIAE.

4. Ceterùm, in memorata Iechoniæ tranſmigratione tranſlatum quoque fuiſſe Ezechielem, qui poſtmodum in Chaldæa ſpiritū Prophetiæ accepit, & inter Quattuor Prophetas maiores etiam nunc tertio loco connumeratur, manifeſtum eſt ex Prophetia eius; in qua ipſe recenſet annos rerum quæ in Babylone geſſerat, ab hac eadem tranſmigratione, vt numero præcedenti oſtenſum eſt; & item euidentiſſimè poteſt inferri ex initio cap. eius 40. vbi expreſsè teſtatur Propheta, annum tranſmigrationis ſuæ vigeſimum quintum coincidere cum anno decimoquarto ex quo vaſtata eſt ciuitas; ergo Ezechielis tranſmigratio vndecim præcisè annis præceſſit Ieroſolymæ deſolationem, quæ, vt ſæpè dictum eſt, facta fuit in conſummatione vndecimi anni Sedeciæ; ergo Ezechielis tranſmigratio non potuit alia eſſe niſi hæc, quæ inchoante præſertim anno regni Sedeciæ primo facta eſt. Oportet autem Ezechielem fuiſſe viginti quinque annorum quando tranſlatus fuit, ſi verum eſt quod nos ſub anno mundi 3411. num. 1. ex initio Prophetiæ eiuſdem Ezechielis probauimus; nempe, ipſum anno quinto ſuæ tranſmigrationis fuiſſe virum triginta annorum.

EZECHIEL CVM IECHONIA TRANSLATVS IN BABYLONEM.

5. In eadem tranſmigratione dicti Iechoniæ abductum quoque ſimul fuiſſe Mardochæum, qui fuit pater adoptiuus filiæ fratris ſui, quæ vocabatur Ediſſa, & alio nomine Eſther, colligi poteſt ex cap. 2. libri Eſther verſ. 5. vſque ad 8. & clariùs ex cap. 11. verſ. 4. Nec refert, quòd memoratum caput vndecimum cum ferè toto prȩcedenti & quinque ſequentibus, in textu Hebraico (vt ibidem notat B. Hieronymus) non reperiatur: tum quia illa quoque in numero Scripturarum Canonicarum eſſe computanda, ritè docet probatque Cardinalis Bellarminus lib. 1. de Verbo Dei cap. 7. tum etiam, quia idem fermè de Mardochæo aſſeritur cap. eiuſdem lib. 2. verſ. 5. & 6. vt dictum eſt. Verumtamen, quoniam ex iſta poſitione ſequeretur, Mardochæum (etiam poſito quòd eſſet infantulus quando facta eſt iſta tranſmigratio) fuiſſe ducentorum viginti quinque circiter annorum, anno Aſſueri mariti Eſther duodecimo, vt ſupputari poteſt in tabulis: nos autem nullo modo adduci poſſumus, vt Philonis Anniani fabulis, aſſerentibus Mardochæum annis decem & octo vitam Iſaaci ſuperaſſe, fidem habeamus; & multò minùs, vt credamus eumdem tantæ ætatis fuiſſe quando erat ſecundus à Rege, & conſequenter oportebat eum grauiora ipſius Regis negotia loco Aman gerere; præſertim cùm

QVOD MARDOCHAEVS NON FVERIT CVM IECHONIA TRANSLATVS.

neque in toto libro Esther, neque alibi Scriptura sacra quidquam innuat de tanta eius longæuitate, & iam tot annorum centuriæ transissent, ex quo Dauid in Psal. 89. declarauerat, ordinariam hominum vitam ad annos septuaginta, vel in validioribus, ad octoginta extendi consueuisse. Nam etsi certum sit, post Dauidis tempora nonnullos interdum ad ducentos & ampliùs annos peruenisse, id tamen perquam rarò accidisse nemo nescit; & (quod magis vrget) constat, eos in tali ætate negotiis gerendis non fuisse idoneos. Denique, quia de Mardochæo insuper creditur, quòd etiam post dictum Assueri annum duodecimum adhuc plurimum superuixerit; & quòd quando Rex ad bella procederet, ipse domi pro Rege totum pænè regnum administraret. Quæ omnia in virum tali senio confectum quadrare nullatenus posse videntur: propterea credimus eumdem Mardochæum longè post Iechoniæ transmigratione̅ esse natum. Quomodo autem præaddicta libri Esther loca exponi debeant, nos infrà sub annis mundi 3456. num. 2. & 3650. nu. 5. latiùs explicabimus. Vnde inferri poterit, illud non esse argumentum satis firmum, quod quidam desumunt ab ætate Mardochæi, ad ponendam historiam Esther magis sub vno ex prioribus, quàm ex posterioribus Persarum Regibus.

IEREMIAS PROPHETAT CONTRA AELAMITAS.

6. Eodem tempore, nimirùm in principio regni Sedeciæ Regis Iuda, prophetauit Ieremias aduersus Ælamitas ea quæ habentur in Prophetiæ eius cap. 49. vers. 34. vsque ad finem capitis, vt ibidem expressum inuenies. Qui autem fuerint Ælamitæ, & vnde originem cognomentumque acceperint, iam sub annis mundi 1931. num. 49. & 2118. num. 2. dictum est.

DE VISIONE FICVVM BONARVM ET PESSIMARVM OSTENSA IEREMIAE, ET EIVS INTERPRETATIONE.

7. Per eadem quoque tempora, videlicet non multò postquam transmigrarunt Iudæi cum Iechonia Rege Iuda in Babylonem, (vt colligitur ex initio capitis 24. Ieremiæ,) ostendit Dominus eidem Prophetę duos calathos ficuum plenos, tamquam ante Templum Domini positos; quorum alter continebat ficus optimas, alter verò pessimas, ita vt comedi non possent. Qua visione indicabat Dominus conditionem ac differentiam populi Iudaici qui cum Iechonia secesserat in Babylonem, ab eo qui cum Sedecia remanserat in Ierusalem. Siquidem, vt ibidem tradunt B. Hieronymus, Glossa ordinaria, & ipsemet Dominus per Ieremiam ibidem vers. 5. & 8. calathus bonarum ficuum, significabat Iechoniam & Principes eius, qui Ieremiæ consilia Deique imperium secuti, tradiderant se Regi Babylonis, propter quod posteà meruit Iechonias ab Euilmerodach Rege Babylonis exaltari, ac tandem successio eius læta reduci in terram Israel. Pessimarum autem ficuum calathus signabat Sedeciam & Principes eius, qui indurantes ceruices suas aduersus ea quæ mandante Domino loquebatur seruus Dei Ieremias, & spernentes salutiferas Prophetæ cohortationes, recusarunt vltrò facere, quod tandem vel inuiti subire compulsi sunt; nimirum tradi in manus Chaldæorum, & nullam inuenire coram eis miserationem: nam & ipse Sedecias, posteaquam vidit coram se occidi filios suos, excæcatus fuit, & ductus in Babylonem, vbi & miserrimè mortuus est; & concaptiui eius diuersimodè vexati interierunt, quemadmodum prophetauerat Ieremias cap. 34. vers. 20. Optima ergo fuit deliberatio vltroneaque deditio Iechoniæ, & eorum qui cum eo erant, facta Regi Babylonis; ob quam capite citato vers. 5. vsque ad 8. prospera eis Propheta prænuntiat. Econuersò autem, pessima fuit obstinatio atque inobedientia Sedeciæ & Principum eius; quibus ibidem vers. 8. vsque ad finem capitis vaticinatur aduersa, quæ posteà eis subsecuta sunt.

IEREMIAS MITTIT EPISTOLAM AD TRANSMIGRATOS IN BABYLONEM.

8. Eodem anno regni Sedeciæ Regis Iudæ primo, aut secundo, vt numero sequenti probabitur; nimirum post Iudæos cum Iechonia in Babylonem transmigratos; Ieremias Propheta, cùm audisset iam surrexisse in Babylone quosdam pseudoprophetas, qui decipiebant populum, dicentes breui solutum iri captiuitatem, & omnes in Iudæam reuersuros; nacta occasione cuiusdam legationis, quam Sedecias Rex mittebat ad Nabuchodonosor in Babylonem per duos ciuitatis optimates, quorum alter dicebatur Elasa filius Saphan, alter Gamarias filius Helciæ; misit per eosdem nuntios librum seu epistolam de Ierusalem ad reliquias seniorum transmigrationis, & ad Sacerdotes, & ad Prophetas, & ad omnem populum quem traduxerat Nabuchodonosor Rex in Babylonem; cuius epistolæ exemplum siue argumentum continetur in Ierem. cap. 29. vbi ex ore Domini promittit quidem certam transmigratis liberationem, sed non nisi post exactos septuaginta captiuitatis annos; quos tamen, vndenam exordiendi sint, non commemorat; supponens id iam aliàs, nimirum cap. 25. vers. 11. satis insinuasse, vbi adiunxit, interim terram Iuda in solitudine mansuram, ex quo perspicuè sequebatur, eosdem annos ab vrbis desolatione iam sæpiùs per ipsum prænuntiata fore numerandos; hîc autem, prædictum tantummodò annorum numerum, tamquam à Deo irreuoca-

EIVSDEM EPISTOLAE ARGVMENTVM.

uocabiliter ſtatutum, certò ab omnibus credi debere denuntiat: proptereà hortatur eos vt bono animo ſint, & diuinæ acquieſcentes voluntati, vacent domibus ſibi ædificandis, vxoribus ducendis, aliiſque eiuſmodi familiaribus exercitiis, & quieti permaneant, donec prædictum tempus aduenerit; nec intereà ſinant ſe ſeduci à pſeudoprophetis oppoſitum eis ſuadere conantibus, quia falſa loquuntur: quandoquidem reuerà non modò captiui citò in Iudæam & Ieruſalem reducendi non erant, ſed neque eis breui redire vllatenus expediret, propter multas gladij, famis, ac peſtilentiæ calamitates, quas idem Propheta ibidem prædicit venturas eſſe ſuper Sedeciam, & eos qui cum ipſo remanſerant in Ieruſalem. Denique inuehitur contra prædictos pſeudoprophetas, diuinam eis vltionem prænuntians, eò quòd decipiant populum; & ſignanter vaticinans aduerſus Achab filium Coliæ, & Sedeciam filium Maaſiæ, eoſdem propter ſcelera eorum à Nabuchodonoſor igne cremandos fore prædicit.

9. Diximus hæc accidiſſe anno Sedeciæ Regis Iuda primo; quoniam tametſi quæ in præcedenti Ierem. capite habentur, conſtet contigiſſe anno eiuſdem Sedeciæ quarto, attamen non ſequitur, quòd ea quæ ſequenti capite deſcribuntur, ad eumdem annum, vel ad vnum de poſterioribus neceſſariò referri debeant, quia certum eſt, vt aliàs probauimus, in Scripturis ſacris, prout nunc digeſtæ ſunt, non ſemper ſeruatum eſſe ordinem temporum; quod præſertim in ipſa Ieremiæ Prophetia manifeſtum eſt, quemadmodum pluribus exemplis demonſtrari poteſt: nam in cap. 21. continentur quædam geſta temporibus Sedeciæ Regis Iuda; & cap. 25. quædam quæ regnante Ioakim, qui Sedeciam in eodem Iudæ regno præceſſerat, acciderant; & cap. 26. aliqua narrantur facta in principio regni eiuſdem Ioakim; item cap. 27. vſque ad 35. recenſentur multa quæ in diebus Sedeciæ Regis acta fuerant; deinde in cap. 35. & 36. reditur ad quædam ſub Ioakim geſta: & deinceps vſque ad cap. 45. rurſus aliqua referuntur, ad tempora Sedeciæ pertinentia: in ipſo autem cap. 45. & 46. denuò commemorantur, quæ ſub Rege Ioakim idem Propheta dixerat vaticinatúſve fuerat: ac denique in cap. vlt. narrat quæ poſterioribus Sedeciæ temporibus acta ſunt. Ecce quanta in vno eodemque Propheta ordinis temporum variatio & commixtio. Huius rei cauſam nos ſub anno mundi 3610. num. 25. aperiemus. Quare licet quæ ſub aliquo ex citatis capitibus ſine vlla temporis notatione habentur, regulariter credendum ſit, poſt relata in ſuperiori capite accidiſſe; non tamen neceſſe eſt ſemper ita ſupponere. Etenim vera quidem eſt regula, Non eſſe diſcedendum ab ordine litteræ: ſed cum hac limitatione, Niſi alibi conſtet de oppoſito; & niſi aliqua rationabilis cauſa cogat nos aliter facere: quod in caſu noſtro accidit, in quo neceſſarium videtur dicere, Ieremiam miſiſſe in Babylonem memoratam epiſtolam, non anno Sedeciæ quarto, vt ordo litteræ quodammodò indicare videtur; ſed primo, aut ſecundo: alioqui, ex ſub anno mundi 3438. num. 1. dicendis conſequeretur, harum litterarum tranſmiſſionem factam eſſe poſt Suſannæ hiſtoriam; quod omnino aduerſaretur antiquiſſimæ Hebræorum traditioni ab Origene, B. Hieronymo, aliiſque pluribus Eccleſiæ Doctoribus receptæ; quæ aſſerit, memoratos pſeudoprophetas, Achab ſcilicet & Sedeciam, quibus Ieremias in præfata epiſtola prænuntiat interitum, fuiſſe duos illos peſſimos Iudices, qui caſtiſſimam Suſannam falsò adulterij crimine accuſarunt condemnaruntque: quam traditionem nos quoque ſub anno mundi proximè allegato num. 3. aliquot ex ſacra Scriptura petitis rationibus comprobabimus. Proptereà puto hallucinari eos, qui in dicto Ierem. cap. 29. contenta, ſubordinare conantur cum his quæ in præcedenti capite relata fuerant; cùm ratio ipſa ſuadeat, ibidem, quemadmodum & aliis in locis, temporum ordinem fuiſſe commutatum, nec quidquam aliud obſtet ita ſentire.

Scripturam sacram non semper ordinem temporum servare.

AB ORBE CONDITO ANNVS 3437. — QVINTÆ MVNDI ÆTAT. ANNVS 415.

1 ANNO regni Sedeciæ (vt arbitror) ſecundo, quidam pſeudopropheta Semeias nomine, Nehelamites, qui cum reliquis captiuis manebat in Babylone, vt audiuit quòd Ieremias memoratam miſiſſet ad tranſmigratos epiſtolam, in qua hortabatur eos ædificare domos & ſerere hortos in Babylone, eò quòd longo admodum tempore duratura eſſet eorum captiuitas; ſcripſit & ipſe, per eoſdem fortaſſe nuntios quando redierunt in Ieruſalem, alias litteras, illis omnino contrarias, ad omnem populum Ieroſolymitanum, & ad Sacerdotes, & præcipuè ad Sophoniam filium Maaſiæ, qui tunc erat vnus de Principibus Sacerdotum, nimirum ſecundus à Saraia, vt

Semeias pseudopropheta per litteras contradicit Ieremiae.

patet 4. Reg. cap. vlt. verſ. 18. & Ierem. cap. vlt. verſ. 24. dicens, quòd ideò Dominus poſuerat eum Ducem in Domo Domini, vt præeſſet arreptitiis & Prophetis, obſeruaretque eos; & ſi quando malè fungerentur officio ſuo, mitteret eos in neruum & in carcerem: quamobrem non poterat non conqueri, quòd nequaquam increpaſſet, ſed tamdiu caſtigare diſtuliſſet Ieremiam, qui auſus fuerat mittere litteras in Babylonem falſa continentes; nimirum, non eſſe breui ſoluendam captiuitatem, contra id quod ipſemet Semeias ibidem prophetauerat. Itaque cùm legiſſet Sophonias Semeiæ litteras in auribus Ieremiæ Prophetæ, factum eſt verbum Domini ad ipſum Ieremiam, præcipiens ei vt Prophetiam mitteret ad omnem transſmigrationem in hæc verba: Quia Semeias non miſſus à Domino prophetare præſumpſit, & confidere vos fecit in verbis mendacij: Ecce ego, ait Dominus, viſitabo ſuper Semeiam Nehelamitem, vt non videat bonum quod facturus ſum populo meo; & ſuper ſemen eius, vt non ſit vir honoratus, qui deinceps ſedere audeat in medio populi: Ierem. cap. 29. verſ. 24. vſque ad finem capitis.

IEREMIAS PROPHETAT CONTRA SEMEIAM.

AB ORBE CONDITO ANNVS 3438. — QVINTÆ MVNDI ÆTAT. ANNVS 416.

SVSANNAE HISTORIA.

1 ANNO regni Sedeciæ tertio, qui erat regni Nabuchodonoſor decimus, & vitæ Danielis decimustertius, vt videre eſt in tabulis, oportet contigiſſe ea omnia quæ accuratè admodum deſcribuntur in toto Danielis cap. 13. de Suſanna muliere ſpecioſiſſima pariterque caſtiſſima, contra omne ius faſque adulterij accuſata à duobus ſenibus, qui tunc Iudices erant populi Iudaici in Babylone commorantis, quòd illa fœdis eorum concupiſcentiis aſſentiri liberè renuiſſet, & inſuper ad ipſorum inſtantiam condemnata; ſed tandem Dei miſeratione per miniſterium pueri Danielis liberata. Etenim ipſum Danielem tunc duodecim fuiſſe annorum, hoc eſt, duodecimum ætatis annum expleuiſſe, & conſequenter decimumtertium iam fuiſſe ingreſſum, ſcripſerunt inprimis S. Ignatius Martyr in epiſtola ad Magneſianos, & poſt ipſum Sulpitius in principio lib. 2. Hiſtoriæ ſacræ, ac deinde alij plures. Et hoc eſt valdè rationabile: nam ſi tunc Daniel prouectioris fuiſſet ætatis, facilè potuiſſent peſſimi illi Iudices eum quoque calumniari, & perſuadere populo ne crederent Danieli, eò quòd ipſe eſſet ille Suſannæ amaſius, quem ipſi deprehenderant, ſed comprehendere nequiuerant: atque ita omne iudicium eius eludere.

QVOD NON DVO, SED VNVS IDEMQVE DANIEL EGERIT OMNIA QVAE IN EIVS PROPHETIA TRADVNTVR.

¶ 2. Hæc, inquam, omnia hoc anno acta eſſe, fateri neceſſarium eſt, ſi tamen iſte Daniel, qui adhuc puer Suſannam de falſo crimine liberauit, & poſteà vir factus, Bel deſtruxit, & draconem interfecit (vt deſcribitur Daniel. cap. vlt.) idem eſt cum eo de quo agitur in reliquis Prophetiæ Danielis capitibus: non enim defuerunt Scriptores, cùm veteres tum recentiores, qui putauerunt fuiſſe diuerſos, illud quoque in argumentum ſuæ opinionis aſſumentes, quòd huiuſmodi, Suſannæ, Beliſque, ac draconis narrationes ad calcem libri fuerint adiectæ, tamquam ad præcedentia nihil attinentes; cùm tamen prima earum, nempe hiſtoria Suſannæ, iuxta ordinem temporum, circa eiuſdem libri initia poni debuiſſet. Sed quoniam nos ſub anno mundi 3426. num. 3. probauimus, tutiorem verioremque eſſe illorum ſententiam, qui omnia quæ in Danielis Prophetia deſcribuntur, ab vno eodemque Daniele acta fuiſſe cenſuerunt: idcircò ex his quæ ſub anno mundi 3428. num. 5. de Danielis ætate quando in captiuitatem ductus fuit, dicta ſunt, neceſſariò infertur, memoratam Suſannæ hiſtoriam hoc circiter anno accidiſſe. Nec refert quòd ad calcem libri editionis Vulgatæ ſit poſita; quia conſtat, ſcripta Prophetarum non ſemper iuxta ordinem temporum digeſta reperiri, quemadmodum ſub præcedenti anno mundi num. 9. de Ieremia fuſiùs probatum eſt, & patet etiam de ipſomet Daniele, qui cap. 5. narrat ea quæ geſta ſunt in poſtremò regni Baltaſſar anno; in cap. autem 7. & 8. quæ in anno primo & tertio eiuſdem Regis acta fuerant: tum etiam, quia in Latinis codicibus eædem Suſannæ, Belis, & draconis hiſtoriæ ad calcem libri reiectæ creduntur; quoniam in codicibus Hebraicis, vnde Latinè tranſlati ſunt, non reperiuntur, ſed à Græcis exemplaribus mutuatæ fuerunt; in quibus tamen Suſannæ hiſtoria rectè in capite libri poſita eſt; quoniam reverà illa fuit prima Danielis actio memorabilis, ex qua primò eximia eius virtus, & in deprehendenda iniquorum Iudicum fraude prudentia ac ſapientia dignoſci ac diuulgari cœpit, & ipſe deinceps in magna exiſtimatione haberi; vt propterea mirum non ſit, ſi ipſe inter ceteros præcipuus, ab Aſphenez eunuchorum Regis præpoſito poſteà delectus fuit,

fuit, qui cum aliis pueris de semine Israelis regio, iubente ipso Nabuchodonosor, litteris atque idiomate Chaldæorum imbueretur, & vt in omni eorum disciplina triennio eruditus, stare posset in palatio Regis, quemadmodum sub anno mundi 3442. num.2. dicemus. Itaque

3. Eodem anno, vt ex prædictis consequitur, constituti fuerant (quemadmodum dicitur Danielis cap.13.) Iudices populi Iudaici qui tum in Babylone morabatur, illi duo nequissimi senes, qui exarserunt in concupiscentia honestissimæ Susannæ, de quibus numero proximo agemus. Nemini verò mirum videatur, quòd Iudæi in captiuitate Babylonica positi, proprios Iudices Iudæos habuisse dicantur: quandoquidem, si (quemadmodum de suis temporibus testatur Origenes) etiam Romani permittebant Iudæis, quos tamquam captiuos in diuersis ipsorum prouinciis habitare fecerant, vti propriis legibus; & nunc quoque videmus idem eis à multis Christianorum Principibus concedi: quin etiamsi constat hodie Turcas omnium gentium natura crudeliores, permittere tum Iudæis tum Christianis in sua ditione degentibus, non solùm propriæ religionis ritus inter ipsos exercere, verumetiam particulares habere magistratus; vtique credendum est, pari modo olim Regem Babylonis fecisse facultatem Iudæis constituendi sibi proprios Iudices, legum suarum peritos, qui cognoscere possent ac decidere ipsorum causas, etiam criminales; cum aliqua tamen limitatione, nimirum, vt antequam quemquam morti adiudicarent, causam priùs coram Rege seu regio delegato referre tenerentur: quod etiam in casu, de quo hîc agemus, factum fuisse, ex nu.5. dicendis colligi poterit. DE DVOBVS IVDÆORVM IVDICIBVS IN BABYLONE CONSTITVTIS.

4. Sanè prædictos Iudices, qui nequiter insontem Susannam traducere non erubuerunt, Origenes, & B.Hieronymus, & plures alij Expositores, ex antiqua Hebræorum traditione, putant fuisse duos illos pseudoprophetas, Achab scilicet filium Coliæ, & Sedeciam filium Maasiæ, quorum meminit Ieremias cap.29. vers.21. dicens: *Hæc dicit Dominus exercituum Deus Israel ad Achab filium Coliæ, & ad Sedeciam filium Maasiæ, qui prophetant vobis in nomine meo mendaciter: Ecce ego tradam eos in manus Nabuchodonosor Regis Babylonis: & percutiet eos in oculis vestris. Et assumetur ex eis maledictio omni transmigrationi Iuda, quæ est in Babylone, dicentium: Ponat te Dominus sicut Sedeciam, & sicut Achab, quos frixit Rex Babylonis in igne, pro eo quòd fecerint stultitiam in Israel; & mæchati sunt in vxores amicorum suorum; & locuti sunt verbum in nomine meo mendaciter, quod non mandaui eis: Ego sum iudex & testis, dicit Dominus.* hactenus Ieremias. Cuius verba valdè admodum confirmare videntur prædictam Hebræorum traditionem: siquidem apparet ipsos fuisse adulteros, (quod eis quoque exprobrauit Daniel cap.13. vers.57.) & fecisse stultitiam, illam nimirum quam attentare præsumpserant cum castissima Susanna; & mendaciter contra eam esse locutos: quæ omnia adamussim conueniunt cum his quæ de duobus illis nequissimis senibus in Susannæ historia describuntur. Insuper ex citata Ieremiæ Prophetia datur intelligi, duos illos pseudoprophetas fuisse valdè superbos & hypocritas: simulabant enim se habere spiritum Propheticum, mendaciter prædicantes, à Rege Babylonis in proximo solutum iri captiuitatem, vt sic in honore haberentur apud populum: ob quam superbiam, & ipsorum malitiam, non mirum est, si iuxta doctrinam Apostoli ad Romanos cap.1.vers.24.& 26. tradidit illos Deus in immunditiam, & in passiones ignominiæ, & in stultitiam antè dictam: propter quam posteà, vt impleretur memoratum Ieremiæ vaticinium, extremo supplicio necati sunt. QVINAM FVERINT.

5. Nec obstat, quòd de qualitate supplicij, seu mortis genere, & item de iudice seu condemnatore nonnihil dissidere videatur inter Ieremiam & Danielem: quandoquidem Ieremias apertè prædicit Achab & Sedeciam à Nabuchodonosor igne cremandos esse; Danielem autem asserere videtur, duos illos senes à populo Iudaico fuisse lapidatos: dicit enim cap.13.vers.61.& 62. *Feceruntque eis sicut malè egerant aduersus proximum, vt facerent secundùm legem Moysi; & interfecerunt eos.* Ex quo loquendi modo videtur satis apertè insinuari, ipsos (quia falsò accusauerant Susannam adulterij, ob quod crimen illa debuisset lapidari, vt refertur in Euangelio Ioan.cap.8.vers.4.& 5.) fuisse lapidibus obrutos, iuxta Legem Moysaicam, quæ Deuter. cap.19.vers.18. falsos testes ad pœnam talionis condemnat. Hæc, inquam, non obstant; quia facile erit vtriusque Prophetæ dicta conciliare, si dixerimus, in historia Susannæ per Danielem descripta, non exprimi, quòd lapidauerit eos populus; sed, quòd *fecerunt eis sicut malè egerant aduersus proximum*; hoc est, quod ad ipsum populum spectabat, censuit eos esse dignos morte, quemadmodum ipsi perperàm censuerant Susannam esse interficiendam. Quod au- OBIECTIO. RESPONSIO

tem sequitur, *Et interfecerunt eos*, accipiendum est in eo sensu, quo Lucæ c.24.vers.20. & Actorum cap.2.vers.36.& alibi sæpius, dicuntur Iudæi crucifixisse Christum; nimirum quia ipsum Pilato crucifigendum tradiderant. Ita Daniel dicit, *Et interfecerunt eos*. id est, interficiendos, seu iuxta Moysaicam Legem lapidandos tradiderunt eos (vt iam prædixerat Ieremias) Regi Babylonis, siue, quod idem est, Iudici Babylonio, quem Rex eisdem Iudæis in ipsorum caussis criminalibus delegauerat; qui considerata delicti enormitate, adiudicauit eos igni. Quamquam non inconuenit simul arbitrari, eumdem Regem seu Iudicem permisisse populo Iudæorum, vt priusquam illi duo nequam comburerentur, eosdem patrio more lapidaret: atque ita vtrumque verum sit; & quòd lapidibus oppresserit eos populus, vt innuit Daniel; & quòd posteà eorum corpora, iubente Nabuchodonosor seu Iudice ab ipso delegato, igne concremata fuerint, vt iam prænuntiauerat Ieremias. Simile quid inuenimus scriptum Iosue cap.7.vers.15. vbi eidem Iosue præceperat Dominus, vt quemcumque deprehendisset tulisse de anathemate, combureret eum igne: & nihilominùs sub finem eiusdē capitis legimus, deprehensum fuisse Acham filium Charmi, de quo ibidem paulò pòst dicitur: *Lapidauitq́ eum omnis Israel, & cuncta quæ illius erant, igne consumpta sunt*. Ibi enim, tametsi non exprimatur quòd ipse Acham combustus fuerit; Expositores tamen, & præcipuè Abulensis, probant ipsum Acham & lapidatum, & igne crematum fuisse, eo potissimùm argumento, quòd nullatenus ambigendum est de obedientia dicti Iosue, quin iussionem Domini ad vnguem impleri curauerit.

ACHAM NON SOLVM LAPIDATVS SED ET COMBVSTVS FVIT

IEREMIAS PROPHETAT CONTRA BABYLONEM.

6. Per hæc tempora, nimirum antequam iret Sedecias anno regni sui quarto in Babylonem, necesse est (quemadmodum ex sub anno mundi proximo nu.1. manifestum fiet) Ieremiam prophetasse contra Babylonem omnia illa quæ habentur in toto capite Prophetiæ eius 50. &.51. ab initio capitis vsque ad vers.59. vbi eamdem Babylonem certissimè à Medis destruendam esse prænuntiat.

AB ORBE CONDITO ANNVS 3439. — QVINTÆ MVNDI ÆTAT. ANNVS 417.

1 ANNO regni sui quartò circiter (vt arbitror) inchoante, Sedecias Rex Iuda (vt colligitur Ierem.cap.51. vers.59.) profectus est in Babylonem, vt ferret Regi Nabuchodonosor, qui constituerat eum Regem in Ierusalem, xenia seu munera, & ageret cum eo de negotiis regni, quemadmodum sacri putant Expositores; duxitque secum Saraiam Principem Prophetiæ, id est, qui præerat omnibus Prophetis, eò quòd ipse esset summus Pontifex, & Sacerdos primus, vt expresè traditur 4.Reg.cap. vlt.vers.18.& Ierem.cap.vlt.vers.24. Audiens autem Ieremias Propheta, quòd iret cum Rege Saraias in Babylonem, dedit ei librum, in quo idem Propheta descripserat omnia mala quæ ventura erant super Babylonem propter idola eius; illa, inquam, vt arbitror, mala, quæ narrantur in toto Ierem.cap.50. & 51. præcepitque (subaudi, tamquam Propheta missus à Domino: non enim ipse, vt persona priuata, ausus fuisset præcipere suo superiori, & summo Pontifici) ipsi Saraiæ, vt cùm venisset in Babylonem, legeret omnia verba dicti libri; & his lectis, statim alligato eidem saxo, proiiceret eum in medium fluuij Euphratis, dicens: *Sic submergetur Babylon*, &c. Ierem.cap.51. vers.59. vsque ad finem capitis. Ex quibus euidenter apparet, contenta in citatis Ierem. capitibus 50. & 51. scripta fuisse ante annum regni Sedeciæ quartum, aut in ipsomet eiusdem anni initio, antequam iret Saraias cum Rege in Babylonem, vt sub anno præcedenti num.6. dictum est.

IEREMIAS MANDAT PROPHETIAM SVAM LEGI IN BABYLONE, ET IN EVPHRATEN MERGI, IN SIGNVM INTERITVS BABYLONIS

IEREMIAS PROPHETAT CONTRA IERVSALEM, ET CONTRA PHASSVR.

IN CARCEREM PRIMO CONIICITVR.

2. Eodem anno regni Sedeciæ quarto, (vt ex paulò pòst dicendis probabiliter colligi potest) cùm Phassur filius Emmer Sacerdos, qui constitutus erat Princeps in Domo Domini, audisset quadam die Ieremiam multa mala prophetantem quæ ventura erant super Ierusalem & super vrbes eius, zelo actus indiscreto, percussit ipsum, & misit in carcerem, in Domo Domini in porta Beniamin superiori existentem; verumtamen in crastinum, die illucescente, eduxit eum ac dimisit: qui conuersus ad Phassur, iterùm prophetauit contra eamdem ciuitatem & omnem Iudam, & contra eumdem Phassur & omnes amicos eius, affirmans quòd perituri essent gladio inimicorum suorum, ipsomet inspectante Phassur; & quòd omnis Iuda, cum vniuersa ciuitatis substantia & Regum thesauris diripienda erant, & transferenda in Babylonem, vbi & ipse Phassur cum omni domo sua captiuus erat moriturus. Et quoniam fortasse Phassur hæc audiens subsannabat Ieremiam, cœpit Ieremias multùm conqueri coram Domino, quòd sermo

eius factus esset in opprobrium & in derisum tota die; & denique sancto excandescens zelo, maledixit diei natiuitatis suæ, quòd incidisset in eiusmodi tempora, vsqueadeò diuinis eloquiis aduersantia: Ierem. cap. 20. per totum. Dixi hæc prænotato tempore contigisse: quoniam ex Scriptura sacra non constat quis fuerit iste Phassur; neque sciri potest, quando constitutus fuerit Princeps Domus Domini: quandoquidē neque in 1. Paralip. cap. 6. vers. 4. vsque ad 15. & vers. 50. vsque ad 54. vbi ponitur Aaronis prosapia vsque ad Iosedec; neque in Glossa ordinaria super lib. 2. Machab. cap. 3. vbi recensentur Pontifices, à Sadoc, qui fuit primus Templi Salomonis Pontifex, vsque ad Oniam, qui mortuus est sub Antiocho Epiphane; neque in toto veteris Legis Pontificum catalogo, qui habetur in Chronologia B. Nicephori Patriarchæ Constantinopolitani cap. 16. reperitur iste Phassur: & propterea nihil aliud probabilius cogitare possumus, nisi quòd idem Phassur numquam verè fuerit summus Pontifex; sed Saraias, quando profectus est cum Rege in Babylonem, tunc constituerit eum super Domum Domini, vt ipso absente vices suas gereret; & intra illud tempus, ipsum Phassur posuisse Ieremiam in neruum: non enim credibile est, quòd præsente Rege ausus fuisset id facere.

CONQVERITVR QVOD SERMONES DOMINI SVBSANNARENTVR.

QVIS FVERIT PRAEDICTVS PHASSVR.

3. Eodem anno regni sui quarto (vt num. sequenti probabitur) cùm reuersus esset Sedecias Rex Iuda de Babylone in Ierusalem, venerunt ad eum nuntij Regum finitimarum regionum in circuitu Ierusalem existentium; nempe Idumæorū, Moabitarum, Ammonitarum, Tyriorum, & Sidoniorum; specie quidem vt salutarent in suo reditu Sedeciam; reuerà autem, vt eumdem sollicitarent ad defectionem cum eis à Rege Babylonis, quemadmodum sequentia apertè indicare videntur. Etenim Ieremias Propheta hæc præsentiens, statim, vt iusserat ei Dominus, fecit sibi vincula & catenas ligneas; & vnam quidē posuit in collo suo, ceteras verò posteà per prædictos nuntios misit cunctis præfatarum regionum Regibus; in signum, quòd proculdubiò catenis vincti & captiui ducendi essent in Babylonem, si recessissent à Rege Babylonis. Etenim, subiungebat, scitote quòd Deus qui fecit terram, & homines habitantes in ea, & qui regionum dominia dare solet quibus ei magis placet, dedit omnia regna hæc Regi Nabuchodonosor, vsque ad tertiam eius generationem; ita vt gens, & regnum quod non seruierit ei, certissimè gladio, & fame, & peste consumendum sit: contrà autem, qui vltrò se eidem subiecerint, liberè valeant ac pacificè habitare in terris suis. Quamobrem monebat eos ne auscultarent pseudoprophetas suos, aut diuinos, somniatores, & augures, & maleficos mendaciter vaticinantes, & suadentes eis recedere à seruitute Regis Babylonis; vt sic facerent eos eiici de terra sua. Et eodem modo locutus est Ieremias ad Sedeciam Regem Iuda, & ad Sacerdotes, & ad populum Iudaicum: quibus insuper prædixit, quòd non modò vasa Domus Domini, quæ abstulerat Nabuchodonosor in captiuitate Iechoniæ, non reuersura erant breui de Babylone, quemadmodum eis falsò prædicabant pseudoprophetæ; quin potiùs econuersò certissimè scirent, vasa quæ relicta fuerant in domo Regis & in Domo Domini, & specialiter columnas quoque ac Mare æneum, & bases, & alia quæ fecerat Salomon, transferenda esse in Babylonem: Ierem. cap. 27. per totum.

IEREMIAS CONATVR AVERTERE SEDECIAM ET FINITIMOS REGES NE DEFICIANT A REGE BABYLONIS.

4. Quòd autem hæc acta sint anno regni Sedeciæ quarto, nemo vocet in dubium propter id quod in editione Vulgata legimus in initio citati Ierem. capitis, videlicet: *In principio regni Ioakim filij Iosiæ Regis Iuda, factum est verbum istud*, &c. quia hæc verba (quæ tamen in LXX. Interpretum codicibus non habentur) referenda sunt (quemadmodum ibidem exponunt Glossa ordinaria, & Lyranus, & Dionysius, & alij) ad finem capitis præcedentis; ita vt caput 27. incipiat ab illis verbis: *Hæc dicit Dominus ad me: Fac tibi vincula, & catenas*, &c. Et hæc expositio manifestè comprobari potest ex his quæ ibidem subsequuntur, videlicet: *Et mittes eas ad Regem Edom, & ad Regem Moab, & ad Regem filiorum Ammon, & ad Regem Tyri, & ad Regem Sidonis: in manu nuntiorum, qui venerunt Ierusalem ad Sedeciam Regem Iuda.* Ecce; ergo cum regnabat Sedecias in Ierusalem & Iuda. quod etiam confirmatur ex eodem cap. vers. 12. vbi idem Propheta subiungit: *Et ad Sedeciam Regem Iuda locutus sum secundùm omnia verba hæc*, &c. & vers. 20. perspicuè mentionem facit Iechoniæ iam transmigrati. Ergo non possunt, quæ præcedenti numero retulimus, vllo modo ad tempora, nedum ad initia regni Ioakim pertinere. His adde, quòd quæ in sequenti capite, nimirum eiusdem Prophetiæ 28. narrantur, proculdubiò immediatè cum supradictis continuanda sunt, quemadmodum numero sequenti apparebit. Et tamen ea dicuntur facta *In anno illo, in principio regni Sedeciæ Regis Iuda, in anno quarto, in mense quinto.* (sic enim in exordio proximè citati capitis legimus) id est, in illomet anno, in quo superiùs narrata acta fuerant. Vocatur autem ibi

EXPONITVR LOCVS IEREMIAE CAP. 27. VERS. 1.

CVR ANNVS 4. VOCETVR PRINCIPIVM REGNI SEDECIAE.

ibi annus Sedeciæ quartus, etiam principium regni eius, ipso Sedecia (vt creditur) ita dicente ac prædicante, eò quòd tunc denuò à Rege Babylonis confirmatus fuisset Rex super Iuda, tamquam volens inde deinceps recenseri annos regni sui, ac si tunc primùm regnare cœpisset. Verumenimuerò, si quis, non obstantibus rationibus hucusque adductis, (quæ tamen satis firmæ videntur) mallet omnino saluare litteram Vulgatæ editionis, quæ allegatum Ierem. cap. 27. exorditur ab illis verbis: *In principio regni Ioakim*, &c. posset dicere, memoratam quidem Domini iussionem indicatam fuisse ipsi Ieremiæ vsque ab initio regni Ioakim, quamuis non nisi multò pòst opportuno tempore executioni mandata fuerit; nimirum anno quarto regni Sedeciæ, quando scilicet prædictorum Regum nuntij ad ipsum confluxerunt. Nisi fortè alicui magis arrideat opinio Rabbi Salomonis & Hebræorum existimantium, Ieremiam circa initia regni Ioakim fecisse sibi catenas, easdemque in collo gestasse vsque ad quartum regni Sedeciæ annum, spatio scilicet quattuordecim circiter annorum. Quod tamen ad credendum nimis durum ac difficile videtur.

QVOMODO LITTERA EDITIONIS VVLGATAE SALVARI POSSIT.

5. Eodem anno quarto regni Sedeciæ Regis Iuda, mense quinto, vt dicitur Ierem. cap. 28. vers. 1. Hananias filius Azur Propheta de Gabaon, cùm esset in Domo Domini coram Sacerdotibus & omni populo, inspectante atque audiente Ieremia, falsò prædixit Dominum contriuisse iugum Regis Babylonis; & populum qui erat cum Iechonia captiuus, biennio pòst reuersurum in Ierusalem cum vasis Templi, quæ ablata fuerant. Qua de re redargutus à Ieremia, non cessit; sed detracta violenter de collo Ieremiæ catena, eademque confracta, confirmauit denuò vaticinium suum, dicens: *Hæc dicit Dominus: Sic confringam iugum Nabuchodonosor Regis Babylonis post duos annos dierũ, de collo omnium gentium.* Vnde obiter colligi potest, hæc & num. 3. & 4. à nobis relata, eodem anno contigisse. Verumtamen non multò pòst, Ieremias iubente Domino adiit prædictũ Hananiam, dicens, quòd pro catenis ligneis quas ipse contriuerat, facturus erat Dominus catenas ferreas, & positurus iugum ferreum super colla finitimarum gentiũ, vt seruiant regi Babylonis. Et addidit prænuntians eidem Hananiæ, quòd eodemmet anno moriturus esset, eò quòd confidere fecisset populum in mendacio: Ierem. c. 28. per totum.

HANANIAS PSEVDOPROPHETA VATICINATVR FALSA.

REDARGVITVR A IEREMIA, QVI PRAEDICIT, EVM EODEM ANNO MORITVRVM.

6. Porrò prædictus mensis quintus, non videtur posse dici talis, respectu Anni sacri tunc currentis; quia ex dictis sub anno mundi 3429. num. 5. & 3436. num. 1. constat, Sedeciam regnare cœpisse aliquot diebus post iam inchoatum mensem Anni Hebræorum sacri quintum: igitur oporteret, ea quæ præcedenti numero retulimus, contigisse inchoante circiter anno eiusdem Sedeciæ quarto, quod conciliari non posset cum his quæ suprà num. 3. & 5. diximus; nimirum, Sedeciam anno regni sui quarto iuisse in Babylonem; & post reditum suum in Ierusalem, excepisse legationes vicinorũ Regum, quibus tunc Ieremias misit catenas, & vnam gestabat in collo suo, quam posteà eidem abstulit confregitque Hananias pseudopropheta. Quæ omnia certum est acta esse anno regni Sedeciæ quarto, nec potuisse intra mensem vnum peragi. Quare necessariò sequitur dicendum, vel prædictum mensem quintum, fuisse quintum anni quarti Sedeciæ, & consequenter nonum Anni sacri; & ipsum Sedeciam intra primos quattuor menses anni quarti simul & profectum esse in Babylonem, & negotiis suis ibidem cum Rege citò beneque expeditis, festinatò rediisse in Ierusalem: vel certè (quod magis placet) prædicti pseudoprophetæ vaticinium, & illam ipsius cum Ieremia disceptationem, contigisse in prioribus quinti mensis Anni sacri diebus, qui concurrebant cum postremis anni quarti Sedeciæ diebus: siquidem anni regni Sedeciæ non prorsus coincidebant cum annis regni Nabuchodonosor, sed aliquanto tardiùs exordiebantur; nam anni Nabuchodonosor incipiebant inchoante circiter mense Anni sacri quinto; anni verò Sedeciæ, eodem mense iam per aliquot dies, puta decem aut quindecim inchoato, vt sub citato mundi anno 3429. num. 5. ostensum est. Et inde etiam euidenter apparet, quòd Nabuchodonosor anno regni sui octauo inchoante suscepit Iechoniam, se ei suaque omnia vltrò tradentem, & deinde post paucos dies substituit pro Iechonia Sedeciam Regem in Ierusalem, quemadmodum sub anno mundi 3436. exposuimus. Itaque si quæ dicuntur acta currente anno regni Sedeciæ quarto, in mense quinto, de mense Anni sacri quinto (iuxta paulò antè exposita) accipiantur; proculdubiò potuit ipse Sedecias diutiùs morari in Babylone, & commodiùs ire ac redire, spatio scilicet anni ferè integri. Verumtamen, quod subiungitur de morte prædicti Hananiæ in mense eiusdem anni septimo; iste mensis septimus fuit quidem eiusdem Anni sacri, non autem eiusdem anni Sedeciæ quarti; sed secundus aut tertius anni quinti regni eiusdem Sedeciæ, vt nos sub anno proximo dicemus.

PRAEDICTVS MENSIS NVM FVERIT QVINTVS ANNI SACRI, AN REGNI QVARTI SEDECIAE.

AB ORBE CONDITO ANNVS 3440. QVINTÆ MVNDI ÆTAT. ANNVS 418.

1 ANNO regni Sedeciæ Regis Iuda quinto, in menſe Anni ſacri tunc currentis ſeptimo, qui concurrebat cum menſe ab initio anni quinti eiuſdem Regis ſecundo, vel tertio, Hananias pſeudopropheta mortuus eſt, quemadmodum eidem prænuntiauerat Ieremias Propheta in calce capitis 28. Prophetiæ eius; & nos ſub anno præcedenti num. 5. diximus. HANANIAS MORITVR IVXTA IEREMIAE VATICINIVM.

2. Eodem anno regni Sedeciæ quinto, qui (vt conſtat ex his quæ ſub anno mundi 3436. num. 3. dicta ſunt, & videre eſt in tabulis, & expreſſè tradit S. Hieronymus in c. 1. Ezechielis) coincidit cum anno quinto transmigrationis Iechoniæ, quem Ezechiel appellat Ioachin; & item qui annus (quemadmodum ex ſub anno mundi 3411. n. 1. dictis, & ex paulò pòſt dicendis inferri poteſt) erat trigeſimus vitæ ipſius Ezechielis, die quinta menſis quarti, idem Ezechiel accepit à Domino ſpiritum Prophetiæ, cùm eſſet in terra Chaldæorum; viditque ſecus flumen viſionem grandem quattuor animalium & rotarum, quæ deſcribitur in cap. Prophetiæ eius 1. & 2. quam exponit ad litteram Richardus de S. Victore, in 2. Parte ſuorum Opuſculorum. Poſt quam viſionem miſſus eſt à Domino prophetare & prædicare filiis Iſrael, qui tunc erant in tranſmigratione poſiti; audiuitque ab eodem Domino, & fecit ea omnia, quæ ibidem ipſe narrat vſque ad cap. 8. EZECHIEL SPIRITV PROPHETIAE DONATVR.

3. Diximus, Ezechielem anno ætatis ſuæ trigeſimo prędictam habuiſſe viſionem, non ignorantes Hieronymum Pradum initio Explanationum ſuarum in Ezechielem, poſt reiectam hanc aliaſque huius loci expoſitiones, conari oſtendere annum illum, cuius ibidem Propheta meminit, fuiſſe trigeſimum non ab ortu Prophetæ, ſed ab anno primo regni Nabopollaſſar, ſeu Nabuchodonoſor ſenioris, patris Magni illius qui abduxit Ioachin captiuum. *Ab hoc enim anno*, inquit, *publica auctoritate, noua Aera instituta eſt, atque ab Aſtrologis Chaldæorum perpetuò obſeruata, vt eſt videre in conſtructione magna Ptolemæi, qui eorum calculos imitatus, regnorum Cambyſis Perſæ, Darij Hyſtaſpis, atque Adriani Imperatoris Romani annos numerat à Nabopollaſſaris imperio: qua computatione, nulla poteſt reperiri vel certior, vel antiquior; vtpote quæ perpetuo cælorum motu quotidie ſtabiliatur & confirmetur.* ſic ille. Et quidem quod attinet ad Æram illam à Chaldæorum Aſtrologis obſeruatam, & apud Ptolemæum in libris Almageſti ſæpiùs citatam, nemini dubium eſt, quin ſit aliarum omnium certiſſima. Verùm illa dubio procul à Nabonaſſar deduci ſolet, vt patet in eiſdem Ptolemæi libris, & nos latè ſub anno mundi 3306. num. 1. & ſequentibus oſtendimus: non autem (vt putat Pradus) à Nabopollaſſar, qui fuit Nabonaſſaro longè poſterior, quemadmodum perſpicuè tradit idem Ptolemæus lib. 5. Almageſti cap. 14. dicens, annum quintum Nabopollaſſar fuiſſe centeſimum vigeſimum ſeptimum à Nabonaſſaro. Quòd autem etiam ab ipſo Nabopollaſſar noua Æra poſtmodum auctoritate publica fuerit inſtituta, nuſquam reperimus, neque Pradus id probat. Sed, eſto, exiſtimauerit Pradus Nabonaſſarum etiam Nabopollaſſari nomine fuiſſe appellatum, aut alterum pro altero ſumpſerit; (ſufficit enim ex eius verbis liquidò colligi, quòd ipſe loquitur de Æra quam ſequitur Ptolemæus, quæ vtique à Nabonaſſaro, non à Nabopollaſſaro deriuatur) certè nullo modo dici poteſt, trigeſimũ illum annum à quo Ezechiel Prophetiam ſuam exorſus eſt, & quem ibidem teſtatur incidiſſe in annum quintum tranſmigrationis regis Ioachin, fuiſſe trigeſimum Æræ nunc memoratæ: quandoquidem Ptolemæus loco proximè adducto diſertè tradit, annum regni Cambyſis ſeptimum fuiſſe ducenteſimum vigeſimum quintum à primo regni Nabonaſſar. quod (poſita ſententia Pradi) nullo modo verum eſſe poſſet: nam conſtat, annum quintum tranſmigrationis Regis Ioachin, ſex circiter annis præceſſiſſe Babylonicam Iudæorum captiuitatem, quam certùm eſt per annos tantùm ſeptuaginta perduraſſe, & ſolutam fuiſſe anno primò Monarchiæ Cyri, cui proximè ſucceſſit Cambyſes. Igitur prædictis triginta annis adde 6. ante captiuitatem fluxos, & 70. captiuitatis, & 7. Monarchiæ Cyri, & totidem Cambyſis, & efficies ſummam annorum dumtaxat 120. ab initio Æræ Nabonaſſar ad annum regni Cambyſis ſeptimum. Quòd ſi etiam volueris annos Cyri facere triginta, & aliquanto plures quàm ſex ponere annos à quinto tranſmigrationis ad primum Babylonicæ captiuitatis decurſos; nec ſic tamen poteris vllo modo ad ſummam ducentorum viginti quinque annorum à Ptolemæo notatam peruenire. Itaque quis non videt, opinionem Pradi nullatenus poſſe ſubſiſtere? Id verò etiam clarius QVOD ID CONTIGERIT ANNO VITAE EIVS 30.

30
6
70
7
7
120

clarius prudens Lector intelliget, si eam cum his quæ nos sub anno mundi 3306. fusius disseruimus, conferre placuerit. Si ergo non potest iste annus trigesimus referri ad regnum Chaldæorum, in quo Propheta, quando hæc scribebat, morabatur; neque ad Rempublicam Iudæorum, vt ipsemet asserit Pradus, (sufficit enim quòd ibidem Æra transmigrationis Ioachin ad Iudæos pertinens, fuerit commemorata;) neque ad tempus Deuteronomij inuenti, vt idem Pradus credidit; neque ad Iubileũ proximè anteactum, quemadmodum etiam nostris apparet in tabulis: quid, obsecro, probabilius opinari possumus, quàm quod ait S. Gregorius Homilia 2. in Ezechielem, videlicet, annum illum fuisse trigesimum ætatis Prophetæ? qui vt indicaret, se non sicut Ieremias (quemadmodum capitulo eius primo traditur) ab vtero matris fuisse sanctificatum & in Prophetam electum, sed cùm esset iam in ætate perfecta, spiritum Prophetiæ accepisse; propterea operæpretium duxit scribere, id ei anno vitæ suæ trigesimo euenisse. Quomodo autem concilianda sint verba S. Hieronymi, hoc idem quandoque affirmantis, quandoque verò negantis, iam nos sub anno mundi 3411. num. 1. diximus.

AB ORBE CONDITO ANNVS 3441. — QVINTÆ MVNDI ÆTAT. ANNVS 419.

PROPHETAT QVAE CAP. EIVS 8. VSQVE AD 20. CONTINENTVR.

1 ANNO regni Sedeciæ sexto, qui pariter erat sextus transmigrationis Iechoniæ, die quinta mensis sexti, Ezechiel Propheta in Babylone, cùm esset coram senioribus Iudæ sedentibus in domo sua, vidit secundam visionem, in qua ostendit ei Dominus abominationes idololatriæ plurimas domus Israel, quæ fiebant in Ierusalem & in Templo, ac describuntur ab eodem Ezechiele in capitulo eius octauo. Et eodem anno ac deinceps vidit alias visiones, prophetauitque cetera omnia, quæ ab eodem cap. 8. vsque ad 20. in eadem Prophetia describuntur. In quibus ferè omnibus capitibus, plures easque valdè abominabiles Ierosolymitanorum ciuium præuaricationes & idolorum cultus, spiritualibus quibusdã visionibus mirabiliter sibi demonstratas fuisse asserit; & propterea inuehitur contra eos, quòd spretis atque posthabitis saluberrimis sanctorum Prophetarum, præsertim verò Ieremiæ consiliis ac cohortationibus, pseudoprophetas felicia & prospera cuncta falsò promittentes, libenter auscultarent sequerenturque; & Deo ac beneficiis ab eo acceptis omnino ingrati, ad diabolicas superstitiones perfidè sectantes conuersi essent. Ad tantorum deinde flagitiorum punitionem, sub variis typis & similitudinibus prænuntiat miserandum illud Ciuitatis, Regis, & Principum eius exterminium, quod non multò pòst eis intulit Nabuchodonosor Rex Babylonis. Nec his contentus, modum quoque quo prædicti Rex & Principes transmigraturi & affligendi erant, speciatim cap. 12. vers. 12. vsque ad 15. & cap. 17. vers. 20. vsque ad 22. ita clarè describit, ac si rem præteritam, non futuram, suscepisset narrandam. Verùm, inter hæc & eiusmodi alia, non omittit sanctus iste Vates, more aliorum Prophetarum, ad consolationem bonorum, (semper enim in populo Hebraico bonos aliquos extitisse credendum est) commemorare aliqua de ipsorum Iudæorum captiuitate soluenda, atque denuò ad montes Israeliticos reducenda: cap. 11. vers. 17. vsque ad 21. & item (licet aliquantò subobscurè) quædam insinuare de Christo venturo, & humani generis redemptione per ipsum facienda; nimirum cap. 16. vers. 60. & deinceps, & c. 17. vers. 21. vsque ad finem capitis.

AB ORBE CONDITO ANNVS 3442. — QVINTÆ MVNDI ÆTAT. ANNVS 420.

ARGVIT IVDAEOS, ET PROPHETAT CONTRA IERVSALEM ET REGEM EIVS.

1 ANNO regni Sedeciæ & pariter transmigrationis Iechoniæ septimo, decima die mensis quinti, cùm venissent quidam de senioribus Israel ad Ezechielem, vt per ipsum, tamquam Sacerdotem & Prophetam, interrogarent Dominum: videns vir Dei, quòd illi non sincera intentione, nec debita cum humilitate venissent; prætermissa responsione ad ipsorum quæsita, cœpit arguere & increpare eos, propter multas ipsorum & patrum suorum in vario idolorum cultu abominationes, & exprobrare eis beneficia quæ à Deo acceperant, & nihilominùs, his non obstantibus, eum blasphemare ac spernere non erubuerant. Vide hæc & eiusmodi plura, quæ fusè admodum prosequitur idem Ezechiel cap. 20. per totum. Qui mox cap. sequenti prophetat contra Ierusalem & contra Regem eius, nimirum Sedeciam, prænuntians mala quæ illaturus erat eis Nabuchodonosor Rex Babylonis; & in aliis quoque duobus proximis capitibus pergit prophetare contra Iudam & Ierusalem.

2. Eodem anno, qui erat vitæ Danielis decimusseptimus, vt patet in tabulis, credimus ipsum Danielem cum aliis tribus adolescentulis, videlicet Anania, Misaele, & Azaria, fuisse delectos è cunctis pueris de semine Israelis regio, qui tum erant in Babylone; quemadmodum mandauerat Nabuchodonosor Rex; vt tribus annis, hoc est vsq; ad vigesimum ætatis annum (illud enim est tempus disciplinis imbuendis aptissimum) Chaldæorum litteris, & in omni scientia ac disciplina eruditi, possent posteà stare in Palatio Regis, parati inseruire ei, & ad omnia ab eis requisita, prudenter respondere. Qui statim, Daniele inprimis proponente, decreuerunt abstinere à vino & cibo regio eisdem à Rege constituto, ac interim vesci leguminibus & aquâ. Quod vt eis facere permitteretur, ab Eunuchorum Præposito, præmissa decem dierum experientia, cùm vultus eorum ceteris adolescentibus meliores ac corpulentiores apparuissent, facilè impetrarunt. Itaque intra memoratum triennium dedit eis Deus gratiam proficiendi super omnes alios commilitones suos in scientiis, & in omni libro ac disciplina. Danieli autem insuper contulit omnium visionum ac somniorum interpretandi intelligentiam, vt latiùs describitur Daniel. cap. 1. vers. 3. vsque ad 18.

DANIEL ET SOCII CHALDAEORUM LITTERIS AC DISCIPLINIS IMBUUNTUR.

ABSTINENT A VINO ET CIBO REGIO.

PLURIMUM PROFICIUNT.

AB ORBE CONDITO ANNVS 3443. QVINTÆ MVNDI ÆTAT. ANNVS 421.

1 ANNO regni Sedeciæ octauo, arbitror facta esse quæ referuntur 2. Paralip. cap. vlt. vers. 13. vsque ad 17. nimirùm de ipso Sedecia, qui cùm hactenus fecisset malum coram Domino, iuxta omnia quæ fecerat Ioakim, vt dicitur 4. Reg. cap. 24. vers. 19. & Ierem. cap. vlt. vers. 2. hoc est, fuisset idololatra; tandem, quemadmodum accidere solet his qui diu perseuerant in peccatis, indurauit ceruicem suam & cor, vt non reuerteretur ad Dominum Deum Israel; & similiter vniuersi principes Sacerdotum & populus non modò præuaricati sunt iniquè, iuxta vniuersas Gentium abominationes, & polluebant Domum Domini; sed & impiè subsannabant nuntios, quos mittebat eis Deus, & paruipendebant sermones eius, illudebantque Prophetis. Quamobrem iusto Dei iudicio permissi sunt cum Rege suo recedere à fœdere quod habebant cum Nabuchodonosor, vt sub anno proximo num. 1. dicemus, quæ fuit causa interitus ciuitatis ac totius regni Iuda.

SEDECIAE ET IUDAEORUM PRAEVARICATIONES.

CAUSA INTERITUS IEROSOLYMAE ET REGNI.

AB ORBE CONDITO ANNVS 3444. QVINTÆ MVNDI ÆTAT. ANNVS 422.

1 ANNO regni sui nono circiter inchoante, Sedecias Rex Iuda, cùm per octo annos socius Babyloniorum fuisset, vt scribit Iosephus 10. Antiq. cap. 10. transiuit ad partes Ægyptiorum, violato fœdere quod pepigerat cum Rege Babylonis, qui adiurauerat eum per Deum ne ab ipso deficeret, vt idem Iosephus ibidem tradit; & exprimitur etiam 2. Paralip. cap. vlt. v. 13. Nec erubuit faciem Ieremiæ Prophetæ (quemadmodum ibidem vers. præcedenti dicitur) qui ex ore Domini sæpissimè contestatus fuerat & coram ipso Rege, & audiente omni populo, ne recederent à Rege Babylonis, & eidem seruire ne recusarent; alioqui certò scirent, captum ab eo iri ciuitatem & regnum, ac omnia in exterminium abitura. Igitur

SEDECIAS DEFICIT A BABYLONIIS AD AEGYPTIOS.

2. Eodem regni Sedeciæ anno, Nabuchodonosor cùm audisset à se defecisse Sedeciam, quem ipse constituerat Regem in Ierusalem, iratusque valdè iam duxisset in Iudæam exercitum, vastata regione, occupatisque arcibus, vt ait Iosephus vbi suprà, ad Ierosolymam oppugnandam accessit mense decimo, decima die mensis, vt dicitur 4. Reg. cap. vlt. vers. 1. & 2. & Ierem. cap. 39. vers. 1. & cap. vlt. vers. 4. & 5. & colligi etiam potest Ezechielis cap. 24. vers. 1. & 2. & ædificauit in circuitu eius munitiones, ac obsedit eam; quæ mansit clausa atque vallata vsque ad vndecimum regni Sedeciæ annum, (subaudi, expletum) vt locis citatis traditur. Ex quibus inferre licet, quamdiu perdurauerit ista obsidio. Quamquam circa hoc aduertendum est, Iosephum meo iudicio dupliciter falli. Primò, quia putat prædictum diem decimum decimi mensis anni noni Sedeciæ, debere intelligi de tempore quo Chaldæi, profligatis (vt sub anno mundi proximo num. 1. dicemus) Aegyptiis, redierunt ad obsidendam Ierosolymam: cùm tamen Scriptura sacra locis paulò antè citatis apertè dicat, eadem die venisse Nabuchodonosor cum exercitu suo ad Ierusalem, & circumdedisse eam, atque ædificasse in circuitu eius munitiones. Quod de primo eius aduentu, non autem de reditu accipiendum videtur, alioqui non diceretur quòd tunc ipse ædificasset, sed quòd reædificasset munitiones interim ab Hebræis destructas, vel si ipsi eas non diruissent, non

NABUCHODONOSOR OBSIDERE ATQUE OPPUGNARE COEPIT IEROSOLYMAM.

QUAMDIU PERDURAVERIT OBSIDIO.

IOSEPHI DUPLEX LAPSUS.

opus fuiſſet addere, quòd ille tunc extruxerit munitiones. Neque obſtant quæ ibidem ſubiunguntur; nimirum, ciuitatem manſiſſe clauſam atque vallatam vſque ad annum Sedeciæ vndecimum; quia tempus illud ſolutæ obſidionis propter aduentum Aegyptiorum, adeò exiguum fuit & nullius momenti, vt meritò præteritum, & pro nihilo habitum fuerit; præſertim cùm credibile ſit, Regem Babylonis non omnino tunc ſoluiſſe obſidionem; ſed tantummodò ceſſaſſe ab oppugnatione; & obuiàm pergens Aegyptiis, reliquiſſe nihilominùs qui prohibere poſſent, ne obſeſſi exeuntes eum à tergo inſequi poſſent.. Alterum eſt, quòd Ioſephus videns Scripturam ſacram aſſignaſſe prædictæ obſidionis terminos à die decimo decimi menſis anni Sedeciæ noni, vſque ad diem decimum quarti menſis anni Sedeciæ vndecimi; colligit, eamdem obſidionem perduraſſe menſes dumtaxat decem & octo: quod vtique verum eſſet, ſi Scriptura ſacra loqueretur ibi de menſibus in relatione ad ſingulos regni Sedeciæ annos: ſed aliter (vt arbitror) res ſe habet; nam prædicti menſes proculdubiò referendi ſunt ad Annum ſacrum tunc currentem, quemadmodum ex numero proximo dicendis comprobabitur, & item ex dictis ſub anno mundi 3429. num. 4. & 5. colligi poteſt: alioqui ſequeretur, ipſum Sedeciam non regnaſſe vſque ad conſummationem anni vndecimi; quod tamen diſertè aſſerit Ierem. cap. 1. verſ. 3. ſed tantummodò vſque ad initium quinti menſis anni eiuſdem Regis vndecimi. Igitur cœpit obſidio in anno quidem regni Sedeciæ nono, ſed decimo menſe illius Anni ſacri, qui pro maiori parte concurrebat cum dicto anno regni Sedeciæ nono, cuius quidem menſis decimus, erat ſextus ab exordio dicti anni regni Sedeciæ noni: ſiquidem vt ſub anno mundi proximè citato probatum eſt, anni regni Sedeciæ incipiebant à menſe Anni ſacri quinto; & proptereà ſemper menſis ſextus anni Sedeciæ, concurrebat cum decimo Anni ſacri. Cùm itaque conſtet, Sedeciam regnaſſe annos vndecim integros; neceſſariò infertur, prædictam Ieroſolymæ obſidionem duraſſe per menſes non decem & octo tantùm, ſed vnum & triginta; nimirum duobus annis, decimo ſcilicet & vndecimo, & inſuper menſibus ſeptem anni ipſius Sedeciæ noni. Intra quod tempus, non oportet arbitrari, Nabuchodonoſor ſemper iu Iudæa manſiſſe (non enim è re tanti Imperij eſſe videbatur, Regem à ſua metropoli tam longè diuque abeſſe) ſed poſteaquam Iudææ ciuitates cepit, & Ieroſolymam obſidione vallauit, exercitu Ducibuſque ſuis ibi relictis, ipſum quandoque ad Tyrum, quam eodem pariter tempore cum alio exercitu obſidebat, excurriſſe, vt ſuis præſens animum adderet, quandoque etiam in Babyloniam, quæ erat totius regni ſui ſedes, properaſſe, ad res ibidem moderandas, grauioraque itidem negotia expedienda. Quando autem intellexit, Ieruſalem Tyrumque breui fore capiendas, rediiſſe in Syriam, moratumque eſſe non valdè procul ab vtroque exercitu ſuo (vt ſub anno mundi proximo num. 6. dicemus) in Reblatha, donec tandem Ieruſalem Tyruſque captæ ſunt. Quare mirari nemo debebit, ſi interim nos eumdem Nabuchodonoſor modò in Syria, modò in Babylone, extitiſſe ſupponemus.

QVID INTERIM AGERET NABVCHODONOSOR.

¶ 3. Ceterùm, quæ intra prædictum tempus acta fuerint, conſequenter dicemus; ſi tamen priùs illud hoc loco adnotauerimus, ob hanc potiſſimum cauſam, videlicet quia in menſe decimo obſeſſa fuit à Chaldæis Ieruſalem, iuxta Cyrillum à Ribera ſuper loco Zachariæ paulò pòſt citando allegatum; & item, quia (vt ibidem addunt B. Hieronymus & Rupertus) triennio pòſt, in menſe pariter decimo, nuntiata fuit Ezechieli in Babylone, & per Ezechielem tranſmigratis ibidem exiſtentibus, Templi Ieroſolymæque vaſtatio ac ſubuerſio; vt patet Ezechiel. cap. 33. verſ. 21. Ob hæc, inquam, valdè memorabilia, quæ in menſe decimo acciderant, inſtitutum poſteà fuiſſe apud Hebræos illud ſollemne ieiunium, quod apud ipſos in eodem Anni ſacri menſe decimo vſque in hodiernum diem quotannis obſeruari ſolet, vt videre eſt in eorumdem Hebræorum Kalendario, quod Latinè reddidit Genebrardus, & cum ſuis in Pſalmos Commentariis excudi curauit. De quo etiam decimi menſis ieiunio meminit Zacharias cap. 8. verſ. 19. Et hinc confirmari poteſt, quòd præcedenti numero diximus, Scripturam ſacram locis citatis & alibi ferè ſemper loqui de menſibus in ordine ad Annum ſacrum: etenim ipſam ieiuniorũ annualium, quemadmodum & feſtiuitatum diſtributionem, iuxta menſes Anni ſacri diſpoſitam eſſe certiſſimnm eſt.

CVR INSTITVTVM SIT IEIVNIVM MENSIS DECIMI.

☞ 4. Eodemmet die, quo Babylonij Ieroſolymam obſidere cœperunt, factum eſt verbum Domini ad Ezechielem in Chaldæa commorantem, præcipiens ei vt notaret diem illum in libro, quoniam in eo præciſè confirmatus erat Rex Babylonis contra Ieruſalem: Ezechiel. cap. 24. verſ. 1. & 2. vbi deinceps in toto illo capite, ſub figura ollæ electioribus carnium partibus ac oſſibus repletæ, ignique admotæ; & item ſub typo obitus propriæ vxoris, pro qua iuſſus eſt Propheta nullum luctum facere, prænuntiauit ei Do-

DEVS PRAEOSTENDIT EZECHIELI IEROSOLYMAE INTERITVM.

ei Dominus domum Israel in exterminium fore tradendam; & sanctuarium, superbiam imperij eius, polluendum; & filias filiosque eorum trucidandos, nullo attinentium luctu, præ nimio omnium stupore. Et per idem quoque (vt arbitror) tempus prophetauit Ezechiel iubente Domino Ammonitis & Moabitis, Idumæis & Palæstinis exitium, eò quòd filios Israel afflixerint, & de eorum calamitatibus exultauerint, vt videre est in toto Ezechiel.cap.25. EZECHIEL PROPHETAT CONTRA POPVLOS IVDAEIS FINITIMOS.

5. Circa initia (vt arbitror) dictæ obsidionis, Sedecias Rex Iuda misit Phassur filium Melchiæ (ad differentiam illius Phassur filij Emmer, qui Ieremiam in carcerem intruserat, vt sub anno mundi 3439.num.2.dictum est) & Sophoniam filium Maasiæ Sacerdotem, ad Ieremiam Prophetam, vt interrogaret pro eo Dominum de memoratæ obsidionis euentu siue exitu. Quibus Propheta respondit, Ierosolymam fore vastandam peste, gladio, & fame, & Sedeciam Regem, cum reliquis qui euaserint pestem, gladium, & famem in ciuitate, tradendos esse in manus Nabuchodonosor Regis Babylonis, qui ducet eos in captiuitatem; & neque precibus flectetur, neque parcet, nec miserebitur eis; sed & ciuitatem exuret igne: vnam verò dumtaxat restare obsessis viam salutis, nimirum si egredientes de ciuitate, vltrò ad Chaldæos transfugiant. Denique hortatur domum Regis Iuda vt faciat iudicium, id est vt rectè integreque iudicet, ne indignatio Domini eam penitus extinguat: Ierem.cap.21.per totum. IEREMIAS INTERROGATVS, PRAENVNTIAT IVDAEORVM CALAMITATES.

6. Non multò pòst, vt reor, ipsemet Ieremias missus est à Domino ad Sedeciam Regem, vt prædiceret ei, quòd iam decreuerat Dominus tradere ciuitatem in manus Regis Babylonis, vt succenderet eam igne; & ipse pariter Sedecias Rex à Chaldæis capiendus erat, & in Babylonem deportandus, & vinctus ante conspectum Regis Nabuchodonosor sistendus; ita vt iratum eius vultum propriis oculis intueri, asperaque eius verba audire cogendus sit: Ierem.cap.34.vers.1.vsque ad 7. Quæ cùm Ieremias nuntiasset Regi, ille non sustinens talia audire vaticinia, iussit eum claudi in atrio carceris, qui erat in domo Regis, vt apertè colligitur Ierem.c.32.vers.2.vsque ad 6.vbi clarè traditur, quòd Sedecias anno regni sui decimo iam clauserat (nimirum anno præcedenti) Ieremiam in dicto carcere, quoniam ei memoratos prænuntiauerat calamitates, quæ ibidem pænè de verbo ad verbum denuò referuntur. Et hæc fuit secunda Ieremiæ in carcerem coniectio regnante Sedecia; si tamen verum est, quod nos sub anno mundi 3439. num.2. diximus, primam illam, quæ facta est iubente Phassur Præposito Domus Domini, anno regni Sedeciæ quarto accidisse. IEREMIAS SECVNDO TRVDITVR IN CARCEREM.

7. Per hæc quoque circiter tempora, videlicet antequam percuteret Pharao Gazam, vt sub anno proximo num.1. dicemus, Ieremias prophetauit vastationem Philisthinorum, Tyri, Sidonis, Gazæ, & Ascalonis, vt videre est in toto Prophetiæ eius cap.47. PROPHETAT CONTRA POPVLOS IVDAEAE PROXIMOS.

8. Eodem (vt arbitror) anno, post prædicta, videns Sedecias Rex quòd Chaldæi admodum præualuissent contra Iudæos, iamque expugnassent reliquas regni sui ciuitates, præter Lachis, & Azecha, & Ierusalem, quas acriter admodum oppugnare non cessabant: cùm quadam die esset in arcto positus, & secum ipse recoleret saluberrima quæ Ieremias ei dederat consilia, quando suadere conabatur ne discederet à Nabuchodonosor, sed in eius amicitia & fœdere permanere ac perseuerare curaret: cumque prætereà eiusdem Prophetæ prædictiones ac vaticinia indies magis ac magis adimpleri cerneret; in se reuersus, ante omnia (vt puto, & numero sequenti dicemus) iussit educi Ieremiam de carcere, in quo eum ipse recludi iusserat; & liberum dimitti. Deinde ipso Ieremia, quemadmodum probabile est, suadente, vt placaret Dominum, percussit coram eo cum omni populo suo fœdus illud, quod describitur Ierem.cap.34.vers.7.vsque ad 15. Vt scilicet dimitteret vnusquisque, quos sibi de Hebræis fratribus suis in seruos & ancillas subiecerat, liberos, iuxta Legem Moysi, quæ habetur Exod.cap.21.vers.2.& Deuter.c.15.vers.12. Quod illicò executioni mandatum fuit, vt cap.Ierem. citato vers.10. legimus. Ex quo Ieremiæ loco, præsertim vers.14. apertè colligi potest, quòd iste annus regni Sedeciæ nonus, saltem ex parte, esset Sabbaticus, siquidem hæc seruorum dimissio facienda erat in septimo anno, vt locis Exodi Deuteronomijq; citatis apparet; & ibidem idem Propheta docet. Et prætereà confirmari potest hunc annum fuisse Sabbaticũ, quia (vt videre est in tabulis) præcisè concurrit cum anno Æræ ab introitu Israelitarũ in Terram promissionis octingétesimo sexagesimo primo, qui numerus, si per septẽ diuidatur, nihil relinquit. Etenim centum viginti tres, septies ducti, prædictam faciunt summam. SEDECIAS EDVCIT IEREMIAM DE CARCERE. PERCVTIT FOEDVS CVM DOMINO. QVOD ISTE ANNVS FVERIT SABBATICVS.

9. Sub finem, vt arbitror, eiusdem anni Sedeciæ noni, Pharao Rex Ægypti, audito in quibus angustiis esset socius eius Sedecias, assumpto valido exercitu Iudæam petiit, volens Ierosolymorum obsidionem soluere. At Babylonius, intermissa obsidione, obuiam illi profectus, prælio victum, tota Syria expulit, vt scribit Iosephus 10. Antiq. cap.10. BABYLONII PHARAONEM PRAELIO VICTVM TOTA SYRIA EXPELLVNT.

cap. 10. & breuiter quoque tangit Ieremias cap. 37. verſ. 4. Et tunc Sedecias Rex (nimirum quando audiuit quòd Pharao veniret in auxilium eius) miſit Iuchal filium Selemiæ, & Sophoniam filium Maaſiæ Sacerdotem ad Ieremiam, (qui de carcere iuſſu Regis, vt numero præcedenti dictum eſt, eductus, liberè ambulabat) rogans eum vt oraret pro populo Dominum, eumdemque conſuleret, num duratura eſſet illa obſidionis ſolutio, nec ne. Quibus Propheta reſpondit, vt nuntiarent Regi, quòd proculdubiò Chaldæi redituri erant ad obſidendam Ieruſalem, & eam tandem igni exurendam tradituri, vt in citato Ieremiæ capite vſque ad verſ. 10. deſcribitur.

IVDAEI FRANGVNT FOEDVS CVM DOMINO INITVM.

10. Eodem tempore videntes Iudæi ſolutam ab obſidione Ieroſolymam, diuinis ingratiſſimi beneficiis, fregerunt fœdus quod paulò antè obſeſſi percuſſerant ſollemniter coram Domino, retraxeruntque ſeruos & ancillas ſuas quas dimiſerant liberas, & denuò eoſdem ſubiugauerunt ſibi in famulos & famulas. Quamobrem factus eſt ſermo Domini ad Ieremiam, qui confeſtim prophetauit multa mala aduerſus eos, nimirum quòd propterea Dominus iuſtè iratus tradet eos in gladium, peſtem, ac famem; & reducet Chaldæos qui receſſerant, vt denuò pugnent contra Ieruſalem, & expugnabunt (inquit) eam, & incendent igni, & Sedeciam Regem ac Principes eius capient, & eos qui præuaricati ſunt fœdus, quod de more inter diuiſiones vituli tranſeuntes firmauerant, interficient; & cadauera eorum relinquent in eſcam volatilibus cæli ac beſtiis terræ, & ciuitates Iudæ redigent in ſolitudinem. Quæ omnia fuſiùs explicantur Ierem. cap. 34. verſ. 11. vſque ad finem capitis.

IEREMIAS TERTIO IN CARCEREM CONIICITVR.

11. Per idem tempus, non multò poſt prædicta, venit in mentem Ieremiæ egredi de Ieruſalem, & proficiſci in patriam ſuam nomine Anathoth, poſitam in terra Beniamin. Itaque cùm perueniſſet ad portam ciuitatis, Ioſias portę cuſtos ſuſpicatus ipſum tranſire ad Chaldæos, apprehendit eum, ac duxit ad Principes; qui indignati, cæſum miſerunt in carcerem, ſtetitque ibi Ieremias diebus multis: Ierem. cap. 37. verſ. 10. vſque ad 16.

AB ORBE CONDITO ANNVS 3445. — QVINTÆ MVNDI ÆTAT. ANNVS 423.

CHALDAEI ITERVM OBSIDENT OPPVGNANTQVE IEROSOLYMAM. PHARAO SPOLIAT GAZAM.

1 CIRCA initia anni (vt arbitror) decimi regni Sedeciæ, Chaldæi iuxta Ieremiæ vaticinium reuerſi ſunt ad obſidendam Ieruſalem, profligato priùs (quemadmodum ex Ioſepho ſub anno præcedenti num. 9. diximus) exercitu Pharaonis; qui in Ægyptum rediens, dicitur ſpoliaſſe Gazam vrbem Philiſthinorum Ægypto confinem. Et hanc eſſe illius vrbis percuſſionem, quam prædicit Ieremias cap. 47. cuius nos ſub præcedenti anno mundi num. 7. meminimus, refert ex Rabbi Salomone Lyranus ſuper cap. Ierem. citato.

IEREMIAS EDVCTVS DE CARCERE, MANET IN VESTIBVLO EIVS.

2. Poſt plures dies videns Sedecias Rex, quòd quæ prædixerat Ieremias de reditu Chaldæorum ad obſidendam Ieruſalem, adamuſſim impleta erant; & econuersò res ipſa indicabat, mendaces fuiſſe cunctos pſeudoprophetas, qui eidem Regi populoque oppoſitum prædicebant; iuſſit clàm adduci Ieremiam ad ſe in domum ſuam, & de exitu belli interrogatum, ab eo audiuit ſe tradendum in manus Regis Babylonis. Deinde à Propheta rogatus Rex, ne remitteret eum in domum Ionathan Præpoſiti carceris, ne ibidem moreretur; acquieuit petitioni eius Sedecias: & fortè eum libenter omnino liberum dimiſiſſet, ſed ne Principibus malè de Ieremia ſentientibus aduerſari videretur, tenuit eum in veſtibulo carceris, aſſignata ei in dies torta panis, excepto pulmento: Ierem. cap. 37. verſ. 16. vſque ad finem capitis.

VRBIS MALA PRAENVNTIAT.

3. Porrò Ieremias manens in veſtibulo carceris, ad quem quilibet de populo accedere poterat, imminentia vrbi mala prædicare non ceſſabat, quin etiam in verbo Domini aſſeuerabat, eos qui manere voluiſſent in ciuitate, gladio, fame, ac peſte perituros; qui autem ad Chaldæos exire, ſoſpites victuros: quæ cùm audiſſent quidam de Principibus, retulerunt Regi exaggerantes, quòd iſte homo ſuis prædictionibus diſſolueret corda bellantium contra Chaldæos pro ciuitate tuenda, & propterea omnino deberet occidi. Quare, obtenta Regis licentia, ſubmiſerunt Ieremiam funibus in lacum, aqua quidem carentem, ſed cœno obductum; vbi proculdubiò mortuus eſſet, niſi non multò poſt quidam de ſeruis Regis nomine Abdemelech, & natione Æthiops, miſertus Prophetæ, & à Rege impetrata facultate, eum inde funibus extraxiſſet, & deinceps in veſtibulo carceris aluiſſet: Ierem. cap. 38. verſ. 1. vſque ad 14.

MITTITVR IN LACVM. INDE EDVCTVS MANET IN VESTIBVLO CARCERIS.

PLVRIMI EX IVDAEIS TRANSEVNT AD CHALDAEOS.

4. Poſt hæc, cùm plurimi ex Iudæis, & fortaſſe nobilioribus, tranſiſſent ad Chaldæos, vereretur que Rex Sedecias ne traderent ipſum hoſtibus, & illuderent; accerſitum ad ſe Ieremiam in Domo Domini, interrogauit de rerum euentu: qui accepto Regis iureiurando ne ipſum interficeret, ſi quæ placita ei eſſent non reſponderet; indicauit ei ſermonem

nem Domini, suadensque, Ne timeas (inquiebat) egredi ad Chaldæos, quia proculdubiò sic benè erit tibi, & vniuersæ ciuitati: & si aliter feceris, certissimè scias te non euasurum manus Chaldæorũ, & vrbem nullatenus ab ipsorum incendio posse præseruari. Quibus auditis, Rex præcipiẽs ne vllo modo Principibus ad se venietibus aperiret quid cum Rege locutus esset, remisit Prophetam in vestibulũ carceris; vbi deinceps mansit, vsque ad diem quo capta est Ierusalem: Ierem. c. 38. vers. 14. vsque ad finem capitis.

NABVCHODONOSOR DE IEREMIAE VATICINIIS ADMONETVR.

5. Intereà oportet diuina prouidentia venisse ad aures Regis Nabuchodonosor (per illos fortè Iudæos, qui, vt numero præcedenti dictum est, ad ipsum transfugerant) quòd in Ierusalem reperiebatur quidam sanctus vir, nominè Ieremias, qui diuino afflatus Spiritu præuidebat prænuntiabatque omnia mala quæ ventura erant super Ierusalem & Regem eius; & speciatim asserebat, quòd Deus omnino decreuerat tradere ciuitatem Regemque Sedeciam in manus Nabuchodonosor Regis Babylonis; & quia hortabatur omnes transire ad partes Chaldæorum, atque vltrò seruire regi Babylonis, proptereà ab ipso Rege Sedecia tenebatur in carcere inclusus. Et quòd his auditis, illicò se senserit Nabuchodonosor benè affectum erga Prophetam: quæ fuit causa, quòd posteà, quando capta est vrbs, præceperit Nabuzardan Magistro militiæ suæ, vt Ieremiam de carcere educeret, eique nihil mali faceret, sed liberum dimitteret; vt obiter dicitur Ierem. cap. 39. vers. 11. & 12. Et ita factum fuisse, nos sub anno mundi 3447. num. 1. dicemus.

EZECHIEL PROPHETAT CONTRA PHARAONEM AEGYPTI REGEM.

6. Eodem anno regni Sedeciæ decimò, qui erat quoque decimus transmigrationis Iechoniæ (vt non semel probauimus) die vndecima mensis decimi; qui quidem mensis, si erat (vt arbitror) decimus Anni sacri tunc currentis, oportet fuisse sextum anni Sedeciæ decimi; Ezechiel prophetauit contra Pharaonem Ægypti Regem, quæ habentur in Prophetiæ eius cap. 29. vers. 1. vsque ad 17. & illud inprimis, quòd eius Regnum desolandum erat, & post quadraginta annos denuò restituendum, non quidem in eam gloriam & amplitudinem, quæ priùs fuerat; sed in regnum humile, quemadmodum latiùs ibidem dicitur.

DANIEL ET SOCII EIVS CORAM NABVCHODONOSOR INTRODVCTI, INVENTI SVNT CETERIS SAPIENTIORES.

7. Eodem anno, nimirum triennio postquam Daniel & socij eius traditi fuerant, iubente Rege Nabuchodonosor, sub manu Asphenez Præpositi eunuchorum, Chaldæorum litteris aliisque disciplinis apprimè erudiendi, introducti sunt in conspectu Regis, qui tum fortè in Babylonia reperiebatur; & coram eo interrogati, inuenti sunt non solùm ceteris condiscipulis longè plus profecisse, sed & decuplum euasisse sapientiores super omnes ariolos & magos, qui erant in vniuerso regno Babylonis: Danielis cap. 1. vers. 18. vsque ad finem capitis.

IEREMIAS EMIT AGRVM A PATRVELE SVO.

8. Eodem item anno regni Sedeciæ decimo, qui erat decimusoctauus regni Nabuchodonosor, vt exprimitur Ierem. cap. 32. vers. 1. id est sub finem anni decimi Sedeciæ, cuius aliquot postremi dies concurrebant cum prioribus anni decimioctaui regni Nabuchodonosor, vt ex laterculo qui sub anno mundi 3429. num. 5. positus est, fit manifestum, (alioqui annus regni Sedeciæ decimus ferè totus concurrit cum decimoseptimo regni Nabuchodonosor, quemadmodum ibidem, & in tabulis patet) Ieremias clausus in atrio carceris in Regia existentis, iubente Domino emit à patruele suo agrum in Anathoth patria sua iacentem, solutaque eidem pecunia in oculis omnium qui venire solebant ad atrium carceris, iussit reponi librum, id est scripturam, siue vt nunc vulgò dicitur, Instrumentum emptionis authenticum, in vase fictili, vt ad multos annos illæsum conseruari posset: & hoc in signum (sicuti olim Prophetæ solebant) & ad maiorem veritatis attestationem Prophetiæ, quam tunc protinus subiunxit, dicens: *Hæc enim dicit Dominus exercituum Deus Israel: Adhuc possidebuntur domus, & agri, & vineæ in terra ista.*

PROPHETAT POPVLI CAPTIVITATEM ET REDITVM IN IVDAEAM.

Deinde cùm aliquantulum orasset ad Dominum, commemorassetque beneficia quæ fecerat Dominus Israeli, & econuersò inobedientiam atque ingratitudinem ipsius Israelis propter quam meritò tunc ab hostibus oppugnabatur, & in proximo capienda erat ciuitas; & cùm proptereà miraretur obstupesceretque quòd iussisset eum Dominus emere agrum: denuò factus est sermo Domini ad ipsum; qui statim fusiùs prophetando quæ priùs breuiter dixerat, clariùs explicauit, dicens, ciuitatem illam propter innumeras idolorum abominationes, tum à Iudæis, tum etiam ab Israelitis longo admodum tepore perpetratas, proculdubiò cum Rege & populo suo tradendã esse in manus Regis Babylonis: verumtamen Iudæos qui ducti fuerant in Babylonem, inde aliquando reuocandos esse ac reducendos in Ierusalem, & Dominum cum eis percussurum fœdus nouum, vt sibi deinceps seruiant ex toto corde: & tunc, inquit, agri pecunia ementur, & possidebuntur in omni terra ista. Quæ omnia fusiùs explicantur in toto Ierem. c. 32.

9. Diximus Ieremiam egisse quæ præcedenti numero retulimus, cùm esset clausus in

QVOMODO NON SEMEL DVCTVS IN CARCEREM, ET EDVCTVS.

atrio carceris, in domo Regis positi: quia licet, quando circa obsidionis initia clauserat eum Rex in dicto carcere (quemadmodum in citato Ierem. cap. 1. vers. 2. & 3. obiter traditur) liberum deinde dimiserat, & posteà denuò consenserat vt à Principibus truderetur in alium carcerem in domo Ionathæ existentem; ac non multò pòst, vt in lacum cœnosum demitteretur: nihilominùs ex suprà num. 3. & 4. dictis constat, eumdem inde eductum ad se adduci iussisse, atque ad preces eius concessisse, vt non ampliùs in Ionathæ carcerem recluderetur, sed deinceps aleretur in vestibulo carceris, quod erat in Regia; vbi quæ numero præcedenti dicta sunt, & item quæ consequenter dicentur, ipsum egisse certum est.

AB ORBE CONDITO ANNVS 3446. — QVINTÆ MVNDI ÆTAT. ANNVS 424.

PROPHETAT DE MESSIAE TEMPORIBVS.

1 Circa initia, vt arbitror, anni regni Sedeciæ vndecimi, qui pro maiori parte concurrebat cum anno decimooctauo regni Nabuchodonosor, vt patet in tabulis, Ieremias adhuc detentus, vt paulò antè dictum est, in atrio carceris, excitatus atque inuitatus à Domino vt oraret & clamaret ad ipsum, audiuit ab eo multa eademque præclara beneficia, quæ facturus erat Dominus populo suo, quem nunc propter malitiam eius, ab hostibus suis percuti sinebat: nimirum, decreuisse curare & sanare Iudæos, & instaurare cultum Domini in Ierusalem, & dare pacem ac securitatem habitantibus in cunctis ciuitatibus Iuda, & denique populum suum ab omnibus iniquitatibus suis emundatũ, ædificare atque exaltare in cunctis gentibus terræ; suscitans & adimplens promissionem suam sanctam de mittendo Messia ex semine Dauid, qui faciet iustitiam & iudicium in terra, & regnabit in æternum. Hæc & huiusmodi alia, quæ fusiùs traduntur in toto Ierem. cap. 33. licet ex parte referri possint ad tempora solutæ captiuitatis, meliùs tamen & veriùs, spiritualiter accepta, ad Messię Legisque Euangelicæ tempora referenda sunt; quemadmodum ibidem sacri docent Expositores.

EZECHIEL PROPHETAT CONTRA TYRVM ET SIDONEM.

2. Eodem anno vndecimo (subaudi transmigrationis Iechoniæ) vt notat Ezechiel initio capitis Prophetiæ suæ 26. qui annus, vt sæpè dictum est, concurrit cum anno regni Sedeciæ vndecimo, prima mensis, hoc est prima die mensis (fortè, vt ait Carthusianus) primi, huius anni, idem Ezechiel prophetauit contra Tyrum ea quæ in dicto eius capite & in duobus sequentibus continentur; videlicet, inclytã Tyri vrbem fore euertendam, eò quòd super calamitates Ierosolymæ exultauerit; nec quidquam ei profuturas ingentes variasque diuitias ac negotiationes, quæ à multis regionibus ad eam deferebantur; & Regem Tyri pariter ob eius superbiam aliasque iniquitates fore humiliandum. Quin etiam Sidonem Tyro proximam, propterea quòd fuerit offendiculum amaritudinis domui Israel, peste ac gladio esse perdendam: contrà verò, filios Israel, vastatis ipsorum hostibus, nimirum regno Babylonis à Persis euerso, ad terram suam fore reducendos, vt latiùs describitur locis citatis.

ITEM CONTRA PHARAONEM AEGYPTI REGEM.

3. Eodem anno, nimirum dictæ transmigrationis Iechoniæ, & consequenter etiam regni Sedeciæ vndecimo, die septimo mensis primi; qui quidem mensis, si fuit primus (vt arbitror) Anni sacri, erat octauus ab initio anni vndecimi ipsius Sedeciæ; Ezechiel prophetauit contra Pharaonem Regem Ægypti quæ habentur Ezechiel. c. 30. vers. 20. vsque ad finem capitis. Et mense Anni sacri tertio, qui erat regni Sedeciæ decimus, idem Propheta assimilans sublimitatem Regis ac regni Ægyptiorum Regibus ac regno Assyriorum, quod ipse Dominus Babyloniis iam subiugauerat, prænuntiat eodem quoque modo deiiciendum Ægypti regnum, & iisdem Babyloniis subiiciendum: Ezechiel. cap. 31. per totum. Puto autem præfatum Pharaonem fuisse illum, cuius proprium nomen erat Ephree (nam Pharao regiæ nomen est dignitatis) contra quem posteà etiam vaticinatus est Ieremias cap. 43. & 44. quemadmodum nos sub anno mundi 3043. num. 13. incidenter diximus, & loco item suo, nimirum sub anno mundi 3447. num. 12. dicemus.

SACRA DE TEMPLO ALIBI OCCVLTANDA TRANSFERVNTVR.

4. Eodem anno regni Sedeciæ vndecimo ad finem iam appropinquare incipiente, credendum est, quosdam de Principibus Sacerdotum & Leuitarum valdè pios, & diuini cultus sacrarumque rerum zelatores, cùm præuidissent breui ciuitatem à Chaldæis esse capiendam; timentes ne, si cum ipsa ciuitate Templum quoque ipsum (vt iam non semel prophetatum fuerat) incendio daretur, sacra etiam in eo existentia simul interirent, ipso forsitan Ieremia suadente atque instante, clàm sustulisse de Templo Arcam fœderis Domini, & Altare incensi super quo erat ignis sacer, & alia ibidem existentia translatu facilia, occultasseque omnia tunc in aliquo vrbis loco subterraneo, & ab hostium rapinis incendiisque benè tuto; ne sancta illa in manus incircumcisorum

deue-

deuenirent. Etenim tale quid ſupponere neceſſarium videtur, alioqui non potuiſſent hæc poſteà ab ipſo Ieremia, qui vſque ad captam vrbem clauſus in veſtibulo carceris manſit, inde auferri, & in montem Nebo (vt ſub anno mundi proximo, num. 8. dicemus) transferri, atque ibidem abſcondi. Nemini autem hoc nouum videri debet: quoniam ex his quæ ſub anno mundi 3412. num. 1. diximus, conſtat, eamdem Arcam aliàs quoque non ſemel, ob huiuſmodi pericula, de Templo fuiſſe eductam, & alibi clàm ad tempus aſſeruatam. Quòd verò tunc cum Arca fœderis & Altari thymiamatis, Candelabrum quoque aureum cum ſuis lucernis & menſa propoſitionis ſimul ablata de Templo & abſcondita fuerint, vel illud planè indicat, quòd nulla horum omnium fit mentio 4. Reg. cap. vlt. neque 2. Paralip. cap. vlt. neque Ierem. cap. vlt. quibus in locis ſpolia de Templo à Chaldæis ablata ſigillatim recenſentur. Nam candelabra illa quæ Ieremias cap. citato verſ. 19. commemorat, proculdubiò non de candelabro hoc, de quo nunc agimus, ſed de quibuſdam aliis paruis ad alios vſus paratis, ſunt accipienda.

5. Per idem tempus, nimirum non multò antequam caperetur Ieruſalem, factum eſt verbum Domini ad Ieremiam Prophetam in veſtibulo carceris commorantem, vt loqueretur ad Abdemelech Æthiopem qui extraxerat eũ de lacu, quemadmodum ſub anno præcedenti num. 3. dictum eſt, prædiceretque ei, quòd tametſi proculdubiò ventura erant ſuper ciuitatẽ omnia mala quę hactenus ipſe prophetauerat; nihilominùs decreuerat Dominus liberare ipſum Abdemelech de gladio, & non tradere eũ in manibus hoſtium, propter miſericordiam quam cum ipſo Propheta fecerat, & quia fiduciam ſuam repoſuiſſet in Domino: Ierem. cap. 39. verſ. 15. vſque ad finem capitis. IEREMIAS PROPHETAT AD FAVOREM ABDEMELECH, QVI EDVXERAT EVM DE LACV.

6. Intereà Chaldæorum Duces, qui nominatim recenſentur Ierem. cap. citato v. 3. & apud Ioſephum 10. Antiq. cap. 11. illi nimirum, quos cum exercitu reliquerat Rex Nabuchodonoſor in circuitu Ieruſalem, non ceſſabant acriter oppugnationem ciuitatis inſtare. Contrà verò Iudæi, quamuis, vt Ieremias ſæpiùs prædixerat, multi ex ipſis quotidie in continuis quæ fiebant certaminibus, gladio interirent; & fame item, qua indies magis magiſque premebantur; ac peſtilentia ſimul, quæ vt plurimùm famem comitari ſolet; nihilominùs obduratis animis quantum poterant reſiſtere conabantur, vt ſcribit Ioſephus vbi ſuprà. At verò Nabuchodonoſor, quia eodem tempore habebat alterum exercitum obſidentem atque oppugnantem Tyrum, vt nos ſub anno mundi 3435. num. 1. adnotauimus, propterea ipſe tum receperat ſe in Reblatha Syriæ Emath vrbem (quemadmodum etiam ex num. proximo dicendis conſtare poterit) vt inde commodiùs vtrique exercitui quæ opus eſſent prouidere poſſet. CHALDAEIS ACRITER OPPVGNANTIBVS IVDAEI PERTINACIVS RESISTERE CONABANTVR.

7. Sed hîc, antequam ad vlteriora progrediamur, ſciendum eſt, quòd quando Iudæi obſidebantur & oppugnabantur à Chaldæis, Idumæi, qui fratres & propinquos ſuos Iudæos adiuuare, vel ſaltem eis compati debuerant, econuersò adiuncti Chaldæis ſtabant dimicantes contra ipſos; & quando capti ſunt, eoſdem quantum poterant, hoſtiliter tractabant, nimirum, ſubſannabant, interficiebant, vexabantque mittentes ſortem ſuper illos in diuiſione mancipiorum; quemadmodũ colligi poteſt ex tota ferè Abdiæ Prophetia, quæ vnico capite continetur; & præſertim verſ. 10. & 11. vbi poſt prænuntiata plurima eiſdem Idumæis mala meritò ſuperuentura, ſubiungitur tantæ vltionis cauſa illis verbis: *Propter interfectionem, & propter iniquitatem in fratrem tuum Iacob.* & paucis interpoſitis: *In die cùm ſtares aduerſus eum, quando capiebant alieni exercitum eius, & extranei ingrediebantur portas eius, & ſuper Ieruſalem mittebant ſortem.* Quæ verba exponens S. Hieronymus ait: *Idcircò interibit vir de monte Eſau, & peribit ſapientia de Idumæa; & prudentia de monte Eſau, quia interfeciſti germanum, & iniquè egiſti contra fratrem tuum Iacob, quando Chaldæis Babyloniiſque vaſtantibus Ieruſalem, & obſidentibus ciuitatem, & ingredientibus portas eius, mittentibuſque ſortem in diuiſione prædarum, tu eorum ſocius eras, & in hoſtium numero verſabaris.* ſic ſanctus Doctor. Similia quoque iam indicauerat Amos cap. 1. verſ. 11. vbi & ipſe prophetat contra Edom, eò quòd (inquit) perſecutus ſit in gladio fratrem ſuum, & violauerit miſericordiam eius (ſubaudi fratri debitam) & tenuit vltrà furorem ſuum, & indignationem ſuam ſeruauerit vſque in finem, id eſt, vſque ad Babylonicam Iudæorum captiuitatem, quando incitabant Idumæi Chaldæos, vt Ieroſolymam Iudæorum metropolim funditus euertendam curarent. quod olim in ſpiritu præuidens prophetauerat in Pſal. 136. Dauid, vbi (vt ex initio eiuſdem Pſalmi patet) induens perſonam Iudæorum in captiuitate Babylonica commorantium, conqueritur de Idumæis coram Domino, dicens: *Memor eſto filiorum Edom,* (id eſt, vt debitam de ipſis vltionem ſumas) qui *in die Ieruſalem,* (id eſt, in tempore poſtremæ vaſtationis eius à Babyloniis factæ) dicebant Chaldæis: *Exinanite, exinanite vſque* IDVMAEI IVNCTI CHALDAEIS IVDAEOS AFFLIGVNT

te vsque ad fundamentum in ea. Et quando iidem Idumæi cum memoratis Chaldæis Ierosolylitanum Templum incendisse dicũtur, quemadmodum expresse tradit Auctor libri 3. Esdræ cap. 4. vers. 45. dicens: *Tu vouisti ædificare Templum quod incenderunt Idumæi, quando exterminata est Iudæa à Chaldæis*. Qui Auctor licet non sit Canonicus, non est tamen tam modicæ auctoritatis, quin ei meritò in hac parte credi possit & debeat. Igitur propter hæc & eiusmodi mala, quæ intulerunt Idumæi Iudæis, prædixit Dominus per ipsum Abdiam, eosdem Idumæos penitus fore perdendos; & hoc præsertim declarat vers. 18. vbi comparat eos stipulæ, quæ ab igne statim consumitur; & tandem vibrat contra eos tremendam illam irreuocabilemque sententiam, subiungens: *Et non erunt reliquiæ domus Esau; quia Dominus locutus est*. Idem ferè prænuntiauerunt Malachias cap. 1. v. 2. vsque ad 5. & clariùs Ezechiel in toto cap. 35. & præsertim v. 3. vbi ait: *Ecce ego ad te mons Seir, & extendam manum meam super te, & dabo te desolatũ atque desertum: vrbes tuas demoliar, & tu desertus eris*. & vers. 9. *In solitudines sempiternas tradam te, & ciuitates tuæ non habitabũtur*. & vers. 14. *In solitudinem te redigam*. & vers. 15. *Dissipatus eris mons Seir & Idumæa omnis*. atque in eodem capite vers. 5. explicat dictæ vltionis causam, dicens: *Eò quòd fueris inimicus sempiternus, & concluseris filios Israel in manus gladij in tempore afflictionis eorum, in tempore iniquitatis extremæ*. Quibus verbis duo tanguntur: & quòd Idumæi perpetuò fuerint inimici Iudæorum (& hoc etiam ex his quæ nos sub annis mundi 3138. num. 4. & 3146. num. 1. & 3297. n. 33. & 3444. n. 4. diximus, & infrà sub anno mundi 3490. n. 11. dicemus, patere potest;) & quòd speciatim in tempore extremæ calamitatis eorum, ipsi extremam contra eos iniquitatem ostenderint, quã iniquitatem nos superiùs descripsimus, & eamdem ibidem tangit S. Hieronymus inquiens: *Eò quòd Idumæi tempore necessitatis & angustiæ, quando Iudas capiebatur à Babyloniis, insultauerint ei, & eiecto populo Iudæorum sibi putauerint terram traditam ad possidendum: & non solùm non susceperint fratres suos, filios videlicet Iacob; sed persecuti sint, & concluserint in manus gladij*. hæc S. Hieronymus. Fuit autem hæc contra Iudæos Idumæorũ iniquitas communis etiam Moabitis & Ammonitis, vt coniicere possumus ex his quæ de ipsis sub annis mundi 3138. num. 4. & 3435. num. 2. & 3444. num. 4. dicta sunt; & clarè colligitur ex Sophoniæ cap. 2. vers. 8. vsque ad 12. vbi de hisce duabus nationibus conqueritur Dominus, quòd blasphemauerint, & exprobrauerint populo suo, hoc est, Israeli, & hac de causa minatur eis mala horribilia. Super quo Prophetæ loco S. Hieronymus dicit, prædicta mala illis fuisse prænuntiata, eò quòd ipsi præbentes auxilia Nabuchodonosoro, vastassent Iudam, conculcauerint sanctuarium eius; Templum quoque subuerterint, & subiugato populo Israel, Dominum blasphemauerint. Et idem videtur posse colligi ex Ieremiæ cap. 48. vers. 27. de Moab, vbi de ipso Dominus dicit: *Et erit in derisum etiam ipse: fuit enim in derisum tibi Israel, quasi inter fures reperisses eum: propter verba ergo tua quæ aduersum illũ locutus es captiuus duceris*, &c. quasi dicat, Quia tu quando videbas Iudam duci captiuum in Babylonem, verba irrisionis cũ stomacho impiè iactabas aduersus eum, idcircò & tu quando ibidem duceris captiuus, amaras quoque ab aliis irrisiones ac subsannationes contra te prolatas audire ac sustinere cogeris. Puto autem idem posse dici de aliis eiusdem regionis populis, & præsertim de Philisthæis, & Tyriis, & Sidoniis; quemadmodum inferri potest ex sub annis mundi 3297. num. 3. & 3444. num. 4. & 7. & suprà num. 2. dictis. Nam de primis speciatim, licet subobscurè, conqueritur Dominus per Amos cap. 1. vers. 6. vsque ad 9. & de omnibus tribus hisce nationibus clariùs per Ioëlem cap. 3. vers. 4. vsque ad 7. quòd argentum suum, hoc est populi sui, & aurum tulerint, & desiderabilia eius & pulcherrima intulerint in delubra sua, & vendiderint filios Iuda & Ierusalem filiis Græcorum, vt eos à patria longiùs abesse facerent, & sine spe redeundi ad ipsam. Et denique S. Hieronymus super Ieremiæ cap. 25. vniuersaliter de populis Iudææ finitimis loquens, dicit eos militasse in exercitu Babylonico contra Iudæos. Nam & eadem de causa creditur Ieremias prophetasse contra eosdem populos à cap. 46. vsque ad 50. Quamquam quod attinet ad Tyrios, possunt quidem ipsi aliàs adiuuasse Nabuchodonosorum contra Iudæos; at non quando ab eodem postremo obsessa & capta est Ierusalem; quia tunc ipse Nabuchodonosor pariter cum alio exercitu obsidebat oppugnabatque Tyrum, vt nos suprà num. 6. diximus. Legimus etiam Sophoniæ cap. vlt. vers. 19. *Ecce ego interficiam omnes qui afflixerunt te in tempore illo*. Quæ verba videntur etiam vniuersaliter accipi posse, tamquam prolata contra prædictas nationes, quæ aliàs quidem pro temporum opportunitate, vt probatum est, sed præcipuè quando Iudæi obsessi & capti sunt à Chaldæis, vt dictum est, affligebant eos: & propterea dubitare non debemus, quin iuxta memoratas Prophetarum

EORVM PVNITIO PRAENVNTIATVR.

IDEM FACIVNT MOABITAE ET AMMONITAE.

ET ALII POPVLI IVDAEAE FINITIMI.

EORVM PVNITIO PRAENVNTIATA.

tarum prædictiones, tandem à Deo fuerint extincti. Quando autem, & per quos id præstitum fuerit, consequenter indagandum erit.

8. Et quidem, quia S. Hieron. super Sophoniæ cap. 2. asseruit, quòd Nabuchodonosor & Chaldæi, Iudæorum vrbibus subrutis, ceteras Gentes oppresserunt, & ita factum est, vt qui insultauerant populo Dei, ipsi quoque eadem malorum angustiâ premerentur, & haberent conseruum Iudam, quem putauerant se habere subiectum: propterea satis probabiliter, ne dicam necessariò, inferre possumus, hoc contigisse anno post Babylonicam Iudæorum captiuitatem quinto; & consequenter, memoratam de dictis Gentibus vltionem proculdubiò fuisse illam, quæ facta fuit per ipsum Nabuchodonosor anno regni eius vigesimo tertio, quemadmodum nos ex Iosepho & S. Hieronymo infrà sub anno mundi 3451. num. 4. & 5. probabimus. Neque obstat, quòd tunc illi populi non penitus deleti fuerint, aut in æternum perierint, quemadmodum Prophetæ de ipsis prænuntiasse videbantur; quin potiùs post septuaginta seruitutis annos in Babylonia transactos (vt non solùm de Iudæis, sed etiam de ipsorum conterminis populis prophetauerat Ieremias cap. 25. vers. 11.) credantur rediisse ad ciuitates suas. Quod speciatim de Idumæis fateri necesse est: quandoquidem negare non possumus, quin Machabæorum temporibus Idumæi habitarent in terra sua Iudeæ proxima: nam & 1. Machab. cap. 5. vers. 65. & 2. Machab. cap. 10. vers. 16. Iudas Machabæus dicitur pugnasse contra eos, & multos ex ipsis occidisse; & multò pòst Io. Hircanum Simonis F. eosdem subiugasse, & ad Iudaicos ritus recipiendos obseruandosque adegisse, scribit Iosephus 13. Antiq. cap. 17. & in Marci Euangelio cap. 3. vers. 8. legimus, venisse ad Iesum cum aliis populis etiam plurimos de Idumæa. Et denique Iosephus lib. 4. de Bello cap. 6. narrat, quòd quando Romani duce Tito obsidebant Ierosolymam, viginti millia Idumæorum venerunt ad ipsam, ab vna eius ciuium factione vocati. Non, inquam, obstat, quòd nec Idumæi, quemadmodum nec prædicti alij populi fuerint à Nabuchodonosor omnino exterminati ac deleti: quia dicere possumus, illa Prophetarum verba *in æternum*, siue *in sempiternum*, vsurpari (vt 2. Paralip. cap. 7. vers. 16. & alibi interdum solent) pro longo admodum temporis interuallo; vel Prophetarum vaticinia contra Idumęos aliosque memoratos populos edita, cœpisse quidem impleri primò à Babyloniis anno regni Nabuchodonosor vigesimo tertio, vt dictum est; mox verò à Machabæis fuisse prosecuta, sed non nisi valdè post expugnatam à Romanis Ierosolymam fuisse prorsus impleta: quandoquidem, licet certò scire non possimus, num posteà à Romanis (vt credibilius videtur) an verò ab aliis Gentibus Idumæi aliique populi superiùs nominati omnino fuerint extincti; constat tamen eos modò, & iam ex multo tempore, nusquam Gentium reperiri, & eorum regiones ab aliis nationibus, vt fertur, inhabitari. Neque verò hîc est quòd quisquam aures animumque attendat ad ea quæ Hebræorum Rabbini in odium Christianorũ ex proprio capite (vt aliàs quoque assolent) composuerunt, dicentes, apud Abdiam aliosque Prophetas pro Idumæis Romanos esse accipiendos, contra quos, & consequenter contra Christianos, quorum visibile caput, hoc est summus Pontifex, in Romana curia sedem tenet, dicti Prophetæ vaticinantur. Porrò Hebræi in confirmationem sui erroris, falsò supponunt, ac perperàm pro indubitato axiomate habent, Romanos ab Idumæis prodiisse, quod neque ex vllo antiquo probatoque Scriptore probare possunt; neque quisquam alius, præter ipsos, vmquam somniauit; & manifestè repugnat his quæ nos de prima Italorum seu Romanorum origine sub anno mundi 1931. n. 22. diximus. Verùm si quis clariùs nosse cupit quàm insulsum atque absurdum sit memoratum Rabbinorum commentũ, videat quæ contra ipsos neruosè disputant Paulus Burgensis in suis Additionibus ad caput 34. Isaiæ, & ad caput 2. Danielis, & præcipuè ad caput 1. Abdiæ, & Galatinus lib. 4. c. 28. & nouissimè Ribera super Abdiæ cap. vnico. Nos enim, ne longiores simus, prudentem Lectorem ad memoratos Auctores libenter remittimus, vt citiùs ad Historiam sacram redire possimus.

QVANDO ET A QVO INCHOATA.

QVANDO PENITVS IMPLETA.

IDVMAEORVM VOCABVLO NON POSSE INTELLIGI ROMANOS.

9. In mense autem Anni sacri tunc currentis quarto, qui erat vltimus anni regni Sedeciæ vndecimi, die nona mensis, præualuit in vrbe fames, ita vt Iudæi præ virium debilitate non possent ampliùs Chaldæis, validè eos admodum oppugnantibus repugnare, & murum pariter diruentibus resistere. Quare eodem tempore aperta est ciuitas, & ingressi sunt hostes, & omnes Principes Regis Babylonis consederunt in porta media: quos cùm vidisset Sedecias Rex, & omnes viri bellatores qui remanserant cum eo, effracto confestim muro (subintellige, horti regij) & sublato in humeros Rege, quemadmodum colligitur Ieremiæ cap. 39. vers. 4. & Ezechielis cap. 12. vers. 12. fugerunt egredientes nocte per occultam quamdam vrbis portam, inter duos muros positam, ad hortum Regis, per viam quæ ducebat ad campestria solitudinis. Quod cùm cognouisset exercitus

EXPVGNATA IEROSOLYMA INGREDIVNTVR CHALDAEI, ET SEDECIAS CVM SVIS FVGIT.

citus Chaldæorum qui adhuc manebat in circuitu Ierusalem; (nondum enim maior eius pars ingressa erat ciuitatem:) persecutus est fugientem Regem, comprehenditque eum in planitie Iericho, dispersis his qui erant cum eo; & Sedeciam cum filiis suis, & quotquot de nobilioribus ac Principibus eius comprehendere potuerant, adduxerunt ad Regem Babylonis commorantem (vt præcedenti numero diximus) in Reblatha; qui locutus est ad Sedeciam iudicia, id est, vt explicat Iosephus loco antè citato, acriter increpauit illum, quòd impius & fidefragus, ingratissimusque fuerit erga se, qui regnum à Iechonia translatum, eidem in fide tradiderat; ipse verò accepta potestate contra proprium benefactorem abusus esset: quamobrem iusto Dei iudicio ipsum in manus suas deuenisse, vt tantum scelus inultum esse non fineret. Itaque statim iussit iugulari in conspectu eius filios eius, & Principes Iuda ibidem pariter interfici, ac deinde ipsimet Sedeciæ oculos erui, eumdemque compedibus vinctum posteà duci in Babylonem, & in carcere custodiri vsque ad diem mortis suæ: 4. Reg. cap. vlt. vers. 3. vsque ad 8. & Ierem. cap. 39. vers. 2. vsque ad 8. & cap. vlt. vers. 6. vsque ad 12. Atque hoc pacto ad vnguem impleta sunt omnia quæ de ipso Sedecia prophetauerant Ieremias in Iudæa, & Ezechiel in Babylonia; quorum primus cap. 34. vers. 3. prædixerat, Sedeciam captiuum fore sistendum coram Rege Babylonis, eiusque vultum contra se iratum intuiturum, ac deinde in Babylonem esse abducendum: alter verò cap. 12. vers. 13. quòd Babylonem non esset visurus, & in ea tamen moriturus. Ex dictis ergo oportet falli Caietanum, qui super cap. Reg. citato putat, ipsosmet obsessos diruisse ciuitatis murum, fugamque inde arripuisse: atqui in cap. Ierem. 39. superiùs adducto disertè traditur, quòd aperta ciuitate ingressi sunt Principes Chaldæorum; Sedecias autem vt vidit eos in ciuitatem iam ingressos, ipse cum his qui secum erant, egressus est nocte per quamdam portam in quodam duplici muro absconditam. vnde illud Ezechielis cap. 12. vers. 12. *Parietem perfodient vt educant eum*, oportet non de ciuitatis muro accipere, sed de horti regij pariete, vt dictum est. Quòd autem loco Ierem. proximè citato vers. 2. dicatur, ciuitatem apertam fuisse die quinta mensis quarti; vel corrigendum est, vt dicat die nona, sicuti legimus Ierem. cap. vlt. vers. 6. & 4. Reg. cap. vlt. vers. 3. vbi eadem historia describitur: vel potiùs coniectandum est, illam muri fracturam seu apertionem cœpisse fieri die quinta, & non nisi die nona fuisse expletam, ita vt per eam eademmet die possent introire Chaldæi. Et hic fuit finis Regum regnique Iudæ, quod ab obitu Salomonis, id est à separatione regni Israel à regno Iuda, perdurauerat annis trecentis octoginta septem, vt in tabulis computatum est. Igitur hactenus apud Hebræos regnarunt super toto Israele,

SEDECIAS CVM FILIIS CAPTVS, DVCITVR AD NABVCHODONOSOR IN REBLATHA.

SEDECIAE OCVLI ERVVNTVR, ET FILII EIVS IVGVLANTVR.

HEBRAEORVM REGES

1. Saul } annis { 20.
2. Dauid } annis { 40.
3. Salomon } annis { 40.

Post diuisionem regni regnauerunt

In Iuda,		In Israel,	
1. Roboam	an. 17.	1. Ieroboam	an. 22.
2. Abias	3.	2. Nadab	
3. Asa	41.	3. Basa	
4. Iosaphat	25.	4. Ela	35.
5. Ioram		5. Ambri	
6. Ochozias	5.	6. Achab	
7. Athalia	6.	7. Ochozias	22.
8. Ioas	40.	8. Ioram	12.
9. Amasias	29.	9. Iehu	28.
10. Ozias	52.	10. Ioachaz	
11. Ionathan		11. Ioas	32.
12. Achaz	31.	12. Ieroboam ij.	41.
13. Ezechias	29.	Interregnum	12.
14. Manasses	55.	13. 14. Zacharias & Sellum	1.
15. Amon	2.	15. Manahem	10.
16. Iosias		16. Phaceia F. Manahem	2.
17. Ioachaz	31.	17. Phacee F. Romeliæ	20.
18. Ioachin		18. Osee	18.
19. Iechonias.	21.		
20. Sedecias.			
In summa an. 387.		In summa an. 255.	

Desiit hoc regnum sub finem anni regni Ezechiæ sexti.

10. Cete-

10. Ceterùm, in reliquis dicti mensis diebus, Chaldæos in Ierusalem cædibus ac rapinis bacchasse, vt in huiusmodi occasionibus milites solent, plusquam credibile est: verumtamen nullum alicuius momenti ædificium diruere aut incendere ausos esse, donec veniret responsum à Rege, ad quem illicò misisse, & placitum eius expectasse, dubitare nemo potest. Quid verò posteà actum sit, in sequenti Ætate mundi dicemus. si tamen priùs illud hoc loco addiderimus, hanc Sedeciæ captiuitatem, quæ facta est in fine anni decimiooctaui regni Nabuchodonosor, quamquam Ierem. cap. vlt. vers. 28. vsque ad 31. vbi compendiosiùs referuntur Babylonicæ Iudæorum captiuitates, ponatur in ordine secunda; reverà tamen, si diligentiùs subtiliúsve easdem distinguere voluerimus, potiùs quartam fuisse comperiemus: siquidem, vt suis locis dictum est, Prima facta fuit anno tertio Ioakim. Secunda, anno vndecimo eiusdem Ioakim paulò antè inchoato, quando scilicet ipse captus fuit, nimirum sub finem anni septimi regni Nabuchodonosor, vt testatur Ieremias cap. proximè citato vers. 28. Tertia contigit post tres menses, vel paulò plus à secunda decursos, videlicet inchoato iam anno regni Nabuchodonosor octauo, quando ipse suscepit Iechoniam vltrò se suaque omnia ei tradentem, & transmisit eum magna cum exulum multitudine in Babylonem. Quarta fuit illa, in qua captus fuit Sedecias, in calce anni regni eius vndecimi, vt paulò antè dictum est. DE IVDAEORVM CAPTIVITATIBVS.

¶ 11. Quoniam autem ad finem huius Quintæ mundi ætatis, Deo fauente, peruenimus, illud tantummodò hîc subiungendum remanet, ex prædictis apertè colligi, eam in summa complecti annos quadringentos viginti quattuor. In qua annorum summa, non mirum est quòd alij Auctores non conueniant: quandoquidem ipsi ferè omnes communiter & passim numerant annos Regũ, prout prima fronte in Sacris libris scriptum inueniunt, non distinguentes annos fractos ab integris; neque item illos quibus quisque Rex solus, ab illis quibus etiam cum patre regnauit. Nos verò vtraque hæc, ex diligenti collatione annorum Regum Iuda cum annis Regum Israel, aut aliorum alibi eodem tempore regnantium, aliquantò accuratiùs distinguere curauimus: quo factum est, vt nostra annorum summa necessariò nonnihil ab aliis Chronographis variata sit. Huc accedit difficultas illa, quæ inter Scriptores reperitur de annis quinquaginta duobus regni Oziæ Regis Iuda, vtrùm debeant supputari ab obitu Amasiæ patris sui, an verò ab initio anni decimiooctaui ipsius Amasiæ; quo tempore quidam opinati sunt, ipsum Oziam regnare cœpisse cum patre. Sed de hoc satis sub toto mundi anno 3225. disputatum est: vbi etiam aliam discussimus difficultatem, videlicet, Num inter obitum Amasiæ Regis Iuda, & initium regni Zachariæ Regis Israel, ponenda sint duo Interregna, an vnum tantùm, an verò nullum, aliis diuersimodè opinantibus. Extat etiam alia controuersia, quæ summam annorum huius Quintæ mundi ætatis variare potest; illa nimirùm, quæ de annis regni Amon Regis Iuda circumfertur: cui quidam tribuunt regni annos vndecim, alij verò duodecim; nos verò duos tantùm, quemadmodum sub anno mundi 3393. num. 2. satis euidenter probauimus. Prætereà non desunt ex Chronographis neotericis, & qui de Epochis siue de Æris scripsere, qui putant Nabonassarum illum, à cuius regni exordio ad obitum Alexandri Magni Ptolemæus lib. 3. Almagesti cap. 8. numerat annos quadringentos viginti quattuor, esse illum quem Scriptura sacra vocat Salmanasar, qui tribus Israeliticas in Assyrios duxit captiuas; quam opinionem à veritate procul aberrare demonstrauimus sub anno mundi 3306. num. 3. Sed ista quæstio, quemadmodum & illa quoque de initio Olympiadum, sub quonam Iudæorum Rege, annóve regni eius, ponendum sit, (qua de re sub anno mundi 3278. à num. 3. vsque ad 7. fusiùs disputauimus) non tam variare possunt supputationem annorum huius Quintæ mundi ætatis, quàm etiam sequentis. CVR AVCTORES IN HVIVS MVNDI AETATIS ANNORVM SVMMA SINT VARII.

T A-

TABVLÆ

Computationis & concurſus annorum Regum Iuda & Iſrael, Ærarumq; Quintæ mundi ætatis.

	ANNI								
	Ab orbe condito.	A diluuio.	Monarchiæ Aſſyriorum.	Ab introitu Iſrael in terram Chanaan.	A Troiæ interitu.	Regni Eupalis in Aſſyria.	Vitæ Salomonis.	Vitæ Roboam	Regni Salomonis.
Salomon Templi fundamenta iecit an.	3023	1367	1008	440	152	33	28	5	4
Poſt annos 4.	4	4	4	4	4	4	4	4	4
Fit ſermo Domini ad Salomonem an.	3027	1371	1012	444	156	37	32	9	8
Eupales Rex Aſſyriorum moritur ſub finem anni	3028	1372	1013	445	157	38	33	10	9
Laoſthenes regnat in Aſſyria inchoante an.	3029	1373	1014	446	158		34	11	10
Templi ædificium abſoluitur an.	3030	1374	1015	447	159		35	12	11
Poſt annos 3.	3	3	3	3	3		3	3	3
Annus Iubilei noni.	3033	1377	1018	450	162		38	15	14
Poſt annos 10.	10	10	10	10	10		10	10	10
Compleuit Salomon domos ſuas an.	3043	1387	1028	460	172		48	25	24
Poſt annos 11.	11	11	11	11	11		11	11	11
Declinat ad cultum idolorum an.	3054	1398	1039	471	183		59	36	35
Poſt annos 4.	4	4	4	4	4		4	4	4
Obiurgat Dominus Salomonẽ, eiq; ſuſcitat aduerſarios.	3058	1402	1043	475	187		63	40	39
Moritur Salomon in fine anni	3059	1403	1044	476	188		64	41	40
Regnant Roboam in Iuda, & Ieroboam in Iſrael an.	3060	1404	1045	477	189			42	
Poſt annos 2.	2	2	2	2	2			2	
Ioiada creditur natus anno	3062	1406	1047	479	191			44	
Roboam Rex cum populo Iudaico colit idola an.	3063	1407	1048	480	192			45	
Spoliatur theſauris à Seſac Ægypti Rege an.	3064	1408	1049	481	193			46	
Poſt annos 9.	9	9	9	9	9			9	
Laoſthenes Rex Aſſyriorum moritur ſub finem an.	3073	1417	1058	490	202			55	
Piriciades regnat in Aſſyria inchoante an.	3074	1418	1059	491	203			56	
Poſt annos 2.	2	2	2	2	2			2	
Roboam Rex Iuda moritur ſub finem anni	3076	1420	1061	493	205			58	
Abia regnat ſuper Iuda inchoante an.	3077	1421	1062	494	206				
Poſt annos 2.	2	2	2	2	2				
Abia moritur, & regnat Aſa ſub finem anni	3079	1423	1064	496	208				
Concurrit ferè totus cum primo regni Aſæ.	3080	1424	1065	497	209				
Moritur Ieroboam, & regnat Nadab in Iſrael an.	3081	1425	1066	498	210				
Occiſo Nadab, regnat Baaſa in Iſrael an.	3082	1426	1067	499	211				
Annus Iubilei decimi.	3083	1427	1068	500	212				
Poſt annos 3.	3	3	3	3	3				
Aſa genuit Ioſeph inchoante an.	3086	1430	1071	503	215				
Poſt annos 4.	4	4	4	4	4				
Bellum gerere cœpit cum Baaſa an.	3090	1434	1075	507	219				
Poſt annos 3.	3	3	3	3	3				
Feliciter pugnat contra Æthiopes an.	3093	1437	1078	510	222				
Obuium habet Azariam Prophetam an.	3094	1438	1079	511	223				
Iterum bellum gerit cum Baaſa an.	3095	1439	1080	512	224				
Poſt annos 8.	8	8	8	8	8				

A fun-

ANNI														
A fũdato Salomonis Templo.	Regni Laosthenis in Assyria.	Regni Roboam in Iuda.	Regni Ieroboam in Israel.	Regni Iuda.	Regni Israel.	Vitæ Ioiadæ.	Regni Piriciadæ in Assyria.	Regni Abia in Iuda.	Regni Asa in Iuda.	Regni Nadab in Israel.	Regni Baasa in Israel.	Vitæ Iosaphat.	Sabbatici.	Iubileorum.
1 4														
5														
6														
7	1													
8 3	2 3													
11 10	5 10													9
21 11	15 11													
32 4	26 4													
36	30													
37	31													
38 2	32 2	1 2	1 2	1 2	1 2								68	
40	34	3	3	3	3	1								
41	35	4	4	4	4	2								
42 9	36 9	5 9	5 9	5 9	5 9	3 9								
51	45	14	14	14	14	12								
52 2		15 2	15 2	15 2	15 2	13 2	1 2						70	
54		17	17	17	17	15	3							
55 2			18 2	18 2	18 2	16 2	4 2	1 2						
57			20	20	20	18	6	3						
58			21	21	21	19	7		1				71	
59			22	22	22	20	8		2	1				
60				23	23	21	9		3	2	1			
61 3				24 3	24 3	22 3	10 3		4 3		2 3			10
64 4				27 4	27 4	25 4	13 4		7 4		5 4	1 4		
68 3				31 3	31 3	29 3	17 3		11 3		9 3	5 3		
71				34	34	32	20		14		12	8		
72				35	35	33	21		15		13	9	73	
73 8				36 8	36 8	34 8	22 8		16 8		14 8	10 8		

	ANNI									
	Ab orbe condito.	A diluuio	Monarchiæ Aſſyriorum.	Ab introitu Iſraël in terram Chanaan.	A Troiæ interitu.	A fundato Salomonis Templo.	Regni Iuda.	Regni Iſraël	Vitæ Ioiadæ.	Regni Piriciadis in Aſſyria.
Piriciades Rex Aſſyriorum moritur ſub finem anni	3103	1447	1088	520	232	81	44	44	42	30
Ophrateus regnat in Aſſyria incho. anno	3104	1448	1089	521	233	82	45	45	43	
Baaſa Rex Iſrael moritur, & ſuccedit ei Ela	3105	1449	1090	522	234	83	46	46	44	
Ela & Zambri necatis, regnant Amri & Thebni in Iſraël. Poſt annos 4.	3106 4	1450 4	1091 4	523 4	235 4	84 4	47 4	47 4	45 4	
Thebni mortuo, regnat Amri ſolus in Iſrael anno	3110	1454	1095	527	239	88	51	51	49	
Ioſaphat genuit Ioram inchoante anno	3111	1455	1096	528	240	89	52	52	50	
Amri Rex Iſrael ædificat Samariam anno Poſt annos 5.	3112 5	1456 5	1097 5	529 5	241 5	90 5	53 3	53 3	51 5	
Amri moritur, & regnat Achab in Iſrael anno	3117	1461	1102	534	46	95	58	58	56	
Aſa corripitur dolore pedum vehementiſſimo, anno Poſt annos 2.	3118 2	1462 2	1103 2	535 2	247 2	96 2	59 2	59 2	57 2	
Moritur Aſa, & regnat Ioſaphat in Iuda ſub finem anni	3120	1464	1105	537	249	98	61	61	59	
Coincidit ferè totus cum anno primo Ioſaphat. Poſt annos 2.	3121 2	1465 2	1106 2	538 2	250 2	99 2	62 2	62 2	60 2	
Ophrateus Rex Aſſyriorum moritur ſub finem anni	3123	1467	1108	540	252	101	64	64	62	
Regnat in Aſſyria Ophratanes anno Poſt annos 4.	3124 4	1468 4	1109 4	541 4	253 4	102 4	65 4	65 4	63 4	
Ioram filius Ioſaphat genuit Ochoziam incho. anno Poſt annos 5.	3128 5	1472 5	1113 5	545 5	257 5	106 5	69 5	69 5	67 5	
Annus Iubilei vndecimi	3133	1477	1118	550	262	111	74	74	72	
Achab Rex Iſrael vicit primò Syros anno	3134	1478	1119	551	263	112	75	75	73	
Vicit ſecundò Syros anno Poſt annos 2.	3135 2	1479 2	1120 2	552 2	264 2	113 2	76 2	76 2	74 2	
Regnant Ioram cum patre Ioſaphat, & Ochozias cum patre Achab	3137	1481	1122	554	266	115	78	78	76	
Mortuus Achab & Ochozia, regnat Iorã in Iſrael ſub fi. an.	3138	1482	1123	555	267	116	79	79	77	
Concurrit ferè totus cum 1. Ioram, raptus Eliæ.	3139	1483	1124	556	268	117	80	80	78	
Naſcitur filius Sunamitis, Eliſei precibus impetratus. Poſt annos 3.	3140 3	1484 3	1125 3	557 3	269 3	118 3	81 3	81 3	79 3	
Regnat 2. Iorã cũ patre Ioſaphat, & incipit fames in Iſraël. Poſt annos 2.	3143 2	1487 2	1128 2	560 2	272 2	121 2	84 2	84 2	82 2	
Ioſaphat Rex Iuda moritur in fine anni	3145	1489	1130	562	274	123	86	86	84	
Ioram filius Ioſaphat regnat ſolus in Iuda. Poſt annos 2.	3146 2	1490 2	1131 2	563 2	275 2	124 2	87 2	87 2	85 2	
Idem Ioram Rex infirmatur ſub finem anni	3148	1492	1133	565	277	126	89	89	87	
Ochozias regnat cum patre ſuper Iuda ſub finem anni	3149	1493	1134	566	278	127	90	90	88	
Iſte annus fuit vnicus regni Ochoziæ, & vltimus vtriuſq; Iorã, & 1. vitæ Ioas; ſub cuius finẽ regnare cœpit Iehu.	3150	1494	1135	567	279	128	91	91	89	
Concurrit ferè totus cum 1. Iehu, & 1. Athaliæ in Iuda. Poſt annos 6.	3151 6	1495 6	1136 6	568 6	280 6	129 6	92 6	92 6	90 6	
Athalia interfecta, regnat Ioas in Iuda inchoante anno Poſt annos 9.	3157 9	1501 9	1142 9	574 9	286 9	135 9	98 9	98 9	96 9	
Carthago condita fuit anno Poſt annos 6.	3166 6	1510 6	1151 6	583 6	295 6	144 6	107 6	107 6	105 6	

ANNI

Regni Aſæ in Iuda	Regni Baaſa in Iſraël.	Vitæ Ioſaphat.	Regni Ophratei in Aſſyria.	Regni Ela ſuper Iſrael.	Regni Amri in Iſraël.	Regni Thebni in Iſrael.	Vitæ Iorā filij Ioſaphat.	Regni Achab ſuper Iſrael	Regni Ioſaphat in Iuda.	Regni Ophratanis in Aſſyria.	Vitæ Ochoziæ nepotis Ioſaphat.	Regni Iorā cum patre Ioſaphat 1.	Regni Ochoziæ cūpatre Achab.	Regni Iorā filij Achab ſuper Iſraël	Famis ab Eliſæo prędictæ.	Regni Iorā cum patre Ioſaphat 2.	Regni Ioram F. Ioſaphat ſine patre in Iuda.	Vitæ Ioas	Regni Iehu in Iſrael.	Regni Athaliæ in Iuda.	Regni Ioas ſuper Iuda.	Sabbatici.	Iubileorū.
24	22	18																					
25	23	19	1																				
26	24	20	2	1																			
27 4		21 4	3 4	2	1 4	1 4																	
31		25	7		5	5																	
32		26	8		6		1																
33 5		27 5	9 5		7 5		2 5																
38		32	14		12		7	1															
39 2		33 2	15 2				8 2	2 2															
41		35	17				10	4															
		36 2	18 2				11 2	5 2	1 2														
		38	20				13	7	3														
		39 4					14 4	8 4	4 4	1 4													
		43 5					18 5	12 5	8 5	5 5	1 5												
		48					23	17	13	10	6												11
		49					24	18	14	11	7												
		50 2					25 2	19 2	15 2	12 2	8 2												
		52					27	21	17	14	10	1	1										
		53					28	22	18	15	11	2	2										
		54					29		19	16	12	3		1									
		55 3					30 3		20 3	17 3	13 3	4 3		2 3									
		58 2					33 2		23 2	20 2	16 2	7 2		5 2	1 2	1 2						80	
		60					35		25	22	18	9		7	3	3							
							36 2			23 2	19 2	10 2		8 2	4 2	4 2	1 2						
							38			25	21	12		10	6	6	3						
							39			26	22	13		11	7	7	4						
							40			27	23	14		12		8	5	1				81	
										28 6								2 6	1 6	1 6			
										34 9								8 9	7 9	7	1 9	82	
										43 6								17 6	16 6		10 6		

ANNI	Ab orbe condito.	A diluuio	Monarchiæ Assyriorum.	Ab introitu Israel in terram Chanaan.	A Troiæ interitu.	A fundato Salomonis Templo.	Regni Iuda.	Regni Israel	Vitæ Ioiadæ.	Regni Ophratanis in Assyria.
Ioas Rex Iuda genuit Amasiam anno	3172	1516	1157	589	301	150	113	113	111	49
Ophratanes Rex Assyriorum moritur in fine anni	3173	1517	1158	590	302	151	114	114	112	50
Ocrazapes regnat in Assyria inchoante anno Post annos 4.	3174 4	1518 4	1159 4	591 4	303 4	152 4	115 4	115 4	113 4	
Iehu Rex Israel moritur in fine anni	3178	1522	1163	595	307	156	119	119	117	
Ioachaz filius Iehu regnat super Israel inchoante anno Post annos 4.	3179 4	1523 4	1164 4	596 4	308 4	157 4	120 4	120 4	118 4	
Annus Iubilei duodecimi. Post annos 6.	3183 6	1527 6	1168 6	600 6	312 6	161 6	124 6	124 6	122 6	
Rex Iuda Regem Syriæ muneribus placat. Post annos 2.	3189 2	1533 2	1174 2	606 2	318 2	167 2	130 2	130 2	128 2	
Ioiada summus Pontifex moritur anno	3191	1535	1176	608	320	169	132	132	130	
Ioas Rex Iuda declinat ad idola anno	3192	1536	1177	609	321	170	133	133		
Ioas cum patre suo Ioachaz regnat in Israel anno	3193	1537	1178	610	322	171	134	134		
Hazaël Syriæ Rex moritur anno	3194	1538	1179	611	323	172	135	135		
Mortuo Ioachaz, regnat Ioas solus in Israel.	3195	1539	1180	612	324	173	136	136		
Occiso Ioas, regnat F eius Amasias in Iuda sub finē anni	3196	1540	1181	613	325	174	137	137		
Concurrit ferè totus cum anno primo regni Amasiæ.	3197	1541	1182	614	326	175	138	138		
Elisei Prophetæ obitus incidit in annum	3198	1542	1183	615	327	176	139	139		
Ioas Rex Israel facit secum regnare Ieroboam F. anno	3199	1543	1184	616	328	177	140	140		
Idem Ioas vicit secundò Syros anno	3200	1544	1185	617	329	178	141	141		
Vicit tertiò Syros anno Post annos 7.	3201 7	1545 7	1186 7	618 7	330 7	179 7	142 7	142 7		
Amasias Rex Iuda percutit Idumæos anno	3208	1552	1193	625	337	186	149	149		
Temerè prouocat contra se Ioam Regem Israel.	3209	1553	1194	626	338	187	150	150		
Genuit Oziā. vincitur à Rege Israel, qui moritur sub fi. an.	3210	1554	1195	627	339	188	151	151		
Ieroboam regnat solus in Israel inchoante anno Post annos 3.	3211 3	1555 3	1196 3	628 3	340 3	189 3	152 3	152 3		
Ocrazapes Rex Assyriorum moritur sub finem anni	3214	1558	1199	631	343	192	155	155		
Sardanapalus regnat super Assyrios inchoante anno Post annos 10.	3215 10	1559 10	1200 10	632 10	344 10	193 10	156 10	156 10		
Amasias interficitur, & regnat F. eius Ozias sub finē anni	3225	1569	1210	642	354	203	166	166		
Concurrit ferè totus cum primo regni Oziæ in Iuda.	3226	1570	1211	643	355	204	167	167		
Ionas Propheta mittitur prædicare in Niniuem anno Post annos 5.	3227 5	1571 5	1212 5	644 5	356 5	205 5	168 5	168 5		
Sardanapalus obsideri cœpit in Niniue anno	3232	1576	1217	649	361	210	173	173		
Annus Iubilei decimitertij.	3233	1577	1218	650	362	211	174	174		
Sardanapalus se ipsum incendio perimit anno Post annos 4.	3234 4	1578 4	1219 4	651 4	363 4	212 4	175 4	175 4		
Regnant Phul in Assyria, & Belosus in Babylone anno Post annos 10.	3238 10	1582 10	1223 10	655 10	367 10	216 10	179 10	179 10		
Amos prophetat Israeliticam captiuitatem anno Post annos 2.	3248 2	1592 2	1233 2	665 2	377 2	226 2	189 2	189 2		
Fit terræmotus magnus in Iudæa anno	3250	1594	1235	667	379	228	191	191		
Ieroboam Rex Israel moritur sub finem anni Post annos 2.	3251 2	1595 2	1236 2	668 2	380 2	229 2	192 2	192 2		

Vitæ

ANNI

Vitæ Ioas.	Regni Iehu in Iſraël.	Regni Ioas ſuper Iuda.	Vitæ Amaſiæ.	Regni Ocrazapis in Aſſyria.	Regni Ioachaz ſuper Iſrael	Regni Ioas cũ patre Ioachaz in Iſrael.	Regni Ioas ſine patre in Iſrael.	Regni Amaſiæ in Iuda.	Regni Ieroboam cum patre Ioas in Iſrael.	Vitæ Oziæ	Regni Ieroboam ſine patre in Iſrael.	Regni Sardanapali in Aſſyria.	Regni Oziæ in Iuda.	Regni Phul ſuper Aſſyrios.	Regni Beloſi in Babylone.	A Prophetia Amos Iſraëliticæ captiuitatis.	Sabbatici.	Iubileorum.
23	22	16	1															
24	23	17	2															
25 4	24 4	18 4	3 4	1 4														
29	28	22	7	5													85	
30 4		23 4	8 4	6 4	1 4													
34 6		27 6	12 6	10 6	5 6													12
40 2		33 2	18 2	16 2	11 2													
42		35	20	18	13													
43		36	21	19	14												87	
44		37	22	20	15	1												
45		38	23	21	16	2												
46		39	24	22	17	3	1											
47		40	25	23		4	2											
			26	24		5	3	1										
			27	25		6	4	2										
			28	26		7	5	3	1								88	
			29	27		8	6	4	2									
			30 7	28 7		9 7	7 7	5 7	3 7									
			37	35		16	14	12	10									
			38	36		17	15	13	11									
			39	37		18	16	14	12	1								
			40 3	38 3				15 3	13 3	2 3	1 3							
			43	41				18	16	5	4							
			44 10					19 10	17 10	6 10	5 10	1 10						
			54					29	27	16	15	11						
									28	17	16	12	1					
									29 5	18 5	17 5	13 5	2 5				91	
									34	23	22	18	7					
									35	24	23	19	8					13
									36 4	25 4	24 4	20	9 4				93	
									40 10	29 10	28 10		13 10	1 10	1 10			
									50 2	39 2	38 2		23 2	11 2	11 2	1 2	95	
									52	41	40		25	13	13	3		
									53	42	41		26 2	14 2	14 2	4 2		

ANNI	Ab orbe condito.	A diluuio	Monarchiæ Aſſyriorum.	Ab introitu Iſrael interram Chanaan	A Troiæ interitu.	A fundato Salomonis Templo.	Regni Iuda.	Regni Iſrael.	Vitæ Oziæ.	Regni Oziæ in Iuda.	Regni Phul in Aſſyria.
Ozias Rex Iuda genuit Ioathan, inchoante anno Poſt annos 10.	3253 10	1597 10	1138 10	670 10	382 10	231 10	194 10	194 10	44 10	28 10	16 10
Zacharias regnat in Iſrael deſinente anno	3263	1607	1248	680	392	241	204	204	54	38	26
Manahem regnat in Iſrael ſub finem anni	3264	1608	1249	681	393	242	205	205	55	39	27
Concurrit ferè totus cum primo anno regni Manahem. Poſt annos 3.	3265 3	1609 3	1250 3	682 3	394 3	243 3	206 3	206 3	56 3	40 3	28 3
Ozias Rex Sacerdotij munus vſurpare tentat an. Poſt annos 2.	3268 2	1612 2	1153 2	685 2	397 2	246 2	209 2	209 2	59 2	43 2	31 2
Natus creditur Tobias ſenior inchoante anno Poſt annos 4.	3270 4	1614 4	1255 4	687 4	399 4	248 4	211 4	211 4	61 4	45 4	33 4
Achaz naſcitur incho. & Manahem moritur in fine anni	3274	1618	1259	691	403	252	215	215	65	49	37
Phaceia F. Manahem regnat in Iſrael inchoante anno	3275	1619	1260	692	404	253	216	216	66	50	38
Moritur in fine anni.	3276	1620	1261	693	405	254	217	217	67	51	39
Regnat Phacee inchoante, & moritur Ozias in fine anni	3277	1621	1262	694	406	255	218	218	68	52	40
Ioathan regnat in Iuda: & in Græcia incipiunt Olymp. Poſt annos 5.	3278 5	1622 5	1263 5	695 5		256 5	219 5	219 5			41 5
Annus Iubilei decimiquarti. Poſt annos 2.	3283 2	1627 2	1268 2	700 2		261 2	224 2	224 2			46 2
Ezechias naſcitur incho. & Phul moritur deſinente an.	3285	1629	1270	702		263	226	226			48
Theglathphalaſar regnat in Aſſyria inchoante anno Poſt annos 7.	3286 7	1630 7	1271 7	703 7		264 7	227 7	227 7			
Moritur Ioathan, & regnat F. eius Achaz ſub finem anni	3293	1637	1278	710		271	234	234			
Concurrit pro maiori parte cum an. primo regni Achaz.	3294	1638	1279	711		272	235	235			
Reges Syriæ & Iſrael condicunt contra Achaz an.	3295	1639	1280	712		273	236	236			
Rex Aſſyriorum occidit Regem Syriæ an.	3296	1640	1281	713		274	237	237			
Phacee occiſo, regnat Oſee primò in Iſrael inchoante an. Poſt annos 3.	3297 3	1641 3	1282 3	714 3		275 3	238 3	238 3			
Roma condi cœpit ſub finem anni Olympici.	3300	1644	1285	717		278	241	241			
Concurrit ferè totus cum anno primo Vrbis conditæ. Poſt annos 4.	3301 4	1645 4	1286 4	718 4		279 4	242 4	242 4			
Regnant Oſee 2. in Iſrael, & Nabonaſſar in Babyl. in fi. an.	3305	1649	1290	722		283	246	246			
Concurrit ferè totus cũ anno primo Oſee & Nabonaſſar. Poſt annos 2.	3306 2	1650 2	1291 2	723 2		284 2	247 2	247 2			
Mortuis Theglathphalaſar & Achaz, regnãt Salmanaſar in Aſſyria & Ezechias in Iuda ſub finem anni	3308	1652	1293	725		286	249	249			
Coincidit ferè totus cum 1. Salmanaſar & Ezechiæ.	3309	1653	1294	726		287	250	250			
Tobias iunior, natus creditur inchoante circiter an. Poſt annos 2.	3310 2	1654 2	1295 2	727 2		288 2	251 2	251 2			
Salmanaſar obſidet Samariam inchoante anno Poſt annos 2.	3312 2	1656 2	1297 2	729 2		290 2	253 2	253 2			
Capit Samariã, & imponit finem regno Iſrael ſub finẽ an.	3314	1658	1299	731		292	255	255			
Ducit Tobiam captiuum cum vxore & filio. Poſt annos 3.	3315 3	1659 3	1300 3	732 3		293 3	256 3				

ANNI

Regni Belosi in Babylone	A Prophetia Amos Israeliticæ captiuitatis	Vitæ Ioathā	Regni Zachariæ in Israel.	Regni Manahem in Israel.	Vitæ Tobiæ senioris.	Vitæ Achaz	Regni Phaceię F. Manahē Regis Israel.	Regni Phaceiæ F. Romeliæ in Israel	Regni Ioathā in Iuda.	Ab initio Olympiadū.	Vitę Ezechię	Regni Theglathphalasar in Assyria.	Regni Achaz in Iuda.	Regni Osee in Israel 1.	Virginis conditæ.	Regni Osee in Israel 2.	Ab initio regni Nabonassar.	Regni Salmanasar in Assyria	Regni Ezechię in Iuda.	Vitæ Tobiæ iunioris.	Sabbatici.	Iubileorum	Olympiadis.	Annus.
16 10	6 10	1 10																						
26	16	11	1																					
27	17	12		1																				
28 3	18 3	13 3		2 3																				
31 2	21 2	16 2		5 2																				
33 4	23 4	18 4		6 4	1 4																			
37	27	22		10	5	1																		
38	28	23			6	2	1																	
39	29	24			7	3	2														99			
40	30	25			8	4		1																
41 5	31 5	26 5			9 5	5 5		2 5	1 5	1 5													1	1
46 2	36 2	31 2			14 2	10 2		7 2	6 2	6 2											100	14	2	2
48	38	33			16	12		9	8	8	1												2	4
49 7	39 7	34 7			17 7	13 7		10 7	9 7	9 7	2 7	1 7											3	1
56	46	41			24	20		17	16	16	9	8											4	4
57	47				25	21		18		17	10	9	1										5	1
58	48				26	22		19		18	11	10	2										5	2
59	49				27	23		20		19	12	11	3										5	3
60 3	50 3				28 3	24 3				20 3	13 3	12 3	4 3	1 3							102		5	4
63	53				31	27				23	16	15	7	4									6	3
64 4	54 4				32 4	28 4				24 4	17 4	16 4	8 4	5 4	1 4								6	4
68	58				36	32				28	21	20	12	9	5								7	4
	59 2				37 2	33 2				29 2	22 2	21 2	13 2	10 2	6 2	1 2	1 2						8	1
	61				39	35				31	24	23	15	12	8	3	3						8	3
	62				40					32	25			13	9	4	4	1	1				8	4
	63 2				41 2					33 2	26 2			14 2	10 2	5 2	5 2	2 2	2 2	1 2			9 9	1
	65 2				43 2					35 2	28 2			16 2	12 2	7 2	7 2	4 2	4 2	3 2			9	3
	67				45					37	30			18	14	9	9	6	6	5			10	1
					46 3					38 3	31 3				15 3		10 3	7 3	7 3	6 3			10	2

ANNI

	Ab orbe condito.	A diluuio	Monarchiæ Assyriorum.	Ab introitu Israel in terram Chanaan.	A fundato Salomonis Templo.	Regni Iuda.	Vitæ Tobiæ Senioris.	Ab initio Olympiadum.	Vitæ Ezechiæ.	Vrbis conditæ.	Ab initio Regni Nabonassar.
Salmanasar Rex Assyriorum moritur in fine anni	3318	1662	1303	735	296	259	49	41	34	18	13
Sennacherib regnat in Assyria inchoante anno Post annos 2.	3319 2	1663 2	1304 2	736 2	297 2	260 2	50 2	42 2	35 2	19 2	14 2
Ezechias deficit à Rege Babylonis anno	3321	1665	1306	738	299	262	52	44	37	21	16
Sennacherib inuadit Iudæam anno Post annos 2.	3322 2	1666 2	1307 2	739 2	300 2	263 2	53 2	45 2	38 2	22 2	17 2
Eius exercitus ab Angelo percutitur anno	3324	1668	1309	741	302	265	55	47	40	24	19
Ipso occiso, regnat Asarhaddon, & Tobias fit cæcus.	3325	1669	1310	742	303	266	56	48	41	25	20
Concurrit cũ 1. regni Asarhaddon, & Manasses nascitur. Post annos 3.	3326 3	1670 3	1311 3	743 3	304 3	267 3	57 3	49 3	42 3	26 3	21 3
Tobias senior sexagenarius lumen recipit. Post annos 2.	3329 2	1673 2	1314 2	746 2	307 2	270 2	60 2	52 2	45 2	29 2	24 2
Nabonassar, qui & Baladan, moritur in fine anni	3331	1675	1316	748	309	272	62	54	47	31	26
Merodac, qui & Mardokenpadus regnat in Babylone an.	3332	1676	1317	749	310	273	63	55	48	32	27
Annus Iubilei decimiquinti. Post annos 2.	3333 2	1677 2	1318 2	750 2	311 2	274 2	64 2	56 2	49 2	33 2	28 2
Asarhaddon Rex Assyriorum moritur anno Post annos 2.	3335 2	1679 2	1320 2	752 2	313 2	276 2	66 2	58 2	51 2	35 2	30 2
Ezechias Rex Iuda moritur in fine anni	3337	1681	1322	754	315	278	68	60	53	37	32
Manasses regnat in Iuda inchoante anno Post annos 13.	3338 13	1682 13	1323 13	755 13	316 13	279 13	69 13	61 13		38 13	33 13
Habacuc prophetat in Iudæa anno	3351	1695	1336	768	329	292	82	74		51	46
Manasses ducitur captiuus in Babylonem anno	3352	1696	1337	769	330	293	83	75		52	47
Historia Iudith falsò creditur accidisse anno Post annos 17.	3353 17	1697 17	1338 17	770 17	331 17	294 17	84 17	76 17		53 17	48 17
Desierunt Athenis creari Reges anno	3370	1714	1355	787	348	311	101	93		70	65
Manasses genuit Amon incho. & Tobias moritur in fi. an. Post annos 6.	3371 6	1715 6	1356 6	788 6	349 6	312 6	102	94 6		71 6	66 6
Finis regni Atheniensium incidit in annum Post annos 6.	3377 6	1721 6	1362 6	794 6	355 6	318 6		100 6		77 6	72 6
Annus Iubilei 16 sub cuius finem moritur Merodac.	3383	1727	1368	800	361	324		106		83	78
Ben-Merodac regnat in Babylone inchoante anno Post annos 3.	3384 3	1728 3	1369 3	801 3	362 3	325 3		107 3		84 3	79 3
Amon genuit Iosiam inchoante circiter anno Post annos 5.	3387 5	1731 5	1372 5	804 5	365 5	328 5		110 5		87 5	82 5
Manasses Rex Iuda moritur sub finem anni	3392	1736	1377	809	370	333		115		92	87
Amon regnat in Iuda inchoante circiter anno	3393	1737	1378	810	371	334		116		93	88
Interficitur in fine anni	3394	1738	1379	81.1	372	335		117		94	89
Iosias regnat in Iuda inchoante anno Post annos 6.	3395 6	1739 6	1380 6	812 6	373 6	336 6		118 6		95 6	90 6
Idem Iosias genuit Ioakim anno	3401	1745	1386	818	379	342		124		101	96
Declarat se veri Dei cultorem anno	3402	1746	1387	819	380	343		125		102	97
Genuit alterum filium nomine Ioachaz anno Post annos 3.	3403 3	1747 3	1388 3	820 3	381 3	344 3		126 3		103 3	98 3
Mundat Iudam ab idolis anno	3406	1750	1391	823	384	347		129		106	101

ANNI.

Regni Salmanasar in Assyria.	Regni Ezechiæ in Iuda.	Vitæ Tobiæ iunioris.	Regni Sennacherib in Assyria.	Regni Asarhaddo in Assyria.	Vitæ Manassę.	Regni Merodac in Babylone.	Regni Manassæ in Iuda.	Vitæ Amō	Regni Ben-Merodac in Babylone.	Vitæ Iosiæ.	Regni Amō in Iuda.	Regni Iosiæ in Iuda.	Vitæ Ioakim.	Vitæ Ioachaz.	Sabbatici.	Iubileorum.	Olympiadis.	Annus.
10	10	9													105		11	1
	11	11	1														11	2
	2	2	2															
	13	12	3														11	4
	14	13	4														12	1
	2	2	2															
	16	5	6														12	3
	17	16	7												106		12	4
	18	17		1	1												13	1
	3	3		3	3													
	21	29		4	4												13	4
	2	2		2	2													
	23	22		6	6												14	2
	24	23		7	7	1									107		14	3
	25	24		8	8	2										15	14	4
	2	2		2	2	2												
	27	26		10	10	4											15	2
	2	2			2	2												
	29	28			12	6											15	4
		29			13	7	1										16	1
		13			13	13	13											
		42			26	20	14										19	2
		43			27	21	15										19	3
		44			28	22	16								110		19	4
		17			17	17	17											
		61			45	39	33										24	1
		62			46	40	34	1									24	2
		6			6	6	6	6										
		68			52	46	40	7									25	4
		6			6	6	6	6										
		74			58	52	46	13								16	27	2
		75			59		47	14	1								27	3
		3			3		3	3	3									
		78			62		50	17	4	1							28	2
		5			5		5	5	5	5								
		83			67		55	22	9	6							29	3
		84						23	10	7	1						29	4
		85						24	11	8	2						30	1
		86							12	9		1			116		30	2
		6							6	6		6						
		92							18	15		7	1				31	4
		93							19	16		8	2		117		32	1
		94							20	17		9	3	1			32	2
		3							3	3		3	3	3				
		97							23	20		12	6	4			33	1

	ANNI									
	Ab orbe condito.	A diluuio	Monarchiæ Aſſyriorum.	Ab introitu Iſrael in terram Chanaan.	A fundato Salomonis Templo.	Regni Iuda.	Ab initio Olympiadum.	Vrbis conditæ.	Æræ à Nabonaſſaro.	Vitæ Tobiæ iunioris.
Ieremias prophetat, & Ben-Merodac moritur in fine anni	3407	1751	1392	824	385	348	130	107	102	98
Nabolaſſar regnat in Babylone inchoante, & Tobias iunior moritur in fine anni	3408	1752	1393	825	386	349	131	108	103	99
Poſt annos 3.	3	3	3	3	3	3	3	3	3	
Ezechiel naſcitur inchoante circiter anno	3411	1755	1396	828	389	352	134	111	106	
Ioſias inſtaurat Templum, & celebrat Phaſe anno	3412	1756	1397	829	390	353	135	112	107	
Poſt annos 3.	3	3	3	3	3	3	3	3	3	
Idem Ioſias genuit Sedeciam anno	3415	1759	1400	832	393	356	138	115	110	
Poſt annos 3.	3	3	3	3	3	3	3	3	3	
Ioakim genuit Ioachin, qui & Iechonias anno	3418	1762	1403	835	396	359	141	118	113	
Poſt annos 7.	7	7	7	7	7	7	7	7	7	
Ioſia mortuo, regnat Ioachaz F. eius 3. menſibus.	3425	1769	1410	842	403	366	148	125	120	
Ioakim regnat in Iuda; & Daniel naſcit r anno	3436	1770	1411	843	404	367	149	126	121	
Iechonias regnat cum patre Ioakim anno	3427	1771	1412	844	405	368	150	127	122	
Danielis captiuitas. Nabolaſſar moritur anno	3428	1772	1413	845	406	369	151	128	123	
Nabuchodonoſor regnat in Babylone anno	3429	1773	1414	846	407	370	152	129	124	
Ioakim Rex comburit librum Ieremiæ anno	3430	1774	1415	847	408	371	153	130	125	
Poſt annos 2.	2	2	2	2	2	2	2	2	2	
Soluit tributa Regi Babylonis anno	3432	1776	1417	849	410	373	155	132	127	
Annus Iubilei decimiſeptimi	3433	1777	1418	850	411	374	156	133	128	
Poſt annos 2.	2	2	2	2	2	2	2	2	2	
Nabuchodonoſor obſidet Tyrum, inuadit Ieroſolymam, & capit Ioakim rebellem anno	3435	1779	1420	852	413	376	158	135	130	
Iechonias ducitur in Babylonẽ, & regnat Sedecias in Iuda	3436	1780	1421	853	414	377	159	136	131	
Ieremias prophetat contra Semeiam anno	3437	1781	1422	854	415	378	160	137	132	
Contigit hiſtoria Suſannæ in Babylone	3438	1782	1423	855	416	379	161	138	133	
Sedecias Rex proficiſcitur in Babylonem anno	3439	1783	1424	856	417	380	162	139	134	
Hananias moritur, & Ezechiel prophetare cœpit anno	3440	1784	1425	857	418	381	163	140	135	
Ezechiel vidit 2. viſionem in Babylone anno	3441	1785	1426	858	419	382	164	141	136	
Increpat interrogantes ab ipſo ſermonem Domini anno	3442	1786	1427	859	420	383	165	142	137	
Sedecias Rex obdurat cor ſuum contra Dominum anno	3443	1787	1428	860	421	384	166	143	138	
Impiè rebellat à Rege Babylonis anno	3444	1788	1429	861	422	385	167	144	139	
Chaldæi redeunt ad obſidendam Ieroſolymam anno	3445	1789	1430	862	423	386	168	145	140	
Ieremias prophetat bona Meſſiæ temporibus ventura, & in fine anni capta eſt Ieruſalem & incenſa, anno	3446	1790	1431	863	424	387	169	146	141	

Regni

ANNI

Regni Ben-Merodacin in Babylone.	Vitæ Iosiæ.	Regni Iosiæ.	Vitæ Ioakim.	Vitæ Ioachaz.	Prophetiæ Ieremiæ.	Regni Nabolassar in Babylone.	Vitæ Ezechielis.	Vitæ Sedeciæ.	Vitæ Iechoniæ.	Regni Ioakim in Iuda.	Vitæ Danielis.	Regni Iechoniæ cum patre.	Regni Nabuchodonosor in Babylone.	Regni Sedeciæ in Iuda.	Captiuitatis Iechoniæ.	Prophetiæ Ezechielis.	Sabbatici.	Iubileorum.	Olympiadis.	Annus.
24	21	13	7	5	1														33	2
	22 3	14 3	8 3	6 3	2 3	1 3													33	3
	25	17	11	9	5	4	1												34	2
	26 3	18 3	12 3	10 3	6 3	5 3	2 3												34	3
	29 3	21 3	15 3	13 3	9 3	8 3	5 3	1 3											35	2
	32 7	24 7	18 7	16 7	12 7	11 7	8 7	4 7	1 7										36	1
	39	31	25	23	19	18	15	11	8										37	4
			26	24	20	19	16	12	9	1	1								38	1
			27		21	20	17	13	10	2	2	1							38	2
			28		22	21	18	14	11	3	3	2							38	3
			29		23		19	15	12	4	4	3	1						38	4
			30 2		24 2		20 2	16 2	13 2	5 2	5 2	4 2	2 2				121		39	1
			32		26		22	18	15	7	7	6	4						39	3
			33 2		27 2		23 2	19 2	16 2	8 2	8 2	7 2	5 2					17	39	4
			35		29		25	21	18	10	10	9	7						40	2
			36		30		26	22	19	11	11	10	8	1	1				40	3
					31		27	23	20		12		9	2	2		122		40	4
					32		28	24	21		13		10	3	3				41	1
					33		29	25	22		14		11	4	4				41	2
					34		30	26	23		15		12	5	5	1			41	3
					35		31	27	24		16		13	6	6	2			41	4
					36		32	28	25		17		14	7	7	3			42	1
					37		33	29	26		18		15	8	8	4			42	2
					38		34	30	27		19		16	9	9	5	123		42	3
					39		35	31	28		20		17	10	10	6			42	4
					40		36	32	29		21		18	11	11	7			43	1

ANNALES SACRI SEXTAE MVNDI AETATIS

AVCTORE

AVGVSTINO TORNIELLO NOVARIENSI

Congregationis S. PAVLI Clerico Regulari.

PERVENIMVS tandem, Deo duce atque adiutore, ad Sextæ Mundi Ætatis historiam enarrandam; quam, cùm eodem comite ac fauente perduxerimus à Templi Salomonis desolatione, ad illam illius Templi dissolutionem, de qua mysticus Salomon in Euangelio Ioan. c. 2. vers. 19. dicebat: *Soluite Templum hoc, & in triduo excitabo illud.* tritum illud Poëtæ dictum vsurpare licebit: *Claudite iam riuos pueri, sat prata biberunt.*

AB ORBE CONDITO ANNVS 3447. | SEXTÆ MVNDI ÆTAT. ANNVS 1.



1 ☞ ANNO regni Nabuchodonosor decimonono inchoante, mense (subintellige Anni Hebræorum sacri tum currentis) quinto, septima die mensis, vt exprimitur 4 Reg. c. vlt. vers. 8. siue decima die, vt dicitur Ierem. cap. vlt. vers. 12. Nabuzardan Magister militiæ Regis Babylonis (subaudi missus à Nabuchodonosor de Reblatha) venit in Ierusalem; hoc est, septima die venire cœpit, & decima peruenit: vel si septima die peruenit, decima, vt iussionem Regis impleret, desolauit ciuitatem: siquidem ipse incendio tradidit Domum Domini, & domum Regis, & reliqua ferè omnia vrbis ædificia, præsertim insigniora; ac totum ferè murum qui erat in circuitu Ierusalem, diruit atque disiecit. Et Ieremiam quidem (iuxta ea quæ sub anno mundi 3445. num. 5. diximus) de vestibulo carceris educi, liberumque dimitti iussit, vt habitare posset cum Godolia, quem quibusdam pauperibus ac plebeiis præfecit, quos, æquata solo ciuitate, reliquit in terra Iuda vt eam colerent, præstarentque tributa per ipsum Godoliam quotannis soluenda Regi Babylonis. Reliquam autem populi partem quæ remanserat in ciuitate, & eos item qui obsidione adhuc durante transfugerant ad Chaldæos, & insuper omnia vasa ac vtensilia ærea, argentea, & aurea, quæ speciatim reperta fuerant in Domo Domini, & omne æs quod congeri potuit, confractis nimirum etiam columnis, luteribus, basibus & mari æneis, quæ olim fecerat Salomon; omnia inquam abstulit Nabuzardan, & transferri fecit in Reblatha, ad Nabuchodonosor Regem ibi tum commorantem. Qui nobiliores quosdam de captiuis, nimirum Saraiam Sacerdotem primum, & Sophoniam Sacerdo-

IEROSOLYMAE DESOLATIO.

cerdotem secundum,& tres ianitores Domus Domini,& eunuchum Regis, qui erat Præfectus militum; & quinque viros ex his qui stare consueuerant coram Rege, & Sopher Principem exercitus,qui probare solebat tyrones; & alios sexaginta viros occidit in Reblatha: reliquos autem cum supradicta præda,& cum Iosedec filio Saraiæ summi Sacerdotis,vt dicitur 1.Paralip.cap.6.vers.14.& 15.transmisit in Babylonem. Quæ omnia collecta sunt ex 4.Reg.cap.vlt.vers.8.vsque ad 23.& Ierem.cap.39.vers.8.vsque ad 15.& cap.vlt.vers.12.vsque ad 28. Et hæc quodammodò dici potest fuisse quinta Iudæorum captiuitas in Babylonem traducta,quandoquidem distingui quoquomodò potest à præcedenti; tum quia hæc facta fuit in mense quinto,illa autem in quarto; & prior anno decimooctauo regni Nabuchodonosor desinente, posterior verò decimonono inchoante: tum etiam quia in illa translatas fuisse tantùmodò animas octingentas triginta duas affirmat Ieremias cap.vltimo; in hac autem non exprimitur captiuorum numerus,qui presumitur fuisse valdè maior,quoniam tunc relicta est in solitudinem vniuersa ciuitas. Verumtamen,quia hæ duæ captiuitates adeò inter se proximæ inuicemque coniunctæ fuerunt, rectè etiam possunt ambæ simul pro vna dumtaxat captiuitate computari,quemadmodum creditur fecisse Ieremias loco citato; vbi non has duas tantùm,vt diximus, sed etiam eodem modo alias duas,nempe illam in qua captus fuerat Ioakim, & illam in qua translatus est Iechonias, pro vnica pariter captiuitate computauit.

QVINTA IVDAEORVM CAPTIVITAS.

¶ 2. Ceterùm,memoratam Sedeciæ captiuitatem,& Ierosolymæ Iudææq; desolationem,quam diximus cœptam esse in mense huius Anni sacri quarto, & absolutam in quinto; fuisse famosam illam septuaginta annorum captiuitatem, multis anteà annis, nimirum anno quarto regni Ioakim,à Ierem. cap.25. vers. 1.& 12. prenuntiatam; & aliàs in Sacris libris celebratam,presertim in calce lib. 2.Paralip. & in principio 1.Esdræ,& Daniel.cap.9.vers.2.certissimum puto. Nam etsi quæ idem Ieremias cap.29. vers.10.de eadem septuaginta annorum captiuitate dicit, (vt Rabbi Salomon à Lyrano super 1.Esdr.cap.1.relatus, & Caietanus super 2.Paralip.cap.vlt. & Scaliger lib.6. de Emendatione temporum in cap.de Regibus Babyloniis, & solutione captiuitatis, non procul ab initio,existimarunt) videantur esse referenda ad transmigrationem Iechoniæ, ad quam ibidem Propheta scribit: nihilominùs, si res benè perpendatur, quæ ibi tangit Ieremias de septuaginta annis in Babylone implendis; proculdubiò referri debent ad illos septuaginta solitudinis desolationisve annos, de quibus egerat cap.25. vt benè notat Pererius lib.10.in Danielem: & in summa, sensus verborum Ieremiæ ibi est,ac si dixisset iis qui cum Iechonia abducti fuerant in Babylonem: Nolite credere pseudoprophetis asserentibus breui vos in patriam fore reducendos; quia decipiunt vos: sed magis diuinæ acquiescite volūtati, quæ proculdubiò est,vt maneatis ibi,donec impleantur in Babylone illi septuaginta anni; quos ego aliàs ex multis iam annis prophetaui,vtique decurrendos ab eo tempore quo desolata fuerit Ierusalem, & in solitudinem redacta. Id enim apertissimè colligitur ex citato Ierem.c.25. vbi à vers.9.ad 13. Propheta manifestè prenuntiat,Iudeæ desolationem à Nabuchodonosor esse faciendam; & subiungit, quòd vniuersa terra illa & finitimæ eius regiones erunt in solitudinem, & in stuporem,& seruient omnes gentes istæ Regi Babylonis, per annos septuaginta: & quòd his expletis, visitabit Dominus super Regem Babylonis, & super gentem illam,iniquitatem eorum; ac ponet terram Chaldæorum in solitudines sempiternas. Quod idem prorsus est,ac si dixisset,statim vt impleti essent septuaginta desolationis Iudææ anni, destructum iri Babyloniorùm Imperium. Verùm quis nesciat, Ierosolymam totamque Iudæam non tempore transmigrationis Iechoniæ (posteà enim regnauit ibi Sedecias annis vndecim) sed in captiuitate Sedeciæ, post quem nemo alius regnauit,fuisse desolatam? Ergo luce meridiana clarius est,septuaginta Babylonicæ captiuitatis annos à Ieremia prænuntiatos,& à prædictis aliis Auctoribus sacris memoratos, proculdubiò fluxisse à capto Sedecia, totaque Ierosolymorum regione desolata,vsque ad solutionem captiuitatis,factam à Cyro Persarum Rege, in ipsomet eius primo anno,quo simul cum Dario Medo,Babyloniorum destruxit Imperium, & ad Medos Persasque transtulit; iuxta id quod etiam paulò antè monstratum fuerat Baltassaro,vltimo Chaldæorum Regi,in admirabili illa scriptura, quam eidem interpretatus est Daniel,dicens: *Diuisum est regnum tuum,& datum est Medis & Persis*; vt describitur Daniel.cap.5. vers.8.

BABYLONICA 70. ANNORVM CAPTIVITAS.

3. Ex dictis consequitur, reiiciendam omnino esse opinionem illorum, qui distinguentes septuaginta annos captiuitatis ab annis septuaginta desolationis, putant primos

mos fluxisse à transmigratione Iechoniæ ad annum regni Cyri primum super Babylonios; alios verò à capto Sedecia, Ierosolymorumque desolatione, vsque ad annum secundum Darij Hystaspis, qui post Cambysem Cyri filium regnauit in Perside: & de istis quidem meminisse Zachariam cap. 1. vers. 12. de prioribus autem prophetasse Ieremiam locis præcedenti numero citatis. Quæ quidem opinio nullatenus subsistere posse videtur, quandoquidem iam ex ipsiusmet Ieremiæ verbis demonstratum est, Iudææ desolationem, quæ non nisi postremo regni Sedeciæ tempore facta fuit, duraturam tantummodò vsque ad Imperij Chaldæorum subuersionem: & ita prorsus euenisse vt Ieremias prænuntiauerat, manifestè traditur in postremo cap. lib. 2. Paralip. & in exordio lib. 1. Esdræ: quibus in locis apertè dicitur, tunc à Cyro solutam fuisse Iudæorum captiuitatem iuxta Ieremiæ vaticinium; ergo septuaginta anni desolationis non potuerunt peruenire ad annum secundum Darij Hystaspis: neque Iechoniæ captiuitas (si ipsa quoque, quemadmodum memorata supponit opinio, septuaginta dumtaxàt annis perdurasset) peruenire potuisset ad annum Cyri Monarchiæ primum: etenim ipsa Iechoniæ transmigratio præcessit Ierosolymorum desolationem annis vndecim. Quare à Iechonia transmigrato, ad solutam à Cyro captiuitatem, necesse est fluxisse non septuaginta tantùm annos, sed octoginta & vnum. Igitur patet, famosam illam Babylonicam septuaginta annorum captiuitatem à Ieremia prophetatam, & in Sacro eloquio sæpiùs memoratam, non aliunde quàm à fine regni Sedeciæ ad initium Monarchiæ Cyri fore dimetiendam. Vnde autem cœperit, & vbi desierit illa, cuius meminit Zacharias, nos sub anno mundi 3462. num. 3. declarabimus.

DE INITIO ET FINE BABYLONICAE CAPTIVITATIS.

4. Sanè in prædicta Templi Ierosolymitani conflagratione, ac totius vrbis Iudaicæque regionis desolatione, meritò posset aliquis suspicari, deperditam omnino fuisse sacram Scripturam, attenta maximè illa veterum Patrum opinione, nempe Clementis Alexandrini, & SS. Theodoreti, Irenæi, & Basilij, quorum non solùm loca, sed etiam sententias ad verbum profert Leo de Castro cap. 43. Præfationis suæ in Isaiam; quibus alij addunt Tertullianum lib. de Habitu muliebri, Eusebium in Chronicis, & B. Hieronymum in libro Contra Heluidium; qui crediderant, omnes Veteris Testamenti libros in memorato Ierosolymæ incendio à Chaldæis fuisse concrematos; sed posteà Esdræ temporibus, diuino memoriæ beneficio, vel potiùs miraculo, ab eodem Esdra fuisse restitutos, ac denuò, prout priùs erant, conscriptos. Verùm, quidquid sit de hac veterum Patrum opinione, quam Pererius in Præfatione Commentariorum suorum in Genes. præmissa, vt par erat, decenti, ob reuerentiam tantorum virorum, excusatione; & item Cardinalis Bellarminus lib. 2. de Verbo Dei cap. 1. & ante istos Genebrardus libro suæ Chronologiæ 2. vbi agit de Sexta mundi ætate, & de Monarchia Regis Nabuchodonosor; multis ac sanè validis oppugnant argumentis: dicimus, quòd etiamsi tunc Chaldæi cunctos Sacros codices, quotquot tum essent in Ierusalem, ignibus tradidissent (de qua re tamen nihil omnino in tota Scriptura sacra innuitur) non ideò tamen necessariò dicendum esset, Ecclesiam Dei, à prædicto conflagrationis tempore vsque ad Esdram, Sacris libris omnino expoliatam remansisse: quandoquidem non est credibile, quòd in tanta Iudæorum atque Israëlitarum multitudine, quæ ante dictam Templi vrbisque exustionem, in præcedentibus captiuitatibus abducta, iam per varias mundi partes exulabat, nemo secum vlla Sacrorum voluminum exemplaria tulerit; præsertim cùm ex Danielis, Ezechielis, & Tobiæ libris constet, nonnullos Iudæorum atque Israëlitarum in captiuitate positos, legitima sua obseruare non omisisse; quod certè non videtur sine Sacrorum librorum lectione diu fieri potuisse. Et certũ est, ex ipsis aliquos in studiis sacris apprimè versatos ac non mediocriter eruditos extitisse, vt patet de Daniele & sociis eius, qui tamen in puerili ætate translati fuerant, & non nisi frequenti Sacrorum librorum vsu Legis doctrinam assequi potuisse videntur. De Esdra quoque Sacerdote legimus 1. Esdr. cap. 7. vers. 11. quòd erat in Lege Dei doctissimus. oportet igitur ipsum ab ineunte ætate habuisse penes se Libros sacros, sine quibus, secluso miraculo, tantam sibi comparare doctrinam minimè potuisset: præsertim cùm necesse sit, ipsum vel adhuc puerulum in captiuitatem fuisse abductum, vel potiùs post eam natum, vt magis credimus, & ex his quæ sub anno mundi 3610. num. 22. dicenda sunt, colligi poterit. Etenim ipse de Perside in Iudæam remissus est anno regni Artaxerxis Longimani septimo; hoc est, post annos ab initio Babylonicæ captiuitatis circiter centum quinquaginta, vt supputari potest in tabulis. Ergo fateri oportet, non omnes Veteris Testamenti libros cum Templo esse concrematos; sed ex his plures in Babyloniam aliasque prouincias cum ipsismet captiuis fuisse

LIBRI SACRI AN IN IEROSOLYMORVM INCENDIO OMNES CONFLAGRATI.

asportatos: nam & satis receptum est quod scribit Iosephus 11. Antiq. cap. 1. nimirum Danielem, vt creditur, ostendisse Cyro Regi Persarum Isaiæ librum seu Prophetiam, quæ de ipsomet Cyro facta fuerat, quemadmodum nos sub anno mundi 3517. num. 1. dicemus: ergo certum est, quòd Daniel Babylonicæ captiuitatis tempore Libros sacros apud se habebat; alioquin quomodo ipsemet in Prophetiæ suæ cap. 9. vers. 2. dicere potuisset, se intellexisse *in libris numerum annorum de quo factus est sermo Domini ad Ieremiam Prophetam, vt complerentur desolationis Ierusalem septuaginta anni?* Qui sunt isti libri ibidem memorati? nisi eiusdem Ieremiæ, quos se Daniel ad manus habuisse satis perspicuè indicat. Et quomodo idem Daniel cap. eius citato vers. 11. & 13. adducere potuisset loca Legis Moysi, in quibus recensentur maledictiones præuaricatoribus Legis infligendæ? nimirum Deuter. cap. 27. vers. 14. vsque ad finem capitis; & cap. 28. vers. 15. & sequẽtibus; nisi eumdem librum ipse in Babylone penes se habuisset? Quod ergo de libro Legis, & de Isaiæ Ieremiæque codicibus euidenter probatum est, id etiam de aliis Sacris libris admodum rationabiliter credere possumus. Sed & valdè item probabile est, plures alios, præsertim Sacerdotes & Prophetas, puta Ezechielem, Aggæum, Zachariam, Malachiam, Iesum filium Iosedec, & huiusmodi alios, in captiuitate sua Libros sacros ad manus habuisse, atque ex sanctarum Scripturarum consolatione, captiuitatis afflictiones & incommoda leuare studuisse, necnon etiam in se aliisque spem liberationis excitare atque fouere.

5. Sed si nulli extra Ierusalem ante eius excidium asportati fuissent Sacri codices, profectò Ieremias Propheta, rerum diuinarum zelantissimus, qui tanto anteà Templi ciuitatisque ruinam prędiderat, si tantisper de Sacrorum voluminum exustione atque interitu dubitasset, tam graui malo quantocyùs occurrere non omisisset; siue exemplaria eorum alicubi occultando, siue clàm eadem transmittendo ad aliquem eorum qui translati fuerant à Salmanassaro in Assyrios, vel à Pharaone Nechao in Ægyptum cum Ioachaz filio Iosiæ, aut à Nabuchodonosor in Babyloniam cum Ioakim filio Iosiæ, aut cum Iechonia filio Ioakim: si enim idem Ieremias adeò diligens & accuratus fuit in eruendis, seu ab incendio præseruandis, ac tuto loco reponendis, Tabernaculo, Arca, Altari, igne sacro, ac ceteris eiusmodi rebus ad exteriorem illum typicumq; Dei cultum pertinentibus, quemadmodum nos sub anno præcedenti num. 4. diximus, & infrà etiam num. 8. dicemus: quis dubitet quin longè diligentior atque solicitior fuisset in abscondendis ac reseruandis Sacris voluminibus, quæ Spiritu sancto edoctus, plenè intelligebat vtiliora fore ac magis necessaria ad salutem animarum, verumque ac spiritualem Dei cultum in cordibus hominum perpetuis futuris temporibus inserendum ac prouehendum, quàm prædictæ res essent, quas proculdubiò aliquando deficere antiquarique oportebat? Certè si sine vllo miraculo commodè potuerunt Libri sacri, Ieremiæ temporibus, ab incendio præseruari; non video ad quid ponenda sint miracula absque necessitate. Itaque, quod aiunt de Sacrorum librorum restitutione per Esdram facta, probabilius videtur, non tam miraculo aut diuino memoriæ beneficio, vt citati Auctores existimarunt, fuisse peractum; quàm alio quodam modo: siquidem, ex paulò antè dictis, oportet ipsum Esdram non in Iudæa aut Ierusalem, sed in captiuitate sua Diuinas didicisse litteras, & consequenter ibidem Sacros habuisse codices; quos credibile non est, eum aliquando penitus perdidisse, ita vt solo memoriæ beneficio illos denuò reparare ei opus fuerit. Duo autem occurrunt modi reparationis Sacrorum librorum ab Esdra factæ, satis probabiles: Alter est, quem nos edocuit sanctus Athanasius in Synopsi his verbis: *Narratur & hoc de Esdra, cùm Libri sacri per incuriam populi & diuturnam captiuitatem perirent, ipsum cùm esset vir industrius & lector perdiligens, veriq; ac recti studiosissimus, eos omnes Libros apud se custodiuisse, & posteà eos in commune protulisse, atque ita ab interitu quodammodò vindicatos conseruasse.* hęc Athanasius. Alter modus est similis ei de quo legimus 2. Machab. cap. 2. vers. 13. vbi traditur quòd Nehemias, & similiter post plures annos Iudas Machabæus, conquirentes & congregantes de regionibus, in quibus dispersi fuerant, Sacros libros, sacram instruxerunt bibliothecam. Sed illud ampliùs ab Esdra præstitum creditur, quòd non solùm plures tum pænè deperditos conquisierit; verùm etiam ferè omnes, à multis iam pluribus in locis corruptos ac labefactatos, vt ipse erat in Lege doctissimus, diuino actus Spiritu correxerit, emendatosque, & in eum qui vsque nunc habetur ordinem redactos, posteà ediderit. Qua de re nos pleniùs sub anno mundi 3610. num. 15. vsq; ad 22. agemus. Nunc ad historiæ continuationem redeamus.

LIBRI SACRI QVOMODO AB INTERITV PRAESERVATI.

☞ 6. Factum est autem cùm discessisset Nabuzardan de Ierusalem, venissetque in Rama,

Rama, vt inter captiuorum multitudinem, quam secum ducebat in Babylonem, inuentus quoque fuerit Ieremias Propheta vinctus catenis: siue quia, quod mandauerat Nabuzardan, quando tulit eum de vestibulo carceris, nimirum vt liber dimitteretur, Officialium incuria aut inobedientia executioni mandatum non fuisset: siue, quod magis reor, quia quantumuis dimissus, nihilominus præ nimia militum libertate, vt fit, ab ipsis posteà inuentus, iterùm captus & in vincula coniectus, atque cum ceteris captiuis abductus esset. Itaque vt primùm hoc peruenit ad aures ipsius Nabuzardan, confestim tollens eum de medio captiuorum, & cum eo humaniter admodum locutus, liberum cum cibariis & munusculis ad Godoliam remisit: Ierem. cap. 40. vers. 1. vsque ad 6. Quo in loco tametsi nulla fiat mentio Baruch eius scribæ; ex his tamen quæ dicuntur Ierem. cap. 43. vers. 3. & 6. constat ipsum quoque Baruch relictum fuisse in Iudæa, ibidemque aliquantisper mansisse cum Ieremia, deinde simul ambos cum ceteris Iudæorum reliquiis profectos esse in Ægyptum, vt infrà num. 10. dicetur. Sed & admodum probabile est, nonnullos quoque alios viros Deum timentes, & Prophetæ deuotos, vel etiam cognatos, id est de genere Sacerdotali, in gratiam Ieremiæ, & ad preces eius, cum ipso pariter à Nabuzardan fuisse dimissos, quorum posteà auxilio & opera credimus eumdem Prophetam transtulisse Tabernaculum & Arcam cum ceteris rebus sacris in montem Nebo, quemadmodum infrà num. 8. dicemus.

IEREMIAS CAPTVS LIBER DIMITTITVR.

BARVCH IN IVDAEA LIBER RELICTVS.

7. Ceterùm, Ieremias miseratus eorum qui ducebantur captiui in Babylonem, cùm eos non posset ampliùs coràm, quæ ad salutem ipsorum pertinerent, docere; non destitit confirmare eos quantum potuit per epistolam illam, nimirum cuius exemplar nobis reliquit Baruch in cap. Prophetiæ suæ prostremo registratum, vt ex initio dicti capitis patet: in qua epistola hortatur eos ne Legem Dei à cordibus suis vmquam amouerent, & ne ad idola Babyloniorum declinarent, timerentve ea; quoniam nihil aliud essent, nisi muta quædam & insensibilia simulacra, quæ nec sibi nec aliis prodesse obesseve possunt; vt pluribus ibidem Propheta demonstrat. Huius etiam epistolæ meminisse videtur Auctor libri 2. Machab. cap. 2. vers. 2.

IEREMIAS PER EPISTOLAM HORTATVR CAPTIVOS NE AD IDOLA DECLINENT.

¶ Verùm quia in memorata epistola vers. 2. protestatur Propheta captiuis, quòd in Babylone mansuri erant annis plurimis, & longis temporibus, vsque ad generationes septem; quæri potest, quomodo id consonet cum eo quod idem Ieremias non semel prædixerat, Babylonicam captiuitatem annis tantùm septuaginta duraturam? Et ratio dubitandi est; quoniam, licet generationis nomen variè admodum à Scriptoribus vsurpari soleat, vt multorum testimoniis demonstrat Pererius super Daniel. cap. 9. constat tamen, magis propriè accipi debere, vel pro communiori hominis ætate, quæ plerumque septuaginta vel octoginta annis, quemadmodum in Psalm. 89. vers. 10. legimus, concluditur; vel iuxta S. Augustinum super Psalm. 104. pro eo ætatis tempore, quo quis communiter ad generandum aptus efficitur, quod vt minimum anno vitæ decimoquarto seu decimoquinto, ordinariè autem circa vigesimum contingit: patet autem septem generationes, vtrolibet modo sumptas, longè plusquam septuaginta annos complecti. Ad hoc quæsitum allegatus Auctor in Danielem, post redargutas Carthusiani responsiones, respondet ipse tripliciter. Primò, Illud *septem* sumendum esse indefinitè, ac si dictum esset, vsque ad multas generationes, sicuti sumitur Leuit. c. 26. vers. 28. *Corripiam vos septem plagis*, id est, multis. & Prouerb. cap. 24. vers. 16. *Septies enim cadet iustus*, hoc est, multoties. Quæ responsio tametsi possit admitti, videtur tamen nimis generalem & indeterminatam facere propheticam hanc prædictionem. Altera eiusdem responsio est, Prophetam in citata epistola non loqui de captiuitate Sedeciæ, quæ non excessit annos septuaginta; sed de transmigratione Iechoniæ quæ diuturnior fuit. Nam ibidem, inquit, refert Baruch, illam Ieremiæ epistolam scriptam fuisse ad Iechoniam, & ad Iudæos qui cum eo abducti fuerant. Sed, (pace tanti viri dixerim) nullibi apparet epistolam Ieremiæ à Barucho relatam, Iechoniæ fuisse directam, vt patere poterit legenti totum Baruchi cap. 6. in quo eadem epistola refertur: quin potiùs ex eiusdem capitis initio, nimirum ex illis verbis: *Exemplar epistolæ quam misit Ieremias ad abducendos captiuos in Babyloniam*, &c. & paulò pòst: *Propter peccata quæ peccastis ante Deum, abducemini in Babyloniam captiui*, &c. manifestè apparet eam esse datam iis qui tum abducebantur, vel abducendi erant: sicuti econuersò, illam quæ describitur Ierem. cap. 29. ex eiusdem capitis initio, constat fuisse transmissam iis qui iam ex multis annis transmigrauerant. Oportet igitur Pererium æquiuocasse, accepisseque epistolam quæ habetur Ierem. cap. 29. pro ea quæ refertur Baruchi cap. 6. illa enim verè directa fuerat Iechoniæ & concaptiuis eius: hæc verò tradita fuit iis quos traducebat

QVOMODO IVDAEI MANSVRI ERANT CAPTIVI VSQVE AD SEPTEM GENERATIONES.

Nabuzardan in Babylonem, vt dictum est. Præterea Iechoniæ captiuitas non fuit longior captiuitate Sedeciæ, nisi annis vndecim; atqui hęc additio non tanta est, vt possit septem conficere generationes. Tertia denique responsio erat, Septem illas generationes esse quidem referendas ad captiuitatem in fine regni Sedeciæ factam, verùm non respicere ad terminum primæ solutionis eius per Cyrum factæ; sed ad alium, nempe ad septimum illius Artaxerxis annum, qui remisit cum Esdra magnam Iudęorum multitudinem in Iudæam. Et hanc responsionem tamquam ceteris meliorem, recipiendam putamus, quoniam sicuti (quemadmodum etiam adnotauit B. Theodoretus in capite Daniel.9.) constat Iudæos pluribus vicibus, ac veluti per partes, in captiuitatem fuisse abductos, ita etiam pluries in patriam esse remissos; videlicet semel à Cyro, & bis à memorato Artaxerxe, qui plures cum Esdra, deinde alios multos cum Nehemia in Iudæam remisit, vt suis locis dicetur. Quamuis enim nos à captiuitate Sedeciæ ad septimum prædicti Artaxerxis annum, non annos centum septuaginta, vt Pererius existimat; sed tantummodò centum quinquaginta intercessisse putemus, vt videre est in tabulis: hæc tamen summa inter prædictas septem generationes rectè commodeque dispertiri posse videtur; sumpto nimirum generationis vocabulo, pro viginti circiter annorum ætate, circa quam communiter omnes ad gignendam prolem idonei esse solent.

IEREMIAS DEPLORAT RVINAM IEROSOLYMAE AC TEMPLI.

☞ 8. Puto autem, Ieremiam, statim ac liber à Chaldæis dimissus fuit, antequam iret ad Godoliam in Masphra, Dei monitu rediisse in Ierusalem cum paucis viris, qui secum dimissi fuerant, vt ipsorum auxilio inde tolleret Tabernaculum & Arcam Dei. Verùm vt vidit Templum illud, quod fuerat in admiratione cunctis gentibus, exustum & dirutum, vrbemque totam desertam atque desolatam, grandia de imo pectore traxisse suspiria; & magnos præ nimia cordis mœstitudine eiulatus continere non valens, sedisse ibi aliquantulùm, atque largiter fleuisse ac deplorasse ciuitatis ruinam, canens super eam lugubre illud carmen, quod in libello Threnorum seu Lamentationum legitur, quemadmodum ibidem ex initio eius apparet: & posteà deuotè admodum orasse ad Dominum in ea oratione, quæ in calce eiusdem libelli descripta est: demum perrexisse ad locum, in quo (vt sub præcedenti anno mundi num.4. dictum est) priusquam caperetur ciuitas, Tabernaculum & Arcam aliaque eiusmodi clàm de Templo sublata, ne postmodum à Chaldæis contaminarentur, absconderant; tulisseque inde omnia, eademque in montem Nebo asportasse, atque ibidem in secretissima quadam spelunca abdidisse, ipso speluncæ ostio quàm diligentissimè obstructo (erat autem Nebo, mons ille trans Iordanem in terra Moab positus, de quo olim Moyses paulò antequam moreretur, iubente Domino, contemplatus est vniuersam Terram promissionis, vt sub anno mundi 2583. num.31. dictum est.) Sanè Ieremias, cùm aduertisset quosdam affectasse notare locum in quo prædicta reconderat, reprehendit eos; & protinus, hac occasione arrepta, prophetauit ignotum fore locum illum, donec reduceret Dominus de captiuitate Iudæos, & denuò Templum reædificari concederet: tunc enim (inquit) & non priùs, manifestabuntur quæ nunc occultauimus; & cùm primùm in Templum reportata ac reposita fuerint, apparebit cunctis videntibus gloria Domini super sacrificia in nube & igne, sicuti Moysi ac Salomonis temporibus. Quæ omnia breuiter referuntur 2.Machab.cap.2.vers.4.vsque ad 13. Et hæc Ieremiæ Prophetia ad vnguem impleta fuit in diebus Nehemiæ, vt infrà suo loco dicemus.

ABSCONDIT TABERNACVLVM ET IN EO CONTENTA, IN MONTE NEBO.

GODOLIAS PRAEFECTVS IVDAEIS A REGE BABYLONIS VBI HABITARET.

9. His peractis, Propheta venit ad Godoliam habitantem in Masphath. Videtur autem prima fronte, hanc Masphath siue Maspha, non esse illam huius nominis vrbem, quæ erat in regno Iudæ, non procul à Gabaa Beniamin & Rama; de qua legimus 3.Reg.cap.15.vers.22. quòd Asa Rex Iuda, disturbato Baasa Rege Israel ab ædificatione vrbis Rama, ex eadem materia reædificauit Gabaa & Maspha; sed aliam existentem in terra Maspha ad radices montis Hermon, vt dicitur Iosue cap.11. vers.3. quia hæc erat in finibus terræ Chanaan, & quasi in via euntibus de Israel in Babyloniam; & ideò videtur credi posse, quòd Godolias ibi manere elegisset, vt commodius posset respondere Chaldæorum litteris ac præceptis, quæ ad Iudæos mittebantur, quemadmodum ipsemet testatur apud Ierem.cap.40. vers. 10. Verumtamen oppositum euidenter colligitur ex Ierem.cap.41.vers.5.vsque ad 10. vt numero sequenti explicabimus. Porrò Iudæi omnes qui de manu Chaldæorum aufugerant, & dispersi erant per regiones Iudææ, & Moabitarum, & Ammonitarum, & Idumæorum, vt audierunt quòd Godolias constitutus esset à Rege Babylonis Dux populi ab eodem in Iudæa relicti, vndique confluxerunt ad eum: quibus ille iurauit, benè cum eis actum iri, si

iri, si seruire Regi Babylonis non recusarent, manentes singuli in vrbibus suis, sub regimine ipsius Godoliæ. Itaque his atque huiuscemodi verbis animati, manserunt vnusquisque in ciuitate sua, & collegerunt fructus eiusdem anni vberrimos, vinum scilicet, & messem multam nimis. Erat autem inter Iudæos qui venerant ad Godoliam, vnus nomine Ismahel: qui cùm esset de semine Iudæorum regio, indignè ferebat Godoliam cunctis Iudæis fuisse prælatum. Hunc ergo Baalis Rex Ammonitarum clàm misit ad perdendum Godoliam. Quod vt innotuit ceteris Iudæorum Primatibus, retulerunt insidias ipsi Godoliæ; volebatque Iohanan filius Caree præuenire, & secretò interficere Ismahelem: sed prohibitus est à Godolia; qui benè monentes audire recusans, mox incredulitatis suæ pœnas exoluit: 4. Reg. cap. 25 vers. 22. vsque ad 25. & latiùs Ierem. cap. 40. vers. 6. vsque ad finem capitis.

10. Eodem anno, mense (vt arbitror) Anni sacri septimo, qui erat anni regni Nabuchodonosor deciminoni, & Babylonicæ captiuitatis primi, mensis tertius, venit Ismahel dolosè cum decem viris in Maspha ad Godoliam nihil mali ab eo suspicantem: qui cùm eum benignè excepisset, ac simul comedissent; inopinatò surgens cum suis Ismahel, improuidum occidit Godoliam, & quotquot tam de Iudæis quàm de Babyloniis reperti sunt cum eo. Accidit autem altera die, priusquam vulgatum esset facinus, vt religionis ergò venirent octoginta viri de Sichem, & Silo, & Samaria, inermes, & squalentes, rasi barba & scissis vestibus, portantes thus & munera, vt offerrent ea in Domo Domini, hoc est, in Ierusalem: iis de Maspha occurrit Ismahel & ipse plorans, seu plorare simulans; & cùm inuitasset venientes, vt aliquantisper diuerterent ad salutandum Godoliam, perduxit eos in Maspha: atque in medio ciuitatis omnes interfecit, decem dumtaxat exceptis; quòd pro animabus suis, thesauros in agro abscōditos eidem ostendere spopondissent: occisorum verò cadauera proiecit in lacum seu fossam, quam ibidem olim fecerat Asa Rex Iuda, quando bellum gerebat aduersus Baasa Regem Israel: Ierem. cap. 41. vers. 1. vsque ad 10. Ex quibus apertè patet, quòd hęc Maspha in qua habitabat Godolias, proculdubiò erat illa quam olim reædificauerat Rex Asa; & nullatenus potuit esse illa quæ ad radices montis Hermon iacebat, vt præcedenti numero dicebamus: siquidem illa non erat posita inter Samariam & Ierusalem, sed in finibus terræ Chanaan, ad quem locum, Asa bellum gerens cum Baasa, numquam peruenire potuit, nedum in eo fossas agere. Ceterùm, Ismahel non contentus tot tantasque cædes egisse in Maspha; captiuum quoque duxit reliquum populum qui in eadem vrbe remanserat, & filias Regis Sedeciæ, quas Nabuzardan Godoliæ commendauerat: cumque pergeret Ismahel cum omni præda quam fecerat, ad terram Ammonitarum; ecce Iohanan filius Caree, & reliqui Duces bellatorum cum eo, vt audierunt quæ fecerat Ismahel, conuocato reliquo populo, confestim insecuti sunt eum; quem cùm prope Gabaon inuenissent, ille, relictis omnibus, cum octo dumtaxat viris festinus aufugit: Iohanan verò cum populo qui secum venerat, cunctos reduxit captiuos, veneruntque simul omnes in Chamaam prope Bethleem, animo transeundi ad Ægyptios propter metum Chaldæorum: verebantur enim ne cùm audirent occisum fuisse à Iudæis Godoliam, grauiter in ipsos animaduerterent. Cùm autem super hac re priùs consuluissent Dominum per Ieremiam Prophetam, illeque per eumdem respondisset, nihil eos mali à Chaldæis passuros, si in Iudæa permansissent; quin potiùs certò scirent, si in Ægyptum transfugissent, se fame, gladio, ac pestilentia perituros: his nihilominùs minimè obstantibus, contra expressum Domini præceptum, maluerunt vnanimiter ire in Aegyptum, ducentes secum omnem populum quem reliquerat Nabuzardan in Iudæa: sed & Baruchum quoque ac Ieremiam cum ipsis proficisci coëgerunt. Vt autem Ieremias peruenit in Thaphnis, prophetauit venturum Regem Babylonis ad terram Aegypti, & positurum thronum suum in porta domus Pharaonis, & percussurum terram Aegypti, ac idola eius vastaturum. Quæ omnia fusiùs describuntur Ierem. cap. 41. vsque ad 44. Puto autem hunc aduentum Regis Nabuchodonosor in Aegyptum, esse illum de quo infrà nos sub anno mundi 3451. num. 4. agemus, dicemusque inde abductos fuisse Iudæos qui ibidem aufugerant. Sed & contra easdē Iudaici populi reliquias prophetauerat etiam Isaias in toto Prophetiæ suo c. 30. & circa initia capitis subsequentis. De cetero, ob memoratam Godoliæ cædem, fugamq; populi ad Aegyptios, indictum posteà fuisse Iudęis annuale illud septimi mensis ieiunium, cuius meminit Zacharias Propheta cap. 8. vers. 19. communior Doctorum opinio est; & ex ipsomet eorumdem Hebræorum Kalendario, quod eamdem dicti ieiunij causam, sub die tertia eiusdem mensis adducit, comprobatur.

GODOLIAS OCCIDITVR, ET QVANDO

ISMAHEL INTERFICIT VENIENTES OFFERRE IN IERVSALEM.

ISMAHEL CAPTIVVM DVCIT POPVLVM REPERTVM IN MASPHA.

IOHANAN FVGATO ISMAHELE DVCIT POPVLVM IN AEGYPTVM.

IEREMIAS IN AEGYPTO PROPHETAT CONTRA PHARAONEM.

CAVSA IEIVNII SEPTIMI MENSIS APVD HEBRAEOS.

NVNTIATVR EZECHIELI INTERITVS IERVSALEM.

11. Eodem anno, qui erat transmigrationis Iechoniæ duodecimus, (vt patet in tabulis) die quinta mensis decimi, nimirum Anni sacri tum currentis, venit ad Ezechielem in Babylonia vnus de terra Iuda, qui nuntiauit ei quæ die præcedenti eidem Prophetæ reuelauerat Dominus; nimirum vastatam esse Ierosolymam à Chaldæis, & quòd Iudæi qui relicti fuerant vt in ruinis incensæ vrbis habitarent, cùm pœnitentiam potiùs agere debuissent super his propter quæ illa eis calamitas tam grandis euenerat, econtrariò semetipsos vana spe decipiebant, dicentes; quòd si Abraham ipsorum pater, cùm vnus tantùm esset, Terram promissionis sibi posterisque suis à Deo datam, possidere, habitatoribusque replere valuit; multò magis ipsi qui plures erant idipsum denuò præstare poterant. Contra quos prophetauit Ezechiel, subiungens quòd Abraham, tametsi solus, quia fuit fidelis, possedit terram illam; at verò ipsos, quantumuis plures existerent, quoniam infideles & increduli, & inobedientes erant Domino, comedentes in sanguine, & idola colentes, necnon homicidia, adulteria, aliaque eiusmodi scelera perpetrantes; propterea non solùm non possessuros terram patribus suis repromissam, sed potiùs gladio & pestilentia, & à bestiis fore consumendos, terramque illam in solitudinem esse redigendam. Ex quibus apparet, post necem Godoliæ non omnes Iudæos Ierosolymis à Nabuzardan relictos aufugisse in Ægyptum, sed aliquos ipsorum mansisse in Ierusalem, quemadmodum ex infrà sub anno mũdi 3451. num. 1. & 3. dicendis clariùs apparebit. Prophetauit deinde idem Ezechiel aduersus Iudæos in Babylonia commorantes, eò quòd audirent verba eius, & nihil eorum quæ facienda esse intelligebant, executioni mandarent: Ezechiel. cap. 33. vers. 21. vsque ad finem capitis.

PROPHETAT EZECHIEL CONTRA RELIQVIAS POPVLI IVDAICI.

ET CONTRA CAPTIVOS IN BABYLONIA.

ET CONTRA PHARAONEM.

12. Eodem anno, die prima mensis duodecimi, idem Propheta vaticinatus est contra Pharaonem, prædicens, quòd tametsi esset adeò fortis & potens, vt meritò leoni draconique posset comparari; nihilominùs tam grauiter à Rege Babylonis erat conterendus, vt multi Reges videntes ruinam eius, in stuporem essent adducendi: Ezechiel. cap. 32. vers. 1. vsque ad 17.

ET CONTRA ALIAS NATIONES.

13. Eodem quoque anno, die prædicti mensis decimaquinta, prophetauit ipse Ezechiel aduersus plures alias nationes, videlicet Assyrios, Aelamitas, Mosochęos, Thubalæos, Idumæos, & Principes terræ Aquilonaris; quòd scilicet cum Aegyptiis ipsi quoque vastandi essent: Ezechiel. cap. 32. vers. 17. vsque ad finem capitis, & ibidem addit, quòd ex ipsorum pariter interitu Pharao aliquod miseriarum suarum leuamen erat percepturus, iuxta id quod vulgò dici solet: Solatium est miseris socios habere pœnarum.

AB ORBE CONDITO ANNVS 3448. — SEXTÆ MVNDI ÆTAT. ANNVS 2.

IEREMIAS PROPHETAT CONTRA IDOLA AEGYPTI.

1 ANNO proximo probabile est acta esse in Aegypto, quæ de Ieremia scribit S. Epiphanius in vita eius; nimirum quòd ipse prophetauit exhibuitque sacerdotibus Aegypti signum, dicens, oportere cuncta eorum simulacra concidere, simulque manufacta omnia (subaudi, idola, eorumque templa & aras) in præceps dari: idque tunc futurum, quando in Aegyptum venerit cum suo infante virgo enixa Deo similis. Quod posteà reverà impletum fuisse, nos sub anno mundi 4051. num. 20. ostendemus.

ARGVIT IVDAEOS IN AEGYPTO REGINAE CAELI SACRIFICANTES.

QVID SIT REGINA CAELI.

2. Puto etiam per idem tempus graues illas accidisse contentiones, quæ in toto Ierem. cap. 44. describuntur, inter ipsum videlicet Ieremiam & Iudæos in Aegypto existentes; ipso nimirum Propheta non cessante eos arguere, acriterque admodum increpare de idololatris eorumdem abominationibus: illis verò econtrariò non cessantibus eidem resistere & contradicere, palamque profiteri, velle se per omnem modum reginæ cæli sacrificia offerre; quemadmodum ibidem videri potest. Quid autem reginæ cæli nomine intelligerent; iam sub anno mundi 3338. num. 1. dictum est, quòd Lunam tali appellatione signabant. Quamquam non desunt qui magis Planetam Veneris, seu, vt vulgò dicitur, Stellam Dianam indicari contendant, quòd ea ceteris splẽdidior pulchriorque sideribus appareat; tum manè, quando Lucifer, vel Stella matutina; tum vespere, quando Hesperus dici solet. Sed quod priùs diximus, multò probabilius videtur; vt scilicet quemadmodum rectè Sol Rex, sic Luna Regina, & astra militia cæli, dici consueuerit. Denique videns S. Propheta Ieremias, se suis monitionibus nihil proficere, & Iudæos obfirmatiores esse in malum; contestatus est eis, quòd propterea perituri

IEREMIAS PROPHETAT CONTRA IVDAEOS IN

turi essent gladio & fame. In cuius rei signum adiecit, quòd cùm viderent Pharaonem Ephree, qui tum regnabat in Aegypto, tradi in manus inimicorum eius, & in manu quærentium animam illius; scirent vtique breui quoque implendum fore vaticinium quod contra ipsos protulerat. AEGYPTO EXISTENTES, ET CONTRA PHARAONEM EPHREE.

3. Sanè hoc Ieremiæ vaticinium, quòd suum omnino sortitum sit effectum, ambigere nemo debet; sed quomodo posteà impletum fuerit, dubitari potest. Quia si iste Rex, quem Scriptura sacra vocat Ephree, idem fuit qui apud Herodotum appellatur Apries, quemadmodum sentit Genebrardus lib. 2. suæ Chronologiæ, vbi agit de Nabuchodonosor: certè de dicto Apries, idem Herodotus lib. 2. non valdè procul à fine scribit, quòd cùm aduersus Cyrenæos pugnans cladem accepisset, Aegyptij qui ab ea euaserant, existimantes se à Rege vltrò in apertam perniciem dimissos, ab eo ingenuè desciuerunt. Ad quos sedandos ac reducendos misit Apries Amasim, qui ab illis declaratus Rex, mouit contra Apriem exercitum; eumque prælio victum, viuum in potestatem redegit: & cùm aliquantulùm apud se honestè habuisset, tandem incusantibus Aegyptiis quòd suum ipsorumque inimicissimum aleret, eum illis tradidit, à quibus illicò strangulatus est. Sic ex Herodoti Historia videtur Ieremiæ vaticinium fuisse impletum. Aliter verò ex Iosepho & B. Hieronymo: quorum alter 10. Antiq. cap. 11. alter super Threnorum cap. 4. scribit, quòd Nabuchodonosor anno regni sui vigesimo tertio, nimirum post præfatam Prophetiam circiter tertio, subacta Cœlesyria aliisque prouinciis, hostiliter ingressus est Aegyptum; occisoque qui tunc regnabat Rege, & alio Rege constituto, repertos ibi Iudæos rursum captiuos Babylonem abduxit. Vnde dubium relinquitur, num Pharao Ephree ab Amaso per Aegyptios fuerit interfectus, an à Nabuchodonosor. Et quidem si ab Amaso, vt tradit Herodotus; vtique oportet, iuxta relatam Iosephi ac B. Hieronymi historiam, ipsum posteà Amasum à Nabuchodonosor fuisse occisum. Atqui id non videtur congruere cum Historia Herodoti, qui ibidem deinceps multa de Amaso prosequitur, tamquam qui multo posteà tempore regnauerit. Neque cum Genebrardo, qui lib. 1. suæ Chronologiæ tradit, à Nabuchodonosor non Amasum fuisse interfectum, sed Regi interfecto suffectum. Quid igitur? certè necessariò dicendum est, vel alteram ex adductis historiis esse falsam: vel si volumus vtramque saluare, coniectandum videtur, verè Amasum illum qui regnum Apries seu Ephree occupauerat, ipsumq; Aegyptiis strangulandum tradiderat, posteà à Nabuchodonosor fuisse interemptum; & filium eius eiusdem nominis ab eodem Nabuchodonosor pro patre subrogatum ea lege, vt eidem deinceps fideliter deseruiret. Et tunc Iudæos ab ipso Nabuchodonosor partim fuisse interfectos, & partim in captiuitatem abductos: sicq; intercessisse aliquod tempus, puta annum vnum aut alterum, inter obitum Pharaonis Ephree, & Iudæorum calamitatem à Ieremia prophetatam, ita vt (quemadmodum disertè Propheta prænuntiauerat) dicti Regis infortunium, benè potuerit esse signum indubitatum mox secuturæ Iudæorum infelicitatis. Hæc si vera sunt, oportet ea quæ Herodotus de vno tantùm Amaso scribit, partim patri, & partim filio esse attribuenda. QVOMODO IMPLETVM SIT HOC IEREMIAE VATICINIVM.

4. Sed, vt ad Ieremiam redeamus; credibile est, ipsum, cùm sancto accensus zelo in memoratis populi increpationibus constantissimè perseueraret, non multò pòst (vt infrà num. 6. probabiliter ostendemus) ibidem, hoc est in Thaphnis, à populo suo (quemadmodum sanctus scribit Epiphanius) lapidibus obrutum occubuisse. Qui dum vixit, Legem Dei prędicare numquam destitit coram Regibus & Principibus, & Sacerdotibus, & omni populo, & posteaquam pro eadem Dei Lege vincula, carceres, aliaque multa perpessus est mala, tandem etiam mori non recusauit. Propterea de ipso dicitur Ecclesiastici cap. 49. vers. 9. quòd *malè tractauerunt illum, qui à ventre matris consecratus est Propheta, euertere, & eruere, & perdere, & iterùm ædificare, & renouare.* IEREMIAS A POPVLO SVO INTERIMITVR.

5. Verumenimuerò, sanctus iste vir & Sacerdos, non solùm Prophetiæ dono, sed etiam singulari quadam vitæ sanctitate claruit. Fuit enim (vt paulò antè dicebamus, & ipsemet initio suæ Prophetiæ testatum reliquit) eximio Dei priuilegio, quod admodum paucis concessum legimus, in ipso matris vtero sanctificatus, & (vt ait B. Hieronymus in Præfatione libri ipsius Ieremiæ) virginitate sua Euangelicum virum Christi Ecclesiæ dedicauit, & vaticinari exorsus est puer. Insuper Ecclesiam quoque Dei plurimis iisdemque sanctissimis scriptis illustrauit: quorum alia in sacro Bibliorum volumine vsq; hodie registrata habemus, alia in eisdem Sacris libris memorata. Primi generis sunt, liber Prophetiæ eius, quinquaginta duobus capitibus distinctus; & liber Threnorum seu Lamentationum, quas, vt n. 8. dictū est, planxit super desertam desolatamq; IEREMIAE LAVDES. IEREMIAE LIBRI.

Iero-

Ierosolymam, quattuor Alphabetis comprehensus. Epistolæ item duæ ad captiuos in Babylonia transmissæ; quarum altera in Prophetiæ eius cap. 29. inserta est, altera ad calcem libri Baruch apposita. Qui liber etiam à plerisq; eiusdem Ieremiæ fuisse creditur: quandoquidem veteres Patres passim illum citant sub nomine Ieremiæ, vt docet Cardinalis Bellarminus lib. 1. de Verbo Dei cap. 8. quæ, inquit, causa est, cur Concilia antiqua & Patres non posuerint Baruch nominatim in Canone; quia nimirum hunc librum partem esse iudicabant vaticiniorum Ieremiæ. Potuit autem liber iste communiter Barucho adscribi potiùs quàm Ieremiæ; quoniam eum fortassis ipse Baruch, non, vt aliàs solebat, ipso Ieremia dictante, sed post Ieremiæ obitum, prout se ab illo audiuisse recolebat, conscripserit. Constans quoque plurimorum magni nominis Auctorum sententia est, libros Regum duos, nimirum posteriores (nam de duobus prioribus, iuxta Hebræorum traditionem à Rabano Mauro libr. 2. de Clericorum Institutione cap. 54. relatam, primam partem scripsit Samuel, sequentem verò Dauid) ab ipso Ieremia fuisse compilatos; partim ex his quæ ipse viderat, partim etiam ab his qui Annales, aut Diaria, seu Verba dierum Regum Iuda & Israel conscripserant, ad quos sæpè Lectorem remittit illis verbis toties repetitis: *Reliqua autem quæ fecit*, &c. *nonne hæc scripta sunt in libro Dierum.* Quòd si quis prædictis obiiciat, Iechoniæ subleuationem de carcere factam ab Euilmerodach, proculdubiò multis post Ieremiæ obitum annis contigisse, nimirum anno transmigrationis eiusdem Iechoniæ trigesimo septimo, & tamen descriptam esse sub finem libri quarti Regum per modum historiæ; ergo non potest dici Ieremias illius libri Auctor extitisse. Responderi potest, id vel Prophetico spiritu præuisum, & ad maiorem euentus confirmationem, tamquam quid præteritum, historicè fuisse descriptum: sic enim interdum solent Prophetæ, *qui* (vt ait B. Chrysostomus super Psalm. 43.) *omnia tempora percurrunt, præterita, præsentia, & futura.* Vel meliùs, vt communiter creditur, particulam illam posteà à Barucho fuisse additam. Vel potiùs ab Esdra, qui vt sub anno mundi 3610. num. 19. dicemus, aliquot eiusmodi additiones Libris sacris fecisse putatur. Et sic eadem de causa videtur esse dicendum de his quæ in postremo Ierem. cap. habentur à vers. 30. vsque ad finem capitis. Quibus non obstantibus, nemo est qui dubitet librum illum à Ieremia fuisse conscriptum.

6. Secundi generis libri Ieremiæ, sunt Lamentationes quas fecit in funere Regis Iosiæ, quarum fit mentio 2. Paralip. cap. 35. vers. 24. his verbis: *Mortuusq; est* Iosias, *& sepultus in mausoleo patrum suorum; & vniuersus Iuda & Ierusalem luxerunt eum, Ieremias maximè, cuius omnes cantores atque cantatrices, vsque in præsentem diem lamentationes super Iosiam replicant; & quasi lex obtinuit in Israel: Ecce scriptum fertur in Lamentationibus.* Harum quoque Lamentationum meminit Iosephus lib. 10. Antiq. cap. 6. vbi eas temporibus suis adhuc extitisse testatur. Quamuis autem non desint qui per has Lamentationes putent debere intelligi postremam illam Threnorum partem, quæ sub quarto vltimoque Alphabeto continetur, propter illa verba quæ ibidem vers. 20. habentur: *Spiritus oris nostri Christus Dominus captus est in peccatis nostris, cui diximus: In vmbra tua viuemus in Gentibus.* quæ verba putant accipienda de Rege Iosia ac morte eius: conuenientiùs tamen videntur debere accipi de Rege Sedecia, qui reverà captus fuerat cum populo Ierosolymitano, cuius calamitatem & interitum deplorat Propheta in toto suo Threnorum libro, vt dictum est. Ediderat etiam Ieremias volumen aliud, Baruchi notarij sui manu descriptum, quod continebat omnia mala quæ ventura erant Templo, ciuitati, ac toti regno Iudæorum: verùm cum illud impius Rex Ioakim propriis manibus combussisset, alterum protinus, iubente Domino, idem Propheta multo copiosiùs eidem Barucho dictauit. Amborum meminit ipse Ieremias cap. Prophetiæ suæ 36. Sed & alium scripsit librum Ieremias, in quo cōtinebatur omne malum quod venturum erat super Babylonem; quem per Saraiam Prophetiæ principem misit in Babyloniam, præcipiens ei, vt eum legeret in Babylone, ac postmodum, alligato saxo, demergeret in Euphraten, in præsagium irreparabilis exterminij eiusdem Babyloniæ. Huius libri fit mentio Ierem. cap. 51. vers. 59. vsque ad finem capitis, &, vt arbitror, quæ ibidem & in toto sequenti capite continentur, eiusdem libri fragmenta sunt; sicuti etiam plurima prædicti alterius libri, qui calamitates Iudæis imminentes complectebatur, sparsim in Prophetia Ieremiæ inserta reperiri, dubium non est. Denique aliud volumen ab eodem Propheta editum creditur, cui titulus erat Descriptiones Ieremiæ; quarum breuiter meminit Auctor 2. lib. Machab. cap. 2. vers. 1. vsque ad 13. Ex quo loco colligere possumus, quòd in ipsis agebatur de his quæ post euersam Ierosolymam

acta

acta fuerant;& specialiter de Legibus quas transmigrantibus ipse præscripserat: de igne qui de altari acceptus occultè absconditus fuit in puteo alto & sicco, vt obiter dicitur in cap.lib.citati 1.vers. 19.de Tabernaculo, Arca, & Altari thymiamatis, in spelunca montis Nebo occultatis: de reprehensione facta iis qui curiosè volebant notare locum in quo prædicta fuerant abscondita: ac postremò, de prędictione eorum quæ circa hęc fienda erant post solutam Iudæorum captiuitatem. Ceterùm, liber ille Ieremiæ adscriptus, quem B.Hieronymus super Matthæi cap.27.à quodam Nazaræ sectæ Hebræo sibi oblatum fuisse asserit; meritò, vt idem Sanctus ibidem sentit, inter apocryphos computatur: & consequenter oportet deceptum esse Origenem, in eo quòd putauit, inde desumptum fuisse ab Euangelista dictum illud: *Appenderunt mercedem meam triginta argenteos.*

7. His itaque multisque aliis pro gloria Dei exantlatis laboribus, Ieremias vir Deo plenus, sanctissimam vitam sanctissimo gloriosoque fine conclusit: qui cùm à suis mala pro bonis recepisset in vita sua, post mortem quoque immemor iniuriæ, ac memor clementiæ, fratrum amator ac populi Israel perpetuò esse non destitit: hic est enim qui multùm orat pro populo & vniuersa sancta ciuitate Ierusalem; quique post multa tempora, Iudæ Machabæo gladium aureum munus à Deo detulit, in quo deiiceret aduersarios populi sui, vt dicitur 2.Machab.cap.15.vers.14.vsque ad 17. Sed hîc si quis quęrat de tempore obitus Ieremiæ; Dicimus, certi omnino nihil adferri posse, nisi quòd oportet ipsum fuisse interemptum intra quadriennium à desolatione Ierusalem: DE TEMPORE OBITVS IEREMIAE. siquidem (vt sub anno mundi 3451.num.1.probabitur) constat Baruchum, qui fuerat eius scriba, circa initia anni à prędicta desolatione quinti suam scripsisse in Babylone Prophetiam: neque credendum est, ipsum de Aegypto in Babylonem esse profectum, nisi post mortem Ieremiæ, vt sentiunt Lyranus super cap.1.Baruch, & alij adducentes causam cur ipse Baruch, mortuo Ieremia, de Aegypto venerit in Babyloniam; nimirum ad consolationem captiuorum ibidem existentium, & quia nouerat Ieremiam prophetasse contra Iudęos in Aegypto permanentes, vt suprà num.10.dictum est, propterea, vt primùm audiuit circumferri rumores de Nabuchodonosor expeditionem parante aduersus Aegyptum, creditur properasse in Babylonem ad transmigratos ibidem existentes; tum vt se de imminenti periculo liberaret; tum etiam vt aliqua etiam ipsis transmigratis spiritualia impertiri posset adiumenta, quemadmodum ex sub anno mundi 3435.num.1.dicendis patebit. Licet autem præcisè sciri non possit, quonam dicti quadriennij anno interfectus fuerit Ieremias; satis tamen probabiliter videtur posse teneri, quòd id contigerit anno decimotertio transmigrationis Iechoniæ, hoc est decem circiter mensibus, ex quo cum reliquiis populi Iudaici in Aegyptum descenderat: non enim credibile est, aut zelantissimum Prophetam diutiùs ferre populum peruicaciter idola colentem, aut idololatram impiumque populum acerrimas sancti viri obiurgationes longiùs sustinere potuisse.

8. Porrò *Ieremias* (vt S.Epiphanius in Vita ipsius scribit) *iacet eo loco sepultus, quo dudum Pharao habitauerat: quamobrem Aegyptij posteà magna eum religione colebant, vbi pluribus se officiis ab illo adiuuari cognouerunt: aspides enim, & vndarum beluæ, quas Nephod appellitant Aegyptij* (*Latinè crocodilos dicimus*) *eos interimentes, postulationis Ieremiæ beneficio ex illis finibus sunt profligati; nec tam aspidum furor, quàm ex flumine, ratione pari, bestiarum insidiæ: quiq; vel hodie adhuc fideles comperiuntur, eodem in loco supplicare consueuerunt; & sumpto puluere, morsibus aspidum medentur: feræ quoque aquarum hinc aufugerunt.* DE EIVS SEPVLTVRA. hæc S.Epiphanius. Ex quibus patet reiiciendam esse prorsus illam plurimorum veterum Scriptorum opinionem, ac præcipuè Victorini Martyris, qui in Commentariis super cap.11.Apocalyp.ait, Ieremiam Prophetam nondum esse mortuum, sed adhuc in terrestri Paradiso viuere; & inde in fine mundi venturum prædicare pœnitentiam, & ab Antichristo occidi, vt sit vnus de illis duobus testibus, quorum fit mentio in allegato Apocalyp.capite. REFELLITVR OPINIO DE IEREMIA QVOD ADHVC VIVAT Parum namque firma sunt huius opinionis fundamenta. Nam quòd aiunt, numquam in Sacris libris expressam reperiri mortem Ieremiæ: quis nesciat neque de Isaiæ, Danielis, Ezechielis, aliorúmve plurium illustrium virorum ac Prophetarum obitu quidquam in sacra haberi Scriptura; & tamen non inde consequens fieri, eosdem necdum esse defunctos? Ad illud verò quod addunt, necessarium esse veridicum reperiri sermonem Domini, qui Ierem. cap. 1. vers. 1. & 10. promisit facere Ieremiam Prophetam in Gentibus: respondet S.Hilarius can. 20. in Matthæum, dicens, non esse intelligendum Ieremiæ vaticinium, quasi Deus promiserit mittere illum (vt ita dixerim) personaliter ad prophetandum in Gẽtibus: sed quòd de

de gentium factis prophetare deberet: prædixit enim Chaldæorum victorias contra Israel, & eorum excidium. Quamuis possimus etiam dicere, quòd quemadmodum de Christo dictum fuit Isaiæ cap. 49. vers. 6. *Dedi te in lucem gentium, vt sis salus mea vsque ad extremum terræ.* non quia Christus per seipsum iturus esset ad prędicandum gentibus, sed per Apostolos suos: ita & Ieremias extitit, estque nunc quoque Propheta in gentibus non per præsentiam, sed per scripta sua, quæ nobis reliquit. Et nihilominùs certum est, ipsum etiam ad litteram fuisse Prophetam in gentibus, quando in Ægypto existens prophetauit aduersus Pharaonem Ephree, & contra idola Aegypti, vt nos suprà num. 10. & 14. retulimus.

TYRVS CAPTA ATQVE EVERSA.

☞ 9. Eodem anno regni Nabuchodonosor decimonono, videlicet post tredecim obsidionis annos, vt sub anno mundi 3435. num. 1. dictum est, oportet ab eodem Rege captam & euersam fuisse Tyrum vrbem olim in Phœnicia opulentissimam; habitatoribus eius partim occisis, partim fugatis, & ex parte item in Chaldæam traductis, prout disertè prophetauerat Isaias in toto suo cap. 23. præsertim verò vers. 12. & 13. vbi paulò pòst subdit, Tyrum ab hoc tempore in obliuione mansuram septuaginta annis, id est, vsque ad finem Imperij Babylonici. Et hoc est quod de Iudæa quoque atque aliis Gentibus Regnisque in circuitu eius existentibus posteà etiam prophetauit Ieremias cap. 25. vers. 9. & 11. nimirum, quòd omnes illæ regiones euertendæ erant à Nabuchodonosor Rege Babylonis, & seruituræ eidem Regi per annos septuaginta; non quia tot annis superuicturus esset Nabuchodonosor, sed vt clariùs sese explicat idem Propheta in cap. 27. vers. 7. vbi eamdem ferè Prophetiam repetens, ait, quòd prędictæ gentes, inter quas expressè etiam nominantur Tyrij, seruituræ erant Regi Nabuchodonosor, & filio eius, & filio filij eius, donec, inquit, veniet tempus terræ eius, id est, tempus visitationis, & subuersionis Imperij Chaldæorum. Quod tempus in citato Ierem. cap. 25. vers. 12. prædicitur futurum statim post elapsos memoratos septuaginta desolationis seruitutisve annos. Sed & eumdem Tyri interitum, post Isaiam & Ieremiam, fusiùs prænuntiauit Ezechiel cap. 26. vsque ad 30. quemadmodum sub proximè allegato mundi anno dictum est. Quòd autem Isaias loco citatò prędicit, Tyrum, elapsis hisce septuaginta annis, in statum pristinum fore restituendam; quomodo posteà ad litteram impletum fuerit, Græcorum ac Phœnicum Historias prodidisse, ex B. Hieronymo asserit Hector Pintus super Isaiæ cap. adducto.

AB ORBE CONDITO ANNVS 3450. — SEXTÆ MVNDI ÆTAT. ANNVS 4.

BARVCH PERGIT IN BABYLONEM.

1 ANNO regni Nabuchodonosor vigesimo secundo oportet Baruch Prophetam, relicta Aegypto, profectum esse in Babylonem; quemadmodum ex his quæ sub anno mundi 3448. num. 4. diximus, & sub anno mundi proximo num. 3. & 4. dicemus, colligi potest.

AB ORBE CONDITO ANNVS 3451. — SEXTÆ MVNDI ÆTAT. ANNVS 5.

BARVCHI PROPHETIA CORAM IVDAEIS IN BABYLONE LEGITVR.

1 ANNO à tempore quo ceperunt incenderuntque Chaldæi Ierosolymam quinto, die septima mensis, (subintellige, primi) Baruch Propheta scripsit legitque coram Iechonia & reliquis Iudæis in Babylone captiuis, secus flumen Sodi conuocatis & congregatis, Prophetiam suam, cum magna omnium commotione. Sanè inter cetera dictæ Prophetiæ, illud memorabile admodum est, quòd in calce tertij capitis apertissimè prædicit Dei incarnationem, & apparitionem in carne humana. Quomodo autem Iechonias, qui non nisi anno suæ transmigrationis trigesimo septimo dicitur eductus fuisse de domo carceris, potuerit in hoc conuentu reperiri, dicemus infrà sub anno mundi 3472. num. 1. Porrò Iudæi in dicto cœtu audientes Baruchi Prophetiam, plorare cœperunt, & ieiunare, & orare in conspectu Domini, verè cognoscentes, atque his & eiusmodi pœnitentiæ operibus protestantes, quòd propter peccata eorum iustè eos Deus tot tantisque calamitatibus afflixerat, & terra patribus ipsorum repromissa spoliauerat. Denique, vt misericordiam coram Domino faciliùs inuenire possent, facta vltrò inter ipsos collecta pecuniarum satis copiosa, redemerunt à Chaldæis partem vasorum argenteorum, quæ fecerat Sedecias Rex loco aureorum quę priùs abstulerat Nabuchodonosor cum Iechonia Rege; & posteà die decima mensis Si-

ſis Siuan,qui erat Anni ſacri tertius, remiſerunt prædicta vaſa in Ieruſalem ad Ioakim filium Helciæ Sacerdotem,& ad alios qui cum eo ibidem remanſerant; ſimul cum vaſis mittentes tum prædictum Baruchi librum, hoc eſt exemplar eius, vt eum legerent recitarentque in Templo Domini,in die ſollemni & opportuno, cunctis audientibus; tum etiam reliquam partem collectæ pecuniæ,ad emendas hoſtias,& thus,aliaque ibidem offerenda pro ſalute Nabuchodonoſor Regis,& Baltaſſar filij eius, quemadmodum latiùs deſcribitur Baruch cap.1.verſ.1. vſque ad 15.

¶ 2. Sanè hunc Baltaſſar, cuius meminit Baruch, oportet fuiſſe diuerſum ab eo qui fuit vltimus Rex Chaldæorum, de quo infrà ſuo loco agemus: quia Baruch loco citato haud dubiè videtur facere iſtum Baltaſſar,primum filiorum Regis Nabuchodonoſor, & proximum eius in regno ſucceſſorem: at verò qui primus & immediatè eidem ſucceſſit,fuit Euilmerodach; vt nos ſub anno mundi 3472.num.1.probabimus: & qui poſtremò regnauit in Chaldæa Baltaſſar nomine,non fuit filius,ſed nepos dicti Nabuchodonoſor, vt colligitur Ierem.cap.27.verſ.7. vbi Propheta prænuntiat, in Babylonia poſt Nabuchodonoſor regnaturum filium eius,& ſubinde filium filij eius, vt ſub anno mundi 3429.num.11. dictum eſt; ergo iſte diuerſus fuit ab illo. Quis autem fuerit ille Baltaſſar,de quo agit Baruch,incertum eſt: tametſi cum Pererio lib.5.in Danielem ſatis probabiliter credi poſſe videatur,vel eumdem fuiſſe cum dicto Euilmerodach, ita vt fuerit binominis; vel fortè meliùs,fuiſſe fratrem ipſius Euilmerodach natu maiorem, cui, ſi vixiſſet poſt patrem, regni ſucceſſio debebatur; ſed quia obiit ante patrem,propterea patri ſucceſſit dictus Euilmerodach. De illo quoque Ioakim filio Helciæ, quem allegatus Baruch indicat tum fuiſſe Sacerdotem in Ieruſalem, cum reliquiis populi ibidem relicti, quiſnam fuerit, non ſatis conſtat; quoniam 1.Paralipom. cap.6.verſ.13.vſque ad 16.Helcias dicitur genuiſſe Azariam, & Azarias Saraiam, qui cum Ioſedech filio ſuo à Chaldæis ductus eſt captiuus; vt ibidem, & 4.Reg. cap. vlt. verſ.18.dicitur. Oportet igitur iſtum quoque Ioakim vel fuiſſe binominem, & eumdem cum præfato Azaria; vel ipſius fratrem,patruumque Saraiæ,qui fortè,quando abducebatur populus in Babylonem, præ ſenectute relictus ſit cum Godolia; & eadem de cauſa,poſt necem Godoliæ non potuerit ire cum aliis in Aegyptum, ſed cum aliis paucis remanſerit in Ieruſalem. Videtur autem iſte Ioakim eſſe ille,de quo (vt nos ſub anno mundi 3322.num.5.diximus) multò antè prophetauerat Iſaias cap.22. verſ. 20. vſque ad finem capitis,ſub nomine Eliacim: nam & nomen patris conſentit; ibi enim ille Eliacim dicitur filius Helciæ; & paulò pòſt fit mentio quorumdam vaſorum, fortè illorum quæ nos præcedenti numero ad ipſum tranſmiſſa diximus;& conſtat,hæc duo nomina, nempe Ioakim & Eliacim,apud Hebræos interdum alterum pro altero vſurpari, vt patet de Eliacim filio Ioſiæ,quem Pharao appellauit Ioakim, 4.Reg. cap.23. verſ.35. & certum eſt,quòd qui Iudith cap.4.verſ.5. vocatur Eliachim, idem cap. eiuſdem lib.15.verſ.9.appellatur Ioachim.

QVIS SIT BALTASSAR A BARVCH MEMORATVS.

QVIS FVERIT IOAKIM FILIVS HELCIAE.

3. Ceterùm, ex his quæ ſuprà num.1.retulimus, duo ſunt inferenda. Alterum eſt, quòd Ieruſalem etſi deſtructa eſſet hiſce temporibus, non tamen adhuc omnino deſerta,& in ſolitudinem penitus redacta erat; ſiue quia multi ex his qui poſt Godoliæ interitum in Aegyptum transfugerant,ad Ieremiæ prædicationem conuerſi ac reuerſi eſſent in Ieruſalem; ſiue item,quia alij de aliis vrbibus Iudæ & Iſrael, vel etiam ex montibus ad quos anteà quomodolibet confugientes Chaldæorum furorem euaſerãt, & ad Godoliam redire neglexerant,ibidem poſteà paulatim confluxerint, præſertim audientes ibi eſſe Sacerdotem Domini. Alterum eſt, neceſſariò ſupponendum eſſe, quòd quæ loco citato narrat Baruch,acta fuerint, antequam anno regni Nabuchodonoſor vigeſimo tertio,qui pariter,vt patet in tabulis,concurrit cum excidij Ieroſolymitani quinto,Nabuzardan tranſtuliſſet reliquias populi Iudaici de Ieruſalem, reliquiſſetque eam omnino deſertam atque inhabitatam, quemadmodum numero ſequenti dicemus. Quamobrem,ad hæc tempora rectè ſubordinanda,ſupponere oportet,prædictum annum quintum,de quo loquitur Baruch,non præciſè fuiſſe quintum ab vrbis Templiq; deſolatione;ſed ab exordio illius Anni ſacri,in cuius mẽſe quarto capta,& in quinto incenſa fuerat Ieruſalem,cuius anni quinti priores quattuor menſes, intra quos Baruch fecit omnia quæ ſuprà n.1.relata fuerũt,concurrebant cum quattuor poſtremis menſibus anni vigeſimi ſecundi regni Nabuchodonoſor, & anni decimiquinti tranſmigrationis Iechoniæ:reliqui verò octo menſes concurrebãt cum prioribus octo menſibus anni eiuſdem Nabuchodonoſor vigeſimi tertij, & dictæ tranſmigrationis decimiſexti. Iam enim ſæpiùs dictum eſt, annos regni Nabuchodonoſor & dictæ tranſmi-

IERVSALEM NON STATIM POST CAPTIVITATEM OMNINO DESERTA.

RATIO HORVM TEMPORVM QVOMODO ORDINANDA.

grationis, initium sumpsisse ab exordio circiter quinti mensis Anni Hebræorum sacri.

IERVSALEM QVANDO IN SOLITVDINEM REDACTA.

☞ 4. Eodem anno post excidium Ierosolymitanum quinto (qui erat regni Nabuchodonosor vigesimus tertius, vt asserit etiam Iosephus lib. 10. Antiq. cap. 11. circa medium; & decimussextus transmigrationis Iechoniæ, vt patet in tabulis,) circa anni huius initia credimus cœpisse impleri illa Prophetarum vaticinia, quæ contra populos Iudææ finitimos promulgata fuerant, quòd iuncti Babyloniis aduersus populum Dei, hoc est Iudæos, dimicassent; de quibus nos sub anno mundi 3446. num. 7. & 8. egimus, & num. quoque insequenti agendum erit; inter quos etiam Moabitas & Ammonitas extitisse probauimus, & paulò infrà etiam comprobabimus. Scribunt enim Iosephus vbi suprà, & B. Hieronymus super Threnorum cap. 4. quòd Nabuchodonosor anno regni sui vigesimo tertio, subacta Cœlesyria, & Ammonitis Moabitisque perdomitis, hostiliter ingressus est Ægyptum, occisoq; qui tunc ibi erat Rege (subaudi, Pharaone Ephree) & alio (nimirum nomine Amasis) substituto, Iudæos ibidem repertos, qui cum Iohanan filio Caree (vt sub anno mundi 3447. num. 10. dictum est) in Aegyptum transfugerant, partim interfecit, partim captiuos duxit in Babylonem, iuxta Ieremiæ vaticinium cap. eius 43. vers. 11. prolatum. Et quoniam Ieremias cap. 25. vers. 9. prædixerat, omnes nationes, quæ in circuitu terræ Iudæ erant, fore subiiciendas Nabuchodonosor Regi Babylonis; & vers. 19. 20. 21. & 22. inter easdem nationes computauit etiam Aegyptios, Philisthæos, Moabitas, Ammonitas, Tyrios, Sidonios, & Idumæos; vtiq; oportet & dictam subiectionẽ proximè notato tempore accidisse (nusquam enim legimus, Nabuchodonosorem dictas Gentes, nisi hoc anno, subiugasse, Tyriis exceptis, quos anno regni sui decimonono, vt sub anno mundi 3448. n. 9. diximus, iam in potestatẽ redegerat) & cum aliis populis captos quoq; fuisse Idumæos & in Babylonẽ abductos. Cõstat namq; ex his, quæ sub anno mũdi numeroq; proximè citatis dicta sunt, eos quoq; fuisse Iudæis valdè infensos & inimicos. Et hanc puto fuisse diuinã illam vltionem de Idumæis sumptam, quam prædixerat Ieremias Threnorum c. 4. v. 21. illis verbis ironicè prolatis: *Gaude & lætare filia Edom, quæ habitas in terra Hus: ad te quoq; perueniet calix; inebriaberis, atq; nudaberis.* quemadmodũ ibi declarat S. Hieronymus, dicẽs: *Venit autem calix, hoc est vindicta ad Idumæos, quando Nabuchodonosor, vastata Iudæa, ceteras Gentes simili modo deuastauit: & dignũ fuit, quòd hostes populi Dei, qui eius subuersione gauisi sunt, ipsi quoque meritam pro eo ab hostibus reciperent vindictam.* sic sanctus Doctor. Causa autem proxima huius aduentus Regis Babylonis contra dictos populos, qui eidem, vt dictum est, in expugnatione Iudæorum deseruierant, neque in Sacro eloquio, neque alibi, quòd viderim, exprimitur: tametsi cur speciatim venerit contra Ammonitas, videatur posse colligi ex his quæ traduntur Ieremiæ cap. 40. vers. 14. & cap. 41. v. 2. de Baalis Rege Ammonitarum, qui audiens quòd Chaldæi capta subuersaque Ierosolyma pręfecerant Godoliam reliquiis Iudęorum in Iudæa relictis, eumdem Godoliam ab Ismahele Iudæo interfici curauit; quæ fuit causa, vt non multò pòst dictæ Iudæorum reliquiæ à Chaldæis deficientes ad Aegyptios se contulerint; & vt posteà Nabuchodonosor, ad vlciscendam hanc iniuriam, contra eos, & pariter contra Aegyptios qui eos receperant, venerit. De aliis verò memoratis nationibus, probabile est ipsas quoque (Deo ad ipsorum punitionem ita permittente) prouocasse contra se Nabuchodonosorem, desciscentes ab eo, quia ipse post exterminatos eorum auxilio Iudæos, non dedisset eis terram illorum ad possidendum, quemadmodum sperauerant, vt colligi potest Ezechielis cap. 35. vers. 10. vbi prophetat contra Edom, *Eò quòd,* inquit, *dixeris: Duæ Gentes, & duæ terræ meæ erunt, & hereditate possidebo eas.* Et sanctus Hieronymus super illo capite apertè dicit, quòd eiecto à Babyloniis populo Iudæorum, Idumæi putauerunt Iudæam sibi traditam ad possidendum. Ad cuius acquisitionem admodum verisimile est alios quoque finitimos populos auidiùs inhiasse, atque hac de causa Chaldæorum partes vehementiùs adiuuisse; & denique sua spe frustratos, sese ab ipso Nabuchodonosore abalienasse; ipsumque propterea iratum, aduersus eos expeditionem suscepisse.

5. Sub finem eiusdem anni oportet quòd Nabuchodonosor, de Aegypto in Babyloniam rediens, miserit Nabuzardan in Ierusalem, vt reliquias quoque populi Iudaici, quas ibidem in ruinis incensæ vrbis inhabitantes reperiret, in Babylonem abduceret, ipsamque Ierosolymam prorsus desertam atque in solitudinem omnino redactam relinqueret; quemadmodum non semel Ieremias locis aliàs citatis, & item Ezechiel cap. 33. vers. 27. vsque ad 30. disertè prænuntiauerant. Et hæc fuit illa Iudæorum captiuitas, cuius fit mentio Ieremiæ cap. vlt. vers. 30. illis verbis: *In anno vigesimo tertio Nabucho-*

buchodonosor, transtulit Nabuzardan Magister militiæ animas Iudæorum septingentas quadraginta quinque. quæ quidem translatio (iuxta ea quæ sub annis mundi 3428. num.3. & 3447.num. 1.dicta sunt) dici potest quarta vel sexta Iudæorum captiuitas in Babylonem traducta, sub finem anni, vt probatum est Regni, Nabuchodonosor vigesimi tertij.

¶ 6. Porrò de prædictarum nationum, nempe Moabitarum, Ammonitarum, Aegyptiorum, aliarumque terræ Chanaan finitimarum subuersione, iam præcesserant plurima Prophetarum vaticinia; siquidem aduersus eas prophetauerat Ieremias cap.25. vers.19. vsque ad 25. & cap.27.44. & 46. vsque ad 50. & Ezechiel cap.21. vers.28. & cap. 25. & 29. vsque ad 33. & item in 35. atque etiam ante hos Isaias cap. 15. 16. & 18. vsque ad 21. insuper Amos cap.1.& 2. & Abdias cap.1. & Sophonias cap.2. Specialiter verò memorata Moabitarum subuersio à Rege Babylonis patrata, creditur fuisse illa, quam signanter prædixit Isaias in calce capitis 16. illis verbis: *In tribus annis quasi anni mercenarij, auferetur gloria Moab,&c.* Illos namque tres annos debere accipi medios inter annum desolationis Ierusalem, & annum excidij Moabitarum, probat Leo de Castro super adducto Isaiæ loco, auctoritate beati Hieronymi; putatque, hunc regni Moab interitum esse illum met, quem prędixit etiam Ieremias in capitulo Prophetiæ suæ 48. Eiusdem quoque opinionis videntur fuisse Hugo Cardinalis, & Hector Pintus super eodem Isaiæ loco. Quod si ita est, falluntur qui arbitrantur, Moabitarum euersionem ab Isaia prænuntiatam, fuisse factam à Sennacherib Assyriorum Rege. Quamquam de hac re nihil certi affirmari posse videatur: quandoquidem fieri possit, vt Moabitæ non semel subuersi fuerint, nimirum priùs à Rege Assyriorum, posteà iterùm à Rege Babylonis; & quòd prioré ipsorum interitum prædixerint Isaias & Amos, posteriorem verò Ieremias. Credimus item, memoratam Aegypti ruinam & vrbium eius à Nabuchodonosor hoc eodem anno factam, illam esse quam prædixerat Ieremias in calce capitis 44. vbi etiam disertè prænuntiat, quòd Dominus daturus erat Pharaonem Ephree in manus inimicorum suorum, sicuti fecerat de Sedecia; & hoc dat pro signo Iudæis qui in Aegyptum transfugerant, subiungens, quòd & ipsi ibidem disperdendi erant ab eodem Rege Babylonis, ergo oportet quòd ipsi Iudæi prædictum viderint signum, hoc est quòd antequam ipsi de Aegypto abducti essent, viderint memoratum Pharaonem à Babyloniis captum, & fortè etiam occisum, & subsequenter ipsi quoque mala quæ eis prophetauerat Ieremias, experti sint. Fuit autem prædictus Ephree Pharaonum postremus: nam Amasis, qui eidem suffectus creditur, nusquam Pharao vocatus legitur; fortassis quòd non absolutus Rex fuerit, sed quodammodò vice Regis, res Aegyptiorum administraret, essetque Nabuchodonosoris seruus, vt asserit Genebrardus lib. Chronologiæ suæ 2. vbi agit de ipso Nabuchodonosor.

NATIONVM IVDAEAE FINITIMARVM SVBVERSIONIS VATICINIA

AB ORBE CONDITO ANNVS 3452. — SEXTÆ MVNDI ÆTAT. ANNVS 6.

1 ANNO regni sui vigesimo quarto circiter ineunte, Nabuchodonosor Rex Babylonis, post tot tantasq; victorias de tot tantisque nationibus reportatas, valdè iam admodum aucto ac dilatato regni sui imperio, creditur Monarchæ nomen obtinuisse; voluisseque, vt deinceps Regni seu Monarchiæ suæ anni, ab hoc tempore dinumerari inciperent; ita vt iste annus, qui erat ab exordio regni sui vigesimus quartus, idem quoque esset diceretur que Monarchiæ suæ primus. Quod quidem ab aliis item Regibus aliquando, graui aliqua de causa, factum fuisse, patet exemplis, tum Iosaphat & Sedeciæ Regum Iuda sub anno mundi 3095. num.3. adductis, tum aliis adducendis, nimirum Cyri, vt ex sub anno mundi 3494. num.4. dicendis patebit: & item Herodis, cuius annos numerat Iosephus non solùm à Regno eidem à Romanis tradito; sed etiam iterùm ab Ierosolyma per ipsum expugnata. Et denique de Augusto Cæsare certum est, quòd Imperij eius annos multi demum ab Actiaca pugna, deuictoque Antonio, ac subacta Aegypto, tamquàm si tunc primùm imperare cœpisset, supputare solent.

NABVCHODONOSOR MONARCHA QVANDO DICI COEPERIT.

2. Eodem anno, nimirum post Alexandriam totamque Aegyptum subiugatam (vt apertè colligitur Nahum cap.3. vers.8. vsque ad 11. & latè probat Ribera super eiusdem Prophetæ cap.2. num.16. vsque ad 28. & nos sub anno mundi 3321. num.5. indicauimus) Nabuchodonosor cepit subuertitque Niniuem. Quod etiam videtur prænuntiasse indicareque voluisse Ieremias cap.25. vers.26. illis verbis: *Cunctis quoque Regibus Aquilo-*

NABVCHODONOSOR QVANDO CEPERIT EVERTERITQVE NINIVEM.

Aquilonis de propè, & de longè. Nam, vt ait Ribera vbi suprà, per Reges Aquilonis de propè, signantur Reges Assyriorum, qui erant vicini Medis & Babyloniis, & de quibus dicitur Iudith cap. vltimo verſ. 5. *Venit Assur ex montibus ab Aquilone,* &c. Falluntur ergo Auctor Chronologiæ maioris Hebræorum cap. 24. & qui eum ſequuntur, dicentes, ipſum Nabuchodonoſor anno regni ſui primo cepiſſe Niniuem; nondum enim tunc Aegyptios ſubiugauerat: ſed nec eos niſi anno regni ſui vigeſimo tertio ſubiugare potuit, vt ſub præcedenti anno mundi num. 4. & 5. tactum eſt. Credere verò etiam debemus, eumdem Nabuchodonoſor non nunc primùm cepiſſe Niniuem; iam enim multos ante annos illa à Merodach prædeceſſore ſuo capta, & Babyloniorum Imperio adiuncta ſubactaque fuerat, vt ſub anno mundi 3335. num. 1. & 2. diximus; ſed quòd hoc tempore idem Nabuchodonoſor iratus contra Niniuem, eam euertere voluerit, quòd ei fortè aliquà in re graui parêre recuſauerit, vel ab eo aliquatenus deficere, aut tale quid attentare præſumpſerit, iuxta ea quæ à nobis de eadem vrbe, ſub anno mundi 3371. num. 5. dicta ſunt.

AB ORBE CONDITO ANNVS 3453. — SEXTÆ MVNDI ÆTAT. ANNVS 7.

NABVCHODONOSOR VIDIT SOMNIVM STATVAE GRANDIS.

1 ANNO regni Nabuchodonoſor vigeſimo quinto, qui erat Monarchiæ eius, ſeu à ſubacta Aegypto ſecundus, ipſe Nabuchodonoſor vidit ſomnium ſtatuæ illius magnæ ac terribilis quæ deſcribitur Daniel. cap. 2. cuius caput erat aureũ, pectus & brachia de argento, venter & ilia ærea, tibiæ autem ferreæ, & pedum quædam pars ferrea, quædam verò fictilis. Cumque perterritus ſimulque euigilans, illud recolere non valeret; nimia accenſus cupiditate ſciendi quidnam eſſet quod in ſomnis viderat, & quidnam ſignificaret atque portenderet, confeſtim conuocari iuſſit omnes ſapientes regni ſui, nimirum ariolos, magos, maleficos, & ſi qui erant eiuſmodi alij; petiitque ab eis vt indicarent ſibi ſomnium quod viderat, & interpretationem eius; alioqui certò ſcirent ſe perituros. Qui cùm id ſe facere non poſſe faterentur, ira excandeſcens Rex, edictum protulit, vt cuncti interimerentur. Egreſſus itaque, iubente Rege, Arioch Princeps militiæ eius, interficiebat eos. Cùm autem ad necem quoque conquirerentur Daniel & ſocij eius, (nam & ipſos pariter tamquam ſapientes in decreto Regis comprehendi volebant) ſciſcitatur Daniel cauſam tam crudelis edicti; & protinus, illa cognita, inducias, prædicti Principis fauore, à Rege obtinuit, ad indicãdum ei ſomnium & interpretationem eius: atque interim cum ſociis ſedulò orans, meruit à Deo tandem conſequi illius myſterij reuelationem. Mox gratiis Auctori omnium bonorum pro tanto munere actis, adiuit Daniel Principem Arioch; à quo ſine mora introductus coram Rege, eidem omnia quæ ſcire cupiebat, indicauit. Quibus auditis, Rex præ nimio rei ſtupore ſtatim corruens in faciem ſuam, adorauit Danielem; hoſtiaſque & incenſum præcepit vt ſacrificarent ei; (quæ tamen ipſum reſpuiſſe, quemadmodũ poſteà feciſſe SS. Paulum & Barnabam Actorum cap. 14. verſ. 13. vſq; ad 18. legimus, certiſſimè credendum eſt;) mox Deum Iudæorum, verè ſuper omnes deos eſſe, publicè proclamans Nabuchodonoſor Rex, ipſum Danielem multis magniſque decoratum muneribus in ſublime extulit, & Principem conſtituit ſuper omnes prouincias Babylonis, ac Præfectum Magiſtratuum ſuper cunctos ſapientes Babylonis; & vt in foribus Regis iugiter eſſe poſſet. Inſuper, ad eius petitionem, ſocios quoque ſuos Sidrach, Miſach, & Abdenago, ſuper opera Babylonis Præfectos eſſe mandauit. Quæ omnia latiùs in cap. Danielis proximè adducto narrantur.

¶ 2. Vbi, quod initio capitis dicitur, hæc facta fuiſſe anno regni Nabuchodonoſor ſecundo; proculdubiò aduertendum eſt, nomen *Regni* pro *Monarchiæ* vſurpari; vt ex his quæ in eiuſdem libri cap. 1. dicuntur, liquidò colligit B. Hieronymus: nam Daniel cum prædictis ſociis ſuis in Babylonem abductus fuerat anno regni Ioakim Regis Iuda tertio deſinente, vel quarto inchoante; porrò annus quartus regni Ioakim erat primus regni Nabuchodonoſor, vt patet Ierem. cap. 25. verſ. 1. Cùm autem Daniel & ſodales eius in Babylone adhuc eſſent pueri, ibidem de mandato Regis Nabuchodonoſor eruditi ſunt tribus annis, antequam introducerentur in conſpectu eius, vt dicitur Daniel. cap. 1. verſ. 5. vſque ad 18. ergo non poterat eſſe annus regni Nabuchodonoſor ſecundus, quando Daniel iam factus vir, indicauit eidem Regi ſomnium & ſignificationem eius; & ipſius ſodales viri pariter iam effecti, ſuper opera Prouinciæ Babylonis conſtituti ſunt: ſed oportet quòd eſſet annus ſecundus, non Regni, ſed Monarchiæ dicti

dicti Nabuchodonosor; seu, quod idem est, à depopulata Ægypto, vt suprà expositum est, & apertè tradit Iosephus 10. Antiq. cap. 11. vltra medium, vbi memoratam somnij narrat historiam.

AB ORBE CONDITO ANNVS 3454. — SEXTAE MVNDI AETAT. ANNVS 8.

1 Anno proximo, qui erat regni Nabuchodonosor vigesimus sextus, & à Templi vrbisque desolatione, seu Babylonicæ Iudæorum captiuitatis, vt in tabulis apparet, octauus, oportet natum esse in Media Darium illum qui posteà fuit Rex Medorum, & simul cum Cyro Rege Persarum occupauit extinxitque Regnum Babyloniorum, anno prædictæ captiuitatis septuagesimo, vt suo loco dicetur: tunc enim ipse Darius erat annos natus sexaginta duos, vt disertè Scriptura sacra testatur Danielis cap. 5. in fine; totidem autem ab hoc anno ad septuagesimum eiusdem captiuitatis fluxisse, computari potest in tabulis. Vnde patet, decipi Genebrardum, qui lib. suæ Chronologiæ 2. vbi agit de Monarchia Chaldæorum & de Nabuchodonosor, secutus Auctorem Chronologiæ maioris Hebræorum cap. 28. asserit, quo die Nabuchodonosor Templum inuasit Ierosolymitanum, eo die natum esse Darium Medum hostem eius; à quo posteà, in pœnam tanti sceleris, euersum est Regnum & Monarchia Babylonis. Quæ positio stare non potest: nam si prædictus Darius natus esset quo die exustum est Templum; proculdubiò non sexaginta duorum tantùm, sed septuaginta fuisset annorum, quando occupauit subuertitq; Babylonicum Imperium. Neque potest dicta opinio sustineri, dicendo, præfatos Auctores fortè secutos esse sententiam quorumdam, qui putarunt, Regnum Chaldæorum anno septuagesimo, non quidem à Templi desolatione, sed à transmigratione Iechoniæ fuisse extinctum: quia nec sic à Templo exusto ad destructum Babylonis Imperium, inueniri possent anni sexaginta duo, sed tantummodò quinquaginta nouem: siquidem constat, Iechoniæ transmigrationem annis vndecim ante exustionem Templi contigisse.

DARIVS MEDVS NASCITVR.

2. Sanè quis fuerit iste Darius, & cuius fuerit filius, plures variæque apud Scriptores reperiūtur opiniones, quarum septem enumerat Pererius in principio lib. 7. Commentariorum suorum in Danielem: ex quibus septimam (quam ipse auctoritatibus Iosephi 10. Antiq. cap. 12. B. Hieronymi super Daniel. cap. 5. & 9. & Lyrani super Daniel. cap. 6. & 9. confirmat; & tamquam probabiliorem, atque ad profanam Historiam cum Sacra conciliandam magis accommodatam, ceteris præfert) rectè nos quoque sequi possumus. Habet autem ista opinio, Darium fuisse illum, quem Græci Cyaxarem appellant, putantque fuisse Astyagis Medorum atque Persarum Regis filium, siue naturalem, si vera scribit Xenophon de Pædia Cyri lib. 8. siue adoptiuum, si verior est opinio Herodoti lib. 1. & aliorum, quos idem Pererius citat; qui tradūt, Astyagem non habuisse filium, sed vnam tantùm filiam nomine Mandanen, ex qua posteà natus est Cyrus Persa. Hæc si vera sunt, oportet ponere duos fuisse Cyaxares, alterum Astyagis patrem, alterum ipsius filium; quod non est inconueniens, quandoquidem constat, etiam Cyri tam patrem quàm filium, Cambysem fuisse appellatum. Quòd autem idem Darius dicatur (Daniel. cap. 9. vers. 1.) filius Assueri, nihil prædictis officit: quandoquidem constat, Assueri vocabulum, quod per excellentiam, magnum Principem significabat, non fuisse nomen proprium viri; sed commune multis Regibus Medorum atque Persarum; qui, quòd reuerà magni ac supremi essent Principes, interdum Assueri cognomento nuncupari solebant. Et ita rectè potuit loco Danielis citato, Astyages, Assueri nomine significari.

QVIS FVERIT ISTE DARIVS MEDVS.

AB ORBE CONDITO ANNVS 3456. — SEXTÆ MVNDI ÆTAT. ANNVS 10.

1 Anno Olympiadis quadragesimæ quintę tertio, regnare cœpit in Media Astyages, vt scribit Eusebius in Chronicis. Quod ideò hîc adnotandū duximus, quia ad historiam Darij Regis Medorum, & Cyri Regis Persarum (quorum Scriptura sacra non semel mentionem facit) probè intelligendam, haud mediocriter conferre poterit. Hunc Astyagem (cuius meminit Daniel in fine capitis 13.) Eusebius vbi suprà facit postremum Regem Medorum; sed meliùs alij pænultimum dicunt: cuius diuersitatis rationem nos sub anno mundi 3493. num. 1. assignabimus. De hoc

ASTYAGES REGNAT IN MEDIA.

Rege ſcribunt Herodotus lib. 1. & ex Trogo Pompeio Iuſtinus Hiſtoricus lib. 1. & poſt hos Auctor Hiſtoriæ Scholaſticæ Danielis cap. 16. & alij, quòd vnicam habuit filiam nomine Mandanen: quæ cùm viſa eſſet à patre in ſomnis emittere tantum vrinæ, vt omnem ipſius vrbem oppleret, atque vniuerſam Aſiam inundaret; conſuluit Rex ariolos: qui eo ſomnio ſignificari dixerunt, filium ex filia naſciturum, qui ſibi Imperium arriperet, ac totius Aſiæ ſe dominum faceret. Quo reſponſo perterritus Aſtyages, filiam non claro alicui Medorum viro, ne paterna quoque nobilitas nepotis animum extolleret; ſed cuidam mediocri, de genere Perſarum, cui nomen erat Cambyſes, in matrimonium dedit. Et hoc multò credibilius videtur, quàm quod tradit Xenophon ferè in principio libri 1. de Pædia Cyri, dicens, hunc Cambyſen, qui fuit Cyri pater, fuiſſe Perſarum Regem: ſiquidem ipſe Xenophon tamquam laudator Cyri potiùs quàm purus Hiſtoricus, omnium conſenſu habetur. Cumque eodem quo filiam collocauerat anno, per ſomnium vidiſſet Rex, ex illius vtero exire vitem, quæ ſuis palmitibus omnem Aſiam obtendere videbatur; & ab interpretibus, tali viſione prioris ſignificationem confirmari intellexiſſet; aucto timore, grauidam ad ſe filiam accerſit, vt ſub eius conſpectu fetus necaretur. Natus ergo filius, Harpago Regis conſiliario occidendus traditur. At ille veritus, ne ſi Regnum ad infantis matrem aliquando deueniret, illa de ſe vltionem ſumeret; cuidam regij pecoris paſtori infantem exponendum committit. Quod audiens eiuſdem paſtoris vxor, cui tum fortè natus erat filius mortuus, ardens deſiderio videndi filium regium, adeò moleſta fuit viro, vt ad quærendum illum in ſiluam reuerſus, cùm adhuc viuentem comperiſſet, & ſugentem vbera canis, quæ illum à feris ac volucribus defenderat, eumdem protinus vxori detulerit: cui tantopere placuit paruulus, vt eum pro filio enutrire, ac eius loco proprium iam defunctum exponere decreuerit. Cùm autem creuiſſet puer, qui inter paſtores, Cyri nomen acceperat, & caſu ab auo cognitus, tandem magorum ſuaſu in Perſidem fuiſſet relegatus; ipſi poſteà Aſtyagi, Harpago auctore atque adiutore, bellum intulit; & in prælio captum Regno ſpoliauit, Hyrcaniſque honoris cauſa præpoſuit: vt latiùs videre eſt apud citatos Auctores, præſertim Herodotum & Iuſtinum.

CYRI ORTVS.

ASSVERVS PATER DARII MEDI NON FVIT MARITVS ESTHER.

¶ 2. Porrò hunc Aſtyagem, vel Cyaxarem eius patrem, (quem primum Aſiæ populos in prouincias diſtinxiſſe tradit Herodotus lib. 1.) quorum alter fortè fuit ille Aſſuerus pater Darij Medi, cuius fit mentio Daniel. cap. 9. in principio; Gerardus Mercator in ſua Chronologia, & Melchior Canus lib. 11. Locorum Theologicorum cap. 5. ad 9. putant fuiſſe maritum Eſther, eo potiſſimùm fulti argumento, quòd alioqui non facilè ſaluari poſſe videatur id quod dicitur Eſther cap. 2. verſ. 6. & c. 11. verſ. 4. nempe, Mardochæum fuiſſe ex iis qui tranſlati fuerant de Ieruſalem cum Rege Iechonia. Sed huic poſitioni multa obſtant: nam neque de Aſtyage, neque de Cyaxare eius patre, verè dici poſſe videtur, quod de Aſſuero marito Eſther legimus in principio libri ipſius Eſther; videlicet, quòd regnauerit ab India vſque ad Æthiopiam ſuper centum viginti ſeptem prouincias; quia dictorum Regum temporibus adhuc admodum florebat Chaldæorum Imperium, quod proculdubiò magnam dictarum prouinciarum partem poſſidebat. Deinde præfatus Aſſuerus erat de ſemine Medorum, vt apertè teſtatur Daniel vbi ſuprà: at maritus Eſther non obſcurè & de ſanguine Perſarum, & Regem Perſarum ſe eſſe fatetur Eſther cap. vlt. verſ. 10. & 14. & paſſim ſe Artaxerxem appellat, quod Perſarum, non Medorum Regum nomen fuiſſe perhibetur. His adde, quòd maritus Eſther diſertis verbis cap. vlt. verſ. 16. Regnum ſuum altiſſimi Hebræorum Dei beneficio, & patribus ſuis & ſibi traditum recognoſcit: at de Aſſuero patre Darij, neque de aliis Medorum Regibus, qui fuerunt ante Imperij Babylonici excidium, nuſquam ſcriptum reperitur, quòd vmquam Deum Hebræorum coluerint, vt teſtatur Cardinalis Bellarminus lib. 1. de Verbo Dei cap. 7. Denique maritus Eſther in Suſis Regiam habuiſſe dicitur: Eſther cap. 1. verſ. 2. Ex quo inferri poteſt, ipſum non fuiſſe vnum ex his Regibus qui præceſſerant Cyrum; quandoquidem ipſe Cyrus, aut aliquis de poſteris eius, creditur fuiſſe primus, qui poſt ſubactos Babylonios Regiam Perſarum in Suſin, ſiue in Suſis poſuerit, quæ caput erat prouinciæ Suſianæ: & hoc, quia non multùm aberat à Media, & quodammodò poſita erat in finibus Aſſyriæ, Babyloniæ, Perſidis, & Mediæ; vt in quinta Aſiæ tabula apud Strabonem lib. 15. cerni poteſt; proindeque ad regendas tutandaſque omnes haſce prouincias, eiſdem Regibus Perſarum ſubditas, multò commodior videbatur quàm Perſepolis olim ipſorum Regia: in qua tamen, quoniam erat totius Perſidis Metropolis, & ab aliis nationibus remotior ac tutior, theſauros regios aſſeruari curabant, vt idem Strabo ibidem tradit. Quod verò attinet ad Mardochæi vitam;

vitam; non debuit Melchior Canus vereri, violentam esse illam prædictorum libri Esther locorum intelligentiam, quam ipse subinde ibidem affert, dicens, eam non esse accipiendam, quasi ipse Mardochæus personaliter inter captiuos ductus sit in Babylonem; sed quasi ab illis posteà prodierit. Nam licet Auctor Historiæ Scholasticæ de hac re dubius fuisse videatur; quippe qui in historia lib.4. Reg.cap.39. dixerit, quòd cum Iechonia transmigrarunt quoque Mardochæus & Ezechiel; in historia autem libri Esther cap.1.dicat, quòd Mardochæus de transmigratione Iechoniæ descenderat: tamen etiam ante Canum, Rabbi Paulus, à Carthusiano super c.1.Esther relatus; & item Caietanus super eiusdem lib.cap.2. & post Canum Pererius lib.10.in Danielem, vbi duo loca libri Esther expendit; & lib.13.vbi agit de Artaxarxe Mnemone; & Cardinalis Bellarminus loco suprà citato, tenent, Mardochæum non fuisse inter eos qui cum Iechonia transmigrarunt, sed posteà de illorum progenie esse natum. Quamquam hîc aduertere oportet, quòd ex his qui hanc sequuntur opinionem, aliqui, nempe Rabbi Paulus, & Caietanus, & Pererius, conantur id colligere ex ipsismet Scripturæ verbis Esther cap.2.vers.5. & 6. dicentes, illud, *qui translatus fuerat*, esse referendum non ad ipsum Mardochæum, sed ad Cis proauum eius, ibidem paulò antè nominatum. Quibus aduersatur Carthusianus loco citato disputans contra prædictum Rabbi Paulum; & contendit, illud, *qui translatus fuerat*, referri debere ad ipsum Mardochæum; quemadmodum & illud quod ibi proximè sequitur, *qui fuit nutritius filiæ fratris sui Edissæ*. Et hoc proculdubiò litteræ Sacri textus magis consonat. Vnde multò meliùs ipse Canus & Bellarminus idem aliter colligunt, dicentes, ipsum Mardochæum non in persona propria, sed maiorum suorum, fuisse translatum; vt nos latiùs sub anno mundi 3650.num.5. explicabimus.

3. Ab hisce circiter temporibus suam exorditur Herodotus Historiam, quam nouem libris comprehendit, & singulos singulis Musis dicat, earumque nominibus inscribit; eamque perducit vsque ad reditum de Græcia Xerxis in Asiam. Huius namque Regis temporibus ipsum viguisse Herodotum, testatur Diodorus Siculus lib.3. in capitis 19. initio. Quamquam autem idem Herodotus obiter ac sparsim de aliis quoque rebus multò vetustioribus agat, & de quibusdam Ægypti Regibus, qui longè ante hæc tempora præcesserant, vt sunt Apries, Necus, Psamnitis, & huiusmodi: videtur tamen vniuersalem totius historiæ seriem & continuationem auspicari à Crœso, qui per idem tempus regnabat in Lydia, quo Astyages in Media. Erat autem Crœsus Lydorum Rex, filius Halyatte, & frater Arienæ, quæ nupta est Astyagi auo materno Cyri, qui posteà fuit Rex Persarum. Vnde præfatus Auctor de ipso quoque agit Astyage Crœsi affine, & de ortu Cyri ex Astyagis filia nomine Mandana, & quomodo infantulus mirabiliter ab interitu fuerit præseruatus, ac posteà vir factus, auum Astyagem regno spoliauerit; & Persarum Rex factus, Crœsum pro cognato eius Astyage contra se bellantem vicerit, eoque capto, Lydorum Regnum extinxerit; ac deinde Darium Regem Medorum in subiugando sibi Babylonico Imperio iuuerit; atque illo mortuo, ipse tandem Medorum Persarumque Monarcha effectus, postremò aduersus Massagetas pugnans, interfectus sit. Prosequitur deinde Herodotus agere de Cyri filio Cambyse, qui capta Ægypto, Regni sui fines in Africam vsque produxit. Item de Dario Hystaspis filio, quibusnam modis post Cambysem ad Regnum peruenerit, & Babylonios à se deficientes denuò subegerit, & Græcis bellum intulerit. Denique de Xerxe Darij filio, quomodo primùm vario euentu, mox infeliciter admodum in Græcia bellauerit. Hunc Auctorem Cicero lib.1. de Legibus, Historiæ patrem appellat, quòd è primis Græcorum Historicis fuerit. Verumtamen Strabo lib. vlt. eumdem, quòd fabulosam scripserit Historiam, suggillat. Cuius dictum sic accipiendum puto, non quia quæ ab eo de prædictis Regibus scripta esse diximus, tamquam fabulosa censeri debeant; sed quia inter historicas eius narrationes, quædam interdum fabulas redolentia intexere solitus sit.

HERODOTI HISTORIA VNDE EXORDIUM SUMAT.

AB ORBE CONDITO ANNVS 3460.	SEXTÆ MVNDI ÆTAT. ANNVS 14.

1 ANNO transmigrationis Iechoniæ vigesimo quinto, qui erat decimus quartus ex quo percussa & subuersa fuerat Ierusalem (quemadmodum tradit Ezechiel cap.40. vers.1.) in exordio anni, decima die mensis, idem Propheta vidit ac scripsit longam illam visionem, in qua ostensa sunt ei, mox futura ciuitatis instauratio, Templi reædificandi forma, & partium eius dispositio, cum præfinitis singularum mensuris

EZECHIEL VIDIT LONGAM TEMPLI REÆDIFICANDI VISIONEM.

mensuris; & qualiter restituenda erant in eo omnia ad Dei cultum pertinentia: & terra denuò duodecim tribubus dispertienda. Quam visionem idem Propheta fusiùs prosequitur à citato suæ Prophetiæ cap. vsque ad libri finem. Vide si placet eiusdem visionis explanationem apud Richardum de S. Victore in Opusculorum suorum par. 2. Ceterùm, ad veram dictæ visionis intelligentiam, pauca quædam hîc referre non grauabor, quæ Hector Pintus, exponens citatum caput 40. Ezechielis, ferè in principio scripta reliquit. Sunt autem hæc ad verbum: *Sed vaticinans Ezechiel de templo Ierosolymæ ædificando, rapitur spiritu, & à templo materiali ad templum spirituale se transfert; & de Ecclesia Catholica, hoc est, de admirabili templo, quod mentis oculis intuebatur construendum à Christo; vaticinatur. Templum enim hoc quod spiritu Prophetico vidit, de quo præcipuè tractat in hac visione, multò sublimius est & magnificentius templo illo secundo sub Zorobabele ædificato, immò ipso primo templo à ditissimo & illustrissimo Rege Salomone sumptuosissimè condito, multò illustrius & præstantius. Et ciuitas hæc, quam ædificandam perspexit, per quam etiam Ecclesia significatur, multò est amplior & capacior & celebrior ciuitate illa quam Nehemias & Zorobabel instaurauerunt. Præterea templum illud secundum reædificatum fuit in loco vbi priùs fuerat, vt constat ex lib. 1. Esdræ cap. 3. atqui primum templum fuerat in vrbe ædificatum, vt patet ex 3. & 4. Reg. ergo secundum fuit in eadem vrbe conditum. At templum hoc de quo hîc loquitur Ezechiel, non erat in ciuitate, immò longo interuallo distabat ab illa; quoniam inter templum & ciuitatem erat pars quædam portionis Sacerdotum, & tota portio Leuitarum, vt cap. vltimo huius visionis licet videre. Et multa alia dicit de aquis è templo egredientibus, & in Mare mortuum intrantibus; de arboribus fecundissimis, quæ singulis mensibus vberrimos fructus ferebant; & de multis aliis, quæ in secundi templi instauratione numquam fuerunt, nec erunt in æternum in populo Iudæorum. Quare in errore aperto versantur, qui aiunt, omnia hæc esse ad reditum Iudæorum ex Babylonica captiuitate referenda, & ad vrbis Ierosolymæ ac templi lapidei instaurationem tantummodò accommodanda, & ad nihil aliud Ezechielem respexisse. Quis non videt, hæc omnia, & multa alia quæ hîc fuerunt prædicta, quæ diuinus Vates conspexit fore in huius sui templi & vrbis constructione, nec in primo, nec in secundo templo, nec in ciuitate Ierosolyma terrena vmquam fuisse? Referuntur quidem ad Ecclesiam Catholicam, & hominum generis redemptionem per Christum, vt ipso adiuuante in huius visionis progressu ostendemus. Erat enim præcipuum diuini Vatis institutum, de templo illo vaticinari quod Christus erat constructurus; & de ciuitate illa pietatis & religionis plenissima, hoc est, de Ecclesia Catholica, quam Saluator noster, verus Deus & verus homo, mirabiliter constituit tanta firmitate & fortitudine roboratam, vt nullis vmquam nec Tyrannorum nec hæreticorum machinis possit euerti.*

EXPONITVR DICTA VISIO.

Hæc & alia eiusmodi plura in eumdem sensum ibidem citatus Auctor fusiùs prosequitur: ex quibus fit manifestum, quàm longè à vero aberrent, qui, vt etiam sub anno mundi 3023. num. 9. diximus, putant, templum Ezechieli in memorata visione demonstratum, fuisse per omnia simile templo quod olim fuerat à Salomone extructum; cùm reuerà fuerit in pluribus ab illo valdè diuersum, quemadmodum à nobis aliàs ostensum est. Et propterea semetipsos aliosque decipiunt, (vt aliàs quoque nos aduertendum esse monuimus) qui templum Salomonis describentes, non contenti his quæ in libris Regum & Paralipomenon de eo habentur, etiam ea quæ in libris Esdræ de secundo templo, & quæ in Ezechiele de templo eidem mirabiliter ostenso, immò etiam quæcumque de templo Herodiano in Iosephi libris Antiquitatum, & de Bello, & Contra Apionem sparsim scripta reperiunt, omnia inquam & singula eidem templo Salomonico accommodare student; templumque imaginarium à singulis aliis omnino diuersum, vel potiùs ex omnibus compositum atque confictum constituunt, quod numquam in rerum natura extitisse certum est.

AB ORBE CONDITO ANNVS 3461. — SEXTÆ MVNDI ÆTAT. ANNVS 15.

IECHONIAS GENVIT SALATHIEL, ET QVANDO EIVS SVCCESSORES GENVERINT.

1 ANNO proximo (quemadmodum ex paulò pòst dicendis apparebit) fit admodum credibile, Iechoniam genuisse Salathielem, prout, suppresso tẽpore, scribit S. Matthæus Euangelij cap. 1. vers. 12. dicens: *Et post transmigrationem Babylonis, Iechonias genuit Salathiel.* Nam etsi ibi, neque vsquam alibi in Sacro eloquio, neque apud vllos probatos Auctores expressum sit, quando dictus Iechonias, aliiue eius successores ibidem relati, vsque ad Ioseph virum Mariæ de qua natus est Christus, genuerint: quia tamen necesse est, quòd quattuordecim illæ generationes, inter Iechoniam

choniam qui primo loco recensetur, & Christum, in quem (vt ibidem ait S. Hieronymus) decimaquarta generatio reputanda est, factæ fuerint interuallo sexcentorum triginta quattuor annorum, quos ab ortu dicti Iechoniæ ad ortum Saluatoris fluxisse, patet in tabulis: propterea, ad indagandum quoto ætatis suæ anno quilibet ex his quos S. Euangelista loco citato enumerat, successorem ibidem subiunctum genuerit, nulla alia commodior via superesse videtur, quàm si tria hæc, satis quidem probabiliter, supposuerimus. Primò, quòd Iechonias anno vitæ suæ quadragesimo quarto genuerit Salathielem; & Salathiel, cùm esset annorum quadraginta trium, genuerit Zorobabelem (vel econtrariò, quod in idem recidit:) siquidem oportet hunc fuisse iuuenem, puta triginta circiter annorum, quando Darius Hystaspis regnare cœpit in Perside, vt nos infrà sub annis mundi 3532. num.4.& 3631. num. 1. probabimus. Deinde, quòd sanctus Ioseph, quando accepit beatissimam Virginem Mariam in coniugem, esset annorum circiter triginta & octo; nimirum neque valdè iuuenis, neque prouectæ nimium ætatis; ob causas satis rationabiles, quas adducit Cardinalis Toletus in cap. 1. Lucæ Annotatione 59. & nos sub anno mundi 4050.num.4.referemus. Denique, quòd reliqui decem, qui inter Salathielem & S. Ioseph nominantur, singuli anno vitæ circiter quinquagesimo primo vel secundo filium in dicta genealogia memoratum genuerint. Sic enim tota illa sexcentorum triginta quattuor annorum summa absumitur, vt quilibet apud se computare potest. Et hanc nos viam in hoc Opere & in tabulis sequendam duximus, donec aliud certius demonstretur: non quòd ea omnino certa atque indubitata sit; sed quòd veritati propiùs accedere, & nihil aliud probabilius, aut rationi, historiæve sacræ, ac temporum dispositioni magis consentaneum adferri posse videatur; & quia inde nullum sequitur inconueniens. Illud verò certissimum est, quòd si fortè quis aliquot, in aliqua ex dictis generationibus, annos detrahendos addendósve esse comperiet, totidem omnino in alia vel aliis addendi detrahendíve erunt, vt prædicta annorum summa à Iechonia ad Christum retineatur.

AB ORBE CONDITO ANNVS 3462. — SEXTÆ MVNDI ÆTAT. ANNVS 16.

1 ANNO transmigrationis Iechoniæ vigesimo septimo, vt dicitur Ezechielis cap. 29. vers. 17. prima die mensis primi, ipse Ezechiel prophetauit Dominum daturum Nabuchodonosor Regi Babylonis Ægyptum, hoc est Ægypti opes, pro mercede laboris, quem subierat aduersus Tyrum; apertè contestans, eumdem Regem in longa ac laboriosa illa Tyri oppugnatione, diuinæ voluntati deseruisse. Sequenti verò capite à vers. 1. vsque ad 20. plangit Propheta vastationem Ægypti, & vrbium eius à Nabuchodonosor Rege Babylonis proximè faciendam. Quoniam autem hæc Prophetia nõ potest accipi de illa Ægypti expugnatione, quam ab eodem Nabuchodonosor anno Regni sui vigesimo tertio factam fuisse, iam sub anno mundi 3451. num.4. & 5. probauimus; quia allegatus memoratæ Prophetiæ annus concurrit cum anno regni eiusdem Nabuchodonosor trigesimo quarto, vt patet in tabulis: propterea necesse est, vt de alia posteriore Ægypti inuasione ac direptione hoc anno prophetauerit Ezechiel; nimirum illa, de qua nos numero proximo agemus. Igitur

EZECHIEL PROPHETAT CONTRA AEGYPTUM.

2. Eodem anno, qui (vt patet in tabulis) erat regni Nabuchodonosor trigesimus quartus, paulò post memoratum Ezechielis vaticinium (quemadmodum idem Propheta cap. 30. vers. 3. indicare videtur) puta secundo, vt arbitror, aut tertio eiusdem anni mense, Nabuchodonosor bellum suscepit, & ante anni huius exitum confecit aduersus Ægyptios; siue offensus ab Amaso, quem ipsemet anno regni sui vigesimo tertio, interempto Ephree vltimo Pharaone, Ægypto præfecerat, siue ab ipsis quoque (vt arbitror) Ægyptiis à se deficere molientibus: & inde ingentes prædas, spoliaque opima valdè, sibi inprimis, necnon & exercitui suo abstulit; Domino ita disponente, vt Ezechielis Prophetia adimpleretur, cuius sub præcedenti numero mentionem fecimus. Nemini autem mirum videatur, quòd Nabuchodonosor non semel inuaserit spoliaueritque Ægyptum, quandoquidem certum est, eumdem Regem pluries quoque Iudæam inuasisse ac deprædasse, donec tandem ipsam in solitudinem redegit. Aduertendum verò hîc est, quòd Auctor Chronologiæ maioris Hebræorum cap. 26. ex verbis Ezechielis cap. 29. vers. 17. colligit, ipsum Nabuchodonosor cepisse Ægyptum anno regni sui vigesimo septimo. Sed fallitur; quia verba illa Prophetæ: *Et factum est in vigesimo & septimo anno*, &c. non sunt referenda ad annos regni Nabuchodono-

NABVCHODONOSOR DEPRAEDATVR AEGYPTVM.

donosor, quos nusquam in tota sua Prophetia Ezechiel neque ante neque post prædictum eius locum secutus reperitur; sed referri debent ad annos transmigrationis ipsius Ezechielis, seu Regis Ioachin, quæ vna eademq; est; & secundùm quos annos, vaticiniorum suorum tempora Ezechiel notare solet. Certum est autem, quòd annus dictæ transmigrationis vigesimus septimus concurrit cum anno Regni Nabuchodonosor trigesimo quarto, vt diximus, & patet in tabulis. Nec obstat, quòd ipse Ezechiel in principio dicti capitis narret ea quæ à Domino audierat anno decimo; & initio capitis 31. quæ audiuit anno vndecimo; quia non esse nouum in Prophetis reperiri tales annorum transpositiones, intelligere quiuis poterit ex aliis eiusmodi plurimis, quæ nos in Ieremiæ Prophetia adnotauimus sub anno mundi 3436. num. 9. & item ex his quæ sub anno mundi 3610. n. 21. dicemus. Quòd si nemo miratur, apud Ieremiam tantas reperiri in ratione temporum varietates, & apud Danielem in c. 5. & 6. narrari quæ anno postremo regni Baltassar, & post eius necem acta sunt; & posteà in c. 7. recenseri quæ anno eiusdem Baltassar primo euenerant, quis mirandũ existimabit, quòd Ezechiel interposuerit vaticinium à se factum anno suæ transmigrationis vigesimoseptimo inter alia duo, quorum alterum anno dictæ transmigrationis decimo, alterũ vndecimo fecerat? Sed & alia plura eiusmodi exempla in sacris Scripturis diligens Lector inueniet.

DE VLTIMA IVDAEORVM BABYLONICA CAPTIVITATE.

3. Ceterùm, in hac postrema Ægypti expoliatione, puto ipsum Nabuchodonosor nonnullas item Iudæorum reliquias, quæ de manu eius in bello priùs contra Pharaonem Ephree gesto euaserant, ibidem modò repertas, inde in Babyloniam transtulisse. Et hanc fuisse vltimam Iudæorum captiuitatem ab eodem Rege factam; ab eaque supputandos esse illos septuaginta iræ Dei annos, quos Zacharias capite suæ Prophetiæ 1. vers. 12. terminasse testatur anno Regni Darij secundo; illius inquam Darij, quem Iosephus 11. Antiq. cap. 3. Hystaspis filium fuisse declarat. Adducor autem ad hoc asserendum hisce rationibus: Nam à nullo alio ex proximè præcedentibus aut subsequentibus annis, vsque ad memoratum terminum, haberi potest iste septuaginta annorum numerus, qui ab hac captiuitate subductus, in dicto anno (vt in tabulis cernimus) præcisè desinit. Deinde, nihil aliud hisce temporibus contra Iudæos à Chaldæis actum legimus, à quo rationabiliter hos septuaginta Iudaici exilij annos exordiri possimus. His adde, quòd tametsi non desint magni nominis Scriptores, qui locum Zachariæ adductum exponentes, interrogatiuè pronuntiandum putent; vt sit sensus Angeli ibidem loquentis: *Vsquequò Domine non misereberis Ierusalem, & vrbium Iuda quibus iratus es? Forsitan nondum aduenit septuagesimus annus?* quasi subiungere voluerit, Ille enim iam dudum expletus est. Attamen hæc expositio mihi probari nequaquam potest, tum quia id in nullo ex correctioribus Vulgatæ editionis codicibus interrogatiuè scriptum reperitur, sed enuntiatiuè: & etiamsi alicubi (vt apud LXX. Interpretes) interrogatiuè haberetur; non tamen necesse esset accipere prædicta verba in sensu proximè exposito, sed potiùs in protinus exponendo, videlicet: Quousque non miserebcris Ierusalem? nónne iste iam septuagesimus annus est? ac si diceret, Vtique iam promissum miserendi tempus aduenit. Tum quia paulò pòst idem Propheta, nimirum cap. 7. vers. 5. acta sub anno prædicti Darij quarto commemorans, eorumdem quoque septuaginta anorum tamquam proximè præteritorum meminit dicens: *Cum ieiunaretis & plangeretis in quinto & septimo per hos septuaginta annos, numquid ieiunium ieiunastis mihi?* &c. Ad quæ verba aduertentes nonnulli eorum qui priùs memoratam sequebantur expositionem, coacti sunt fateri, alios esse hos septuaginta annos quorum meminit Zacharias, ab illis quos prophetauerat Ieremias. Sed vndénam rectè conuenienterque inchoari deberent, vel se nescire fassi sunt, vt Pererius lib. 10. in Danielem non procul à fine Commentarij illorum verborum, *Ego Daniel intellexi in libris*, &c. vel difficultatibus redundantia pronuntiarunt, vt Scaliger, qui lib. 6. de Emendatione temporum in calce capitis, De hebdomadibus Danielis, credidit illas septuaginta annos esse exordiẽdos ab anno regni Darij Hystaspis trigesimo quarto, & terminandos in anno Darij Nothi quarto; quam opinionem benè impugnat Pererius lib. 11. in Danielem quæst. 3. Igitur multò magis rationi consentaneum videtur, prædictos septuaginta annos per Zachariam memoratos, à posterioribus huius anni mensibus dinumerare; in quibus, vt dictum est, credimus factam fuisse postremam à Chaldæis Iudæorum captiuitatem; & consequenter, annum qui proximè sequitur, pro maiori parte fuisse primum dictæ captiuitatis, vt in tabulis etiam adnotatum inuenies.

EXPONITVR LOCVS ZACHARIAE CAP. I. V. 12.

4. Sub finem eiusdem anni, quem diximus fuisse trigesimum quartum regni Nabuchodonosor, nimirum paulò pòst reditum eius de Ægypto in Babylonem, satis probabi-

babiliter, ob rationes numero proximo adducendas, credere possumus, facta fuisse ea quæ narrantur in toto Danielis cap. 3. nempe de Nabuchodonosor, qui ob res in Ægypto feliciter gestas in superbiam elatus, fecit sibi statuam auream proceræ admodum magnitudinis, quam cum ingenti populorum concursu & sollemnitate iussit erigi, & ab omnibus adorari; statuta irreuocabili pœna id facere recusantibus, vt scilicet illicò mitterentur in fornacem ignis ardentis ad hoc studiosè ibidem accensam: in quam cùm iniecti fuissent tres viri Iudæi, scilicet Sidrach, Misach, & Abdenago, quòd diuinum honorem muto exhibere simulacro liberè renuissent, miro Dei beneficio prorsus illæsi, in medio flammarum glorificabant & benedicebant Deum, vno ore in fornace canentes Canticum, quod ibidem subiungitur, & aliàs passim titulo trium puerorum prænotari solet. At verò hæc de solio suo non valdè procul posito contemplans Nabuchodonosor Rex, & insuper ad maiorem sui confusionem, cælesti prouidentia permissus videre Angelum Dei cum prædictis pariter in igne ambulantem, nimio stupore correptus, confestim surgens, atque ad ostium fornacis festinus accedens, blandis eos verbis euocauit. Ad quos (cùm exissent Sidrach, Misach, & Abdenago) congregati cum Rege cuncti Principes & Optimates eius, vt viderunt nihil in eis præter vincula exustum, & non modò vestimenta, sed ne capillum quidem capitis eorum ab igne læsum, non potuit se ampliùs continere Rex, quin statim in Dei eorum laudes coram omnibus prorumperet; mox eosdem commendans quòd credidissent Deo suo, & pro eodem corpora sua tradere non dubitassent, tulit legem sub pœna capitis & amissionis omnium bonorum, contra blasphemare audentes Deum Iudæorum; prædictos verò tres viros, ad maiores gradus & potestates in Babylonia promouit; & denique prædicari iussit in vniuerso Regno suo mirabilia quæ coram se fecerat Deus, quemadmodum cap. Danielis citato fusiùs describitur.

NABVCHODONOSOR STATVAM AVREAM IVBET ADORARI.

TRES PVERI DE FORNACE EDVCVNTVR ILLAESI.

¶ 5. Sanè prædicta contigisse post somnium statuæ, quod vidit Nabuchodonosor anno Monarchiæ suę secundo (quemadmodum sub anno mundi 3453. num. 1. narratum est) euidenter infertur ex illa Chaldæorum accusatione contra Sidrach, Misach, & Abdenago allata, in qua, ad demonstrandam ipsorum ingratitudinem, memoratur beneficium eis à Rege impensum, quòd scilicet ij essent quos Rex constituerat super opera prouinciæ Babylonis, vt videre est Daniel. cap. 3. vers. 12. quod proculdubiò fecerat Nabuchodonosor ad petitionem Danielis, post prædictum somnium eidem relatum atque interpretatum, vt traditur in calce capitis secundi. Quòd autem hoc eodē anno propè desinente erexerit sibi Nabuchodonosor prędictam statuam auream, eamdemque iusserit adorari, videtur sic posse colligi. Nam paulò post erectionem dictæ statuæ (vt sub anno mundi proximo num. 1. ex Iosepho probabimus) ipse Nabuchodonosor vidit somnium arboris magnæ, à quo somnio ad obitum dicti Regis, nouem dumtaxat anni fluxisse creduntur; siquidem ex cap. Danielis 4. vers. 26. vsque ad finem capitis apparet, ipsum Nabuchodonosor post annum vnum integrum à prædicta arboris visione, diuino permissu, in amentiam incidisse, ac septennio cum feris habitasse; quo elapso, eumdem non diu, nimirum vno tantùm circiter anno superuixisse, infrà sub anno mundi 3470. num. 2. ostendemus.

QVANDO ERECTA SIT PRAEDICTA STATVA.

6. Sed hîc dicet aliquis: Quî fieri potest, vt hoc tempore, hoc est sub finem anni regni Nabuchodonosor trigesimi quarti, facta erectaque fuerit prædicta statua, si textus LXX. Interpretum Danielis cap. 13. in principio expresè sic habet: *Anno decimo-octauo, Nabuchodonosor fecit imaginem auream*, &c. & ita quoque legunt B. Chrysostomus tom. 1. Homil. De tribus pueris, & B. Theodoretus Oratione 3. in Danielem. Ad hoc dicimus, Hunc annum decimumoctauum proculdubiò non posse putari ab initio Monarchiæ ipsius Nabuchodonosor; quia sic concurreret cum quadragesimo primo regni eius, & consequenter cum antepænultimo vitæ ipsius, quo tempore creditur Nabuchodonosor, præ sua amentia, habitasse cum feris; vel si fortè tunc mentem recuperasset, non esset verisimile, quòd post tantam gratiam à Deo acceptam, in tantam incidisset ingratitudinem, vt relicto Deo cæli, à quo (quemadmodum dicitur Daniel. cap. 4. vers. 31. vsque ad finem capitis) sensum pariter & regnum denuò se recepisse profitebatur, propriam sui imaginem auream à cunctis adorari iuberet. Non etiam memoratus annus decimusoctauus numerari posse videtur ab eo tempore, quo primùm ipse Nabuchodonosor regnare cœperat; quoniam vtique necessarium esset, hanc aureæ statuæ erectionem præcessisse visionem somnij alterius statuæ à Daniele interpretari: cui rei obstat ratio paulò antè adducta, & Iosephi Theodoretique sententia, qui tenent, prædictam statuam fuisse erectam post prædicti somnij interpretationem,

TEXTVS LXX INTERPRETVM DANIELIS CAP. 13 VERS. 1. EXPONITVR.

nem, vt testatur Pererius super Daniel. cap. 3. Huc accedit, quòd ex sub anno mundi 3446. num. 6. dictis constat, ipsum Nabuchodonosor anno regni sui decimooctauo non in Babylone residere consueuisse, sed in Reblatha Syriæ vrbe, ob causam ibidem allatam. Sed esto, quòd in aliqua illius anni parte sese in Babylonem recepisset; non tamen inde inferri potest, quòd in illo anno erexerit ibi statuam illam auream; quia proculdubiò sequeretur, id fuisse factum ante Ierosolymitani templi combustionem, quæ (vt sub anno mundi 3447. num. 1. diximus) accidit inchoante anno regni Nabuchodonosor decimonono. Atqui hoc manifestè aduersaretur his, quæ dicuntur in oratione Azariæ apud eumdem Danielem cap. 3. vers. 38. videlicet, eo tempore nullum extitisse apud Hebræos Principem, neque Ducem, neque Prophetam, neque holocaustum, neque sacrificium, neque oblationem, neque incensum, neque locum primitiarum coram Domino; id est, in loco vbi fuerat Templum Domini. & in eodem cap. vers. 28. insinuatur, quòd tunc iam desolata esset Ierusalem. Quare nullo modo videtur posse dici prædictam statuam fuisse erectam in anno regni Nabuchodonosor, neq; Monarchiæ eius decimooctauo. Quid igitur dicemus ad citatum textum LXX. Interpretum? Certè nihil aliud respondere posse videtur, nisi, vel textum illum (vt apertè asserit Pererius in Daniel. cap. 3.) esse mendosum: vel (quia sic dicere animus renuit) hos decem & octo annos non ab initio Regni neque Monarchiæ dicti Nabuchodonosor esse metiendos, sed ab anno regni Sedeciæ nono, quando scilicet Nabuchodonosor anni regni sui decimosexto cœpit oppugnare Ierosolymam, nimirum circa illius anni medietatem, vt sub anno mundi 3444. num. 2. dictum est; tamquam si Scriptura sacra Daniel. cap. 13. vers. 1. notare voluerit annum in quo Nabuchodonosor, ex quo aggressus fuerat Ierosolymis oppugnare Iudæos, viderit grande illud miraculum ab ipsorum Deo perpetratum, cœperitque venerari eum, & ob eius reuerentiam quosdam ex Iudæis ampliùs exaltare. Et pro hac expositione facit, quòd citatus LXX. Interpretum locus non dicit, Anno Regni aut Monarchiæ dicti Nabuchodonosor; sed simpliciter & indeterminatè, *Anno decimooctauo, Nabuchodonosor fecit imaginē auream*, &c. per hoc indicans, illum annum non necessariò esse referendum ad annos Regni seu Monarchiæ ipsius Nabuchodonosor, sed ad aliud tempus; nimirum ad illud quod nos paulò antè indicauimus. Quòd autem Scriptura sacra interdum extraordinariè obiterque metiri annos consueuerit ab aliqua re graui, quæ aliàs præcesserit; iam nos sub anno mundi 3095. num. 3. aliis quoque nonnullis eiusmodi exemplis confirmauimus.

AB ORBE CONDITO ANNVS 3463.	QVINTÆ MVNDI ÆTAT. ANNVS 17.

☞ 1 ANNO proximo, qui erat Regni Nabuchodonosor annus trigesimus quintus, circa initia anni, hoc est (vt testatur Iosephus 10. Antiq. cap. 11. non procul à fine capitis) haud multò post mirabilem illam trium puerorum liberationem de camino ignis ardentis, videns Dominus quòd Nabuchodonosor ingenio esset admodum instabili ac superbo; quandoquidem tametsi, quando videbat aliquid mirandum à Deo Iudæorum fieri, confestim illum commendabat honorabatque; nihilominùs velociter veritatis obliuiscebatur, & non diu in veri Dei cognitione ac veneratione perseuerabat: volens misericors Deus inconstātiam illius salubriter ad tempus plectere, ac superbiam retundere; præmonuit eum in somnis visione cuiusdam arboris magnæ, quæ videbatur pertingere vsque ad cælum, & ramos latè admodum expandere super omnem terram, atque in eis receptum dare volucribus; sub se autem ceteris animantibus terræ, & ex fructibus suis copiosissimis abundè omnibus alimenta suppeditare. Quam arborem audiuit iussam esse succidi, & multa alia aduersus eam prænuntiari, quæ accuratè describit Daniel Prophetiæ suæ c. 4. vbi etiam eamdem visionem eidem Regi adamussim explanat, prædicens ei apertè omnia & singula mala, quæ ventura erant super eum; deditque ei consilium bonum, videlicet, vt peccata sua eleemosynis aliisque miserationis operibus redimere curaret, quemadmodum loco citato legimus. Sed instabilis Rex monita quidem salutis non est auersatus, verumtamen (vt arbitror) eadem opere implere aut neglexit, aut citò diuinarum comminationum oblitus, denuò mentem suam superbiæ fluctibus intumescere atque agitari permisit; nam

NABVCHODONOSOR VIDIT IN SOMNIS ARBOREM MAGNAM.

AB ORBE CONDITO ANNVS 3464. SEXTÆ MVNDI ÆTAT. ANNVS 18.

1 Post menses duodecim, (vt dicitur Daniel. cap. 4. vers. 26.) nimirum anno Regni sui trigesimo sexto circiter ineunte, Nabuchodonosor Rex, cùm quadam die in aula Babylonis deambulans secum cogitaret magnitudinem potētiæ suæ, statimque intus superbia vehementer inflatus, foris quoque prorumpens dixisset: *Nónne hæc est Babylon magna, quam ego ædificaui in domum regni, in robore fortitudinis meæ, & in gloria decoris mei?* vix ista verba protulerat, quando mirabiliter audiuit de cęlo vocem dicentem sibi: *Tibi dicitur Nabuchodonosor Rex, Regnum tuum transibit à te, & ab hominibus eiicient te, & cum bestiis & feris erit habitatio tua; fœnum quasi bos comedes, & septem tempora mutabuntur super te, donec scias quòd dominetur Excelsus in Regno hominum, & cuicumque voluerit det illud.* Quibus expletis, illicò impleri sermo cœptus est: nam eadem hora Nabuchodonosor in insaniam & furorem versus, confestim ab hominum consortio eiectus, per agros & saltus herbam comedens, cum bestiis ac feris habitare cœpit, vt traditur Danielis cap. 4. vers. 26. vsque ad 31. Quæret fortè aliquis, cur tantus Rex foràs eiectus fuerit, & nō potiùs in aliquo inclusus cubiculo, ne quemquam lædere posset? Audiat B. Theodoretum in Oratione 4. in Danielem non procul à fine dicentem: *Expulsus primùm est propter ipsum morbum; furore enim & rabie correptus, infinita mala perpetrasset, si modò ei facultas data fuisset. Deinde etiam propter odium quod in illum omnes habentes, cùm valebat, occultare conabantur; cùm verò in calamitatem incidisset, omnes ei insultabant, ob crudelitatem ipsum abominati.* sic Theodoretus. Puto autem & id diuino factum esse consilio, vt non serui modò, sed & amici quoque ac propinqui Regis, vicem eius minimè dolerent; quin potiùs omnes pariter ipsum abominarentur, atque à se propellerent; sicque sermo Domini ad eum factus per omnia adimpleretur. Exponens verò proximè citatus Auctor quod sequitur, videlicet, *Et fœnum vt bos comedit: Proprium*, inquit, *desipientium est, non solùm dicere ac facere ea quæ ratione & ordine careant, sed omnia etiam in quæcumque inciderint, comedere: quod cerni etiam nunc potest in his qui à dæmonibus vexantur; talia enim & faciunt, & patiuntur. Neque solùm vt bos comedit fœnum, verùm sub dio etiam defatigatus, nudoq; corpore cum gelu & æstu conflictans, necessariò alium colorem accepit: non detonsus quoque vsitato more, neque resectis vnguium excrementis, necessariò valdè longos habuit & capillos & vngues. His autem omnibus significabat, neglectum ipsum, & nulli curæ alicui fuisse: diuina enim prouidentia destitutus, ne propinquorum quidem cura potitus est, cùm præsertim ipsi adessent, vxor, liberi, & cognati; sed instar feræ, inculta loca peragrabat, bestiarum cibum ventri indulgens: nam quia homo cùm esset, & in honore maximo, non intellexit, comparatus est iumentis insipientibus, & similis factus est illis: & qui in sibi subiectos ferina mente & animo fuerat, meritò etiam ferina & agresti vita iustissimè damnatus fuit.* hucusque Theodoretus.

NABVCHODONOSOR INSANIENS HABITAT CVM BESTIIS.

CVR EIECTVS, ET NON POTIVS IN ALIQVO LOCO INCLVSVS.

¶ 2. Ex cuius dictis inferre licet, quòd quando dicitur Nabuchodonosor fuisse commutatus in bestiam, non est accipienda talis commutatiò tamquam fabulosa, quales fuerunt quæ apud Ouidium in lib. Metamorphoseôs habentur: siquidem Scriptura sacra non fabulosè, sed veracissimè loquitur. Neque potest dici fuisse vera, ita vt reipsa per diuinam potentiam fuerit transmutatus in belluam, sicuti reipsa mutata fuit vxor Lot in statuam salis. Non item fuit hæc transmutatio naturalis, quemadmodum fit in quibusdam vermiculis, qui naturaliter in muscas & in papiliones transformari solent: sed fuit imaginaria, nimirum ex quadam læsione temperamenti ac organorum cerebri proueniens, ita vt ipse Nabuchodonosor actuali intellectus rationísve lumine destitutus, & in sua imaginatiua seu phantasia (quæ inter sensitiuas potentias primaria est) valdè deprauatus ac delusus, seipsum verè belluam esse firmiter opinaretur crederetque; sic enim etiam indicasse videtur B. Thomas libro 2. de Regimine Principum cap. vltimo. Contigit autem huic Regi hæc cerebri læsio non ex causis naturalibus, quemadmodum multis euenire solet; sed (vt arbitror) ex pessima quadam affectione, in pœnam superbiæ suæ eidem à Deo immissam, siuè immediatè per diuinam eius potentiam, siue ministerio dæmonum, qui sunt diuinæ vindictæ & castigationum etiam temporalium executores, vt patet de Saule, quem spiritus malus à Domino missus exagitabat; & de Iob, cuius omnia dederat Dominus in potestatem satanæ, præscripta ei dumtaxat lege, vt scilicet animam, hoc est vitam eius omnino seruaret. Porrò pessima hæc prædicti Regis affectio causabat efficiebatque in eo omnes illos irrationales effe-

QVOMODO COMMVTATVS IN BESTIAM.

ctus, qui de ipso leguntur: nam sicuti videmus, quòd qui ex melancholicis quibusdam passionibus vitreos se esse putant, à quolibet se tangi studiosissimè cauent, semper pertimescentes ne facilè se frangi contingat: & qui se mortuos esse opinantur, à viuentium actibus, quantum fieri potest, abstinent, vel abstinere se credunt; & propterea nec mouere se volunt, nec manducare, nec loqui; aut si quid horum faciunt, id se facere non aduertunt: quare si contingat eos aliqua de re argui, aiunt, Si non essem mortuus, responderem, faceremque hoc vel illud. & in summa, singuli videntur agere, atque in omnibus se gerere secundùm naturam illius rei in quam se transformatos esse arbitrantur: ita & Nabuchodonosor, quia ex forti, vt diximus, imaginationis læsione se belluam esse existimabat, belluarum actus, quantum poterat, exercebat; proinde sub dio nudus, intonsus & incultus perpetuò morabatur, fœno siue herbis campestribus vescebatur, & pronus pedibus ac manibus pariter reptans incedebat, atque ab omni hominum consortio segregatus, cum iumentis ferisque erat habitatio eius, diuina tantùm prouidentia ab eisdem feris nil læsus. Vnde factum est, vt processu temporis, corporis eius temperamentum priùs valdè delicatum, eousque (citra tamen omnimodam propriæ naturæ corruptionem) immutatum sit, vt iumentorum belluarúmve temperamento proximum esse videretur; & exterior eius figura, in positione, colore, actibusque suis, iam ampliùs non humana, sed ferina appareret. In hoc tam miserabili statu, Deo permittente, permansit Nabuchodonosor septem temporum intercapedine; hoc est, non septem mensibus, vt quidam putarunt; neque tribus dumtaxat annis cum dimidio, vt alij: sed septem annis integris, quemadmodum est communior opinio, saniorumque sacrorum Expositorum, & Iosephi 10. Antiq. cap. 11. nō procul à fine, sententia; regnum interim eius administrante vel Euilmerodach eius filio, vel alio inter Chaldæos Primario, vt in eiusmodi casibus apud ipsos fieri consueuisse testatur Berosus à Iosepho relatus libro 10. Antiq. cap. 11. prope finem, & libro 1. Contra Apionem circa medium. Probabile verò est (seclusa Dei prouidentia, quæ omnium euentuum prima causa est) Chaldæos tamdiu pacificè sui Regis curationem à Deo expectasse, fretos vaticinio Danielis, quem cùm veracem in morbi eius prænuntiatione experti essent, veridicum quoque ac fidelem in eiusdem mali duratione, ac post præfinitum tempus liberatione pariter prænuntiata, futurum meritò credere potuerunt.

AB ORBE CONDITO ANNVS 3470. | SEXTÆ MVNDI ÆTAT. ANNVS 24.

NABVCHODONOSOR SANITATI ET REGNO RESTITVTVS.

1 ANNO regni Nabuchodonosor quadragesimo secundo circiter desinente, qui erat regni eius vitæque pariter pænultimus, vt patet in tabulis; vel quadragesimo tertio inchoante, nimirum expletis septem illis amentiæ suæ annis; ipse Nabuchodonosor nulla ope humana, sed sola Dei benignitate ac clementia, pristinæ restitutus est sanitati; statimque integris sensibus & sana mente, erectaque corporis figura, stans recognouit se esse hominem, iustè quidem priùs à Deo humiliatum, nunc verò eiusdem Dei miseratione subleuatum. Itaque protinus oculis ac mente in cælum eleuatis, Altissimo benedixit, deditque gloriam Deo, quem corde credidit, & ore confessus est, esse omnipotentem, & super omnia; ita vt cuncta ei comparata, pro nihilo reputanda sint. Nec multò pòst, etiam ad pristinum Regni statum honoremque vno omnium ore sublimatus est. Siquidem, vt primùm Optimates eius & Magistratus certiores facti sunt, quòd Nabuchodonosor tandem resipuisset, & à sua animi ægritudine iam plenè curatus esset; certatim ad ipsum conuenientes, & fausta acclamantes, eumdem honorificè, vt priùs, pro legitimo suo Rege receperunt: qui deinceps regnum illud magnificentiùs quàm anteà administrare cœpit, iugiter laudans & glorificans Deum cæli; *Quia*, inquit, *omnia opera eius vera, & viæ eius iudicia, & gradientes in superbia potest humiliare.* Daniel. cap. 4. vers. 31. vsque ad finem capitis.

CVR NON SOLVERIT CAPTIVITATEM, AVT IECHONIAM SVBLEVAVERIT.

2. Hîc si quis fortè percontetur, Cur Nabuchodonosor, posteaquam opera & consilio Danielis, & propria demum experientia didicit Deum Iudæorum verè esse supremum omnium quæ sunt aut esse possunt Dominum, ac proinde eumdem ex corde colere cœpit; cur inquam de soluenda ad diuini nominis gloriam, & in prædicti Danielis gratiam, Iudæorum captiuitate nihil prorsus egerit? Vel cur saltem Iechoniam aliàs Regem Iuda, quem præter ius & fracta fide (vt scribit Iosephus 10. Antiq. cap. 9. & 12.) captiuum abduxerat, & iam per tot annos grauiter oppressum tenebat, non subleuauerit? Aut cur ipse Daniel, qui adeò Regi acceptus erat, vt eum Rex collegam appellare non

non dubitauerit, Daniel.cap.4.verſ.5. & eumdem cum filio ſuo regni coheredem facere cogitauerit, quemadmodum ſcribere non dubitarunt Dorotheus in Synopſi, & ſanctus Epiphanius in Vita ipſius Danielis; cur inquam nihil prædictorũ à Rege vnquam poſtulauerit obtinueritve? Reſponderi poteſt, Diuina prouidentia factum eſſe, vt nihil horum Regi in mentem venerit, & vt pariter ipſe Daniel nihil tale ab ipſo Rege poſtulare auſus fuerit; quoniam Iechonias adhuc aliquantulo tempore peccatorum ſuorum pœnas exoluere debebat, & Iudaicum populum non niſi poſt ſeptuaginta captiuitatis annos in patriam reuerſurum, iam Deus omnino decreuerat, iuxta Ieremiæ vaticinium, quod Danieli quoque innotuiſſe, ex libri eius cap.9.verſ.2. ſatis conſtat. Vel etiam dicere poſſumus, ipſum Nabuchodonoſor, in recognitionem tanti beneficij à Deo accepti, prædicta quidem facere decreuiſſe, ſed aliis grauiſſimis regni negotiis, in illo præſertim ſuo nouo regnandi initio, valdè diſtentum, diſtuliſſe, ac demum proxima præuentus morte, eadem præſtare non valuiſſe: mandaſſe tamen Euilmerodach filio ac ſucceſſori ſuo, vt faceret. Qui poſteà anno regni ſui primo Iechoniam quidem ſubleuauit, vt ſuo loco dicetur; captiuitatem verò relaxare, Deo ſic diſponente, neglexit. Quod autem Nabuchodonoſor, poſt recuperatam mentem Regnumque, non diu, hoc eſt non plùs vno circiter anno ſuperuixerit, ſatis probabiliter coniectatur Pererius lib.5.in Danielem, ferè in ipſo libri exordio; idque colligit tum ex ipſa annorum Regni eius diſtributione; tum quia, inquit, ſi diutiùs vixiſſet, multa ſine dubio feciſſet inſignia, & ad Dei gloriam illuſtrandam, quam tam diſertis & magnificis verbis prædicauerat; & ad promouendam Iudæorum vtilitatem: quæ Daniel, vt alia eius Regis facta, in ſuo libro prodidiſſet.

AB ORBE CONDITO ANNVS 3471. | SEXTÆ MVNDI ÆTAT. ANNVS 25.

☞ 1 SVB finem anni tranſmigrationis Iechoniæ trigeſimi ſexti, vel circa initia ſequentis, oportet deceſſiſſe Nabuchodonoſor Regem Babylonis: tum quia (vt ſub anno mundi proximo num.1. probabitur) annus inſequens dicitur primus regni Euilmerodach, qui ei immediatè ſucceſſit, vt pluribus probat Pererius ſuper Daniel. cap.5. vbi differit de ſucceſſoribus Regis Nabuchodonoſor, refellitque opinionem Auctoris Hiſtoriæ Scholaſticæ, qui ponit, Euilmerodach tertio poſt magnum Nabuchodonoſor loco regnaſſe; tum etiam, quoniam hoc tempore expletus eſt numerus annorum quadraginta trium, quibus eumdem Nabuchodonoſor regnaſſe probat B. Hieronymus ſuper Daniel.cap.5. auctoritate Beroſi & Ioſephi, vt patet lib.10. Antiq.cap. 11. non procul à fine capitis, & circa medietatem lib.1. Contra Apionem; & idem confirmat Euſebius lib.9. de Præparatione Euangelica cap.4. ex Alexandro Polyhiſtore. Vnde infertur, eumdem Euſebium decipi in Chronicis, vbi ponit, obitum Regis Nabuchodonoſor, & principium regni Euilmerodach contigiſſe in anno à deſolata Ieroſolyma decimonono: ex quo ſequeretur, ipſum non exceſſiſſe annum regni trigeſimum ſeptimum: ſiquidem iam ſub anno mundi 3429. num.5. & aliàs quoque demonſtratum eſt, Ieroſolymam anno regni Nabuchodonoſor decimonono inchoante, à Nabuzardan Principe militiæ eius fuiſſe incenſam & euerſam. Hallucinantur item, qui tribuunt ipſi Nabuchodonoſor annos regni quadraginta quinque: nam ab anno regni Ioakim quarto, qui fuit primus regni Nabuchodonoſor, vt expreſsè tradit Ierem. c.25. verſ.1. vſque ad annum tranſmigrationis Iechoniæ trigeſimum ſeptimum, qui fuit primus regni Euilmerodach (vt patet 4.Reg.cap.vlt.verſ.27. & Ierem. cap.vlt. verſ.31.) non niſi tres & quadraginta anni inueniuntur, quemadmodum apparet in tabulis. Poſſet tamen admitti opinio illorum, qui eidem Nabuchodonoſor tribuunt regni annos quadraginta quattuor, ſi poſtremum non expleuiſſe, ſed tantummodò attigiſſe concedant. NABVCHODONOSOR MORITVR.

2. Ceterùm, hunc Nabuchodonoſor poſt eius obitum in locum conceſſiſſe ſalutis, inde poſſumus coniicere, quòd ex quo Scriptura ſacra pœnitentiæ ipſius veræque in Deum conuerſionis mentionem fecit in capitulo Danielis quarto, ibi, vt notat Lyranus, eiuſdem terminat hiſtoriam; neque poſtmodum in eo libro aut alibi, de eius relapſu quidquam meminit indicátve. Vnde ſatis euidenter datur intelligi, ipſum deinceps in toto reliquo vitæ ſuæ tempore agnouiſſe ac laudaſſe Dei virtutem ac prouidentiam: nam & Ioſephus 10.Antiq.cap.12. inducit Danielem coram Baltaſſar Rege idipſum aſſerentem; & in eamdem quoque currunt ſententiam Carthuſianus, alijque Danielis Expoſitores; & nouiſſimè Pererius, qui idem confirmat pluribus ſanctorum Patrum aucto- QVOD NABVCHODONOSOR IN STATV SALVTIS OBIERIT.

auctoritatibus Hieronymi, Augustini, Dorothei, Epiphanij, Theodoreti, & aliorum; & occurrit obiectioni, quæ ex verbis Isaiæ cap. 14. vers. 11. vsque ad 16. desumi posse videtur. Quæ omnia breuitatis causa libenter prætereo, quòd ea hîc latiùs explicare non necessarium videatur.

AB ORBE CONDITO ANNVS 3472. SEXTÆ MVNDI ÆTAT. ANNVS 26.

REGNAT EVILMERODACH IN BABYLONE, ET SVBLEVAT IECHONIAM.

1 Anno transmigrationis Iechoniæ trigesimo septimo, regnauit Euilmerodach in Babylone pro Nabuchodonosor patre suo, vt dictum est, iam defuncto; & anno regni sui primo subleuauit caput Iechoniæ Regis Iuda, eductumque de carcere, ac regio indutum cultu, benignè allocutus est; posuitque thronum eius super thronos Regum, qui erant post se in Babylone; & constituta eidem conuenienti annona, quæ posteà iugiter data est ei donec superuixit, fecit eum suæ mensæ conuiuam: 4. Reg. cap. vlt. vers. 27. vsque ad finem capitis, & Ierem. c. vlt. vers. 31. vsque ad finem. Erat autem Iechonias, quemadmodum videre est in tabulis, annorum quinquaginta quinque, quando memoratam obtinuit gratiam; nimirum, vt arbitror, circa initia regni ipsius Euilmerodach: nam quod locis proximè citatis dicitur, *Mense duodecimo, vigesima septima die mensis*, non ad annum regni eius primum, sed ad Annum Hebræorum sacrum, qui tum currebat, referendum puto. Quod verò dictum est, Iechoniam de carcere eductum; non ita accipiendum crediderim, ac si priùs semper in carcere mansisset inclusus: nam ex Baruch cap. 1. vers. 3. & 4. videtur etiam ipse Iechonias, anno transmigrationis suæ quinto, cum ceteris Iudæis in Babylone concaptiuis, conuenisse ad flumen Sodi: vbi cunctis audientibus lectus fuit liber Prophetiæ ipsius Baruch, vt ibidem refertur. Quare alterum de duobus videtur esse dicendum: Vel quòd tunc de licentia Præpositi carceris ad memoratum captiuorum cœtum conuenerit; quod vtique non omnino videtur verisimile: Vel (quod magis placet) dici nunc Iechoniam eductum de domo carceris, id est liberatum de custodia militum, quorum curæ fuerat creditus, quemadmodum de B. Paulo legimus Actorum cap. vlt. vers. 16. in hæc verba: *Cùm venissemus Romam, permissum est Paulo manere sibimet cum custodiente se milite*: id enim carceri quodammodò comparari posse videtur.

CVR IECHONIAM SVBLEVAVERIT.

2. Hîc si quis quærat causam cur Euilmerodach Iechoniam subleuauerit; respondere possumus, eam à nobis sub anno mundi 3470. num. 2. fuisse indicatam: nimirum, credibile videri, quòd Nabuchodonosor moriens, ad preces Danielis, filio ac successori suo in mandatis reliquerit, vt id quamprimùm præstaret. Verùm quia de hoc nihil certi adferre possumus, præstat dicere, diuino consilio ac prouidentia factum fuisse, vt Iechonias tandem inueniret gratiam in conspectu Regis Babylonis; & ab Euilmerodach subleuatus, in honore deinceps haberetur in Babylonia: quoniam tametsi ipse fecisset malum coram Domino, vt numero proximo probabitur; attamen fuerat obediens Deo & Ieremiæ, quando ei deditionem Babyloniis faciendam suaserat, quemadmodum sub anno mundi 3436. num. 1. dictum est; & insuper se valdè pium ac beneficum erga patriam ostenderat, non sustinens (vt tradit Iosephus 10. Antiq. cap. 9.) eam sui causa periclitari: quin potiùs, vt ipsam ab intentato excidio præseruaret, vltrò se suaque omnia in potestatem Regis Babylonis tradiderat. Hanc reor veram esse causam, quòd Deus, qui corda etiam Regum (vt dicitur Prouerb. cap. 21. vers. 1.) in manu habet, & quocumque voluerit inclinare potest soletque, flexerit cor ipsius Euilmerodach ad clementiam ac beneficentiam erga ipsum Iechoniam, vt prædictum eius obedientiæ pietatisque actum remuneraret: quemadmodum econuersò non inultam reliquerat inobedientiam atque impietatem Sedeciæ, iuxta Ieremiæ vaticinia cap. 24. vers. 8. & alibi non semel conscripta. Aliam subleuati Iechoniæ causam more suo commenti sunt Hebræi, vt refert S. Hieron. in Isaiæ cap. 14. dicens: *Narrant Hebræi huiuscemodi fabulam: Euilmerodach, qui (patre suo Nabuchodonosor inter bestias per septem annos viuente) antè regnauerat, postquam ille restitutus in regno est, vsque ad mortem patris, cum Ioachin Rege Iudæ in vinculis fuit. Patre autem mortuo cùm rursus ei in regnum succederet, & non susciperetur à Principibus, qui metuebant ne viueret qui dicebatur extinctus, vt fidem patris mortui faceret, aperuit sepulcrum, & cadauer eius vnco & funibus traxit.* hæc illi. Quibus alia addit Auctor Historiæ Scholasticæ in Danielem cap. 5. inquiens: *Tradunt tamen quidam, quòd Euilmerodach in diebus eiectionis paternæ multa egit impiè in terra; & patre restituto, accusatus apud eum, missus est in carcerem vbi Ioachin erat. Cumque posteà regnare cœpisset,*

eleuauit Ioachin quem socium habuerat in carcere; timensq́ ne resurgeret pater suus, qui de bestia redierat in hominem, consuluit Ioachin, ad cuius consilium, cadauer patris sui effossum diuisit in trecentas partes, & dedit eas trecentis vulturibus. Et ait ad eum Ioachin: Non resurget pater tuus, nisi redeant vultures in vnum. hucusque citata Historia. Ex qua similia desumpserunt Lyranus & Abulensis in 4. Reg. cap. vlt. & Carthusianus, & Hugo Cardinalis in Isai. cap. 14. Sed hęc tametsi adeò fabrè composita fuerint, vt aliquam saltem præseferant probabilitatem: nihilominùs, si sanctus Doctor à se superiùs relata, inter fabulas computanda censuit, multò magis fabulosa esse, minusque recipienda videntur, quæ posteà illis alij (vt dictum est) addiderunt.

3. Sanè prædictus Iechonias in Babylone genuit Salathiel, Salathiel autem genuit Zorobabel, Matthæi cap. 1. vers. 12. Sed & præter Salathielem alios quoque septem filios genuit Iechonias, qui nominatim recensentur 1. Paralip. cap. 3. vers. 17. & 18. videlicet, Asir, Melchiram, Phadaia, Senneser, Iecemia, Sama, & Nadabia. Quare, quòd idem Iechonias Ierem. cap. 22. in fine appellatur sterilis, vel metaphoricè accipiendum videtur, id est sine fructu bonorum operum (de ipso enim legitur 4. Reg. cap. 24. vers. 9. quòd *fecit malum coram Domino iuxta omnia quæ fecerat pater eius:*) vel melius in eo sensu qui ibidem videtur explicari, cùm subiungitur: *Nec enim erit de semine eius vir qui sedeat super solium David.* id est, quia nullum genuit Regem. Quando autem Iechonias genuerit Salathielem, antè, an postquam de custodia liberatus fuit, incompertum habemus: probabilius tamen videtur, quòd genuerit eum non multò post sui liberationem. Oportet autem dictum Zorobabelem, qui non solùm loco Matthæi citato, sed etiam 1. Esdræ c. 3. vers. 2. & 8. & cap. 5. vers. 2. & Aggæi cap. 1. vers. 1. 12. & 14. & cap. 2. vers. 2. & 24. dicitur filius Salathiel, fuisse diuersum ab illo Zorobabel, qui 1. Paralip. cap. 3. vers. 19. dicitur filius Phadaiæ; tum quia ibi nulla fit mentio filiorum Salathielis, sed tantùm Phadaiæ eius fratris; tum etiam quia primus Zorobabel apud S. Matthæum dicitur genuisse filium nomine Abiud, qui non reperitur inter filios alterius Zorobabelis loco Paralip. adducto nominatim recensitos. Signum ergo est quòd isti duo Zorobabeles omnino fuerunt inter se diuersi, licet cognatione propinqui. Prior namque erat posterioris patruus, & posterior prioris nepos ex fratre. Falluntur ergo qui crediderunt vnum tantùm fuisse Zorobabelem, dicentes, Salathielem Zorobabelis patrem, & Abiud Zorobabelis filiũ fuisse binomines; & Salathielem alio nomine appellatum Phadaiã, Abiud verò etiam nuncupatũ esse Mosollam. Hæc enim cùm ipsi probare nullo modo possint, nec debuissent confingere. Puto autem quòd Salathiel genuerit Zorobabelem non plusquam quindecim circiter annis antequam soluta esset Babylonica Iudæorum captiuitas: siquidem ipse Zorobabel anno regni Darij Hystaspis primo erat adhuc iuuenis, vt apertè colligitur 3. Esdræ cap. 3. vers. 4. & cap. 4. vers. 13. Illud verò certissimum est, eumdem Iechoniam & matrem eius defunctos esse in Babylone, quemadmodum expressè prophetauerat Ieremias cap. 22. vers. 26. Quod de ipsis, & item de Salathiele filio eius confirmari potest; quoniam inter illos, qui post solutam captiuitatem reuersi sunt in Iudæam, nusquam ipsorum fit mentio; sed tantummodò Zorobabelis: & insuper, quod attinet ad Iechoniam; quia (vt dicitur in fine libri 4. Reg. & Prophetiæ Ieremiæ) cibaria quæ assignauerat Euilmerodach Iechoniæ in Babylone, data sunt ei omnibus diebus vitæ suæ; ergo ibidem mortuus est. Sed & hinc etiam inferri posse videtur, ipsum Iechoniam ante memoratum Euilmerodach obiisse: non enim constat, eius successores adeò Iudæis fuisse beneuolos, vt probabile sit, eos, mortuo Euilmerodach, hanc Iechoniæ humanitatem præstare voluisse.

IECHONIAS GENVIT SALATHIEL.

LOCVS IEREM. C. 26. IN FINE, EXPLICATVR.

ZOROBABEL FILIVS SALATHIEL DIFFERT A FILIO PHADAIAE.

¶ 4. Vt autem nemo hæsitet de eo quod suprà num. 1. & aliàs diximus; nimirum, Euilmerodach fuisse ipsius Nabuchodonosor filium; operæpretium duximus, pro huius rei confirmatione hîc aliquot grauissimorum atque antiquissimorum Scriptorum, qui id apertè testantur, testimonia proferre: & primò Berosi Chaldaicæ Historiæ lib. 3. cuius verba refert Iosephus lib. 1. Contra Apionem circa mediũ, qui hoc idem asserit 10. Antiq. cap. 12. in principio: item Alexandri Polyhistoris, & Alphæi ex Megasthene, quos refert Eusebius lib. 9. de Præparatione Euangelica cap. 4. Et hos sequuntur B. Hieronymus & B. Theodoretus super Daniel. c. 5. & Seuerus Sulpitius Historiæ sacræ lib. 2. non longè ab initio, & Beda in libello de Sex ætatibus mundi, sub anno eius 3389. & alij. Quare reiicienda omnino est opinio Auctoris Historiæ Scholasticæ, Danielis c. 5. qui contra vniformem tot priscorum Auctorum attestationem, ausus est sine vllo fundamento asserere, eumdem Euilmerodach non fuisse filium, sed fratrem dicti Nabuchodonosor natu minorem.

QVOD EVILMERODACH FVERIT FILIVS NABVCHODONOSOR.

DE REGIBVS AB OBITV NABVCHODONOSOR, AD SOLVTAM CAPTIVITATEM IN BABYLONE.

5. Ceterùm, ab hoc anno transmigrationis Iechoniæ trigesimo septimo inclusiuè sumpto, hoc est ab obitu Regis Nabuchodonosor, ad finem septuaginta annorum Babylonicæ captiuitatis, quæ anno Monarchiæ Cyri primo soluta fuit, necesse est fluxisse annos quadraginta quinque: ijs enim si iungātur anni viginti quinque, qui ab initio anni deciminoni regni Nabuchodonosor, quando euersa fuit Ierosolyma, fluxerunt vsque ad obitum dicti Regis, resultabit prædicta septuaginta annorum Babylonicæ captiuitatis summa, quam nos sub annis mundi 3429. num. 9. vsque ad 13. & 3447. num. 2. & 3. pluribus argumentis & sacræ Scripturæ testimoniis demonstrauimus, à Templi desolatione initium sumpsisse, atque memorato anno Monarchiæ Cyri primo terminasse. Quomodo autem isti quadraginta quinque anni dispertiendi sint inter Reges Babylonis, qui post Nabuchodonosor successiuè vsque ad finem illius Imperij regnarunt, valdè perplexum est; præsertim cùm neque de numero istorum Regum vna eademque sit omnium Doctorum sententia. Quidam enim duos tantùm ponunt, videlicet Euilmerodach & Baltassar. Alij quattuor commemorant; siquidem inter hos duos, constituunt alios duos, nempe Niglisar & Labosardach: & hoc nobis magis placet, quoniam hæc fuit vetustissimorum Scriptorum sententia, quos suprà num. 3. ex Iosepho & Eusebio retulimus, scilicet Berosi, Alexandri Polyhistoris, Megasthenis, & Alphæi, quibus meritò in hac parte maior quàm quibusdam recentioribus habenda est fides.

QVOT ANNIS PRAEDICTI REGES SINGVLI REGNAVERINT.

6. Verùm de numero annorum quibus duo priores, nimirum Euilmerodach & Niglisar, regnauerint (de aliis enim duobus, hoc est Labosardach & Baltassar, conuenit) magna quoque inter Auctores varietas reperitur: nam de Euilmerodach, Berosus à Iosepho, & Alexander Polyhistor ab Eusebio locis suprà citatis relati, dicunt ipsum duos tantùm regnasse annos; Seuerus autem Sulpitius loco superiùs adducto, duodecim annos regnasse afferit; Iosephus verò & Beda vbi suprà, eidem tribuunt regni annos decem & octo: reliqui, præsertim recentiores, viginti tres. Similiter & Niglisaro Berosus quattuor dumtaxat; Iosephus autem & Beda quadraginta annos regni assignant. Quare cùm impossibile videatur hos inter se conciliare Auctores, facileq; fieri possit, vt inde hæc exorta sit varietas, quòd vetustissimi ipsorum codices aliquando in eiusmodi numeris, antiquariorum incuria, deprauati fuerint: ne frustrà tempus in re tam ancipiti conteramus, Beroso potissimùm adhærentes, cùm ipse dicat Niglisar regnasse annos quattuor, & Labosardach ferè vnum; & Baltassar, quem ipse vocat Nabonedum, decem & septem: rectè possumus cum omnibus ferè recentioribus Scriptoribus reliquos viginti tres, saltem inchoatos, ipsi Euilmerodach assignare; cui, quòd Berosus duos tantùm tribuerit, non Auctoris, sed librariorum vitio credimus accidisse, qui pro viginti duos, subaudi, integros, corruptè duos scripserunt. Ad quod credendum me mouet Primò, quòd talis error facilè admodum accidere potuisse videtur. Deinde, quia Baltassar nō in fine anni septuagesimi Babylonicæ captiuitatis interfectus fuit, sed circa illius initia; eo enim anno pro maiori parte regnauit in Babylone Darius Medus, vt suo loco dicemus: quamobrem oportet viginti tres regni Euilmerodach annos fuisse tantummodò inchoatos; Berosum autem integros dumtaxat recensuisse, nimirum, vt diximus, viginti duos.

AB ORBE CONDITO ANNVS 3476. — SEXTÆ MVNDI ÆTAT. ANNVS 30.

ESDRAE PERTVRBATIO, ET LIBRI.

1 ANNO ruinæ ciuitatis (subaudi, Ierusalem) trigesimo, Esdram, cùm esset in Babylone, in magnam incidisse animi perturbationem, ex intensa quadam quæ ei irrepsit prosperitatis malorum hominum, & bonorum afflictionis consideratione; legimus in libro sui nominis 4. cap. 3. vers. 1. vbi hoc argumentum idem Auctor in toto illo capite fusiùs prosequitur: in sequenti verò ait, hanc suam satis curiosam diuinæ prouidentiæ perscrutationem, variis ab Angelo similitudinibus fuisse retusam. Sed quisnam scripserit lib. 3. & 4. Esdræ, qui Canonici non sunt, omnino ignoramus. Quamuis enim ipsorum Auctor apertè non in titulo solùm, sed & in ipsis libris, præsertim verò in principio lib. 4. quem ipse 2. vocat, se Esdram nominet, & ibidem suam ponat genealogiam vsque ad Aaron sursum ductam, valdè similem illi quæ de vero Esdra habetur 1. Esdr. cap. 7. vers. 1. ex quibus videtur se eumdem facere cum illo: attamen credimus hunc ab illo valdè esse diuersum, & tertium quartumque Esdræ libros, non à vero Esdra lib. 1. & fortè etiam 2. (quos constat esse Canonicos) auctore; sed ab aliquo alio fuisse conscriptos, & partim ex Canonicis libris, partim ex

non Canonicis fuiſſe compilatos, falſoque ſub nomine veri Eſdræ editos; ac diuina diſpenſatione factum eſſe, quòd iſte Auctor ſcriptum reliquerit, ſe anno trigeſimo ruinæ ciuitatis in maximam illam incidiſſe conturbationem; vt vel ſic aliquo modo innoteſceret, ipſum non eſſe verum Eſdram, quem eo anno necdum fuiſſe natum, ex his quæ nos ſub anno mundi 3616. num. 26. & 27. diſputabimus, ſatis probabiliter inferri poterit.

AB ORBE CONDITO ANNVS 3483. | SEXTÆ MVNDI ÆTAT. ANNVS 37.

1 ANNO regni Euilmerodach Regis Babylonis duodecimo, incidit annus Iubilei decimioctaui; erat enim nongenteſimus ab introitu filiorum Iſrael in terram Chanaan, vt videre eſt in tabulis: quamquam Iudæis tum in captiuitate exiſtentibus prodeſſe nihil poterat. IVBILEVS 18.

AB ORBE CONDITO ANNVS 3493. | SEXTÆ MVNDI ÆTAT. ANNVS 47.

1 ANNO regni Euilmerodach vigeſimo ſecundo ad finem vergente, oportet aut regno ſpoliatum fuiſſe, vt magis credimus, aut mortuum eſſe Aſtyagem Regem Medorum atque Perſarum; hoc enim tempore complentur triginta & octo anni quibus ipſum regnaſſe ſcribit Euſebius in Chronicis, vt patet in tabulis; & idem videtur poſſe colligi ex his quæ ſub anno mūdi proximo dicemus de initio regni Cyri Regis Perſarum. Quamobrem rectè Danielis cap. 13. in fine, vbi dicitur, *Et Rex Aſtyages appoſitus eſt ad patres ſuos*, (quæ verba non de Dario, quem Aſtyagem quoq; aliquando appellatum ferunt; ſed de patre ſuo Aſtyage, nos cum Hugone Cardinali, Lyrano, & Carthuſiano, & aliis, quidquid ſecùs aliqui ex recentioribus ſentiant, accipienda exiſtimamus) ſtatim ſubiungitur: *Et ſuſcepit Cyrus Perſes regnum eius.* id eſt, vt ibidem proximè citati Expoſitores declarant, regnum Perſarum; nam regnum Medorum tunc remanſit Dario, quem ſub anno mundi 3454. num. 2. à Græcis Cyaxarem appellatum diximus. Etenim iuxta magis probatam ac receptam horum Regum hiſtoriam (quæ tamen diuerſimodè ab Herodoto & Xenophonte, aliiſque Auctoribus traditur) conſtat, quòd Aſtyages, ob cauſam ſub anno mundi 3456. num. 1. ex Iuſtino allatam, cum nepote ſuo Cyro bellum geſſerat; in quo, vt primùm aſtutus ſenex aduerterat, quòd bellicoſiſſimus iuuenis, quem ipſe odio proſequebatur, valdè eum premeret; volens proſpicere ne ad illum aliquando regnum ſuum deueniret, filium ſibi adoptauerat prædictum Cyaxarem conſobrinum ſuum; eumdemque regni heredem inſtituerat: poſteà verò ab eodem Cyro debellatus Aſtyages regnoque pulſus, & in Carmaniam ſiue Hyrcaniam relegatus obiit. Cyrus autem aui morte audita, veritus, ne ſi etiam Cyaxarem ſiue Darium auunculum ſuum regno propellere tentaret, omnium contra ſe Medorum odia vireſque concitaret; retento ſibi Perſidis regno, quod iam occupauerat, Mediæ regnum auunculo pacificè dimiſit, ea conditione, vt illo mortuo regnum illud ad ipſum Cyrum tranſiret. Poſt multos verò annos, Darius Rex Medorum, adiuncto ſibi ſocio atque adiutore præfato Cyro Rege Perſarum, & ſororis ſuæ filio, Chaldæos cùm debellaſſet, vnicam filiam eidem Cyro dedit vxorem, eumdemq; certiorem reddidit de reſtitutione regni Medorum poſt eius obitum: nam tunc denuò ipſum eiuſdem regni heredem ac ſucceſſorem inſtituit. quod quando acciderit, infrà ſuo loco dicetur. Sanè prædictum Darium, ſeu Cyaxarem, dediſſe filiam ſuam in vxorem Cyro, tradidit etiam Xenophon lib. 8. Pædiæ Cyri poſt medium. Ex his igitur (ſi vera ſunt, vt credimus) cōſequitur, quòd mortuo Aſtyage diuiſum eſt regnum eius; & eodem ferè tempore, nimirum (vt arbitror) anno proximo incipiente, Darius Medus, tamquam filius Aſtyagis, vt dictum eſt, adoptiuus, Mediæ; Cyrus verò Perſes, tamquam ex filia nepos, Perſidis regnum obtinuerunt. Et hæc fortè fuit cauſa, cur quidam Scriptores, inter quos eſt Euſebius, fecerint Aſtyagem vltimum Regem Medorum, quidam verò alij pænultimum: quia nimirum mortuo Aſtyage cœpit Cyrus Perſes ius habere ſuper regno Medorum; licet ex conuentione, vt dictum eſt, permiſerit illud Dario Medo donec viueret.

DE OBITV ASTYAGIS.

REGNA PERSIDIS AD CYRVM, MEDIAE VERO AD DARIVM TRANSEVNT.

¶ 2. Sed quid dicemus ad ea quæ habentur Daniel. cap. 6. verſ. 8. 12. & 15. ex quibus manifeſtè apparet, Darium Medum non Medis ſolùm, ſed etiam Perſis imperare con- OBIECTIO.

ſueuiſſe? Et ex fine eiuſdem capitis inferri poteſt, Cyrum ſucceſſiſſe Dario; ergo Cyrus non regnauit in Perſide ante obitum Darij. Ad hæc reſponderi poteſt eo ferè modo quo B. Hieronymus ſuper Daniel. cap. 5. in calce; vbi rationem reddens, cur victoriam de Babyloniis à Dario & Cyro reportatam, Scriptura ſacra ſoli Dario adſcribere videatur, ſic ait: *Quòd autem vincente Cyro Rege Perſarum, & Dario Rege Medorum, ſolus Darius ſucceſſiſſe in regno* (ſubaudi, Babyloniorum) *ſcribitur; ordo ætatis, & propinquitatis, & regni ſeruatus eſt: Darius enim ſexaginta duorum annorum erat; & maius regnum Medorum quàm Perſarum legimus; & auunculus qui prior erat iure naturæ, ſucceſſor regni debuit numerari.* hucuſque B. Hieronymus. Similiter poſſumus & nos ad memoratam reſpondere obiectionem, dicentes, quòd Cyrus, licet reverà Rex eſſet Perſarum, vt ſupponit ibi B. Hieronymus, non autem illi regno præfectus, vt putat Pererius, nihilominùs, quia poſt deuictos ſimul cum Dario Babylonios (de illo enim tempore loquitur Scriptura in capite 6. Danielis citato) etiam eiuſdem Darij gener, vt diximus, effectus fuerat, ob reuerentiam auunculi pariter & ſoceri, quem veluti patrem venerabatur, & cui iam valdè ſeni, & ſine filiis maſculis, breui ſe in Imperio ſucceſſurum ſperabat; libenter ſinebat ipſum Darium etiam in regno Perſarum facere & conſtituere quæcumque vellet, vt vel ſic denuò aſſueſcerent duo illa regna ab vno ſolo Rege, & eiſdem pænè legibus gubernari; & ipſe interim Cyrus poſſet liberiùs bellicis expeditionibus occupari.

RESPONSIO.

AB ORBE CONDITO ANNUS 3494. — SEXTÆ MVNDI ÆTAT. ANNVS 48.

CYRVS QVANDO REGNARE COEPERIT.

1 ANNO proximo circiter ineunte, qui, vt patet in tabulis, erat vigeſimus tertius regni Euilmerodach Regis Babylonis, & primus Olympiadis quinquageſimæ quintæ, regnare cœpiſſe Cyrum Perſarum Regem, receptiſſima eſt omnium pænè probatiſſimorum Scriptorum ſententia, vt ex Ioſepho Scaligero lib. 5. de Emendatione temporum, capite De initio Cyri; & ex Pererio lib. 11. in Danielem quæſt. 2. colligere licet; qui id probant auctoritatibus Diodori Siculi, Thalli, Caſtoris, Polybij, Phlegontis, quos citat tum Tatianus à Scaligero relatus, tum Euſebius lib. 10. de Præparatione Euangelica cap. vltimo: item eiuſdem Euſebij in Chronicis, & Iulij Africani teſtimoniis apud eumdem Euſebium, & B. Hieronymum ſuper Danielis cap. 9. & pluribus prætereà argumentis à Pererio ex Clemente Alexandrino, S. Cyrillo, B. Hieronymo, Iuſtino, & Ioſepho, deſumptis. Quòd autem triginta ferè annos in regno idem Cyrus exegerit, affirmant grauiſſimi Auctores, atque inprimis antiquiſſimus Perſarum Hiſtoriæ Auctor Dionyſius, à Cicerone relatus libr. 1. de Diuinatione; item Iuſtinus lib. 1. Clemens Alexandrinus lib. 1. Stromatum, Euſebius in Chronicis, B. Hieronymus ſuper Daniel. cap. 7. & Zachar. cap. 1. Oroſius lib. 2. cap. 7. B. Nicephorus Conſtantinopolitanus ſuæ Chronologiæ cap. 7. Beda in libello de Sex ætatibus mundi; & inſuper ferè omnes recentiores; his exceptis, qui mendoſam Annij Viterbienſis Chronologiam ſecuti ſunt. Neque verò citatos Auctores mouet, quòd Herodotus ſub finem libri 1. dixerit Cyrum regnaſſe annos viginti nouem, Sulpitius verò Sacræ Hiſtoriæ lib. 2. non valdè procul ab initio, annos triginta & vnum; quia illud in confeſſo eſt apud omnes Chronologos, vt nos quoque in Præfatione notauimus; quòd in enumerandis vitæ regniue Regum annis, quidam integros dumtaxat computant, quidam verò etiam fractos; nimirum vel incompletos, vel etiam vix inchoâtos: quo fit, vt quando inter Auctores vnius tantùm anni differentia eſt, nequaquam differre cenſendi ſint: ſi autem differentia ſit duorum triúmve annorum, media illorum ſententia propiùs vero acceſſiſſe credenda ſit.

ANNI TRIGINTA REGNI CYRI, VNDE AVSPICANDI.

2. Verùm, an iſti triginta anni cœperint, quando Cyrus Babylonis euertit Imperium; quemadmodum crediderunt Pererius non longè ab initio libri 10. in Danielem, & alij magni nominis Auctores, tum veteres tum recentiores; an verò ante plures annos, vt Ribera ſuper Zachar. cap. 1. & alij; valdè controuerſum eſt. Mihi profectò, vt rem paucis expediam, tametſi multò plures ſint qui oppoſitum ſentiunt, tamen magis placet ſententia illorum qui aſſerunt, Cyrum in Perſide regnare cœpiſſe multis annis antequam Babyloniis bellum inferret: id enim videtur manifeſtè probari poſſe plurimis cùm antiquiſſimorum Scriptorum teſtimoniis, tum etiam argumentis ex Scriptura ſacra, necnon ab ipſa quoque Chronologia petitis. Et primò quidem Herodotus id ſatis apertè inſinuare videtur lib. 1. verſus finem, dicens: *Porrò Cyrus vbi continentem vniuer-*

vniuersæ suæ ditionis fecisset, Assyriis bellum intulit. Assyriæ, cùm alia multa sunt magna oppida, tum verò celeberrimi nominis ac validissimum Babylon, &c. Quibus verbis iste Auctor dum hîc Babylonios inter Assyrios connumerat, quid aliud indicare videtur, nisi Cyrum tunc etiam contra Babylonios pugnasse? Quod & ibidem non multò pòst ipsemet manifestiùs tradit. Sed & Scaliger lib. 6. de Emendatione temporum in cap. De Regibus Babylonis, ex eodem Herodoto ait, quòd Cyrus statim post bellum Lydiæ profligatum, & Crœsum Lydorum Regem captum, ad oppugnandam Babylonem se conuertit. At verò Crœsus à Cyro captus est anno primo Olympiadis quinquagesimæ octauæ, vt est apud Eusebium in Chronicis; & eadem Olympiade Cyrum victorem intrasse Sardes Asiæ oppidum, expresse tradit Solinus cap. 6. ergo manifestè infertur, eumdem Cyrum longè post annum regni sui primum subegisse Babylonios. Iustinus quoque libro 1. supponit, Cyrum priùs domuisse plures populos, antequam Babylonios aggrederetur. Quod & clariùs tradit Berosus apud Iosephum lib. 1. Contra Apionem relatus, his verbis: *Cyrus ex Perside profectus cum magnis copiis, vastata reliqua omni Asia, Babyloniam adoritur.* Ex quibus priscorum Scriptorum attestationibus manifestum fit, regnasse Cyrum super Persas multis annis, priusquam Babyloniis Imperium adimeret. Et hoc quoque videtur rationi satis consonum: siquidem non est credibile, ipsum alias Asiæ prouincias, nisi plurium annorum spatio subigere potuisse; & non ausum fuisse Babylonicum adoriri Imperium tunc florentissimum, donec post multos regni sui annos, multis magnisque victoriis de aliis Gentibus minùs validis reportatis, adeò vires potentiamque suam auxisset, vt tantum Imperium aggredi subiicereq; posset. Quare non est quòd quis hîc nobis opponat, Herodotum in multis minùs veracem inueniri; cùm hoc eius assertum, de quo nunc agimus, ab aliis quoque priscis Auctoribus proditum esse comperiatur, &, vt probatum est, rationi admodum consentiat.

3. Sed quod ex præallegatis Auctoribus deduximus, nimirum memoratos triginta regni Cyri annos non à capta Babylone esse numerandos, sed ab eo tempore, quo multis anteà annis idem Cyrus regnare cœperat in Perside; deduci quoque potest ex 1. Esdræ cap. 3. vers. 8. vbi habemus, Templum cœpisse fundari anno secundo aduentus Iudæorum in Ierusalem, qui erat annus secundus regni Cyri, hoc est à capta Babylone: & ex eiusdem libri cap. 4. vers. 1. vsque ad 6. constat, ædificium illud à finitimis gentibus, hostibus Iudæorum, fuisse impeditū, & intermissum omnibus diebus Cyri. Quod etiam scribit Iosephus 11. Antiq. cap. 2. dicens, quòd Iudæi eodem anno Cyri secundo à Cuthæis impediti sunt ædificare templum, Cyro nesciente, vtpote, inquit, in alia negotia distracto; qui mox Massagetico bello periit. Igitur, si à prædicto anno aduentus Iudæorum in Ierusalem secundo superuixisset regnassetq; Cyrus vsque ad annum trigesimum, quomodo potuisset tam diu Cuthæorum impedimenta nescire? aut quis credere valeat, Iudæos illius ædificij erigendi adeò cupidos, ita desides extitisse, vt per annos viginti octo, ad Cyrum erga ipsos adeò beneuolum, & pro re sacra ab ipsomet imperata, Legatos mittere negligerent, etiam si ad remotissimas orbis partes proficisci opus fuisset? vel quis cogitare possit, Cyrum in expeditionibus bellicis vsq; adeò fuisse occupatum, vt in tanto annorum numero, Iudæorum legationem admittere audiréve numquam potuerit? Certè, ni fallor, rationi repugnat tale quid suspicari: quin potiùs, vel hinc videtur satis probabiliter inferri posse, ipsum Cyrum nequaquam tot annis ab expugnata Babylone, sed paucis dumtaxat superuixisse: alioqui non est verisimile, ipsum vel memorata impedimenta ignorare potuisse; vel pati, executionem amplissimi decreti sui de Templo Ierosolymitano reædificando, per vniuersum Imperium suum iam promulgati, tamdiu impediri aut retardari. Quòd etiam post iacta secundi templi fundamenta Cyrus non potuerit annis viginti octo superuiuere, confirmari potest tum ex Xenophonte, qui libro Cyropædiæ 8. ait, Cyrum anno Imperij sui septimo occubuisse; subaudi, ab Imperio Babyloniorum subacto: tum ex loco Iosephi proximè allegato, vbi videtur insinuare, Cyrum non valdè multis pòst annis Massagetico bello interiisse; tum etiam, quia Herodotus, Berosus, & Iustinus, locis suprà adductis, subiungunt, Cyrum post deuictos Babylonios, postremum bellum aduersus Lydos, qui ab eo rebellauerant, confecisse, ac demum cōtra Scythas in bello Massagetico fuisse interemptum. Quæ bella non tam multa grauiáve fuerunt, vt videri possit ea non nisi viginti & octo annis confici potuisse. Neque inter prædicta bella Cyrus aliquot annis quieuisse putandus est; quippe qui, cùm esset natura bellicosissimus, omnia mallet quàm otium, quemadmodum eidem à Tomyris Massagetarum Regina aliquando dictum fuisse prodit Herodotus. Aliud argumentum, ad probandum quòd Cyrus longè

longè ante captam Babylonem regnare cœperit in Perside, desumi potest ex Danielis cap. 13. in fine, vbi non obscurè traditur, Cyrum statim mortuo Astyage regnare cœpisse (iam enim sub anno mundi 3493. num. 1. diximus, & infrà etiam num. 7. comprobabimus, ibi per Astyagem non Darium Medum, vt quidam putant, sed patrem eius debere intelligi) si enim Cyrus non nisi post occupatum Babylonis Imperium regnare cœpisset, vt contraria nostræ habet opinio; vtique necessariò sequeretur, non nisi tunc obiisse Astyagem; & consequenter, quòd non modò Cyrus, verùm etiam nec Darius Medus regnasset ante captam Babylonem; sed tunc solùm, quando iam erat senex, nimirum, vt dicitur Daniel. cap. 5. in fine, sexaginta duos annos natus. Quæ certè parum probabilitatis habere videntur.

4. Denique & aliam prædictis addere possumus argumentationem, ab Æra Nabonassaris deducendam. Certum namque est, quòd Ptolemæus in libris sui Almagesti (quemadmodum nos sigillatim sub anno mundi 3306. num. 2. adnotauimus) ponit annum Cambysis septimum, in anno prædictæ Epoches ducentesimo vigesimo quinto, & vigesimum illius Darij, qui Cambysi successit, in ducentesimo quadragesimo sexto; & consequenter, trigesimum primum eiusdem Darij, in ducentesimo quinquagesimo septimo; & decimumtertium Philadelphi, in quadringentesimo septuagesimo sexto. Neque de veritate horum quæ dicit Ptolemæus, dubitare licet; alioqui ferè tota eius de Astris doctrina in eiusdem libris tradita, omnino rueret. At verò si annus regni Nabuchodonosor primus, vt sub anno mundi 3429. num. 2. demonstratum est, fuit dictæ Æræ centesimus vigesimus tertius; ergo annus dicti Regis decimusnonus, qui pariter fuit primus Babylonicæ captiuitatis, fuit eiusdem Æræ centesimus quadragesimus primus; & annus captiuitatis septuagesimus, concurrit cum anno memoratæ Epoches ducentesimo vndecimo. Igitur, si ab hoc anno Babylonicæ captiuitatis septuagesimo regnasset Cyrus annos triginta; proculdubiò tota Ptolemæi Chronologia falsa esse deprehenderetur: quandoquidem consequeretur, septimum regni Cambysis annum incidisse non anno præfatæ Æræ ducentesimo vigesimo quinto, vt posuit Ptolemæus, sed anno ducentesimo quadragesimo octauo, nimirum viginti tribus annis pòst; & sic de aliis. Nam annus vigesimus eiusdē Darij incideret anno ducentesimo sexagesimo nono; & annus ipsius Darij trigesimus primus, anno ducentesimo octuagesimo; & annus Philadelphi decimustertius, anno quadringentesimo nonagesimo nono. Ecce quot absurda. Non ergo triginta anni quibus regnasse dicitur Cyrus, numerandi sunt à capta Babylone, siue ab obitu Darij Medi; sed ab hoc anno, qui fuit primus ab obitu Astyagis; vt rationes hactenus adductæ satis probant. Nec obstant loca Scripturæ 2. Paralip. cap. vlt. vers. 22. & 1. Esdræ cap. 1. vers. 1. vbi annus solutæ captiuitatis, qui proculdubiò fuit primus post defunctum Darium Medum, apertè appellatur primus regni Cyri; quia ibi proculdubiò Scriptura sacra, quemadmodum etiam Danielis cap. 10. vers. 1. vsurpat Regni nomen pro Monarchia, numeratque annos Cyri non à principio Regni eius, sed ab exordio Monarchiæ ipsius, quam eodem anno, subactis Babyloniis; & per Darij mortem, iure institutionis, obtento etiam Medorum Imperio, consecutus fuerat: quod planè indicant illa verba quæ ipsemet locis Paralip. & Esdr. citatis protulit subiungens: *Hæc dicit Cyrus Rex Persarum: Omnia regna terræ dedit mihi Dominus Deus cæli*, &c. non enim ante has tam grandes regno suo accessiones, talia verba etiam per hyperbolem verè proferre potuisset. Quòd autem nouum non sit in Scripturis sacris, ab eiusmodi regnorum incrementis, vel ab aliqua alia re admodum memorabili, interdum annos Regum putari solere; iam nos sub annis mūdi 3095. num. 3. & 3452. num. 1. aliis similibus exemplis ostendimus. Sed & quòd Cyrus, quādo soluit Iudæorum captiuitatem, iam cepisset Babylonem, adhuc clariùs exprimit Scriptura sacra 1. Esdræ cap. 5. vers. 13. vbi eum appellat Regem Babylonis, dicens: *Anno autem primo Cyri Regis Babylonis, Cyrus Rex proposuit edictum, vt domus Dei hæc ædificaretur.* Fuit ergo iste annus Cyri, non primus Regni eius absolutè loquendo, sed primus à capta Babylone.

CYRVS QVOT ANNIS REGNAVERIT A CAPTA BABYLONE.

5. Itaque posita hac assertione tamquam indubitata, quòd scilicet Cyrus multis ante subactos Chaldæos & ante obitum Darij Medi annis regnauerit in Perside; & quòd primus solutæ captiuitatis annus fuerit primus non Regni, sed Monarchiæ eiusdem Cyri: quærendum est, quot annis Cyrus à capta Babylone & à morte Darij, hoc est, ab adepta Monarchia imperauerit. Qua de re tres reperi opiniones. Prima est Fini Adriani à Ribera super Zachar. cap. 1. relati, qui lib. 5. Flagelli cap. 5. asserit, Cyrum regnasse viginti sex annis ante partum Babylonis Imperium, quattuor verò posteà: sed quia nullo vete-

lo veterum Scriptorum testimonio id probat; quod gratis dicitur, gratis quoque refutari potest. Altera fuit Auctoris Chronologiæ maioris Hebræorum, qui cap. 29. dicit, Cyrum tenuisse Regnum annis tribus, non tamen integris (intellige, post subactos Babylonios) & hanc opinionem secuti sunt Lyranus super Daniel. cap. 9. & Vatablus in cap. 1. & alij nonnulli. Verùm, quia hæc opinio nullo alio niti videtur fundamento, quàm quòd in Sacris libris de tertio tantùm Cyri anno fit mentio. Quod quidem satis infirmum est; quandoquidem (vt in nostra Præfatione adnotauimus) intentio sacræ Scripturæ non est, omnes Regum exterorum annos dinumerare; sed illos dumtaxat, qui proposito suo deseruiunt. Vnde etiam tres tantummodò Baltassaris annos, & decimumquintum tantùm Tiberij Cæsaris commemorat; cùm tamen Ethnici Scriptores, ipsi Baltassar, quem Nabonidum appellant, plures tribuant; & certissimum sit, Tiberium multò plus quàm quindecim annis imperasse. Idcircò tutior nobis videtur ac verior tertia sententia, illorum scilicet qui credunt, Cyrum septem ferè annos in sua Monarchia exegisse: quoniã Xenophon antiquissimus Auctor, lib. suæ Cyropædiæ 8. scriptum reliquit, eumdem Cyrum septimo Imperij sui anno mortuum esse. Et ratio dictat, Xenophontem Imperij nomine, Monarchiam significare voluisse; quam subactis Chaldæis, & obtento etiam post obitum Darij Regno Medorum, fuerat consecutus. Etenim iam probatum est, omnium pænè antiquorum Scriptorum consensu, Cyrum triginta annos regnasse, nimirum ab obitu Astyagis: neque hoc, quod antiquis temporibus, cunctis notissimum habebatur, vnum dumtaxat Xenophontem, rerum Cyri indagatorem accuratissimum, latuisse credendum est; sed potius voluisse Xenophontem, quod Herodotus, ipso aliquanto antiquior, de annis Monarchiæ Cyri prætererat, notare, ac litteris consignatum posteritati tradere; nimirum quotnam fuerint anni Monarchiæ eius.

☞ 6. Eodem anno, videlicet non multò post decessum Astyagis Regis Medorum atque Persarum, successionemque Cyri in regno Persarum, & Darij in regno Medorum; acta sunt (vt numero proximo probabitur) ea quæ traduntur in cap. Daniel. 14. de Daniele, qui cùm esset conuiua Euilmerodach Regis Babylonis, & honoratus super omnes amicos eius; contigit quadam die, vt occasione sibi à Rege oblata, detegeret ei fraudes sacerdotum Belis, qui noctu per subterraneas quasdam occultásque vias in templum eius introeuntes, ac quæ quotidie eidem offerebantur comedentes, decipiebant populum Regemque, dicentes, eadem ab ipso idolo solere manducari; eumdemque propterea esse Deum viuentem ab omnibus credi volebant. Igitur Daniel, consperso cinere pauimento, in quo postridie diluculo apparuerunt vestigia pedum sacerdotum, & vxorum ac filiorum ipsorum, qui comederant cibos Belo oblatos; ac sic eorumdem fraude detecta, de licentia Regis, Bel destruxit, ac templum eius subuertit. Iterùm alia quoq; die inuitatus ab eodem Rege Daniel vt adoraret draconem quemdã magnum, quem Babylonij colebant, asserebantque de ipso dici non posse quòd non esset Deus viuens; quippe qui cunctis videntibus manducaret: vt ostenderet Daniel, quòd ille draco non erat Deus viuens, qui se posset ab interitu præseruare, obtenta à Rege facultate occidendi eum sine gladio, coxit massas quasdam ex pice, adipe, pilisque compactas; quas cùm dedisset in os draconis, ille non multò pòst diruptus interiit; cognouitque Rex quòd ille non erat Deus. At verò populus, seditione concitata, compulit Regem vel inuitum, tradere eis Danielem; quem protinus proiecerunt in lacum seu foueam leonum, mansitque ibi sex diebus, Dei beneficio, à bestiis intactus, atque mirabiliter per Habacuc Prophetam, Angeli ministerio de Iudæa illuc translatum, cibo potuque recreatus: ac demum inde sospes & incolumis die septimo eductus est, non sine magna Regis admiratione ac lætitia: qui proptereà cùm iussisset accusatores Danielis mitti in lacum leonum, vidissetque eos illicò [ab ipsis fuisse] deuoratos, cognita Dei Israel virtute, cœpit coram omnibus magnificare eum, vt latiùs in toto Danielis cap. vlt. describitur. DANIEL BEL DESTRVXIT, ET DRACONEM INTERFECIT.

¶ 7. Diximus, prædicta hoc tempore acta esse, quia id manifestè colligitur ex illis verbis, quæ habentur apud Danielem in calce capitis 13. nimirum: *Et Rex Astyages appositus est ad patres suos, & suscepit Cyrus Perses regnum eius.* Quæ verba proculdubiò referri non possunt ad historiam Susannæ ibidem antè narratam; quia Daniel, quando Susannam de falso crimine liberauit, dicitur fuisse puer, Daniel. cap. 13. vers. 45. nunc verò vir conuiua Regis, & honoratus super omnes amicos eius: sed debent referri ad ea quæ ibidem in proximo capite subiunguntur, videlicet ad historiam Belis destructi, & draconis interfecti; quemadmodum sentiunt Lyranus, Hugo Cardinalis, Carthusianus, & multi VERBA DANIELIS CAP. 13. IN FINE, EXPLICANTVR.

multi alij. Vnde duo hîc possunt inferri: Primò, in proximè memoratis verbis, per Astyagem necessariò debere accipi patrem Darij Medi, non autem ipsum Darium Medum, quem certum est vixisse etiam post destructum Babylonis Imperium: historiam autem Belis & draconis contigisse stante adhuc Regno Babylonis, numero proximo ostendemus. Alterum est, quòd prædicta clausula, *Et Rex Astyages*, &c. non est ibi obiter & præter rectam historiæ seriem atque ordinem temporum posita, vt putat Pererius; sed ad historiam eorum quæ in Babylone à Daniele gesta fuerãt, aliquo modo continuandam pertinet; vel certè ad præcisum tempus eorum quæ consequenter narranda erant, indicandum; ne quis putaret ea immediatè post prænarrata contigisse. Itaque, quidquid dicat Pererius, constat quòd eo tempore quo mortuus est Astyages Rex Medorum atque Persarum, acta est in Babylone prædicta Belis & draconis historia.

CVIVS REGIS DANIEL CONVIVA FVERIT.

8. Diximus item, easdem Belis & draconis historias sub Euilmerodach Rege Babylonis fuisse gestas. Ad quod asserendum adducor, non solùm quia iuxta nostram temporum rationem, hoc tempore adhuc ipse regnabat in Babylone; sed etiam, quia de illo Rege, cùius Daniel conuiua fuisse dicitur, dicitur etiam quòd colebat idolum Bel, vt patet Daniel. cap. 14. vers. 3. Bel autem fuisse idolum quod colebant Babylonij, certissimum est: ergo ille Rex erat Babylonius, & consequenter adhuc stabat Babylonis Imperium: nam constat, quòd Reges Persarum, ad quos posteà illud deuenit, non colebant idola, sed Solem, cui equos sacratos ferebant, vt ex Trogo Pompeio scribit Iustinus ad calcē lib. 1. & vnus ex Regibus Persarum, nimirum Xerxes, Beli sepulchrum destruxisse perhibetur, vt videre est apud Strabonem lib. 16. Item, quia prædictus Rex non videtur esse potuisse vllus alius ex Regibus Babylonis. Non Nabuchodonosor, quia ipse, præterquam quòd iuxta nostrum annorum computum multò antè iam defunctus erat, notum est, ipsum tantæ fuisse in suo Regno auctoritatis, vt non sit verisimile; Babylonios ei mortem minitari ausos esse, si non traderet eis Danielem; & præterea, postea quam sensum mentemque recuperauit, numquam idola coluisse, sed tantummodò Deum cęli; vt sub anno mundi 3471. num. 2. probatum est. Non etiam probabile videtur, quòd ille Rex qui tantopere Danielem diligebat, fuerit Niglisar, aut Labosardach, aut Baltassar; quia de duobus primis non constat, quòd fuerint vmquam erga Iudæos Danielemque benè affecti; & de postremo certum est, quòd Daniel non modò non erat amicus & conuiua eius, sed neque ab eo agnitus, vt manifestè colligi potest ex Daniel. cap. 5. vers. 11. & clariùs 13. vbi Baltassar Rex adductum ad se Danielem interrogat, dicens: *Tu es Daniel*, &c. Restat igitur, sub ipso Euilmerodach prædicta fuisse gesta.

9. Itaque ex his quæ sub proximè præcedentibus numeris dicta sunt inferri potest, falli Sebastianum Barradium in sua Concordia & Historia Euangelica lib. 5. cap. 18. vbi putat, Danielem missum fuisse in lacum leonum ob statuam templumque Belis destructa, ac draconem interfectum, regnãnte in Babylonia Cyro, non autem Euilmerodacho; & consequenter, hanc fuisse secundam eius in lacum missionem: Nam prima, inquit, facta fuit sub Dario Medo, cui posteà in regnum successit Cyrus. Fallitur, inquam, citatus Auctor; quia videtur supponere, quòd Astyages à nobis suprà num. 7. ex Daniele memoratus, fuerit Darius Medus, cui successit Cyrus in Regnum Babylonis, quod ipsi pariter non multò antè subegerãt. At pro Astyage ibi intelligere Darium, non videtur rationabile, vt probatum est: præsertim cùm Daniel hactenus ipsum semper nomine proprio appellauerit Darium; nec credendum sit, quòd quem aliàs semper nuncupauerat Darium, postremò sinè causa nominare voluerit Astyagem. Deinde, ni fallor, neque Barradius, neque quisquam alius probare poterit, quòd Cyrus Persa idolum Bel aut draconem adorare vmquam consueuerit: quandoquidem, vt dictum est, Persæ Solem ignemque tantummodò colere soliti erant. Denique non est credibile, quòd Babylonij, qui non multò antè à Cyro deuicti ac subacti fuerant, ausi essent minacibus verbis inferre vim eidem Cyro viro bellicosissimo, & Monarchæ omnium sui temporis potentissimo, vt patet 2. Paralip. in fine, & pęnè initio 1. Esdræ, vbi de seipso dicebat: *Hæc dicit Cyrus Rex Persarum: Omnia regna terræ dedit mihi Dominus Deus cæli*, &c. Quis ergo credat, aut rationabiliter credere queat, talem ac tantum Regem, non dicam timuisse, aut vmquam cedere voluisse, sed nec ferre valuisse Babylonios nuper à se subactos, sibi tam arroganter insultare ac dicere: *Trade nobis Danielem, alioquin interficiemus te & domum tuam?* Daniel. cap. 14. v. 28. Si verò Barradius per Astyagem, verè vt verba sonant, intelligit illum Astyagem, qui fuit pater vel patruus Darij Medi,

Medi,& auus maternus ipsius Cyri; certum est, hunc Astyagem obiisse multò antequam Cyrus subiugaret Babylonios. Vnde quando dixit Daniel in fine capitis 13. *Et Rex Astyages appositus est ad patres suos, & suscepit Cyrus Perses regnum eius*; proculdubiò non de regno Babylonis, quod Astyages numquam tenuisse legitur, sed de regno Persidis accipiendum est: præsertim cùm ex tabulis constet,quòd tempore obitus Astyagis adhuc regnabat in Babylone Euilmerodach,qui patri suo Nabuchodonosoro successerat. Non ergo Cyrus,sed Euilmerodach fuit ille Rex Babylonis, qui cum ipsis Babyloniis colebat idolum Bel & draconem, quemadmodum legimus in toto Danielis cap.14. & cuius conuiua,vt ibidem dicitur,erat Daniel; & qui sub finem regni sui metu Babyloniorum,misit Danielem prima vice in lacum leonum. Neq; enim de ipso Euilmerodach mirandum videtur,quòd timuerit Babylonios; quandoquidem sciebat inter ipsos adesse cognatum suum Niglisarum, virum valdè potentem,& regni æmulum (ab ipso namque posteà occisus fuit,vt numero sequenti dicemus) vnde satis probabiliter vereri poterat,ne populus tali fretus auxilio,vel etiam actus impulsu, contra se insurgeret. Oportet igitur,vt dixi,non alia de causa loco Danielis citato factam fuisse mentionem obitus Astyagis,nisi vt hinc innotesceret tempus quo gesta sunt ea quæ per ipsum Danielem capite sequenti describenda erant. Quare,quòd in fine præcedentis capitis memoratus fuerit Cyrus,non sequitur (vt non rectè infert Barradius) quòd ipse Cyrus fuerit ille Rex,cuius Daniel conuiua fuisse in proximè sequenti capite narratur. Nam in calce prioris capitis obiter quodammodò agitur de Rege Persarum,in posteriori verò ex professo de Rege Babylonis; & à diuersis non fit illatio.

☞ 10. Eodem anno regni sui vigesimo tertio,circa priores (vt arbitror) eiusdem anni menses,nimirum tertio aut quarto circiter inchoante; credimus ipsum Euilmerodach fuisse occisum à Niglisaro sororis suæ marito,vt tradit Berosus apud Iosephum lib.1. Contra Apionem. Qui Niglisar,siue Neriglissoroorus,hoc eodem anno regnare cœpit,regnauitque in Babylonia,eodem Beroso ibidem attestante, annis quattuor; non autem viginti quattuor,vt alij perperàm scripserunt. Quòd verò prædictus Euilmerodach regnauerit tantummodò annos viginti duos,& aliquid de vigesimo tertio; iam nos sub anno mundi 3472. num.4. & 5. satis superque probauimus,ita vt non opus sit eadem hîc repetere. EVILMERODACH OCCIDITVR, ET PRO EO REGNAT NIGLISAR.

AB ORBE CONDITO ANNVS 3498. — SEXTÆ MVNDI ÆTAT. ANNVS 52.

1 ANNO Babylonicæ Iudæorum captiuitatis,siue à Templi desolatione quinquagesimo secundo, mense scilicet tertio vel quarto circiter inchoante, oportet Niglisarum Regem Babylonis, expleto quarto regni sui anno,decessisse: cui immediatè successit filius eius adhuc puer nomine Labosardach; qui nouem dumtaxat mensibus,hoc est vsque ad finem eiusdem met anni regnauit in Babylone. Nam quia prauæ indolis specimina multa edebat,ab amicis oppressus insidiis, per cruciatum interfectus est,vt tradit Berosus à Iosepho lib.1.Contra Apionem relatus. MORITVR NIGLISAR, ET REGNAT LABOSARDACH.

AB ORBE CONDITO ANNVS 3499. — SEXTÆ MVNDI ÆTAT. ANNVS 53.

1 ANNO proximo circiter ineunte, ab interfectoribus Regis Labosardach, (vt scribit Berosus vbi suprà) constitutus fuit Rex in Babylone Baltassar filius Euilmerodach, & nepos Regis Nabuchodonosor, quemadmodum nos sub annis mundi 3429.num.11.& 3451.num. 2. probauimus,& hîc fuit postremus Chaldæorum Rex, vt ex sequentibus patebit. Hunc Babylonij (teste Iosepho 10.Antiq. cap.12. prope initium capitis) Naboandel appellabant; Ethnici verò Scriptores Nabonedum, vt Berosus apud Iosephum lib.1. Contra Apionem,siue vt alij, Nabonidum,vocant; quem fuisse Babylonium,& regnasse annis decem & septem, & sub eius Imperio in Babylone fluuium (subaudi, Euphraten) muris fuisse septum, ne scilicet inundationem eius temporibus vllum ciuitati damnum inferre posset, idem Auctor ibidem scriptum reliquit. Et hinc proditur error Scaligeri,qui lib.6. de Emendatione temporum,in calce capitis cui titulus est, De Regibus Babylonis, Ethnicorum Nabonidum non Baltassar, sed Darium Medum fuisse credidit. Vtrùm autem iste Baltassar, idem sit cum illo cuius meminit Baruch cap.1. vers.11. & 12. Diximus esse diuersum, REGNAT BALTASSAR IN BABYLONE.

ſum; ſiquidem ille erat verè filius Nabuchodonoſor, iſte autem nepos, quemadmodum ſub anno mundi 3451. num. 2. probatum eſt.

DE QVATVOR REGNIS DANIELI PRAEMONSTRATIS.

2. Eodem anno primo regni Baltaſſar, vidit Daniel admirandam in cubili ſuo viſionem quattuor ventorum inter ſe pugnantium in mari, & quattuor beſtiarum de mari aſcendentium, quæ deſcribitur in toto Danielis cap. 7. vbi etiam ſubiungitur viſio illa Antiqui dierum in throno ſedentis, & cum infinita miniſtrorum multitudine eidem aſſiſtentium; quo iudicante, beſtiæ perierunt; & ad quem accedens Filius hominis, accepit poteſtatem æternam, & incorruptibile regnum. Et præterea traditur, quomodo audiuit Daniel generalem quamdam eiuſdem viſionis interpretationem: quòd ſcilicet illæ quattuor beſtiæ de mari ſurgentes, quattuor Regna in mundo mox ſurrectura portenderent; & ſpecialiter de quarta beſtia, quòd decem eius cornua, decem ſeu plures (vſurpato numero definito pro indefinito) eiuſdem Regni Reges deſignabant; cornu autem illud paruum, quod de medio illorum ortum dicitur, & potentius erit prioribus, ſignificabat Antichriſtum: ſiquidem de eo ibidem ſubiungitur: *Et ſermones contra Excelſum loquetur, & ſanctos Altiſſimi conteret, & putabit quòd poſſit mutare tempora, & leges; & tradentur in manu eius vſque ad tempus, & tempora, & dimidium temporis*. Quæ profectò prædictiones ipſi Antichriſto maximè conuenire omnes fatentur. In ſumma, agit memorata viſio de ortu & progreſſu quattuor principalium mundi Regnorum temporalium, & de quinto ſpirituali Sanctorum, quod eſt regnum Chriſti, & Eccleſiæ eius in hoc mundo; item de Antichriſto, eiuſque perſecutione contra Sanctos, & ipſius interitu. Denique de finali iudicio, & conſequenter, de regno Chriſti & Sanctorum æterno in cæleſti beatitudine; vt tradunt illius capitis Expoſitores. Verumtamen hîc quæri poſſet, num prædicta quattuor mundi Regna ſignificata per memoratas quattuor beſtias, eadem prorſus ſint, quæ priùs monſtrata fuerant Regi Nabuchodonoſor in viſione illa ſtatuæ grandis, cuius caput aureum ſignabat primam mundi Monarchiam, quæ fuit Aſſyriorum & Chaldæorum; pectus autem & brachia de argento, alteram prænotabant, quæ fuit Perſarum atque Medorum; venter deinde & ilia ærea, tertiam Monarchiam, videlicet Græcorum; ac demum tibiæ ferreæ, quartam, nempe Romanorum: de quibus latè egimus ſub anno mundi 2016. num. 2. vſque ad 8. Dicimus iuxta communem Expoſitorum ſententiam, eadem mundi Regna, quæ priùs per diuerſas illas memoratæ ſtatuæ partes præmonſtrata fuerant, nunc quoque hiſce quattuor beſtiis eſſe ſignificata; nihilominùs illud difficultatem facit, quòd Danielis cap. 7. verſ. 17. apertè dicitur, eaſdem beſtias ſignare quattuor Regna mox ſurrectura ſuper terram; ergo nulla earum potuit prænotare Regnum Aſſyriorum & Chaldæorum, quod non modò iam diu anteà ſurrexerat; ſed ex parte, videlicet reſpectu Aſſyriorum, iam erat extinctum; reſpectu verò Babyloniorum, breui prorſus erat extinguendum. Quamobrem conſiderandum relinquitur, num fortè beſtia quarta ſignificare potuerit regnum Turcarum ſeu Mahumetanorum, de quo Antichriſtus aliquando ſit proditurus. Sed de his quæ futura ſunt, & quæ Pater poſuit in ſua poteſtate, diuinare quis valeat.

AB ORBE CONDITO ANNVS 3501. — SEXTÆ MVNDI ÆTAT. ANNVS 55.

DE ALIA DANIELIS VISIONE.

1 ANNO regni Baltaſſar Regis Babylonis tertio, altera diuinitus oſtenſa viſio fuit Danieli, cùm eſſet in Suſis caſtro regionis Ælamitarum: in qua viſione ſub typo arietis duo cornua habentis, & hirci, qui vnico cornu arietem proſtrauerat, præmonſtrata ſunt Prophetæ, quæ poſt ducentos viginti & ampliùs annos ventura erant; nimirum, quomodo ſub finem ſecundæ mundi Monarchiæ, Alexander Magnus Rex Græcorum percuſſurus erat Darium vltimũ Regem Perſarum atque Medorum, & deſtructa ſecunda eius Monarchia, tertiam initiaturus. Necnon & alia de quattuor Regibus qui Alexandro ſucceſſuri erant, & ſignificati per quattuor cornua ex hirco nata. Et item de Antiocho Epiphane ſiue Illuſtri mox ſurrecturo; qui dicitur Rex impudens, quoniam multa mala facturus erat populo Sanctorum, nimirum Iudæis Deum verum colentibus; quæ poſteà accuratè deſcripta habentur in libris Machabæorum. Ac denique de ipſius Antiochi interitu admodum miſerabili; quippe qui ſine manu eſſet conterendus, nimirum non humana, ſed diuina ac præpotenti virtute Dei humiliandus, & cum mœrore ac triſtitia magna ad inferos deducendus. Quæ omnia fuſiùs traduntur in toto Danielis cap. 8.

AB ORBE CONDITO ANNVS 3503. SEXTÆ MVNDI ÆTAT. ANNVS 57.

1 ANNO regni Baltassar Regis Babylonis circiter quinto, probabile est quòd Salathiel, qui tunc erat captiuus in Babylone, genuerit Zorobabelem, quemadmodum tradit S. Matthæus in genealogia Saluatoris. Nam hoc circiter anno natum esse Zorobabelem, & deduci potest ex his quæ sub anno mundi 3461. num. 1. diximus, & admodum consonat cum his, quæ de eodem Zorobabele scribit Auctor libri 3. Esdræ cap. 3. vers. 4. & 16. & cap. 4. vers. 13. & 58. nimirum, ipsum circa initia Regni Darij Hystaspis Regis Persarum, fuisse vnum ex tribus illis iuuenibus siue adolescentibus, qui custodiebant corpus Regis; quod etiam sub annis 3532. num. 4. & 3631. num. 1. dicendum erit, & videri potest in tabulis. Nemo autem in dubium vocet planam litteralemque & ab omnibus receptam intelligentiam verborum S. Euangelistæ dicentis, *Salathiel autem genuit Zorobabel*, propter ea quæ legimus 1. Paralip. cap. 3. vers. 19. nempe, Zorobabelem natum esse de Phadaia fratre Salathielis; quia (vt ibidem aiunt Lyranus & Abulensis, & alij) ille Zorobabel, cuius meminit Auctor libri 1. Paralip. longè diuersus est ab eo, quem S. Matthæus recenset in genealogia Saluatoris, & de quo sæpè fit mentio in libris Esdræ, Aggæi, & Zachariæ: siquidem hic verè filius fuit Salathielis, vt clarè citati Euangelistæ verba sonant, & in libris proximè adductis non semel exprimitur, nimirum 1. Esdr. cap. 3. v. 2. & 8. & cap. 5. v. 2. & Aggæi cap. 1. vers. 1. & 12. & cap. 2. vers. 3. & 24. ille autem, vt dictum est, fuit filius Phadaiæ, quemadmodum nos pleniùs sub anno mundi 3472. num. 3. ostendimus.

SALATHIEL GENVIT ZOROBABEL.

ZOROBABEL ALTER FILIVS SALATHIELIS, ALTER FILIVS PHADAIAE.

AB ORBE CONDITO ANNVS 3516. SEXTÆ MVNDI ÆTAT. ANNVS 70.

1 ANNO regni Baltassar Regis Babylonis decimoseptimo, qui (vt ex infrà dicendis patebit) desinebat in exordiis anni septuagesimi desolationis Ierusalem; sub finem eiusdem anni, qui fuit postremus regni eius, cùm incidisset in Babylone eiusmodi festus dies, in quo Babylonij omnes (vt testantur Herodotus lib. 1. versus finem, & Xenophon circa medium lib. 7. de Pædia Cyri) vniuersam noctem bibere, & lasciuis carminibus saltationibusque indulgere solebant; & ipse Baltassar Rex fecit grande conuiuium optimatibus suis, inchoante nimirum, vt diximus, anno Babylonicæ Iudæorum captiuitatis septuagesimo. Causa autem, cur Rex eo tempore, quo grauissima ab hostibus obsidione premebatur, tale conuiuium nihilominùs facere maluerit, potest quidem probabiliter credi fuisse vna, vel plures ex multis, quas veluti coniectando commemorat Pererius super Daniel. cap. 5. verumtamen, quænam verè illa fuerit (quoniam in Sacro eloquio & à priscis probatisque Auctoribus prætерita fuit) certò definiri non potest. Sanè in eo conuiuio, quia Rex temulentus non veritus est abuti vasis Templi Domini, quæ olim asportauerat Nabuchodonosor Rex de Ierusalē, propterea ob talem tantamque irreuerentiam Deo exhibitam, perterrefecit eum Dominus terrifica eidem ostensa visione cuiusdam manus mirabiliter scribentis in pariete. Cumque nemo reperiretur, qui scripturam illam legere interpretarique sciret; tandem opera Reginæ quæsitus inuentusque est Daniel, qui scripturam legit, eademque Regis Regnique interitum indicari declarauit; dictumque Vatis non multò pòst euentus probauit: nam eadem nocte Baltassar Rex interfectus fuit, & Darius Medus, qui tum Babylonem obsidebat, capta ciuitate successit in regnū eius, annos natus sexaginta duos, vt latè describitur Daniel. cap. 5. per totum. Porrò per Reginam paulò antè memoratam, non Regis vxorem; sed vel auiam, vt exprimit Iosephus 10. Antiq. c. 12. vel matrem, vt putauit Origenes (beato Hieronymo super Danielis cap. 5. attestante) debemus accipere. vnde non mirum est, si ipsa, vtpote senior, nouit præterita quæ Rex ignorabat. Quòd autem Babylonij, vt dictum est, conuiuiis & compotationibus indulgentes, à Medis & Persis inuasi, capti, subiugatique fuerint, videtur etiam multò anteà præuidisse ac prædixisse Isaias cap. 21. vers. 4. & 5. vbi sic ait: *Babylon dilecta mea posita est mihi in miraculū. Pone mensam, contemplare in specula comedentes & bibentes: surgite Principes, accipite clypeum*, &c. Quibus verbis videtur Propheta hortari principes, vt à mensis protinus surgant, accipiant arma, atque ad pugnam properent. Et ibidem deinceps prosequitur, mentionem facere interitus Babylonis, & visionis Medorum atque Persarum vrbem inuadentium, quos figurata locutione significat per ascensorem asini & cameli, vt nos num. sequenti dicemus.

BALTASSAR FACIT GRANDE CONVIVIVM.

QVAENAM FVERIT REGINA QVAE DANIELEM NOVERAT.

EVERSIO BABYLONICI IMPERII A MEDIS ET PERSIS.

¶ 2. Sanè quis fuerit iſte Darius, iam nos ſub anno mundi 3454. num. 2. diximus. illud verò hîc obſeruandum videtur, quòd quamuis Scriptura ſacra aliquando tribuat Babylonici Imperij euerſionem Medis & Perſis, vt patet Danielis cap. 5. verſ. 29. vbi de eodem Regno Babylonis dicitur, *Et datum eſt Medis & Perſis.* & Iſai. cap. 21. verſ. 7. vbi ſub figura duorum equitum, videlicet aſcenſoris aſini, & aſcenſoris cameli, denotantur Cyrus Rex Perſarum, & Darius Rex Medorum, vt ibidem tradunt Expoſitores; quia reuerà vterque Rex conuenit ad expugnationem Babylonis: aliàs tamen eadem Scriptura, nimirum Iſaiæ cap. 13. verſ. 17. & Ierem. cap. 51. verſ. 11. Medis tantùm videtur adſcribere Babylonis exterminium; & Daniel. cap. 5. in fine, de ſolo Dario dicit, quòd ipſe ſucceſſit in regno Baltaſſaris; quia videlicet ipſe principaliter bellum ſuſceperat contra Babylonios, tametſi etiam Cyrum ſibi in auxilium aduocauerat; & item, quia loco Danielis citato (vt ibidem docet B. Hieronymus) *ordo ætatis, & propinquitatis, & regni ſeruatus eſt: Darius enim ſexaginta duorum annorum erat; & maius Regnum Medorum quàm Perſarum legimus; & auunculus qui prior erat Iure naturæ, ſucceſſor Regni debuit numerari.* ſic B. Hieronymus.

CVR A GRAECIS TRIBVATVR CYRO TANTVM.

Quare non eſt curandum, quòd Græci Scriptores vni tantùm Cyro adſcribere voluerint Imperij Babylonis euerſionem: id enim potiſſimùm contingere potuit, quòd Cyrus egregiam ſanè in expugnanda Babylone operam nauauerit; & paulò pòſt, nimirum ſub finem eiuſdem anni, (vt infrà num. 13. dicetur) ipſe defuncto Dario ſucceſſerit, & poſteà toto vitæ ſuæ tempore Babyloniis imperauerit. Igitur

EXTINGVITVR PRIMA MVNDI MONARCHIA.

3. Eodem anno Babylonicæ captiuitatis ſeptuageſimo circiter inchoante, extincto Chaldæorum Imperio, ceſſauit penitus prima mundi Monarchia, quæ fuit Aſſyriorum & Babyloniorum, de qua ſub anno mundi 2016. num. 5. ſatis diſſeruimus. Quamuis enim iam ex multis annis Aſſyrij à Babyloniis ſubacti fuiſſent (vt nos ſub anno mundi 3335. num. 1. diximus) & huius Monarchiæ Regia de Niniue tranſlata eſſet in Babylonem; non tamen cenſendum eſt, omnino deſiiſſe hanc Monarchiam, donec ſumma Imperij ad Perſas Medoſque deuenit, quemadmodum ſub citatis mundi annis probatum eſt. Vnde infertur, quòd ſi prima mundi Monarchia hucuſque perdurauit, eadem profectò attigit annum ſuæ durationis milleſimum quingenteſimum primum, vt videre eſt in tabulis.

ASSYRIORVM, SEV PRIMAE MONARCHIAE REGES.

4. Porrò primæ huius Monarchiæ Reges fuerunt quadraginta nouem, quos hîc nominatim ordinateque; ac ſingulorum regni annos recenſere non grauabor, ratus id non ingratum fore Lectori. Prætermittendum autem duximus Belum, quòd licet ipſe primus in Babylone regnauerit, tamen eo viuente, immò etiam vltra vſque ad initia circiter anni regni filij eius Nini vigeſimi, nulla adhuc in mundo erecta fuiſſe Monarchia credatur. Fuerunt ergo,

	qui regnauit annos		qui regnauit annos
1. Ninus	33.	22. Lampares	30.
2. Semiramis	43.	23. Pannias	45.
3. Ninias	38.	24. Soſarmus	19.
4. Arius	30.	25. Mitreus	27.
5. Analius	40.	26. Tautanes	32.
6. Baleus I.	30.	27. Tanteus	40.
7. Armamertes	38.	28. Thineus	30.
8. Belothus I.	35.	29. Dercilus	40.
9. Baleus II.	52.	30. Eupales	38.
10. Altadas	32.	31. Laoſthenes	45.
11. Mamithus	30.	32. Piriciades	30.
12. Mancaleus	30.	33. Ophrateus	20.
13. Iphereus	20.	34. Ophratanes	50.
14. Mamylas	30.	35. Ocrazapes	41.
15. Sparetus	40.	36. Sardanapalus	20.
16. Aſcadas	40.	Interregnum	3.
17. Amintas	45.	37. Phul	40.
18. Belothus II.	25.	38. Theglathphalaſar	25.
19. Bellepares	30.	39. Salmanaſar	10.
20. Lamprides	32.	40. Sennacherib	7.
21. Soſares	20.	41. Aſarhaddon.	10.

Et hi quidem ferè omnes in Niniue regni ſedem habuiſſe creduntur: qui verò ſequuntur, in Babylone.

42. Me-

42. Merodac, poſt viſtum Aſarhaddon	qui regnauit annos	49.	46. Euilmerodach	qui regnauit annos	22.
43. Ben-Merodac		4.	47. Niglifar		4.
44. Nabolaſſar		21.	48. Laboſardach		1.
45. Nabuchodonoſor		43.	49. Baltaſſar		17.

Subduc omnes hos annos, & inuenies memoratam durationis primæ huius Monarchiæ ſummam annorum mille quingentorum & vnius.

5. Porrò Darius Medus, ſubiugato ſibi Babyloniorum Regno, rebuſque ibidem compoſitis, reuerſus eſt in Mediam; aſſumptumque Danielem Prophetam ſecum adduxit, ac maximo in honore apud ſe habuit, vt ſcribit Ioſephus 10. Antiq. cap. vltimo. *Ex quo* (inquit B. Hieronymus ſuper cap. Daniel. 6.) *intelligimus, Darium ſubuerſa Babylone reuerſum eſſe ad regnum ſuum in Mediam, ſecumq; adduxiſſe Danielem, in eo honore, quo à Baltaſſar prouectum acceperat. Nec ambiguum eſt, eumdem Darium audiuiſſe ſignum atque portentum quod Baltaſſaro acciderat; & interpretationem, quam Daniel expoſuerat; & quomodo prædixerit Medorum Regnum Perſarumq; Babyloniis præualiturum.* hæc S. Hieronymus. Itaque Darius Rex optimè edoctus de admirabili ſapientia & integritate Danielis, fecit eum vnum de tribus Principibus vniuerſo Regno ſuo præfectis: qui adeò ſapienter in omnibus ſe gerebat, vt iam cogitaret Rex conſtituere eum ſuper vniuerſo Regno; quæ res magnam eidem Danieli apud reliquos Principes Satrapaſque parauit inuidiam. Quamobrem cùm nihil inuenirent quo poſſent eum ſuſpectum Regi reddere, callidè ſuaſerunt induxeruntque Regem firmare edereque edictum Imperatorium, ſub pœna damnationis ad beſtias, ne quis intra proximos triginta dies quidquam poſtulare auderet à quocumque Deo. Et ipſi intereà obſeruantes Danielem, inuenerunt eum in domo ſua ter in die flexis genibus contra Ieruſalem, vt priùs conſueuerat, orantem atque adorantem Deum ſuum. Itaque confeſtim illum accuſantes, acri admodum ac moleſta contentione impulerunt Regem, vt mitteret Danielem in lacum leonum; quod cùm vel inuitus feciſſet, & poſtera die eumdem reperiſſet illæſum atque incolumem; lætus Rex iuſſit protinus eum inde extrahi, & pro eo immitti accuſatores eius; qui à leonibus illicò deuorati ſunt. Quo facto, mandauit Rex decretum publicari in vniuerſo Regno ſuo, vt omnes pauerent Deum Danielis. Quæ omnia in toto Daniel. cap. 6. fuſiùs deſcripta habentur.

DARIVS REX DANIELEM SECVM DVCIT, ET HONORAT.

DANIEL SECVNDO MITTITVR IN LACVM LEONVM.

☞ 6. Eodem anno primo quo Darius Rex imperare cœperat ſuper Regno Chaldæorum, (vt ſignanter adnotauit Daniel in principio cap. 9. ſubaudi, ad finem anno iam appropinquare incipiente) intelligens Daniel iam propè compleri ſeptuaginta Iudaicæ captiuitatis annos olim à Ieremia cap. 25. prophetatos, orauit enixè Dominum pro liberatione populi ſui. Placuit itaque Domino non hanc ſolùm ſerui ſui orationem petitionemque, quemadmodum ſub anno mundi proximo videbimus, libenter promptéque exaudire; verùm etiam quia temporalis hæc Iudaici populi liberatio ſpiritualem generis humani liberationem præfigurabat, in obitu paſſioneque Redemptoris perficiendam; vt ſeruo ſuo rem magis gratam faceret, & eidem inſuper ſecreta ſapientiæ ſuæ, quæ ille poſtulare non auderet, vltrò manifeſtaret; voluit ipſum protinus per Angelum Gabrielem edoceri de altiſſimo ſeptuaginta hebdomadarum myſterio, quod in toto Danielis cap. 9. deſcribitur; quò ipſe Daniel, & per ipſum ceteri ſcire poſſent, quando opus ſalutis humanæ, à cunctis olim ſanctis ſummopere expetitum, implendum foret. ¶ Verùm, quia Prophetia hæc valdè obſcura eſt, & eius expoſitio, ad eorum quæ poſtmodum dicenda ſunt intelligentiam, maximè videtur neceſſaria: idcircò liceat mihi, obſecro, eam hîc breuiter per modum paraphraſticæ cuiuſdam enarrationis explanare.

ORANS DANIEL VENTVRI MESSIAE TEMPVS DIVINITVS DISCIT.

PROPHETIA.

7. [a] *Ab exordio precum tuarum, egreſſus eſt ſermo.*

[b] *Ego autem veni vt indicarem tibi, quia vir deſideriorum es.*

EXPOSITIO.

[a] Ex quo (inquit Angelus) ô Daniel deprecari cœpiſti Dominum pro liberatione populi tui, reuelata ſunt mihi à Deo, quæ nunc dicturus ſum tibi.

[b] Quoniam autem non me præterit quantis cor tuum ſit bonis ſanctiſque refertum deſideriis, & quantopere exoptes edoceri de his quę ventura ſunt ſuper populũ ſanctum tuum, & ſuper vrbem ſan-

sanctam Ierusalem, præcipuè verò de his quæ ad Messiá pertinent, eidem populo diuinis oraculis ac Prophetarum vocibus toties repromissum: propterea Deo iubente veni, vt hæc indicem tibi.

[c] *Tu ergo animaduerte sermonem, & intellige visionem.*

[c] Igitur arrige aures Daniel, & attende diligenter ad verba mea (erunt enim aliquanto obscuriora) ne erres; sed benè capias sensum eorum:

[d] *Septuaginta hebdomades abbreuiatæ sunt super populum tuum, & super vrbem sanctam tuam, vt consummetur præuaricatio, & finem accipiat peccatum, & deleatur iniquitas, & adducatur iustitia sempiterna, & impleatur visio, & Prophetia, & vngatur Sanctus sanctorum.*

[d] Omne tempus, quod diuinitus præfinitum ac determinatum est vsque ad Christi passionem, intra quod complenda erunt in populo Iudaico, & in vrbe Ierosolyma, ferè omnia quæ prædicturus sum tibi, septuaginta hebdomades complectetur, non dierum, sed annorum; non Solarium, sed Lunarium: quæ septuaginta hebdomadæ continent annos quadringentos nonaginta Lunares; (sic namque abbreuiatæ sunt, vt non ex Solaribus, sed ex Lunaribus annis constare ac numerari debeant.) Itaque intra hos quadringentos nonaginta annos Lunares, qui æquipollent annis Solaribus quadringentis septuaginta quinque, præuaricatio hominum ad summum perueniet gradum, vt iam vlteriùs excrescere posse non videatur; quandoquidem nullum maius peccatum committi potest eo quod ab his perpetrandum erit, qui ex mera inuidia, malitia, & odio, gratis Filium Dei crucifigere non verebuntur. Hæc erit omnium præuaricationum maxima. Quod enim scelus magis contra omne fas iusque diuinum atque humanum in toto orbe terrarum committi aut excogitari vmquam potuit, poteritve, quàm vnicum verum ac naturalem Dei Filium, post tot tantaque ab eo accepta beneficia, tam impiè immaniterque interimere? Tunc etiam destruetur peccatum; quia Passio Christi, ipsa est quæ delet iniquitates, ipsa quæ iustificabit impios, & adducet in hominibus iustitiam sempiternam. In ipsa quoque implebuntur visiones & oracula Prophetarum, quæ præcesserant de aduentu, vita, gestis, ac passionibus Christi; quemadmodum ipsemet in cruce pendens indicabit, dicens: *Consummatum est.* Eodem item tempore, idem mediator Dei & hominum Christus Iesus, *quem Pater sanctificauit, & misit in mundum,* (Ioan. cap. 10. vers. 36.) ipse, inquam, qui est verè Sanctus sanctorum, quique ab æterno super omnia constitutus, in sua sacratissima incarnatione, à Deo vnctus est oleo diuinæ gratiæ præ participibus suis, vt dicitur in Psal. 44. vers. 8. & ad Heb. c. 1. vers. 9. id est ineffabili illa Diuinitatis vnione; iterùm, modo longè à priori diuerso, in ara crucis pro salute mundi, sanguine proprio inungetur, & declarabitur Rex vniuersæ creaturæ, iuxta illud Ioan. cap. 12. vers. 32. *Et ego si exaltatus fuero à terra, omnia traham ad me ipsum.*

8. [e] *Scito ergo, & animaduerte: Ab exitu sermonis, vt iterùm ædificetur Ierusalem, vsque ad Christum ducem, hebdomades septem, & hebdomades sexaginta duæ erunt.*

[e] Vt ergo scias, ô Daniel, vndénam exordiendæ sint prædictæ annorum hebdomades, diligenter aduerte, & nota tempus quod indicabo tibi. A diuulgatione edicti de Ierosolyma reædificanda, vsque ad Christum ducem, ducem inquam eorum qui ad æternum regnum transire voluerint, hoc est, vsque ad Messiæ manifestationem, decurrent hebdomades septem & sexaginta duæ; nimirum in summa, sexaginta nouem plenæ, ex annis Lunaribus, vt dictum est, computatæ (subaudi, & aliquid ampliùs, vt paulò pòst dicetur.) Quòd autem posteà res sic se habuerit, ita ostendi potest: nam prædicta Ierosolymæ reædificandæ diuulgatio, facta est anno regni Artaxerxis Longimani vigesimo, vt infrà sub anno mundi 3609. num. 2. 3. & 4. probabitur. & vniuersalis Messiæ manifestatio cœpit anno Imperij Tiberij Cæsaris quintodecimo, vt habemus Luc. cap. 3. vers. 1. quando videlicet baptizatus est Christus, & voce diuina de cælo reuelatus est Filius Dei; & ipse non multò pòst exorsus est Euangelij prædicationem, viam docens salutis æternæ. Quamuis enim ab anno prædicti Artaxerxis vigesimo, ad Tiberij decimumquintum, supra prædictas hebdomades

sexa-

ſexaginta nouem, inueniantur etiam anni tres, & aliquot menſes; quia tamen non tot erant hi anni, vt integram facere poſſent hebdomadam, ideò Scriptura ſacra more ſuo illos præteriit: iam enim nos ſub anno mundi 1659.num.2.pluribus exemplis oſtendimus, ipſam in ſummis colligendis interdum minutos quoſdam numeros omittere conſueuiſſe.

[f] *Et rurſum ædificabitur platea, & muri in anguſtia temporum.*

[f] Et primò, circa initia primarum ſeptem hebdomadarum, ædificabuntur platea, hoc eſt, plateæ (numerus enim hîc ſingularis pro plurali vſurpatur) & muri Ieruſalem, paucorum (hoc eſt quinquaginta duorum) dierum interuallo, cum magna feſtinatione, propter imminentia hoſtium impedimenta. Quod ita ad vnguem poſtmodum ſub Nehemia factum fuiſſe, nos ſub anno mundi 3610.num.2.oſtendemus. Et credendum eſt, alias quoque vrbis partes intra primas ſeptem hebdomades fuiſſe ædificatas, ac propterea eaſdem hebdomades ſeorſum ab aliis eſſe memoratas.

9. [g] *Et poſt hebdomades ſexaginta duas occidetur Chriſtus; & non erit eius populus qui eum negaturus eſt. Et ciuitatem, & Sanctuarium diſſipabit populus cum Duce venturo: & finis eius vaſtitas, & poſt finem belli, ſtatuta deſolatio.*

[g] At verò poſt alias ſexaginta duas hebdomadas, nimirū elapſis ſexaginta nouem hebdomadibus, hoc eſt, hebdomada ſeptuageſima, (ſubaudi, deſinente) cruci affigetur occideturque Chriſtus: & propterea populus Iudaicus, qui eum coram Præſide Pilato negaturus eſt, prorſus reprobabitur, ne deinceps ampliùs appelletur ſitque populus Domini. (numera in tabulis ab anno vigeſimo Longimani ad Chriſtum paſſum, & inuenies fluxiſſe annos quadringentos ſeptuaginta quinq; Solares, qui faciunt annos Lunares quadringentos nonaginta; & conſequenter hebdomades ſeptuaginta ſuperiùs memoratas.) Deinde (ſubintellige, poſt quadraginta circiter, quos Baronius facit triginta octo, à Paſſione Chriſti annos) Romanorum exercitus cum ſuo duce Tito, Ieroſolymam Templumque diſſipabit: & illius belli finis erit ipſa vrbis Templique vaſtitas & interitus, atque à Deo præſcita præſtatutaque deſolatio, in vltionem impiiſſimæ mortis eidem Chriſto à Iudæis illatæ. Sanè iſta deſolatio hucuſque, nimirum per annos mille ſexcentos & ampliùs perdurauit, perdurabitque in perpetuum, quemadmodum in calce huius Prophetiæ traditur, & item iuxta Iſaiæ vaticinium, quod habetur cap. eius 25. verſ.2. his verbis: *Quia poſuiſti ciuitatem in tumulum, vrbem fortem in ruinam, domum alienorum: vt non ſit ciuitas, & in æternum non ædificetur.* Eamdem Prophetiam videtur confirmaſſe Dominus noſter Luc. cap.19. verſ.44. ad eamdem Ieruſalem dicens: *Et non relinquent in te lapidem ſuper lapidem.* Quæ verba exponens B. Gregorius, ait, quòd *hoc quoque etiam ipſa ciuitatis eiuſdem tranſmigratio teſtatur; quia dum in eo loco nunc conſtructa eſt, vbi extra portam Dominus fuerat crucifixus; prior illa Ieruſalem, vt dicitur, funditus eſt euerſa.* Cui nos addere poſſumus, quòd & quæ mox conſtructa eſt, non Iudæis ſed alienis ædificata fuit: quare quod attinet ad Iudæos, idem eſt, ac ſi perpetuò deſolata remanſiſſet.

10. [h] *Confirmabit autem pactum multis hebdomada vna.*

[h] Verùm quia dixi reprobatum iri populum tuum, eò quòd Chriſtum ſit negaturus, & crudeli ſupplicio perempturus; ne concidat, ô Daniel ſerue Dei, cor tuum, ratus cunctos Iudæos fore reprobandos: quoniam intra vnam potiſſimùm annorum hebdomadam, de qua numero proximo agemus, Chriſtus primò quidem per ſe ipſum, qui triennio circiter prædicabit, mox verò per Apoſtolos ſuos confirmabit pactum ſeu promiſſionem olim Abrahæ factam de benedicendis cunctis gentibus in ſemine ſuo, qui eſt ipſemet Chriſtus, vt dicitur ad Galat.cap.3.verſ.16. confirmabit, inquam, multis miraculis, & multis item in hominibus, quos ad fidem ſuam conuertet. Etenim tunc adeò firmiter Euangelica Lex in cordibus multorum, præcipuè Iudæorum, ſtabilietur, vt nullis dæmonum tentationibus, tyrannorúmve tormentis, ab eis dimoueri vmquam poſſit. Stabilietur, inquam, tum ipſius Chriſti Apo-

ſtolorumque prædicatione, vt dixi, & miraculorum confirmatione; tum verò inprimis virtute ſacratiſſimæ eius paſſionis, mortis, reſurrectionis, atque in cælum aſcenſionis: nec non virtute Spiritus ſancti, quem decem ab aſcenſione poſt dies, miro inuſitatoque modo de cælis mittet, abundeque effundet in cordibus credentium, præſertim verò Apoſtolorum, qui omnes Iudæi erunt, (vt colligi poteſt Actorum cap. 2. verſ. 7.) & quorum operâ Lex Euangelica diuulgabitur in omni Iudæa primùm, deinde etiam in vniuerſo orbe terrarum. Hæc autem intra vnius ſeptennij tempus, nempe à Chriſti baptiſmate, ad nonum circiter menſem anni quarti poſt eius paſſionem, acta fuiſſe, ex Euangelij Actorumque libris luculentè ſatis conſtare poteſt: nam exinde cœpit Euangelica prædicatio paulatim tranſire ad Gentes.

11. [i] *Et in dimidio hebdomadis deficiet hoſtia & ſacrificium.*

[i] Quòd ſi etiam ſcire cupis, quænam erit hebdomada hæc, in qua tot mirabilia fore patranda iam diximus: proculdubiò non erit tota ſeptuageſima, nec tota ſeptuageſima prima; ſed illa quæ ex poſteriori medietate ſeptuageſimæ, & priori ſeptuageſimæ primæ, conficietur; nimirum illa, in cuius dimidio, propter verum ac Deo Patri acceptiſſimum ſacrificium in ara crucis à Chriſto oblatum, ceſſabunt, quoad eorum valorem, omnia Moyſaicæ Legis ſacrificia, quæ illud ſignificabant. Congruum namque erit, vt adueniente figurato, figuræ omnes antiquatæ intelligantur. Igitur ſi, vt dixi, in medio huius hebdomadis continget paſſio Saluatoris, & eamdem ſuprà diximus futuram in fine prædictarum ſeptuaginta hebdomadarum; vtique ſequitur, hanc hebdomadã vnam, eſſe illam, quæ (vt dictum eſt) ex media ſui parte erit ſeptuageſima, & ex altera erit ſeptuageſima prima. Etenim, vt iam indicauimus, in poſtera medietate hebdomadis ſeptuageſimæ hæc perficientur, baptiſmus, prædicatio, miracula, paſſio, morſque noſtri Redemptoris: in priori autem medietate ſubſequentis hebdomadæ, eiuſdem Chriſti reſurrectio, aſcenſio, miſſio Spiritus ſancti, & Apoſtolis euangelizantibus, doctrinamque ſuam mirabilibus ſignis confirmantibus, multorum, præſertim Iudæorum, ad Chriſti fidem conuerſio.

12. [k] *Et erit in templo abominatio deſolationis, & vſque ad conſummationem & finem perſeuerabit deſolatio.*

[k] Denique poſt quadraginta circiter, ſeu trigintaocto, vt dixi, à nece Chriſti annos, quos Iudæis diuina miſeratio, ad ipſorum expectandam conuerſionem, indulgebit; ſuperueniet abominatio ſuperiùs tacta; nimirum exercitus Romanorum, Iudæis ſpecialiter, propter multiplicem illius idololatriam, valdè abominabilis: qui demum capta direptaque vrbe, etiam ipſum Templum ac Sanctuarium eius penetrabit deſolabitque. Atque hæc Templi deſolatio non per aliquot pluréſve annos tantũ, vt aliàs, ſed vſque in ſempiternum perdurabit; ita exigente omnium peccatorum maximo, nimirum horrenda nimis vnigeniti Filij Dei occiſione.

PROPHETIAE EPILOGVS.

13. Ergo, quæ in hac Prophetia prædicuntur, hæc ferè ſunt: Primò, quòd in fine prædictarum ſeptuaginta hebdomadarum annorum Lunarium, hoc eſt, poſt quadringentos ſeptuaginta quinque annos Solares, ab anno regni Artaxerxis, qui dictus eſt Longimanus, vigeſimo recenſendos, futura erat paſſio morſque Saluatoris; & per ipſam operatio ſalutis humanæ, quam expectabant, aſſiduiſque orationibus expetebant Sancti veteris Teſtamenti omnes, & præcipuè ipſe Daniel. Secundò, quòd intra priores præſertim ſeptem annorum hebdomades, reædificanda erant plateæ & muri Ieruſalem, ac reliquæ item vrbis partes. Tertiò, quòd poſt alias ſexaginta duas hebdomades, id eſt, elapſis à prædicto Artaxerxis anno ſexaginta nouem hebdomadibus, nimirũ ſub finem primæ medietatis ſeptuageſimæ hebdomadis, manifeſtandus erat Chriſtus, Dux eorum qui per ipſum ſaluandi erant: manifeſtandus, inquam, non ſolùm voce S. Ioannis Baptiſtæ præcurſoris ſui; ſed & voce paterna de cælo delapſa ſuper ipſum Ieſum cùm baptizaretur in Iordane. Sub finem verò alterius medietatis eiuſdem hebdomadis, ſiue, quod idem eſt, in fine prædictarum ſeptuaginta hebdomadarum, aut in dimidio illius hebdomadis

domadis quæ confirmabit pactum multis, idem Christus crucifigendus atque occidendus erat pro salute mundi;& consequenter antiquanda erant cuncta veteris Testamenti sacrificia. Quartò, quòd intra hebdomadam annorum vnam, ab initio prædicationis Christi (vt probatum est) inchoandam, grandis fieri debebat Iudæorum conuersio ad fidem Christi, propter prædicationem & miracula ipsius,& Apostolorum eius. Quintò demum, quòd post hæc subsecutura erat omnimoda Ierosolymæ Templique eius subuersio, in perpetuum duratura; quam diximus contigisse post annos ab obitu Redemptoris circiter quadraginta. Quæ omnia ad vnguem, vt prædictum fuerat, euenisse, certissimum est, & singula suis locis notabuntur.

14. Eodem anno Babylonicæ captiuitatis septuagesimo circiter exeunte, necesse est mortuum esse Darium Medum, eidemque successisse in Regna ipsius, Medorum scilicet & Babyloniorum, Cyrum Regem Persarum, atque ita tria illa Regna sub vno Rege simul iuncta, dedisse exordium secundæ mundi Monarchiæ, quæ Persarum atque Medorum dicta est: (Babylonij enim, quoniam, vt diximus, à Medis Persisque subacti fuerant, nullum in hac Monarchia ius nomenque habuerunt.) Hæc autem comprobari possunt ex 2. Paralip. cap. vlt. vers. 20. & deinceps, vbi manifestè traditur, quòd Iudaica septuaginta annorum captiuitas, quam prænuntiauerat Ieremias, duratura erat vsque ad Imperium, hoc est, Monarchiam Cyri Regis Persarum; & ibidem, atque etiam in principio lib. 1. Esdræ, & cap. eiusdem lib. 6. vers. 3. subiungitur, quòd idem Cyrus, quando eamdem soluere decreuit captiuitatem anno Imperij sui primi, protulit edictum in hæc verba: *Hæc dicit Cyrus Rex Persarum: Omnia regna terræ* (intellige *omnia* per hyperbolem, id est multa & præcipua) *dedit mihi Dominus Deus cæli*, &c. ergo ex tunc regnare cœperat etiam super Medos, & Babylonios, & item Assyrios, qui iam à Babyloniis subiugati fuerant: hæc enim regna tunc temporis erant primaria, & in toto orbe terrarum celeberrima; ergo iam tunc decesserat Darius, qui paulò antè regnabat super Medos, & Babylonios, & Assyrios; & eidem successerat Cyrus, quemadmodum dictum est; alioqui ipse Cyrus in memorato edicto non potuisset se appellare Monarcham, seu quod idem est, omnium regnorum terræ dominum. Igitur

MORTVO DARIO SVCCESSIT CYRVS.

AB ORBE CONDITO ANNVS 3517. SEXTAE MVNDI AETAT. ANNVS 71.

1 EXACTO Babylonicæ Iudæorum captiuitatis anno septuagesimo, Cyrus Rex Persarum, cùm (vt diximus) Dario paulò antè defuncto successisset, totque ac tanta Regna suo adiunxisset Imperio, extincta prima quæ fuerat Assyriorum ac Babyloniorum Monarchia, dedit initium secundæ, quæ primò quidem dicta est Monarchia Medorum atque Persarum; quoniam præcedenti anno Darius Medus cum Cyro Persa iuncti, Babylonicum subegerant Imperium: sed quia non multò pòst, omnia Regna hæc deuenerunt ad Cyrum, qui fuit natione Perses, & quia postmodum successores eius pariter fuerunt de genere Persarum, & ordinariè Regiam tenuerunt in Perside: propterea deinceps Monarchia hæc dici cœpit Persarum atque Medorum; & magis Persarum, quàm Medorum. Et nihilominùs huius, sicut & aliarum Monarchiarum domini communiter appellantur Reges, sumptò scilicet Regis pro Monarchæ vocabulo.

CYRVS SECVNDAM MVNDI MONARCHIAM, PRIMA EXTINCTA, INSTITVIT.

2. Stetit ergo prima mundi Monarchia (si eam ab anno regni Nini maioris circiter vigesimo, quemadmodum sub anno mundi 2016. num. 2. dictum est, exordiamur) per annos mille quingentos & vnum, vt patet in tabulis. Si autem eam ab initio regni eiusdem Nini volueris auspicari, erunt anni durationis eius mille quingenti viginti. Quòd si quis malueril initia eius altiùs repetere, nimirum vsque ab exordio regni Belis, qui ante filium Ninum iam regnauerat annis quinque & sexaginta in Babylone; conficiet summam annorum mille quingentorum octoginta quinque. Quæ fortè computandi diuersitas in causa fuit, quòd Auctores non omnes in assignandis hisce annis conueniant. Quamquam certum quoque est, aliquos non de exordij tantùm tempore, sed etiam finis, discrepare; quemadmodum ex his quæ sub annis mundi 2016. num. 7. & 3234. num. 2. vsque ad 5. inclusiuè dicta sunt, dignosci poterit.

PRIMA MVNDI MONARCHIA QVOT ANNIS STETERIT.

3. Circa initia (vt arbitror) anni huius primi Monarchiæ Cyri (qui annus, tametsi cœperit, vt dictum est, sub finem anni Babylonicæ captiuitatis septuagesimi; attamen ferè totus, quemadmodum notatur in tabulis, concurrit cum septuagesimo primo) vt adimpleret Dominus quæ per os Ieremiæ Prophetæ promiserat, excitauit spiritum

DE BABYLONICAE IVDAEORVM CAPTIVITATIS SOLVTIONE.

Cyri

Cyri Regis Persarum, interuenientibus etiam (vt communiter creditur) suasionibus precibusque Danielis: qui cùm regnante Dario esset primarius regni eius administrator, probabile est, quòd etiam Cyro successori fuerit, propter singularem eius sapientiam, prudentiam, ac probitatem, valdè charus, & quòd ipse (vt erat etiam Propheta magnus, & salutis animarum zelantissimus, præsertim Regum, quibuscum sæpè versari solebat) hortatus sit Cyrum, vt magnitudinem gloriæ suæ à Deo cæli recognosceret, à quo tanta ei bona collata fuerant; & ne gratis hæc Regi dicere videretur, ostenderit eidem (quemadmodum tradit B. Theodoretus super cap. 1. & repetit super cap. 11. Danielis) Prophetiam Isaiæ, quæ habetur cap. eius 45. vers. 1. ante tot sæcula scriptam, in qua ipsemet Cyrus proprio nomine fuerat præmonstratus, & gloriosæ eius victoriæ prænuntiatæ: vidensque Daniel Regem tanto ac tam veteri testimonio delectari, eumdem precatus fuerit, vt pro gratiarum actione tam præclaræ prælectionis suæ ad tantam gloriam, præciperet reædificari eidem Deo cæli templum Ierosolymis, quod Babylonij iam ante annos septuaginta destruxerant. Quibus auditis, & visa etiam ipsa Isaiæ Prophetia, quæ de ipso edita fuerat, & ad vnguem impleta; admiratus Rex (vt scribit Iosephus 11. Antiq. cap. 1.) Vatis diuinitatem, edicto publico promulgauit, diuinum se accepisse præceptum de Ierosolymitano templo reædificando: sic enim legimus 2. Paralip. in fine libri, & in principio 1. Esdræ. Ex quibus locis videtur posse inferri, Vel in memorata Isaiæ Prophetia olim prædictum quoque præceptum fuisse contentum, vt videtur significare Iosephus loco proximè adducto; Vel (quod magis crediderim) idem præceptum Regi per ipsum Danielem, nomine Dei, fuisse expositum atque intimatum. Ergo Daniel Regi Cyro non solùm domus Deo ædificandæ, verùm etiam populi dimittendi (vt disertè tradit citatus Theodoretus prope finem Orationis 10. seu postremę in Danielem) auctor fuit, subaudi, externis quibusdam officiis aut suasionibus. Nam quod attinet ad motiones internas, præter Deum, qui omnium bonorum supremus motor & primaria causa est, etiam Angelum illum, qui loquebatur cum Daniele, id præstitisse tradit idem S. Theodoretus initio citatæ Orationis; vbi obiter exponens prima illa capitis 11. Danielis verba: *Ego autem* (inquit Angelus) *ab anno primo Cyri* (vt ipse Sanctus legit) vel (vt habet editio Vulgata) *ab anno primo Darij Medi stabam vt confortaretur & roboraretur.* ait: *Id est, simulatque Cyrus regno potitus est, omnia moliri perseuerabam, vt populum captiuum à seruitute liberarem. Et ibidem post pauca, rursus eadem verba ex professo ita explicat, ac si Angelus dicere voluisset: Statim cùm Cyrus regno potitus esset, & terminus captiuitatis expletus, institi quoad effeci, vt populus dimissus, in libertatem vindicaretur.* hæc ille. Ceterùm Cyrus Rex, vt Dei iussa quantocyùs impleri curaret, soluta protinus Iudæorum captiuitate, & facta illis amplissima facultate redeundi in Iudæam, præcepit vt omnino Ierosolymis Templum Deo Israel extruerent, iussitque super hac re amplum confici, atque in regia bibliotheca, ad posterorum memoriam, scriptum asseruari decretum, illud videlicet quod refertur 1. Esdr. cap. 6. vers. 3. vsque ad 6. in quo statuit templi mensuras, & ordines de lapidibus impolitis, & de lignis nouis; & vt sumptus de regiis redditibus præberi, & vasa aurea atque argentea olim à Nabuchodonosor ablata, in illud templum reportari deberent. Et hæc vasorum restitutio illa est, quam prædixerat Ieremias in calce capitis 27. & speciatim recensetur 1. Esdr. cap. 1. vers. 7. vsque ad finem capitis. Quomodo autem, & cui Cyrus mandauerit, vt hæc præstanda curaret, breuiter refertur 1. Esdr. cap. 5. vers. 13. vsque ad 17. his verbis: *Anno autem primo Cyri Regis Babylonis, Cyrus Rex proposuit edictum, vt domus Dei hæc ædificaretur. Nam & vasa templi Dei aurea & argentea, quæ Nabuchodonosor tulerat de Templo quod erat in Ierusalem, & asportauerat ea in templum Babylonis, protulit Cyrus Rex de templo Babylonis, & data sunt* (subaudi, per manum Mithridatis filij Gazabar, vt dicitur 1. Esdr. cap. 1. vers. 8.) *Sassabasar vocabulo, quem & principem constituit, dixitque ei: Hæc vasa tolle, & vade, & pone ea in Templo quod est in Ierusalem, & domus Dei ædificetur in loco suo. Tunc itaque Sassabasar ille venit, & posuit fundamenta templi Dei in Ierusalem*, &c. hæc ibi. Porrò dictus Sassabasar erat Princeps Iuda, vt apertè traditur loco Esdræ proximè citato, crediturque (vt aiunt Lyranus & Carthusianus) fuisse Zorobabel, qui à Persis vel Babyloniis vocabulo Sassabasar appellabatur.

DANIEL OSTENDIT ISAIAE PROPHETIAM CYRO.

CYRVS MANDAT EXTRVI TEMPLVM IEROSOLYMIS.

IVDAEI DE CAPTIVITATE BABYLONICA IN IVDAEAM REDEVNT.

4. Iudæi ergo, audito tam fauorabili gratoque Regis edicto, læti surrexerunt cum suo Duce Zorobabel, Iechoniæ quondam Regis nepote; & cum summo tunc ipsorum Sacerdote, Iesu siue Iosue filio Iosedec; cuius genealogia ab Eleazaro Aaronis filio deducitur 1. Paralip. cap. 6. vers. 4. vsque ad 16. & cum aliis populi Principibus, ad quinquaginta millia exulum, qui recensentur 1. Esdr. cap. 2. redierunt in Ierusalem, & in ciuitatibus

tates Iuda, cum paruulis & mulieribus, & omni supellectili ac substantia sua: & præterea cum vasis aureis atque argenteis à Cyro gratiosè relaxatis; & insuper cum aliis muneribus amplissimis, quæ ab his qui in Babylonia Persideque remanserant, vltrò eis data fuerant, in templo Ierosolymis ædificando offerenda. Puto autem eos reuerti cœpisse exeunte primo, vel inchoante secundo Anni sacri mense, & ad quattuor saltem menses in itinere insumpsisse: non enim minori temporis spatio tanta hominum multitudo vtriusque sexus, & cuiuscumque ætatis, tam longum iter conficere potuisse videtur. nam & eos qui postmodum cum Esdra redierunt, quattuor circiter menses in via exegisse, colligitur 1.Esdr.cap.7. vers.9. Vt primùm ergo peruenerunt in terram Iuda, habitauerunt Sacerdotes, & Leuitæ, & Nathinæi, vniuersusque populus, singuli in ciuitatibus suis: 1.Esdr.cap.2. Et cùm ibi ad duos menses domesticis rebus ordinandis vacassent, mense tandem eiusdem anni solutæ captiuitatis pariterque Anni sacri septimo adueniente, Iosue summo Sacerdote & Zorobabele populi Duce auctoribus ac promotoribus, cœperunt agere de cultu diuino Ierosolymis restituendo; & statuto die, nimirum primo mensis septimi, omnes vnanimes in Ierusalem conuenientes, cùm ibidem altare ædificassent, cœperunt eodem die offerre super eo sacrificia Domino, ac deinceps ad Moysaicæ Legis dispositionem ritumque eadem continuari curarunt; videlicet, iuge sacrificium quotidie, manè pariter ac vespere, & quæ in Kalendis, & cunctis sollemnitatibus fieri præcepta erant: præcipuè verò sollemniter & continuato cultu celebrarunt Festum Tabernaculorum, à die decimoquinto eiusdem mensis septimi, vsque ad diem vigesimum secundum inclusiuè. Et postremò dederunt pecuniam latomis ac cæmentariis pro templi ædificio, & commeatum Tyriis ac Sidoniis, vt deferrent ligna cedrina de Libano ad portum Ioppe, prout mandauerat Cyrus Rex Persarum: 1.Esdr.cap.3.vers.1. vsque ad 8.

TEMPVS IN ITINERE INSVMPTVM.

¶ 5. Ex dictis ergo patet, primum à soluta Iudæorum captiuitate Pontificem in Iudæa fuisse Iosue filium Iosedec, eumdemque de Eleazari sobole prodiisse, vt colligitur 1.Paralip.cap.6.vers.15. Sanè ab isto Iosue vsque ad Iaddum, qui temporibus Alexandri Magni Sacerdotio Ierosolymis fungebatur, certa & continuata videtur haberi ex posteritate dicti Iosue Pontificum successio Nehemiæ cap.12.vers.10.vbi hæc legimus: *Iosue autem genuit Ioacim, & Ioacim genuit Eliasib, & Eliasib genuit Ioiada, & Ioiada genuit Ionathan, & Ionathan genuit Ieddoa.* Porrò hunc Ieddoa, tum Beda lib.3.sup.Esdr.c.32. tum alij communiter eumdem faciunt cum prædicto Iaddo, cuius meminit Iosephus 11.Antiq.c.8. Quæ omnia etiam confirmat Eusebius lib.8. de Demonstratione Euangelica, Demonstratione 2.post medium. Verumenimverò, quot quisque annis Pontificatum tenuerit, incertum est; id namque in Sacris libris non reperitur. Sed neque Iosephus in toto lib.Antiq.11.vbi horum Pontificum meminit, neque alibi, neque B.Nicephorus Constantinopolitanus in sua Chronologia, neque Sigonius de Repub.Hebræorum lib.5.cap.2.vbi de eisdem agunt, neque vllus alius probatus Auctor, ipsorum Pontificatus annos notare ausus est. Vnde patet fictitios esse, ac temerè de proprio Annij capite depromptos illos annorũ numeros, quos idem Annius & eius asseclæ singulis hisce Pontificibus adscribere non sunt veriti. Et idem prorsus dicendum est de illis Hebræorum Ducum annis, quos ijdem Auctores ponunt à Zorobabel ad Machabæos, quemadmodum etiam ex infrà sub anno mundi 3554.num.2. dicendis patebit. Sed vt ad memoratum Iosue redeamus, tametsi quot annis Pontificatum gesserit, certò sciri non possit; illud tamen indubitatum est, quod in ea dignitate vixit etiam temporibus Darij Hystaspis Regis Persarum, quando templum reædificabatur, vt patet 1.Esdræ cap.5. vers.2. Quamdiu verò deinceps superstes fuerit, licet certò definire non possimus, probabiliter tamen credere possumus, eum toto ferè dicti Regis tempore vixisse; quemadmodum & de filio eius Ioacim, quòd Pontificatum gesserit toto propemodum tempore regni Xerxis, qui prædicto successit Dario, & de Eliasib filio Ioacim manifestum est, quòd erat Sacerdos magnus regnante in Perside Artaxerxe Longimano, vt expressè colligitur 2.Esdr.cap.3.vers.1.20.& 21.& cap.13.vers.4.7. & 28. De Ioaiada autem & Ionathan, quando & quamdiu Pontifices fuerint, ex Sacris quidem libris non habemus, verumtamen ex supradictis consequitur, ipsos Iaddumq; successiuè deinceps fuisse Pontifices vsque ad quartum saltem dicti Alexandri annum. Quoniam autem neque de hisce tribus, neq; de aliis suprà memoratis scire possumus, quando quilibet ipsorum è vita decesserit; etiam quot quisque annis in Pontificatu transegerit determinare non valemus. De Iaddi verò successoribus, sub anno mundi 3730.num.2.agemus.

DE IVDAEORVM PONTIFICIBVS A SOLVTA CAPTIVITATE AD ALEXANDRVM MAGNVM.

AB ORBE CONDITO ANNVS 3518. SEXTÆ MVNDI ÆTAT. ANNVS 72.

SECVNDI TEMPLI FVNDAMENTA IACIVNTVR.

1 ANNO reditus populi de Babylone in Ierusalem secundo, mense secundo, vt dicitur 1.Esdr.cap.3.vers.8. cœperunt iacere fundamenta templi. Quod de fundamentis templi interioris, in quo Sancta,& Sancta sanctorum erant, intelligere debemus, quemadmodum rectè exponit Beda relatus in Glossa ordinaria 1.Esd.cap.6. & à Cardinali Toleto super Ioan.cap.2. Alioqui citatus Esdræ locus pugnaret cum his quæ habentur Aggæi cap.2. vers.11.& 19. vbi eiusdem templi fundamenta dicuntur iacta fuisse anno regni Darij Hystaspis secundo, die vigesimo quarto mensis noni; quod proculdubiò de fundamentis templi exterioris,in quo erant atria, porticus,& gazophylacia siue exedræ,accipiendum est. Vt primùm autem iacta sunt templi interioris fundamenta,Sacerdotes & Leuitæ in ornatu suo positi, cum tubis & organis diuersi generis, cœperunt in hymnis & confessionibus laudare Dominum; quibuscum voces pariter populi laudantis Dominum de longè mixtim audiebantur, aliis, nempe iunioribus,præ lætitia iubilantibus; aliis verò,nimirum senioribus, qui viderant templum Salomonis antequam destructum fuisset, flentibus, quòd ex fundamentis præsentibus vtique prospicerent atque intelligerent, quantum à prioris altitudine ac magnificentia ipsum dissidere oporteret: 1.Esdr.cap.3.vers.8.vsque ad finem.

SAMARITAE IMPEDIVNT IVDAEOS AB AEDIFICATIONE TEMPLI.

2. Fundato à Iudæis templo in Ierusalem,ecce Samaritæ siue Cuthæi, aliique populi,quos olim Salmanassar & Asarhaddon Reges Assyriorum de regionibus ipsorum transtulerant in Samariam,& in vrbes eius,vt sub annis mundi 3314.num.1. & 3326. num.2.dictum est; cùm eo essent ingenio,eaque naturali inclinatione, quæ sub anno mundi 3315.num.2.descripta est; & audissent quòd Iudæi,qui de captiuitate redierát, templum Ierosolymis reædificare aggressi erant; volebant se quoque in eodem templi ædificio ingerere,& pariter cum Iudæis communicare: verumtamen à Zorobabele & Iosue,aliisque Iudæorum Principibus repulsi, confestim cœperunt ædificantibus aduersari,& disturbare Iudæos. Et quia armis contendere verebantur, ne Regis edicto palàm aduersari viderentur, conduxerunt aduersus eos consiliatores, vt destruerent consilium eorum,vt dicitur 1.Esdræ cap.4. vers.5. id est (quemadmodum exponunt Iosephus & Caietanus) pecuniis corruperunt consiliarios & ministros Regis cis Euphraten commorantes,qui astu,malisque artibus & officiis destruerent consilia Iudeorum: quod & fecerunt factis potiùs,vt arbitror,quàm verbis; nimirum sub variis prætextibus subtrahentes sumptus regios eidem fabricæ à Cyro destinatos, quorum fit mentio 1.Esdr.cap.6.vers.4. & impediendo Tyrios Sidoniosque, ne ligna lapidésve Iudęis ministrarent: atque hoc pacto (quemadmodum pleniùs sub anno mundi 3524. num.2.declarabitur) cessauit ædificatio omnibus diebus Cyri, & vsque ad regnum Darij Regis Persarum: 1.Esdr.cap.4.vers.1. vsque ad 6.illum inquam Darium, qui Hystaspis dictus est,vt suo loco dicetur.

AB ORBE CONDITO ANNVS 3519. SEXTÆ MVNDI ÆTAT. ANNVS 73.

DANIEL AB ANGELO DE MVLTIS REBVS FVTVRIS EDOCETVR.

1 ANNO Monarchiæ Cyri Regis Persarum tertio, die vigesimo quarto mensis primi,placuit Deo post viginti vnius dierum afflictionem, in assiduis ieiunio, fletu,& oratione,à Daniele susceptam,erudire eum per Gabrielem Archangelum longa illa visione,quæ ostensa est ei iuxta fluuium magnum,qui est Tigris, de his quæ ventura erant; nimirum,de aliquot Regibus Persarum,qui successiuè post Cyrum regnaturi erant,& quòd quartus ipsorum Rex,nempe Xerxes, concitaturus erat omnes Asiaticos aduersus regnum Græciæ; quæ fuit causa concitandi posteà Græcos aduersus regnum Persarum: & demum de eiusdem regni Persarum interitu ac translatione ad Græcos facta per Alexandrum Magnum: item de diuisione regni Græcorum in quattuor regna,post Alexandri obitum: & de bellis quæ gerenda erant inter Ægypti Syriæque Reges: specialiter verò de grauissimis calamitatibus atque afflictionibus, quas impius Rex Antiochus,dictus Epiphanes seu Nobilis vel Illustris, genti Iudæorum illaturus erat; quæ posteaquam euenerunt,mox accuratè in libris Machabæorum descriptæ sunt. Et prætereà,ex occasione prædicti Regis, ac similitudine typóve impietatis eius erga Iudæos exercitæ,differit etiam præfatus Gabriel de immanissima Antichristi

tichristi persecutione contra Dei Ecclesiam postremis temporibus futura; de qua vide plura apud sacros Expositores, & præsertim Pererium in toto libro Commentariorum suorum in Daniel. decimoquarto. Denique nonnulla etiam tangit idem Archangelus ad extremum Dei iudicium pertinentia. Quæ omnia Daniel. cap. 10.11. & 12. tradita inuenies.

2. Ceterùm, ex memorata Danielis visione, quæ contigit ei anno ætatis suæ nonagesimo quarto, vt liquet ex tabulis, constat, ipsum non solùm vsque ad illud tempus fuisse superstitem, verùm etiam in tali ætate adeò adhuc corpore robustum, vt satis quoque diuturnas corporis afflictiones pro Ecclesia Dei vltrò suscipere ac sustinere posset. Quantum verò temporis ab hac visione superuixerit, & quando, vbive decesserit, in Sacro eloquio non habemus. Illud tamen certum est, vt scribit B. Theodoretus super Daniel. cap. 10. quòd quemadmodum ipse Daniel, non propter peccata sua, ductus fuerat in seruitutem (erat enim tum paruulus, vt nos sub anno mundi 3428. num. 5. ostendimus) sed Deus populi prospiciens vtilitati, eum vnà cum ceteris in captiuitatem abstrahi permiserat, quasi curatorem & magistrum quemdam simul cum ipsis mittens: ita etiam reditus tempore, cùm plures Iudæorum in Babylone remanere decreuissent, propterea diuinus Propheta cum illis degere compulsus fuit; vt ne spirituali cura prorsus destituti, in execrandam idololatriæ impietatem penitus laberentur.

DANIEL QVAMDIV VIXERIT.

CVR IN CAPTIVITATEM DVCTVS, ET MINIME REDVCTVS.

AB ORBE CONDITO ANNVS 3523. — SEXTÆ MVNDI ÆTAT. ANNVS 77.

1. ANNO Monarchiæ suæ septimo nondum expleto, regni autem trigesimo, Cyrus Rex Persarum in bello Massagetico cum vniuerso exercitu suo percussus interiit; quemadmodum ex his quæ sub anno mundi 3494. num. 1. vsque ad 6. diffusè admodum disseruimus, inferri potest. Probabile est autem, hunc interitum ei à Domino permissum fuisse, eò quòd cùm sciret diuinæ voluntatis esse, vt templum Ierosolymis extrui curaret, ipse post mandata semel data vt ædificaretur, non ampliùs fuerat sollicitus scire aut quærere, num quod iusserat, executioni mādatum esset. Quoto autem vitæ suæ anno Cyrus decesserit, non facile est definire. Nam si verum esset, quod Cicero lib. 1. de Diuinatione aliquanto ante mediū, ex Dionysio Persicarum rerum antiquissimo Scriptore refert; nimirum, eumdem Cyrum quadraginta annos natum regnare cœpisse, & ad septuagesimum vitæ annum peruenisse; sequeretur, ipsum esse natum biennio antequam super Medos Persasq; regnaret matris suæ pater Astyages, cui posteà defuncto ipse Cyrus immediatè successit in regno Persidis, quemadmodum sub anno mundi 3493. num. 1. probatum est: quandoquidem Astyagem triginta octo dumtaxat annis regnasse, scriptum reliquit Eusebius in Chronicis. Atqui, ponere ortum Cyri ante initium regni Astyagis, videtur repugnare his quæ ex Herodoto, Iustino, & aliis, nos sub anno mundi 3456. num. 1. retulimus; videlicet, de somnio ab eodem Astyage Rege viso, quod arioli interpretantes, dixerunt portendere nasciturum de filia Regis filium, qui toti Asiæ dominaturus erat. hic autem fuit ipse Cyrus. Vnde euidēter colligitur, ipsum natum esse aliquot saltē post annos, ex quo auus eius maternus regnare cœperat: quin etiam post plures annos, si verū est quod ait Xenophon non procul ab initio lib. 1. de Pædia Cyri; videlicet, non modò Cyrum, sed & matrem eius Mandanen natam esse patre Astyage Medorum Rege. Oportet ergo Cyrum anno saltem regni Astyagis decimooctauo esse natum; & consequentèr, non potuit esse quadraginta, sed ad summum viginti annorum, quando Astyage mortuo ipse regnare cœpit. Præthereà, si biennio antequam regnaret Astyages, natus esset Cyrus; oporteret ipsum fuisse contemporaneum & eiusdem ætatis cum Dario Medo, quem eodem anno natum esse, iam sub anno mundi 3454. num. 1. probauimus. Atqui B. Hieronymus super Daniel. cap. 5. in fine, facit præfatum Darium auunculum Cyri, & consequenter ipso longè seniorem. Denique, cùm certum sit, Cyrum non naturali, sed violento obitu, in bello contra Scythas decessisse, vt omnes ferè tradunt Scriptores, vno dumtaxat Xenophonte excepto, cui hac in parte tamquam excessiuo laudatori, non veraci Historico, nulla fides adhiberi solet; non videtur verisimile, quòd Cyrus, si fuisset septuagenarius, ipse ad bella proficisci valuisset, vel voluisset; præsertim cùm haberet Cambysem filium ad illa per ætatem iam idoneum: aut si modò ipse ire maluisset; non est probabile, quòd hostium terminos ipsemet adeò penetrasset, vt vitam suam tanto periculo exponeret; id enim non est senis & veterani, sed adhuc virilis seu iuuenilis audaciæ Ducis. Quare potiùs

CYRVS IN MASSAGETICO BELLO NECATVR.

QVOTO VITAE SVAE ANNO OBIERIT.

tiùs credendum putamus, Ciceronis codices (quod ad præfatos annorum numeros attinet) vel aliquando fuisse corruptos; vel ex corruptis Dionysij codicibus errorem hûc prodiisse, ac propterea vtrosque esse corrigendos; vt pro eo quod habent, Cyrum quadraginta annos natum regnare cœpisse, & ad vitæ septuagesimum peruenisse; dicant, eumdem vigesimo vitæ anno regnasse, & quinquagesimo obiisse. De Cyro multa scripserunt Herodotus, Iustinus, & alij Historici, præsertim Græci: nam Xenophon de Pædia quidem, hoc est institutione seu disciplina Cyri, octo scripsit libros; sed (vt inquit Cicero lib. 2. de Oratore) non tam historicæ veritati seruiens, quàm vt absolutum instirueret Ducem.

AB ORBE CONDITO ANNVS 3524. — SEXTÆ MVNDI ÆTAT. ANNVS 78.

CAMBYSES QVANDO REGNARE COEPERIT.

1 ANNO Monarchiæ Persarum, seu quod idem est, solutæ Iudæorum captiuitatis octauo circiter inchoante, regnauit in Perside filius Cyri nomine Cambyses, fuitque Rex Persarum secundus. Incidit autem primus iste annus regni Cambysis, anno Æræ Nabonassaris ducentesimo decimonono, vt patet in tabulis, & dilucidè colligitur ex Ptolemæo, qui lib. Almagesti 5. cap. 14. septimum huius Cambysis annum, in quo deliquium quoddam Lunæ contigisse ait, confert in annũ præfatæ Æræ ducentesimum vigesimum quintum. Hunc Cambysem Iosephus aliique plurimi, tum ex Hebræis tum ex Catholicis Scriptoribus, putant esse illum qui 1. Esdr. cap. 4. vers. 6. & 7. vocatur Assuerus, & Artaxerxes; si tamen ibi vnus idemque est Assuerus & Artaxerxes, quemadmodum Caietanus & multi alij exponunt, & nobis quoque magis placet; quandoquidem quod ibidem continuato sermone dicitur, *In regno autem Assueri, in principio regni eius, scripserunt accusationem aduersus habitatores Iudæ & Ierusalem: Et in diebus Artaxerxis scripsit Beselam, Mithridates, & Thabeel, & reliqui, qui erant in consilio eorum, ad Artaxerxem Regem Persarum*: videtur in postera horum verborum parte, fieri quædam eiusdem accusationis repetitio, accusatorum nomina exprimẽs, quod in priori parte factum non fuerat: huiusmodi autem repetitiones in Sacro eloquio vsitatas esse, nemo qui in ipso vel mediocriter exercitatus sit, negare potest. Si autem Assuerus & Artaxerxes reipsa fuerũt duo Reges nomine pariter ac tempore inter se distincti, quemadmodum nonnulli existimant, & verba Sacri textus prima fronte indicare videntur; rectè possumus pro Assuero accipere Cambysem, pro Artaxerxe verò Smerden magum, qui post Cambysis obitum fraudulenter occupato regno, per aliquot menses regnauit in Perside, & inter Persarum Reges tertius recenseri solet. Nisi fortè quis suspicari malit, Samaritas aliam quoque accusationem scripsisse in principio regni Darij Hystaspis, qui etiam ipse potuit appellari Artaxerxes, sicuti & ceteri Reges Persarum: & ipsum quidem primò hostibus Iudæorum annuisse, posteà verò, re meliùs cognita, mutasse sententiam. Sed de hoc nihil certi asserere possumus; quin potiùs ex aduerso legimus 3. Esdr. cap. 4. vers. 43. & 45. eumdem Darium, in die qua regnum acceperat, vouisse ædificare Ierusalem & templum Domini; & 1. Esdr. cap. 5. apparet, quòd circa initia regni Darij scripserunt quidem ad eum ministri eius, verumtamen nõ tamquam accusantes Iudæos, sed veluti monentes Regem de his quæ fiebant in Ierusalem, & expectantes ab eo responsum, num prohibere deberent, an sinere fieri ædificium templi, vt in toto cap. citato intueri licet.

SAMARITAE ACCVSANT IVDAEOS APVD CAMBYSEM, IMPEDIVNTQVE TEMPLI AEDIFICIVM.

2. Ad memoratum ergo Cambysem siue Assuerum, in principio regni eius, pessimam composuerunt scripseruntque accusationem aduersus Iudæos Principes populorum, qui habitabant in regione Samariæ: non enim ausi fuerant, vt notat Caietanus, scribere ad Cyrum, quem sciebant mandasse vt templum ædificaretur; sed eo mortuo, protinus scripserunt ad successorem eius Cambysem siue Assuerum, obtinueruntque ab eo rescriptum prohibendi, ne Iudæi structuram iam cœptam vlteriùs prosequerentur; atque ita intermissum est opus, vsque ad annum secundum Darij Regis Persarum, vt traditur 1. Esdr. cap. 4. vers. 6. vsque ad finem capitis. vbi etiam ponuntur exemplaria accusationis pariter & rescripti. Sanè, quod dictum est de fabrica templi intermissa, ne aduersari videatur loco 1. Esdr. cap. 5. vers. 16. vbi legimus, quòd templum ab eo tempore, quo mandante Cyro iacta sunt fundamenta eius, vsque ad Darium, ædificabatur; fortassis ita accipiendum est, non quòd in toto illo tempore intermedio penitus cessatum sit (id enim non videtur ardens Iudaici populi studium zelusque ferre potuisse) sed quia deinceps, præ hostium timore, & regalium sumptuum suspensione, tam lentè

DVO ESDRAE LOCA CONCILIANTVR

lentè segniterque & interpolatis vicibus, ac veluti furtiuè fabrica promota fuerit, vt posteà parum & ferè nihil excreuerit.

3. Porrò de Cambyse si quis quærat quot annis regnauerit, dicimus variam admodum esse Scriptorum sententiam: nam Iosephus 11. Antiq. cap. 3. annos regni eius facit sex: Herodotus lib. 3. septem, & menses quinque: Eusebius in Chronicis, & item Beda in libello de Sex ætatibus mundi, annos octo: Sulpitius nouem: Chronologia maior Hebræorum cap. 29. sub nomine Assueri, quattuordecim: denique Clemens Alexandrinus lib. 1. Stromatum, decem & nouem. At verò communior eademque sanior opinio est, Cambysem ab obitu Cyri patris sui regnare annos septem, & aliquot menses; ita vt anni octo integri fluxerint ab initio regni eius ad initium regni Darij Hystaspis, computatis nimirum quibusdam mensibus regni Smerden, qui Cambysi successit. Quamquam non incongruè nituntur aliqui conciliare cum hac opinione illam, quæ tribuit Cambysi annos quattuordecim; dicentes, eumdem regnasse cum Cyro patre suo ad bella profecto annos ferè septem, aliosque septem & aliquid amplius post obitum patris. Et hanc inquiunt fuisse causam, quòd Iudæi non potuerint obtinere à Cyro licentiam prosequendi ædificium templi toto reliquo regni sui tempore; quoniam filius eius Cambyses, qui absente patre domi regnum administrabat, eis valdè auersus erat. Sed huic opinioni obstat, quòd 1. Esdr. cap. 4. vers. 6. legimus, Assuerum, quem num. 1. diximus esse Cambysem, habita in principio regni sui Samaritanorum accusatione aduersus Iudæos, confestim prohibuisse templi fabricam; & Iosephus 11. Antiq. cap. 3. ab hac prohibitione, ad secundum regni Darij annum, in quo cœpit denuò progredi ædificatio, nouem dumtaxat numerat annos. Ex quibus colligi perspicuè potest, Assuerum, siue Cambysem, non prohibuisse templi ædificium dum adhuc viueret pater eius Cyrus; sed statim ac ille mortuus est, & ipse ei successit: & consequenter decipi Genebrardum, qui libro suæ Chronologiæ 2. vbi agit de gestis sub Cyro, ait, Cambysem regnasse absente patre, & eodem ferè tempore mortuum esse quo pater; & propterea in serie Regum in Historia Hebræorum non reponi. Et multò magis falli Metasthenem Annianum & eius asseclas, qui in Regum Persarum serie non Cambysem tantùm omittunt, sed & Darium Hystaspis; illum, quia, inquiunt, regnauit viuente patre; alterum verò, quia putant regnasse ante Cyrum; confundentes Darium Hystaspis, cum Dario Medo.

CAMBYSES QVOT ANNIS REGNAVERIT.

4. Hunc Cambysem, quem diximus in Scriptura sacra appellari Assuerum, Auctor Chronologiæ maioris Hebræorum cap. 29. supponit fuisse maritum Reginæ Esther. Sed eius opinio his argumentis refelli omnino potest. Nam Cambyses septem circiter annis vel paulò plus, vt numero præcedenti ostensum est, regnauit: at maritum Esther supra duodecim annos regnasse oportet; siquidem Esther cap. 3. vers. 7. memoratur annus regni illius Assueri duodecimus. Præterea, Cambyses toto regni sui tempore Iudæos exosos habuit, nec vmquam eis permittere voluit templum vt ædificarent, quemadmodum ex his quæ num. 2. dicta sunt, manifestum est, Assuerus verò maritus Esther post occisum Aman hostem Iudæorum, fuit erga Iudæos admodum benè affectus & fauorabilis. Insuper maritus Esther insinuat se longo temporum interuallo extitisse post Cyrum; ait enim Esther capite vlt. vers. 16. Dei beneficio datum fuisse regnum maioribus suis, & vsque ad tempora sua conseruatum. Quæ verba non videntur posse adaptari Cambysi; ipse enim, vt dictum est, immediatè successit Cyro Persarum Regum omnium primo; qui propterea non à patribus suis sed à Deo tantùm datum sibi regnum recognoscit 1. Esdr. cap. 1. vers. 2. Patet ergo, quòd Cambyses nullatenus esse potuit ille Assuerus, qui duxit Esther vxorem.

CAMBYSEM NON FVISSE MARITVM ESTHER.

5. Eumdem Cambysem fuisse illum Nabuchodonosor sub quo contigit historia Iudith, asserunt Eusebius in Chronicis, B. Augustinus lib. 18. de Ciuitate Dei cap. 26. Beda in bello de Sex ætatibus mundi, Lyranus super Iudith cap. 1. & Io. Driedo de Ecclesiasticis scripturis & dogmatibus lib. 1. cap. 2. par. 2. & lib. 3. tract. 3. c. 5. par. 3. Sed istorum opinionem rectè improbant pluribus argumentis, Melchior Canus lib. Locorum Theologicorum 11. cap. 5. ad 12. vbi de Assuero Prisco contra Metasthenem Annianum disputat; & Cardinalis Bellarminus lib. 1. de Verbo Dei cap. 2. quandoquidem constat, Reges Persarum non habuisse regni sedem in Niniue, quæ erat in Assyria; sed vt testatur Strabo lib. 15. in Susa, seu Susis, propter causas à nobis sub anno mundi 3456. num. 2. adductas. Huc accedit, quòd nullus Rex Persarum in sacra aut profana Historia reperitur vocatus Nabuchodonosor; quod vtique Chaldæorum nomen fuit, non Persarum. Item Nabuchodonosor qui regnabat in Niniue, dicitur pugnasse

QVOD SVB CAMBYSE NON CONTIGERIT HISTORIA IVDITH.

gnasse contra Regem Medorum, Iudith cap. 1. vers. 5. At Cambyses regnum Medorum, sicut & Persarum, non ipse armis obtinuit; sed à patre suo acquisitum ac sibi relictum, iure hereditario pacificè possedit. Deinde, quî fieri potest, vt Cambyses anno regni sui decimotertio miserit Holofernem cum exercitu in Iudæam, si ipse regnauit annos tantùm septem, vt probatum est. Verùm, ad quid misisset occupare Palæstinam & finitimas regiones, quas ipse & successores eius sine vlla contradictione, vt patet ex libris Esdræ, possidebant? Sed esto, miserit Holofernem, quomodo potuisset Holofernes ignorare, quæ & qualis esset Gens Iudæorum, quæ septuaginta annis manserat in Perside, seu in regionibus Persiæ proximis captiua; & à Cyro patre Cambysis domini sui publico edicto relaxata, ac libertate donata, in patriam suam remissa fuerat? Aut quomodo credibile est, Iudæos sese opponere Cambysi domino suo vmquam ausos esse; qui ipso prohibente, protinus ab ædificio templi iam inchoato cessauerunt: & qui post reditum de Babylonica captiuitate, Regibus Persarum adeò subiecti erant, vt non nisi ad nutum ipsorum cœperint, intermiserint, denuò resumpserint, ac demum compleuerint ædificare templum Domini? Quòd si murus in circuitu Ierusalem nondum reædificatus fuerat regnante Cambyse, sed nec posteà potuerunt Iudæi illum erigere, nisi de licentia Artaxerxis Longimani Regis Persarum, qui multis annis posterior fuit ipso Cambyse; quomodo verisimile est, vt circumdederint Iudæi muris vicos Ierosolymæ ditionis aduersus exercitum ipsius Cambysis? Vt omittam, quòd temporibus Cambysis apud Hebræos non erat summus Sacerdos Ioakim, qui & Eliachim; sed Iosue siue Iesus filius Iosedec, vt patet 1. Esdr. cap. 2. vers. 2. & cap. 3. vers. 2. & Zachar. cap. 3. vers. 1. 3. & 6. & cap. 6. vers. 11. & denique, quia Cambysis tempore neque Ierusalem neque templum adhuc erant reædificata, & consequenter non erat cur Iudæi pertimescerent ne Holofernes faceret ipsi Ierusalem & templo Domini, quod fecerat ceteris ciuitatibus & templis earum, vt dicitur Iudith cap. 4. vers. 2. Igitur manifestum est, Cambysem nullo modo potuisse eumdem esse cum illo Nabuchodonosor de quo agitur in libro Iudith.

AB ORBE CONDITO ANNVS 3531.	SEXTÆ MVNDI ÆTAT. ANNVS 85.

CAMBYSES MORITVR.

SMERDES FRAVDVLENTER OCCVPAT REGNVM PERSIDIS, ET OCCIDITVR.

☞ 1 ANNO regni sui octauo per quinque menses, iuxta Herodotum, iam inchoato, Cambyses, quemadmodum ex supradictis consequitur, ab expeditione Ægyptiaca rediens, mortuus est in Damasco, vt scribit Iosephus 11. Antiq. cap. 3. Cuius morte audita, quidam magus nomine Smerdes, simulans se esse fratrem Cambysis qui iussus fuerat interfici, regnum Persarum fraudulenter occupauit, & ad septem menses tenuit, id est vsque ad finem prædicti anni octaui, quem ingressus fuerat Cambyses, vt scribit Herodotus lib. 3. tunc enim Smerdes, à septem Persarum Principibus, cognita fraude, & coniuratione facta, interfectus fuit; & in eius locum electus est Darius Hystaspis filius, qui non erat de familia Cyri. Quomodo autem Smerdes tertius Persarum Rex occisus fuerit, & ipse Darius ad regnum euectus, describunt Iustinus sub finem lib. 1. & Herodotus lib. 3.

AB ORBE CONDITO ANNVS 3532.	SEXTÆ MVNDI ÆTAT. ANNVS 86.

DARIVS HYSTASPIS REGNAT IN PERSIDE.

1 ANNO solutæ à Cyro Iudæorum captiuitatis decimosexto circiter inchoante, qui erat annus Æræ Nabonassaris ducentesimus vigesimus septimus, & à primo Cambysis, nonus, vt paulò pòst probabitur; regnauit in Perside quartus Rex Persarum, nomine Darius Hystaspis, iuxta Herodotum, Iosephum, & Iustinum, locis proximè citatis; & idem sentiunt Eusebius in Chronicis, & Beda de Sex ætatibus mundi, & alij multi. Quòd autem in annum memoratæ Æræ inciderit annus regni Darij primus, & quòd idem Darij primus, fuerit ab initio regni Cambysis annus nonus, manifestè probat Scaliger lib. 5. de Emendatione temporum, in capite De initio Darij filij Hystaspis, ex Ptolemæo, qui lib. 4. sui Almagesti cap. 9. à primo Nabonassaris anno ad trigesimum primũ huius Darij, numerat annos ducentos quinquaginta septem. Igitur si annus trigesimus primus dicti Darij, fuit Æræ Nabonassaris ducentesimus quinquagesimus septimus; & primus Cambysis, fuit eiusdem Æræ ducentesimus nonus, vt sub anno mundi 3524. num. 1. probatum est; vtique necessariò oportet annum

primum

primum præfati Darij, fuisse eiusdem Æræ ducentesimum vigesimum septimum, & à primo Cambysis nonum, vt dilucidè videri potest in tabulis: & consequenter annum dicti Darij sextum, fuisse præfatæ Epoches ducentesimum trigesimum secundum. Quare videtur aliquantulùm lapsus super Daniel: c.9. B.Hieronymus, vbi ait sextum memorati Darij annum concurrisse cum primo Olympiadis sexagesimæ sextæ: oportet enim vt concurrat cum quarto Olympiadis sexagesimæ quintæ. Nam, si annus primus ipsius Nabonassar concurrit cum primo octauæ Olympiadis, quemadmodum sub anno mundi 3306. num. 1. probatum est: vtique necessariò consequitur, annum ducentesimum trigesimum secundum dicti Nobonassar coincidere, saltem pro maiori parte, cum quarto Olympiadis sexagesimæ quintæ, vt quiuis experiri potest in tabulis: quamuis potuerit etiam pro aliqua parte concurrere cum primo Olympiadis sexagesimæ quintæ, & sic saluari dictum S.Doctoris.

2. Dicitur autem iste Darius, Hystaspis; quia fuit filius Hystaspis, vt scriptum reliquit Iosephus 11. Antiq. cap. 3. & ad differentiam primi illius Darij Medi, quem idem Auctor 10. Antiq. cap. 12. dicit fuisse filium Astyagis. Ceterùm, gesta Regis Darij Hystaspis fusiùs descripta habentur apud Herodotum, à lib. 3. ad finem vergente, vsque ad initia septimi: inter quæ illud est, quòd ipse Babylonios à se deficientes, miro Zopyri astu operaque subegit. Quod hîc notandum duximus, ne quis cum Io. Annio decipiatur, putans Babylonem semel dumtaxat ab vno Dario, nempe Medo, captam: quandoquidem certum est, ipsam bis, nimirum à duobus Dariis fuisse expugnatam; & primò quidem à Dario Medo Cyroque Persa, vt nos sub anno mundi 3516. num. 2. probauimus: deinde iterùm à Dario filio Hystaspis, vt ex Herodoto dictum est. Primam Babyloniorum expugnationem, quæ contigit paulò ante solutionem captiuitatis Iudæorum, & cuius nos sub anno mundi proximè citato meminimus, tangit Daniel in calce capitis quinti, & latiùs describit Herodotus lib. 1. eamque ipse & ceteri Scriptores Græci tribuunt Cyro, quòd ipse in re bellica fuerit multò celebrior: Scriptura verò sacra loco Daniel. adducto, tribuit Dario Medo, propter causas à nobis sub anno mundi 3493. num. 2. ex B.Hieronymo relatas. Altera verò Babylonis expugnatio, quæ à Dario filio Hystaspis, de quo nunc agimus, facta est, describitur ab eodem Herodoto in fine lib. 3. Porrò iste Darius Hystaspis regnauit super Persas & Medos annis triginta sex, sic enim scripsere Herodotus circa initia lib. 7. Eusebius in Chronicis, & Sulpitius Historiæ sacræ lib. 2. quos sequimur, censentes decipi eos qui eidem plures paucioresve tribuunt.

DARII HYSTASPIS GESTA VNDE PETENDA.

3. Hunc quoque Darium Hystaspis aliqui crediderunt fuisse maritum Esther; tum quia ipse admodum benè inclinatus esset erga Iudæos; tum etiam, quoniam de ipso scriptum inuenerunt, quòd habitaret in Susis; & quòd duas haberet vxores, Atossam scilicet, & Artistonam; quas putant easdem fuisse cum Vasthi & Esther. Sed hanc opinionem omnino confutat locus Herodoti, qui lib. 3. ait prędictas Darij vxores, Atossam & Artistonam, fuisse Cyri Regis Persarum filias; ergo nulla earum potuit esse Esther. Quòd autem Darius habitaret in vrbe Susa, nihil probat; quandoquidem, quemadmodum sub anno mundi 3524. num. 5. ex Strabone docuimus, Susis fuit sedes omnium Regum Persarum qui Cyro successerunt. Denique ex 1. Esdr. cap. 5. & 6. manifestum est, Darium ab initio regni sui Iudæos fauoribus prosequi cœpisse; ex his verò quæ habentur Esther cap. 3. vers. 7. vbi memoratur annus Regis duodecimus, vsque ad finem libri, patet, maritum Esther non nisi ab anno regni sui duodecimo cœpisse fauere Iudæis. Et de hoc satis, veniamus ad historiam.

DARIVS HYSTASPIS NON FVIT MARITVS ESTHER.

4. Ad eumdem Darium, in principio regni eius, venit Zorobabel Dux Iudæorum ab Ierosolymis, cùm adhuc esset iuuenis, quemadmodum apertè colligitur 3. Esdr. cap. 3. vers. 4. & quia etiam erat fortis robore, inter tres primarios personæ Regis custodes assumptus est. Contigit autem, vt post regale illud conuiuium, quod fecit Darius Rex anno primo regni sui Optimatibus ac Magistratibus Medorum atque Persarum, proposita fuerint inter tres Regis custodes problemata quædam, de potentia vini, Regis, mulierum, ac veritatis: cumque de singulis, præsente Rege ac Magistratibus, fusiùs disputatum esset; ac ceteris duobus, omnium qui aderant iudicio, præualuisset Zorobabel; in præmium illius victoriæ impetrauit à Rege, vt iuxta votum, quod ipsemet Darius vouerat priusquam regno potiretur, ædificaret templum Domini in Ierusalem. Itaque ad hoc posteà missus est ipse Zorobabel à Rege in Ierusalem cum magna equitum multitudine, & cum litteris fauorabilibus ad regios ministros in proximis regionibus existentes; quibus præcipiebatur, vt omnino adiuuarent opus. Quæ omnia latiùs descripta inuenies 3. Esdr. cap. 3. 4. & 5. per totum; & apud Iosephum 11. Antiq. cap. 4.

ZOROBABEL IMPETRAT A DARIO TEMPLI AEDIFICATIONEM.

AB ORBE CONDITO ANNVS 3533. | SEXTÆ MVNDI ÆTAT. ANNVS 87.

ANNVS IVBILEI 19.

I ANNO Darij Regis Persarum secundo incidit annus Iubilei deciminoni, vt patet in tabulis. Et eodem anno circa primos eius menses, puto esse impletos septuaginta illos iræ Dei annos, quorum meminit Zacharias suæ Prophetiæ cap. 1. vers. 12. & cap. 7. vers. 5. tamquam de proximè præteritis; & de quibus nos sub anno mundi 3462. num. 3. latiùs egimus. Nec obstat, quòd in principio allegati capitis 1. fiat mentio mensis octaui, & consequenter videatur id accidisse circa posteriores, non autem priores illius anni menses; quia loquitur ibi Scriptura sacra de mense octauo in ordine ad Annum Hebræorum sacrum, non autem in ordine ad annum secundum regni ipsius Darij.

LXX. ANNI IRAE DEI IMPLETI.

PROPHETANT IN IVDAEA AGGAEVS ET ZACHARIAS.

2. Eodem circiter tempore, ante aduentum Zorobabelis, cœperunt prophetare ad Iudæos in Ierusalem & in Iudæa existentes, duo ex duodecim Prophetis minoribus, nempe Aggæus & Zacharias; primus in mense sexto die primo mensis, alter in mense octauo, vt ex initiis Prophetiarum suarum patet; & colligi etiam potest ex his, quæ dicuntur 1. Esdr. in fine capitis 4. & in principio 5. Qui cùm publicè asseueranterque protestarentur aduenisse tempus à Deo præstitutum domus Domini ædificandæ; protinus surrexerunt Zorobabel Dux populi, qui tunc opportunè cum litteris regiis de Perside rediit in Ierusalem, & Iosue summus Sacerdos, & cum eis prædicti duo Prophetæ, hortantes atque animum addentes populo, vt totis viribus fabricæ incumberent, & opus iam cœptum perficere curarent. Itaque opus aggressi sunt die vigesima quarta mensis sexti, in eodem anno secundo Darij, quemadmodum traditur Aggæi cap. 1. in fine, & cap. 2. vers. 1. vbi prima illa verba, *In die vigesima & quarta mensis, in sexto mense, in anno secundo Darij Regis*, videntur coniungenda cum præcedentibus, hoc est, referenda ad ea quæ dicta sunt in calce prioris capitis, quemadmodum legimus apud B. Hieronymum & Theodoretum, & benè notat Auctor Scholiorum editionis LXX. Interpretum ad finem Prophetiæ ipsius Aggæi. Die inquam vigesima quarta dicti mensis, cœperunt denuò magnis conatibus ædificare templum Domini in Ierusalem; id est prosequi fabricam templi interioris, iam ab anno Cyri secundo fundatam, & insuper iacere fundamenta templi exterioris, vt colligitur Aggæi cap. 2. vers. 11. & 19. & nos sub anno mundi 3518. num. 1. declarauimus. Quare quod ait Iosephus lib. 1. Contra Apionem non procul ante medium, templum hoc anno Cyri secundo fundatum, & anno secundo Darij exædificatum fuisse; non debet accipi, ac si dixisset, idem templum anno Darij secundo esse absolutum: alioqui secum ipse pugnaret Iosephus, qui 11. Antiq. cap. 4. de eodem templo dicit, quòd anno eiusdem Darij nono fuit expletum: sed sensus verborum Iosephi est, ac si dicere voluisset: Templum, quod anno Cyri secundo fuit fundatum, posteà anno Darij secundo fuit superædificatum, seu cœptum est superædificari. Nisi fortè quis existimet, potuisse quodammodò dici tunc fuisse exædificatum, id est haberi pro ædificato; quoniam Iudæi vsque ad illud tempus, videntes tot impedimenta & tantam dilationem, cœpissent dubitare num aliquando perfici posset: at in hoc secundo Darij anno, tum propter Aggæi & Zachariæ vaticinia, tum verò maximè, vt viderunt amplissimum Darij Regis rescriptum, de quo paulò pòst agemus, statim firmiter credere cœperunt, ipsum breui fore absoluendum; & quoquomodò habere illum pro absoluto. Ceterùm, nemo existimet prædictis obstare, quòd (vt diximus) Zachariæ Prophetia, non sicut Aggæi, incipiat à mense huius anni sexto, sed ab octauo, quando scilicet Iudæi intermissam templi fabricam prosequi iam cœperant; quia nihil prohibet credere, quòd idem Vates quædam etiam alia ante dictum tempus prophetasset: constat enim, Prophetas non omnia vaticinia sua scripsisse. Vnde quemadmodum ex his quæ traduntur 4. Reg. cap. 14. vers. 25. scimus, Ionam plurimas prænuntiasse victorias Ieroboam filio Ioas Regi Israel, licet de hac re nulla prorsus in tota ipsius Ionæ Prophetia mentio habeatur: ita certissimum est, quod (vt apertè legimus 1. Esdr. cap. 5. vers. 1. & 20.) ipse Zacharias & Aggæus pariter prophetauerunt paulò antequam surrexerint cœperintque Zorobabel & Iosue denuò ædificare templum Dei, nimirum mense dicti anni sexto, tametsi posteà placuerit ipsi Zachariæ, prioribus prætermissis, exordiri Prophetiam suam ab his quæ ipse vidit mense eiusdem anni octauo.

TEMPLI AEDIFICATIO QVANDO RESVMPTA.

3. Eodem

3. Eodem anno, vt primum auditum est apud Samaritas finitimasque gentes, quòd denuò Ierosolymis templum magnis operibus reædificaretur; confestim Thathanai, qui erat pro Rege Dux regionis trans flumen Euphraten, in qua prædictæ Gentes habitabant; venit ipse & consiliarij eius in Ierusalem, cœpitque inquirere ac requirere pro officij sui munere, cur & quanam auctoritate ædificium illud fieret. Cùm autem nonnihil hinc inde disceptatum esset, post multa tandem conuenerunt, vt res ad Darium Regem deferri deberet, ac in eo quod ipse decerneret; omnes acquiescerent. Itaque scripsit Thathanai ad Regem epistolam satis modestam, cuius exemplum habetur 1. Esd. cap. 5. vers. 6. vsque ad finem capitis.

THATHANAI DVX SCRIBIT AD REGEM DARIVM DE TEMPLI AEDIFICIO.

4. Eodem anno, die vigesima prima mensis septimi, intellige Anni Hebræorum sacri tum currentis, prophetauit Aggæus quæ habentur apud ipsum cap. 2. vers. 2. vsque ad 11. in qua Prophetia, ne Iudæi in ædificando torpescerent, præuidentes templum illud, ob mensuras eidem à Cyro præstitutas, longè humilius euasurum eo quod olim ædificauerat Salomon; excitat eos prædicens in verbo Domini, quòd *magna erit gloria domus istius nouissimæ plus quàm primæ.* Quod quidem propheticum dictum, tametsi de nouo Testamento accipiendum putet S. Augustinus lib. 18. de Ciuit. cap. 45. nihilominus videtur etiam ad litteram posse accipi de templo post captiuitatem ędificato, in quo multis modis eadem Prophetia videtur fuisse impleta: nam primum templum à solis Iudæis, & de exteris à sola Regina Saba, vel etiam à finitimis Iudææ Regulis honoratum legimus, qui forsitã Salomonis Regis intuitu potiùs quàm ipsius templi id præstitisse videntur. Secundum verò templum, à magnis item Gentium Regibus & Monarchis: nam pręter regia, quæ pro eius ædificatione, auxilia contulerunt, primò Cyrus Persarum Monarcha, & mox Darius Hystaspis (quemadmodum sub anno mundi 3517. num. 2. & 3. dictum est, & hîc infrà num. 6. dicturi sumus) certè Artaxerxes quoque cognomento Longimanus, idem templum & murorum ædificiis per circuitum muniuit, & muneribus exornauit; vt nos sub annis mundi 3595. num. 1. & 3610. num. 9. dicemus. Græci itidem deinde Reges hoc templum valdè coluerunt; inprimis verò Alexander Magnus, & pręsentia sua, & sacrificiis, vt tradit Iosephus 11. Antiq. cap. vlt. Et post ipsum Ptolemæus Philadelphus Ægypti Rex pretiosissima eidem donaria misit, quæ idem Iosephus accuratè describit 12. Antiquit. cap. 2. Denique 2. Machab. cap. 3. vers. 2. & 3. legimus, quòd ipsi Reges & Principes illud maximis muneribus illustrabant, *ita vt Seleucus Asiæ Rex de redditibus suis præstaret omnes sumptus ad ministerium sacrificiorum pertinentes.* Prætereà, si attendamus ipsam ędificij pulchritudinem ac magnificentiam; profectò postremis temporibus, quando templum ipsum ab Herode renouatum est, multò quàm olim à Salomone augustius extructum fuit, quemadmodum probat Ribera super Aggæi cap. 2. num. 45. vsque ad 53. & palàm quoque fieri poterit, ex collatione eorum quæ nos sub anno mundi 3023. diximus, cum his quæ sub anno 4032. dicemus. Neque verò est, quòd quisquam (quantum attinet ad memoratam Aggæi Prophetiã) distinguere debeat templum secundum ab eo quod posteà reædificauit Herodes; quia illud numquam aliquamdiu euersum permansit, sicuti primum, quod à Chaldæis incensum fuerat; neque ab Herode hostiliter & ea intentione demolitum fuit, vt omnino deperiret, sed vt illicò magnificentiùs extrueretur. Quare ista demolitionis & reædificationis continuatio facit, vt rectè pro vno eodemque templo reparato pariter & aucto censeri ac reputari debeat; prout etiam, nulla tali ratione adducta, sentit Cardinalis Toletus super Ioan. cap. 2. Annot. 25. Quod & perspicuè colligi posse videtur ex S. Ioanne Chrysostomo Homil. 17. in Epistolam B. Pauli ad Hebræos, vbi ait: *Secunda autem ædificatio fuit præclarior, & propter pulchritudinem, & alia omnia. Nec propterea solùm erat magnificum & venerandum, sed etiam propterea quòd esset vnicum. Nam à finibus terræ illuc veniebant, siue à Babylone, siue ab Aethiopia. Et hoc significans Lucas dicebat in Actibus: Erant illic habitantes Parthi, & Medi, & Aelamitæ, & qui habitant Mesopotamiam, Iudæam, & Cappadociam, Pontum, & Asiam, Phrygiam, & Pamphyliam, Aegyptum, & partes Libyæ quæ est circa Cyrenen.*] *Qui ergo erant in toto orbe terræ, illuc conueniebant, & multum erant nomen illius templi.* hucusque S. Chrysostomus: qui tribuens secundo templo etiam ea quæ de Herodiano citata eius Actorum verba referunt, proculdubiò insinuat se alterum ab altero non secernere, sed ambo pro vno secundo templo reputare. Et hoc quoque videtur innuere voluisse S. Hieronymus, qui super Zachariæ cap. 11. exponens prima illa capitis verba, *Aperi Libane portas tuas,* ait: *Templum intelligit Iudæorum, quod instauratum, immò ædificatum à Zorobabel, rursum à Vespasiano & Tito canitur subuertendum.* Et paulò pòst subdit: *Templum quod inexpu-*

AGGAEVS PRAEDICIT SECVNDVM TEMPLVM GLORIOSIVS FVTVRVM PRIMO.

gnabili creuerat firmitate, & à diuersis Regibus & Principibus, ac posteà ab Herode constructum est; Romano oppugnante deletum est. Ecce quomodo non secernit templum secundum à Zorobabele ædificatum ab eo quod postremò reædificauit Herodes; de vtroque tamquam de vno met pronuntians, quòd à Romanis subuersum ac deletum fuerit. Idem quoque videtur indicasse ipsemet Aggæus Propheta illis verbis: *Domus istius nouissimæ plus quàm primæ.* In eo enim quòd domum illam quam præ oculis habebat, contraponit primæ, demonstrat ipsam esse secundam. In eo verò quòd ipsam appellat nouissimam, insinuat eamdem (quod spectat ad ibidem ab ipso prophetata) non esse distinguendam ab illa, quam ipse prophetico Spiritu præuidebat postremis ferè veteris Testamenti temporibus fore renouandam atque amplificandam, quæ reverà fuit nouissima & postrema; quià posteaquam à Romanis destructa est, numquam deinceps reædificata fuit; licet eam Iudæi ter instaurare frustrà sint aggressi; nempe sub Adriano, sub Constantino, & sub Iuliano Apostata; vt fusiùs narrat S. Ioannes Chrysostomus Oratione 2. aduersus Iudæos, non procul à fine. Sed neque ampliùs reædificabitur, vt idem Sanctus probat in Libello Quòd Christus sit Deus; prope finem. Quare nos quoque sub anno mundi 4032. num. 7. hanc eamdem conclusionem, quòd scilicet Herodianum templum à secundo non sit separandum, confirmabimus, & pro indubitato axiomate supponemus. Itaque vt ad maiorem huius secundi templi prænuntiatam gloriam redeamus, dicimus, quòd super alia à nobis paulò antè commemorata eam valdè admodum auxit dignitas incomparabilis gloriosæ Genitricis Dei Mariæ, quæ ab ipsis pænè incunabulis, hoc est ab eius præsentatione, in eodem templo ferè vsque ad Christi conceptionẽ perpetuò ibi permanens, illud miris cælestium virtutum actibus & exemplis sanctificauit. Sed & adhuc magis ac super omnia templum illud glorificauit ipsemet Deus & homo Christus Iesus, qui in eo infans prę̨sentari voluit; ac posteà vir factus, sæpissimè prædicare, & non semel eiicere ab eo vendentes & ementes, & corporali præsentia sua illud multò gloriosius reddere, quàm olim fecerat mirabilis illa nebula, quæ in templo Salomonis apparuerat. Porrò hanc esse templi huius posterioris gloriam de qua loquitur Aggæus, ipsemet non obscurè videtur indicasse vers. citati capitis 8. vbi Messiæ aduentum prę̨nuntians ait: *Et mouebo omnes Gentes:* ET VENIET DESIDERATVS CVNCTIS GENTIBVS: *& implebo domum istam gloria, dicit Dominus exercituum.* Ac si dicere voluisset: Tunc speciatim multo maiori gloria implebitur domus ista, quando veniet ad ipsam *desideratus cunctis Gentibus.* id est, quando (vt dicebat Malachias cap. 3. vers. 1) *veniet ad templum suum Dominator quem vos quæritis, & Angelus testamenti, quẽ vos vultis.* nimirum Christus Dominus, qui præsentia, doctrina, miraculis, aliisq; diuinitatis suæ testimoniis, supra modum glorificabit templum istud. Et certè hæc fuit gloria huius templi maior quàm prioris, quòd qui in primo loquebatur per Prophetas; in secundo dicere potuit: *Ego ipse qui loquebar* (subaudi, per ora Prophetarum) *ecce adsum:* Isaiæ cap. 52. vers. 6. Quòd autem iste sit sensus ab Aggæo intentus, ipse aliis quoque verbis ibidem significare visus est v. 10. vbi post illa verba, *Magna erit gloria domus istius nouissimæ plus quàm primæ*, statim subiungit: *Et in loco isto dabo pacem.* quasi insinuare volens, quòd illa pax quam daturus erat, esset vera gloria dicta domus. Quid est autem dicere, *Dabo pacem?* nisi, dabo Christum, qui (vt dicitur ad Ephes. cap. 2. vers. 14.) *est pax nostra.* & ad Coloss. cap. 1. v. 20. *Pacificans per Sanguinem crucis eius, siue quæ in terris, siue quæ in cælis sunt.* Igitur, vt dicebamus, gloria nouissimi templi maior prioris præcipua, fuit ipse Christus, qui est gloriosus in sæcula; & manifestando se ipsum in eo, illud quoque gloriosum effecit.

ZACHARIAS PROPHETARE COEPIT.

5. In mense eiusdem anni octauo, Zacharias exorditur Prophetiam suam ex ore Domini ab illa salutari commonitione, qua significat Iudæis, Dominum valdè iratum fuisse patribus eorum, vt planè indicabant captiuitates, aliæque calamitates eisdem superioribus annis immissæ: ac propterea hortatur eos, vt toto corde conuertantur ad Dominum, audiantque Prophetas eius, ne (si aliter fecerint) ipsi quoque, quemadmodum illi acriter admodum puniantur.

AGGAEVS PROPHETAT TERRAM DEINCEPS FRVCTVS VBERIORES LATVRAM.

6. Eodem anno, die vigesimo quarto mẽsis noni, idem Aggæus vaticinatus est Iudæis: ea quæ scripta sunt in cap. Prophetiæ eius 2. v. 11. vsq; ad finem capitis: vbi sub quibusdã similitudinibus docet, cur ipsi hactenus messes vindemiasq; adeò tenues collegerint, nimirũ, quia de templo extruendo parum solliciti fuerãt. Et vt hoc verissimũ esse vel ipso deinceps experimento cõprobent, prę̨dicit eis, quòd ex die qua denuò templi fabricam alacriter resumpserint, Dominus eorum agris vineisq; benedicet, vt fructus proferant vberiores. Posteà iterũ prophetat de regno Christi, ex posteritate Zorobabelis nasciturі, quod

quod ceteris corruentibus regnis ſtabit in æternum: Aggæi cap. 2. verſ. 21. vſque ad finem capitis.

7. In menſe autem vndecimo eiuſdem anni, Zacharias Propheta vidit duas illas viſiones, quæ cap. eius 1. verſ. 7. vſque ad finem deſcribuntur; nempe alteram de equite illo inter myrteta ſtante; alteram de quattuor cornibus quæ ventilauerant Iudam, & quattuor fabris qui venerant vt illa detererent ac deiicerent. Et ab hoc tempore vſque ad quartum Regni Darij annum, idem Propheta vidit prophetauitque reliqua, quæ ab eodem ibidem ſubiunguntur, vſque ad cap. 7. VIDIT DVAS VISIONES.

8. Per eadem circiter vt puto tempora, Darius Rex acceptis epiſtolis Thathanai & conſiliariorum eius, & inuenta in Ecbatanis ſcriptura authentica decreti quod fecerat Cyrus Rex de templo Ieroſolymis reædificando; ipſe pariter nouo, eoque ampliſſimo reſcripto, quod habetur 1. Eſdr. cap. 6. verſ. 6. vſque ad 13. idem ſtatuit; præcipiens Thathanai Duci ac ceteris officialibus ſuis trans Euphraten exiſtentibus, ne templi Ieroſolymitani ædificium vllatenus impedirent: quin potiùs ex redditibus regiis illud fieri ſtudioſè curarent; & inſuper, ſi opus eſſet, hoſtias, & alia Deo ibidem offerenda Sacerdotibus miniſtrarent. Et vt poſthac omnibus omnes præcideret impediendæ fabricæ occaſiones, ſub pœna mortis in patibulo infligendæ cauit, ne quis decreto huic ſuo contrauenire vllo modo auderet. Quod reſcriptum ſupra quàm credi poteſt lætificauit Iudæos; qui exinde, memorato Thathanai ac reliquis Darij officialibus iuſſa Regis accuratè exequentibus, proſperè admodum & omni conatu fabricæ incumbentes, eamdem breui, nimirum ſexto dicti Darij anno, vt ſuo loco dicemus, compleuerunt: 1. Eſdr. cap. 6. verſ. 1. vſque ad 16. DARIVS REX DENVO DECERNIT TEMPLI AEDIFICATIONEM.

AB ORBE CONDITO ANNVS 3535. — SEXTÆ MVNDI ÆTAT. ANNVS 89.

1 ANNO Darij Regis Perſarum quarto, quarta die menſis noni, qui dicebatur Caſleu, cùm duo Principes viri ex Iudæis, qui in Babylone remanſerant, nomine Saraſar & Rogommelech, audiſſent quòd templum in Ieruſalem ædificaretur, & fabrica iam ad finem appropinquare inciperet, miſiſſentq; Legatos in Ieruſalem ad Sacerdotes & Prophetas ibidem exiſtentes, vt interrogarent eos, ſi ex quo iam deſierat captiuitas, & templi ædificium conſurgeret, ac proinde lætitiæ magis quàm luctus dies aduenisse viderentur; ſi inquam, adhuc perſeuerare debebant in ieiunio quinti & ſeptimi menſis; quæ inſtituta fuerant, primum quidem, ob incenſi templi mœſtitiam; alterum verò, ob necem Godoliæ, & deſertam omnino à Iudæis Ieruſalem & terram Iuda. Hac occaſione accepta, Zacharias Propheta, iubente Domino, cœpit coram Sacerdotibus & omni populo inuehi aduerſus ieiunia, quæ in ſola cibi abſtinentia conſiſtunt, quemadmodum fecerat ante ipſum Iſaias cap. 58. verſ. 3. vſque ad 8. & docere quænam ieiunia beneplacita ſint coram Domino, nimirum quæ abſtinentiam quoque à peccatis, & inſuper opera iuſtitiæ ac miſerationis pariter adiuncta habent: Zachar. cap. 7. per totum. Deinde idem Propheta proſequitur, vt priùs fecerat, multa vaticinari de felicitate Eccleſiæ: quam (quia radicem ex Iudæis habuit) modò Sion, modò Ieruſalem vocat, & multa bona ſpiritualia eidem ventura prænuntiat in aduentu Chriſti, de quo etiam ſparſim plura alia prædicit; nimirum de eius Euangelica prædicatione, de Apoſtolorum ex genere Hebraico electione, de ipſius ſuper aſinam & pullum ingreſſu in Ieruſalem, de Euchariſtię inſtitutione ſub ſpeciebus panis & vini, de eiuſdem Chriſti venditione pro triginta argenteis, de fuga Apoſtolorum, de Chriſti paſſione & eius fructu, de Ieroſolymæ excidio & impiorum Iudæorum perditione, de ſanctitate fidelium, de ſuppliciis perſecutorum Eccleſiæ, de Antichriſto, & eiuſmodi aliis ad ipſum Chriſtum vniuerſamque eius Eccleſiam pertinentibus, vt videre eſt in reliquis capitibus, & in tota Prophetia eius. ZACHARIAS DOCET QVAE IEIVNIA SINT ACCEPTA DOMINO. ZACHARIAS MVLTA PROPHETAT DE CHRISTO, ET EIVS ECCLESIA.

AB ORBE CONDITO ANNVS 3537. — SEXTÆ MVNDI ÆTAT. ANNVS 91.

1 ANNO ſexto regni Darij Regis Perſarum, die tertio menſis Adar, qui erat Anni ſacri menſis duodecimus, compleuerunt filij Iuda domum Domini: 1. Eſdr. cap. 6. verſ. 15. intellige, quoad partem eius nobiliorem, in qua erant Sancta, & Sancta ſanctorum, quemadmodum communiter exponunt Doctores. Nam quod TEMPLI PARS NOBILIOR ABSOLVTA.

ſpectat ad partes eiuſdem templi exteriores, inter quas computabantur Atria, & Porticus, & Gazophylacia, & ſi quæ erant eiuſmodi alia; non niſi anno prædicti Darij nono abſoluta eſſe creduntur, iuxta Ioſephum & alios, quos ſub anno mundi 3540. num. 1. citabimus. Et eodem tempore videtur celebrata fuiſſe eiuſdem templi dedicatio, cum ea ſollemnitate quæ deſcribitur loco Eſdræ allegato, & pariter reſtituta Sacerdotum ac Leuitarum miniſtratio iuxta vices ſuas, vt dicitur ibidem verſ. 18. Inſuper

AB ORBE CONDITO ANNVS 3538. — SEXTÆ MVNDI ÆTAT. ANNVS 92.

IVDAEI FACIVNT PASCHA.

1 ANNO proximo inchoante, nimirum die decimoquarto menſis primi, ſanctificatis Sacerdotibus & Leuitis, immolauerunt & manducauerunt Paſcha Iudæi qui de transmigratione redierant, & fecerunt ſollemnitatem Azymorum ſeptem diebus in lætitia: 1. Eſdr. cap. 6. verſ. 19. vſque ad finem capitis.

AB ORBE CONDITO ANNVS 3540. — SEXTÆ MVNDI ÆTAT. ANNVS 94.

TEMPLI AEDIFICIVM EXPLETVM.

1 ANNO regni Darij nono completa vſquequaque fuit ædificatio templi, vt tradit Ioſephus 11. Antiq. cap. 4. & approbant Euſebius lib. 8. de Demonſtratione Euangelica, Demonſtratione 2. circa medium, & B. Hieronymus ſuper Daniel. cap. 9. & alij: expleta inquam eſt per Zorobabelem & Ieſum filium Ioſedec. vnde de primo legimus Zachariæ cap. 4. verſ. 9. *Manus Zorobabel fundauerunt domum iſtam, & manus eius perficient eam.* & de vtroque dicit Eccleſiaſticus cap. 49. verſ. 13. *Quomodo amplificemus Zorobabel? Nam & ipſe quaſi ſignum* (ſeu ſigillum, ſiue ornamentum) *in dextera manu.* (hoc eſt, ſicut annulus ſigillaris, qui ornat dexteram manum.) *ſic & Ieſum filium Ioſedec? qui in diebus ſuis ædificauerunt domum; & exaltauerunt templum ſanctum Domino paratum in gloriam ſempiternam.* hucuſque Eccleſiaſticus. Expletum ergo hoc anno fuit templum iſtud non ſolùm quoad partes eius interiores, in quas ſoli Sacerdotes ingredi poterant; ſed etiam quoad exteriores, quæ etiam laicis erant peruiæ. hæ enim pariter templi nomine ſignificabantur, vt patet Ioan. cap. 8. verſ. 20. vbi dicitur: *Hæc verba locutus eſt Ieſus in Gazophylacio, docens in templo.* & Luc. cap. 2. v. 37. de Anna filia Phanuel, quæ *non diſcedebat de templo.* Igitur ex ſupradictis manifeſtum eſt, totam hanc templi fabricam, ex quo iubente Cyro extrui cœperat, viginti duobus circiter annis fuiſſe abſolutam; totidem enim ab anno ſecundo aduentus Iudæorum in Ieruſalem, qui pariter fuit ſecundus Monarchiæ Cyri, in quo iacta ſunt templi fundamenta, vſque ad prædictum annum Darij nonum, inueniuntur, aut ad ſummum, viginti tres, vtriſque terminis computatis; vt recenſeri poteſt in tabulis. Quare quod ait Ioſephus loco proximè adducto; idem templum intra ſeptennium fuiſſe abſolutum; proculdubiò debet intelligi, ex quo iubente Dario ſtructura iampridem intermiſſa, denuò reſumpta fuerat, anno regni ipſius ſecundo: inde enim vſque ad nonum ipſius annum, ſeptennium hoc fluxit; quod etiam planè indicant illa eiuſdem Auctoris verba ibidem poſita: prophetantibus interim (inquit) Aggæo & Zacharia: hos enim prophetare cœpiſſe anno regni Darij ſecundo, iam ſub anno mundi 3533. num. 1. diximus.

ESDRAE LOCVS EXPONITVR.

¶ Sed quid dicemus ad id quod legimus 1. Eſdr. cap. 6. verſ. 14. nempe, ſecundum hoc templum ædificatum fuiſſe iubente Cyro & Dario & Artaxerxe Regibus Perſarum? Quis eſt iſte Artaxerxes? Certè non Cambyſes, qui medius fuit inter Cyrum & Darium; ipſe enim apertè hoc ædificium fieri prohibuit omnibus diebus regni ſui, vt patet in calce capitis quarti eiuſdem libri Eſdræ. Oportet ergo fuiſſe aliquem ex poſterioribus dicti Darij: ex quibus neminem reperiemus, qui templi Ieroſolymitani fabricam iuuerit, niſi is qui miſit Nehemiam in Iudæam; nimirum non Xerxes (vt falsò credidit Ioſephus, quemadmodum nos ſub anno mundi 3568. num. 2. oſtendemus) ſed Longimanus, vt ſub anno mundi 3609. num. 3. demonſtrabimus. Ergo non omnibus numeris abſoluta fuit anno ſexto vel nono Darij, dicta templi fabrica. Ad hoc dicimus, verè templum hoc ſub prædicto Dario fuiſſe abſolutum, quantum ſpectat ad partes pro cultu Deo ibidem exhibendo neceſſarias, vt ſuprà ex Ioſepho probatum eſt. Verumtamen, poſteà ſub Artaxerxe Longimano, multa eidem templo addita fuiſſe, tum ad maiorem eius ornatum, tum ad ipſius munimen. Circumdatum namque

namque fuit muris, vt ſub anno mundi 3533. num. 4. tactum eſt, & ſub anno mundi 3610. num. 13. dicemus. Et hoc eſt, vt arbitror, quod inſinuatur loco Eſdræ proximè adducto illis verbis: *Iubente Cyro, & Dario, & Artaxerxe*. Quod ſi verum eſt, oportet dictum Eſdræ librum (licet de rebus dumtaxat Ieroſolymis ſub Dario Hyſtaſpis filio actis agere videatur) nihilominùs fuiſſe conſcriptum poſt prædictos templi muros ab Artaxerxe Longimano cōſtructos; id eſt, poſt annum ſaltem regni eiuſdem Artaxerxis vigeſimum ſextum, vt etiam ex ſub anno mundi proximè adducto num. 9. dicendis probabiliter colligi poterit.

2. Verumenimuerò, ſi ab anno Monarchiæ Cyri ſecundo ad nonum regni Darij fluxerunt anni dumtaxat viginti duo; quomodo (dicet aliquis) vera eſſe potuit vulgata illa, & à multis grauiſſimis Auctoribus recepta opinio, quæ habet, huius templi ſtructuram ad ſex & quadraginta annos perduraſſe, iuxta illud Ioan. cap. 2. verſ. 20. *Quadraginta & ſex annis ædificatum eſt templum hoc*, &c. Communiter enim omnes ferè illius loci Expoſitores, de templo hoc ſub Zorobabele reædificato dictum illud intelligunt. Ad hoc videtur dupliciter reſponderi poſſe. Vel cum Echio in Reſponſione de ſeptuagenario in fine capitis 1. Aggæi, & Lyrano & Origene à Ribera ſuper Zachar. cap. 1. num. 46. allegatis; nimirum, Iudæos falſum dixiſſe, ſiue propter ipſorum ignorantiam; (erant enim mercatores & plebeij, quos de templo Dominus eiiciebat) ſiue quia ſcienter mentiti ſunt; vt vel ſic oſtenderent minùs poſſibile eſſe quod dixerat Dominus, *Et in triduo excitabo illud*. Neque verò propterea mendacij ſanctum arguimus Euangeliſtam, ſed credimus fatemurque ipſum rem geſtam fideliter ſcripſiſſe, ac Iudæorum verba, prout ab ipſis prolata fuerant, retuliſſe. Vel meliùs dici poteſt, reverà hanc Iudæorum reſponſionem de quadraginta ſex annis (quidquid Expoſitores dixerint) non eſſe referendam ad durationem fabricæ templi ſub Regibus Perſarum ædificati, ſed eius quod tunc Iudæi præ oculis habebant, quodque Herodes, vetere à fundamentis ſublato, ædificari curauerat, vt benè tradit Cardinalis Baronius in ſuis Annalibus ſub anno Chriſti 31. nam ſi dictum, inquit, Redemptoris; *Soluite templum hoc*, &c. intellexerant Iudæi de templo illo quod erat eis ante oculos poſitum; quis dubitet de eodem quoque illos reſpondiſſe? alioqui impertinens & inepta nimis videri potuiſſet eorum reſponſio. Quomodo autem verum ſit, quòd templum Ieroſolymitanum ab Herode conſtructum, quadraginta & ſex annis fuerit ædificatum, nos infrà ſub anno mundi 4032. num. 3. oſtendemus.

Quomodo templum 46. annis aedificatum dicitur.

3. Nunc de templo, Zorobabele Iudæorum Duce, fabricato, ſciendum eſt quòd in duobus à priori valdè deficiebat; nimirum in celſitudine, & ornatu: quandoquidem prius templum à Salomone Rege ditiſſimo pariterque ſplendidiſſimo laminis aureis intus vndique opertum fuerat; variiſque cælaturis miro artificio fabricatis, ac regia magnificentia exornatum; iſtud verò non item, vtpote à viris non admodum diuitibus, atque de Babylonica captiuitate nuper reuerſis, extructum. Qua etiam (vt arbitror) de cauſa in hoc ſecundo templo altare holocauſtorum non factum fuit extrinſecus æneum, quale in primo fecerat Salomon; ſed ex lapidibus impolitis, vt præceptum fuerat in Lege: & hoc apertè colligitur 1. Machab. cap. 4. verſ. 46. vbi legimus, quòd Sacerdotes à Iuda Machabæo delecti, qui templum à Gentibus profanatum mundarent, demoliti ſunt altare holocauſti, *& repoſuerunt lapides in monte domus in loco apto, quoadusque veniret Propheta, & reſponderet de eis. Et acceperunt lapides integros ſecundùm legem, & ædificauerunt altare nouum, ſecundùm illud quod fuit priùs*. Ex quibus poſtremis verbis manifeſtè deducitur, quòd altare hoc ſub Zorobabele fabricatum, & poſteà à Gentibus profanatum, non erat ex parte æneum, ſed totum lapideum, vt dictum eſt. Credimus quoque eadem de cauſa ſuperiùs allegata, in ſecundo hoc templo non extitiſſe luteres æneos, nec mare æneum, quemadmodum fuerant in primo; ſed pro ipſis vaſa lutea ad continendas aquas pro Sacerdotum ac ſacrificiorum ablutione: nam illa ærea, & tanto artificio elaborata, quæ fecerat Salomon, ſcimus poſtmodum comminuta & conflata fuiſſe à Chaldæis tempore vaſtationis templi, & abductæ captiuitatis, & tranſlata in Babylonem, vt ſub anno mundi 3447. num. 1. dictum eſt: noua autem modò ex ære facta fuiſſe ab iis qui de captiuitate redierunt, neque vſpiam reperimus ſcriptum, neque ob redeuntium paupertatem rationabile eſt credere. Quòd verò attinet ad templi celſitudinem, certum eſt quòd prius habebat centum viginti cubitos altitudinis, vt nos ſub anno mundi 3032. num. 2. & 4. probauimus: hoc autem tantummodò ſexaginta. ſic enim ſtatutum fuerat à Cyro, quemadmodum patet ex eius diplomate, quod refertur 1. Eſdr. cap. 6. verſ. 3. & propterea ſeniores, qui templum Salo-

Templum secundum fuisse minus ornatum primo.

Minus altum.

Salomonis viderant, flebant, vt legimus 1. Esdr. cap. 3. vers. 12. nimirum intelligentes, quòd huius fundamenta prioris altitudinem sustinere non poterant. Videtur etiam in hoc secundo templo non decem candelabra, & totidē mensas, sicut in primo, extitisse; sed vnum tantùm candelabrum, & vnam mensam, quemadmodum colligi potest ex 1. Machab. cap. 4. vers. 49. & nos sub anno mundi 3446. num. 4. diximus, & infrà sub anno mundi 3890. num. 2. clariùs explicabimus. In reliquis autem admodum probabile est, templum istud ad exemplar prioris fuisse fabricatum, vt benè colligit Lyranus ex illis verbis, quæ in principio libri 1. Esdræ habentur, vbi dicitur, quòd suscitauit Deus spiritum Cyri Regis Persarum, vt ædificaret domum Domini in Ierusalem. Si enim Cyrus Deo inspirante templum ædificare iussit, vtique consequens est, vt illud non ad proprium sensum, sed ad normam aliàs à Deo præscriptam construi voluerit, id est ad exemplar prioris, cuius forma olim Dauidi ab eodem Deo fuerat præmonstrata, & posteà à Dauide Salomoni filio tradita: nisi quòd non tam crassa fieri fundamenta, neque adeò ædificium attolli præcepit, ne Iudæi tanta templi munitione freti, occasionem aliquando noui aliquid contra Reges Persarum moliendi arriperent. Nemo autem fallatur, putans templum istud fuisse latum sexaginta cubitis, propter illa verba quæ 1. Esdr. cap. 6. vers. 3. habentur, *Et latitudinem cubitorum sexaginta.* quia vel tanta ista latitudo intelligi debet fuisse, non in corpore, sed in facie templi extrinsecùs apparente, eo modo quo sub anno mundi 4032. num. 7. dicemus, templum Herodianum fuisse centum cubitis latum: vel Scriptura sacra loco Esdræ citato vsurpat latitudinis terminum pro longitudine, seu pro extensione, quod magis Hebraici vocabuli vis significare videtur, vt tradunt illius idiomatis Professores; ita vt illius loci sensus sit, ac si dictum esset: Ponant fundamenta supportantia altitudinem cubitorum sexaginta; eamdemque mensuram in parte magis extensa, hoc est in longitudine, non excedant: alioqui, nisi altero ex duobus modis iam expositis ille locus intelligatur, necessarium foret fateri, templum secundum triplo latius fuisse primo; quod nemo vmquam ausus est asserere: quandoquidem ad munia quæ in eo exercenda erant, abundè satis sufficere poterat amplitudo Dauidi à Deo, & à Dauide Salomoni præscripta, & ab ipso Salomone in templo à se constructo seruata, quemadmodum nos sub anno mundi 3023. num. 5. ostendimus; nec aliter Deum Cyro inspirasse credendum est. Sed nec templum Herodianū latius fuisse eo quod fecerat Salomon, ex sub anno mundi 4032. num. 7. dicendis apparebit. Præterea si hoc templum habuisset latitudinis cubitos sexaginta, profectò nulla extitisset causa flendi his qui prius templum viderant; quoniam etsi hoc posterius ad altitudinem prioris pertingere non posset, illo tamen longè latius euasisset. Neque credibile est, quòd posteà Herodes tam latum templum demoliri iusserit, vt aliud illo, triplo minoris latitudinis, altius erigeret.

Ad prioris exemplar fuisse fabricatum.

De secundi templi latitudine.

4. Iam verò, ex quo de secundo templo agere cœpimus, non videtur hîc prætereundum, quòd Talmudici Hebræorum libri (vt referunt Galatinus lib. 4. de Arcanis Catholicæ veritatis c. 9. & Porchetus in prima parte Victoriæ contra Hebræos c. 7. & Genebrardus lib. suæ Chronologię 2. vbi agit de actis sub Sacerdotio Ioachim) asseruntin hoc secundo templo quinque ex his quæ erant in priori mirabilia defuisse: nimirum, Primò, Arcam fœderis Domini, quam aliqui etiam ex Catholicis putant adhuc in ea spelunca esse absorptam, in qua olim à Ieremia Propheta fuerat occultata; & non nisi prope consummationem sæculi fore manifestandam, quando scilicet Iudæi ab Enoch & Elia conuertentur. Secundò, Vrim & Thumim, id est Rationale vel Pectorale summi Pontificis, lapillis valdè pretiosis ornatum; ex quorum procedente fulgore Sacerdotes, futuros rerum euentus præcognoscere, & super his, consulentibus responsa dare soliti erant, quemadmodum nos sub anno mundi 2544. num. 85. vsque ad 88. diffusè declarauimus. Quo fit, vt quidam Hebræorum idem Rationale, Oraculum mutum appellarint, quòd signo fulgoris ab eo egredientis, futura præmonstraret, ad differentiam alterius Oraculi vocalis, de quo paulò pòst agemus. Tertiò defuisse aiunt in hoc secundo templo ignem sacrum de cælo datum, qui olim in Altari semper ardere debebat, & à Sacerdotibus quotidiana lignorum suppositione nutriri. de quo igne satis sub anno mundi 2543. num. 3. & 4. dictum est. Quartò, diuinam præsentiam, seu gloriam Domini, quæ aliquoties loqui & responsa dare, articulatimque audiri solebat de Propitiatorio existente super Arcam testimonij inter duos Cherubim, in Sancta sanctorum; de cuius voce specialis mentio habetur Numer. cap. 7. vers. 89. Vnde ipsum Propitiatorium, quidam appellabant Oraculum vocale, ad distinctionem alterius muti, de quo paulò antè meminimus. Quintò & vltimò, spiritum propheticum. Hæc, inquam, quinque

Quae Hebraei putant in secundo templo defuisse.

quinque memorabilia in secundo templo desiderata esse, crediderunt Hebræi: quorum nonnulli, superstitiosa quadam, vt solent, litterarum obseruatione ducti, exponentes illud Aggæi cap. 1. vers. 8. *Ascendite in montem, portate ligna, & ædificate domum, & acceptabilis mihi erit, & glorificabor, dicit Dominus*; dixerunt, Prophetam ibi scripsisse dictionem illam Hebraicam, quæ Latinè sonat *glorificabor*, sine quinta Hebraici Alphabeti littera, quæ apud ipsos significat quinque; vt hoc signo Iudæos sui temporis de prædictarum quinque rerum defectu admoneret, & quòd propterea Deus in hoc templo minus erat quàm in priori glorificandus. Sic Hebræorum Rabbini.

5. Sed quòd hæc ipsorum obseruatio vana prorsus fuerit & erronea, & quòd defecisse illas quinque res in secundo templo, non sit (vt ipsi asserunt) antiqua Hebræorum adinuentio, sed commentum Rabbinorum, & mendax quædam fabulosaque ipsorum adinuentio; quæ statim subiungemus, apertè (vt arbitror) demonstrabunt. Nam vt omittam quòd B. Hieronymus, Iudaicarum traditionum diligentissimus collector, nihil de hac re meminerit; & quòd ex quo primùm ipsi ponunt in secundo templo defuisse Arcam fœderis, vtique superfluum fuit quarto loco addere, quòd etiam defuerit Oraculum vocale; cùm perspicuum esset, ipsum de Arca, seu de eius Propitiatorio procedere consueuisse; qua sublata, ipsum quoque tolli necesse erat. Si Rabbini significare intendunt, in hoc primum templum à secundo fuisse differens, quòd in primo illæ quinque res essent, in secundo autem numquam extiterint; falsum est: quandoquidem, vt ad singula descendamus, de igne sacro legimus 2. Machab. cap. 1. vers. 20. & sequentibus, quòd cùm Nehemias misisset ad requirendum ignem olim à Sacerdotibus absconditū, loco ignis inuenta fuit aqua crassa; quam cùm iussisset aspergi super sacrificia, & super ligna eis supposita, Solque, qui prius erat in nubilo, refulgere cœpisset; repentè cunctis inspectantibus accensus est mirabiliter ignis magnus, quo consumpta sunt sacrificia. Ecquis nesciat hunc proculdubiò fuisse ignem sacrum de cælo demissum, & posteà, vt olim fieri consueuerat, iugiter à Sacerdotibus lignorum appositione nutritum, & ad templi vsus conseruatum? Quid clarius dici potest, ad redarguendam prædictam Rabbinorum mendacissimam positionem? Vrim quoque & Thumim in secundo templo aliquamdiu permansisse, certum est, si Iosepho credimus; qui 3. Antiq. c. 9. vbi de his fusius agit, tandem asserit, illum gemmarum fulgorem, ex quo Sacerdotes augurari etiam in pręliis prospera solebant, desiisse ducentis annis antequam ipse Commentaria sua scripsisset, irato, inquit, Deo, propter Legum suarum violationem. Cùm igitur ab anno regni Darij Hystaspis nono, in quo templi huius ædificatio absoluta fuit, vsque ad Iosephi tempora, fluxerint anni plusquam quingenti, quemadmodum ex tabulis dignosci potest; necessariò consequitur, Vrim & Thumim in secundo hoc templo trecentorum saltem annorum spatio perseuerasse. De Spiritu item prophetico dici non potest, tempora huius templi omnino caruisse: quoniam ex supradictis patet, eisdem temporibus prophetasse Aggæum & Zachariam, & post ipsos etiam Malachiam, vt suo loco dicemus. Quòd præterea eidem templo non defuerit Arca fœderis Domini, nos infrà sub anno mundi 3610. num. 10. & 11. ostendemus. De gloria autem Domini, cùm neque ex Sacris libris, neque ex antiquis probatisque Scriptoribus constet, eam toto secundi huius templi tempore in ipso numquam apparuisse, possumus satis probabiliter de ea, sicut & de quattuor reliquis, opinari.

REIICITVR PRAEDICTA RABBINORVM OPINIO.

6. At verò, si Rabbini intelligunt memoratas quinque res aliquando quidem in secundo templo extitisse; sed paulatim posteà succedentibus temporibus, ob peccata illius populi, defecisse: id profectò de aliquibus poterit admitti. Etenim Machabæorum tempestate iam defecerat Prophetia, vt manifestè colligitur 1. Machab. cap. 4. vers. 46. Et etiam ignis sacer, vt ex eodem cap. vers. 44. inferri potest: ibi enim dicitur, quòd Altare holocaustorum erat tunc temporis profanatum: ergo non erat in eo ampliùs ignis sacer. Quod item clariùs confirmatur 2. Machab. c. 10. vers. 3. vbi legimus, quòd purgato templo, & igne nouo de lapidibus ignitis concepto, obtulerunt sacrificia: oportet igitur tunc iam defecisse ignem sacrum, alioqui eo ad sacrificia vsi essent, nec opus fuisset nouum de lapidibus educere. Quando autem, & qua de causa cessauerit iste ignis sacer, nos sub anno mundi 3879. num. 6. dicemus. Quòd insuper circa eadem tempora cessauerint Vrim & Thumim, iam ex Iosepho demonstratum est. Sed & si vera esset illorum opinio, qui putant Arcam testamenti in hoc quidem templum fuisse reportatam, ibique aliquamdiu permansisse, donec posteà vel ab impiissimo Antiocho Epiphane, aut à Pompeio, vel potiùs à Crasso, cum aliis rebus sacris, vt putant, inde fuit ablata (quam opinionem tangit Ribera super cap. Aggæi 1. num. 19.) possemus etiam credere,

QVOMODO ALIQVATENVS PRAEDICTA HEBRAEORVM OPINIO SVSTINERI POSSIT.

tunc quoque cessasse Oraculum vocale, seu diuinæ vocis auditum, vel potiùs diuinæ præsentiæ sub signo nubis apparitionem in Sancta sanctorum: & sic omnia quinque priùs enumerata, paulatim in hoc templo defecisse. Verumtamen, quia de Arca fœderis nos sub anno mundi 3885. num. 4. vsque ad 14. oppositum probabimus, & de Prophetia dici potest, eam post erectum Herodis templum reuixisse: siquidem certum est ante Christi passionem Caipham, cùm esset summus Pontifex, prophetasse *quòd Iesus moriturus erat pro Gente; & non tantùm pro Gente, sed vt filios Dei, qui erant dispersi, congregaret in vnum*, vt dicitur Ioan. cap. 11. vers. 51. & 52. & Actor. cap. 2. vers. 17. & 18. protestatur S. Petrus, quòd ij qui putabantur ebrij, non erāt tales, sed repleti Spiritu sancto, iuxta Ioëlis vaticinium prophetabant. & c. 13. vers. 1. legimus, in eadem primitiua Ecclesia extitisse Prophetas & Doctores. Quæ res confirmari etiam potest ex his quæ traduntur cap. 21. vers. 9. vbi de quattuor filiabus virginibus Philippi Euangelistæ, qui erat vnus de septem Diaconis, dicitur quòd erant prophetantes; & vers. sequenti, de Agabo Propheta quòd prædixit Paulum in Ierusalem alligandum & tradendum Gentibus, hoc est Romanis. Quod & posteà reipsa factum fuisse, consequenter describitur in eodem cap. & sequentibus. Et hæc omnia multis annis antequam Herodianum templum à Romanis destructum fuisset, accidisse certum est. Sed si secundi templi temporibus prædicauit Christus, de quo Lucæ cap. 7. vers. 16. turbæ dicebant: *Quia Propheta magnus surrexit in nobis, & quia Deus visitauit plebem suam.* hisce verbis quodammodò confitentes, Christum pariter fuisse Deum & hominem; hominem inquam non vulgarem, sed Prophetam; neque simpliciter Prophetam, sed Prophetam magnum; illum scilicet de quo aliàs, vt scribit Ioan. c. 6. vers. 14. dicebant: *Quia hic est verè Propheta, qui venturus est in mundum.* id est, hic verè est ille per Antonomasiā dictus Propheta, quem olim Deus se missurum promiserat per Moysen Deuter. cap. 18. vers. 15. dicentem: *Prophetam de Gente tua & de fratribus tuis sicut me, suscitabit tibi Dominus Deus tuus; ipsum audies.* & ibidem vers. 18. ipsemet Dominus idem confirmans, ait: *Prophetam suscitabo eis de medio fratrum suorum similem tui, & ponam verba mea in ore eius; loqueturq; ad eos omnia quæ præcepero illi. qui autem verba eius quæ loquetur in nomine meo audire noluerit; ego vltor existam.* Quæ Deuteronomij verba proculdubiò intelligenda esse de Christo, apertè contestatur S. Petrus Actor. cap. 3. vers. 22. Si ergo Christus verè fuit Propheta, immò & Dominus Prophetarum: quis audeat dicere, temporibus suis omnino cessasse Prophetiam? Idcircò de his tribus, nimirum de Prophetia, de Arca, & item de præsentia Domini modo iam exposito, quòd in eodem templo omnino esse desierint, non videtur vllatenus posse conuinci.

HEBRAEI SOLLEMNIA OFFERVNT SACRIFICIA DOMINO.

7. Eodem anno Darij nono, die vigesimo tertio mensis Adar, vt scribit Iosephus 11. Antiq. cap. 4. obtulerunt filij Israel sacrificia admodum sollemnia Domino, pro recuperata post captiuitatem pristina felicitate, & nouo templo recepto. Quæ sollemnitas licet videatur esse illamet, quæ 1. Esdr. cap. 6. vers. 16. dicitur facta anno Darij sexto in dedicatione templi, quando scilicet expletum fuit ædificium templi interioris, vt suprà expositum est; verumtamen rationabilius videtur, fuisse diuersam: quia verisimile est, quòd non semel eiusmodi sollemnitates fuerint celebratæ; nimirum Primò, quando iacta sunt fundamenta templi, quemadmodum traditur 1. Esdr. cap. 3. vers. 10. vsque ad finem capitis. Deinde, quando expleta est fabrica templi interioris, vt loco eiusdem lib. cap. 6. superiùs citato. Ac demum, post absolutum quoque templum exterius, vt asserit Iosephus loco proximè adducto.

AB ORBE CONDITO ANNVS 3541. — SEXTÆ MVNDI ÆTAT. ANNVS 95.

IVDAEI FACIVNT PASCHA.

1 ANNO insequenti, die decimoquarto mensis primi, qui dicebatur Nisan, confluxit totus populus ex oppidis in vrbem, & celebrauerunt sollemniter festum Paschæ, & dies Azymorum septem diebus, iuxta Legis Moysaicæ ritus: 1. Esdr. cap. 6. vers. 19. vsque ad finem capitis, oblatisque sacrificiis pro gratiarum actione Deo, quòd *eos tandem antiquæ patriæ, & eius legibus ac ritibus restituerit, deflexo ad benignitatem ac clementiam Regis Persici animo, atque ita summa liberalitate in re diuina vsi, incoluerunt Ierosolymam, instituta ea Reipub. forma, quæ per Optimates cum paucis administratur: penes Pontifices enim fuit summa auctoritas, donec Asamonæorū* (hoc est Machabæorum) *gens, mutato rerum statu, regnum obtinuit:* Iosephus 11. Antiq. cap. 4. prope finem.

2. Per ea circiter tempora, credibile est accidisse ea quæ ibidē prosequitur Iosephus dicens:

dicens: *Samaritæ autem, infensa gens & inuida, multis molestiis eos afficiebant, freti opibus, & affectantes cognati Persarum videri, quòd inde essent oriundi. Nam quæ iussi erant ex tributis in sacrificia conferre, nolebant, & Prætores fauentes atque adiutores habebant: & quacumque in re vel per se vel per alios poterant nostram gentem lædere, nullam occasionem prætermittebant. Visum est itaque Senatui Populoq. Ierosolymitano legationem ad Regem Darium mittere, & Samaritas accusare: cuius legationis caput fuit Zorobabel, assumptis aliis quattuor collegis. Ceterùm Rex cognitis criminibus, quæ per legatos Samaritis obyciebantur, dedit his litteras perferendas ad Magistros Equitum eius prouinciæ, & ad Senatum Samaritanum, in quibus hæc continebantur: Rex Darius Tangaræ & Sambabæ Magistris Equitum apud Samariam, & Sadracæ ac Bobeloni, reliquisq. eorum conseruis: Zorobabel, Ananias, & Mardochæus Iudæorum legati, accusauerunt vos, quòd molesti sitis templum ædificantibus, quodq. non præbeatis impensas in sacrificia, quas me iubente præbere illis debetis. Volo igitur, vt lecta hac Epistola, præbeatis eis ex regio ærario, in quo tributa Samariæ seruantur, quidquid sacrificiorum vsus postulat; vt non desinentes quotidie sacrificare, tam pro me quàm pro Persarum gente deprecentur.* hucusque Iosephus.

A SAMARITIS MOLESTIIS AFFECTI EOS ACCUSANT.

AB ORBE CONDITO ANNVS 3545. SEXTÆ MVNDI ÆTAT. ANNVS 99.

1 ANNO regni Darij decimoquarto, qui (vt patet in tabulis) concurrit cum anno Vrbis conditæ ducentesimo quadragesimo quinto, nimirum regnante Tarquinio Superbo, septimo Romanorum Rege, circa eiusdem anni initia, credimus eosdem Romanos Regum imperium, quòd iam ad tyrannidem tendere videretur, pertæsos, ac libertatis desiderio flagrantes, dicto Tarquinio eiecto, cœpisse Regum vice duos sibi deligere Consules, quotannis renouandos; qui vicissim singuli alternatis mensibus præessent, ac Rempub. administrarent. Neque verò est quòd nobis hîc quisquam opponat variam Scriptorum antiquorum opinionem, de numero annorum quibus Romæ priusquam Consules creari cœperint, à septem Regibus, nempe Romulo, Numa Pompilio, Tullo Hostilio, Anco Martio, Tarquinio Prisco, Seruio Tullio, & Tarquinio Superbo, regnatum est: quandoquidem non me fugit, quòd Eusebius in Chronicis facit eos in summa regnasse per annos ducentos quadraginta, Solinus verò cap. 2. ducentos quadraginta vnum; (nam quòd quidam Solini codices in annis regni Seruij Tullij recensendis, pro annis quadraginta tribus ponant tredecim, Impressoris error est, non Auctoris.) Eutropius Historiæ Romanæ lib. 1. itemque Orosius lib. 2. cap. 4. & Auctores Tabularum Capitolinarum, annos ducentos quadraginta tres: quod & in emendatioribus quoque Solini codicibus reperiri, quidam affirmant. Dionysius verò Halicarnasseus Antiq. Romanarum lib. 1. longè post medium, & in calce libri 4. & alij multi, annos ducentos quadraginta quattuor. Quæ varietas videtur accidisse, quòd in annis cuiusque Regis, ac Interregnorum temporibus assignandis, nō omnes conuenerint: nam de Regum numero, ac singulorum nominibus, nulla extat inter Auctores dissensio. Quamobrem in tanta opinionum diuersitate, nos communiorem magisque receptam, Varronis, Dionysij, Liuij, & aliorum sententiam secuti, supponendum duximus,

DE INITIO CONSVLVM APVD ROMANOS.

Romulum primum Romanorum Regem regnasse annos		37.
& post Interregnum anni		1.
Numam Pompilium	regnasse annos	43.
Tullum Hostilium		32.
Ancum Martium		24.
Tarquinium Priscum		38.
Seruium Tullium		44.
Tarquinium Superbum		25.
Qui faciunt in summa annos		244.

& consequenter credimus, prædictam regiminis apud Romanos mutationem, quæ prima fuit, anno Vrbis proximè notato contigisse; quem tamen annum credimus non cum primo Olympiadis centesimæ sexagesimæ octauæ concurrisse, vt putauit Dionysius initio libri 5. sed cum quarto Olympiadis centesimæ sexagesimæ septimæ, quemadmodum videre est in nostris tabulis, & apud Panuinium in Fastis. Porrò primos, qui post Regifugium creati sunt Consules, fuisse L. Iunium Brutum, & L. Tarquinium Collatinum, nemo est qui non admittat; quamuis de die, quo Magistratum inierint,

nonnulla diſſenſio ſit. Etenim Sigonius in Faſtis, cap. De Conſulibus primò creatis, putat id factum eſſe Kal. Iunij, fultus auctoritate Macrobij, qui lib. Saturnalium 1. c. 7. ait, nonnullos exiſtimaſſe, dictum menſem propterea ſic à dicto Iunio primo Conſule fuiſſe denominatum, quòd in eo faſces is primus habuerit; Panuinius verò lib. 1. Commentariorum ſuorum in Faſtis, cap. De anno & die Regifugij, rectè (vt arbitror) ex Dionyſio colligit, dictos Conſules vj. Kal. Martij Regium iniiſſe principatum. Sed vtcumque res fuerit, (id enim inſtituto noſtro parũ refert) conſtat, quòd iidem Conſules, ad finem anni Conſulatus ſui non peruenerunt. nam primò Tarquinius tamquam de regno ſuſpectus, exulare coactus eſt, ſuffecto in eius locum P. Valerio: Brutus verò eodem quoque anno, non multò poſt eiectum collegam, in bello periit, vt latè tradunt T. Liuius in principio lib. 2. & citatus Dionyſius in ipſo lib. 5. initio, & alij. Poſt hos primos Conſules deinceps creati ſunt alij, hi nimirum, qui ſucceſſiuè in Faſtis notati habentur; quorum nonnullos, quandocumq; ad noſtram temporum rationem comprobandam opus fuerit, commemorabimus: vt propterea neceſſarium quoq; fuerit, inter Sacros hoſce Annales, Conſulatus exordia proprio loco adnotare. Superfluum tamen duximus, etiam particularem in noſtris tabulis, ab initio Conſulum Epochen inſtituere: quoniam, vt notum eſt, annos Conſulares per Vrbis Æram communiter metiri omnes conſueuerunt, vel etiam quandoque per annos Olympiadum, tametſi, non ab eodem anni tempore incipiant: nam (vt ſub anno mũdi 3278. num. 8. oſtendimus, anni Olympici ab Æſtiuo circiter Solſtitio, id eſt à Nouilunio ei proximo incipiebant: anni verò Vrbis in Vere, nimirum die vigeſimo primo Aprilis, quemadmodum ſub anno mundi 3300. num. 1. dictum eſt: anni autem Conſulares in hieme, videlicet Kal. Ianuarij, ſaltem ab anno Vrbis circiter ſexcenteſimo, & deinceps, vt ait Sigonius vbi ſuprà: nam ante annum Vrbis ferè quingenteſimum trigeſimum, nihil, inquit, labantius atque inconſtantius fuit, quàm ſollemnis Conſulatui ineundo dies.

AB ORBE CONDITO ANNVS 3551. — SEXTÆ MVNDI ÆTAT. ANNVS 105.

NOSTRAM A PTOLEMAEI CHRONOLOGIA NON DISCREPARE.

1 ANNO regni Darij Hyſtaſpis vigeſimo, contigit illa Lunæ Eclipſis, cuius meminit Ptolemæus lib. 4. Almageſti cap. 9. Quod ideò hìc adnotare viſum eſt, vt omnes intelligant (quemadmodum aliàs quoq; oſtendimus) noſtram Chronologiam nihil prorſus diſcordare ab Aſtronomicis dicti Ptolemæi obſeruationibus, quæ indubitatæ habentur. Etenim idem Auctor ibidem, ad hanc Lunæ defectionem, ab initio regni Nabonaſſar, numerat annos fermè ducentos quadraginta ſex; nimirum viginti ſeptem vſque ad initium anni ſecundi regni Mardokempad, & inde ferè ducentos decem & nouem vſque ad hunc vigeſimum memorati Darij annum: quòd ita eſſe, in noſtris quoque tabulis deprehendi poteſt.

OVATIONIS PRIMA INSTITVTIO.

2. Eodem anno, qui coincidit cum anno Vrbis ducenteſimo quinquageſimo primo, Romæ Agrippa Menenio Lanato & P. Poſtumio Tuberto II. Coſſ. inſtituta tunc primùm fuit Ouatio, quæ erat quoddam triumphi minoris genus: ſiquidem Ouans exercitu præcurrente, non curru vectus, nec trabeam, nec togam pictam indutus, nec tubis concinentibus, nec laurea coronatus; ſed myrtea redemitus, tibiis modulantibus Vrbem ingrediebatur, ſiue equo vectus (vt putat Dio) ſiue pedibus præcedens, ſequente vniuerſo Senatu, vt credidit Dionyſius. Plura de Ouatione videat qui volet apud Sigonium in ſuo Faſtorum Commentario anno Vrbis 250.

AB ORBE CONDITO ANNVS 3553. — SEXTÆ MVNDI ÆTAT. ANNVS 107.

PRIMA DICTATORIS ET MAGISTRI EQVITVM CREATIO.

1 ANNO regni eiuſdem Darij vigeſimo ſecundo, qui (vt patet in tabulis) concurrit cum anno Vrbis conditæ ducenteſimo quinquageſimo tertio, apud Romanos Poſtumo Cominio Aurunco & T. Lartio Flauo Coſſ. Dictatoris primùm creandi mentio facta eſt, vt ſcribit T. Liuius Decad. 1. lib. 2. qui etiam videtur ſenſiſſe, quòd eodem anno primus Dictator creatus fuerit idem T. Lartius, & Magiſter equitum Sp. Caſſius. quam ſententiam ſecuti ſunt etiam Euſebius, Eutropius, Caſſiodorus, & alij. Quamuis Dionyſius & nonnulli alij eamdem primi Dictatoris creationẽ, triennio pòſt transferant. Ceterùm Dictatoris creatio, penes quem erat ſumma poteſtas, tam-

tametsi non ordinariè quotannis, sæpissimè tamen deinceps facta est; numquam verò nisi necessitate aliqua perurgente; qua cessante, consueuerunt Dictatores tali se Magistratu abdicare.

AB ORBE CONDITO ANNVS 3554. SEXTÆ MVNDI ÆTAT. ANNVS 108.

1 ANNO regni eiusdem Darij vigesimo tertio, iuxta sub anno mundi 3461. n. 1. tradita, satis probabiliter credi potest, Zorobabelem anno vitæ suæ circiter quinquagesimo primo genuisse filium; nomine Abiud; illum inquam, qui apud S. Matthæum cap. 1. vers. 13. in Saluatoris genealogia recensetur. ZOROBABEL GENVIT ABIVD.

2. Quoniam autem, quotnam annis superuixerit ipse Zorobabel, aut quando mortuus sit, ignoramus, visum est hîc prudentem monere Lectorem, ne facilè fidem adhibeat Annio & eius sectatoribus, qui post dictum Zorobabel, ponunt quattuordecim Iudæorum Duces de stirpe eius sibi inuicem successisse, vsque ad Machabæos; quorum Ducum nomina sunt, Resa, Ioanna, Iuda, Ioseph, Semei, Mathathias, Mahath, Nagge, Hesli, Nahum, Amos, Mathathias, Ioseph, & Ianne, ex S. Lucæ Euangelij cap. 3. vers. 24. vsque ad 27. desumpta. Porrò hos nequaquam fuisse Iudæorum Duces, inde colligi potest, quòd neque Iosephus, neque B. Nicephorus Constantinopolitanus, neque vllus alius ex antiquis Historicis Chronographisve vspiam dictorum Ducum meminerint. Nam de Philone Anniano, quòd sit suppositititius, iam aliàs probatum est. Et præterea, quoniam certum est (vt testatur Iosephus 11. Antiq. cap. 4. non procul ante finem, & nos sub anno mundi 3541. num. 1. diximus) quòd reædificato templo, *penes Pontifices fuit summa Reipub. auctoritas, donec Asamonæorum gens* (sic enim Machabæos nuncupare solet) *mutato rerum statu, regnum obtinuit.* sic Iosephus. Vnde non mirum est, si quando expectabatur in Iudæa Holofernis aduentus, cuncta, etiam bellandi causa, ad nutum iussumque summi Sacerdotis Eliachim parabantur, vt colligi potest ex toto Iudith cap. 4. & nos sub anno mundi 3353. num. 1. diximus. Et si Alexander Magnus, cùm Tyrum oppugnaret, litteris, non ad Iudæorum Ducem, sed ad Pontificem scriptis, petebat auxilium, & vt forum rerum venalium præberet exercitui, & vt quæ priùs Dario conferre sit solitus, nunc det Macedonibus, prælata eorum amicitia: & pariter si idem Alexander, quando venit Ierosolymam, non ab alio Iudæorum Duce, quàm à Iaddo Pontifice exceptus est, vt tradit Iosephus 11. Antiq. c. vltimo: certum quoq; est, Ptolemæum Philadelphum Ægypti Regem non ad vllum Iudæorum Ducem, sed tantummodò ad Eleazarum Pontificem scripsisse, postulasseque ab eo septuaginta duos viros, Græci pariter ac Hebraici sermonis, & Legum item Iudaicarum peritissimos, qui veteris Testamenti libros de Hebræa in Græcam linguam verterent; quemadmodum narrant Iosephus 12. Antiq. cap. 2. & latiùs Aristæas in sua de Septuaginta duobus sacræ Scripturæ Interpretibus historia. Idem refert & Philo lib. 2. de Moysis vita circa medium, vbi reddens rationem cur Philadelphus Legatos miserit ad Pontificem, subiungit: *Penes quem tunc erat in ea gente auctoritas & maiestas regia.* sic ille. Ergo tunc nullus erat in Iudæa Dux. Ex quibus omnibus inferre possumus, vanam omnino esse & absque vllo fundamento prædictam memoratorum Ducum positionem, quos vllius vmquam in populo auctoritatis fuisse, probari non potest. Sed cur inter illos non recensuerunt Nehemiam, quem certissimè constat per aliquot annos, regnante Artaxerxe Longimano, fuisse Ducem in Ierusalem? Denique si Annius & qui eum sequuntur, crediderunt, & credi ab aliis voluerunt, Ducatum Iudæorum, post solutam captiuitatem, mansisse aliquamdiu in posteritate Zorobabelis; cur non magis eos eiusdem posteros, Duces nominarunt, qui à S. Matthæo cap. 1. vers. 13. & sequentibus recensentur? Etenim (vt sub anno mundi 4051. num. 10. vsque ad 16. ostendemus) S. Matthæus Christi genealogiam per generationes naturales è stirpe Regia deriuatas deduxit; sanctus verò Lucas, per Legales ac Sacerdotales. Verùm illud mirabile dictu est, quòd solus Annius inuenire potuerit, ac certò statuere numerum annorum Ducatus singulis Ducibus à se commemoratis; id enim neque ex sacra Scriptura, neque ex vllo probato Scriptore, sed ex proprio tantùm capite potuit haurire. Dicamus igitur, quosdam quidem Duces per hæc circiter tempora Ierosolymis extitisse; vt ex 2. Esdr. cap. 5. vers. 15. perspicuum est; verùm quinam fuerint, & quot annis quisque in Ducatu permanserit, asserere nemo potest; quin etiam addimus, eos non de aliqua stirpe omnes sibi inuicem successisse: (siquidem constat Zorobabelem fuisse de DE DVCIBVS HEBRAEORVM AB ANNIO CONFICTIS.

tribu Iuda, Matth. cap. 1. verſ. 12. & Nehemiam de tribu Sacerdotali, 2. Machab. c. 1. verſ. 21.) neque populi Iudaici, ſed Regum Perſarum arbitrio delectos, miſſos, eorumdemque nutu reuocatos, vt Nehemiæ exemplo comprobari poteſt.

AB ORBE CONDITO ANNVS 3556. SEXTÆ MVNDI ÆTAT. ANNVS 110.

DE ORTV ESDRAE.

1 ANNO regni dicti Regis circiter vigeſimo quinto natum eſſe in Perſide Eſdram Sacerdotem, illum inquam, qui poſteà fuit Scriba in Lege doctiſſimus, probabiliter colligi poteſt ex his quæ nos ſub anno mundi 3610. num. 22. & 23. de eodem dicemus.

AB ORBE CONDITO ANNVS 3561. SEXTÆ MVNDI ÆTAT. ANNVS 115.

1 ANNO regni eiuſdem Darij trigeſimo, qui iuxta noſtras tabulas concurrit cum anno Vrbis ducēteſimo ſexageſimo primo, Romæ Poſtumo Cominio Aurunco II. & Sp. Caſſio Viſcelino II. Coſſ. facta eſt prima ſeceſſio plebis à Patribus; & hac occaſione, ad ſeditionem ſedandam, de conſenſu Patrum facta eſt prima Tribunorum plebis creatio, iique fuerunt C. Licinius & L. Albinus, vt videre eſt apud Liuium Decad. 1. lib. 2. Iis adiunctos fuiſſe duos Ædiles plebis, quorum miniſteriis ad ſcripturas Tribuni vterentur, ſcribit Zonaras Tomo 2.

AB ORBE CONDITO ANNVS 3562. SEXTÆ MVNDI ÆTAT. ANNVS 116.

DE CLADE MARATHONIA DARII REGIS PERSARVM.

1 ANNO regni ſui trigeſimo primo circiter incipiente (vt paulò pòſt probabitur) Darius Perſarum Rex copioſiſſimum duxit exercitum in Græciam; contra quem Athenienſes, inſtructis confeſtim decem millibus ciuium, & Plateenſibus auxiliaribus mille, aduerſus ſexcēta hoſtium millia, in campos Marathonios, Miltiade Duce, tanta virtute dimicarunt, vt victi Perſæ in naues confugerint, ex quibus multæ ſuppreſſæ, multæ captæ, ducenta millia hominum in eo prælio amiſerint; quemadmodum ſcribunt Iuſtinus lib. 2. circa medium, & Oroſius lib. 2. cap. 8. & alij. Porrò hæc anno Darij allegato accidiſſe, probant Scriptores ex Herodoto, qui duo dicit; nempe, prædictum Darium regnaſſe annos triginta ſex, & eumdem anno ſexto à Marathonia clade obiiſſe: ex quo manifeſtè infertur, annum dictæ cladis proculdubiò fuiſſe eiuſdem Darij trigeſimum primum, quod & tradit Euſebius in Chronicis. Idem comprobari poteſt ex Dionyſio Halicarnaſſeo, qui lib. 5. ante medium, pugnam Marathonenſem ſexdecim annis à funere Bruti primi Romanorum Conſulis poſteriorem facit. Computa ab anno mundi 3545. in quo diximus cecidiſſe Brutum, ad annum iſtum, & inuenies medios ſexdecim annos.

NOSTRA HAEC CVM PTOLEMAEI CHRONOLOGIA CONSONAT.

2. Eumdem annum Darij trigeſimum primum, fuiſſe pariter Æræ Nabonaſſar ducenteſimum quinquageſimum ſeptimum, tradit Ptolemæus lib. 4. Almageſti, occaſione cuiuſdam deliquij Lunæ, quod eodem anno accidiſſe commemorat; & idem confirmat Scaliger lib. 5. de Emendatione temporum in cap. De initio Darij filij Hyſtaſpis; & item in eo quod inſcribitur, De clade Perſarum Marathonia. Et hæc quoque hîc adnotare placuit, vt perſpicuum fiat, quod aliàs diximus, noſtram temporum diſtributionem Aſtronomicis etiam obſeruationibus confirmari, vt clariùs videre eſt in tabulis.

AB ORBE CONDITO ANNVS 3567. SEXTÆ MVNDI ÆTAT. ANNVS 121.

DE OBITV DARII HYSTASPIS.

1 ANNO regni ſui trigeſimo ſexto deſinente, qui erat Æræ Nabonaſſari annus ducenteſimus ſexageſimus ſecundus, vt patet in tabulis, oportet deceſſiſſe Darium Hyſtaſpis Regem Perſarum: totidem enim annos illum regnaſſe, iam ſub annis mundi 3532. num. 2. & 3562. num. 1. probatum eſt. Et hinc infertur, decipi Oroſium, qui lib. 2. in calce capitis 8. ait, dictum Darium obiiſſe Olympiade ſeptuageſima quarta, hoc eſt, inquit, poſt Vrbem conditam anno ducenteſimo ſeptuageſimo quinto. In quo dupliciter peccat, Primò, quia ſi verum eſt, vt probauimus, Darij obitum incidiſſe anno Æræ Nabonaſſar ducenteſimo ſexageſimo ſecundo, cùm certum ſit, hanc

Æram

Æram initium sumpsisse ab exordio octauæ Olympiadis, quemadmodum sub anno mundi 3306. num. 1. demonstrauimus; fieri non potest, vt annus ducentesimus sexagesimus secundus, qui continet Olympiades sexaginta quinque & annos duos, inciderit Olympiade septuagesima quarta. Nam si prædictis sexaginta quinque Olympiadibus addis septem ante initium dictæ Æræ decursas, fient Olympiades septuaginta duæ, & anni duo; & sic obitus Darij necessariò incidit in annum secūdum Olympiadis septuagesimæ tertiæ, vt videre est in tabulis; nō autem in Olympiadem septuagesimam quartam, vt falsò credidit Orosius: qui etiam ibidem fallitur, ponens, annum Vrbis ducentesimum septuagesimum quintum incidere in Olympiadem septuagesimam quartam; quia sequeretur, Vrbem fuisse conditam Olympiade quinta, quod aduersatur his quæ nos sub anno mundi 3300. num. 1. de hac re disseruimus. Vtrùm autem præfatus Darius decesserit dum instaurare moliebatur exercitum aduersus Græcos, à quibus victus profligatusque fuerat, vt sentiunt Iustinus & Orosius locis citatis, & item ante hos Diodorus Siculus initio ferè lib. 11. an verò mortuus sit in apparatu expeditionis Aegyptiacæ, quemadmodum ex Herodoto scribit Scaliger vbi suprà, non facile est determinare, neque nostra multùm interest.

AB ORBE CONDITO ANNVS 3568. — SEXTÆ MVNDI ÆTAT. ANNVS 122.

1 ANNO proximo circiter ineunte, Xerxes post moderatam quamdam inter fratres de regno contentionem, quam Iustinus lib. 2. egregiè describit, regnauit in Perside. Erat autem Xerxes prædicti Darij ex filia Cyri filius, vt ibidem tradit Iustinus. Et iste fuit in ordine regum Persarum quintus, tametsi Scriptura sacra Danielis cap. 11 vers. 2. (siue secluso, qui tum regnabat Cyro; siue nihili faciens, ac propterea vltrò præteriens magum illum nomine Smerden, qui immediatè post Cambysem septem dumtaxat mensibus regnum fraudulenter occupauerat) de Xerxe vaticinans, dicat: *Ecce adhuc tres Reges stabunt in Perside, & quartus ditabitur opibus nimiis super omnes; & cùm inualuerit diuitiis suis, concitabit omnes aduersum regnum Græciæ.* his verbis alludens Scriptura sacra ad illum pænè innumerabilem exercitum, quem posteà iste Xerxes transmisit in Græciam, vt nos paulò pòst suo loco dicemus. quod fuit in causa, vt ipse Xerxes fuerit apud Ethnicos Scriptores celeberrimus. XERXES REGNAT IN PERSIDE.

¶ 2. Hunc Xerxem Iosephus 11. Antiq. cap. 5. putat eumdem fuisse cum illo Artaxerxe, qui (vt dicitur 1. Esdr. cap. 7. & Nehemiæ cap. 1. & 2.) misit in Iudæam, primò Esdram Scribam cum magna exulum Iudæorum multitudine, deinde etiã Nehemiam, ad reficiendos muros Ierusalem. Verumtamen fallitur Iosephus; & quæ sub Artaxerxe Longimano narrare debuit, perperàm sub Xerxe patre eius gesta fuisse describit. Nam præterquam quòd ista opinio rectam penitus destruit septuaginta hebdomadum Danielis supputationem, vt quisque in tabulis experiri potest, conuincitur etiam Iosephi erratum ex hoc, quòd Xerxes vigesimum secundum regni sui annum non expleuit, vt nos sub anno mundi 3589. num. 1. ostendemus, & confirmari potest auctoritate veterum grauissimorumque Auctorum, Diodori Siculi lib. 11. longè vltra medium, Eusebij in Chronicis, Sulpitij Sacræ Historiæ lib. 2. Bedæ in libello de Sex ætatibus mundi, & Herodoti lib. 7. qui cùm eumdem Xerxem tradat à patre suo Dario, duobus annis antequam moreretur, declaratum fuisse regni successorem, etiam si velimus ab hac declaratione annos regni eius dinumerare, non poterunt vltra vigesimum quartum produci. At verò Artaxerxes ille, de quo in libris Esdræ & Nehemiæ agitur, proculdubiò regnauit quadraginta annis, vt probatissimorum Scriptorum auctoritate sub anno mundi 3590. num. 1. probabimus: & Nehemiæ cap. 5. vers. 14. anni eius trigesimi secundi expressa fit mentio. Quare nullo modo dici potest idem fuisse cum Xerxe. IOSEPHI ERRATVM DE XERXE.

3. Porrò Xerxis vxorem fuisse Reginam Esther, crediderunt Iosephus Scaliger lib. 6. de Emendatione temporum cap. De Hebdomadibus Danielis, & Ioan. Drusus à Serario allegatus. Sed horum sententiam optimè confutat idem Serarius super cap. 1. Esther quæst. 3. hisce rationibus. Primò, quia, vt etiam ex sequentibus apparebit, certum est, Xerxem bellorum infelicitate, turpi fuga atque ignominia laborasse: contrà verò ipsi marito Esther cuncta prosperè feliciterque cessisse, satis indicant quæ de ipso traduntur Esther cap. 1. 2. & 10. Deinde, quia ex cap. 2. vers. 15. colligi potest, maritum Esther anno regni sui septimo in suo regno fuisse voluptatibus mulierumq; amoribus inseruientem: at verò Xerxem septimo imperij sui anno constat in Græcia, con-

tra quam expeditionem susceperat, cum maximo exercitu extitisse. Denique nihil iuuat Scaligeri opinionem, quòd Xerxis vxor, iuxta Herodotum lib.7. Amestris diceretur, quæ nominatio aliquam cum Esther similitudinem habere videtur; quia eamdem Amestrim idem Herodotus, & Otanis Persarum Ducis filiam, & sæuo admodum contra matrem ingenio, Ctesias verò etiam impudicam fuisse affirmat. Quæ quidem ipsi Reginæ Esther conuenire nullo modo possunt.

MANASSAE MARITI IVDITH OBITVS.

4. Per hæc circiter tempora oportet obiisse in Bethulia Manassen maritum Iudith; si tamen vera sunt (vt credimus) quæ nos infrà sub anno mundi 3572. num. 3. vsque ad 9. dicemus de tempore quo contigit dictæ Iudith historia. Etenim certum est quòd eo tempore ipsa Iudith erat vidua iam annis tribus & mensibus sex, vt apertè dicitur Iudith cap. 8. vers. 4. tot autem computari possunt hinc ad annum mundi proximè citatum.

AB ORBE CONDITO ANNVS 3572. — SEXTÆ MVNDI ÆTAT. ANNVS 26.

XERXES INGENTEM IN GRAECIAM DVCIT EXERCITVM

1 ANNO regni sui quinto pęnè expleto, quemadmodum numero sequenti declarabitur; Xerxes ingentem illam suscepit expeditionem aduersus Græcos à patre suo inchoatam, & ab ipso deinceps quinquennio instructam, vt tradunt Iustinus lib. 2. & Orosius lib. 2. cap. 9. quæ posteà à cunctis propè Ethnicis Scriptoribus mirum in modum celebrata fuit, propter aliàs inauditam tanti exercitus quam collegerat multitudinem: etenim in eo, supra quinquies decies centena millia hominum extitisse perhibentur, computatis nimirum tum militibus, tum aliis qui exercitui ministrabant: vnde non mirum est, si Diodorus Siculus lib. 11. ita de ipso scriptum reliquerit: *Ferunt*, inquit, *flumina, quæ perpetuis aquis fluere & inundare solita erant, multitudinem tantam illinc aquam petentem alueo exhausto, destituisse, pelagiq; conspectum, consertis nauium malis, in siluarum morem sublatum.* Et continuò subiungit: *Copiæ igitur ab Xerxe coactæ, omnium vtique habentur maximæ, quas vlla vmquam vllius historiæ memoria retulerit.* hæc Diodorus. Libet etiam hîc addere, quid paucis de hac Xerxis expeditione perstrinxerit Cicero lib. 2. de Finibus: *Tantis*, ait, *classibus in Græciam transiit, vt Hellesponto iuncto, Athoq; monte perfosso, maria ambularit, terramq; nauigarit; maria pedibus peragrans, classibus montes.* sic Cicero. Itaque mirabilis proculdubiò fuit iste apparatus; sed illud multò mirabilius, quòd tantum bellum, tanto tempore tantisque opibus paratum, & tanta vi illatum, denique tam insperato atque infelici successu solutum fuerit. Videat, qui vult, Herodotum lib. 8. & 9. & Diodorum Siculum lib. 11. qui totam rem gestam fusiùs descripserunt: vel Iustinum & Orosium locis citatis, qui breui compendio eamdem referunt; & intelliget, quàm infeliciter ipse Xerxes à paucis non semel victus profligatusque fuerit; & tandem exacto frustrà in Græcia quinquennio, maxima cum ignominia redire in Persidem compulsus sit. Illustrissimum profectò, admodumque memorabile Regibus documentum, ne in magnitudine diuitiarum, aut in multitudine exercituum suorum, omnem spem vmquam reponant suam; sed in Deo magis: qui, vt ostendat sine se vana esse omnia hæc, ad humiliandam superborum Principum extollentiam atque arrogantiam, sæpenumerò, vt dicitur in Psal. 32. vers. 10. *dissipat consilia gentium, & reprobat consilia Principum,* permittitque numerosissimos ipsorum exercitus parua interdum manu ab hostibus prosterni & profligari. Possent hîc plura ex Sacris præsertim libris adduci exempla, sed ea libens volensque prætereo; tum quia instituti nostri non est in eiusmodi longiùs immorari, tum etiam quia nullum maius eo de quo nunc egimus, proferri posse videatur.

QVANDO PRAEDICTA XERXIS IN GRAECIA EXPEDITIO FACTA SIT.

2. Diximus Xerxem anno regni sui quinto desinente, memoratam contra Græcos expeditionem suscepisse; quod triplici argumento probari potest. Primò, quia numero præcedenti, ex Iustino & Orosio iam ostensum est, ipsum Xerxem primum regni sui quinquennium in præparatione belli huius insumpsisse. Deinde, quoniam à Marathonia pugna ad transitum Xerxis in Græciam, Thucydides in Proœmio, ponit decem fluxisse annos, qui à Darij trigesimo primo ad Xerxis quintum, vtique in nostris tabulis dinumerari possunt. Denique, quia Herodotus lib. 7. opportunè adnotauit, quòd quando Xerxes exercitum mouebat à Sardibus vt veniret in Græciam, Sol defecit, diemque in noctem commutauit: atqui hanc Solis defectionem Astronomi (teste Scaligero lib. 5. de Emendatione temporum cap. De transitu Xerxis) aiunt accidisse anno Olympiadis septuagesimæ quartæ tertio, qui concurrit cum anno Nabonassari ducen-

ducentesimo sexagesimo septimo, & cum quinto ipsius Xerxis, vt patet in tabulis. Nec obstat, quòd Eusebius in Chronicis posuerit prædictum Xerxis transitum anno quidem regni sui quinto, sed præfatæ Olympiadis quarto; quia fieri potest, vt postrema pars anni quinti Xerxis, etiam ex parte coinciderit cum initio anni quarti dictæ Olympiadis; vel quòd ipse Eusebius notauerit tempus non primi discessus Xerxis de Asia, seu de Sardibus; sed aduentus eius in Græciam: quemadmodum credi etiam potest, Diodorum Siculum initio lib. 11. & Dionysium Halicarnasseum initio lib. 9. & alios, qui ponunt eumdem Xerxis transitum in Olympiade septuagesima quinta, hoc est in eius principio; quòd illum non à primo eius in Græciam aduentu; sed à prima vel secunda infelici eius pugna, quæ circa initia proximi anni accidisse potuit, tamquam à re magis certa, notare maluerint: alioqui ipsorum assertio, ob rationes superiùs allegatas, saluari nullo modo posset. Idem ferè coniectari possumus de Eratosthene, qui in sua vetere tabula, posuit ab initio Olympiadum, ad dictam Xerxis expeditionem annos 297. cùm tamen in nostris tabulis inueniantur tantummodò 294.

3. Per eadem tempora, in quibus Xerxes multis cladibus in Græcia acceptis contemptui suis, vt paulò pòst probabitur, esse cœpit; valdè probabiliter cum Iulio Africano relato apud Suidam in verbo Iudith, & cũ Ribera super Nahum cap. 2. credimus, gesta esse omnia quæ describuntur in toto lib. Iudith: nam (quemadmodum sub anno mundi 3353. num. 1. vsque ad 5. pluribus argumentis etiam ex Iudith cap. 5. desumptis probatum est, & nunc quoque confirmabitur) non potuit hæc historia contingere ante Babylonicam Iudæorum captiuitatem, quando Reges erant in Ierusalem; sed post, vt sentiunt S. Augustinus, Beda, & alij ibidem num. 2. citati: neque post solutam captiuitatem, priusquam reædificatum esset templum: quín etiam, neque statim, vt extructum fuit, regnante scilicet Dario Hystaspis; quia tunc summus Sacerdos in Ierusalem erat Iosue filius Iosedec, vt patet 1. Esdr. cap. 5. vers. 2. & Aggæi cap. 1. & 2. non semel: ac temporibus Iudith summus Pontifex erat Ioachim, qui & Eliacim, vt legitur Iudith cap. 4. vers. 5. & cap. 15. vers. 9. Ergo oportet eius historiam contigisse regnante Xerxe, quando scilicet (vt ait Iosephus 11. Antiq. cap. 5. in principio) Ioacimus filius Iesu erat summus Pontifex in Ierusalem; qui quidem Ioacimus non potest esse alius quàm ille Ioacim filius Iosue, cuius genealogia tangitur 2. Esdr. cap. 12. vers. 10. & 26. vbi dicitur, quòd Iosue genuit Ioacim, & Ioacim genuit Eliasib. Et ratio dictat, quòd si temporibus prædicti Darij Pontificatum gerebat Iosue, & temporibus Artaxerxis filij Xerxis erat Sacerdos magnus Eliasib, vt patet 2. Esdr. cap. 3. vers. 1. quòd tempore intermedio, nimirum Xerxe imperante, summum Sacerdotium tenuerit Ioacim filius Iosue, & pater Eliasib.

HISTORIA IVDITH QVANDO CONTIGERIT.

¶ 4. Sed, dicet aliquis, si Xerxes fuit Rex potentissimus, vt omnes concedunt, videlicet Monarcha Persarum, Medorum, Babyloniorum, Assyriorum, & omnium pænè totius Asiæ prouinciarum; quomodo temporibus suis potuit Arphaxad esse Rex Medorum, & Nabuchodonosor regnare in Niniue? præsertim cùm ipsa Niniue iam ex multis annis à Babyloniis destructa fuerit, vt sub annis mundi 3321. num. 5. & 3371. num. 4. & 5. probatum est. Ad hoc responderi potest, non pugnare, quòd sub tanto Monarcha essent plurimi Reges eidem seruientes, sicuti constat fuisse multos qui Romanis parebant Imperatoribus, aliisque Monarchis: nam & Nabuchodonosor Rex Babylonis appellabatur Rex Regum, Daniel. cap. 2. vers. 37. & Ezechiel. cap. 26. v. 7. & de Euilmerodach filio eius idem colligitur 4. Reg. cap. vlt. vers. 28. & Ierem. cap. vlt. vers. 32. quibus in locis dicitur quòd ipse posuit thronum Iechoniæ super thronos Regum, qui erant post se in Babylone: vnde manifestè colligitur, quòd ipse quoque Euilmerodach habebat sub se multos Reges qui seruiebant ei. De Assyriorum præthereà Regibus siue Monarchis idem colligitur, tum Isaiæ cap. 10. vers. 9. vbi Propheta introducit quemdam Regem Assur, nempe Sennacherib, gloriantem ac dicentem: *Numquid non Principes mei simul Reges sunt?* tum ex Diodoro, qui lib. 3. Rerum antiquarũ c. 6. ait, quòd Priamus insignis Troię Rex subditus erat Theutamo Assyriorum Regi. Quin etiã Cyrus Monarchiæ Persarum primus Rex & institutor, nónne in edicto publico dicebat: *Omnia regna mundi dedit mihi Dominus Deus cæli?* 1. Esdr. cap. 1. vers. 2. & Artaxerxes Longimanus, eiusdem Xerxis, de quo nunc agimus, filius, nónne ibidem cap. 7. vers. 12. inscribit Epistolam suam sic: *Artaxerxes Rex Regum Esdræ Sacerdoti*, &c. Non igitur mirum est, quòd regnante Xerxe fuerint particulares Reges in tam grandi eius dominio, qui ei parerent, & præsertim in Media & Assyria; & quòd quando ipse Xerxes cum illo tam grandi exercitu profectus est in Græciam, & à Græcis parua ma-

RESPONSIO AD OBIECTA

nu non

nu non semel victus ac turpiter fugatus, Arphaxad Rex Medorum discedens ab obedientia & subiectione Xerxis domini sui, subiugauerit sibi multas gentes, & similiter Nabuchodonosor, qui tunc regnabat in Niniue, à se vel ab aliquo alio priùs reædificata, pugnauerit contra Arphaxad, & eo superato, ad Imperij apicem aspirare cœperit; miseritque nuntios ad Syriæ prouincias, & minitatus sit delere eas, nisi à Xerxe deficientes, suo parerent imperio, vt dicitur Iudith cap. 1. Hæc, inquam, valdè consona sunt his, quę de Xerxe Ethnici tradunt Historici, quemadmodum breuiter referunt Iustinus initio lib. 3. & Orosius lib. 2. cap. 11. nimirum, quòd ex quo à Græcis victus, & cum ignominia profligatus fuit, etiam suis contemptui esse cœpit; & deficiente interim quotidie Regis maiestate, ipse quoque tandem à Præfecto militiæ suæ Artabano, ob Regis ignauiam in spem Regni occupandi adducto, miserabiliter occisus est. Quid mirum est igitur, quòd multos habuerit defectores, qui sibi remotiores prouincias vsurparent, & de Imperio inter se decertarent; quando etiam non defuit qui eumdem in propria curia interimeret, Regnumque eius occuparet?

EADEM SENTENTIA DE HISTORIA IVDITH CONFIRMATVR.

5. Illud etiam persuadere potest vera esse quæ diximus, & regnante Xerxe prędictam Nabuchodonosor legationem Syriæ prouinciis fuisse transmissam; quòd non videtur verisimile, illas Regi Nabuchodonosor adeò potenti, & ob insignem illam de Medis victoriam recenter obtentam valdè insolenti, resistere ausas esse, nisi timuissent dominum suum Xerxem, atque sperassent ab eo se posse defendi. Quod etsi tunc præstari non potuit, Xerxe nimirum in bello contra Græcos occupato, neque posteà ob eius, vt dictum est, ignauiam: nihilominùs oportet id deinceps à successoribus suis fuisse præstitum, & prouincias illas cis & trans Euphratem, quas vi occupatas subdiderat Holofernes domino suo Regi Nabuchodonosor, denuò esse recuperatas. Etenim de Assuero Reginæ Esther marito, qui fuit vnus de posteris dicti Xerxis, legimus in principio libri Esther, quòd regnabat ab India vsque ad Æthiopiam, super centum viginti septem prouincias; inter quas nemini dubium est, fuisse etiam vniuersam Syriam & Mesopotamiam; positæ namque sunt inter Indiam & Æthiopiam. Cùm igitur, ex quo dictus Nabuchodonosor tentauit omnem terram suo subiugare imperio, vt dicitur Iudith cap. 2. vers. 3. nulla deinceps ipsius aut successorum eius mentio reperiatur in Sacris libris, neque (quod ipse nouerim) in profanis: quid aliud probabilius cogitare possumus, nisi ipsum posteà ab Artaxerxe Longimano Xerxis filio fuisse humiliatum & regno priuatum, ac vt patris sui perduellem, etiam interfectum? alioqui non esset verisimile, quòd idem Nabuchodonosor, qui erat adeò bellicosus & superbus, si aliquamdiu superuixisset, atque in regno perseuerasset, pati potuisset inultam relinquere necem Holofernis, & exercitus sui direptionem, & non ampliùs copias mittere contra Iudæos: & tamen certum est, quòd posteà in omni reliquo spatio vitæ Iudith; quæ ad centum quinque annos vixit, & post mortem quoque eius annis multis non fuit qui perturbaret Israel, vt disertè traditur in calce libri Iudith. Sed quidquid posteà fuerit de prædicto Nabuchodonosor, certè admodum credibile est, ipsum propter intolerabilem eius superbiam & arrogantiam, & blasphemiam, quippe qui volebat à seruis suis appellari Deus & Dominus vniuersæ terræ, ita vt præter ipsum non esset alius Deus, vt colligitur Iudith cap. 5. in fine, & cap. 6. vers. 2. propterea, inquam, par est credere, ipsum non multò pòst aliquo modo fuisse à vero Deo percussum, & vita regnoque priuatum, sicuti certum est contigisse Holoferni Principi militiæ eius; & olim Sennacheribo, qui & ipse regnauerat in Niniue; & aliis eiusmodi blasphemis. Ceterùm, si quis quærat, quisnam fuerit iste Nabuchodonosor; dicimus, ex nomine, quod Chaldaicum est, credi posse, quòd fuerit nobilis quidam de genere Chaldęorum, & fortè etiam ex prosapia magni illius Nabuchodonosor, qui quondam regnauerat in Babylonia, & Niniuem subuerterat; qui cùm posteà tum ob generis nobilitatem, tum ob virtutem bellicam à Regibus Persarum paulatim euectus, ac tandem Regno Assyriorum in Niniue præfectus fuisset, ingratus à domino suo defecerit; & propterea demum ab iisdem Regibus, pro meritis vita pariter ac regno spoliatus fuerit.

QVIS FVERIT NABVCHODONOSOR REX NINIVE.

6. Possunt quæ hactenus dicta sunt, ni fallor, abundè sufficere, ad ostendendum historiam Iudith ad Xerxis tempora pertinere: quandoquidem ex dictis num. 3. 4. & 5. patet, eam sub nullo alio Persarum Rege conuenientiùs poni posse; & iam sub anno mundi 3353. num. 1. vsque ad 5. fusiùs probatum est, eamdem ad tempora Manassæ Regis Iuda, neque ad alia ante Babylonicam captiuitatem, rectè & sine aliqua Scripturæ sacræ dissonantia posse adaptari. Verùm quia argumenta Cardinalis Bellarmini lib. 1. de Verbo Dei cap. 12. quibus impugnare nititur opiniones ponentium prædictam

ctam historiam sub Cambyse, aut Dario Hystaspis, aut Artaxerxe Ocho, positioni etiam nostræ aduersantur, quatenus videntur probare eamdem historiam non post Babylonicam captiuitatem, quemadmodum nos opinamur, contigisse, sed ante ipsam; nimirum, vt ipse arbitratur, regnante Manasse in Ierusalem: idcircò pro huius difficultatis absolutione, necessarium est hîc etiam eiusdem Bellarmini argumenta diluere. Igitur ad Primum, in quo supponit, ipsum Arphaxad, de quo in exordio libri Iudith, fuisse illum Regem Medorum, qui ab Ethnicis Scriptoribus vocatur Deiocles, siue vt est apud Herodotum Deioces, quique Ecbatanam ædificasse dicitur, & sic arguit: Tempora Deioclis longè distant à temporibus prædictorum Regum Persarum; ergo sub nullo ipsorum potuit incidisse historia Iudith: Responderi potest, suppositum priùs fuisse probandum: non enim concedimus, quòd Arphaxad idem fuerit cum Deiocle, sed ab eo diuersum, & ipso longè posteriorem, & (vt ipsemet quoque ait) facilè fieri potuisse, vt ciuitas illa, sanè antiquissima, aliquoties euersa & reædificata fuerit; primò quidem à Deiocle, vt testantur Herodotus lib. 1. & Eusebius in Chronicis; deinde ab Arphaxad, vt legimus Iudith cap. 1. demum à Seleuco, quemadmodum scribit Plinius lib. 6. cap. 14. & fortè etiam ab aliis. Præterea supponit Bellarminus, quòd Arphaxad (quem LXX. Interpretes Iudith cap. 1. in fine asserunt à Nabuchodonosor regnante in Niniue, regno pariter ac vita fuisse spoliatum) necatus fuerit anno circiter regni Manassæ Regis Iuda decimoquinto; & quòd anno proximo venerit Holofernes in Iudæam. Atqui obitus Deioces non potest competere cum temporibus Manassæ: nam secundùm Eusebium in Chronicis, regnare cœpit anno quinto regni Manassæ, & regnauit annis quinquaginta quattuor; siue secundùm Herodotum, quinquaginta tribus; quare oportet ipsum fuisse interemptum anno Amonis secundo, vel Iosiæ primo, & consequenter, anno eiusdem Iosiæ primo vel secundo venisse Holofernem in Iudæam, ex qua positione sequerentur multa absurda; & non posset verum esse quod dicitur in calce libri Iudith, videlicet, nòn fuisse qui perturbaret Israelem in totò reliquo tempore vitæ Iudith, & post mortem eius annis multis. Non etiam dici potest, prædictum Arphaxad fuisse Cardiceam quartum Medorum Regem, qui præcessit Deioclem; quia non Cardiceas sed Deiocles dicitur ædificasse Ecbatanam, & eadem de causa, nemo ex aliis Medorum Regibus qui fuerunt ante Darium, potuit esse Arphaxad, præsertim cùm omnes illi habuerint successores regni Medos, Arphaxad autem nequaquam, vt ex loco Iudith proximè citato perspicuè infertur. Ad Secundum Bellarmini argumentum, concedimus nullum ex Regibus Persarum nominatum fuisse Nabuchodonosor; verùm hoc nihil contra nos, qui non ponimus præfatum Nabuchodonosor fuisse Cambysem, aut alium Regem Persarum; sed quemdam Niniue Regem, Chaldæum genere, & Persarum Regibus subditum, vt sup. num. 5. dictum est. Ad Tertium dicimus, nihil obstare quòd Niniue priùs fuerat euersa; quia quemadmodum Arphaxad reædificauerat Ecbatanam, ita potuit præfatus Nabuchodonosor, aut aliquis alius, aliquantò anteà reædificasse Niniuem. Ad Quartum dicimus, quòd Nabuchodonosor, posteaquam defecit à Xerxe, tentauit occupare Ciliciam, Damascum, & Iudæam, quæ tunc erant ipsius Xerxis. Ad Quintum respondemus, quòd filij Israel non se opposuerunt Regi Persarum, cui tunc subiecti erant; sed putantes se gratum facturos domino suo; & ab eo posse defendi, ausi sunt resistere Regi Niniue, qui eos contra omne ius fasque sibi subiicere volebat. Ad Sextum patet responsio ex his quæ suprà num. 5. diximus, nimirum Eliachim siue Ioachin, qui erat summus Pontifex temporibus Iudith, fuisse illummet qui Pontificatum in Ierusalem gerebat regnante Xerxe. Septimum Bellarmini argumentum non procedit contra nostram sententiam; quia certum est, quòd tempore Xexis iam reædificatum erat templum in Ierusalem, neque verebantur Iudæi ne destrueretur ab aliquo Regum Persarum, quorum auctoritate fuerat conditum; sed à Rege Niniue, qui à Xerxe Rege Persarum defecerat, vt suprà num. 5. dictum est. Ad Octauum concedimus, quòd si Holofernes fuisset Dux militiæ Regis Persarum, non potuisset nescire Iudæos; sed quia erat seruus prædicti Regis Niniue, ad quem nihil de Iudæis pertinuerat; non est mirum quòd ipsos ignorauerit, & de ipsis percontatus fuerit, quinam essent, & quis super eos regnaret, & eiusmodi alia. Ad Nonum dicimus, quòd filij Israel miserunt ad Samaritas, qui & ipsi erant subditi Regis Persarum, & propterea vltrò etiam ipsi cum Iudæis communi consilio, quoniam commune erat periculum, præoccupauerunt vertices montium; & circumdederunt muris vicos suos, &c. sciebant enim hæc grata fore communi ipsorum domino Regi Persarum. Decimum Bellarmini argumentum non militat

SOLVVNTVR ARGVMENTA CARDINALIS BELLARMINI.

militat contra nos, sed tantummodò contra eos, qui ponunt historiam Iudith vel ante captiuitatem Babylonicam, quando à multis Regibus frequenter infestari solebant Iudæi, vel sub posterioribus Persarum Regibus non valdè distantibus à Ptolemæo Lagi Ægyptiorum Rege, qui debellauit Iudæos, vt suo loco dicemus. Certum est autem, à Xerxe ad prædictum Ptolemæum, fluxisse annos plus centum quadraginta, intra quos nullus bello infestauit Israelem. Ad Vndecimum non est quòd respondeamus, quia procedit tantummodò contra ponentes memoratum Nabuchodonosor fuisse Cambysem, quod valdè alienum est à positione quam tuemur. Denique ad Duodecimum dicimus, non esse inconueniens quòd pauciores numerentur generationes à Iudith adscendendo vsque ad Ruben siue ad Simeon, quàm ab Esdra vsque ad Leui; quia constat quosdam citiùs, quosdam verò seriùs vxores ducere, & filios procreare: quare non est mirandum, in tanto annorum interuallo, nimirum mille trecentûm & ampliùs, qui (vt colligi potest in tabulis) fluxerunt à natiuitate prædictorum filiorum Iacob, ad tempora memoratorum Regum Persarum; quòd inueniantur in genealogia Esdræ quattuor aut quinque vel etiam plures generationes, plus quàm in genealogia Iudith.

☞ 7. Itaque dilutis quæ contra positionem nostram adduci posse videbantur argumentis, videtur iam posse nos (tùm ob rationes hîc, & sub anno mundi 3353. num. 1. vsque ad 5. adductas, tum etiam sub anno mundi 3690. num. 2. adducendas) satis probabiliter confidenterque asserere, quòd existente Xerxe Persarum Monarcha, Nabuchodonosor, qui tum pro ipso Xerxe regnabat in Niniue, post defectionem suam à Rege Persarum, & post superatum Arphaxad Regem Medorum, qui etiam ipse, vt credimus, priùs à Xerxe defecerat, occasione illius victoriæ tam grandis vsqueadeò intumuit, vt omnem terram suo affectaret subiugare Imperio; & propterea non multùm distulerit mittere nuntios ad finitimas regiones, præcipiens, vt neminem nisi se, suum dominum recognoscerent, arbitratus eas statim imperata facturas. Sed contrà accidit: nam omnes, vt ait Scriptura, vno animo contradixerunt, & remiserunt eos vacuos. Quamobrem indignatus Nabuchodonosor iurauit defendere se de his omnibus, quemadmodum latè describitur Iudith cap. 1. vbi vers. 12. proculdubiò Scriptura vsurpat verbum *defendere*, pro *vindictam sumere*, quemadmodum etiam in eiusdem libri cap. 9. vers. 2. illis verbis: *Qui dedisti illi* (hoc est Simeoni) *gladium in defensionem* (id est, in vltionem) *alienigenarum*. Non enim Simeon defendit, sed vltus est alienigenas, nimirum Sichem, & familiam ac populum eius, propter violatam Dinam sororem dicti Simeonis. Idem fit ad Rom. cap. 12. vers. 19. vbi dicitur: *Non vosmetipsos defendentes*, &c. hoc est, vlciscentes, vt ex ibidem sequentibus patet: non enim prohibet Apostolus, quod Ius naturale ac diuinum permittit, nempe iustam inculpatamque sui tutelam; sed vltionem, quæ pertinet ad Deum, vt ibidem subditur: *Scriptum est enim*: (nimirum Deut. c. 32. vers. 35.) *Mihi vindicta, ego retribuam, dicit Dominus.* Ceterùm memoratus Nabuchodonosor, idipsum quod iurauerat, postero anno implere aggressus est, mittens Holofernem Principem militiæ suæ cum ingenti exercitu aduersus populos, (respectu regni sui) Occidentales, vt dicitur Iudith cap. 2. vers. 5. & præcipuè contra eos, qui nuntios suos contempserant. Porrò Holofernes cùm subiugasset magnam Ciliciæ Syriæque partem, nimirum quam olim vocabant Sobal, & Apameam, omnemque Mesopotamiam & Idumæam, audissetque quòd filij Israel præpararent se aduersus ipsum: cùm ab Achior Duce Ammonitarum admonitus esset, ne temerè bellũ Iudæis intentare auderet, propter immensam Dei ipsorum potentiam, indignatus Holofernes, tradidit ipsum Achior, manibus ac pedibus arbori alligatum, in manus Iudæorum, vt ipsis expugnatis, posset in eumdem quoque Achior duriora exercere iudicia. Dein præcepit exercitibus suis, vt obsiderent Bethuliam. Erat autem Bethulia (vt ex Brocardo aliisque qui Terram sanctam descripserunt Auctoribus colligi potest) Galilææ vrbs satis munita, in monte tribus Zabulon posita, qui ob eius celsitudinem per totam ferè Galilæam cerni poterat, habens à Meridie Dothaim, ab Ortu Abelmeula patriam Elisæi Prophetæ, vt colligitur 3. Reg. cap. 19. vers. 16. ab Euro Tiberiadem, & ab Africo Magdalon. Distabat verò Bethulia à Dothaim milliario vno; ab Abelmeula, totidem, vel paulò plus; à Tiberiade duobus, à Magdalo autem tribus.

8. Obsessa igitur vrbe, & rupto obstructoque aquæductu eius, cùm siti admodum premerentur obsessi, deditionemque cogitarent: ecce, mirabile dictu, Iudith vidua, de tribu Simeon, vt infrà probabitur, aspectu pulcherrima, ac timens Deum, graui oratione confirmauit eos. Deinde oratorium suum ingressa, cilicioque induta, & cinere conspersa caput, coram Domino prostrata, cùm vehementiùs orasset pro salute populi, di-

uino

DEFENDERE, PRO VINDICTAM SVMERE, INTERDVM VSVRPATVR.

MITTITVR HOLOFERNES IN IVDAEAM.

BETHVLIA VBINAM ESSET.

QVOMODO IVDITH OCCISO HOLOFERNE LIBERAVIT AB HOSTIBVS PATRIAM.

uino edocta Spiritu, vt hostem aptiùs falleret, induit se vestibus iucunditatis suæ, & monilibus valdè atque eleganter compta, exiuit de ciuitate; cui etiam (ad impiissimum tyrannum faciliùs decipiendum) eximiam Dominus gratiam splendoremque contulerat. Itaque cùm protinus ab hostibus capta, atque ad Principem exercitùs perducta fuisset, statim in primo eius aspectu captus est Holofernes; ac propterea benignè cum ea agens, concessit, vt pro libito suo exire de castris ac redire posset. Denique excepta conuiuio, & ad cubiculum eius introducta, eidem Holoferni, quem Dei prouidentiâ præ nimia ebrietate sopitum inuenerat, caput abscidit, atque Bethuliam delatum, in vrbis muro, ad hostes magis perterrefaciendos, suspendi iubet: quos Hebræi illicò audacter insecuti sunt, & in fugam actis, eorumdem spoliis valdè ditati, redierunt in Bethuliam cum ingenti lætitia benedicentes Deum, & fausta acclamantes ipsi Iudith: *Tu gloria Ierusalem, tu lætitia Israel*, &c. Ipsa verò pro gratiarum actione cecinit Canticum illud Domino, quod in postremo libri Iudith cap. legitur in hæc verba: *Incipite Domino in tympanis*, & quæ sequuntur. Et hæc omnia fusiùs descripta inuenies in toto libro ex nomine ipsius Iudith inscripto; in cuius fine hæc ad verbum habentur: *Dies autem victoriæ huius festiuitatis, ab Hebræis in numero sanctorum dierum accipitur, & colitur à Iudæis ex illo tempore, vsque ad præsentem diem.* sic ibi. Porrò in veteri Hebræorum Kalendario, tam in eo quod habetur apud Sigonium lib. 3. de Repub. Hebræorum, quàm in illo quod in multis correctum, nos sub anno mundi 2545. num. 35. retulimus, ponitur hæc festiuitas die vigesimo quinto mensis noni, & concurrit cum duabus aliis festiuitatibus, nempe Ignis seu Luminum, & Encæniorum, vt ibidem videri potest. Hîc si quis quærat, quis nam fuerit Auctor libri Iudith; dicimus ex S. Isidoro lib. 6. Originum c. 2. id esse incertũ. Verumtamen mihi non videtur improbabile, quòd fuerit ille Ioachim, siue Eliachim, quem suprà num. 3. diximus fuisse Pontificem eo tempore quo contigit hæc Historia; quemadmodum Cardinalis Bellarminus in lib. de Scriptoribus Ecclesiasticis colligit ex his quæ Iosephus lib. 1. Cõtra Apionem non longè à principio scriptum reliquit de illa quæ antiquitus vigebat consuetudine apud Ægyptios & Babylonios, & potissimum apud Hebræos, vt res gestæ Sacerdotibus magnis scribendæ committerentur. FESTVM VICTORIAE IVDITH.

9. Ceterùm, quod suprà dictum est, ipsam Iudith fuisse de tribu Simeon, licet controuersum videri possit, quia aliqui senserunt eam fuisse de tribu Ruben, eo freti argumento, quòd in textu Latino editionis Vulgatæ Iudith c. 8. vers. 1. genealogia eiusdem Iudith videatur non in Simeone, sed in Ruben terminari: dicitur enim ibi; *Qui fuit Simeon, qui fuit Ruben*: nihilominùs longè probabiliorem esse censemus opinionem eorum, qui putant eam esse de tribu Simeon; quandoquidem c. 9. vers. 2. ipsamet Iudith apertè profitetur, patrem suum fuisse Simeonem, hoc est, stirpem suam à Simeone deriuatam. Nec potest ille Sacer textus de vllo alio Simeone accipi, quàm de filio Iacob, qui olim vltus fuerat violationem sororis suæ Dinæ à Sichem alienigena perpetratam, vt ibidem haud obscurè indicatur. Et prætereà; quia certum est quòd inter filios Ruben nullus reperitur, qui dictus sit Simeon, vt patet legenti textum Genes. c. 46. vers. 9. & 1. Paralip. cap. 5. vers. 3. & sequentibus, vbi nominatim filij Ruben recensiti habentur. Vnde correctiores in hac parte (vt sentit etiam Cardinalis Bellarminus lib. 1. de Verbo Dei cap. 12. ad 12.) videntur esse Græci codices, qui in eiusdem Iudith capitis 8. initio, pro *Ruben* habent *Israel*; & sic quoque reperimus textum illum citari apud S. Fulgentium epistola 2. quæ est ad Gallam, cap. 14. IVDITH QVOD FVERIT DE TRIBV SIMEON.

AB ORBE CONDITO ANNVS 3576. — SEXTÆ MVNDI ÆTAT. ANNVS 39.

1 ANNO regni Xerxis circiter nono, idem Xerxes post aliquot prælia cum Græcis, primum quidem ad Thermopylas feliciter, alia verò tria, nimirũ ad Salamina, deinde ad Plateas, ac demum ad Michalem Asiæ Promontorium, infeliciter gesta; ipse turpiter fugatus, in Asiam siue in Persidem redire coactus est. Et eodem tempore desinit Historia Herodoti, vt sub anno mundi 3456. num. 3. dictum est.

2. Per hæc quoque circiter tempora, videlicet post annos ferè quadraginta ab erecto absolutoque per Zorobabelem templo in Ierusalem, oportet (nescio qua de causa) Zachariam Prophetam, qui inter minores vndecimus est, cùm esset valdè senex, occisum fuisse à Iudæis inter templum & altare, vt traditur Matth. cap. 23. vers. 35. & Luc. c. 11. vers.

QVIS SIT ZACHARIAS OCCISVS INTER TEMPLVM ET ALTARE. TRES OPINIONES. IMPVGNATVR SECVNDA.

vers. 51. Si tamen hæc Euangelij loca de dicto Zacharia, vt putat Ribera super c. 1. eiusdem Prophetæ; non autem de filio Ioiadæ Pontificis, vt credidit S. Hieronymus super capite Matth. citato; neque de patre S. Ioannis Baptistæ, vt sentit Cardinalis Baronius sub anno Christi 1. accipienda sunt. Extant enim de hac re tres istæ opiniones. Quarum secunda quam tenuerunt etiam Beda & alij, modicam sanè videtur habere probabilitatem: nam reuerà ille Zacharias fuit filius Ioiadæ Pontificis (vt expresse habetur 2. Par. c. 24. vers. 21.) non autem Barachiæ, vt is de quo agitur in nostro textu Euangelico. Lectio namque illa Euangelij Nazaræorum à S. Doctore adducta, quæ habet, *filium Ioiadæ*, ab Ecclesia Catholica recepta non est. Quòd autem pater dicti Zachariæ fuerit binominis (vt quidam arbitrati sunt) probari nullo modo potest. Nec in his difficultatibus dissoluendis confugiendum est cum S. Doctore ad vocabulorum interpretationes, puta, quòd *Barachias* significet *Benedictus Domini*, & Sacerdotis Ioiadæ iustitia Hebræo nomine demonstretur; sed standum est in littera memoratorum Euangelistarum, quæ ad excludendum Zachariam filium Ioiadæ, addidit, *filium Barachiæ*. & ad hunc distinguendum ab illo Zacharia filio Barachiæ, cuius meminit Isaias cap. 8. vers. 2. subiecit: *Quem occidistis inter templum & altare*. si tamen Zacharias ab Isaia memoratus fuit alius ab eo, qui inter Prophetas minores vndecimo loco ponitur: nam sunt qui putant non fuisse diuersum, sed eumdemmet; præsertim cùm vterque dicatur filius Barachiæ; & (vt videre est apud Leonem Castrum super loco Isaiæ citato) creditur ibi Isaias prænuntiasse, surrecturos post se Vriam Sacerdotem, & prædictū Zachariam Prophetam, qui duo posteà speciatim inter alios Prophetas fideliter testificari ac comprobare debebant eadem omnia, quæ tunc ipse Isaias de aduentu Christi vaticinabatur. Non etiam certum est, quod vbi suprà supponit S. Hieronymus, videlicet, quòd loco Paral. allegato dicatur, illum Zachariam fuisse occisum inter templum & altare: quia ibi tantummodò dicitur lapidatus in atrio domus Domini. Ex quo genere mortis probabilius fit, fuisse occisum in atrio exteriori, in quo nō erat altare, quàm in interiori, in quod laicis ingredi non licebat. His adde, quòd Dominus videtur illis verbis, *A sanguine Abel iusti, vsque ad sanguinem Zachariæ*, &c. sicut, à primo iusto occiso incepit, ita in vltimum terminare voluisse, vt sic omnes qui præcesserant comprehenderet. Nàm alioquin, cur post Ioiadæ filium occisos, puta Isaiam, Ieremiam, Ezechielem, & alios, quorum sanguis iustus iniustè effusus, venit super Hebræos, præterire debuerit, nulla rationabilis causa afferri posse videtur: siquidem (vt dicitur Apocal. cap. 6. vers. 9.) omnes animæ interfectorum propter verbum Dei iustam expetunt de interfectoribus vindictam. Ex quibus omnibus patet, hanc de filio Ioiadæ expositionem, nullatenus Euangelij locis antè notatis adaptari posse; quippe quæ præter nomen Zachariæ nihil habeat quod eis conuenire queat.

IMPVGNATVR TERTIA.

3. Tertia opinio de Zacharia patre S. Ioannis Baptistæ, quam sequuntur etiam Cardinalis Toletus, & alij, quamuis videatur bellè admodum accommodari posse his quæ dicebat Dominus Pharisæis, & aliquot veterum Patrum testimoniis posse fulciri; vt propterea existimem tam facilè à viris alioquin doctissimis fuisse receptam. Attamen negari non potest, quin originem duxerit non ab aliqua certa probataque veteri traditione, sed (vt ipse S. Hieronymus testatur) ex quibusdam Apocryphorū somniis. Et licet certum sit, in Apocryphorum libris interdum etiam aliqua vera reperiri solere; non tamen inde sequitur, quòd id de quo nunc agimus verum sit, præsertim cùm inter somnia computatum S. Doctor tam asseueranter expresserit; & reuerà mirum videri possit, de tanto piaculo, in loco tam sacro, & in persona tam sancta, quam vniuersus populus benè nouerat diuina etiam visione fuisse dignatam, si tempore Christi accidisset, quòd non dicam sancti Euangelistæ, sed neque Iosephus, neque Philo, neque Hegesippus illis temporibus vicini, quidquam meminerint. Nec refert quod S. Iudas in sua Catholica protulerit ex libro Apocrypho Prophetiam Henoch, quæ verissima est; quia veritas illius confirmatur ab Auctore qui eam citat, qui Canonicus est, & in hoc errare non potuit; quod non militat in Patribus illis, qui vnus post alium simpliciter, & sine vlla rei discussione Apocrypho Auctori credidisse videntur; & in hoc proculdubiò errare potuerunt. Illud quoque non leuiter indicat, prædictos Patres hac in opinione esse deceptos, quòd tametsi, vt dictum est, crediderint patrem S. Ioannis Baptistæ fuisse occisum; tamen in assignando eius occisionis auctore & causis, inter se non benè conueniunt; & multa dicunt quæ vel falsa sunt, vel de falsitate admodum suspecta. Nam quòd aiunt, dictum Zachariam ideò fuisse occisum, quia Matrem Christi etiam post partum receperit in loco virginum inter templum & altare posito, volens per hoc indicare, eam adhuc esse virginem: quis credat Zachariam adeò fuisse simplicem, vt tale quid homini-

bus

bus illius temporis persuadere se posse confideret? Et quis non aduertit, omninò falsum esse, quòd locus ille virginibus assignatus, esset inter templum & altare medius? necessariò enim fuisset in atrio Sacerdotum positus, quod proculdubiò erat laicis viris ac feminis omnibus interdictum. Sed & quis nesciat, ex sacro Euangelio manifestè haberi, Matrem Christi post partum mansisse iugiter cum suo sponso Ioseph, primò in Bethleem; deinde facta Ierosolymis purificatione legali, parumper in Nazareth, mox in Ægypto, ac demum rursus in Nazareth; & quòd communiter vbique credebatur de dicto viro suo genuisse? Cùm ergo verissimum sit, quòd (quemadmodum ait S. Lucas cap. 2. vers. 39.) *vt perfecerunt omnia secundùm Legem Domini, reuersi sunt in Galilæam in ciuitatem suam Nazareth.* certè oportet Christi Matrem vix semel cum dictis virginibus potuisse cibum sumere, nedum cum ipsis diutiùs morari. Hoc si verum est, vnde, quæso, colligunt isti, quòd recipere tantisper nuptam in loco virginibus destinato, aut ab eo illam non arcere, esset crimen morte puniendum? Item quòd quidam aiunt, Zachariam fuisse occisum, quia Saluatoris prædicabat aduentum, non videtur credibile. Nam si non solùm Iudæi, sed etiam Samaritani (vt patet Ioan. cap. 4. vers. 25.) sciebant Messiam esse venturum, eumque communibus votis expectabant; quomodo verisimile est, quòd occiderint Sacerdotem, quia diceret eum iam venisse? Cur non potiùs occidere debuissent S. Ioannem Baptistam, qui non solùm Messiam venisse testabatur, verùm etiam præsentem digito demonstrabat? Sed si putabant eumdem Messiam futurum Regem magnum, ac redempturum Israelem de manibus Gentium; quî fieri potest vt vererentur ne (quemadmodũ tradit Cyrillus Alexandrinus aduersus Anthropomorphitas) in dicti Regis potestatem & imperium ipsi deuenirent? Prætereà si verum est, quod Baronio referente scribit S. Petrus Martyr Alexandrinus, videlicet, causam occisionis Zachariæ fuisse, quòd filium suum Ioannem, qui ab Herode quærebatur ad necem, in quadam spelunca occultasset, & prodere noluisset; certè hoc nihil faceret ad id quod in Euangelio Dominus intendebat, nimirum, in homicidia, non Herodis, sed Iudæorum inuehere. Adde, si placet, illud quoque pium inuentum; quod isti ad eiusdem Zachariæ necem confirmandam narrant, dicentes, in templi ruinis adhuc saxa indelebili ipsius Zachariæ sanguine mirabiliter conspersa reperiri. Quod sanè miraculum potuit quidem Tertullianus, & si qui sunt alij id memorantes, ex aliorum relatione referre; sanctus verò Hieronymus, propriis vtique potuisset oculis inter altaris templique ruinas inspicere, si vera res relata fuisset; neque hoc simplicitati credentium tribuisset. Igitur ex his quæ hactenus dicta sunt, inferre possumus, tertiam hanc opinionem, tametsi valdè probabilis esse visa sit, non tamen firmo prorsus niti fundamento: quandoquidem quæ tamquam vera supponit & asserit, puta quòd S. Ioannis Baptistæ pater fuerit filius Barachiæ, & quòd occisus fuerit inter templum & altare, siue ab Herode, vt quidam asserunt, siue à Iudæis, vt alij; hæc inquam omnia ex nullo Sacro textu, certáve ac probata veteri traditione, sed ex facili quorumdam credulitate profecta videntur.

4. Remanet examinanda prima opinio, quæ fuit etiam S. Ioan. Chrysostomi & aliorum, quòd scilicet iste fuerit Zacharias Propheta, qui initio Prophetiæ suæ apertè se filium Barachiæ fatetur. Et hæc quidem opinio, ni fallor, mihi ceteris probabilior esse videtur: nam licet S. Hieronymus vbi suprà dixerit, quòd temporibus Zachariæ Prophetæ vix ruinæ templi (videlicet Salomonis) extabant; quibus verbis proculdubiò voluit indicare, quòd tunc illud templum necdum à Zorobabele fuerat reædificatum, & consequenter non potuit ipse Zacharias occidi inter templum & altare: nihilominùs ex Sacris libris oppositum non obscurè colligi potest, nimirum, quòd adhuc viuente ipso Zacharia dictum templum iam esset reædificatum. Nam certum est, eumdem Zachariam (vt ipsemet testatur initio Prophetiæ suæ) prophetare cœpisse anno Darij Regis Persarum secundo, quando scilicet templi ædificatio, quæ primis Cyri temporibus inchoata fuerat, & posteà per plures annos intermissa, denuò resumpta fuit, vt manifestè colligitur ex collatione eorum quæ habentur Esdræ c. 4. in fine, & in principio sequentis. Certum quoque est, ipsum Zachariam quædam prophetasse etiam dicti Regis Darij anno quarto, vt constat ex eiusdem Zachariæ c. 7. vers. 1. & templum fuisse completum anno sexto prædicti Darij, vt expressè traditur. 1. Esdræ c. 6. vers. 15. Quis ergo non videt, Zachariam Prophetam potuisse etiam multò post expletum templum superuiuere, & tandem occidi inter templum & altare? præsertim cùm sit admodum probabile, ipsum non in postremo senio, sed circa trigesimum vitæ annum, hoc est in ætate perfecta (vt solebant alij) prophetare cœpisse; & neque ex Scripturis sacris, neque ex vllo alio probato Auctore probari possit, ipsum intra illud biennium ante absolutam tem-

CONFIRMATVR PRIMA.

pli fabricam ex humanis excessisse; quin potius ex SS. Epiphanio & Dorotheo in Vita huius Zachariæ constat, ipsum ad vltimam peruenisse senectam. & denique ex ipsismet sacræ Scripturæ locis suprà citatis certum est, verè dici nullo modo posse quod asserit S. Hieronymus, nimirum temporibus dicti Zachariæ vix Templi ruinas extitisse; constat enim, vsque ad tempora Cyri & Altare fuisse ædificatum, & Templum fundatum: Esdræ cap. 3. vers. 2. & 10. & posteà necesse est, idem Templum anno Darij quarto, adhuc viuente & prophetante Zacharia, fuisse magna ex parte erectum: siquidem (vt diximus) anno eiusdem Darij sexto perfectum fuit. Non etiam obstat, quòd ipse Zacharias multò ante tempora Christi vixerit, & propterea non fuerit vltimus iustorum qui occisi essent: quandoquidem quos S. Matthæus loco citato vocat iustos, S. Lucas appellat Prophetas (ipsi enim ferè soli olim iusti censebantur:) certum verò est, Zachariam inter postremos vixisse Prophetas; fuit namque contemporaneus Aggæi & Malachiæ, post quos nullus alius in veteri Testamento legitur surrexisse Propheta. Sed neque Machabæorum temporibus, qui multò posteriores fuerunt, vllum extitisse Prophetam, apertè colligitur 1. Machab. cap. 4. vers. 46. vnde benè potuit Zacharias fuisse vltimus Prophetarum seu iustorum veteris Testamenti, qui occisus fuerit. Neminem verò mouere debet, quòd in Euangelio Christus dixerit, *Quem occidistis*, &c. præsentes alloquens, tamquam si ipsi reuerà Zachariam occidissent: quia illa verba rectè possunt accipi ac si dictum esset, Quem generatio vestra, seu maiores vestri occiderunt. siue, Quem vos quodammodò in patribus vestris, tamquam eorum impietatis heredes, occidistis. Simile est illud, quod S. Stephanus Actorum c. 7. vers. 53. præsentibus dicebat: *Qui accepistis Legem in dispositione Angelorum.* quod propriè non ad eos qui audiebant, sed ad eos qui ipsos præcesserant perspicuè referendum est. Denique nemini mirum videatur, quòd dicti Zachariæ occisio in historia veteri scripta non reperiatur; quia (vt aliàs docuimus) non omnia quæ tunc gesta sunt, in ea scripta sunt. Et scimus plurimos veterum librorum temporis iniuria periisse, quemadmodum sub anno mundi 2583. num. 12. ostendimus. Quin etiam certissimum est, quædam in antiquo prætërita, in nouo posteà Testamento fuisse suppleta; vt patet de nominibus maleficorum Pharaonis, Iannes videlicet & Mambres, quæ nomina non nisi 2. ad Timoth. c. 3. vers. 8. prodita inueniuntur. & Actorum cap. 7. vbi antiquæ Hebræorum Historiæ breuiter repetuntur, multa supplentur olim in Moysi libris prætermissa. Non igitur, inquam, mirandum est, si occisio Zachariæ Prophetæ in veteribus libris posthabita, in Euangelio postmodum memorata fuit. Hæc si vera sunt, oportet SS. Epiphanium & Dorotheum esse deceptos in eo quòd dicunt, ipsum Zachariā in vltima senecta obiisse; cùm clariùs dicere debuissent, interfectum fuisse. Puto etiam falli eos, qui gratis, & sine vllo antiquorum testimonio dicunt, hunc Zachariam non fuisse Sacerdotem, & propterea non esse verisimile, quòd occisus fuerit in atrio Sacerdotum; quia Dorotheus in Vita huius Prophetæ expressè asserit ipsum fuisse Sacerdotem, & Sacerdotale munus exercuisse in Ierusalem. Sed etiamsi non fuisset Sacerdos, nónne saltem potuisset, quæsitus ad necem, fugere tamquam ad asylum ad ipsum Altare, & ibidem interfici? Idem namque olim contigisse Ioabo, clarè habemus 3. Reg. cap. 2. vers. 28. & 34. Itaque (ni me mea fallit opinio) crediderim hanc sententiam de Zacharia Propheta inter templum & altare occiso, si non omnino certam, saltem aliis multò esse probabiliorem. Redeamus ad institutum.

AB ORBE CONDITO ANNVS 3583. — SEXTÆ MVNDI ÆTAT. ANNVS 137.

IVBILEVS VIGESIMVS.

1 ANNO regni Xerxis decimosexto oportet incidisse annum Iubilei vigesimi: siquidem dictus Xerxis annus concurrit cum anno introitus filiorum Israel in terram Chanaan millesimo, vt patet in tabulis.

AB ORBE CONDITO ANNVS 3584. — SEXTÆ MVNDI ÆTAT. ANNVS 138.

1 ANNO quinto ante mortem suam Xerxes alteram transmisit aduersus Græcos expeditionem; sed ab ipsis terra marique duce Cimone victus fuit: & exinde secuta est pax inter Persas & Græcos quibusdam conditionibus, inter quas illa dicitur fuisse, vt Persæ in posterum abstinerent à mari Græcorum, quemadmodum refert probatque ex quodam Plebiscito Plutarchus in Cimone.

AB ORBE CONDITO ANNVS 3589. | SEXTÆ MVNDI ÆTAT. ANNVS 143.

1 ANNO regni sui vigesimo primo, secundùm aliquos; vel meliùs (vt ait Scaliger, & nos sub anno mundi proximo num. 1. comprobabimus) vigesimo secundo, iam per quinque circiter menses inchoato, Xerxes ab Artabano Principe militiæ suæ, per fraudem in cubiculo circumuentus occiditur, vt scribunt Diodorus Siculus lib. 11. longè vltra medium, & Orosius lib. 2. c. 11. & alij. Quo facto, idem Artabanus eidem Xerxi per vim in regno successit, annumeraturq; inter Reges Persarum sextus. Verùm post menses septem, hoc est, sub finem eiusdem anni, à Xerxis filio, in vltionem necati patris, & ipse interfectus fuit. MORITVR XERXES. REGNAT ARTABANVS, ET OCCIDITVR.

AB ORBE CONDITO ANNVS 3590. | SEXTÆ MVNDI ÆTAT. ANNVS 144.

1 ANNO igitur postero, qui (vt videre est in tabulis) erat primus Olympiadis septuagesimæ nonæ, regnare cœpit in Perside Artaxerxes Regum Persarũ septimus, qui fuit Xerxis filius, quemadmodum perspicuè tradit Eusebius in Chronicis, & confirmat Diodorus lib. 11. paulò antè citato, vbi ponit initium prædicti Regis in memorata Olympiade, in qua, inquit, Xenophon Corinthius victor extiterat, & insuper ibidem signat annum Consulatus apud Romanos tum currentis, dicens, tunc creatos fuisse Consules A. Virginium & T. Minutium. Sed quod spectat ad hunc Consulatum, puto Diodorum falli; quia neque apud Onuphrium, neque apud Sigonium reperitur hos vno eodemque anno fuisse Consules, sed neque quòd cuiusuis ipsorum Consulatùs inciderit in dictam Olympiadem. Prosequitur deinde Diodorus, narrans quomodo idem Artaxerxes, dicto Artabano patris interfectore interempto, regnum sibi iure hereditario debitum vindicauit. Ex quibus omnibus confirmari potest, quod nos paulò antè diximus; nimirum Xerxem præcedenti anno, qui erat regni eius, vt patet in tabulis, vigesimus secundus, fuisse occisum. Porrò memoratum Artaxerxem Iosephus 11. Antiq. cap. 6. vocat Cyrum; Genebrardus autem suæ Chronologiæ lib. 2. & alij vocant Darium. Quod nescio qua ratione, cùm ipse habuerit fratrem natu maiorem eiusdem nominis, vt scribit Diodorus lib. 11. Nisi fortè idem Artaxerxes, post occisum (ab Artabano deceptus) Darium fratrem, tamquam patris interfectorem; cognita fratris innocentia, & facti pœnitens, Darium se vocari voluerit; vt vel sic quodammodò illum adhuc, vel se loco illius, regnare profiteretur. Et iste Artaxerxes, qui patri suo Xerxi in regnum successit, dictùs est Longimanus, siue quia dextera eius manus læuâ aliquantò longior fuerit, vt ait Plutarchus in Vita Artaxerxis; siue quoniam, vt tradit Strabo lib. 15. vtraque brachia plus iusto longiora haberet, ita vt stans, genua manibus attingere posset. Regnauit autem annis quadraginta, vt sub anno mun. 3629. num. 2. probabitur. REGNAT ARTAXERXES LONGIMANVS.

¶ 2. Sub hoc Rege contigisse historiam Esther, satis probabiliter opinatur Cardinalis Bellarminus lib. 1. de Verbo Dei cap. 7. vbi confutatis eorum opinionibus, qui eamdem sub aliquo ex aliis Artaxerxibus, seu Persarũ Regibus, ponendam putarunt; tandem concludit, fretus inprimis auctoritate Iosephi 11. Antiq. cap. 6. non alium probabiliùs quàm hunc Artaxerxem Longimanum, quem Iosephus Cyrum, alij verò Darium appellant, posse dici fuisse Assuerum illum, qui repudiata Vasthi Regina, duxit pro ea Esther filiam Mardochæi adoptiuam. Verumtamen, quia posito (vt communior Doctorum sententia est, quam & ipse Bellarminus & nos sequimur) quòd iste idem Artaxerxes Longimanus, sit ille qui posteà misit Esdram in Iudæam, & deinde Nehemiam, vt reficeret muros Ierusalem, quemadmodum infrà suis locis dicetur; consequenter militare videntur contra præfatam Bellarmini opinionem tria posteriora Pererij argumenta, quibus lib. 11. in Danielem, impugnat positionem Seueri Sulpitij, existimantis Artaxerxem, qui misit Nehemiam in Iudæam, fuisse illum, qui dictus est Mnemon; idcircò illa hîc referre oportet. AN SVB HOC REGE CONTIGERIT HISTORIA ESTHER.

3. Sunt autem hæc. Primò, Si maritus Reginæ Esther fuisset ille Artaxerxes, qui misit Nehemiam in Iudæam, incredibile esset, finitimos illos populos hostesque Iudæorum, qui erant & ipsi sub imperio Regis Persarum, ausuros fuisse impedire ædificationem vrbis, & tantopere vexare Iudæos, qui propterea cogebantur altera manu tenere PERERII ARGVMENTA CONTRA OPINIONEM BELLARMINI.

nere gladium, & altera ædificare; præsertim cùm iidem Iudæorum hostes scirent Reginam esse Iudæam, & Mardochæum, qui apud Regem primus erat, pariter esse Iudæum; Regemque ipsum de istorum sententia ac voluntate omnia facere: maximè verò, cùm recens adhuc esset tunc memoria cædis innumerabilium pænè hominum, qui, quòd mala Iudæis machinati essent, procurante Esther Regina, & Rege iubente, omnes in variis regni eius prouinciis vno eodemque tempore occisi fuerant. Extabat quoque apud ipsos epistola Regis, ad omnes ditionis suæ prouincias missa, cuius exemplum habetur Esther cap. 16. in qua Rex summum studium beneuolentiamque suam erga Iudæos apertissimè declarabat. Deinde, si Rex ille qui misit Nehemiam, fuisset maritus Esther; vtiq; non per se Nehemias petiisset à Rege facultatē eundi in Iudæam, & reparandi vrbē; sed per Mardochæum & Esther, qui id multò faciliùs impetrare potuissent. Postremò, si ab illo Rege, qui fuit maritus Esther, missi fuissent in Iudæam Esdras & Nehemias; cùm ipsi libros suos conscripserint post id temporis, quo Esther nupta est Regi, & Mardochæus primatū tenere cœpit apud Regem; non est profectò dubitandum, quin ipsi aliquid de tanta Esther & Mardochæi felicitate, eximiisq; eorumdem meritis erga gentem Iudæorum, in suis historiis prodidissent. Hæc ferè ad verbum Pererius. Cui, si nihil aliud officeret, facilè possemus pro Bellarmino sic respondere.

RESPONSIO AD PRAEDICTA ARGVMENTA.

4. Ad Primum, verum esse, quòd finitimi populi ausi sunt impedire Iudæos ab ædificatione murorum. Sed quomodo? quo prætextu? Certè non nisi, Primò leuioribus quibusdam subsannationibus; Nehem. cap. 4. vers. 1. vsque ad 6. Deinde incutientes metum: congregati enim sunt, ac si dimicare voluissent contra ædificantes; at vt viderunt eos ad resistendum paratos, protinus ab impugnatione cessarunt, vt videre est ibidem vers. 7. vsque ad finem capitis. Mox ad dolos & insidias conuersi sunt: simulabant namque velle percutere fœdus cum Nehemia, vt facerent ei malum, quemadmodum traditur cap. 6. vers. 1. & 2. id est, vt ipsum ab operis progressu disturbarent. Postremò, vbi priora nihil proficere intellexerunt, ad minas & calumnias deuenientes, dicebant exisse famam in gentibus, quòd Iudæi rebellare vellent à Rege Persarum, & proinde metropolis suæ muros extruere festinarent; & quòd ipse Nehemias volebat se facere Regem Iudæorum, & hac de causa posuisset Prophetas, qui prædicarent de ipso in Ierusalem, quòd Rex in Iudæa esset; ideò improperabant ipsi Nehemiæ dicti populi, dicentes: *Auditurus est Rex verba hæc*, &c. Nehem. cap. 6. vers. 7. Item submiserunt qui dicerent eidem Nehemiæ, quia venturi sunt nocte vt interficiant te: ibidem vers. 10. In summa, lege totum Nehemiæ librum, & nihil aliud inuenies actum fuisse contra Iudæos, nisi hæc, & prædictis similia. Quæ quidem omnia non ad alium finem tendebant, nisi vt terrerent Iudæos, & à structura murorum desistere compellerent, quemadmodum apertè dicitur cap. citato vers. 9. Atque hæc & eiusmodi alia faciebant, prætextu accepto conseruationis Imperij Regis Persarum: videbant enim se non aliter impunè Iudæis, quibus infensi erant, nocere posse, nisi sub isto velamine. Itaque scientes nihil magis suspectum Regibus esse, quàm ne populi, præsertim qui non procul à regni finibus habitant, cùm sua loca benè muniri satagunt, defectionem moliri intendant; occultabant malitiam suam, simulantes zelare indemnitatem & securitatem status ac dominij Regis. Sed cur, quæso, non sunt ausi vim inferre Iudæis, & reipsa eorumdem ædificationem interrumpere? aut pugnare aduersus ædificantes? aut eis quidquam mali inferre? Cur saltem toties intentatas accusationes non scripserunt Regi, sicuti priùs fecerant temporibus Cambysis & Darij Hystaspis, vt suis locis dictum est? Cur econuersò Iudæi non sunt veriti præparare se armis ad dimicandum, si opus fuisset, contra turbantes murorum fabricam? Cur potiùs non intermiserunt opus, quemadmodum fecerant tempore Cyri? Cur saltem ipse Nehemias non aliquando pertimuit minas, calumnias, insidias illorum? Nisi fortè, quia omnes, tam Iudæi quàm hostes eorum, sciebant Regem admodum benè affectum esse erga Iudæos; vt palàm facere poterant litteræ ipsius ad omnes regni sui prouincias transmissæ: idcircò maximè fidentes esse poterant Iudæi, præsertim scientes, se causamque suam sub potenti Reginæ Mardochæique protectione positam esse; illi verò contrà, ab eadem Regina & Mardochæo valdè poterant pertimescere, ne ipsis procurarent interitum, prout anteà ceteris Iudæorum hostibus fecerant. Ecce quomodo illa Samaritanorum audacia, eorumdemque contra ædificantes molimina, modis suprà expositis temperata, nihil prohibent quò minùs credi possit, Esdræ Nehemiæque historias potuisse contingere sub illo Persarum Rege, qui fuit maritus Esther; quæ etiā potuit esse Regina illa, cuius, suppresso nomine, fit mentio Nehem. c. 2. vers. 6.

5. Ad

5. Ad alterum Pererij argumentum dici posset, quod Nehemias, qui valdè exoptabat patriæ suæ reparationem, post fletum, & ieiunium, & orationem, quorum ipse meminit initio libri sui, dignis de causis, non per Reginam & Mardochæum procurauit obtinere licentiam reficiendi Ierosolymæ muros, sed eam ipse potiùs, Deo inspirante, petiit, opportuna præsertim sibi à Rege oblata occasione, quando percontatus est eum Rex, cur palleret vultus eius, &c. quemadmodum legitur Nehem. cap. 2. vers. 2. Quamquam cogitari etiam possit, rem fortasse priùs inter ipsos fuisse concertatam, & prudenter quidem noluisse Reginam Mardochæúmve rem proponere, veritos ne fortè Regis animum offenderent; sed maluisse vt ipse Nehemias, pro temporis opportunitate, exploraret sensum Regis; vt ipsi posteà possent, vel placare ei Regem, si commotum viderent; vel meliùs iuuare ac promouere negotium, si illud Regi non prorsus ingratum esse animaduerterent.

6. Ad Tertium (quod, vt diximus, est etiam argumentum Sulpitij & Eusebij contra Iosephum) responderi posset, Primò, in libris Esdræ aliquam fieri mentionem Mardochæi, nimirum 1. Esdr. cap. 2. vers. 2. & 2. Esdr. cap. 7. vers. 7. & fortè etiam, vt diximus, Reginæ Esther, Nehem. cap. 2. vers. 6. licet ibi nomen eius non exprimatur. Deinde, etiamsi nihil prorsus de historia Esther in libris Esdræ reperiretur, non id tamen mirum videri deberet: quandoquidem certum est, Scripturam sacram sæpenumerò præterire aliqua locis propriis, quæ posteà vel alibi obiter, vel alicubi seorsum de industria supplet. Possent eiusmodi sexcenta propemodum adferri exempla; sed pro nunc, his paucis contenti erimus. Lege totum Nehemiæ librum, & nullam prorsus inuenies in eo fieri mentionem illius tam insignis miraculi, quod sub ipso contigerat in Iudæa, Ignis sacri videlicet olim absconditi, & mox reperti sub forma cuiusdam aquæ crassæ, quæ posteà mirabiliter iterùm versa est in ignem, ipso Nehemia ac vniuerso pariter populo inspectante. Quis vmquam credidisset, tam grande miraculum, & ad manifestandam Dei gloriam adeò accommodatum, ab Esdra seu ab ipso Nehemia in Commentariis suis omnino fuisse præteritum? & tamen ita est: quemadmodum & eodem modo de Bibliotheca sacrorum librorum per eumdem Nehemiam Ierosolymis constructa, ipse nihil prorsus meminit. In calce quoque lib. 4. Reg. & 2. Paralip. & similiter in Ierem. cap. 39. & 52. vbi Ierosolymæ expugnatio, & vrbis templique desolatio describitur, nullum fit verbum Arcæ, Ignis sacri, Tabernaculi fœderis, Altaris incensi, aliarumque rerum sacrarum, quas Ieremias in monte Nebo translatas in quadam spelunca occultarat: sed de his, & de prædicto ignis miraculo quod Nehemiæ temporibus accidit, & de Bibliotheca ab eodem parata, breuiter obiterque posteà actum est 2. Machab. cap. 1. & 2. Præterea, liber Iudicum nihil tangit de historia Ruth, quæ tamen contigit in diebus vnius Iudicis, vt patet in initio libri Ruth: neque libri Regũ quidquam tangunt de historia Tobiæ, quæ tamen proculdubiò temporibus ipsorum Regum acciderat. Cur hoc? quia nimirum de his seorsum libri conscripti sunt. Quare non est mirandum, quòd idem de historia Esther fieri potuerit.

7. Itaque tametsi, vt hactenus probatũ est, argumenta Pererij nihil obstent, quò minùs historia Esther sub Artaxerxe Longimano poni possit; nobis tamen aliis de causis multò probabilius videtur, id non esse faciendum. Nam maritus Esther videtur ferè ab initio regni sui regnasse super prouincias viginti septem, ab India vsque ad Aethiopiam, quemadmodum colligi potest ex primis libri Esther verbis: at verò Longimanus, in prioribus regni sui annis non videtur potuisse tot prouinciis imperare, si vera sunt quæ sub anno mundi 3572. num. 4. diximus, videlicet, quòd Xerxes Longimani pater plurimas amiserat prouincias, & præsertim duas ceteris insigniores, nimirum Mediam & Assyriam, ab Arphaxad & Nabuchodonosor occupatas. Deinde, quia post necem Xerxis, quando scilicet inter Artabanum eius interfectorem & ipsius Xerxis filios grauis illa de regno Persarum exorta est contentio, quam breuiter describit Iustinus in ipso lib. 3. initio; Aegyptij (vt scribit Diodorus lib. 11. sæpiùs citato) audita morte Xerxis (quem communi Regum Persarum nomine ibi vocat Artaxerxem) & quibus periculis quantoque tumultu res Persicæ fluctuarent; ad libertatem vindicandam ea occasione accensi, confestim instructo exercitu, & Rege sibi delecto, à Persis defecerunt, cunctis eorum Quæstoribus ac Prætoribus eiectis; quæ causa fuit, vt per multos posteà annos idem Artaxerxes Longimanus contra Aegyptios & Græcos, qui in auxilium eis venerant, bellum gerere coactus fuerit, vt citatus Auctor ibidem prosequitur. Quare non est credendum, quòd Longimanus potuerit intra duos primos regni sui annos recuperare tot tantasque prouincias, quæ tum à patre suo, tum à se defecerant; & regnare

QVOD HISTORIA ESTHER NON SVB LONGIMANO CONTIGERIT.

ab India vſque ad Aethiopiam, quemadmodum de marito Eſther diſertè traditur in Sacro textu proximè citato. Sed neque Ioſephi auctoritas 11. Antiq. c. 7. quam in hoc caſu Bellarminus plurimi facit, nos, vllúmve alium mouere debet; cùm præſertim certum ſit, eumdem Ioſephum in capite præcedenti tripliciter erraſſe; Primò, quia ponit Nehemiæ hiſtoriam ſub Xerxe, qui (quemadmodum ſub anno mundi 3568. num. 2. probatum eſt) non expleuit annum regni vigeſimum ſecundum; ipſe autem Nehemias libri ſui cap. 5. verſ. 14. apertè teſtatur, ſe manſiſſe in Iudæa vſq; ad annum trigeſimum ſecundum regni illius Artaxerxis, qui miſerat eum in Ieruſalem. Deinde, quia idem Ioſephus ibi etiam aſſerit, Nehemiam miſſum fuiſſe in Iudæam anno Xerxis vigeſimo quinto; quod ex cauſa proximè memorata fieri nullo modo potuit: & prætereà id apertè reluctatur tribus ſacræ Scripturæ locis; nimirum 2. Eſdr. cap. 1. verſ. 1. & cap. 2. verſ. 1. & clariùs cap. 5. verſ. 14. ex quibus locis ſimul collatis colligi poteſt Nehemiam miſſum fuiſſe in Iudæam anno Artaxerxis vigeſimo. Tertiò demum, quia dicit Ioſephus, Nehemiam conſumpſiſſe in extruendis Ieroſolymæ muris annos duos & menſes tres; cùm tamen Nehem. cap. 6. verſ. 15. hæc ad verbum ſcripta legantur: *Completus eſt autem murus vigeſimo quinto die menſis Elul, quinquaginta duobus diebus.* Itaque ſi Ioſephus, tametſi ſui temporis Sacerdos, & rerum populi Iudaici antiquarum peritiſſimus, in collocanda deſcribendaque hiſtoria Nehemiæ, toties in vno eodemque capite deceptus eſt; quis miretur, eumdem in aſſignando quoque tempore Regeque ipſi Eſther errare potuiſſe? Ceterùm, ſi quis quærat, ſub quonam Rege Perſarum eadem hiſtoria Eſther ponenda ſit, ſub anno mundi 3650. num. 1. dicendum erit.

AB ORBE CONDITO ANNVS 3595. | SEXTÆ MVNDI ÆTAT. ANNVS 149.

ARTAXERXES STATVIT MITTERE ESDRAM IN IVDAEAM.

1 ANNO regni ſui ſexto (circa anni medietatem, vt ex infrà num. 4. dicendis apparebit) prædictus Artaxerxes cognomento Longimanus, (Deo ſpecialiter ipſum ſeptemque pariter eius conſiliarios inſpirante, vt colligi poteſt Eſdr. cap. 7. verſ. 27. & 28.) de eorumdem conſiliariorum ſuorum ſententia decreuit mittere Eſdram in Ieruſalem, vt inſtauraret augeretque in templo ibidem iam reædificato cultum Domini; & vt etiam viſitans Iudæam ac Ieruſalem, totum Iudaicum populum regeret, ac diligenter inſtitueret in Lege Dei ſui, doceretque ſeruare mandata Domini. Erat autem Eſdras Sacerdos, vt patet ex genealogia eius, quæ ab ipſomet Eſdr. cap. 7. verſ. 1. vſque ad 6. deſcribitur, deduciturque vſque ad Aaron: & inſuper erat Scriba in Lege Moyſaica doctiſſimus, & conſequenter ad alios inſtruendos aptiſſimus: & per hoc diſtinguitur iſte Eſdras ab alio, ſiue ab aliis duobus eiuſdem nominis (ſi tamen fuerunt inter ſe diuerſi) quorum alter 2. Eſdr. c. 12. verſ. 1. recenſetur inter Sacerdotes qui aſcenderunt in Ieruſalem cum Zorobabel & Ioſue, alter verò verſ. 13. inter eos qui erant in diebus Ioacim: iſti enim ſimpliciter appellantur Sacerdotes, noſter autem Eſdras ibidem verſ. 26. appellatur Sacerdos & Scriba: præterquam quòd illi regnante Cyro de Perſide venerant, iſte verò ab Artaxerxe miſſus eſt Ieroſolymam. Porrò, vt ea ad quæ mittebatur meliùs præſtare poſſet, dedit eidem Eſdræ Rex priuilegium ampliſſimum, cuius exemplum refertur Eſdræ cap. proximè citato verſ. 12. vſque ad 27. in quo ante omnia Rex facultatem facit cunctis Iudæis in regno ſuo commorantibus, vt liberè poſſent, qui vellent, cum ipſo Eſdra ire in Iudæam, ibique in patria ſua perpetuò degere, ac legitima ſua obſeruare. Deinde, vt commodiùs honorificentiuſque poſſet exteriorem Dei cultum prouehere atque amplificare, conceſſit ei, vt omne aurum & argentum quod obtulerant Rex & conſiliatores eius, & reliquis de populo in vniuerſa prouincia Babylonis offerre placuerit, liberè acciperet, ferretque in Iudæam, & vaſa item aurea, & argentea, æreaque, data in miniſterium domus Domini, quæ poſteà recenſentur c. 8. verſ. 25. vſque ad 28. ac traderet omnia in conſpectu Domini in Ieruſalem: necnon vt de eadem pecunia emere poſſet vitulos, agnos, & arietes, aliaque ad hoſtias Domino immolandas; & in ſumma, eamdem pecuniam expendere in memorato Domini cultu, prout melius ipſi viſum fuerit. Inſuper præcipiebat in eodem diplomate Rex miniſtris ſuis, & arcæ publicæ cuſtodibus, trans Euphraten exiſtentibus, vt protinus & ſine vlla mora darent dicto Eſdræ Sacerdoti de fiſco Regis, ac de theſauris horreiſque eius, quæcumque peteret ad ritum Dei pertinentia, vſque ad argenti talenta centum, frumenti coros centum, & vini batos centum, oleique batos totidem, ſal verò abſque vlla taxatione; ac prætereà, Sacerdotes alioſque templi quoſcumque miniſtros, à vecti-

galibus

galibus aliisque quibusuis oneribus omnino immunes exemptosque facerent, vt sic sacrificiis offerendis, precibusque ad Deum pro salute Regis ac filiorum eius deuotè fundendis, liberiùs vacare possent. Sanè quod attinet ad alteram prouinciæ partem, eidem Esdræ à Rege demandatam, regendi videlicet ac gubernandi Iudaicum populum: vt hoc quoque munus competenter exercere valeret, dedit ei etiam Rex liberam facultatem constituendi Iudices ac Præsides qui iudicarent populum, & ius quoque castigandi ac puniendi tum Legis Domini, tum etiam præceptorum Regis transgressores, pœna mortis aut exilij, vel priuationis bonorum, aut carceris, pro delicti qualitate. Pro quibus omnibus ipse Esdras gratias egit Deo, vt videre est in calce citati capitis.

2. Probabile autem est credere, ipsum Esdram, vtpote qui non solùm erat Sacerdos & Scriba in Lege doctissimus, sed etiam Propheta sui temporis admodum insignis; &, vt creditur, idem qui alio nomine dictus est Malachias, vnus de Duodecim Prophetis minoribus, iuxta quamdam Hebræorum traditionem, quam nonnullorum Patrum, ac præcipuè B. Hieronymi auctoritate, & aliquot item argumentis confirmat Ribera super Malach. cap. 1. num. 3. & 4. Probabile inquam valdè est, eumdem Esdram aliquot ante annos prædixisse Regi vel de perduellibus victoriam, vel ipsorum, & præsertim illius Nabuchodonosor qui regnabat in Niniue, miserabilem quemdam (quemadmodum intolerabilis eius superbia blasphemiæque merebantur,) interitum, & Assyriorum atque Medorum reductionem sub imperio Persarum; si tamen Rex in animum induceret, verum cæli Deum colere, & ab eo opem implorare, quemadmodum fecerant eius antecessores Cyrus & Darius Hystaspis, qui ei templum Ierosolymis ædificari præceperant. Quod cùm fecisset Rex, & tandem hoc eodem anno vidisset Esdræ vaticinia adamussim impleta; & se tanti Dei fauore omnes pænè regni sui prouincias, quæ à patre suo defecerant, recuperasse: vt debitam grati animi ostensionem eidem Deo, sicuti par erat rependeret, prædictum Esdram, tamquam primarium, post Deum, suæ felicitatis auctorem, cum memoratis muneribus & priuilegiis in Iudæam mittere decreuisse; eique mandare, vt ibidem illius summi Dei, à quo tanta beneficia acceperat, cultum ampliùs promouere atque augere curaret: non enim sine præfata, aut simili aliqua præcedente causa, verisimile est, dictum Regem tantam eidem Esdræ potestatem conferre, ac erga Deum quem Hebræi colebant, tantam exhibere pietatem, atque eiusdem Dei intuitu, adeò etiam se beneuolum ipsis Iudæis præstare voluisse.

CVR REX ESDRAM TAM HONORIFICE MISERIT IN IVDAEAM.

3. Eodem igitur dicti Regis anno regni sexto, videlicet in mense Anni sacri tunc currentis primo, prima die mensis, cœpit Esdras ascendere de Babylone, vt dicitur 1. Esdr. cap. 7. vers. 9. cum magna exulum Iudæorum multitudine; nimirum cum mille septingentis quinquaginta quattuor viris (vt colligitur ex capite eiusdem libri 8. vers. 1. vsque ad 21.) quos cum Principibus familiarum, qui ibidem recensentur, congregauit ad ostium cuiusdam fluuij decurrentis in Ahaua, siue (vt exponunt Iosephus & Glossa ordinaria) in Euphraten; vbi morati sunt tribus diebus, expectantes, si qui alij ad ipsos confluerent. Videns autem Esdras, quòd inter ipsos deessent Leuitæ & Nathinæi, quorum ministerio opus esse videbatur ad augendum cultum Domini in Ierusalem; misit quosdam de Principibus familiarum ad requirendos ex ipsis quoque plurimos: quibus adductis, prædicauit Esdras ieiunium & afflictionem coram Domino, ad impetrandam ab eo bonam itineris directionem, & diuinam ab hostibus ac viæ insidiatoribus protectionem. Postremò consignauit diuisitque aurum atq; argentum, & vasa Domino consecrata, duodecim Sacerdotum Principibus, quos ad eadem deferenda delegerat; & subinde promouerunt à flumine Ahaua, siue Euphrate, duodecimo die mensis primi, vt pergerent in Ierusalem: 1. Esdr. cap. 8. vers. 1. vsque ad 31.

QVANDO ESDRAS CVM SVIS DE BABYLONE EXIERIT.

4. Dixi, hæc eodem dicti Artaxerxis anno sexto gesta esse: quia licet 1. Esdr. cap. 7. vers. 7. legamus filios Israel ascendisse in Ierusalem anno Artaxerxis Regis septimo; nihilominùs, vt arbitror, id non est intelligendum de initio ascensus, sed de fine, id est, non de tempore quo profecti sunt de Babylonia, sed de eo quo peruenerunt in Ierusalem; vt consequenter declarant verba ibidem immediatè subsequentia, quæ sic habent: *Et venerunt in Ierusalem mense quinto, ipse est annus septimus Regis.* quasi diceret, A mense enim Anni sacri quinto cœpit annus septimus Regis. Quod etiam confirmari potest ex collatione eorum quæ dicuntur in principio capitis Nehem. 1. cum his quæ dicuntur in initio capitis 2. nam cap. 1. Nehemias ait se in anno vigesimo Artaxerxis (& loquitur ibi de eodem Artaxerxe, qui priùs miserat Esdram in Ierusalem) in mense Casleu, qui erat Anni sacri nonus, audiuisse afflictionem habitantium in Ierusalem; & hac de causa fleuisse, ieiunasse, & orasse multis diebus, id est tribus ferè mensibus;

PROBATVR TEMPVS SVPRA NOTATVM.

sibus; & cap. 2. subiungit, se eodem anno Artaxerxis vigesimo, in mense Nisan, qui erat Anni sacri primus, obtinuisse licentiam à Rege eundi in Ierusalem, ad muros vrbis reficiendos. Ecce, quòd respectu anni vigesimi eiusdem Regis, mensis nonus Anni sacri præponitur mensi eiusdem Anni sacri primo; ergo oportet idem supponere in aliis annis regni eiusdem Regis; & consequenter credere possumus, quòd annus regni huius Artaxerxis inciperet à mense Anni sacri quinto, quemadmodum planè indicant verba 1. Esdr. cap. 7. vers. 8. paulò antè commemorata. Igitur Esdras cum omni comitatu suo promouit à prædicto flumine Ahaua, die duodecimo mensis primi, hoc est Nisan, vt pergeret in Ierusalem: 1. Esdr. cap. 8. versic. 31.

AB ORBE CONDITO ANNVS 3596. — SEXTÆ MVNDI ÆTAT. ANNVS 150.

ESDRAS QVANDO PERVENIT IN IERVSALEM.

☞ 1 ANNO autem prædicti Artaxerxis Regis Persarum septimo inchoante, die scilicet primo mensis quinti, in ordine ad menses Anni sacri, Esdras cum suis feliciter peruenit in Ierusalem, consumptis in itinere quattuor mensibus integris; siquidem, vt apertè traditur 1. Esdr. cap. 7. vers. 9. in primo die mensis primi cœperat ascendere de Babylone, & in primo die mensis quinti venit in Ierusalem. Quò cùm peruenissent, quieuerunt ibi tribus diebus, ad leuandum itineris laborem: die autem quarta eiusdem mensis quinti, appensa sunt coram Sacerdotibus templi argentum & aurum, & omnia vasa quæ tulerant de Babylone, & oblata in domo Dei, iuxta numerum & pondus omnium, ab Esdra priùs duodecim Sacerdotum Principibus consignata. quæ illicò in templi thesauris descripta fuerunt. Obtulerunt quoque qui de captiuitate redierant, holocausta Domino, quæ loco proximè adducendo recensentur. Et denique Regis edicta consignarunt Satrapis & Ducibus pro Rege cis Euphraten tunc commorantibus; 1. Esdr. cap. 8. vers. 32. vsque ad finem capitis.

ESDRAS DEPLORAT PECCATA POPVLI.

2. Eodem (vt arbitror) anno dicti Artaxerxis septimo, mense Anni sacri tunc currentis nono, die decimosexto, vt ex numero proximo dicendis colligi poterit, Esdras, cùm cognouisset quòd multi ex Iudæis contra præceptum Domini Exod. c. 34. vers. 16. traditum matrimonia cum Gentibus contraxerant, contristatus est valdè; & scissis vestibus, euulsisque sibi capillis ac barbæ pilis, sedit mœrens tota die vsque ad vesperam: hora autem sacrificij vespertini surgens profectus est ante templum Dei, ibique genibus flexis deplorare cœpit peccata populi, & prolixiùs deprecari Dominum illa oratione, quæ habetur 1. Esdr. cap. 9. per totum. Et cùm ad eum multi virorum ac mulierum pariter flentes & pœnitentia ducti confluxissent, ecce vnus nomine Sechenias, vir alicuius auctoritatis in populo, videns adeò piam iustamque mœroris Esdræ causam; subleuare cœpit angustias animæ eius, excitans eum vt surgeret, ac forti animo esset, & pro sua dignitate decerneret congregari populum, & percutiendum esse fœdus coram Domino de vxoribus alienigenis omnino abigendis; pollicitus, se suosque eidem auxilio affuturos. His atque huiusmodi cohortationibus aliquantulùm subleuatus, surrexit Esdras, & adiurauit super hac re Principes Sacerdotum ac Leuitarum, omnemque Israelem, quem repræsentabant Primates eius ibi existentes. Qui omnes simul vnanimiter, præstito iuramento, decreuerunt edictum proferre sub pœna, non parentibus, amissionis omnium bonorum, & exterminationis de populo suo; vt omnes, tridui termino in Ierusalem conuenirent. Et nihilominùs ipse Esdras ingressus cubiculum Ionathan filij Eliasib, non cessabat abstinere à cibo & potu; & lugere transgressionem eorum qui de captiuitate redierant 1. Esdr. cap. 10. vers. 1. vsque ad 8.

PROFERTVR EDICTVM CONVENIENDI IN IERVSALEM.

FIT CONVENTVS, IN QVO SANCITVR VXORVM ALIENIGENARVM REPVDIATIO.

3. Intereà cùm exisset protinus vox & fama memorati edicti in Iuda & Ierusalem, transacto triduo, nimirum die vigesimo prædicti mensis noni, ad formam præcepti Esdræ & seniorum qui in Ierusalem reperti fuerant, conuenerunt omnes viri Iuda & Beniamin in platea domus Domini. Quibus cùm Esdras exprobrasset præfatam transgressionem, denuntiassetque necessarium esse, si iustam Dei iram placare volebant, vt separarent se à populis terræ, & ab vxoribus alienigenis. Cumque omnis multitudo vna voce respondisset, sanxissetque ita omnino esse faciendum; ne totius populi conuentus tunc sub dio diutiùs detineretur, pluuio præsertim atque hiemali tempore valdè incommodo; confestim constituti sunt Principes, quibus demandata est cura conficiendi catalogum illorum omnium, qui talia matrimonia contraxissent, & vt exeuntes compellerent inducerentve illos omnimodis vxores alienigenas repudiare; & sic dimissa est congregatio.

4. Igitur

4. Igitur die primo mensis decimi, exiit ipse Esdras cum familiarum Principibus, qui ad id muneris iam delecti fuerant, & trium mensium interuallo, nimirum à primo die mensis decimi vsque ad primum diem mensis primi (quemadmodum expressè traditur 1. Esdr. cap. vlt. vers. 16. & 17.) facta diligenti inquisitione, inuenerunt omnes qui cum alienigenis vxoribus matrimonia iunxerant; illos videlicet qui nominatim recensentur cap. proximè citato vers. 18. vsque ad finem, & cunctos ad veram pœnitentiam debitamque satisfactionem faciendam induxerunt; vt scilicet abiectis à se vxoribus illicitis, offerrent Domino arietem pro delicto, quemadmodum ibidem dicitur vers. 19. Quæ autem ab hoc tempore ad annum prædicti Artaxerxis vigesimum acta fuerint, Scriptura sacra non meminit.

AB ORBE CONDITO ANNVS 3603. SEXTAE MVNDI AETAT. ANNVS 157.

1 Anno regni eiusdem Artaxerxis decimoquarto, qui fuit annus Vrbis trecentesimus tertius, vt patet in tabulis, Romæ Ap. Claudius & T. Geruntius Coss. designati abdicarunt; & reliquis pariter Magistratibus abrogatis, Decemuiri creati sunt cum imperio Consulari & Regio. Atq; ita secundò mutata est forma ciuitatis, translato imperio ab Consulibus ad Decemuiros; quemadmodum à Regibus antè ad Consules venerat. Sed non diuturna hæc mutatio fuit: siquidem vix triennio pòst, ad duos Consules Imperium rediit: T. Liuius Decad. 1. lib. 3. vbi etiam Decemuiri nominatim recensentur. AD DECEMVIROS ROMANI IMPERII SVMMA TRANSFERTVR.

AB ORBE CONDITO ANNVS 3605. SEXTÆ MVNDI ÆTAT. ANNVS 159.

1 Anno regni dicti Artaxerxis circiter decimosexto, oportet (si tamen vera sunt, quæ sub anno mundi 3461. num. 1. diximus) quòd Abiud anno vitæ (vt videre est in tabulis) quinquagesimo primo circiter exacto, genuerit Eliacim, quemadmodum scribit S. Matthæus cap. 1. vers. 13. ABIVD GENVIT ELIACIM.

2. Eodem anno, qui erat Vrbis conditæ trecentesimus quintus, Romæ tertia regiminis mutatio facta est, à Decemuiris (vt suprà dictum est) iterùm ad Consules. Etenim coactis à S.P.Q.R. Decemuiris abdicare, Consules denuò creati sunt, videlicet, L. Valerius Potitus, & M. Horatius Barbatus. Causam huius mutationis fusiùs narrat Liuius Decad. 1. lib. 3. & ex ipso compendiosiùs referunt Onuphrius & Sigonius in suis Fastorum Commentariis. TERTIA ROMANI REGIMINIS MVTATIO.

AB ORBE CONDITO ANNVS 3609. SEXTÆ MVNDI ÆTAT. ANNVS 163.

1 Anno memorati Artaxerxis Longimani vigesimo, qui concurrit cum anno quarto Olympiadis octogesimæ tertiæ, quemadmodum testantur Eusebius in Chronicis, & lib. 8. de Demonstratione Euangelica, Demonstratione 2. aliquantulùm vltra medium, & Iulius Africanus lib. 5. suorum Annalium, vt refert B. Hieronymus super Daniel. cap. 9. & in nostris quoq; tabulis expressum est; hoc inquam anno, in mense Casleu, qui erat Anni Hebræorum sacri nonus, nuntiatum est Nehemiæ, qui erat pincerna Regis, & tum morabatur in Susis, Regia Persarum, à quodam viro nomine Hanani, qui tum fortè de Iudæa venerat, quòd murus Ierusalem adhuc dissipatus manebat, & portæ eius exustæ, & Iudæi qui de captiuitate Babylonica in patriam redierant, in afflictione magna erant, & in opprobrium vicinis Gentibus: nam, vt ait Petrus Comestor in Historia Scholastica Iudith cap. 6. per dies sustinebant hostium impetus, & noctibus intrabant latrunculi, & implebant plateas cadaueribus occisorum. Quibus auditis, flere cœpit Nehemias miserabilem gentis suæ statum, & ieiunare, & orare multis diebus, id est vsque ad mensem Nisan, vt numero proximo dicetur. Quæ omnia, & ipsius Nehemiæ oratio, habentur Nehem. cap. 1. per totum. NEHEMIAS DEFLET AFFLICTIONEM POPVLI SVI.

2. Eodem anno dicti Regis vigesimo, in mense Nisan, qui erat Anni sacri primus; ex quo patet quòd menses anni Regis valdè dissidebant à mensibus Anni sacri; siquidem in eodem anno Regis vigesimo, mensis Casleu præcedebat mensem Nisan: quoniam NEHEMIAS MITTITVR AD REFICIENDOS MVROS IERVSALEM.

niam, vt sub anno mundi 3595. num. 4. dictum est, annus Regis incipiebat à mense Anni sacri quinto. Igitur cùm aduenisset prædictus mensis Nisan, Nehemias, opportuna sibi occasione oblata, petiit, obtinuitque à Rege facultatem proficiscendi in Ierusalem ad reedificandos muros eius. Et hac de causa impetratis ab eodem Rege litteris ad Duces regionis trans Euphraten, vt traducerent ipsum in Ierusalem; & ad custodem Saltus Regis, vt daret ei ligna ad turres portasque vrbis contegendas; profectus est de Perside, cum principibus militum, & equitibus sibi à Rege traditis, venitque ad Duces regionis trans Euphraten; qui cùm vidissent litteras Regis, contristati sunt valdè (oderant enim prosperitatem Iudæorum.) At verò Nehemias, redditis litteris, profectus est in Ierusalem: Nehem. cap. 2. vers. 1. vsque ad 12.

QVOD NEHEMIAS A LONGIMANO, ET NON AB ALIO MISSVS SIT.

¶ 3. Diximus, Nehemiam impetrasse facultatem instaurandi muros Ierusalem à prędicto Artaxerxe Longimano, qui fuit Rex Persarum septimus: quia tametsi ex sacra Scriptura id probari non possit, vtpote quæ communi tantùm Regum Persarum nomine eum vocet Artaxerxem; & proinde, quis nam fuerit Artaxerxes, variæ fuerint Scriptorum opiniones, aliis cum Iosepho 11. Antiq. cap. 5. existimantibus fuisse illum qui aliter dictus est Xerxes; aliis cum Seuero Sulpitio Historiæ sacræ lib. 2. illum Artaxerxem qui cognominatus est Mnemon; aliis aliter opinantibus: verumtamen his omissis, censuimus cum Iulio Africano (quem teste Pererio lib. 11. in Danielem quæst. 4. secuti sunt grauissimi Auctores, Eusebius, & SS. Hieronymus, Augustinus, Chrysostomus, Theodoretus, item Beda, & Rupertus, & alij) Artaxerxem de quo agitur in libro Nehemiæ, non esse alium, quàm qui dictus est Longimanus. Quòd enim Iosephus loco citato non sit auscultandus, iam satis superque sub anno mundi 3590. num. 7. demonstratum est. Quòd verò etiam Sulpitij opinio non sit admittenda, inde inferri potest, quòd Nehem. cap. 3. vers. 1. habemus, summum Sacerdotem, ipsius Nehemiæ temporibus fuisse Eliasib, qui vt patet Nehem. cap. 12. vers. 10. fuit nepos illius Iosue, qui soluta per Cyrum captiuitate venit cum Zorobabele Duce Iudæorum de Babylonia in Ierusalem. Quare, si poneremus Nehemiam missum fuisse in Iudæam ab Artaxerxe Mnemone Regum Persarum vndecimo; vtique fateri oporteret, intra centum, quinquaginta tres annos, (qui, vt videre est in tabulis, fluxerunt à soluta captiuitate, ad vigesimum annum regni Artaxerxis Mnemonis) vnum tantummodò extitisse summum Sacerdotem inter prædictos Iosue & Eliasib; quod non videtur credibile, præsertim cùm inter præfatum Eliasib & Iaddum, qui Pontificatum tenuit temporibus Alexandri Magni, nimirum intra annos quinquaginta quinque, quos ab anno Artaxerxis Mnemonis vigesimo ad primum Monarchiæ dicti Alexandri fluxisse constat in tabulis, interfuerint duo summi Pontifices, videlicet Ioiada & Ionathan, vt patet loco Nehem. proximè citato. Igitur non potuit ille Artaxerxes, cuius pincerna erat Nehemias, fuisse qui dictus est Mnemon; sed potiùs qui dicitur Longimanus: iste enim, quemadmodum memorati sentiunt Auctores, anno regni sui vigesimo dedit facultatem reædificandi Ierusalem.

VNDE SINT NVMERANDAE 70. HEBDOMADES.

☞ 4. Ab hoc eodem anno huius Artaxerxis vigesimo, credimus numerandas esse septuaginta annorum hebdomades, olim Danieli per Angelum Gabrielem prænũtiatas: Daniel. cap. 9. vers. 23. vsque ad finem capitis. Ita tamen, vt primus ipsarum annus magis concurrat cum anno dicti Artaxerxis vigesimo primo: quandoquidem mensis Nisan, in quo diximus datam fuisse Nehemiæ licentiam reficiendi Ierosolymæ muros, tametsi esset primus Anni sacri mensis, erat tamen nonus anni Regis vigesimi, vt ex suprà num. 2. dictis inferri potest. Quòd autem ab hoc tempore, & non ab alio, numerari debeant dictæ annorum hebdomades; apertè colligitur ex memorata Danielis Prophetia, quam nos sub anno mundi 3516. num. 6. vsque ad 13. exposuimus: vbi inter alia dicitur, ab exitu sermonis, vt iterùm ædificetur Ierusalem, vsque ad Christum Ducem, abbreuiatas esse septuaginta annorum hebdomades. Qui quidem exitus sermonis, non de hoc Danielis, aut alio simili alterius Vatis prophetico sermone intelligendus est: siquidem plures iam diuersis temporibus, de Ierosolyma iterùm ædificanda Prophetiæ exierant, vt videre est apud Isaiam, Ieremiam, aliosq; Prophetas; & tamen à nulla earum numerandæ erant memoratæ annorum hebdomades: sed per *exitum sermonis* proculdubiò accipere debemus publicum alicuius Regis edictum, quo facta sit Iudæis facultas reædificandi Ierusalem. Tria autem eiusmodi edicta seu diplomata regia in libris Esdræ legimus: vnum Cyri, alterum Darij Hystaspis, tertium Artaxerxis Longimani. De secundò nulla est dubitatio, quia nullam prorsus mentionem facit Ierosolymæ ædificandæ, sed tantummodò templi, vt patet legenti cap. 6. 1. Esdræ.

1. Esdræ. De primo autem diplomate, aliqua videtur dubitandi ratio, propter insigne illud Isaiæ vaticinium, quod apud ipsum habetur cap. 45. vers. 13. vbi prædicit Dominus, Cyrum ædificaturum ciuitatem suam, & dimissurum captiuitatem. Verumtamen ibi vel ciuitatem pro templo vsurpatam esse oportet, vel Prophetam non de materiali murorum structura loqui, sed de ciuili ædificatione, quæ fit per ciuium coadunationem & cohabitationem, quemadmodum declarant verba, quæ ibidem de soluenda captiuitate subiunguntur; ac si dicere voluisset: Ipse ciuitatem meam Ierusalem tunc pænè desertam, atque hominibus vacuam, captiuitatis solutione replebit. Etenim si diligenter attendas quæ de Cyri edicto traduntur in fine 2. Paralip. & in principio 1. Esdr. & in eiusdem lib. cap. 6. vers. 3. vsque ad 6. nullibi inuenies datam ab ipso fuisse licentiam ædificandi Ierusalem, sed tantummodò templum. Neque obstant quæ 1. Esdr. cap. 4. vers. 12. 16. & 21. tanguntur de vrbis reædificatione: quia si verum est, quod ibi hostes calumniabantur, nimirum quòd Iudæi tunc etiam vrbem aliquo modo ædificarent; certè id non de expressa Cyri licentia, vt paulò antè probatum est, faciebant. Restat igitur, per *exitum sermonis vt iterùm ædificaretur Ierusalem*, nullum alium posse aut debere intelligi nisi illum, qui exiit à prædicto Artaxerxe Longimano: ipse enim, vt ostensum est, anno regni sui vigesimo talem dedit facultatem Nehemiæ, qui posteà regij huius indulti vigore extruxit (vt sub anno sequenti num. 2. dicemus) mœnia in circuitu Ierusalem, vbicumque ea diruta reperit, idque ad vnguem egit, prout Danieli Angelus prædixerat, *in angustia temporis*, id est, quinquaginta duorum dierum interuallo, cum maxima festinatione & animi angustia, propter imminentia hostium pericula. Neque enim vlli alij legimus Scripturam sacram attribuisse laudem reædificatæ Ierusalem, nisi præfato Nehemiæ, Ecclesiastici c. 49. vers. 15. Ex quibus omnibus perspicuè infertur, prædictas hebdomadas non ab alio quàm à suprà notato tempore fore inchoandas; præsertim cùm difficile non sit, ab eo ad Christum Ducem, inuenire numerum annorum in ipsis septuaginta hebdomadis contentum, vt sub anno mundi 4084. num. 22. declarabitur. Scio non defuisse plurimos, alioqui grauissimos Auctores, cùm veteres tum recentiores, qui aliunde eas deriuandas esse existimarunt: verumtamen hîc non necesse habemus, ipsos singulorumque opiniones recensere atque refellere, cùm id egregiè præstiterint olim B. Hieronymus super Daniel. cap. 9. & nouissimè Pererius libr. 10. in eumdem Danielem; quorum primus, Iulij Africani, Eusebij, Hippolyti, Apollinaris, Clementis Alexandrini, Origenis, & Tertulliani sententias pænè ad verbum recitare contentus fuit: alter verò non modò veterum, sed & recentiorum opiniones septem præcipuas refert, easque optimè confutat, præter à nobis suprà allegatam, quæ fuit Iulij Africani, quem posteà secuti sunt multi ex Patribus, nimirum SS. Hieronymus, Chrysostomus, Theodoretus, & Beda, Rupertus, aliique plures; quorum loca idem Pererius ibidem citat; & insuper totam hanc de septuaginta hebdomadis materiam duobus integris libris, decimo scilicet & vndecimo, cumulatissimè tractat, accuratissimeque absoluit; ad quem libentissimè Lectorem huius difficultatis diligentiùs examinandæ cupidum, remittimus. Illud tantummodò hîc Lectorem commofacientes, quòd licet in sacris Scripturis vocabulum Hebdomadis aliquando septem dies, aliquando septem annos significet, & apud Ecclesiasticos Scriptores interdum variè pro plurium quoque annorum numero vsurpari posse videatur, puta pro septē decenniis, vel pro septies quinquagenis, aut centenis annis: nihilominùs in memorata Danielis Prophetia non videtur aliter sumi posse, nisi in ea significatione, quæ vnum dumtaxat septennium indicat; quemadmodum citatus Pererius vbi suprà probat, & apertè supponit S. Hieronymus, & communiter alij eiusdem Prophetiæ Expositores, quorum sententiam nos sub anno mundi 3516. num. 6. & sequentibus secuti sumus, & nunc quoque sequendam censemus. HEBDOMADIS VARIA SIGNIFICATIO.

5. Eodem anno regni Artaxerxis vigesimo iam ad finem, vt arbitror, appropinquare incipiente, videlicet in mense Anni sacri circiter quarto, qui erat anni Regis mensis duodecimus; Nehemias cum suo comitatu peruenit in Ierusalem. Vbi cùm tribus diebus quieuisset, de nocte consurgens, & clàm cum paucis viris circumiens ciuitatem, recognouit murorum fracturas, interruptiones, & ruinas: mox hortatus est omnes ad mœnia vrbis resarcienda, indicato eis beneplacito Regis; quo audito, animati sunt vniuersi, atque alacriter præparauerunt se ad opus: Nehem. cap. 2. vers. 11. vsque ad finem capitis, iuxta partitionem quæ descripta est in toto cap. 3. NEHEMIAS VENIT IN IERVSALEM.

AB ORBE CONDITO ANNVS 3610. | SEXTÆ MVNDI ÆTAT. ANNVS 164.

1 ANNO primo aduentus Nehemiæ in Ierusalem, qui pæne totus concurrit cum anno regni eiusdem Artaxerxis vigesimo primo, credi potest acta fuisse omnia ferè illa quæ describuntur ab initio Nehem. capitis 4. vsque ad 11. quemadmodum indicare videtur successiua quædam mensium dierumque notatio, quæ ibidem obseruari potest. Itaque die tertio vel quarto quinti mensis Anni sacri, quem quintum mensem diximus fuisse primum anni Regis; necesse est cœptam esse mœnium vrbis ædificationem: id enim ex his quæ de earumdem expletione numero proximo dicemus, euidenter elicitur. cœpta est, inquam, murorum structura, iuxta distributionem ordinemque Nehem. cap. 3. relatum. Quod cùm audissent Sanaballat & ceteri hostes Iudæorum, conati sunt primò subsannationibus, deinde calumniis, & successiuè insidiis, minis, terroribus, atque aliis omnibus quibus poterant modis, impedire ac diuertere eos ab opere; sed frustrà: nam Iudæi, Nehemia Duce, acriter resistentes, & altera quidem manu ædificantes, altera verò tenentes gladium, & ad dimicandum, si opus esset, parati, totis viribus instabant operi; neque ab illo retrahi, aut vel tantillum dimoueri vmquam potuerunt, donec illud perficerent, vt latè traditur cap. 4. per totum, & cap. 6. vers. 1. vsque ad 15.

INCIPIT STRVCTVRA MVRORVM IERVSALEM.

2. Eodem anno regni Artaxerxis vigesimo primo, die vigesimo quinto mensis Elul, qui erat Anni sacri sextus, expletus est murus in circuitu Ierusalem, quinquaginta duobus diebus, vt apertè legimus Nehem. cap. 6. vers. 15. ex quo loco manifestè apparet, verum esse quod numero præcedenti diximus, nimirum, extrui cœptum fuisse die tertio mensis quinti: nam viginti septem dies eiusdem mensis, & viginti quinque sequentis, efficiunt memoratos quinquaginta duos. Qua in re impletum ad litteram fuit Danielis vaticinium, quod habetur cap. eius 9. vers. 25. illis verbis: *Et rursum ædificabitur platea, & muri in angustia temporum.* Nemini autem mirum videatur, quòd tantæ vrbis mœnia tam breui temporis interuallo expleri potuerint; quandoquidem credibile est, quòd quando euersa fuerant, ipsorum fundamenta remanserint, & quòd non omnino & vbique omnia solo æquata, sed pluribus dumtaxat in locis vastata, interrupta, ac diruta essent; vt clarè colligitur Nehemiæ cap. 1. vers. 3. vbi dicitur, quòd murus fuerat dissipatus: & clariùs cap. 5. vers. 7. & cap. 6. vers. 1. vbi habetur, quòd murus qui erat interruptus, fuerat continuatus. Et idem confirmari potest ex eo, quòd in toto cap. 3. vbi describitur instauratio portarum, nulla fit mentio portarum Ephraim, & Anguli. Cur? nisi quia ipsæ non egebant reædificari, tamquam minimè à Chaldæis læsæ. Quin etiam in eodem capite, ex multis portis ibidem, vt infrà num. 5. apparebit, commemoratis, aliquæ nullatenus denuò refectæ dicuntur, vt patet vers. 26. de porta Aquarum; & vers. 28. de porta Equorum; & vers. 30. de porta Iudiciali. Igitur manifestè apparet, non omnes portas fuisse dirutas; & ex satis probabili consequentia inferri posse videtur, neque totum murum in circuitu vrbis omnino fuisse disiectum. Quare neque opus fuit fundamenta iacere, neque vbique parietes erigere, & portas de nouo ædificare; sed sparsim plura reficere, resarcire, continuare, reintegrare, ac restituere. Ad quæ peragenda, tam multa hominum millia vicissim ac sedulò diu noctuque cum summa festinatione ac sine vlla intermissione totis viribus incumbebant; ipso in primis Nehemia operis zelantissimo, & fratribus suis pariter opus tanta sollicitudine & assiduitate vrgentibus, vt ne propria quidem vestimenta noctu deponerent, sed ad baptismum dumtaxat nudari vix possent. Quod ipsemet Nehemias de se suisque apertè testatur in calce capitis 4. Huc accedit, non esse credendum, opus fuisse priùs conficere & coquere lateres, saxaque de montibus excidere, atque ad fabricæ loca deferre; sed hæc tum ad cæmenta, tum ad calcem conficiendam, de ipsiusmet Ierosolymæ ruinis celeriter fuisse collecta, vt ex his quantocyùs muros extruere valerent; alioquin certum est, quòd non tam citò ædificium tam grande potuisset absolui.

EXPLETVM EST AEDIFICIVM MVRORVM IERVSALEM.

3. Verùm hîc, vt faciliùs quæ de eorumdem murorum instauratione, Nehemia procurante, facta traduntur 2. Esdr. cap. 3. capi queant; necessarium videtur, quædam breuiter de antiqua huius celeberrimæ vrbis positione, situ, portis ac muris præmittere, ac deinde etiam eius descriptionem aliquatenus effigiare, spectandamque præbere. Et primò quidem, quoniam notum est ipsam in montibus fuisse positam, dicente Psalmista, *Fundamenta eius in montibus sanctis*; scire debemus, quòd antiquitus tota illa ciuitas

DE VRBE IEROSOLYMA.

DE MONTIBVS IN EA CONTENTIS.

ciuitas (vt ex Iosepho alibi quoque, sed præcipuè lib. 6. de Bello cap. 6. colligi potest) quattuor montes seu colles intra suum ambitum complectebatur: quorum primus Sion, alter Moria in Scripturis sacris nuncupatur; tertius Acra, & quartus Bezeta apud Iosephum vocari solent. Dixi *antiquitus*; quia deinde, Adriano Imperatore, etiam mons Caluariæ, & alter collis nomine Goreb, muris circumdati, atque in ipsa ciuitate inclusi fuerunt, quemadmodum de Caluariæ monte tradit Iacobus de Vitriaco Patriarcha Ierosolymitanus lib. de Conquesto Terræ sanctæ, apud Brocardum par. 1. cap. 7. vers. 44. relatus: & de colle Goreb, apparet in Ierosolymæ veteris imagine apud Villalpandum tertio Tomo inserta. Porrò superior vrbis pars montem Sion occupabat; & hæc magis propriè Sion, & ciuitas Dauid, quòd ab ipso ibidem extructa fuisset, & ciuitas superior dici consueuerat. Inferior autem quæ aliquanto maior erat, & olim Salem, posteà Ierusalem dicta est, totum collem Acra nuncupatum continebat: ita vt, quemadmodum asserit Iosephus initio citati capitis, ferè tota vrbs super duos hos colles condita esset, contrariis frontibus semet inspicientes, interueniente valle discretos. Olim autem eadem vrbs non vallibus solùm, sed etiam duobus aliis montibus seu collibus pænè tum inhabitatis, nempe Moria & Bezeta, quodammodò dirimi videbatur: sed vnita postmodum fuit, quando in monte Moria Salomon Templum ædificauit; & Bezeta, quæ Latinè Noua ciuitas interpretatur, eiusdem Salomonis tempore (vt fertur) habitari cœpta est, occasione videlicet artificum operariorumque pænè innumerabilium, quos idem Salomon ad ipsam Templi fabricam extruendam conduxerat; pro quorum habitatione, plurima ibidem primò tabernacula, humilesque casas, & rustica ædificia necessariò conficere oportuit: posterioribus autem temporibus muris item cinctam fuisse, colligi potest ex his quæ Iosephi capite adducto habentur. Sed de horum montium situ non omnino conuenit inter Auctores: nam Arias Montanus in sua Antiquæ Ierusalem Icnographia, libello Nehemias inscripto adiecta, ponit montem Sion in latere vrbis Occiduo sese extendentem ab Aquilone ad Meridiem: montem verò Moria in parte Australi, habentem ab Oriente Bezetam; & Acram partim quidem ab Ortu, sed multò magis ad Aquilonem. Alij autem ponunt montem Sion in latere ciuitatis Australi, Moria in Orientali, Bezetam in Occidentali, & Acra magis ad Aquilonem: quorum opinionem, tamquam ex Vitriaco vbi suprà, & Brocardo, aliisque oculatis testibus desumptam, magis probandam putamus. Sanè isti montes olim inter se vallibus admodum profundis seiuncti erant; succedentibus verò temporibus paulatim iugis nonnihil humiliatis, vallibusque repletis, aliquatenus complanata vnitaque ciuitas fuit: siquidem *Salomon*, vt dicitur 3. Reg. cap. 11. vers. 27. *coæquauit voraginem ciuitatis Dauid patris sui.* Hanc Iosephus vbi suprà Tyropœon appellat, quæ separabat ciuitatem superiorem ab inferiore. Et mons Moria, qui prius erat pænè acutus, arduus, & præruptus, ab eodem Salomone primò, mox ab aliis paulatim aliquantò humilior ac latior redditus est, vallesque eius impletæ, vt nos sub anno mundi 3923. num. 9. & 10. ex Iosepho retulimus. Et posteà item, Simone Machabæo Principatum in Iudæa tenente, mons in quo Macedonum arx aliquamdiu manserat, complanatus fuit; ita vt nihil obstaret, quò minùs Templum omnibus in vrbe locis celsius esset, quemadmodum tradit Iosephus lib. 13. Antiq. cap. 11. in fine; & capite de Bello superiùs adducto ait, quòd *qua tempestate Asamonæi* (sic enim appellat Machabæos) *regnabant, & vallem aggeribus repleuerunt vt templo coniungerent ciuitatem, & Acræ altitudinem cæsam, humiliorem fecerunt, vt ex ea quoque fanum superemiuens cerneretur.* Quo fit vt posteà vrbs sita videretur è regione templi, theatrali specie, quemadmodum idem Auctor tradit 15. Antiq. cap. 14. circa medium.

DE EORVMDEM MONTIVM SITV.

QVOMODO ALIQVATENVS COMPLANATI.

4. Ceterùm, hæc ciuitas, Iosephi tempestate (vt ex eius descriptione, quæ lib. 6. de Bello cap. 9. habetur, apparet) trinò muro circumdata erat, nisi quà vallibus inuiis cingebatur. Proptereà ciuitas superior à Meridie, & Oriente, & Occidente vnius tantùm muri habebat ambitum, ab Aquilone verò, præter proprium, duobus quoque aliis quodammodò claudebatur; videlicet vno paruo, qui Bezetam à Septemtrione dumtaxat ambiebat; & altero maiori, qui tria inferioris vrbis latera, nimirum ab Aquilone, Oriente, & Occidente circuibat. Et iste quidem tertius murus nonaginta turres habebat; medius verò in quattuordecim, & antiquus in sexaginta diuisi erant. Hæc ex Iosepho; qui proculdubiò murum antiquum vocat illum, qui superiorem; medium, qui Bezetam ab Aquilone muniebat; tertium verò, qui inferiorem ciuitatem, & antiquo iunctus, medium quoque murum continebat; & hunc tertium dicit habuisse nonaginta turres ab inuicem distantes per cubitos ducentenos; & tandem concludit,

DE IEROSOLYMAE MVRIS AC TVRRIBVS.

DE IPSIVS AMBITV.

quòd omne totius ciuitatis in gyro spatium, triginta tribus stadiis finiebatur. Cuius dictum simpliciter & absolutè, prout verba ipsa quæ clara sunt significant, accipiendum puto; & propterea ab eodem vrbis gyro non esse excipiendum vel montem Sion, seu ciuitatem superiorem, vt putat Brocardus Parte 1.cap.7.§.44. vel ciuitatem inferiorem tamquam aliquando suburbij nomine indicatam, vt credit Villalpandus in suo Apparatu vrbis lib. 2.cap.10. quia expresse Iosephus loco citato de vtraque vrbis parte copulatiuè sumpta loquitur. Neque ex partialibus illis murorum mensuris ibidem memoratis, aliter arguere debemus: quia illæ cubitorum & stadiorum mensuræ, cùm non semper fuerint vniusmodi apud omnes nationes & Scriptores, ac etiam per omnes ætates, ita accipi debere videntur, vt propè accedere valeant ad efficiendam summam in conclusione positam: quod vtique fieret, si quingentos & quadraginta quinque cubitos vnius stadij mensura ibidem vsurpari diceremus. Etenim ducenti cubiti, qui in singulis turrium interuallis fuisse dicuntur, nonagies replicati, faciunt cubitos 18000. & quingenti quadraginta quinque cubiti singulis stadiis contenti, tricies & ter ducti, eamdem ferè efficiunt cubitorum summam, nempe 17985. Quod autem ex Iosepho dictum est de nonaginta turribus in circuitu Ierusalem; non est credendum quòd tot etiam fuerint Nehemiæ temporibus: quia constat postea alias ab aliis, præsertim ab Herode fuisse extructas, de quibus disserit idem Iosephus 6.de Bello cap.6. Sanè extra muros vrbis plurimis iisdemque, præsertim ab Austro, profundissimis vallibus, ac aliis deinde montibus & collibus circumdabatur, iuxta illud Psalm. *Montes in circuitu eius.* Erant verò præcipui; ab Oriente, mons Oliuarum tribus collibus distinctus: ab Occidente, mons Gihon, & mons Caluariæ, & collis Goreb: ab Austro, Haceldama: & ab Aquilone, alij colles humiliores. Vtrùm autem omnes memorati tres muri ante ipsius Nehemiæ tempora extiterint, & ab ipso fuerint resarciti, incertum est. Probabilius tamen videtur, medium murum vel non extitisse, vel nequaquam tunc fuisse restauratum, quòd ad muniendam ciuitatem tunc parùm conduceret; & magis expediret, in illis præsertim temporum angustiis, reficere muros qui totam extrinsecus clauderent ciuitatem, vt vel sic ab hostibus quamprimùm tuti esse possent.

DE EIVSDEM PORTIS. 5. Quod attinet ad huius vrbis portas, multas sanè in sacris Scripturis memoratas inuenimus, præsertim 2.Esdræ cap.3. nimirum versic.1. porta Gregis, & vers.3. porta Piscium, & vers.6. porta Vetus, & vers.13. porta Vallis, & vers.14. porta Sterquilinij, & vers.15. porta Fontis, & vers.20. porta Eliasib Sacerdotis magni: ex quo loco quidam eliciunt, inter portas vrbis fuisse vnam, quam vocant, Palatij Pontificis, sic dictam, quòd eidem Palatio proxima esset. & vers.26. porta Aquarum, & vers.28. porta Equorum, & vers.30. porta Iudicialis. & insuper cap.12. vers.38. fit mentio portæ Ephraim, & portæ Custodiæ. Meminit quoque Scriptura sacra 4.Reg.cap.14.vers.13. portæ Anguli, siue (vt dicitur Zachar.cap.14. vers.10.) Angulorum; & Ierem. cap.19. vers.2. portæ Fictilis; & cap.20.vers.2. portæ Beniamin superioris; vnde inferri potest, extitisse aliam eiusdem nominis inferiorem. & cap.36.vers.10. portæ Nouæ: verùm hæc non erat porta vrbis, sed templi, vt ibidem, & suprà cap.26.vers.10. idem Propheta exprimit. & hanc Carthusianus ibidem, putat esse portam illam Templi sublimissimã, quæ à Ioatham Rege Iuda ædificata dicitur 4.Reg.cap.15.vers.35. Item Ierem.c.39.vers.3. memoratur porta Media, & vers.4. porta existens inter duos muros; & Sophoniæ c.1. vers.10. porta Secunda, quamuis hęc creditur eadem fuisse cum illa, quam Ieremias vbi supra vocat portam Mediam. Et has omnes portas oportet Nehemia viuente extitisse: siquidem certum est citatos Auctores sacros, qui de ipsis mentionem fecerunt, fuisse ipso Nehemia antiquiores. Præter memoratas Ierosolymæ portas, Iosephus libro 6.de Bello cap.2.& 5. obiter meminit portæ Turrium muliebrium; & cap.6. portæ Genath, & portæ Essenorum. Et alij his addunt portam Auream, & portam Dauid, & portam Negotiatorum, & portam Horti Regis, & portam Fontis draconis. Ecce

DE NVMERO PORTARVM. quot portæ. Verùm his non obstantibus, dicimus, haud satis constare quotnam reuerà fuerint Ierosolymitanæ vrbis portæ: quia certò scire non possumus, num omnes & singulæ, quæ in Sacro eloquio recensitæ inueniuntur, essent inter se diuersæ: & probabilius videtur quasdam ipsarum pluribus nominibus fuisse appellatas; Scripturam verò sacram, vnam eamdemque portam quandoque vno, & interdum altero vocabulo significasse. Non enim credibile est, vrbem, quæ (si magis Iosepho in hoc, vt par est, quàm aliis credimus) non plus quàm triginta tria stadia in suo ambitu habebat, tot portis fuisse circumdatam: pręsertim cùm porta Noua, vt dictum est, potiùs fuerit

porta

porta Templi,quàm vrbis; & fortè etiam porta Custodiæ, vt numero proximo dicemus:& certum sit,quòd quædam ex hisce portis non immediatè ducebant extra ciuitatem; sed aliquæ ab vrbe superiori ad inferiorem,& econuersò: plures enim portas inter easdem insigniores vrbis partes extitisse necessarium videtur, & alias item in muro distinguente Bezetam ab Acra.Tales portæ fuisse creduntur,porta Beniamin superior, & porta Media siue Secunda,& eiusmodi aliæ. Vnde non mirum est,si de vero portarum numero circa eamdem vrbem existentium variant Auctores: nam Adrichomius ponit in circuitu Ierusalem portas tredecim, & Villalpandus facit eas duodecim, & Brocardus (qui vixit longè post tempora Adriani,sub quo eamdem vrbem valdè dilatatam fuisse numero præcedenti diximus) part.1.cap.7.§.45.octo dumtaxat suo tempore portas Ierosolymis extitisse testatur,& ferè singulas plurimis nominibus appellatas: nam portæ Piscium,inquit, etiam porta Dauid, & Negotiatorum, dicebatur; & porta Vetus,etiam Iudiciorum; & porta Fontis Siloë, etiam porta Aquarum; & porta Ephraim, etiam Equorum; & porta Anguli, etiam Beniamin: & fortè suspicari quis posset,portam Sterquilinij,quia iuxta Brocardum erat in humiliore vrbis parte sita, & fortè ducebat ipsa quoque ad desertum Beniamin, eamdem fuisse cum ea quæ porta Beniamin inferior dici consueuerat; quamuis Villalpandus putet fuisse diuersas, & portam Sterquilinij eamdem faciat cum ea quam Iosephus vocat portam Essenorum. Addit insuper Brocardus,quòd porta Gregis dicebatur quoque porta Vallis, & porta Fontis draconis; sed (vtcumque hæc appellaretur Brocardi temporibus) certum est, portam Vallis,Nehemia viuente,fuisse diuersam à porta Gregis; siquidem hanc reædificauit Eliasib Pontifex,illam verò Hanun & habitatores Zanoë, vt apertè traditur 2.Esdr.cap.3.vers.1.& 13.Portam quoque Gregis Lyranus putat dictam quoque fuisse portam Negotiatorum, & Villalpandus eamdem facit cum ea quam Iosephus vocat portam Genath.Sed has Adrichomius facit inter se diuersas. De aliis verò portis quæ ab aliis Auctoribus addi solent,præterquam quòd fieri potest, vt etiam ipsæ significent portas aliis vocabulis in sacra Scriptura nuncupatas, insuper probari non potest, quòd Nehemia Duce extiterint.

9. Verumenimuerò,de harum portarum situ non parum inter se dissident Auctores.Nam Brocardus & qui ipsum sequuntur,dicunt portam Piscium ac portam Veterem fuisse ciuitati ad Occidentem; & portam Anguli ad Orientem, in ea tamen muri parte quæ flectere incipiebat ad Aquilonem: portas verò Sterquilinij, & Gregis, & Aquarum,contra Austrum; & portam Ephraim ad Aquilonem. At Villalpandus Tomo tertio in Ezechielem, nonnihil commutato ordine, ponit quidem & ipse portam Ephraim ab Aquilone; sed in eadem quoque Aquilonari parte ponit portam Piscium, & portam Veterem,& item portam Anguli in angulo muri inter Aquilonem & Occasum existente; portam verò Sterquilinij ad Occidentem,& portas Gregis & Aquarum ad Orientem.Sed de postremis hisce duabus portis,si res accuratiùs introspiciatur,nulla videtur restare inter memoratos Auctores dissensio: quia quamuis Brocardus dicat eas fuisse ad Austrum, addit tamen easdem fuisse super torrentem Cedron, quem ab Ortu ciuitatem alluisse nemo ambigit.Vnde etiam Brocardi sectatores,in Orientali vrbis tractu eas locare solent: & insuper de porta Aquarum, ipsa quoque Scriptura sacra 2.Esdr.cap.3.vers.26.& cap.12.vers.36.manifestè ait ipsam fuisse ad Orientem. Puto autem has duas portas ita in Orientali vrbis muro fuisse fabricatas, vt tamen ad Austrum spectarent (quemadmodum etiam in graphide intueri licebit) quò sic viæ quæ de ipsis procedebant,quia non poterant rectà tendere ad torrentem Cedron, propter rupem arduam interiacentem, obliquè secus ipsam sensim commodeq; descenderent. Itaque tota fermè difficultas remanet de porta Piscium,& de porta Veteri, quas Brocardus ponit ad Occidentem,Villalpandus verò ad Aquilonem, & de porta Anguli, quam iste locat in Angulo Occidentali & Aquilonari, ille verò in angulo Aquilonari & Orientali; & demum de porta Sterquilinij,quam Brocardus in latere Orientali, Villalpandus autem in Occidentali extitisse contendit. Et hoc postremum etiam elicere nititur ex his quæ traduntur Nehemiæ cap.12.vers.31.vsque ad 39. vbi de duobus illis virorum choris agitur, qui mœnium dedicationem celebrantes, ordinatè deuoteque circumeuntes laudabant Dominum. Putat namque citatus Auctor ibidem tradi,quòd ambo illi chori primò quidem simul conuenerint ad portam Sterquilinij,ibique ab inuicem separati,alter ad vnam vrbis partem,alter ad alteram procedentes, tandem sibi inuicem occurrerint in porta Gregis.Et hoc posito, colligit ipsam Sterquilinij portam ex diametro fuisse oppositam ipsi portæ Gregis, & æqualiter tam ad dexteram quàm

DE HARVM SITV.

ad læuam euntibus,distasse ab ea; ac propterea non posse poni in latere Orientali, in quo erat porta Gregis,sed in Occidentali eidem opposito esse locandam. Quoniam autem ab ipsa Sterquilinij porta non multùm aberat porta Anguli, ideò hanc quoque in capite eiusdem lateris Occidentalis vbi cum Aquilonari copulatur,ponendam censuit. Et quia item ex cap. Nehemiæ citato vers.38.colligit,alterum ex memoratis choris progressum esse à porta Sterquilinij ad portam Ephraim (quam diximus omnium consensu in latere Aquilonari extitisse) & inde gressu continuato transisse ad portam Antiquam,& mox ad portam Piscium; ideò has quoque duas portas in eodem latere Aquilonari collocauit.Sed certè verba citati capitis valdè obscura sunt, ita vt ex ipsis nō tam inferri posse videantur prænarratæ Villalpandi positiones, quàm aliæ ab his diuersæ.Non enim necessariò videtur consequi,portam Sterquilinij fuisse è directo oppositam,& vtrimque æquidistantem à porta Gregis; tum quia non vterque chorus dicitur circuitum suum terminasse in porta Gregis, vt paulò pòst dicemus; tum etiam quia fieri potest quòd Nehemias,vtpote vir discretissimus,vidēs in illo conuentu plures extitisse admodum senes atque imbecilles, tantoque itineri impares, quos tamen non decebat tali consortio ac deuotione priuare; non æqualem vtrique choro viam assignare voluerit,sed longè breuiorem illi,quo cum Esdras aliique seniores atque imbecilliores proficiscerentur: contrà verò longiorem alteri,in quo ipse cum aliis robustioribus incedere statuerat. Quod si verum est,potiùs oportet portam Sterquilinij, vt sentit Brocardus,& in latere vrbis Orientali,& non valdè procul à porta Gregis extitisse. Quin etiam ad huius sententiæ confirmationem addimus, ex eodem Sacro textu potiùs colligi,binos illós choros non in porta Gregis obuiàm factos, sed chorum Nehemiæ,circuita maiori parte ciuitatis,ingressum esse per portam Gregis; alterum verò, qui longè minus viæ confecerat,etiam vltra portam Gregis transisse vsque ad portam Aquarum,& per eam venisse ad Templi latus Occiduum, vbi vterque chorus simul conuenientes in porta Custodiæ,steterunt in Domo Dei. Per quod etiam videtur ibidem insinuari,portam Custodiæ,non vrbis,sed vnam de portis Templi Occiduis fuisse,tametsi alij aliter sentiunt.Porrò iste ingressus vnius chori per portam Gregis, & alterius per portam Aquarum,ideò factus creditur,vt sic vterque chorus totum quoque Templi murum circumdare posset,cuius pars Orientalis inter easdem Gregis & Aquarum portas extendebatur.Hæc si vera sunt, videtur in situandis Ierosolymæ portis, posse nos quoque cum multis aliis Brocardi sententiam recipere; præsertim cùm ipse testetur,portam Sterquilinij sic fuisse nuncupatam,quòd per ipsam,vtpote humiliori loco positam,omnes vrbis sordes defluerent in torrentem Cedron; & certum sit, eumdem torrentē ab Oriente extitisse; & quòd (vt idem Brocardus part.1.cap.7.§.43. ait) tota ciuitas contra Orientem & Aquilonem,quasi in decliui montis latere pendebat: & magis rationi consentaneum videatur,in his quæ sacræ Scripturæ non aduersantur, maiorem oculatis testibus fidem adhibere quàm aliis. Ex alia verò parte obstare videtur cōtinuata illa (vt putat Villalpandus) narrationis series portarum reædificatarum, quæ describitur in toto Nehemiæ cap.3.vbi,vt suprà num.5. dictum est, post portam Gregis proximè memoratur porta Piscium,ac dein successiuè porta Vetus,porta Vallis, porta Sterquilinij,porta Fontis, porta Aquarum, porta Equorum, & porta Iudicialis: quæ portarum dispositio non videtur competere illi,quæ apud Brocardi sectatores describi effigiarique solet.Verumenimuerò,quia de ordine ibidem à Nehemia seruato dubitari meritò potest,an sit referendus ad murorum partes ædificandas ita, vt ibi Nehemias cœperit à porta Gregis, & inde continuato totius vrbis circuitu, tandem ad eamdem redierit, quod certe magnam videtur præseferre probabilitatem, & pluribus ostendere nititur Villalpandus: an verò maluerit Nehemias ibidem tenere ordinem ædificantium, ideoque exorsus ab Eliasib summo Sacerdote,tamquam à digniori, successiuè gradatimque ad alios minùs nobiles deuenerit, vsquequò tandem desineret in artifices & negotiatores,quemadmodum apparet in littera. Non enim obstant quæ in eodem Nehemiæ cap.vers.8.dicuntur de Eziel aurifice, & Anania filio pigmentarij: quia (vt ait Vatablus,& ipsemet comprobat Villalpandus) ibi Aurificis & Pigmentarij nomina,non muneris,sed familiæ fuisse credenda sunt: cùm probabile non sit, aurifices & pigmentarios inter principes viros fuisse commemoratos. Potuit ergo forsitan Nehemias (vt dictum est) magis ordinem ædificantium in eo capite prosequi voluisse, & singulis,pro ipsorum facultatibus,assignare portas partesque murorum quæ reparatione indigebant,nullo habito respectu quòd prioribus essent vel non essent continuæ,aut parum multùmve ab eis distarent: id enim nihil referre videbatur, modò

singulæ

ſingulæ partes reficiendæ ſingulis ædificatoribus aſſignatæ eſſent, & vnicuique pro viribus operæ impenſæque diſpertitæ. Nam & huic opinioni fauere videtur Textus ſacer, qui in recenſendis portis ac mœnium partibus, quandoque dicit, *Et iuxta eos ædificauerunt*, &c. quandoque verò per quoſdam, vt ita dicam, ſaltus, tranſitum facere videtur ab vna vrbis parte ad aliam, nulla prorſus addita continuationis circumſtantia, vt legenti fit manifeſtum: tametſi tandem ad portam Gregis, vnde cœperat, redire ac deſinere videatur, vt indicet ſe nihil in toto vrbis circuitu reparandum reliquiſſe. Cùm itaque dubium valdè ſit, quænam fuerit ibidem primaria Nehemiæ intentio; neque conuinci omnino poſſe videatur, quo ordine in ſua narratione proceſſerit: propterea ad quæſitum de duplici portarum diſpoſitione ſuperiùs propoſita, quænam magis ſit recipienda; dicimus, quòd poſito priori ordine, proculdubiò oportet portas eo modo quo Villalpandus putat, & in ſua graphide expreſſit, fuiſſe diſpoſitas. Si verò ſupponamus, alterum ex memoratis ordinibus à Nehemia fuiſſe obſeruatum; nihil vetat admittere, eaſdem portas ita fuiſſe locatas, ſicut alij putarunt. Nam ſic quoque poterat alter chorus continuato ciuitatis circuitu à porta Sterquilinij peruenire ad portam Ephraim, & inde ad portam Veterem, mox ad portam Piſcium, & denique ad portam Gregis, vt videtur indicari Nehemiæ cap. 12. verſ. 38. Propterea nos, vt omnibus ſatiſfiat, operæpretium facturos exiſtimauimus, binas hîc Ieroſolymæ, vt erat Nehemiæ temporibus, imagines ſubiungere; alteram ad Brocardi & ſectatorum eius, alteram ad Villalpandi mentem accommodatas; atq; in ſingulis ædificantium nomina propriis locis adnotare: id enim ad tertij Nehemiæ capitis intelligentiam ſufficere poſſe videtur. De cetero, ſinentes vnumquemque pro arbitrio, quam maluerit ex duabus hiſce deſcriptionibus deligere & ſequi.

IEROSOLYMÆ, CVRA NEHEMIÆ DVCIS INSTAVRATÆ, DESCRIPTIO, AD MENTEM

BROCARDI, VILLALPANDI.

7. Redeamus nunc ad historiam. Postquam autem ædificatus est murus, & valuæ sunt portis appositæ; veritus Nehemias ne fortè Ierusalem ab hostibus occuparetur, constituit custodes ciuitatis, & iussit portas manere clausas vsque ad calorem solis, Nehem.cap.7.vers.1.vsque ad 4. Et eodem tempore arbitror celebratam esse sollemnem illam mœnium vrbis dedicationem, quæ per recapitulationis figuram posteà describitur Nehem.c.12. vers.27.vsque ad 23. Quod etiam videtur indicasse Iosephus, qui 11.Antiq.cap.5.ad finem capitis ait: *Perfectis muris, Nehemias & populus Deo sacrificauerunt, & octo dies in epulis transegerunt.* Neque prædictis obstat, quòd loco Nehemiæ citato dicatur, ad hoc priùs conuocatos fuisse Leuitas de proximis villis, quas in circuitu Ierusalem sibi ædificauerant; quia id satis citò videtur fieri potuisse. Vel etiam probabile est, Nehemiam prouidè Leuitarum conuocationem tanto priùs anticipasse, vt commodè posteà statim expletis muris præstò esse possent ad eorum dedicationem celebrandam. Porrò mœnium dedicatione peracta, putamus Nehemiam cum reliquis Iudæis ad domorum ædificationes esse conuersum: nam Nehemiæ c.7.vers.4.legimus: *Ciuitas autem erat lata nimis & grandis, & populus paruus in medio eius, & non erant domus ædificatæ.* Nec obstat, in toto eius libro expresse non inueniri, quòd vllas domos ipse extruxerit; quia id videtur posse colligi ex eo quòd ipse à Rege obtinuerat facultatem reædificandi ciuitatem, vt patet Nehem.cap.2.vers.5. Constat autem, nomine Ciuitatis non mœnia tantùm quæ eam sepiunt, verùm etiam domos, quas ciues inhabitare possint, comprehendi. Et præterea non est quòd quis de hac re dubitare debeat: quandoquidem Ecclesiastici cap.49. vers.15. idem Nehemias laudatur, quòd muros vrbis, & portas, ac domos ipse extruxerit. sic enim ibi legimus: *Et Nehemias in memoria multi temporis, qui erexit nobis muros euersos, & stare fecit portas & seras, & erexit domos nostras.* MOENIVM DEDICATIO.

8. Per idem quoque tempus, videns Nehemias vrbem esse quidem satis amplam, sed parum habitatam; fortassis, quoniam qui temporibus solutæ per Cyrum captiuitatis venerant cum Zorobabele in Iudæam, cùm inuenissent Ierosolymam valdè admodum vastatam, elegerunt plurimi ex ipsis potiùs habitare in aliis vrbibus Iuda, quemadmodum haud obscurè innuitur 1.Esdr.c.2.in fine: & de Cantoribus speciatim quoque exprimitur Nehem.c.12.vers.19. propterea, vt huic malo occurreret Nehemias, à Deo inspiratus, congregauit Optimates & Magistratus, ac de eorumdem consilio requisitus inuentusque fuit Liber census eorum qui primò de Babylone ascenderant Duce Zorobabele in Iudæam. Cuius libri tenor per familias populi refertur Nehemiæ cap.7.vers.6.vsque ad 70. & priùs quoque relatus fuerat 1.Esdr. cap.2. per totum; quibus in locis subducitur summa totius populi, quadraginta duo millia trecenti sexaginta, absque seruis & ancillis. Ad hoc autem, vt arbitror, quæsitus fuit dictus Liber census, vt scire possent, quot & quos magis expediret reducere, & inducere vt venirent, ac deinceps habitarent in Ierusalem; & præcipuè ex his qui erant Leuitici generis: videbant enim nihil opportunius esse ad ciuium multitudinem in vrbe citiùs procurandam, nihil magis allicere posse Iudæos, præsertim religiosiores, ad transferendas domos suas in Ierusalem, quàm si viderent ibi diuinum cultum indies magis ac magis augeri. Propterea ipse Nehemias, qui, vt dicitur cap. eius 7. vers.70. & cap.8. vers.9. etiam alio nomine (fortassis Syriaco aut Chaldaico, vt putat Caietanus) vocabatur Athersatha, thesaurum quemdam operis, hoc est in opus quod tunc maximè necessarium erat, expendendum, erigi curauit; nimirum ad domos Sacerdotum ac Leuitarum Ierosolymis fabricandas; atque ad huiusmodi alia prouidenda, quæ ad diuinum cultum conseruandum atque amplificandũ tunc maximè pertinerent. Atque ipse primus omnium dedit in dictum thesaurum auri drachmas mille, phialas quinquaginta, tunicas Sacerdotales quingẽtas triginta. Cuius exemplo commoti Principes familiarum, dederunt & ipsi in eumdem thesaurum auri drachmas viginti millia, & argenti mnas duo millia ducentas. Reliquus autem populus dedit auri drachmas viginti millia, & argenti mnas duo millia, & tunicas Sacerdotales sexaginta septem: Nehem. c.7.vers.70.vsque ad finem capitis. Catalogus verò eorum qui posteà venerunt habitare in Ierusalem, describitur Nehem.c.11.in cuius initio dicitur, quòd Principes populi habitauerunt in Ierusalem; de plebe autem decima tantùm pars, prout sors tulerat; reliquæ enim nouem partes, alias Iudææ ciuitates incoluerunt. NEHEMIAS CVRAT HABITATORIBVS REPLERI IERVSALEM.

9. Mense septimo, primo die mensis, congregatus est vnanimiter (nimirum, vt arbitror, à Nehemia Esdraque inuitatus) vniuersus populus de ciuitatibus suis in Ierusalem, in platea quæ erat ante portam Aquarum, iussitque afferri librum Legis Domini, quem

POPVLVS EX AVDITIONE LEGIS INTELLIGIT DEPLORATQVE SVAS TRANSGRESSIONES.

quem Esdras Sacerdos & Scriba legit de suggestu ligneo, à manè vsque ad meridiem, distinctè & appositè ad intelligendum, id est, vt exponit Caietanus, non solùm distinctè proferendo verba cum debitis punctis; sed etiam vbi opus erat, declarando sensum, & legitimam verborum sententiam, ac genuinum sententiarum intellectum, in auribus totius populi; qui ex auditione Legis propria agnoscens delicta, & eiusdem Legis transgressiones, admodum flere cœpit, Leuitis interim silentium in populo facientibus. Lectione autem expleta, Nehemias & Esdras & Leuitæ contristatum mœstumque consolantes populum illis verbis: *Dies sanctificatus est Domino Deo nostro, nolite lugere,* &c. dimiserunt illum, præcipientes, vt comederent pinguia, & biberent mulsum, ac mitterent partes non habentibus, vt tum diuitibus tum pauperibus esset communis diei illius lætitia.

HEBRAICA LINGVA QVANDO DESIIT ESSE VVLGARIS.

10. Altera autem eiusdem mensis die, Principes familiarum vniuersi populi, cum Sacerdotibus ac Leuitis, iterùm congregati, venerunt ad Esdram, rogantes vt interpretaretur eis verba Legis: Nehem. cap. 8. vers. 1. vsque ad 14. Ex quo loco (quemadmodum colligunt Ecclesiastici Doctores) manifestum fit, Esdræ temporibus Hebraicam linguam iam desiisse Iudæis esse vulgarem; quòd ex longa mora quam duxerat populus in Babylonica captiuitate, proprium pænè oblitus idioma, Chaldaico seu Syriaco communiter vti assueuisset; aut certè patriam locutionem cum Chaldaica adeò miscuisset, vt vulgaris Iudæorum sermo tum valdè impurus, & à prisco diuersus, ac Syriacus magis siue Chaldaicus esset, quàm Hebraicus. Quod etiam indicant aliquot verba, quæ iidemmet Iudæi vsque ad Christi tempora retinuerunt, qualia sunt *Talitha cumi, Abba, Haceldama, Golgotha, Cephas*, & eiusmodi alia, quæ apud Euangelistas reperiuntur, & Syriaca esse, non Hebraica, ex B. Hieronymo de Nominibus Hebraicis, docet Cardinalis Bellarminus lib. 2. de Verbo Dei c. 15. Simile quid in Italia euenisse manifestum est: nam Romanorum temporibus communiter omnes Latino sermone vtebantur: at verò post aduentum Gotthorum aliarumque Gentium barbararum, noua locutio introducta est; nimirum quæ nunc Italica dicitur, ex Barbarorum Latinorumque vocabulis admixtione paulatim exorta; quo fit, vt quæ ab antiquis Italis seu Romanis proprio idiomate conscripta fuerunt, interpretatione nunc egeant. Quoniam autem eo tempore quo Iudæis Esdras Legem Domini interpretabatur, inter alia, præceptum quoque Domini, de festo Tabernaculorum cum ramis palmarum aliarumque arborum celebrando, recitatum est, quod traditur Leuit. cap. 23. vers. 39. vsque ad finem capitis, & Deuter. cap. 16. vers. 13. & 2. Machab. cap. 1. vers. 18. dicitur festum Scenopegiæ, à figendis Tabernaculis sic denominatum, videntes quòd Festi huius celebrandi tempus, nimirum dies decimaquinta mensis septimi, iam appropinquabat; confestim egressus populus, attulit de montibus ramos palmarum, & frondes oliuarum ceterarumque arborum, tetenditque sibi tabernacula in domatibus, hoc est in supremis domorum tectis, quæ apud Palæstinos non culminata, sed plana in modum areæ fieri solebant; & item in aliis locis sub dio existentibus, puta in plateis, & in atriis domorum suarum, ac domus Domini. Itaque

IVDAEI PRAEPARANT SE AD FESTVM TABERNACVLORVM CELEBRANDVM.

SOLLEMNIS SCENOPEGIAE CELEBRATIO.

11. Die eiusdem mensis decimoquinto cœperunt in tabernaculis habitare, & prædictum Festum cum maiori sollemnitate ac lætitia, quàm vmquam anteà fecissent, celebrare: quandoquidem præter ordinaria sacrificia, quæ iuxta Legis ritum quotidie offerebantur, etiam singulis septem eiusdem Festi diebus, Moysaica Lex publicè coram omni multitudine lecta atque explicata fuit; & die octauo, de more etiam alia sollemnitas celebrata est, illa nimirum quæ dicebatur Cœtus seu Collectæ; cuius fit mentio Leuit. cap. 23. vers. 36. Vide latiùs prædicta omnia Nehem. cap. 8. per totum. Ceterùm, quod attinet ad memoratam Legis lectionem; posset forsitan aliquis non incongruè opinari, ideò factam fuisse, quòd eodem tempore incidisset annus Sabbaticus, in quo cunctis ad sollemnitatem Tabernaculorum celebrandam conuenientibus, Deuteronomium legi debere præceperat Dominus Deuter. cap. 31. vers. 10. vsque ad 14. Sed si hoc verum esset, oporteret mensem illum septimum, cuius fit mentio Nehem. cap. 8. vers. 1. non fuisse septimum anni aduentus Nehemiæ in Ierusalem primi; sed tertij, qui coincidit cum anno Sabbatico, vt videre est in tabulis; & consequenter fateri, meliùs super loco Nehem. citato dixisse Caietanum, se nescire cuiusnam anni esset ille mensis; quàm Bedam & Glossam ordinariam, & alios, qui ibidem apertè supponunt, mensem illum fuisse septimum anni expletionis murorum, hoc est anni primi aduentus Nehemiæ in Ierusalem; & à murorum absolutione ad huius septimi mensis initium, in quo ipsius sollemnitates celebrari cœperunt, quinque dumtaxat dies

LEX CVR HOC ANNO LECTA.

dies intercessisse; cùm econtrario Iosephus 11. Antiq. c. 5. dicat, quòd expleto vrbis muro (subaudi, in eius dedicatione) populus sacrificauit, & octo dies in epulis transegit. Verumtamen his non obstantibus, quia adducta Glossæ opinio magis recepta est, & valdè rationabilis; eamdem nos quoque secuti sumus, satis probabiliter existimantes, intra primos quinque dies dedicationis murorum & epularum populi, acta fuisse quæ suprà num. 7. & 8. retulimus; & tunc quidem Nehemiam de vrbe habitatoribus replenda agere cœpisse, verùm superueniente septimo mense, qui ferè totus erat festiuus, & conuenientibus vndique populis vt renouatam viderent Ierosolymam, & ibidem festa Neomeniæ, Tubarum, Expiationis, & Scenopegiæ celebrarent; operæpretium duxisse, priùs dictorum Festorum celebrationi incumbere, & pro viribus curare vt illa, præsertim verò dies Tabernaculorum, sollemniùs celebrarentur; & vt tanti concursus occasione, ignorantem populum Sacerdotes ac Leuitæ, in his quæ ad Legem pertinerent, accuratiùs instruerent; vt vel sic posteà ipse faciliùs plures ad sese domosque suas Ierosolymam transferendas, ibidemque deinceps inhabitandum, posset inducere. Quod deinde factum fuisse, infrà num. 13. dicemus. Itaque prædicta Legis lectio & explanatio, non ratione anni Sabbatici, quem biennio pòst incidisse constat, facta fuit; sed ad maiorem Festi sollemnitatem, & quia tunc maximè populus de rebus ad Legem pertinentibus edoceri indigebat; quippe qui ob longa quæ præcesserant solutæ captiuitatis tempora, pænè omnino eam ignoraret.

12. Per idem tempus, videlicet (vt numero proximo probabitur) dum celebraretur memorata Scenopegiæ festiuitas, vel non multò pòst, credibile est accidisse historiam illam, quæ obiter describitur 2. Machab. cap. 1. vers. 18. vsque ad finem capitis, de Nehemia, qui cùm misisset ad requirendum ignem sacrum, quem olim Sacerdotes (iubente Ieremia, vt colligitur ibidem cap. 2. vers. 1.) quando à Chaldæis subuersa est Ierusalem, absconderant; & loco ignis inuenta fuisset aqua crassa; eamdem super sacrificia & ligna illis supposita iussit aspergi. Quo facto, cùm Sol, qui priùs nube obumbratus videbatur, refulsisset, illicò ignis magnus mirabiliter accensus est, eo ferè modo, quo olim gloria Domini, Moysi ac Salomonis tempestate, in igne apparuerat; quemadmodum prædixerat Ieremias Propheta, vt obiter refertur 2. Machab. c. 2. vers. 8. Sanè prædictus ignis, Sacerdotibus intereà orantibus ac psallentibus, & ipso quoque Nehemia suppliciter orante, sacrificia consumpsit. Et exinde instituta fuit illa Ignis festiuitas quotannis celebranda, cuius meminit Auctor 2. Machab. cap. 1. vers. 18. illis verbis: *Necessarium duximus significare vobis, vt & vos quoque agatis diem Scenopegiæ, & diem Ignis, qui datus est quando Nehemias, ædificato templo & altari, obtulit sacrificia.* Vbi verba illa, *ædificato templo & altari,* tamquam per parenthesim ibidem interposita, accipi debent; ita vt sensus sit, non quòd Nehemias ædificauerit templum & altare, sed quòd templo & altari iam per Zorobabelem ædificatis, ipse Nehemias obtulit sacrificia.

NEHEMIAS MITTIT AD REQVIRENDVM IGNEM SACRVM.

AQVA CRASSA IN IGNEM MIRABILITER VERSA.

IGNIS FESTIVITAS.

13. Porrò ex præallegatis Scripturæ verbis, in quibus iunctim festa Scenopegiæ Ignisque memorantur, satis probabiliter coniectari potest quod numero præcedenti diximus, & aduertit etiam Ribera lib. 5. de Templo cap. 17. nimirum, prænarratam ignis historiam hoc tempore accidisse: vel quando Nehemias cum vniuerso populo celebrabat dies Scenopegiæ, vel continuò post ipsam; & consequenter, prædictum Ignis festum fuisse vel festo Scenopegiæ copulatum, vel proximum. Quamquam fallitur Ribera loco citato, subiungens, sacrificia quæ iussit Nehemias aspergi aqua illa crassa, sine dubio fuisse ea quæ referuntur Nehem. cap. 12. vers. 42. nam si ponit festiuitatem Ignis incidisse vel in diebus Tabernaculorum, vel continuò post ipsos; necessariò infertur, miraculum conuersionis aquæ crassæ in ignem, euenisse aut in ipsa medietate mensis septimi, in qua incipiebat festiuitas Scenopegiæ, aut post; & sacrificia quæ hoc igne consumpta sunt, fuisse facta vel post ipsam Scenopegiam, vel in vno ex septem diebus ipsius: siquidem vt patet Numer. cap. 19. durante Tabernaculorum festo, statuta quædam sacrificia quotidie offerenda erant: at sacrificia quæ loco Nehemiæ citato memorantur, facta fuerunt mense præcedente, nimirum sub finem mensis sexti, in ipsamet muri vrbis tunc expleti dedicatione, quæ ibidem describitur; quemadmodum à nobis num. 3. iam dictum est. Cur autem, si hæc mirabilis apparitio ignis accidit in mense septimo, eius celebritas in Hebræorum Kalendario ponatur in mense nono, nos sub an. mun. 3890. num. 12. dicemus. Ceterùm quæ dicuntur 2. Machab. cap. 1. vers. 33. vsque ad finem capitis, de Rege Persarum, non de Dario Hystaspis, de cuius licentia factum fuerat templum, vt videtur sentire Lyranus; sed de Artaxerxe Longimano

DICTI IGNIS HISTORIA QVANDO ACCIDERIT.

mano acc pienda sunt, sub quo memorata Nehemiæ gesta contigisse ostendimus: qui Longimanus, vt audiuit quæ eidem Nehemiæ acciderant, & de igne mirabiliter ex aqua educto certior factus est, ad eiusdem miraculi honorem seu reuerentiam, fecit ei, hoc est in gratiam ipsius Nehemiæ, siue ipso Nehemia per litteras suadente; fecit, inquam, Deo templum, & multa Sacerdotibus munera plenis, vt aiunt, manibus transmisit. Sed & hoc quoq; quod hîc dictum est de templo, non ita accipi debet, ac si velit significare, prædictum Artaxerxem erexisse templum in illa solitudine in qua inuenta fuerat aqua, quæ posteà in ignem conuersa est, vt nonnulli existimasse videntur: id enim non sustinuisset Nehemias, qui erat vir valdè pius & valdè acceptus Regi, ac cùm benè nosset, non licere apud Iudæos alibi Deo templum extruere nisi in Ierusalem, proculdubiò Regem de ista mente deducere curasset. Neque idem Rex putandus est aliud tunc erexisse Ierosolymis templum ab eo diuersum, quod ibidem sub Dario Hystaspis ædificatum fuerat; sed illud idem iam extructum adeò exornasse ac ditasse, vel etiam (vt legitur in codice LXX. Interpretum) circumsepisse, id est, ad loci tutelam omnes quoque partes eiusdem templi exteriores muris valdè firmis circumdedisse, vt quodammodò ipse Longimanus illud fecisse dici posset. Et hæc omnia per ipsum Nehemiam à Rege facta fuisse credimus, & intra primam medietatem illorum duodecim annorum, quibus ipse mansit in Ierusalem. Vtrùm autem hæc ille Rex fecerit puro ac sincero veræ Religionis affectu, nempe ad honorem summi Dei, qui in eodem templo colebatur; an etiam vana ductùs superstitione Gentis suæ, quæ ignem tamquam Deum venerari solebat; Lectoris prudentiæ diiudicandum relinquitur. nobis potiùs videtur; id illum fecisse magis ad honorem veri ac summi Dei, qui à Iudæis colebatur; vt planè etiam indicare videntur dona eiusdem Dei Sacerdotibus ab eodem Rege tunc collata, & ipsemet Sacer textus, qui non modò de hac re ipsum Regem non reprehendit, sed magis commendare videtur.

ARTAXERXES LONGIMANVS QVOMODO TEMPLVM AEDIFICASSE DICATVR.

TABERNACVLVM, ET ARCA FOEDERIS QVANDO INVENTA.

14. Puto item, satis rationabiliter dici posse cum Melchiore Cano lib. 2. de Locis Theologicis cap. 11. & cum Ribera in Aggæi cap. 1. num. 14. eodem tempore inuentam fuisse Arcam fœderis. Nam licet non sim nescius id à pluribus non probari, & memoratos quoque Auctores dubitanter loqui, eò quòd, hoc posito, nesciant quid de ipsa demum Arca factum fuerit: nihilominùs dicimus, probabile admodum videri, quòd Nehemias eodem tempore quo misit Sacerdotes ad requirendum Ignem sacrum, miserit pariter qui inde asportarent Tabernaculum, & Arcam, & Altare incensi, & alia sacra, quæ ibidem Ieremias (quemadmodum refertur 2. Machab. cap. 2. vers. 4. & 5.) occultauerat. Id namque videtur ex eiusdem Ieremiæ Prophetia ibidem vers. 7. & 8. relata, perspicuè satis colligi posse; vbi prædicit, ignotum fore locum illum *donec congreget Deus congregationem populi, & propitius fiat: & tunc*, inquit, *Dominus ostendet hæc, & apparebit maiestas Domini, & nubes erit, sicut, & Moysi manifestabatur, & sicut cùm Salomon petiit vt locus sanctificaretur magno Deo, manifestabat hæc.* Etenim si huius Prophetiæ verba diligentiùs expendere voluerimus, & qua occasione, quóve tempore prolata fuerint; nimirum, quando populus ducebatur captiuus in Babylonem: certè intelligemus, Prophetam primò quidē corripuisse illos, qui locum in quo res illas sacras condiderat, curiosiùs quàm par erat notare affectauerant: deinde hac arrepta occasione prædixisse, easdem res à nemine inuentum iri, donec Dominus propitiaretur populo. Cui populo, nisi illi qui tunc in captiuitatem ducebatur? (de hoc enim, & non de alio ibidem Propheta loqui videtur) id est, posteaquam soluta eadem captiuitate reduxisset congregassetque eumdem populum in terram Israel, *tunc*, inquit, *Dominus ostendet hæc.* Nam quòd aiunt contrariam sententiam tenentes, hanc non fuisse perfectam Iudaici populi congregationem, quæ Nehemiæ temporibus iam facta erat; sed illam quæ facienda est in fine mūdi, de qua dicitur ad Rom. c. 11. vers. 26. quòd *tunc omnis Israel saluus fiet.* certè probare non possunt, quòd de illa perfectissima & spirituali Israelitarum congregatione loquatur eò loci Ieremias: siquidem id verba eius non indicant; quin potiùs cùm de populi congregatione, & diuina erga ipsum propitiatione, simpliciter & sine vlla vllius verbi additione quæ tale quid innuat, loquatur: & certum sit, quòd Nehemiæ temporibus iam facta fuerat, omnium iudicio, satis magna Dei propitiatio in Israel, & valdè copiosa Iudæorum congregatio in terram suam, sub Cyro semel, & sub Artaxerxe bis; videlicet cum Esdra primò, & mox cum ipsomet Nehemia: equidem planiùs ac simpliciùs hæc Prophetia de hoc tempore quàm de vllo alio accipienda videtur; præsertim cùm illicò ibidem Ieremias, Prophetarum more, signum subiunxerit, dicens, quòd tunc (id est quando hæc implenda erunt) apparebit maiestas

Domini eo ferè modo, quo olim apparuerat Moysi & Salomonis temporibus, nimirum in igne cælitus super sacrificia mirabiliter demisso: & hoc vtique signum tunc, vt dictum est, ipso Nehemia cunctisque inspectantibus ac stupentibus acciderit. Itaque si ex ipsamet sacra Scriptura 2. Machab. cap. 1. constat hanc Ieremiæ Prophetiam sub Nehemiâ fuisse impletam, quoad ostensionem ignis sacri, & manifestationem gloriæ Domini in eodem igne factum, sicuti quando olim Moyses dedicauerat Tabernaculum, Leuit. cap. 9 vers. 24. & Salomon Templum, 2. Paralip. cap. 7. vers. 1. proculdubiò ratio quoque dictat, eamdem Prophetiam tunc pariter impletam fuisse quoad reliqua ibidem prænuntiata; nimirum, quoad ostensionem Arcæ fœderis, & Tabernaculi, aliarumque rerum sacrarum in eodem monte abditarum; præsertim cùm Propheta illis verbis, *Et tunc Dominus ostendet hæc*, satis apertè videatur indicasse, vniuersa illic abscondita vno eodemque tempore à Domino fore ostendenda. Ex his ergo omnibus manifestè apparet, Prophetam illa dictione *tunc* non, vt quidam opinati sunt, Legis Euangelicæ; aut, vt alij, postrema mundi, sed potiùs solutæ captiuitatis tempora ad litteram præsignare voluisse. Nam idem Ieremias cap. 3. vers. 16. vbi de noui Testamenti temporibus agit, nullam Arcæ fœderis memoriam fore prænuntiat dicens: *In diebus illis, ait Dominus, non dicent vltrà: Arca testamenti Domini: neque ascendet super cor, neque recordabuntur illius: nec visitabitur, nec fiet vltrà.* Quæ verba, vt ibidem exponit S. Hieronymus, vel de Apostolorum tempestate, vel de fine temporum, quando subintrante plenitudine Gentium, omnis Israel saluus fiet, rectè possunt intelligi. Sed quorsùm, obsecro, Arcæ fœderis reuelatio in fine mundi, aut nouæ Legis temporibus, quando constat cunctas veteris Testamenti figuras esse impletas, penitusque antiquatas? Nam quòd aiunt, Arcam Dei, quæ 1. Reg. cap. 4. vers. 21. gloria Israel nuncupata fuerat, tempore secundi templi non fuisse manifestatam, ne Iudæi hac gloria, vel potiùs gloriæ vmbra contenti, à vera & sempiterna gloria Christi speranda desisterent: manifestandam verò esse in fine sæculorum, vt certiùs cognoscant Iudæi tunc ad fidem conuersi, se credentes in Christum, veteres Patriarchas & Prophetas imitari, ac veros esse Abrahæ filios, & Moysi discipulos, cùm viderint suo tempore expletam Ieremiæ Prophetiam, & se Arcam habere qua patres sui caruerant. Hæc, inquam, & huiusmodi alia, nihil me mouent: non enim tanta erat Arcæ gloria, quæ posset eos à speranda gloria Christi impedire. Etenim si neque Moysen neque Prophetas impediuit, certè neque ipsos credentes poterat impedire. Neque Arcæ reuelatio videtur necessaria in fine mundi ad confirmandos in fide Iudæos, qui tum ad Christum conuertentur: nam si hactenus non fuit necessaria, (scimus enim multos ex Iudæis in primitiua Ecclesia, & inde vsque nunc ad fidem Christi esse conuersos, atque ita virtute Spiritus sancti fuisse roboratos, vt pro ea libenter mortem ac tormenta sustinere non recusauerint, & sine aspectu Arcæ, crediderint, se post acceptam fidem, multò perfectiùs quàm anteà, esse filios Abrahæ, & Moysi discipulos, & sanctorum Patriarcharum & Prophetarum imitatores: quis audeat affirmare, eiusdem Arcæ reuelationem, temporibus Antichristi, Iudæis necessariam fore, vt eis liquidò constet, quàm benè concordent cum rebus figuræ, & cum corporibus vmbræ? Quasi verò tunc Sacræ paginæ non valeant indubitatam fidem facere, quòd reuerà & Arca, & aliæ huiusmodi vmbratiles figuræ, Christi mysteria præcesserint, ac bellè admodum cum ipsis conueniant? Quasi Spiritus sanctus quem accipere solent credentes, non sufficere possit ita docere omnem veritatem eos qui in fine sæculi conuertentur, quemadmodum docuit illos qui in primitiua Ecclesia crediderunt? Dicamus igitur, his omissis, quòd quando sub Nehemia Iudæorum Duce ostendit Dominus locum in quo olim absconditus fuerat ignis sacer, ostendit pariter vbi abdita manebant Arca, Tabernaculum, Altare incensi, & cetera eiusmodi; idque, vt omnia inde transferri, & in templo iam reædificato honestiùs reponi, ac singula suis locis, vt priùs, decenter collocari possent; & mysteriorum illorum veteris Testamenti religio iam pænè collapsa, ad præteritorum malorum leuationem, animosque ad meliora speranda erigendos, denuò instaurari, & in eodem secundo templo conseruari posset, donec nouo adueniente Testamento, cuncta demum consummarentur. Nam si constat, huiusmodi plura, videlicet Altare incensi, Mensam propositionis, & Candelabrum aureum, in secundo templo extitisse, atque inde ab Antiocho Epiphane fuisse sublata (vt apertè traditur 1. Machab. cap. 1. vers. 23.) & dicere, non fuisse illamet quæ olim abdiderat Ieremias, quòd illa adhuc in monte Nebò lateant, sit (vt in Scholis dicitur) Petitio principij; id enim est de quo nunc disputamus: cur non idem quoque de Arca sentire possumus? quòd nimirum ipsa quoque cum Altari,

QVANDO IN SECVNDVM TEMPLVM REPORTATA.

tari, Mensa, & Candelabro, Nehemia procurante, fuerit inuenta, & in secundo templo pariter collocata? Alioquin doceant oportet qui oppositum sentiunt, quando hæc & à quo postmodum facta fuerint, & in eodem templo posita: id autem in sacris Scripturis, vt arbitror, reperire non poterunt: sed neque quòd in eisdem vspiam innuatur, quando quæ absconderat Ieremias, postmodum reperta fuerint, nisi 2. Machab. cap. 1. vbi veluti obiter ac breuiter narratur historia ignis sacri sub specie aquæ crassæ operâ Nehemiæ inuentæ, quæ mirabiliter in ignem conuersa est. Quo tempore diximus inuenta pariter fuisse omnia alia quæ ibidem occultata fuerant, & in templo suis locis reposita. Cur autem loco 1. Machab. superiùs citato expressa Arcæ mentio facta non sit, nos infrà sub anno mundi 3885. num. 12. ostendemus: vbi etiam à num. 5. vsque ad 14. num ipsa fœderis Arca deinceps in templo Ierosolymitano remanserit donec illud à Romanis euersum fuit, & an tunc Romam in triumpho Titi fuerit asportata, fusiùs disputabimus.

TRIA COROLLARIA. 15. Ex dictis tria videntur posse inferri: Primò, hallucinari Hebræos, & qui cum ipsis crediderunt, Arcam fœderis in secundo templo numquam extitisse, & consequenter, non esse recipiendam illam eorumdem opinionem de illis quinque rebus, quæ, inquiunt, in eo desiderabantur. Quorum doctrinam minimè sustineri posse, nos latiùs sub anno mundi 3540. num. 4. vsque ad 7. demonstrauimus: & proinde vanam potiùs Rabbinorum adinuentionem, quàm veram antiquorom traditionem illam censeri debere putamus. Secundò, non esse recipiendum illud Genebrardi dictum, quod lib. 2. suæ Chronologiæ, vbi agit de rebus sub Dario siue Artaxerxe Longimano gestis, habetur; nimirum, Iudæos arcam priori similem in templo ab ipsis ædificato dedicasse, quoniam prior abscondita fuerat, & numquam reperta. Tertiò item, non facilè admittenda esse quæ apud S. Dorotheum in Synopsi de Vita & morte Prophetarum, & S. Epiphanium pariter in libello de Vita & interitu Prophetarum, vbi agunt de Ieremia; & apud Iosephum F. Gorionis (cuius historia in Bibliotheca Patrum inserta est) lib. 1. cap. 17. habentur de Arca fœderis; quòd scilicet ex quo per Ieremiam abscondita fuit, numquam fuerit reperta, sed adhuc in eo speluncæ saxo in quo eam Propheta occultauerat, maneat absorpta; & quòd non nisi in fine mundi poterit inueniri. Et quidem, ne quis me putet nimis facilè ab horum sententia discedere, operæpretium duxi ipsorum verba hîc referre, prout ea pro se adducit vnus ex his qui nostræ contrariam tuentur opinionem; & eadem examinare, vt vnusquisque intelligat quanti sint facienda. S. Epiphanius vbi suprà, *Hic est*, inquit, *Ieremias, qui templum subuertendum prænoscens, Arcam testamenti, cum iis quæ in eadem erant, tulit, & precibus eam absorberi fecit in petram: petram verò digito designans, nomen Dei impressit. Et factum est sigillum in similitudinem scripturæ, quæ ferro cauatur. Et ipsum Domini nomen nubis operimento ita celatum est, vt ex tunc nec locum quis cognoscere queat, nec nomen legere vsque in hunc diem, & vsque in finem, & pristinæ figuræ instar ignis, & nubes albæ illic sint nocturno tempore, eò quòd gloria Domini ab eius lege non desinat. Est autem petra illa in eremi terra inter duos montes, inter quos iacent sepulti Moyses & Aaron. Dixitq́; Ieremias præsentibus: Dominus de Sion ascendit ad cælos, inde cum virtute reuersurus, & erit signum præsentiæ eius, quando omnes Gentes adorauerint lignum. Dixitq́; quòd Arcam hanc nemo poterit producere præter Moysen electum Dei Prophetam; & tabulas quæ in ea sunt nullus aperiet Sacerdotum, nullusq́; Prophetarum, nisi electus Dei Aaron. Et in prima resurrectione exurget hæc Arca, & exibit de petra, & ponetur in monte Sina: & omnes Sancti congregabuntur ad ipsam, regressum Domini expectantes; & vt vitent inimicum, qui perdere eos affectabat.* hæc S. Epiphanius. Dorotheus verò sic ait: *Hic Propheta antequam caperetur templum, Arcam legalem, & quæ in illa erant, arripuit; & in petram quamdam abdi fecit, dixitq́; astantibus: Profectus est Dominus Sinai in cælum, & iterùm veniet Legislator ex Sion cum potestate, & signum aduentus ipsius erit vobis, quādo vniuersæ Gentes lignū adorabunt. Dixit etiam: Arcam illam nemo arripiet, præter Aaronē. & tabulas in illa reconditas nemo introspiciet, siue Sacerdotum siue Prophetarum, præter Moysen electum Dei. Et in die resurrectionis Arca primùm resurget, & ex petra prodibit, poneturq́; in mōte Sina; & congregabuntur ad eam omnes Sācti expectantes Dominum, & fugantes inimicum, occident eum venientem ad hanc petram. Obsignauit autem eam digito per nomen Dei, & facta est scalptura instar scalpturæ ferri: & nubes lucida obtexit nomen Dei, nec quisquam locum hunc cognouit, neque obsignationem legere potest in hodiernum vsque diem, & ad consummationem vsque. Est autem petra in solitudine, vbi & primùm fabricata est Arca, inter duos montes, in quibus sepulti iacent Moyses & Aaron, & noctu nubes velut ignis hunc locum obtegit, iuxta quod olim factum est: numquam enim deesse potest*

potest gloria Dei à nomine Dei. Propterea gratiam Ieremiæ dedit Deus, vt finem mysterio suo ipse faceret, fieretq; consors Moysi & Aaronis, qui & vnà coniuncti sunt ad hunc vsque diem: nam & Ieremias Sacerdotali semine propagatus est. hæc S. Dorotheus. Cui similia tradit Iosephus F. Gorionis, qui de secundo templo agens, dicit: *Arca non aderat, quia detulerat eam Ieremias Propheta vnà cum omnibus cortinis quas fecerat Moyses seruus Domini in deserto, & posuit eas in monte Debo; vbi inuenit speluncam, in cuius concauitatem posuit eas. Cumq; sequerentur Sacerdotes, qui fuerunt in diebus istis, Prophetam, vt aduerterent locum, respiciens Ieremias post se, & videns, iratus dixit: Iurauit Dominus, non sciet homo, neque cognoscetur locus, donec venero ego, & Isaias Propheta famulus Domini; tunc restituemus Arcam in locum suum in Sancta sanctorum subter alas Cherubim. Factum est itaque à die illa & deinceps, & obtulerunt patres oblationes suas, holocausta sua, sacrificia sua, pacifica sua, & iuge sacrificium suum,* &c. hactenus ille. Porrò hæc omnia si prudens Lector attentiùs consideret, inueniet, ni fallor, in eis quædam, quæ nescio quo modo, sine speciali reuelatione diuina (de qua tamen nihil constat) sciri potuerint: item nonnulla, vt mihi videtur, sacræ Scripturæ & veritati parum consona: & insuper aliqua, quæ nescio si Ecclesia Catholica vmquam receperit. Quo fit, vt videantur potiùs simpliciter & sine vlla rerum discussione à Rabbinis accepta, quàm inter veras antiquorum traditiones computanda: nam quis vmquam scire potuit, quòd Ieremias obsignando lapidem digito, ea miracula patrauerit, quæ isti narrant; si tum ibi cum Propheta nullus creditur affuisse, qui sciret locum illum, & qui hæc aliis nuntiare potuerit? qui enim postea superuenerunt vt notarent locum, redarguti à Propheta, illum inuenire non potuerunt, vt expresse traditur 2. Machab. cap. 2. vers. 6. Nusquam autem legimus, quòd ipse Ieremias cuiquam dixerit, se in eo loco vllum patrasse miraculum. Quomodo item potuit Ieremias Arcam in desertum ferre & abscondere priusquam vrbs templumque caperetur, si ipsemet suæ Prophetiæ cap. 8. in fine testatur, se mansisse in vestibulo carceris vsquequò capta est Ierusalem? & scimus, quòd neque si tum liber fuisset, tale quid præstare potuisset, existente nimirum tunc vrbe clausa, & à Chaldæis circumuallata & obsessa; & nos sub anno mundi 3447 ostendimus, hæc acta fuisse posteaquam ipse Ieremias à Chaldæis liber dimissus est. Sed & illud mirabile est, quo pacto locus Arcæ absconditæ hactenus potuerit esse ignotus, si ipsum, vt isti aiunt, iugiter diu noctuque columna nubis & ignis obtegeret, eo ferè modo quo olim pendere super Arcam consueuerat: quandoquidem vel ipsamet locum illum particularem ostenderet, & multi vsque hodie ad tale spectaculum visendum accurrerent. Quomodo etiam verum esse potest, quòd Arca in eodem loco abdita sit, in quo olim facta fuerat? si ex Scriptura sacra constat, eam fuisse factam in Sinai, & absconditam in monte Nebo terræ Moab prope Iordanem, & consequenter, procul admodum à Sinai posito? Sed & quî fieri potest, quòd eadem Arca inter duos illos montes fuerit occultata, in quibus sepulti iacent Moyses & Aaron; cùm ex eadem sacra Scriptura certum sit, Aaronem in monte Hor, qui erat in finibus Idumææ, periisse, ibidemque funus eius cum luctu populi celebratum fuisse, vt traditur Numer. cap. 20. vers. 29. & 30. Moysen verò in vertice Phasga montis Nebo, non procul à Iordane, è vita excessisse, & ibidem in valle proxima, vt legimus Deuter. cap. 34. vers. 5. & 6. fuisse tumulatum; & ex Geographiæ tabulis pateat, inter hos non extare montem Sinai, sed esse ab vtroque valdè remotum. Illud præterea, quòd Arca non nisi sub finem mundi de illo saxo sit proditura, & quòd eam tunc nemo arripiet præter Moysen & Aaron, & quòd locus Arcæ non cognoscetur donec venerint Ieremias & Isaias; nónne supponunt qui hæc asserunt, quattuor hos viros ante vniuersalem hominum resurrectionem surrecturos, & ab Hebræis tunc viuentibus denuò in hac vita esse videndos? Profectò, hæc in sancta Ecclesia recepta esse, numquam audiui: nam quòd Henoch & Elias, qui adhuc viuere creduntur, venturi sint temporibus Antichristi, & Christianam fidem doctrinamque aduersus ipsum prædicaturi, atque ab ipso tandem occidendi; colligunt multi ex his quæ de duobus illis testibus innominatis traduntur Apocalyp. c. 11. vers. 3. vsque ad 14. & videtur hæc doctrina communiter recepta, & comprobari posse ex his quæ à nobis sub anno mundi 98. num. 2. & 3139. num. 1. & 2. dicta sunt. At verò de Moyse & Aarone, & item de Ieremia & Isaia, qui mortui sunt, quòd ante communem omnium resurrectionem resurgere debeant, & cum hominibus tum viuentibus aliquamdiu conuersari; siue iterùm postea morituri, siue ab extremo & vniuersali omnium interitu soli diuino fauore præseruandi, (alterum enim ex his ponere necesse est) videtur positio noua, & valdè incerta; & nullo sacræ Scripturæ testimonio posse fulciri, ac pro-

ptereà non de facili admittenda. Recolat prudens Lector quæ de huiusmodi Ieremiæ aduentu nos sub anno mundi 3448. num. 8. contra Victorini sententiam disputauimus: faciunt enim ad ea quæ hîc diximus confirmanda. Denique, vt omittam quod ex memoratis Auctoribus alter dicit: Arcam nemo arripiet, præter Aaronem; & nemo introspiciet, præter Moysen. Alter verò econuersò, quòd Arcam nemo poterit producere, nisi Moyses; & aperire, nisi electus Dei Aaron. Item alter, quòd ipsa Arca resurget, & de petra prodibit; alter verò, quòd eam nemo poterit producere, nisi Moyses: quæ profectò inter se omnino cohærere non videntur. Illud etiam, quòd Arca ponetur in montem Sina, & omnes Sancti congregabuntur ad ipsam, regressum Domini expectantes, & vt vitent inimicum qui eos perdere affectabat, & his similia, quis non videt gratis dici? Etenim quis hæc diuinare potuit aut potest, sine vlla Prophetica auctoritate in sacris Scripturis expressa, aut in Ecclesia Catholica communiter recepta? Quòd si quis contendat, memorata omnia ex veterum traditionibus fuisse desumpta: vtique crediderim prædictos Scriptores sic existimasse. Sed si in hisce traditionibus referendis contigit aliquando etiam ipsum sanctum Hieronymum in Quæst. Hebraicis in Paralipomenon (si tamen ille liber ipsius est) falli, aut non propriam sed aliorum opiniones referre, vt nos sub anno mundi 2464. num. 3. & 2545. num. 54. & 2583. n. 20. & 3149. num. 3. ostendimus: quid mirum est id aliis quoque contingere potuisse? Nemo enim est quem non aliquid interdum effugiat: & scimus non illos tantùm inter bonos Auctores computari, qui numquam, sed qui minùs falli solent. Porrò regula discernendi probatas veterum traditiones à Rabbinorum figmentis, est, vt nihil Scripturæ sacræ quouismodò contrarium, & his quæ Catholica recipit Ecclesia aduersum diuersúmve contineant. Veritas enim veritati nullatenus potest esse contraria. Et hæc volui dixisse, non quia libenter à talium Patrum sententia discedere audeam, velimque mordicus propriam tueri; (paratus enim sum in his & in aliis meliori semper iudicio subscribere:) sed, vt ingenij mei fert tenuitas, hæc ingenuè & simpliciter pro veritate protuli; quam si fortè non assecutus fuero, dabo saltem aliis ansam, eam accuratiùs indagandi, vel firmiùs stabiliendi. Sed iam tempus est, vt nos ad prosequendam historiæ seriem conuertamus.

16. Transacto die Cœtus seu Collectæ, quæ immediatè post Tabernaculorum festiuitatem agi consueuerat, recolentes Iudæi quę in quotidiana Legis lectione præcedentis hebdomadis, & præsertim de alienigenarum separatione audierant; & item memores quòd iam aliquot annis anteà (vt sub anno mundi 3596. num. 2. 3. & 4. dictum est) Esdra procurante, idipsum præstare promiserant; sed vel non plenè impleuerant, vel denuò ad vomitum redierant: pœnitentia ducti, confestim vxores alienigenas à se vltrò abegerunt; & sequenti die, qui fuit dicti mensis septimi vigesimus quartus, iterùm conuenientes vnanimiter in templum, ieiunantes, ac saccis induti, & capita puluere aspersi, transgressionum suarum supplices à Domino veniam postulabant; & quater in die, vicissim Leuitas in Legis volumine legentes, attentè admodum audiebant, & confitebantur adorabantque Dominum Deum suum: Nehem. cap. 9. vers. 1. vsque ad 6. Quo tempore etiam ipse Esdras (vt specialiter notant LXX. Interpretes, & nonnulla quoque Vulgatæ editionis exemplaria) vice totius populi, longam illam habuit orationem, quæ ibidem refertur vsque ad finem capitis. Qua expleta, pepigit populus corde magno & animo volenti sollemne illud fœdus cum Domino, quod describitur Nehem. cap. 10. subsignatum inprimis ab ipso Nehemia, deinde ab aliis Sacerdotum ac Leuitarum populique Principibus ibidem recensitis, qui reliquorum omnium nomine sollemniter publiceque polliciti sunt seruare vniuersa Dei præcepta, & præsertim tria hæc quæ signanter tunc expresserunt, videlicet, de non se ampliùs commiscendo cum alienigenis; de Sabbato & anno septimo custodiendis; & de oblationibus, primitiis, decimisque, ad Legis præscripta, pro diuino cultu conseruando, integrè persoluendis, vt loco citato latiùs videri potest. Fortè autem magni huius fœderis, & tantæ commotionis in populo, ac conuersionis eius in Deum, proxima occasio causáve magis impulsiua fuit stupendum illud ignis miraculum, quod, vt dictum est, paulò antè acciderat. Ceterùm, icto fœdere, habitauerunt Principes populi in Ierusalem; de reliqua verò plebe, decima tantùm pars, prout sors tulerat; & sic, quemadmodum Nehemias optauerat, vrbs habitatoribus, & maximè nobilibus repleta est; benedixitque populus (subaudi Ierosolymitanus) omnibus viris qui se sponte obtulerát vt habitarent in Ierusalem: Nehem. cap. 11. vers. 1. & 2. vbi deinceps vsque ad finem capitis recensentur. Ex quo capite colligit Beda, quòd iuxta fidem Sacræ historiæ, non alij

IVDÆI ABIGVNT A SE VXORES ALIENIGENAS, ET POENITENTIAM AGVNT.

PEPIGIT POPVLVS FOEDVS CVM DOMINO.

erant

erant qui in Ierusalem habitasse dicuntur, quàm de tribu Iuda, & Beniamin, & Leui: tribus namque Beniamin in Ierusalem antiquitus manebat, quoniam huic ciuitas illa sorte prouenit; tribus autem Iuda illuc intrauit à temporibus Dauid, cùm eam totius Israëlitici populi & regni metropolim fecit: quibus & Leui tribus addita est, ex quo ibidem Arca testamenti introducta est, & Altare ac Templum Dei ibidem constructum. Qui verò de decem tribubus redierunt, in vrbibus quique suis habitauerunt: in quibus etiam Sacerdotes & Leuitæ, qui cum illis manere maluerant, decretam sibi nihilominùs ex Lege portionem tenebant. hæc ex Beda. Quamquam posteà in Ierusalem plurimos quoque ex aliis tribubus habitasse, admodum credibile sit. QVI IN IERVSALEM HABITAVERINT, EX BEDA.

17. Ab hoc primo anno aduentus Nehemiæ in Ierusalem, vsque ad annum regni Artaxerxis Longimani trigesimum secundum propè exactum, ipse Nehemias, eiusdem Regis iussu, mansit Dux populi in terra Iuda duodecim ferè annis, vt ipsemet testatur cap. 5. vers. 14. in quo munere optimè se gessit. Nam præter prædicta ab eo acta, quæ miram erga Deum & populum suum pietatem præseferunt, adeò fuit de bono publico sollicitus, & erga omnes benè affectus, vt non modò quemquam grauauerit, quemadmodum fecerant antecessores eius; sed neque annonas Ducibus debitas quærere accipereve voluerit, quòd videret tunc populum valdè attenuatum, quin potiùs ipse magno suo sumptu, plurimos ex Iudæis, & qui eò veniebant de gentibus, ad mensam suam liberaliter excipiebat. Et prætereà, cùm quadam die querimonias populi, occasione cuiusdam magnæ famis audisset, diuitum auaritiam audacter increpare cœpit, & à pauperibus vsuras recipi prohibuit; & propria ipse indigentibus largiter tribuens, ceteros quoque ad idem faciendum exemplo suo prouocauit, vt legenti proximè allegatum Nehem. caput manifestum fiet. NEHEMIAS IN SVO DVCATV QVO MODO BENE SE GESSERIT.

18. Quid verò aliud intra prædictum duodecim annorum interuallum, præter hactenus narrata, egerit Nehemias in Iudæa & Ierusalem, Scriptura sacra in Esdræ libris non exprimit; nisi quod suprà num. 9. tetigimus de templo ab Artaxerxe decorato, ditato, & munito; id enim eiusdem Nehemiæ opera factum esse, dubitare nemo debet. Veruntamen arbitror, ipsum Nehemiam intra idem tempus alia quoq; memorabilia, & pio digna Principe præstitisse; & præsertim illud quod 2. Machab. cap. 2. vers. 13. refertur de insigni illa Sacrorum librorum Bibliotheca; quam idem Nehemias construi curauit, congregans de regionibus, in quibus dispersi fuerant, libros & Prophetarum & Dauid, & Epistolas Regum, & de donariis, hoc est libros, qui etiam agebant de his quæ Dauid aliique Reges ac Principes Deo dicauerant, & in thesauris Domini perpetuò seruanda mandauerant. Quamquam autem (vt etiam adnotauit Leo de Castro cap. 43. suæ Præfationis in Isaiam) non desint qui ex LXX. Interpretum lectione, quæ non dicit Nehemiam congregasse de regionibus libros, sed congregasse quæ de Regibus, & Prophetis, de donariis scripta erát; colligunt, loco Machab. citato non significari Libros sacros, sed alios historiales, ab antiquis Auctoribus de prædictis rebus conscriptos: nihilominùs crediderim Nehemiam Sacros potissimùm libros conquiri iussisse, quemadmodum etiam magis placuisse videtur præfato Leoni vbi suprà; & magis item consonat tum lectioni Vulgatæ, quæ maioris nunc est auctoritatis, tum rationi. Quis enim credat, Principem adeò religiosum (vt liber sui nominis declarat) & acerrimum diuini cultus zelatorem ac fautorem, non inprimis & ante omnia Sacros libros vndique conquisitos, in sua Bibliotheca reponi curasse? præsertim cùm eam ipse, non curiositati aut ostentationi seruiens, neq, ad studia dumtaxat secularium litterarum promouenda, sicuti posteà multi alij Principes, tum veteres tum recentiores; sed ad spiritualem præcipuè populi sui vtilitatem profectumque construxisse, meritò censendus sit. BIBLIOTHECAM CONSTRVI CVRAT.

19. Quin etiam mihi insuper admodum probabile videtur, eumdem Nehemiam id præstitisse suasu & opera Esdræ, qui cùm esset, vt aliàs dictum est, Scriba in Lege doctissimus, sciretque quanti momenti esset ad verum Dei cultum, præsertim interiorem seu spiritualem in animis hominum altiùs infigendum, assidua pariterque accurata Sacrorum librorum lectio; facilè piissimo Duci, quod rectum erat, & tunc maximè expedire videbatur, persuaserit: ille verò eumdem Esdram protinus eidem operi præfecerit, mandans, vt quæcumque sacra volumina, aut eorumdem fragmenta, vbique locorum reperiri possent, ad præfatum Esdram summum Bibliothecarium deferrent. Qui tunc, vt arbitror, (quemadmodum posteà scriptis mandauit Rabanus Maurus lib. 2. de Institutione Clericorum cap. 54.) omnes Libros sacros veteres, diuino afflatus Spiritu, reparauit; cunctaque Prophetarum volumina, quæ fuerant à gentibus corru- ESDRAS QVOMODO LIBROS SACROS REPARAVIT.

pta correxit, totumque vetus Testamentum in duos & viginti libros constituit; vt tot libri essent in Lege, quot habentur & litteræ. Ex quo factū creditur, vt deinceps communi omnium adstipulante consensu, ipse Esdras tamquam vnicus Sacrorum librorum reparator habitus ac celebratus fuerit. Quod quidem nos quoque verum esse credimus, non quia (quemadmodum sub anno mundi 3447. num.4.& 5. demonstratum est) omnes Sacri codices in Ierosolymitanæ vrbis templique conflagratione à Chaldæis facta, penitus periissent; nec quia ipse Esdras diuino, vt aiunt, memoriæ beneficio, seu Spiritu sancto eidem omnia mirabiliter suggerente, quibusdam Scribis de ore suo excipientibus dictauerit, vt quidam ex 4. Esdr.cap. 14.ad finem, tale quid insinuante, existimarunt: quoniam liber ille inter Apocryphos computatur; nec magis locus ille de Sacris, quàm de aliis quibusdam reconditis libris loqui videtur, vt benè explanat Pererius in Præfatione Commentariorum suorum in Genes. sed quoniam ipse Esdras, Nehemiæ Ducis auctoritate adiutus, summum studium in sacris Scripturis conquirendis posuerat, & earum partes sparsim inuentas colligere, ordinare, atque in vnum corpus redigere, & si quid antiquariorum aut aliorum vitio incuriáve deprauatum deprehenderat, emendare sedulò curauerat; vt pluribus antiquorum Patrum auctoritatibus, multisque argumentis rectè probat Cardinalis Bellarminus lib. 2. de Verbo Dei cap. 1.

QVAEDAM LOCORVM VOCABVLA PRO VETERIBVS NOVA REPOSVIT.

2. Porrò in hac Sacrorum librorum recognitione, Esdras plura quoque alia præstitisse creditur: & primò, pro vetustis quibusdam & iam exoletis locorum vocabulis, alia recentiora reposuisse, vt notitia eorum quæ olim tradebantur, faciliùs haberi posset: verbi gratia (proferam enim hîc vnum aut alterum huius rei exemplum, quatenus ex his alia discere liceat) vrbs quæ tempore Moysi vocabatur *Cariath Arbe*, Genes. cap.13. vers. 18. & alibi non semel nuncupatur *Hebron*; quod nomen posteà, mortuo iam Moyse, ab Hebron filio Caleb illi vrbi inditum fuisse, graues Auctores (teste Masio in Præfatione Commentariorum suorum in Iosue) tradiderunt. Item alia vrbs, quæ olim dicebatur *Lais* siue *Læsem*, Genes.cap. 14. vers. 14. appellatur *Dan*; & nihilominùs nomen hoc longè post defunctum Moysen dictæ vrbi impositum fuit à Danitis, ex nomine patris sui Dan, vt apertè traditur Iosue cap. 19.vers.47.& Iudic.cap. 18. v.29. Non igitur potuit Moyses talia vocabula in suis scriptis ponere, sed ea, & si quæ sunt eiusmodi alia, ab ipso Esdra, clarioris doctrinæ gratia, prædictis locis inserta fuisse credenda sunt. Quemadmodum neque Auctor lib. 1. Reg. (qui communiter ab Hebræis, & ferè ab omnibus quoque Catholicis Doctoribus creditur fuisse Samuel; ideoque S. Hieronymus in Prologo super libros Regum, primum ipsorum & secundum Samuel inscribi testatur) potuit cap. 13.vers. 5. & cap. 14. vers. 23. pro *Bethel* ponere *Bethauen*, cùm certum sit, illam vrbem semper, viuente Samuele, *Bethel* fuisse appellatam; & non nisi multò post obitum Samuelis, nimirum, vel regnante Ieroboam filio Nabat super Israel, vel eo mortuo, dici cœpisse *Bethauen*, vt nos sub anno mundi 2114. num.5. ex ipso S.Hieronymo probauimus. Oportet ergo dictam nominis mutationem in Sacro textu non ab ipso Samuele, sed posterioribus tēporibus ab Esdra fuisse factam, clarioris, vt dixi, intelligentiæ gratia; quia viuente Esdra, eadem vrbs, mutato nomine, iam non ampliùs *Bethel*, sed *Bethauen* passim nuncupari solebat. Alia eiusmodi exempla in sacris Scripturis forsitan accuratus Lector facilè inueniet: nos verò his cōtenti simus.

IN LIBRIS SACRIS CVR NON SEMPER ORDO TEMPORIS OBSERVATVS.

21. Illud quoque, quod de Psalmis Beda & alij ex antiqua traditione affirmant, eos ab Esdra veluti fragmentatim fuisse collectos & ordinatos non eo ordine quo olim fuerant à Dauide conscripti, sed quo postmodum ab ipso Esdra paulatim reperiebantur; & hanc esse causam quòd in ipsorum dispositione, quemadmodum sub anno mundi 2964.num.7.adnotauimus, nulla videatur temporis ratio habita. Idem pariter videtur credi posse de pluribus aliis sacræ Scripturæ libris, in quibus euidenter apparet multa contra ordinem temporum esse digesta; vt de Ieremiæ Prophetia pleniùs sub anno mundi 3436.num.9.demonstratum est; & eodem modo de Ezechiele, Daniele, aliisque Sacris libris alibi ostendimus. Quamquam potissimam huius rei causam, cum B.Augustino, Beda, & aliis, altiorem habere indaginem, proculdubiò existimandum sit, & ex peculiari quadam Dei dispensatione accidisse, vt scilicet intelligeremus, vniuersam sacram Scripturam non humana dispositione, iuxta temporum rationem, vt fit, ordinatam traditamque fuisse, ac si esset simplex quædam historica narratio; sed inspiratione atque ordinatione diuina, seruato & non seruato temporis ordine, prout rerum seu causarum conuenientia requirebat; quemadmodum etiam optimè notat Auctor Glossæ ordinariæ super Ierem.cap. 35.

22. Sunt

22. Sunt etiam qui putant, ipsum Esdram quædam Libris sacris alicubi addidisse, ad maiorem historiæ continuationem; qualia sunt quæ Deuter. cap. vlt. vers. 5. vsque ad finem capitis leguntur; & in calce libri Iosue, vers. 31. & deinceps; & 4. Reg. cap. vlt. vers. 27. & Ierem. cap. vlt. vers. 31. vsque in finem: & Tobiæ cap. vlt. vers. 17. Etenim quæ post mortem Moysi, & Iosue, & vtriusque Tobiæ acta sunt, non videntur ab ipsis respectiuè scribi potuisse; sed ab Esdra, vel aliquo alio fuisse addita. Similiter & quæ post obitum Ieremiæ contigerunt, quomodo potuit ea ipse scriptis mandare in fine libri 4. Reg. cuius ipse Auctor fuisse creditur? aut in calce libri Prophetiæ suæ, quem ab eodem conscriptum esse, nemo dubitat? Sed quod dictum est de Iosue, facilè refelli potest; quia (quidquid secùs senserint Hebræi in sua Talmud, cuius verba de Sacrorum librorum Scriptoribus refert Masius Præfatione Commentariorum suorum in Iosue) sanior opinio est, librum Iosue non ab ipso, sed ab aliquo alio posterioribus temporibus esse scriptum, quemadmodum idem Auctor in dictis Commentariis non semel demonstrat. Quod verò de Moyse, & de vtroque Tobia, & de Ieremia diximus, eludi non potest; quia certum est, eos quæ diximus scribere non potuisse, & Ieremiam non vixisse vsque ad annum transmigrationis Ioachin trigesimum septimum, in quo ipsemet locis citatis scribit dictum Ioachin subleuatum fuisse ab Euilmerodach Rege Babylonis, anno regni eius primo. Nisi fortè quis dixerit, prædictos illa prophetico Spiritu præuidisse & scripsisse; quod tamen probari non potest: nam licet Prophetas, vbi propheticè loquuntur, futura interdum scripsisse, notissimum sit; vbi tamen res gestas narrare profitentur, præter vsitatum historiæ tradendæ morem id esse, nemo dubitat.

ESDRAM ALIQVA SACRIS LIBRIS ADDIDISSE AD HISTORIAE DILVCIDATIONEM.

23. His addere possumus, quod B. Hieronymus in Prologo Galeato refert, nimirum, Esdram nouas litteras Hebraicas inuenisse, easq; tradidisse Iudæis quæ nunc sunt in vsu; antiquas autem reliquisse Samaritanis. Quod ex alio quoque eiusdem S. Doctoris loco comprobat Bellarminus lib. 2. de Verbo Dei cap. 1. Nam idem Sanctus super Ezechiel. cap. 9. testatur, postremam Hebraici Alphabeti litteram fuisse similem T Græcorum, & figuram crucis retulisse; quoniam finis Legis est Christus crucifixus: at verò nunc eadem postrema littera nullam crucis habet similitudinem. Quare oportet diuersas esse litteras quibus nunc vtuntur Hebræi ab his quibus vtebantur antiquitus.

NOVAS LITTERAS HEBRAICAS INVENISSE.

24. Denique Genebrardus lib. 2. suæ Chronologiæ, vbi agit de gestis sub Iosue siue Iesu filio Iosedec, dicit quòd Esdras & viri Synagogæ siue Synodi magnæ, diuino afflati Spiritu, Scripturas sacras distinxerunt in Pesukim, hoc est versus, vnde & codices Hebræorum per sententias, membra, & versus diuisi, & quibusdam interuallis distincti fuerunt, qui antè continuati erant, ac si vnicus fuisset versus. Vnde beatus Hieronymus in Præfatione Paralip. & Isaiæ asserit, se ad legentium vtilitatem, easdem commaton incisiones, & interuallorum distantias, quas in Hebræis codicibus repererat, in translatione sua seruasse. Quamobrem; vt benè notat loco citato Genebrardus, quod Rabbi Elias in Præfatione Masoreth, dicit, vniuersam Legem fuisse vnum Pasuk, siue versum, vsque ad annum post euersam à Tito Ierosolymam quadiringentesimum trigesimum sextum, aut falsum est, aut debet accipi de notulis versuum, & accentuum distinguentium; non autem de interuallis & spatiis. Quare falluntur qui Esdram auctorem faciunt punctorum & accentuum, quibus afficiuntur hodie Biblia Hebraica: constat enim ex libris S. Hieronymi, (vt idem vbi suprà Genebrardus attestatur) ipsius sancti Doctoris tempore nulla extitisse, & paulò post tempora Honorij Imperatoris fuisse adinuenta in Tiberiade, quæ vrbs erat Galilææ, à quibusdam Hebræis, vt sub anno mundi 1931. num. 14. tactum est. Horum principes fuerunt duo, quorum alteri nomē erat Aaron Aseris, alteri Iacob Nephthalis filij, vt ait Genebrardus lib. 3. suæ Chronologiæ, vbi agit de Felice III. Romano Pontifice. Et hoc accidit anno à templi vrbisque euersione, vt diximus, quadringentesimo trigesimo sexto, qui iuxta Baronij supputationem fuit post Christum passum quadringentesimus septuagesimus quartus. Ceterùm, hîc etiam prætermittendum non duximus, quod notat Genebrardus loco initio huius num. citato, nempe ab Esdra primo Scriba institutum fuisse ordinem Scribarum, qui sui instar, Legem ad litteram interpretarentur, Librosque sacros intactos conseruarent, ne quid corruptelæ in eos irreperet; & vt Legis difficultates ipsi explicarent: vnde & Legis seu Iuris periti posteà interdum sunt appellati.

DISTINCTIO SACRAE SCRIPTVRAE IN VERSVS.

QVIS AVCTOR PVNCTORVM ET ACCENTVVM LINGVAE HEBRAICAE.

ESDRAM FVISSE AVCTOREM ORDINIS SCRIBARVM.

26. Creditur autem iste Esdras, præter varios hîc indicatos eius labores, diligentemq; operam in Sacris codicibus restituendis atque illustrandis positam, aliquot etiam libros ex his qui nunc in sacro Canone habentur, proprio (vt dicitur) Marte, vel potiùs di-

uino afflatus Spiritu, composuisse; videlicet, primò duos illos qui Hebraicè *Dibre haiamim*, Latinè *Verba dierum*, Græcè autem *Paralipomenon*, hoc est, Relictorum inscribuntur; quia in ipsis multa ab aliis sacris Auctoribus, præsertim verò ab ipso Ieremia in 3. & 4. Reg. breuitatis studio relicta, supplētur, vt benè docet Abulensis initio Commentariorum suorum in Paralip. Tametsi necessarium quoque sit fateri, ante Esdram, immò etiam ante Ieremiam extitisse quosdam alios libros ab aliis Auctoribus, puta à Nathan Propheta, à Gad Vidente, ab Ahia Silonite, ab Addo Vidente, à Semeia Propheta, à Iehu filio Hanani, aliisque huiusmodi conscriptos, sub titulo *Dierum*, siue *Sermonum dierum*; alios quidem vnius Regis, puta, Salomonis; vt dicitur 3. Reg. cap. 11. v. 41. alios Regum Israel, alios Regum Iuda, alios Regum Israel & Iuda. qui libri passim ab Esdra citari solent in 1. & 2. Paralip. & ante Esdram ab ipso Ieremia in 3. & 4. Reg. illis verbis sæpissimè repetitis: *Nónne hæc scripta sunt in libro Dierum*, vel, *Sermonum dierum Regum Israel*, vel *Regum Iuda*, vel *Regum Israel & Iuda?* Quòd enim iidem libri qui citantur in libris Regum, ab ipsismet in quibus citantur, diuersi sint, nemo est qui dubitet. Quòd autem qui citantur in libris Paralip. diuersi sint à libris Reg. quos nunc in sacro Canone habemus, inde fit manifestum; quia 1. Paralip. cap. 9. vers. 1. hæc habentur: *Vniuersus ergo Israel dinumeratus est, & summa eorum scripta est in libro Regum Israel & Iuda.* Atqui dicta dinumerationis summa in libris Regum nullibi reperitur expressa, vt super cap. Paralip. citato quæst. 4. contra Lyranum optimè probat Abulensis. Item 2. Paralip. cap. 24. in fine, de Ioa Rege Iuda legimus: *Porrò filij eius, & summa pecuniæ, quæ adunata fuerat sub eo, & instauratio domus Dei scripta sunt diligentiùs in libro Regum.* Et nihilominùs neque in 4. Reg. cap. 12. vbi de prædicto Ioa agitur, neque alibi vlla fit mentio filiorum Ioæ, neque vspiam ponitur summa pecuniæ sub eo collectæ; sed neq; templi instauratio diligentiùs, immò pressiùs quàm loco Paralip. allegato, describitur. Denique 2. Paralip. cap. 27. vers. 7. dicitur: *Reliqua autem sermonum Ioatham, & omnes pugnæ eius, & opera, scripta sunt in libro Regum Israel & Iuda.* Et tamen in 4. Reg. cap. 15. vers. 32. vsque ad finem capitis, vbi Scriptura agit de ipso Ioatham, nullum prorsus fit verbum de pręliis eius, neque quidquam aliud scribitur de operibus dicti Ioatham, nisi quòd ipse ædificauit portam domus Domini sublimissimam. Ergo signum euidens est, quòd libri Regum, qui in dictis Paralipomenon libris citantur, iampridem iniuria temporum sunt deperditi; erantque omnino diuersi ab his, quos nunc in sacro Canone habemus. Creditur prætereà memoratus Esdras scripsisse duos alios libros, quorum primus (de quo nulla extat dubitatio) *Esdras*; alter verò *Nehemias*, seu *Esdræ* 2. inscribitur; & postremò vnum alium titulo *Malachiæ Prophetia*, prænotatum; si tamen vera sunt (vt putamus) quæ ex Francisco Ribera nos sub anno mundi 3595. num. 2. adnotauimus, videlicet, quòd idem Esdras quando prophetare cœpit, vel ipse se Malachiam, hoc est, Angelum, seu Nuntium, ab officio quod tunc assumebat, appellare maluit, quò indicaret se ad Iudæos missum, vt annuntiaret prædicaretque eis pœnitentiam, qua & diuinam gratiam consequi, & imminentia mala deuitare possent. vel (vt aliis magis placet) ab ipsis potiùs Iudæis deinceps sic fuit nuncupatus, quòd ferè omnia quæ prædicebat prædicabatque, confestim ab Angelo de cælis veniente confirmari viderentur, quemadmodum legenti Prophetiam eius constare poterit. Ceterùm, 3. & 4. liber Esdræ, qui non inter Canonicos, sed inter Apocryphos computantur, non ab hoc, sed ab alio Esdra conscriptos credimus, quemadmodum sub anno mundi 3476. nu. 1. probatum est.

¶ 27. Quoniam autem de Esdra hactenus multa diximus, & de ipso post tempora Ducatus Nehemiæ nulla ampliùs in Sacris libris mentio habetur (ille enim Esdras qui 2. Machab. cap. 8. vers. 23. memoratur, longè diuersus est, & posterior eo de quo nunc agimus) & propterea nescimus num aliàs de tanto hoc viro nobis agendum occurret: operæpretium duximus, aliquid etiam de tempore vitæ eius, probabiliter, quando certi nihil adferre possumus, hoc loco disquirere; quo scilicet tempore eum nasci morique contigerit, & consequenter, per quot annos vitam traduxerit. Et primò quidem, quod attinet ad tempora ortus sui, si verum esset, quod tradi videtur 1. Esdr. cap. 7. vers. 1. videlicet, ipsum Esdram fuisse filium Saraiæ, oporteret vtique eumdem esse natum, vel saltem in matris vtero conceptum, ante Babylonicam captiuitatem: nam certum est, quòd Saraia non potuit eum posteà genuisse; quia statim capta à Chaldæis Ierosolyma, ipse cum multis aliis ductus est ad Nabuchodonosor in Ręblatha, ibidemque occisus, quemadmodum sub anno mundi 3447. num. 1. dictum est. Vnde cōsequeretur, ipsum Esdram fuisse posteà centum quinquaginta annorum, quando ab Artaxerxe Longima-

DE TEMPORE ORTVS ESDRÆ.

no missus fuit de Perside in Iudæam, vt supputari potest in tabulis: totidem namque anni ab initio dictæ captiuitatis ad septimum dicti Artaxerxis annum inueniuntur. Verùm quia non videtur tantæ ętatis senex tam longo itineri conficiendo, tantoque muneri præstando vllatenus par esse potuisse; & satis rectè possumus opinari, Scripturam sacram loco Esdræ citato, vt aliàs solet, filium pro nepote aut pronepote, more Hebraico, vsurpasse; præsertim cùm videamus ibidem in ipsius Esdræ genealogia alios quoque intermedios fuisse præteritos, vt patet conferenti eamdem Esdræ genealogiam quæ ibi sursum fertur vsque ad Aaron, cum ea quæ 1. Paralip. cap. 6. vers. 3. vsque ad 15. ab eodem Aaron deducitur vsque ad præfatum Saraiam. Idcircò multò probabilius credi posse putamus, ipsum Esdram temporibus longè posterioribus ex aliquo dicti Saraiæ filio seu nepote esse natum, puta anno circiter regni Darij Hystaspis vigesimo quinto, quemadmodum sub dicto regis anno notatum est; ità vt quando ab Artaxerxe posteà Esdras in Iudæam missus est, esset annorum circiter quadraginta: id enim & cum his quæ ipse ante & post aduentum Nehemiæ in Ierusalem egit, & cum his etiam quæ numero proximo dicenda sunt, omnino quadrare comperiemus.

28. Neque his obstant quæ 4. Esdr. in principio tertij capitis traduntur; ex quibus apparet, Esdram anno trigesimo ruinæ ciuitatis non modò iam natum, sed etiam in virili ætate constitutum: quia liber ille inter Apocryphos computatur, & ab alio Esdra scriptus creditur, quemadmodum sub anno mundi 3476. num. 1. ostensum est. Quod verò spectat ad tempora obitus dicti Esdræ, dicimus Primò, non ideò censendum esse, Esdram vsque ad Alexandri Magni tempora superuixisse, quòd Nehem. cap. 12. v. 11. ipse videatur nominatim recensuisse Pontifices, qui successerunt Iosue filio Iosedec, vsque ad Ieddoa siue Iaddum, quem Iosephus 11. Antiq. cap. 8. testatur fuisse Pontificem, quando venit Alexander Magnus in Ierusalem. Nam, vel librum Nehemia inscriptum ipse Esdras conscripsit, vel non. Si non; vtique non procedit argumentum: potuit enim Nehemias fuisse multò iunior ipso Esdra, & post Esdræ obitum memoratam Pontificum contexuisse genealogiam. Si autem librum illum scripsit Esdras, aut Nehemias adhuc viuente Esdra; dicere possumus cum venerabili Beda lib. 3. in Esdram cap. 32. Nehemiam, aut Esdram attigisse Iaddi infantiam; qui posteà, quando excepit Ierosolymis Alexandrum Magnum anno regni sui quarto, iam erat valdè senex: eodem quippe circiter tempore decessit quo Alexander, vt ex loco Iosephi citato in calce capitis colligi potest. Deinde dicimus, satis probabiliter posse coniici, quòd idem Esdras vixerit tantummodò vsque ad tempora Darij Nothi, & anno regni eius circiter decimo, in senectute bona, nimirum iam octogesimum quintum vitæ annum agens, dies suos in pace Ierosolymis clauserit. Tunc namque iuxta præcedenti numero dicta, benè potuit attigisse infantiam Iaddi; & prophetico Spiritu (erat enim non solùm Historicus, sed etiam Propheta, vt sub anno mundi 3595. num. 2. declaratum est) præuidisse, quòd ipse Iaddus, cùm ad debitam peruenisset ætatem, futurus erat Pontifex, tametsi id ibi non asserat. Etenim ab anno Darij Nothi decimo, ad obitum Alexandri Magni, inueniuntur in tabulis anni nonaginta; quos impleuisse poterat Iaddus eo anno quo mortuus est. Sed nunc ad historiæ seriem calamum recurrere sinamus.

DE TEMPORE OBITVS ESDRAE.

29. Eodem anno, qui (vt videre est in tabulis) concurrit cum anno Vrbis conditæ trecentesimo decimo, Romæ loco Consulum, Tribuni Militum cum potestate Consulari primùm creari cœpti sunt; tresque creati fuere, videlicet A. Sempronius Atratinus, L. Atilius Longus, & T. Cæcilius. Non tamen pro firmato stetit huius Magistratus ius; quia tertio mense quàm inierunt, Augurum decreto, perinde ac vitio creati, honore abiere; & iterùm ad creationem Consulum ventū est; creatique sunt Coss. L. Papirius Mugillanus, & L. Sempronius Atratinus. vide T. Liuium Decad. 1. lib. 4. Porrò hęc inter Romani regiminis mutationes, quòd tam modico tempore durauerit, non computatur.

TRIBVNI MILITVM PRO CONSVLIBVS PRIMO CREATI PAVLO POST ABDICARVNT.

AB ORBE CONDITO ANNVS 3611. — SEXTÆ MVNDI ÆTAT. ANNVS 165.

1 ANNO insequenti, qui fuit Vrbis trecentesimus vndecimus, M. Geranio Macerino II. & T. Quinctio Capitolino V. Coss. Romæ erigi cœptus est Censorum Magistratus: nam anteà à Tullo Hostilio Rege, & dein à Consulibus quandoque census actus fuerat; numquam autem, nisi nūnc primùm, à proprio Magistratu. Huius erectionis causa dicitur fuisse, quòd res esset valdè operosa, & Consulibus

CENSORVM MAGISTRATVS QVANDO INSTITVTVS.

libus minùs conueniens, tamquam curis maioribus implicatis, vt propterea proprio egere Magistratu videretur, cui Scribarum ministerium, custodiæque & tabularum cura & arbitrium formulæ censendi subiiceretur: Fuerunt autem primi Censores, L. Papirius & L. Sempronius, vt est apud Liuium Decad. 1. lib. 4. Ceterùm, dicti Magistratus officium, ab initio quidem magis operosum quàm magnæ existimationis in Vrbe fuit; quoniam tantummodò ad ciues censendos institutum fuerat; vt scilicet scirent singuli quantum pecuniæ in ærarium publicum conferre tenerentur, ad publicas expensas, præsertim bellorum causa faciendas. verumtamen procedentibus temporibus adeò excreuit huius Magistratus auctoritas, vt (eodem Liuio ibidem attestante) *morum disciplinæq; Romanæ penes eum regimen, Senatus Equitumq; centuriæ decoris dedecorisq; discrimen, sub ditione eius; publicorum ius, priuatorumq; locorum, vectigalia Populi Romani sub nutu atque arbitrio essent.* sic ille. His adde, quòd cùm ipsi Censores Magistri morum haberentur, quandoque ipsis etiam Consulibus quodammodò maiores videbantur: vt propterea mirum non sit, si aliquando ipsi quoque Imperatores Censoriam potestatem exercere non modò non erubescerent, verùm etiam ambire visi sint.

EORVM AVCTORITAS AVCTA.

AB ORBE CONDITO ANNVS 3616. — SEXTÆ MVNDI ÆTAT. ANNVS 170.

LIBRI ESDRAE QVANDO CONSCRIPTI.

1 ANNO Artaxerxis Longimani circiter vigesimo septimo, vel saltem non ante, oportet Esdram scripsisse librum eius nomine inscriptum, vt ex his, quæ sub annis mundi 3540. num. 1. & 3610. num. 9. dicta sunt colligi potest. Tunc enim credibile est, iam expletam fuisse templi fabricam ab Artaxerxe Longimano Ierosolymis opera Nehemiæ constructam, de qua locis citatis mētionem fecimus; & ipse item Esdras, tamquam de tunc iam constructa, meminit 1. Esdr. cap. 6. vers. 14. Secundus autem Esdræ liber, qui Nehemias inscribitur, videtur longè pòst fuisse scriptus: siquidem cap. vlt. agit de his quæ post finem dierum prædicti Regis in Ierusalem acciderunt. Nisi forte (quod non est improbabile) ambos post defunctum eumdem Artaxerxem quis contendat fuisse conscriptos. Oportet autem ante hos duos libros ipsum Esdram scripsisse duos alios, videlicet, 1. & 2. Paralip. (vt sub anno mundi 3610. n. 25. dictum est) quibus alij duo superiùs memorati videntur continuari: nam vbi desinit 2. Paralip. incipit 1. Esdræ; nimirum ab illo gratioso Cyri edicto de soluenda Babylonica captiuitate.

AB ORBE CONDITO ANNVS 3621. — SEXTÆ MVNDI ÆTAT. ANNVS 175.

NEHEMIAS REDIT AD REGEM, ET INTERIM IVDAEI DENVO PRAEVARICANTVR.

1 ANNO prædicti Artaxerxis Longimani trigesimo secundo ad finem appropinquante, Nehemias iuxta condictum reuersus est ad Regem in Persidem, vt ipsemet testatur cap. 13. vers. 6. Quo apud Regem morante, multa mala inoluerunt in terra Iuda, & illud præsertim, quòd non obstante separatione vxorum alienigenarum, quam à se Iudæi sollemniter fecerant, quemadmodum Lex præcipiebat, & nos sub anno mundi 3610. num. 16. diximus, denuò ad vomitum redierunt. Nam Eliasib summus Sacerdos, qui alios ab huiusmodi transgressione arcere debuerat, non modò id facere neglexit, sed ipse inprimis affinitatem contraxit cum quodam Tobia, qui erat Ammonites, vt dicitur Nehem. cap. 4. vers. 3. &, quod peius fuit, cùm ipse Eliasib esset præpositus Gazophylacio grandi, quod erectum fuerat in vestibulo domus Domini, ad reponenda in eo munera, & decimas, ac primitias, quæ offerebantur pro sustentandis Sacerdotibus ac Leuitis; eumdem Tobiam, nescio quo modo, introduxit in regimen & gubernationem seu curam dicti Gazophylacij, non sine graui Leuitarum damno & scandalo, vt ex sequentibus, quæ Nehem. cap. vlt. referuntur, clariùs apparebit. Porrò Ammonitas & Moabitas inter Iudaici populi alienigenas debuisse computari, patet Deuter. cap. 23. vers. 3. vsque ad 7.

QVARTA ROMANI REGIMINIS MVTATIO.

2. Eodem anno, qui fuit Vrbis conditæ trecentesimus vigesimus primus, Romæ Tribuni plebis assiduis concionibus prohibendo Consularia comitia, cùm res propè ad Interregnum perducta esset, euicere tandem vt Tribuni Militum Consulari potestate crearentur; non tamen obtinere potuerunt, vt plebeius crearetur: siquidem omnes patricij creati sunt, fueruntque M. Fabius Vibulanus, M. Foslius, & L. Sergius Fidenas. Et hæc dici potest fuisse quarta Romani regiminis mutatio; quia deinceps non

quotan-

quotannis Consules, vt priùs consueuerant, sed quandoque Tribuni Militares Consulari potestate præditi; quandoque verò Consules, prout tempora ferebant, creabantur vsque ad annum Vrbis trecentesimum sexagesimum tertium, vt ibidem dicemus.

AB ORBE CONDITO ANNVS 3622. SEXTÆ MVNDI ÆTAT. ANNVS 176.

1 Anno circiter insequente, qui (vt videre est in tabulis) concurrit cum anno primo Olympiadis octogesimæ septimæ, putat Iosephus Scaliger ortum esse bellum Peloponnesiacum inter Græcorum ciuitates olim in Peloponneso positas, & Athenienses aliosque populos Atticam incolentes. De quo bello vide, si placet, Historiam Thucydidis octo libris comprehensam; quam idem Auctor producit vsque ad exactum dicti belli annum vigesimum, vt patet ex fine eiusdem Historiæ. Reliqua Xenophon Atheniensis septem libris Rerum Græcarum inscriptis, prosequitur non solùm vsque ad exitum memorati belli Peloponnesiaci, cui finem imposuit Lysander captis Athenis anno, vt aiunt, eiusdem belli vigesimo octauo inchoato, qui erat quartus Olympiadis nonagesimæ tertiæ; sed & vlteriùs eamdem suam Historiam protrahit vsque ad prælium inter Thebanos & Lacedæmonios ad Mantineam commissum, de quo infrà suo loco dicemus. Vetus Eratosthenis tabula ponit prædictum belli Peloponnesiaci initium anno trecentesimo quadragesimo quinto post inchoatas Olympiades, qui annus in nostris tabulis concurrit, non cum hoc Orbis anno 3622. sed cum anno insequenti. Verùm hæc vnius tantùm anni differentia paruipendenda est, propter rationes à nobis in ipsa huius Operis Præfatione num. 6. adductas. INITIVM BELLI PELOPONNESIACI.

AB ORBE CONDITO ANNVS 3629. SEXTÆ MVNDI ÆTAT. ANNVS 183.

1 In fine dierum, subaudi Artaxerxis, quem paulò antè Scriptura sacra Nehem. cap. vlt. vers. 6. nominauerat; hoc est (vt arbitror) anno regni eius quadragesimo, qui pariter fuit vitæ eius regnique postremus, vt numero proximo probabitur; Nehemias rogato Rege, & obtenta ab eo licentia, iterùm de Perside rediit in Ierusalem: vbi cùm inuenisset quasdam Legis transgressiones, eas totis viribus corrigere tollereque curauit. Et ante omnia proiecit de Gazophylacio vasa domus Tobiæ, de quo paulò antè dicebamus; & mundari iussit Gazophylacium, atque in eo inferri vasa domus Domini, in quibus ritè ac legitimè reponi possent thus & alia quæ offerebantur pro cultu Domini conseruando. Deinde reuocauit Leuitas, qui aufugerant vnusquisque in regionem suam, eò quòd partes eis secundùm Legem datæ non fuissent ad debitam ipsorum sustentationem. Ex quo perspicuè licet inferre, quòd illas Eliasib & Tobias furarentur, vel potiùs per potentiam raperent, & in vsus proprios conuerterent. Constituit proinde alios, scilicet Sacerdotes & Leuitas, super horrea decimarum frumenti, vini, & olei, integerrimos, qui fideliter iusteque debitas fratribus suis portiones impertirent. Prætereà cùm vidisset passim violari Sabbatum, per quosdam eo die venalia Ierosolymis inferentes; redarguit ciuitatis Optimates, qui fortè, quòd res sua ageretur, clàm fouebant hoc malum; & insuper vt illud ipsum penitus auferret, iussit claudi vrbis portas die Sabbati, easdemque custodiri primùm à pueris suis, mox à Leuitis. Item cùm aduertisset, quòd nonnulli ex Iudæis vxores denuò duxissent alienigenas; alios acriter obiurgauit, alios maledixit, quosdam grauiùs puniens, cecidit ac decaluauit; & quosdam adiurauit ne id facerent: sed neque veritus est fugare Sanaballat Horonitem, qui erat gener filiorum Ioiadæ filij Eliasib Sacerdotis magni. Denique, Iudæis iterùm ab alienigenarum commixtione mundatis, constituit, vel potiùs restituit ordines Sacerdotum ac Leuitarum, vnumquemque in ministerio suo. Quæ omnia fusiùs explicantur Nehem. cap. vlt. per totum. Ceterùm, quoniam hinc vsque ad tempora Machabæorum præter historiam Esther, quam suo loco recensebimus, nihil ferè aliud in sacris Scripturis habemus, nisi pauca quædam sparsim obiterque memorata, quæ nos pariter, prout occasio tulerit, referemus: proptereà hîc & deinceps necessarium erit, pro aliquali temporum continuatione, quædam summatim ab Ethnicorum seu Gentilium Historiis magis probatis mutuari: quod tamen parcè admodum erit faciendum, ne instituti nostri limites transgredi velle videamur.

REVERTITVR NEHEMIAS DE PERSIDE, ET ABVSVS INTRODVCTOS TOLLIT.

CVR QVAEDAM AB ETHNICORVM HISTORIIS HIC DEINCEPS SINT INSERENDA.

2 Eodem anno regni sui quadragesimo expleto, præfatus Artaxerxes Longimanus excessit

MORITVR ARTAXERXES LONGIMANVS. excessit è vita, vt probat ex Thucydide Scaliger lib. 5. de Emendatione temporum in cap. De excessu Darij Longimani; & colligitur etiam ex Diodoro Siculo lib. 12. & Eusebio, & Adone in Chronicis, qui eumdem quadraginta annis regnasse testantur, quos postea secuti sunt alij Scriptores ferè omnes.

AB ORBE CONDITO ANNVS 3630. SEXTÆ MVNDI ÆTAT. ANNVS 184.

REGNANT XERXES SECVNDVS ET SOGDIANVS IN PERSIDE. 1 ANNO proximo, qui erat primus Olympiadis octogesimæ nonæ, vt videre est in tabulis, regnasse dicuntur in Perside, primò Xerxes huius nominis secundus, Rex verò Persarum octauus; deinde Sogdianus, Rex Persarum nonus: qui ambo vnus post alterum vi doloque regnum occupasse, ac periisse perhibentur; primus cùm regnasset duobus mensibus, alter autem septem, vt ait Diodorus vbi suprà; vel octo, vt Eusebius in Chronicis.

AB ORBE CONDITO ANNVS 3631. SEXTÆ MVNDI ÆTAT. ANNVS 185.

REGNAT DARIVS NOTHVS. 1 ANNO insequente circiter inchoante, regnauit in Perside Darius cognomine Nothus, fuitque Rex Persarum decimus; & Longimani quidem filius, sed non ex legitima vxore natus. Et hic quidem regnum tenuit annis non 18. vt Ado in Chronicis, sed decem & nouem, vt scriptum reliquerunt Eusebius & Diodorus locis suprà citatis, & Beda de Sex ætatibus mundi, & alij; quod etiam ex Thucydide colligit Scaliger loco paulò superiùs adducto. Hunc Darium Sulpitius lib. 2. Historiæ sacræ, & Scaliger lib. 6. de Emendatione temporum, cap. De hebdomadibus Danielis, crediderunt esse illum cuius fit mentio 1. Esdr. c. 6. & Zachar. c. 1. & 7. & Aggæi c. 1. & 2. quibus in locis habetur, quòd anno regni eius secundo resumpta est templi ædificatio, & anno ipsius sexto expleta fuit. Sed istorum opinio non videtur posse subsistere: quandoquidè ex libris Esdræ, Aggæi, & Zachariæ citatis, & præsertim Zachar. cap. 4. vers. 9. constat, quòd idem Zorobabel, qui sub Cyro fundamenta templi iecerat, idem templum expleuit, subaudi, anno Darij sexto, vt colligitur 1. Esdr. cap. 6. vers. 15. & nos sub anno mundi 3537. num. 1. explicauimus. Quare, si iste Darius fuisset ille qui dictus est Nothus, oporteret prædictum Zorobabelem fuisse valdè senem, puta, ad minus centum triginta quattuor annorum, quando ædificauit templum: nam ex tabulis manifestum est, à soluta Iudæorum captiuitate ad annū Darij Nothi sextum, fluxisse annos centum viginti; & probabile est, ipsum Zorobabel quattuordecim aut quindecim saltem fuisse annorum, vt positum est in tabulis, quando ipso Duce populus fundamenta templi iacere cœpit: atqui tempore illius Darij sub quo ædificatum absolutumque fuit templum, Zorobabelem non fuisse senem, sed adhuc iuuenem siue adolescentem, apertè probari potest ex 3. Esdr. cap. 3. vers. 4. & 16. & c. 4. vers. 13. & 58. Qui quidem liber licet non sit Sacer, non est tamen eius Auctor minoris auctoritatis, ac sunt alij veteres probatique Auctores. Idem comprobari potest, quia regnante Dario Notho oportet summum Sacerdotium Ierosolymis fuisse penes Eliasib, aut filium eius, non autem penes Iesum filium Iosedec; quem tamen ex locis sacræ Scripturæ citatis, ac præcipuè Aggæi cap. 1. vers. 1. 12. & 14. & cap. 2. vers. 3. & 5. colligi potest cum Zorobabele pariter interfuisse, quando fundatum & perfectum est templum. Signum ergo est, ipsum non sub Dario Notho, sed sub Dario Hystaspis fuisse ædificatum; quemadmodum nos sub annis mundi 3533. num. & 3537. nu. 1. & 3540. num. 1. ostendimus.

SVB HOC REGE TEMPLVM NON FVISSE AEDIFICATVM

AB ORBE CONDITO ANNVS 3633. SEXTÆ MVNDI ÆTAT. ANNVS 187.

ANNVS IVBILAEI 21. 1 ANNO regni Darij Nothi tertio oportet incidisse in Iudæa annum Iubilei vigesimi primi: iste enim est annus ab introitu Israelis in Terram promissionis millesimus quinquagesimus, vt apparet in tabulis.

AB ORBE CONDITO ANNVS 3640. SEXTÆ MVNDI ÆTAT. ANNVS 194.

1 ANNO regni eiusdem Darij Nothi circiter decimo, probabiliter credi potest, Esdram famosissimum veteris Legis Sacerdotem, & Scribam in Lege doctissimum, in Iudæa decessisse, post multos in Sacris studiis, necnon in populo quæ Legis erant erudiendo, atque in his quæ ad verum Dei cultum pertinebant instituendo, exantlatos labores; quemadmodum ex his quæ sub anno mundi 3610. n.27. disseruimus, colligi potest. ESDRAS MORITVR.

AB ORBE CONDITO ANNVS 3649. SEXTÆ MVNDI ÆTAT. ANNVS 203.

1 ANNO quarto Olympiadis nonagesimæ tertiæ, vt ex Diodoro tradit Scaliger lib.5. de Emendatione temporum, in cap. De excessu Artaxerxis Longimani, & initio Darij Nothi; idem Darius Nothus decessit, cùm regnasset annis decem & nouem, quemadmodum sub anno regni eius primo probatum est. DARIVS NOTHVS MORITVR.

2. Eodem circiter anno, qui (vt videre est in tabulis) concurrit cum quarto Olympiadis nonagesimæ tertiæ, oportet desiisse bellum Peloponnesiacum, quemadmodum sub anno mundi 3622. num.1. dictum est: siquidem iste erat annus eiusdem belli decimusoctauus incipiens, in quo Lysander Dux Lacedæmoniorum, captis Athenis, eidem bello finem imposuit. Agunt de hoc bello Xenophon lib. Rerum Græcarum 2. & Plutarchus in Alcibiade, ac fusiùs in Lysandro. PELOPONNESIACI BELLI FINIS.

AB ORBE CONDITO ANNVS 3650. SEXTÆ MVNDI ÆTAT. ANNVS 204.

1 ANNO proximo regnauit in Perside alter Artaxerxes Rex Persarum vndecimus, cognomento Mnemon, quod idem est ac si diceremus, Memor; sic nuncupatus quòd insigni admodum memoria præditus esset. Huius vitam fusiùs describit Plutarchus sub titulo, Artaxerxes, quem Xerxis ex filio nepotem fuisse asserit; & eumdem præfati Darij Nothi filium facit Scaliger libro suprà citato cap. De initio Artaxerxis Mnemonis. Hunc credimus eumdem fuisse cum illo Persarum Rege, qui in libro Esther quandoque Assuerus, & quandoque Artaxerxes nominatur: nam cùm eiusdem libri historia sub nullo alio Rege conuenientiùs poni posse videatur, quàm vel Longimano, vel Mnemone; nos propter rationes quas sub anno mundi 3590. num.7. adduximus, eamdem potiùs Mnemonis quàm Longimani temporibus ponendam esse censuimus; idque eò libentiùs, quòd hæc opinio non sit noua aut obscura, sed valdè celebris, & veterum probatissimorumque Scriptorum, Eusebij, Isidori, Bedæ, & aliorum: quam sequitur etiam Pererius lib.10. in Danielem super illa verba, *Hebdomades septem & hebdomades sexaginta duæ erunt.* vbi historiam Esther ait contigisse sub finem septem primarum Danielis hebdomadarum ab exitu sermonis vt iterùm ædificetur Ierusalem; & libro decimotertio agens de Regibus Persarum, vbi deuenit ad Mnemonem, sub eo illam accidisse asserit. REGNAT ARTAXERXES MNEMON IN PERSIDE, QVI FVIT MARITVS ESTHER.

2. Neque verò me latet, Cardinalem Bellarminum lib.1. de Verbo Dei cap.7. duo aduersus hanc sententiam argumenta, vt ipse ait, non leuia attulisse: propterea eadem hîc referre ac diluere necessarium duxi. Primum est, quia scribit Iosephus lib. Contra Apionem, non haberi apud Hebræos in Canone Sacrorum librorum eos libros, qui post tempora Artaxerxis Longimani scripti sunt; siquidem Sacrorum librorum Canonem Esdras composuit, cuius vita non extenditur vltra tempora Longimani: at liber Esther semper in Canone Hebræorum fuit, vt ex eodem Iosepho lib.11. Antiq. c.6. & lib. 1. Contra Apionem colligitur: non igitur historia Esther ad tempora Mnemonis referenda est. Deinde Artaxerxis Mnemonis vitam accuratè scripsit Plutarchus, qui tamen ne innuit quidem aliquid eorum quæ traduntur in libro Esther; quin potiùs contraria: narrat enim Plutarchus Artaxerxem Mnemonem duas coniuges habuisse, Statiram & Atossam. neutra autem potest esse Vasthi, aut Esther, quæ Assueri nostri vxores fuerunt: nam Vasthi repudiata fuit, Esther cap.1. vers.19.20. & 41. Statira autem veneficio interfecta dum adhuc Regina esset, & cum ingenti Regis dolore. Atossa

verò repudiata numquam fuit, ſed vixit cum Artaxerxe vſque ad eius mortem. Iam verò Eſther, Hebræa erat genere, & in matrimoniũ accepta ab Artaxerxe, annò regni eius ſeptimo, Eſther cap.2. verſ.16. & 17. Atoſſa autem non Hebræa, ſed Perſica, & eiuſdem Artaxerxis filia fuit: Statira verò non anno regni ſeptimò aſſumpta, ſed antequam regnare inciperet Artaxerxes, ab eo ducta fuerat. Hæc ferè Bellarminus. cui reſpondere ſic poſſumus:

RESPONSIO AD ARGVMENTA BELLARMINI.

3. Ad Primum, Eſto, quòd Eſdras Canonem Sacrorum librorum compoſuerit, viginti duobus dumtaxat libris diſtinctum; & quòd ipſe (tametſi nos aliter ſentiamus) non vltra Longimani tempora vitam produxerit: quia tamen Ioſephus, quinam eſſent illi viginti duo libri, non explicat; fortiùs probandum erat, librum Eſther inter ipſos ſemper fuiſſe connumeratum. Nam quòd Ioſephus 11. Antiq. cap.6. narret hiſtoriam ipſius Eſther; & quòd ibidem lib.1. Contra Apionem dicat, ſe libros Antiquitatum ex Sacris codicibus collegiſſe; non videtur ſatis probare intentum: ſiquidem certiſſimum eſt, eumdem Auctorem ex Sacris quidem potiſſimùm, ſed ex aliis quoque antiquis Hebræorum libris, ſuos Antiquitatum compilaſſe: nam & lib.2. Antiq. cap.5. quædam de Moyſe, & lib.10. cap.12. de Daniele item aliqua ſcribit, quæ in ſacris Scripturis minimè reperiuntur, quod pluribus quoque aliis in locis obſeruari poterit. & lib.11. cap.4. plura ferè ad verbum deſumit ex 3. Eſdræ libro, qui tamen Canonicus numquam fuit. Quare quòd pariter de libro Eſther ferè omnia deprompſerit, non probat librum Eſther olim in Canone Sacrorum librorum ab Eſdra compoſitum extitiſſe; ſed potuiſſe etiam eſſe de numero illorum librorum, qui poſt Eſdræ obitum conſcripti fuerunt, & mox in ſacro Canone regiſtrati; quales ſunt liber Sapientiæ, Eccleſiaſtici, Machabæorum, & ſi qui ſunt alij. Quòd ſi quis percontetur, à quonam, & quando liber Eſther fuerit conſcriptus, & in ſacro Canone poſitus: facilè reſponderi poteſt; non quidem ab Eſdra (vt minùs rectè putauit S. Iſidorus lib.6. Originum cap.2.) ſed à Mardochæo, qui affuit rebus geſtis, eaſque ipſe meliùs vel optimè omnium nouerat, fuiſſe ſcriptum, quemadmodum communior Doctorum ſententia eſt, & perſpicuè colligitur Eſther c.9. verſ.20.26. & 29. idque (vt arbitror) anno regni Aſſueri ſiue Artaxerxis Mnemonis duodecimo vel decimotertio; nimirum ſtatim ac omnia quæ in ipſo continentur, geſta fuerunt. Quando autem in ſacro Canone fuerit poſitus, tametſi nihil certi afferre poſſumus, probabile tamen eſt id fuiſſe factum, vel quando Regina Mardochæoque mandantibus inſtituti ſunt dies Phurim, hoc eſt Sortium, quotannis apud Iudæos celebrandi; vel anno Philometoris quarto, quando Doſithæus & Ptolemæus tulerunt epiſtolam Phurim, ſiue Sortium, in Ieruſalem, vt dicitur Eſther cap.11. verſ.1. & nos infrà ſub anno mundi 3876. num.1. dicemus. & planè indicat ibidem illa tam diligens anni Regis & aliarum circumſtantiarum notatio: exqua profectò non obſcurè licet coniectari, tunc primùm epiſtolam illam, id eſt librum Eſther (ſic enim apertè declaratur eiuſdem libri cap.9. verſ.26. illis verbis: *Et cuncta quæ geſta ſunt, epiſtolæ, id eſt libri huius volumine continentur*) delatum fuiſſe in Ieruſalem: alioquin, ſi non originalis codex, ſed exemplar eius dumtaxat Ieroſolymam tunc delatum fuiſſet; ſuperfluum videri poſſet, eiuſmodi delationis tempus tot circumſtantiis & tanta ſollemnitate in ſacra præſertim Scriptura debuiſſe notari. Quare hinc ſatis probabiliter inferri poſſe videtur, quod priùs dicebamus; nempe, librum Eſther in Sacrorum librorum Canone ab Eſdra compoſito nequaquam extitiſſe: ſiquidem omnes illius Canonis libri in Bibliotheca, quam Nehemias Ieroſolymis conſtruxerat, repoſiti fuerant; ita vt iam non opus eſſet aliquem ipſorum alibi quærere, ac eò aſportare. Hoc ſi verum eſt, vtique hinc etiam deduci poteſt, hiſtoriam Eſther potiùs ſub Artaxerxe Mnemone, quàm ſub Longimano contigiſſe: & propterea poſt Eſdræ obitum, vt diximus, à Mardochæo fuiſſe conſcriptam; ac poſteà Scribarum conſilio & opera inter Sacra volumina repoſitam & connumeratam.

4. Ad alterum Bellarmini argumentum dicere poſſumus, Non mirum eſſe quòd diuerſimodè Plutarchus & Auctor libri Eſther de Artaxerxis vxoribus ſcripſerint: quandoquidem certum eſt, Ethnicos Scriptores multò aliter referre ſolitos eſſe quæ ad Sacram pertinent hiſtoriam, quàm in ipſamet ſacra Scriptura reperiatur; quemadmodum ſub anno mundi 1656. num.23. & 26. & ſub anno mundi 3023. num.7. diximus, & pluribus exemplis planum fieri poteſt ex Ioſepho 1. Antiq. cap.4. & 8. ſed præcipue in toto ferè primo Contra Apionem libro. & item ex Euſebio lib.9. de Præparatione Euangelica cap. vlt. vbi plura ab antiquis Ethnicorum Scriptoribus mutuata referuntur: de Diluuio, de Turre Babel, de diuiſione linguarum, de Abrahamo, de Moyſe,

se, & aliis, valdè diuersa ab his quæ de eisdem in sacra Scriptura legimus. Vnde sufficit, Plutarchum in hoc cum Auctore libri Esther conuenire, quòd vterque ponat, hunc Artaxerxem duas habuisse vxores: præsertim cùm fieri possit, vt quæ repudiata dicitur, etiam inscio ac inuito Rege, posteà clàm veneficio fuerit interfecta; & quòd Esther, quia in Perside nata erat, non Hebræa, sed Persica; & insuper falsò quoque eiusdem Artaxerxis filia, quòd ab eo tantopere diligeretur, credita fuerit, à Græco præsertim Scriptore.

5. Scio contra hanc positionem, quòd scilicet Artaxerxes Mnemon fuerit maritus Esther, alia posse obiici: nimirum, non videri verisimile, dictum Artaxerxem timuisse, ne Aman transferret Regnum Persarum ad Macedones, vt legimus de Assuero Esther cap. 16. vers. 14. siquidem, vt ait Iustinus in calce libri sexti, regnum Macedonum, vsque ad tempora Philippi patris Alexandri Magni, fuit valdè obscurum; & (vt tradit Diodorus lib. 16. sub anno dicti Philippi vigesimo) non nisi anno regni eiusdem Philippi vigesimo, qui concurrit cum vigesimo quarto regni Artaxerxis Ochi, vt nostris patet in tabulis, cœperunt suspectæ esse Persis Macedonum vires. Præterea, quia oporteret Mardochæum supra ducentos viginti quinque annos vixisse: nam Esther cap. 2. vers. 6. & cap. 11. vers. 4. dicitur translatus de Ierusalem cum Iechonia. totidem verò annos à transmigratione Iechoniæ ad duodecimum Artaxerxis Mnemonis annum, in quo constat Mardochæum fuisse superstitem, fluxisse, dinumerari potest in tabulis. *ALIA OBIECTA.*

Sed ad hæc respondere possumus: Ad Primum, cum ipso Cardinali Bellarmino, loco suprà num. 2. adducto, Artaxerxem non timuisse, quòd tunc Macedones cum regno Persarum de Imperio competere possent; sed ne Aman, genere Macedo, gentem suam tunc obscuram, translato ad se suósque Persarum Imperio, illustrare contenderet. Ad alteram obiectionem de Mardochæo, dicimus cum Rabbi Paulo, Caietano, Melchiore Cano, Pererio, & eodem Cardinale Bellarmino, locis sub anno mundi 3456. num. 2. adductis, textus Esther proximè citatos, qui habent, Mardochæum translatum fuisse de Ierusalem cum Rege Iechonia, rectè ita posse interpretari, vt sit sensus, Mardochæum non in propria, sed parentum aut maiorum suorum persona fuisse translatum. Neque enim noua est hæc interpretandi ratio, aut in sacris Scripturis inusitata: siquidem 2. Esdr. cap. 7. vers. 6. & 7. inter illos qui dicuntur rediisse de captiuitate, quos (inquit Scriptura) transtulerat Nabuchodonosor Rex Babylonis, numerantur Iosue & Zorobabel; & tamen constat Matth. cap. 1. vers. 12. Zorobabelem natum esse post dictam captiuitatem. & idem credi potest de ipso Iosue, & multis aliis; quemadmodum apertè colligitur 1. Esdr. cap. 3. vers. 11. & 12. vbi dicitur, quòd qui non viderant templum Salomonis, exultabant videntes fundamenta templi Zorobabelis; qui verò primum viderant, flebant, arguentes ex fundamentorum crassitudine, posterius illud templum ad prioris altitudinem attolli non posse. Signum ergo est, quòd inter Iudæos qui reuersi fuerant de captiuitate Babylonica, plures nati erant post illam, & numquam viderant templum Salomonis: & nihilominùs omnes dicuntur translati à Rege Babylonis, nimirum aliqui in propriis, alij verò in parentum personis. Scimus etiam, Genes. cap. 45. vers. 27. & Deuter. cap. 10. vers. 22. in illis septuaginta animabus quæ dicuntur ingressæ cum Iacob in Ægyptum, computari etiam duos Iosephi filios iam in Ægypto natos, qui non aliter in dicto ingredientium numero includi posse videntur, nisi quatenus erant in lumbis patris sui Ioseph, quando ipse de terra Chanaan venerat in Ægyptum. Cur autem locis Esther allegatis Scriptura commemoret Mardochæum duxisse originem à concaptiuis Iechoniæ, puto causam adduci posse duplicem; nempe Alteram, vt per hoc commendaret ipsum Mardochæum, quòd scilicet non esset de progenie illorum, qui cum obstinato Sedecia Dei voces per Ieremiam Prophetam sæpiùs eis inculcatas contemnentes, deditionem Regi Babylonis facere recusarant; sed de prosapia eorum, qui cum Iechonia, eidem Ieremiæ monitis Deique iussionibus obtemperantes, vltrò se dediderant Regi Babylonis. Alteram, vt planum fieret quamobrem ipse Mardochæus & Esther filia eius adoptiua tantopere à Rege exaltati fuerint, nimirum, vt præfati Ieremiæ vaticinia ostenderentur impleta. Recole duos illos calathos Prophetæ diuinitus præmonstratos, Ierem. c. 24. alterum electissimarum ficuum, alterum pessimarum refertos; & eiusdē visionis expositionem ibidem subiunctam: & intelliges quanta bona pollicitus sit Dominus ijs qui cum Iechonia, & quanta comminatus fuerit mala ijs qui cum Sedecia in captiuitatem ducti essent. *RESPONSIO* *EXPONVNTVR DVO LOCI LIB. ESTHER.*

6. Ceterùm, haud me præterit, Nicolaum Serarium super cap. 1. Esther quæst. 3. historiam ipsius Esther sub Artaxerxe Ocho Rege Persarū duodecimo collocandam

HISTORIAM ESTHER NON SVB ARTAXERXE OCHO CONTIGISSE.

esse, pluribus ostendere contendisse: sed contra ipsum valdè militant quæ nos sub anno mundi 3690. num. 3. dicturi sumus. Et licet ipse reliquas de hac re opiniones rectè confutauerit, non tamen eam quam proximè memorauimus efficaciter refellere valuisse putamus, quemadmodum attentiùs consideranti quæ suprà, præsertim num. 4. & 5. diximus, constare poterit. Deinde rationes, quibus sententiam suam confirmare nititur, non tam firmæ videntur, vt in re tam antiqua præferri iure debeant auctoritatibus antiquissimorum grauissimorumque Scriptorum, Eusebij in Chronico, S. Hieronymi super Ezechielis cap. 4. Bedæ in lib. de Sex ætatibus mundi, & aliorum, qui sine vlla hæsitatione dictam historiam sub Artaxerxe Mnemone posuerunt. Denique horum sententia eò item libentiùs amplexanda est, quòd celebrior sit, & probabilior, ac etiam magis consentanea videatur his quæ de Prophetia septuaginta hebdomadarum Danielis tradunt Pererius lib. 10. in Danielem, & alij, qui inuestigantes causam, cur septem priores hebdomades separatim à reliquis memorentur, aiunt, id etiam esse factum, ad subsequens mysterium quodammodò præmonstrandum; nempe, quòd speciatim circa initia & finem septem primarum hebdomadarum, Iudæi posteà à Deo singularibus quibusdam fauoribus domi forisque afficiendi erant. Constat enim, quòd circa ipsarum initia, Ierusalem ipsorum metropolis reædificata est, & templum ampliatum atque munitum, vt sub anno mundi 3610. num. 1. 2. 9. & 15. diximus: circa verò finem earum, res eorumdem Iudæorum in Perside admodum prosperè, & supra quàm sperare poterant, sub Artaxerxe marito Esther feliciter cesserunt: annus quippe regni Artaxerxis Mnemonis septimus, in quo Esther ad regnum euecta est, incidit in annum hebdomadarum Danielis quadragesimum septimum, vt patet in tabulis, & ad septimam pertinet hebdomadam. Itaque vt ad rem redeamus, hac opinione supposita, quòd scilicet quæ in lib. Esther describuntur, sub Artaxerxe Mnemone gesta fuerint, dicimus quòd

AB ORBE CONDITO ANNVS 3651. — SEXTÆ MVNDI ÆTAT. ANNVS 205.

SOMNIA MARDOCHAEI PROPHETICA.

1 ANNO regni secundo Artaxerxis Mnemonis, (qui Esther cap. 1. vers. 1. etiam Assuerus nuncupatur) Mardochæus Iudæus de tribu Beniamin, qui habitabat in Susis vrbe Persarum regia, & erat vir magnus, ac inter primos aulæ regiæ, vidit prima die mensis Nisan somnium illud duorum draconum inter se conflictantium, & parui cuiusdam fontis, qui creuit in fluuium maximum: Esther cap. 11. vers. 2. vsque ad finem capitis. Quo somnio portendebatur maxima illa disceptatio, quæ postmodum orta est inter ipsum Mardochæum & Aman; & item mirabilis illa puellæ Esther exaltatio, de statu priuato & humili ad regni thronum & gloriam, quemadmodum disertè declaratur Esther cap. 10. vers. 4. vsque ad 12.

AB ORBE CONDITO ANNVS 3652. — SEXTÆ MVNDI ÆTAT. ANNVS 206.

ASSVERVS FECIT GRANDE CONVIVIVM, IN QVO VASTHI REGINA REPVDIATVR.

1 ANNO regni sui tertio, idem Artaxerxes siue Assuerus Rex Persarum fecit grande illud celeberrimumq; conuiuium, quod latè describitur Esther cap. 1. per totum. In quo quidem conuiuio Regina Vasthi, quòd à marito accersita parêre recusasset, repudiata fuit; & hac occasione vulgatum est edictum regium in omni Persarum Imperio, quo viri vxorum suarum domini declarabantur. Et non multò pòst, de mandato Regis, quæsitæ sunt aliquot virgines cunctis speciosiores de omni regno suo, & adductæ Susis in domo feminarũ Regis, sub cura Egæi eunuchi, qui eis omnia ad victum necessaria, & quæcumque ad ornatum vellent, cumulatè prouideret, vt posteà quæ magis placeret Regi, ipsa eius vxor esset, & Regina loco Vasthi. Porrò inter prædictas virgines ducta quoque fuit Edissa, quæ alio nomine dicebatur Esther, filia fratris præfati Mardochæi, quam vtroque parente orbatam ipse adoptauerat in filiam: & hæc (quemadmodum ei præceperat Mardochæus) noluit indicare genus suum: Esther cap. 2. vers. 1. vsque ad 12.

AB ORBE CONDITO ANNVS 3656. SEXTÆ MVNDI ÆTAT. ANNVS 210.

1 ANNO prædicti Assueri septimo creditur Eliacim genuisse Azor, Matthæi cap. 1. vers. 13. iuxta ea quæ de hac Saluatoris genealogia in eodem Euangelio descripta, nos sub anno mundi 3461. num. 1. disseruimus: vbi etiam diximus, quòd tunc poterat Eliacim fuisse annorum vnius & quinquaginta, vt & apparet in tabulis. ELIACIM GENVIT AZOR.

2. Eodem anno eiusdem Assueri seu Artaxerxis septimo, mense Anni Hebræorum sacri decimo, vel (vt aiunt LXX. Interpretes, & Iosephus 11. Antiq. cap. 6. non multò post initium) duodecimo, ducta est Esther ad cubiculum Regis; qui eius incredibili pulchritudine & gratia captus, dilexit eam super omnes alias, ac legitimã duxit in coniugem; ponensque diadema regni in capite eius, fecit eam pro Vasthi iam repudiata regnare: insuper voluit nuptias eius magnificentissimè celebrari, cunctis Principibus ad regale conuiuium inuitatis; simulque gratiosis de more decretis per vniuersas prouincias in communi lætitia promulgatis, ac muneribus regali munificentia elargitis: Esther cap. 2. vers. 16. vsque ad 19. ESTHER FIT VXOR ASSVERI, ET REGINA.

3. Per idem tempus, antequam Esther Regina se esse Iudæam prodidisset, Mardochæus, qui tum ad palatij ianuam morari consueuerat, detexit insidias duorum eunuchorum, qui in primo palatij limine præsidebant, & nescio qua de causa aduersus Regem indignati, volebant illum interficere: detulit ergo eos Reginæ, & illa Regi ex nomine Mardochæi. Rex autem debitis inquisitionibus interrogationibusque præmissis, cùm rem ita esse, vt delata fuerat, cognouisset, iussit vtrumque appendi in patibulo, & delationem à Mardochæo fideliter factam, in Annalibus adnotari, vt pro opportunitate debitam ei gratiam referre posset: Esther cap. 2. vers. 21. vsque ad finem capitis. MARDOCHAEVS DETEGIT INSIDIAS EVNVCHORVM QVI VOLEBANT REGEM OCCIDERE.

4. Post hæc Assuerus Rex exaltauit vnum de seruis suis nomine Aman, super omnes Principes regni sui; præcepitque vt omnes curiales flecterent ei genua, & adorarent eum. Quod cùm Mardochæus Iudæus facere renuisset; non tumore inflatus superbiæ (quemadmodum ipsemet coram Domino protestatur Esther cap. 13. vers. 12. vsque ad 15.) sed ne honorem illum qui Deo principaliter tribui consueuit, homini dare videretur: indignatus Aman de hac re nimis, & præ nimia mentis extollentia, paruipendens de vno Mardochæo vindictam sumere, cogitauit statuitque in corde suo, vniuersam Iudæorum nationem in regno Assueri commorantem perdere: Esther cap. 3. vers. 1. vsque ad 7. Quamobrem ASSVERVS EXALTAT AMAN, QVI STATVIT PERDERE IVDAEOS.

AB ORBE CONDITO ANNVS 3661. SEXTÆ MVNDI ÆTAT. ANNVS 215.

1 ANNO prædicti Artaxerxis siue Assueri duodecimo, vt expressè notatur Esther cap. 3. vers. 7. mense Anni sacri primo, volens Aman, ad solatium fortè amicorum suorum, sortiri quonam tempore deberet conceptum Iudæis interitum inferre; iussit coram se afferri vrnam schedulas continentem, singulis anni mensium nominibus, & singulis pariter mensium diebus notatas; & vna ex illis educta ac lecta, sorte exiit, quæ his aut eiusmodi verbis signata erat: *Die decima tertia mensis duodecimi*, qui apud Hebræos dicebatur Adar. Exinde ergo non distulit Aman quæ cogitauerat quantocyùs opere implere, & pro temporis opportunitate hæc aut similia Regi suggerere; nimirum, reperiri in regno eius populum Iudaicum numero iam valdè auctum, religione, ritibus, ac legibus à ceteris omnibus segregatum, & scita Regis contemnentem: non expedire bono publico, nec regij status securitati, illum ampliùs tolerare, ne adhuc magis insolesceret, & aut regno perniciem adferret, aut aliter Regibus negotium facesseret. Ad hæc, vt Regis animum faciliùs flecteret, pollicebatur, si Iudæi interire iuberentur, se decem millia argenti talenta regio fisco appensurum. Et hæc sunt quæ olim indicauerat Daniel cap. 7. vers. 5. illis verbis: *Et sic dicebant ei*, (nimirum vrso, de quo ibi loquitur:) *Surge, comede carnes plurimas*, &c. Constat enim ibidem vrsi typo significari Regem Persarum, & signanter Assuerum maritum Esther: nam & Rupertus Abbas lib. 8. de Victoria Verbi Dei cap. 30. non obscurè insinuat, dictam Danielis Prophetiam tunc fuisse impletam, quando Aman (vt legimus Esther c. 3. vers. 8.) dixit Regi Assuero: *Est populus* (subaudi, Iudaicus) *per omnes prouincias regni tui dispersus*, &c. AMAN AGIT CVM REGE DE PERDENDIS IVDAEIS. LOCVS DANIELIS EXPONITVR.

ſus, &c. *Si tibi placet, decerne vt pereat,* &c. Et ante Rupertum S. Hieronymus ſuper citato Danielis capite, exponens de eodem Rege dictam Prophetiam, ſubdit: *Et pulchrè non ait: Deuorabat eos. ſed: Sic dicebant ei. vt conatus tantùm fuerit, & nequaquam rei exitus ſit conſecutus.* Ac ſi dicere voluiſſet quòd Aman & eius fautores conati quidem ſunt perſuadere Regi, vt Iudæos in ſuo regno degentes perderet, & de eorum ſpoliis theſauros ſuos augeret; ſed (Deo per Reginam Iudæos benè iuuante) non modò inimici eorum intentum non obtinuerunt; verùm etiam econuersò ipſi tandem in foueam, quam Iudæis parauerant, inciderunt; vt ex conſequenter dicendis manifeſtum fiet. Cùm itaque Aman obtinuiſſet à Rege facultatem perdendi Iudæos, confeſtim litteras Regis annulo obſignatas (quarum exemplar legitur Eſther cap. 13.) die eiuſdem menſis primi decimotertio ad vniuerſas regni prouincias tranſmitti curauit, vt in ſingulis vrbibus & oppidis omnes ad patrandum die decimotertio menſis duodecimi prædictum facinus inuenirentur parati. Quod vt primùm Iudæis innotuit, nihil aliud in domibus eorum per cuncta oppida & loca, ad quæ crudele Regis edictum deuenerat, niſi fletus, & planctus, & eiulatus audiebatur. Quin & ipſe Mardochæus, viſo eodem edicto, quod (Rege & Aman conuiuia celebrantibus, & econuerſò cunctis Iudæis qui in vrbe erant flentibus) pendebat in Suſis; tam repentino ac inopinato perculſus infortunio, ſciſſis veſtibus, & ſacco indutus, ac cinere conſperſus caput, ante palatij fores præ nimia animi amaritudine vſqueadeò clamare cœpit, vt tanta eius afflictio Reginam latere non potuerit. Quæ cùm tantæ nouitatis cauſas adamuſſim intellexiſſet, ac ſimul etiam, nullum aliud tam graui malo ſupereſſe remedium, niſi ipſamet, non ſine maximo propriæ vitæ periculo, nimirum contra legem proximè latam, non vocata intraret ad Regem: cumque tandem pro ſalute populi ſui id facere decreuiſſet; vt rectè ad tantum opus ſe præpararet, iuſſit Mardochæum cum omni populo Iudaico qui tum morabatur in Suſis, triduo ieiunare & orare; quod & ipſa quoque cum ancillis ſuis accuratè fecit: Eſther cap. 4. per totum. Oratio autem eius habetur cap. 14. & illa quam habuit Mardochæus cum populo, deſcripta eſt cap. 13. verſ. 8. vſque ad finem capitis.

MARDOCHAEVS ET ESTHER CVM POPVLO SVO PLANGVNT IMMINENTEM IVDAEORVM INTERITVM.

ESTHER IMPETRAT A REGE AMAN OCCIDI, ET POPVLVM SVVM AB INTERITV LIBERARI.

2. Exacto autem die tertio, Eſther, regio induta cultu, ingreſſa eſt atrium interius, quod erat contra baſilicam Regis. Et primò quidem (quemadmodum latè traditur cap. 15. verſ. 4. & deinceps) exterrita eſt, & penè exanimata; mox à Rege erecta, & blandis ſermonibus confirmata; humiliter poſtulauit, vt Rex ſimul cum Aman ad paratum ſibi conuiuium venire non recuſaret. quod ſtatim impetrauit. Poſt epulas ergo, ab exhilarato Rege de ſua petitione interrogata, rurſus vtrumque ad ſequentis diei conuiuium inuitat, pollicita tunc aperire Regi quid ab eo auderet optare. Intereà denuò indignatus Aman aduerſus Mardochæum, quòd ſibi de palatio egredienti non modò non aſſurrexiſſet, ſed nec de loco motus eſſet; decreuit, de vxoris amicorumque conſilio, poſtera die poſtulare à Rege, vt Mardochæum in excelſa cruce, quam protinus parari curauerat, ſuſpendi iuberet. Sed contrà accidit. Nam cùm fortè Rex noctem illam duxiſſet inſomnem, iuſſiſſetque ſibi afferri Annales, ac coram ſe legi; audiens ſe opera Mardochæi, à nece, quam ſibi inferre duo eius eunuchi parauerant, præſeruatum, nec quidquam hactenus ei pro tanto beneficio fuiſſe repenſum; confeſtim accito Aman, præcepit ei vt Mardochæum diademate inſignitum, veſtibuſque indutum regiis, & equo de ſella Regis impoſitum, pedes ipſe per plateam ciuitatis deduceret, ac tali à Rege dignatum honore proclamaret. Quæ vt primùm infelix Aman, licet alto cordis dolore preſſus, præſtare coactus eſt; confeſtim in domum ſe recipiens, magna animi confuſione ac perturbatione exagitatus, dum exhalandi animi gratia, vxori & amicis, quod ei præter ſpem euenerat, narrare aggreditur: ecce ad Reginæ conuiuium vocatus ire compellitur. Quo in conuiuio, Eſther Regina à Rege interpellata vt petitionem ſuam proferret, ſuppliciter rogare cœpit Regem pro ſua populique ſui vita; videnſque eum ſuper tali poſtulatione obſtupeſcentem, breuiter expoſuit Regi inſidias, & omnia quæ contra ſe ſuoſque peſſimus ille Aman compoſuerat. Quibus auditis, Rex ſuprà quàm credi poteſt iratus, ipſum Aman in patibulo, quod ipſe paulò antè Mardochæo parauerat, ſuſpendi iuſſit; & domum eius Reginæ dono dari, & annulum Regis de manu Aman ſublatum Mardochæo conſignari; quem Regina tum faſſa eſt eſſe patruum ſuum; eumdemque, conſentiente Rege, primarium domus ſuæ adminiſtratorem conſtituit. Sed & cunctis quoque Iudæis Regina non modò ſalutem ac liberationem ab interitu impetrauit à Rege; nimirum, vt priores litteræ quas Aman tranſmiſerat, nouis litteris annulo Regis pariter obſignatis irritæ fierent: verùm etiam vt econuerſò ipſis Iudæis concederetur de hoſtibus ſuis vindictam ſumere. Igitur die vigeſimo

tertio mensis tertij, qui dicebatur Siban, posteriores litteræ, tenoris in postremo capite libri Esther expressi, per celeres veredarios transmissæ sunt ad vniuersas regni Artaxerxis prouincias; & illamet dies decimatertia mensis duodecimi, quam impius Aman neci omnium Iudæorum destinauerat, nunc ipsis Iudæis ad vlciscendum se de inimicis suis constituta fuit, non sine ingenti ipsorum vbique lætitia. Qui, vt aduenit statuta dies, passim in cunctis regni Assueri regionibus, hostes suos impunè trucidarunt, & diem sequentem in epulis & gaudio læti duxerunt; præterquam in Susis, vbi quia hostium cædes, ad Reginæ instantiam, etiam die decimaquarta perseuerauit, in qua & decem filij Aman patibulis affixi fuerunt, epulæ in diem decimamquintam protractæ sunt. Quæ omnia fusiùs describuntur Esther cap. 5. & deinceps vsque ad capitis noni vers. 17.

IVDAEI HOSTES SVOS IMPVNE INTERIMVNT.

3. His peractis, recordatus est Mardochæus somnij duorum draconum, quod viderat anno regni eiusdem Assueri secundo; & ex rebus quæ acciderant inter ipsum & Aman, intellexit interpretationem eius. Mox recolens in his omnibus immensa Dei beneficia, non solùm erga se & Reginam filiam suam adoptiuam, verùm & erga vniuersum populum Iudaicum, ad perpetuam eorum memoriam recolendam, ipse pariter & Regina constituerunt dies illos, nimirùm decimamquartam & decimamquintam mensis Adar, pro Festis in toto Iudaismo esse suscipiendos, & quotannis in lætitia & misericordiis pauperum sollemniter celebrandos; quòd in ipsis luctus atque tristitia cunctis Iudæis diuino fauore in hilaritatem gaudiumque conuersa essent. Et propterea semel atque iterùm de hac re scripserunt omnibus Iudæis, in cunctis regni Assueri prouinciis commorantibus; qui prompto atque alacri animo susceperũt in sollemnem ritum perpetuò obseruandum, quæcumque Esther Regina Mardochæusque mandauerant. Sanè hos dies festos vbique posteà apud Iudæos celebrari consueuisse, vsque ad tempora Iosephi, qui claruit Vespasiano & Tito imperantibus, testatur ipsemet 11. Antiquit. cap. 6. ad calcem. Quin etiam vsque hodie in vsu esse, colligi potest ex ipsorum Hebræorum Kalendario, in quo nunc quoque notati inueniuntur. Quamquam suspicari quis possit, vel ipsum Iosephum, vel eius Interpretem hallucinari in eo quod ibidem subdit, eadem Festa vocari Phruræa, quasi Conseruatoria: quia vt disertis verbis explicat Scriptura sacra Esther cap. 9. vers. 26. reverà nuncupata sunt Phurim, id est Sortium; eò quòd Phur, id est sors, in vrnam missa fuerit. Nisi fortè posterioribus temporibus hæc festa, ex vocis similitudine, etiam Phruræa, hoc est Conseruatoria, dici cœperint, quòd olim in ipsis totum ferè Iudaicum genus fuerit conseruatum, & ab interitu liberatum. Ceterùm, de prædicti Artaxerxis siue Assueri potentia & fortitudine, & de magna ad eius Imperium accessione per ipsum facta; item de præfati Mardochæi exaltatione, nimirum quòd secundus esset à Rege, & quòd admodum fauorabilis fuerit populo suo, breuiter tangitur Esther cap. 10. vers. 1. vsque ad 4. vbi insuper hæc eadem in libris Medorum atque Persarum descripta fuisse memoratur. Et hæc sunt, quæ latiùs in toto libro Esther descripta inueniuntur, gestaque sunt ab anno dicti Artaxerxis Assueri secundo, vsque ad duodecimum ferè expletum.

DIES PHVRIM QVOT ANNIS CELEBRANDI INSTITVVNTVR.

DE ASSVERI POTENTIA, ET MARDOCHAEI EXALTATIONE.

AB ORBE CONDITO ANNVS 3663. — SEXTAE MVNDI AETAT. ANNVS 217.

1 Anno regni Assueri decimoquarto, qui fuit annus Vrbis conditæ trecentesimus sexagesimus tertius, Romæ facta est quinta publici regiminis mutatio. Cùm enim Consules prioris anni L. Valerius Potitus & M. Manlius ex S. C. Magistratu se abdicassent, creati sunt sex Tribuni Militum cum potestate Consulari, videlicet L. Lucretius, Ser. Sulpicius, M. Aimilius, L. Furius Medullinus VII. Agrippa Furius, & C. Aimilius II. qui Kal. Quinctilibus Magistratum occœpere: Liuius Dec. 1. lib. 5. Perseuerauit deinceps eiusmodi Magistratus per annos multos; nimirum vsque ad annum Vrbis trecentesimum septuagesimum octauum, in quo alia Romani regiminis mutatio facta fuit, vt ibidem dicemus.

QVINTA ROMANI REGIMINIS MVTATIO.

AB ORBE CONDITO ANNVS 3664. — SEXTÆ MVNDI ÆTAT. ANNVS 218.

1 Anno insequente, qui fuit Vrbis trecentesimus sexagesimus quartus, Romæ Q. Fabio Ambusto cum duobus fratribus, & Q. Sulpicio Longo, & Q. Seruilio IIII. & Ser. Cornelio Maluginensi Tribunis militum Consulari potestate

ROMA A GALLIS CAPTA, ET A FVRIO CAMILLO RECVPERATA.

Rempublicam administrantibus, Galli, Senones olim dicti, duce Brenno, fusis primùm ad Aliam flumen Romanis, Romam petunt, eamq; capiunt ac deprædantur. Sed dum in Arcem Capitolinam, in quam Romani se receperant, impetum faciunt, ab obsessis fortiter repelluntur. Verùm post aliquot dies, fame intus perurgente, Romani cum Gallis paciscuntur, vt mille pondo auri se redimerent. Sed dum simul altercantur, quòd Galli iniqua pondera attulissent, videntque insolentē Gallum ponderibus etiam gladium superimponentem, simulatque exprobrantem, Væ victis: ecce, diuina prouidentia M. Furius Camillus, quem Senatus non multò antè ab exilio reuocauerat, & absentem Dictatorem II. dixerat, opportunè superueniens, submoueri aurum imperat; & pactionem illam inscio Dictatore factam negat ratam esse; & armis non auro redemptionem esse faciendam. Itaque Gallis ad arma prouocatis, & Roma primùm fortiter pulsis, mox ad octauum lapidem via Gabina omnino deletis, gloriosè patriam recuperauit. Quæ omnia fusiùs tradita inuenies apud Liuium Decad. 1. lib. 5. Ceterùm prædicti Galli Senones dicuntur fuisse ex his qui nunc incolunt vrbem nomine Sens, regionemque ei proximam, in Burgundiæ Ducatu prope flumen Yonne dictum, positam, vt ait Auctor Dictionarij Gallici.

AB ORBE CONDITO ANNVS 3678. | SEXTÆ MVNDI ÆTAT. ANNVS 232.

SEXTA ROMANI REGIMINIS MVTATIO.

I ANNO regni eiusdem Artaxerxis Assueri vigesimo nono, qui erat Vrbis conditæ trecentesimus septuagesimus octauus, sextùm mutata est Romani regiminis forma; quandoquidem à Tribunis militum Consulari potestate, ad Tribunos plebis administratio Reipub. recidit: nam (vt ait T. Liuius Decad. 1. lib. 6. prope finem) cùm C. Licinius Stolo & L. Sextius Tribuni plebis superiore anno promulgassent tres Leges aduersus opes Patriciorum & pro commodis plebis; vnam de ære alieno minuendo, alteram de modo agrorum, ne quis plus quingenta iugera agri possideret; tertiam, ne Tribunorum militum comitia fierent, Consulumque vtique alter ex plebe crearetur; neque eas ferre per Collegarum intercessiones, quos de industria Patres comparauerant, potuissent; irati, vt primùm ipsi Tribuni plebis refecti fuerunt, nullos Curules Magistratus creari passi sunt. Eaque Magistratuum solitudo (quam Græci Anarchiam, hoc est, sine Principe appellant) per quinquennium Vrbem tenuit; interim & plebe duos Tribunos reficiente; & his perpetua atque inuicta intercessione Tribunorum militum comitia tollentibus. Hæc ex Liuio vbi suprà.

AB ORBE CONDITO ANNVS 3683. | SEXTÆ MVNDI ÆTAT. ANNVS 237.

IVBILEVS 22.

I ANNO regni eiusdem Artaxerxis Mnemonis trigesimo quarto oportet incidisse annum Iubilei vigesimi secundi: siquidem iste est annus millesimus centesimus ab ingressu filiorum Israel in terram Chanaan, vt apparet in tabulis.

SEPTIMA ROMANI REGIMINIS MVTATIO.

2. Eodem anno, qui concurrit cum anno Vrbis trecentesimo octogesimo tertio, transacto quinquennio in quo Reipub. Romanæ administratio fuit penes Tribunos plebis, C. Licinio & L. Sextio intercessionem remittentibus, iterùm rediit regimen ad Tribunos militum. Nam comitiis ab Interrege habitis, creati sunt sex Tribuni militum, videlicet, L. Furius, A. Manlius, Ser. Sulpicius, Ser. Cornelius, A. & C. Valerij. Post quos, sublata Magistratuum solitudine, electi deinceps sunt quotannis per aliud quinquennium alij Tribuni militum cum potestate Consulari, vt priùs fieri solebat. Et hæc quodammodò dici potest septima Romani regiminis mutatio. vide Liuium Decad. 1. lib. 6. prope finem.

AB ORBE CONDITO ANNVS 3684. | SEXTÆ MVNDI ÆTAT. ANNVS 238.

PVGNA LEVCTRICA QVANDO ACCIDERIT

I ANNO circiter insequente, oportet factam esse pugnam Leuctricam: siquidem iste annus potuit, saltem ex parte, concurrere & cum anno secundo Olympiadis centesimæ secundæ, in quo Iosephus Scaliger lib. 5. de Emendatione temporum, cap. de Pugna Leuctrica, eam contigisse ponit; & cum anno 34. post captas à Lysandro Athenas, in quo antiqua Eratosthenis tabula eamdem pugnā collocat. Quæ

ideò

ideò Leuctrica dicitur, quòd prope vicum nomine Leuctra olim in Bœotia positum, commissa fuerit: in qua pugna Epaminondas Thebanus Dux vsq; adeò Lacedæmonios contriuit, vt tametsi posteà iterùm cum Thebanis confligere non dubitauerint, quemadmodum sub anno mundi 3689. num. 2. dicemus, pristinum tamen regnum retinere aut omnino instaurare nequiuerint. Erat autem Bœotia Græciæ prouincia, cuius ora maritima respiciebat contra Eubœam Archipelagi insignem Insulam, hodie Negropontum appellatam, vt videre est in Abrahami Ortelij Theatro, tabula 112. quæ Græcia vetus inscribitur.

AB ORBE CONDITO ANNVS 3688. — SEXTÆ MVNDI ÆTAT. ANNVS 242.

1 ANNO memorati Artaxerxis Assueri trigesimo nono, qui erat Vrbis trecentesimus octogesimus octauus, Romæ renouata est iterùm grauis contentio inter Patricios & Plebeios, quòd L. Sextius & C. Licinius Tribuni plebis decimùm refecti, acriùs denuò instarent pugnarentque pro ferendis Legibus, de quibus nos sub anno mundi 3678. num. 1. egimus. Sed hęc tandem discordia per Dictatorem M. Furium Camillum sedata est hisce pactionibus, vt ab nobilitate plebi de Consule plebeio, & à plebe nobilitati de Prætore vno, qui ius in Vrbe diceret, ex Patribus creando concederetur; & vt Ædiles duo Currules ex Patribus fierent. Itaque hoc demum anno Reipub. administratio à Tribunis militum rediit ad Consules; ita tamen vt alter eorum ex plebe crearetur: quod numquam hactenus factum fuerat. Et hæc dici potest octaua Romani regiminis mutatio, quæ posteà perseuerauit vsque ad annum Vrbis quadringentesimum quintum, vt ibidem dicemus. Creati sunt ergo hoc eodem Vrbis anno trecentesimo octogesimo octauo Coss. L. Æmilius Mamercus ex Patribus, & L. Sextius, qui fuit de plebe primus Consul. Creatus quoque est primus Vrbis Prætor Sp. Furius Camillus M. F. Ædiles verò Currules fuerunt Gn. Quinctius Capitolinus, & P. Cornelius Scipio. vt propterea insignis valdè fuerit iste annus noui hominis Consulatu; & duobus Magistratibus, Prætura scilicet & Ædilitate. Hæc ex T. Liuio Decad. 1. lib. 6. in fine.

OCTAVA ROMANI REGIMINIS MVTATIO. PRIMVS CONSVL PLEBEIVS. PRIMVS VRBIS PRAETOR. PRIMI AEDILES CVRRVLES.

AB ORBE CONDITO ANNVS 3689. — SEXTÆ MVNDI ÆTAT. ANNVS 243.

1 ANNO regni sui quadragesimo circiter expleto, credimus Artaxerxem Mnemonem ex humanis excessisse, secuti Eusebium in Chronicis, & Bedam de Sex ætatibus mundi, & alios graues, probatosque Auctores idem asserentes. Quamquam nos non lateat, variam fuisse de annis regni eius Scriptorum sententiam. Plutarchus namque in Vita ipsius tribuit ei annos regni sexaginta duos, sed ei in hoc ferè ab omnibus vel contradicitur, vel exponitur, computasse in dicto numero etiam plures annos quos (inquiunt) cum patre regnauerat. Alij absolutè dicunt ipsum regnasse annis quinquaginta quinque: alij, quadraginta nouem: alij, quadraginta tres, & attigisse quadragesimum quartum. Sed quod priùs diximus, verius esse putamus.

ARTAXERXES MNEMON MORITVR.

2. Eodem anno, qui concurrit cum quarto Olympiadis centesimæ tertiæ, commissum est inter Thebanos & Lacedæmonios prælium illud ad Mantineam, in quo dubia remansit victoria, propter mortem Epaminondæ Ducis Thebanorum, qui alioquin præualuisse videbatur. Et hîc definit Historia Xenophontis. Quæ verò deinceps apud Græcos ac Persas gesta sunt vsque ad mortem Philippi Regis Macedonum, siue ad initium regni Alexandri Magni eius filij, veluti summatim duobus libris conscripta sunt à Gemistio Byzantino, qui dictus est Plethon.

PVGNA AD MANTINEAM ET MORS EPIMANONDAE.

AB ORBE CONDITO ANNVS 3690. — SEXTÆ MVNDI ÆTAT. ANNVS 244.

1 ANNO postero regnauit in Perside alius Artaxerxes, qui fuit Persarum rex duodecimus, cognomine Ochus, quod Magnum interpretari perhibent; tenuitque regnum annis viginti sex, vt asserunt Eusebius & Beda locis paulò antè citatis, & Adonis Chronicon; quos hîc quoque sequimur: tametsi non desint, qui eumdem viginti tres tantùm (vt Sulpitius libro Historiæ sacræ 2.) aut ad summum viginti

REGNAT IN PERSIDE ARTAXERXES OCHVS.

quattuor annos in regno exegisse crediderint. Hic sæuissimus Regum appellatur apud Q.Curtium lib.10. post medium. Vbi obiter refertur, dictum Ochum octoginta fratres Sysigambis, quæ fuit Darij postremi mater, vno die trucidasse, adiecisseque stragi tot filiorum patrem. Idem videtur de hoc Rege sensisse Sulpitius vbi suprà, de ipso ita scribens: *Idem Ochus (vt in secularibus quibusdam scriptis legi) natura immitis, cupidusq. bellorum traditur. Nam & arma finitimis intulit, & Aegyptum, quæ ante multos annos descinerat, bello recuperauit. Quo tempore etiam sacra eorum, & Apim in deum receptum, irrisisse traditur. quod posteà Baguas spado eius, natione Aegyptius indignatus, contumeliam gentis morte Regis vltus est.*

QVOD SVB EO NON ACCIDERIT HISTORIA IVDITH.

¶ 2. Eumdem Ochum Sulpitius ibidem putauit esse illum Nabuchodonosor, sub quo accidit historia Iudith; eo ductus argumento, quòd ille Vagao, qui Iudith cap.12. vers.10.& cap.13.vers.1.& cap.14.vers.13. memoratur, quemque ipse vocat Bagua, fuerit idem cum illo Artaxerxis Ochi seruo, cuius mentionem faciunt Diodorus lib.17.& Iosephus 11. Antiq.cap.7. sub nomine Bagoses. Sed fallitur Sulpitius: siquidem Vagao cuius meminit liber Iudith, non erat immediatè seruus Regis Nabuchodonosor; sed eunuchus Holofernis dicti Regis militiæ Principis, seruiebatque dicto Holoferni, tamquam eius cubicularius, vt ibidem patet. At verò ille de quo agunt Diodorus & Iosephus, erat Dux copiarum, & Imperator exercitus dicti Artaxerxis, vt exprimit Iosephus vbi suprà, tantæque auctoritatis in Perside, vt (eodem Diodoro teste) quos vellet Persis Reges constitueret, vel auferret. Quare non minùs isti, Vagao scilicet & Bagoses, erant inter se diuersi, quàm eorum domini Regésve, quorum alter, nimirum Nabuchodonosor, regnabat in Niniue; alter verò, nempe Ochus, in Perside. Sed & tempora quoque ipsorum necesse est fuisse ab inuicem valdè distantia: nam oportet ipsum Nabuchodonosor regnasse non multò pòst quàm Iudæi de Babylonica captiuitate redierant, vt colligitur Iudith cap.5. vers.25. Ochi autem tempora proximè ad ducentesimum à soluta captiuitate annum accessisse, dignosci potest in tabulis.

TEMPLI IEROSOLYMITANI POLLVTIO SVB OCHO SECVTA.

3. Regnante præfato Artaxerxe Ocho, credimus acta esse in Iudæa quæ scribit Iosephus 11. Antiq.cap.7. videlicet de pollutione templi facta à dicto Bagoses, & de tributo tunc Iudæis imposito, aliisque pœnis per septennium ab eisdem exactis, ob impiam necem à Ioanne (qui 2.Esdr.cap.12.vers.11. appellatur Ionathan) tunc summo Sacerdote, fratri suo Iesu illatam. Hæc namque oportet accidisse non multò antequam regnaret Alexander Magnus, & consequenter temporibus Artaxerxis Ochi, qui viginti octo dumtaxat annis præcessit dicti Alexandri regnum, vt patet in tabulis. Constat enim ex locis Esdræ & Iosephi proximè citatis, præfatum Ioannem siue Ionathan, qui dedit causam Bagosi sæuiendi in Iudæos, fuisse Pontificem proximè ante Iaddum, qui tenebat Pontificatum regnante dicto Alexandro, vt testatur Iosephus lib. eius allegato cap.8. Quare ex dictis inferri potest, non satis firmam esse opinionem eorum, qui historiam Esther sub hoc Artaxerxe Ocho collocare non dubitarunt: quandoquidem si Bagoses fuisset adeò potens apud Regem maritum Esther, quomodo posset verum esse quod expresse traditur Esther cap.10.vers.3. nempe, Mardochæum fuisse secundum à Rege? Sed si erat secundus à Rege, quomodo permittere potuit, à seruo eiusdem Regis se inferiore, tantam tamq; diuturnam inferri populo suo calamitatem? præsertim cum ex loco Esther proximè citato constet, Mardochæum quæsisse bona populo suo, hoc est, fuisse perpetuum eius protectorem. Sed & si minus aliquid hac in re valuisset apud Regem ipse Mardochæus; quis dubitet Reginam Esther faciliùs potuisse populum suum ab illa vexatione liberare? Denique ex Iosepho locis suprà adductis manifestè colligitur, dictum Bagosem non fuisse Ducem copiarum Artaxerxis mariti Esther, sed alterius Artaxerxis, qui marito Esther successit in Regnum Persarum. Ergo non Artaxerxes Ochus, sed eius antecessor, hoc est Mnemon fuit ille Assuerus, qui Esther duxerat vxorem. Et hæc dicta sint ad comprobationem eorum, quæ sub anno mundi 3650. num.6. tradidimus.

AB ORBE CONDITO ANNVS 3694. — SEXTÆ MVNDI ÆTAT. ANNVS 248.

REGNAT PHILIPPVS IN GRAECIA SIVE IN MACEDONIA.

1 ANNO Olympiadis centesimæ quintæ primo, qui concurrebat (vt patet in tabulis) cum anno regni Artaxerxis Ochi quinto, regnare cœpit in Græcia Philippus pater Alexandri Magni, qui posteà Persarum Monarchiam transtulit ad Græcos. Sanè gesta horum duorum Regum, per singulos ipsorum annos digesta, sigil-

ſigillatim tradit Diodorus Siculus duobus integris libris, nimirum Bibliothecæ hiſtoricæ lib. 16. & 17. vbi continuatam rerum præcipuarum, quæ ab hoc tempore vſque ad annum Olympiadis centeſimæ decimæquartæ primum inter Græcos & Perſas acciderunt, hiſtoriam quiſque pro libito legere poterit.

AB ORBE CONDITO ANNVS 3705. SEXTÆ MVNDI ÆTAT. ANNVS 259.

1 ANNO regni Artaxerxis Ochi decimoſexto, qui erat Vrbis quadringenteſimus quintus, Romæ tandem, poſt plures mutationes, rediit ſupremum Reipub. regimen ad duos Conſules Patricios, ſublato penitus à plebe hoc Magiſtratu. Fuit autem L. Furius Camillus M. F. tunc Dictator, qui reddidit Patribus poſſeſſionem priſtinam Conſulatus: quamobrem ingenti Patrum ſtudio creatus eſt Conſul; & ipſe collegam P. Claudium Craſſum dixit: Liuius Dec. 1. lib. 7. Perſeuerauit verò deinceps Conſulatus in ipſis Patribus vſque ad annum Vrbis quingenteſimum octogeſimum ſecundum, vt ibidem dicemus. NONA ROMANI REGIMINIS MVTATIO.

AB ORBE CONDITO ANNVS 3707. SEXTÆ MVNDI ÆTAT. ANNVS 261.

1 ANNO regni Artaxerxis Ochi circiter decimooctauo oportet quòd Azor genuerit Sadoc, quemadmodum apud S. Matthæum cap. 1. verſ. 14. legimus: ſuppoſitis tamen his quæ nos ſub anno mundi 3461. num. 1. de eiuſmodi generationum temporibus probabiliter teneri poſſe oſtendimus. Poterat autem eſſe tunc Azor annorum circiter vnius & quinquaginta, vt ibidem & in tabulis traditur. AZOR GENVIT SADOC

AB ORBE CONDITO ANNVS 3715. SEXTÆ MVNDI ÆTAT. ANNVS 369.

1 ANNO regni ſui vigeſimo ſexto circiter expleto, Artaxerxes Ochus ceſſit è vita: totidem enim annos ipſum regnaſſe, iam ſub anno mundi 3690. num. 1. probatum eſt. Hunc Bagoas eius ſpado potione medicata interfecit, & filium eius iuniorem, nomine Arſen, fratribus occiſis, Regem pro patre conſtituit; vt ſcribunt Diodorus in lib. de Geſtis Alexandri, ſub anno regni eius primo; & Sulpitius Sacræ hiſtoriæ lib. 2. ARTAXERXES OCHVS MORITVR.

AB ORBE CONDITO ANNVS 3716. SEXTÆ MVNDI ÆTAT. ANNVS 270.

1 ANNO igitur inſequente regnauit in Perſide Arſas, qui fuit decimustertius idemque pænultimus illius Imperij Rex. De cuius regni annis quamquam varia fuerit Scriptorum ſententia, aliis aſſerentibus, ipſum vno dumtaxat anno regnaſſe; aliis, tribus; aliis, quattuor: nos tamen mediam viam ſecuti, probabilius credimus, ipſum tres tantùm annos, illoſque incompletos in regno exegiſſe. REGNAT IN PERSIDE ARSAS.

AB ORBE CONDITO ANNVS 3718. SEXTÆ MVNDI ÆTAT. ANNVS 272.

1 ANNO regni ſui tertio, Arſas Perſarum Rex decimustertius interemptus eſt. Nam, vt prodit Diodorus loco citato, præfatus Bagoas eumdem quoque Arſen, qui iam annum tertium regnabat, cum omni prole ſua extinxit; & Dareum filium Arſani, qui fuerat Ochi frater, Regem fieri curauit. Itaque MORITVR ARSAS REX PERSARVM.

2. Eodem anno, adhuc Philippo in Macedonia (vt teſtatur ibidem Diodorus) regnante, regnauit in Perſide memoratus Dareus ſiue Darius, qui fuit decimusquartus vltimuſque Perſarum Rex, & Ochi ex fratre nepos, vt iam dictum eſt: quamquam ipſum aliqui de ſtirpe regia nequaquam extitiſſe contendant; ſed quòd amicus eſſet prædicti Bagoæ, & vir in rebus bellicis egregiæ fortitudinis, ad regiam dignitatem aſcendiſſe. Porrò hunc Darium, quem aliqui Codmanum, aliqui Melam vocant, & de annis regni eius inter ſe diſcrepant; nos cum Diodoro, Iuſtino, Euſebio, B. Hieronymo, Beda, & aliis nonnullis, annos ſex regnaſſe credimus. Accidit autem hoc Dareo regnante, vt memoratus REGNAT IN PERSIDE DAREVS SIVE DARIVS.

ratus Bagoas, qui ipsum in Regem eligi curauerat, eumdem veneno tollere voluerit; sed Dareus præcognita fraude, oblatum sibi poculum iussit illicò ab eodem Bagoa ebibi; quo hausto, interiit; vt idem tradit Diodorus vbi suprà. Ceterùm, quattuordecim Persarum Reges à nobis hactenus enumeratos, eodem ordine atque iisdem prorsus nominibus breuiter recensent B. Hieronymus super capite Danielis 7. & Eusebius in Chronicis. Vnde liquidò apparet, fictitiam prorsus esse ac falsam Metasthenis Anniani historiam, quæ octo tantùm extitisse tradit Persarum Reges.

MORITVR PHILIPPVS MACEDONIAE REX.

3. Eodem item anno, videlicet non multò postquam in Perside cœperat regnare Dareus, Philippus Macedoniæ Rex, inchoato iam regni sui anno vigesimo quinto, & Olympiadis centesimæ vndecimæ primo, apud Ægas oppidum periit; à Pausania Ceraste filio, ex Orestarum gente, interceptus, vt scribunt Iosephus 11. Antiq. cap. 8. & Diodorus in calce lib. 16. & Iustinus sub finem lib. 9. Huic successit in regno filius eius Alexander, qui posteà dictus est Magnus. nam vt erat animo excelso, Macedoniæ regno non contẽtus, ita confestim cum aliis Græciæ vrbibus prouinciisque agere cœpit, vt omnium tandem Græcorum Dux atque Imperator aduersus Persas declaratus fuerit. Sed toto ferè primo regni sui anno, exortos quosdam in Græcia Thraciaque contra se tumultus sedare armisque compescere compulsus est. Cumque etiam Pæoniam & Illyricum, locaque iis finitima, deuictis aliquot Gentibus quæ rebellauerant, sibi obsequentia reddidisset; bellum contra Thebanos à se deficientes suscepit, feliciterque confecit, capta ac funditus euersa Thebe, sicque ceteris timorem incussit, ac præcipuè Atheniensibus; quos denique rogatus in gratiam recepit. Postremò in Macedoniam reuersus, cogitare cœpit & consulere de bello Persis inferendo; vt ex Diodoro non procul ab initio libri 17. qui totus est de gestis Alexandri, & Iustino lib. 9. & Orosio lib. 3. cap. 16. & Supplemento lib. 2. Q. Curtij colligi potest.

REGNAT ALEXANDER MAGNVS.

AB ORBE CONDITO ANNVS 3719. — SEXTÆ MVNDI ÆTAT. ANNVS 273.

ALEXANDER TRAIECIT IN ASIAM, VBI VICIT DAREI DVCEM.

1 ANNO regni sui secundo, Alexander cum exercitu Hellespontum veniens, traiecit in Asiam; & ad Granicum fluuium Memnone Darei duce, qui contra se venerat, superato, in Lydiam contendit; ibique Sardes, arcesque eius cum thesauris ibidem repositis; Præfecto deditionem faciente, recepit; mox Miletum Halicarnasseumque expugnauit. hæc de Alexandro fusiùs prosequitur Diodorus libro paulò antè citato. Quamquam autem Alexandri Magni res gestas, præter Diodorum libro citato, alij quoque Scriptores posteritati mandarunt; videlicet Arrianus Philosophus, qui Adriani Imperatoris temporibus floruit, & Q. Curtius decem libris integris, & ex Trogo Pompeio Iustinus lib. 11. & 12. & Orosius lib. 3. cap. 16. vsque ad 20. & alij: & ante hos omnes Ptolemæus Lagi, & Aristobulus, quemadmoduum nos sub anno mundi 3730. num. 9. probabimus: nos tamen, quæ de eodem Alexandro deinceps, Chronologiæ dumtaxat continuandæ gratia, breuiter ac celeriter percurremus, ex præfato potiùs Diodoro (quia eas per annos singulos ordinatè recenset) desumenda censuimus.

AB ORBE CONDITO ANNVS 3720. — SEXTÆ MVNDI ÆTAT. ANNVS 274.

DARIVM PRAELIO VICTVM FVGAT IN BABYLONIAM.

1 ANNO tertio, Alexander Issum insignem Ciliciæ vrbem terrore iniecto recepit, ibique Dareum ad se cum validissimo exercitu accedentem memorabili admodum prælio deuicit; eumdemque, cæso ad Issum exercitu, totaque familia eius capta, in Babylonem fugauit. Et licet victor admirabilem erga ipsius Darei matrem, vxorem, & duas filias nubiles, filiumque annorum senûm captiuos, exhibuerit humanitatem; non tamen adduci potuit, vt pacis conditiones, tametsi honestissimas, sibi à Dareo exhibitas reciperet.

AB ORBE CONDITO ANNVS 3721. — SEXTÆ MVNDI ÆTAT. ANNVS 275.

SYRIAM, PHOENICIAM, ET IVDAEAM OCCVPAVIT.

1 ANNO regni sui quarto, qui, teste Diodoro, erat Olympiadis centesimæ duodecimæ primus, Alexander in Ægyptum contendens, ad Syriam Phœniciamque peruenit; vbi obuios habuit multos Reges, quorum, pro meritis, alios in socie-

societatem suscepit, alios mutauit, alios perdidit; Damascum cepit, & Sidone occupata, Tyrum Gazamque expugnauit; ceteras vrbes facilè recepit, locorum cultoribus vltrò se ei dedentibus. Mox Iudæis iratus, quòd ei Tyrum obsidenti auxilium ferre recusassent, cum exercitu Ierosolymam properans, à Iaddo summo Iudæorum Pontifice, qui cum Sacerdotibus sacro pariter habitu indutis eidem, diuino consilio, obuiam venerat, præuentus, in primo eius aspectu mirabiliter placatus est, Deumque Iudæorum, cuius sanctissimum nomen aurea insculptum lamina Pontifex in fronte gerebat, piè humiliterque adorauit, & Pontifici quoque debitum honorem habuit: posteà à Iudæis honorificentissimè exceptus, atque in vrbem deductus, eidem Deo, cuius ope de Persis victoriam reportare sperabat, hostias obtulit; & visa Danielis Prophetia, quæ refertur Daniel cap. 8. vers. 5. vsque ad 9. & ibidem vers. 20. & 21. declaratur de Rege Græco, qui Persas erat subacturus, in sua spe admodum confirmatus, eisdem Iudæis multa benignè concessit; quæ latè prosequitur Iosephus 11. Antiq. c. 8. quamuis annum quo hæc acta sint, nequaquam signet. Et quidem non ignoramus, Eusebium in Chronicis hæc eadem sub anno Alexandri sexto posuisse, verumtamen hac in parte libentiùs sequimur, ponentes hæc sub anno quarto accidisse: nam si post hæc idem Alexander Ægyptum cepit, vt ibidem indicat Eusebius, & expresse tradunt Diodorus vbi suprà, & Iosephus in calce libri citati; & deinde etiam eodem anno regni sui sexto, vt mox dicemus, deuicto iterùm Dareo, maiorem Imperij Persarum partem occupauit; profectò non videtur tam multa vno eodemque anno agere potuisse, præsertim cùm Tyrum non nisi post septem mensium, & Gazam itidem duorum mensium obsidionem ceperit, quemadmodum ibidem testatur Iosephus. Itaque magis verisimile est, Alexandrum quarto quidem anno Damascum, vt diximus, & Sidonem, & Tyrum, & Gazam expugnasse, ceteras verò Syriæ ac Phœniciæ vrbes, totamque Iudæam in deditionem accepisse; ac deinde quinto & sexto anno cetera peregisse, quæ consequenter nos (paucis dumtaxat ex Iosepho interpositis) ex ipso Diodoro summatim excepta subiungemus.

2. Eodem anno, eo scilicet tempore quo Alexander Tyri expugnationem aggredi parabat, quidam Satrapa genere Cutheus, nomine Sanabaletes; (is fortè, quem à Iudæa fugauerat Nehemias, vt dicitur 2. Esdræ cap. vlt. vers. 28.) vel potiùs eiusdem filius, aut nepos, cui Darius Persarum Rex Samariam gubernandam tradiderat; nactus temporis opportunitatem, à domino suo defecit; & assumptis de prouincia sua octo millibus virorum, ad Alexandrum se contulit, eidemque seipsum totamque Samariam tradidit; at non multò pòst, obtenta ab eo licentia, ædificauit in monte Garizim, qui imminet Samariæ, templum Ierosolymitano simile; in quo Manassem generum suum Pontificem constituit, ratus se amplissimum hunc honorem filiæ suæ posteris relicturum, vt scribit Iosephus 11. Antiq. cap. 8. Causam huius acti refert idem Auctor ibidem, & cap. præcedenti, inquiens: quòd cùm Sanabaletes dedisset Nicaso filiam suam vxorem ipsi Manassæ, qui erat frater Iaddi summi Pōtificis Ierosolymitani; vellentque propterea Iudæi arcere ab altari ipsum Manassem, nisi dimitteret vxorem alienigenam, quam contra Legem duxerat: ipseque socerum adiisset, dicens, diligere se quidem Nicaso vxorem suam; verumtamen nolle ob ipsam Sacerdotio priuari: respondit Sanabaletes, non Sacerdotium tantùm, si filiam suam vxorem retineret; sed & Pontificatum ei paratum, & eumdem totius prouinciæ suæ Principem facturum. Itaque hisce pollicitationibus fretus Manasses, cùm apud socerum permansisset; ille postmodum eidem promissa adimpleuit, modo paulò antè exposito. Confugientibus deinde ad Manassem aliis Sacerdotibus Iudæis, qui & ipsi vxores duxerant alienigenas; eisdem quoque Sanabaletes præbebat pecuniam, & agros quos colerent, & domicilia, ac modis omnibus ambitionem sui generis adiuuabat. Habitabant autem isti gentis Iudaicæ desertores in Sichima, quæ tūc erat Samaritanorum caput, ad montem Garizim sita, vt testatur Iosephus, non procul à fine citati capitis. Porrò iste mons Garizim ille est, quem suppresso nomine indicauit mulier illa Samaritana Ioan. cap. 4. vers. 20. & 21. dicens: *Patres nostri in monte hoc adorauerunt, & vos dicitis, quia Ierosolymis est locus, vbi adorare oportet*. Cui Christus respondens, subiungit: *Mulier crede mihi, quia venit hora, quando neque in monte hoc, neque Ierosolymis, adorabitis Patrem.* Ex quibus verbis manifestè apparet, post ædificatum templum in Garizim, ortam esse deinceps perpetuam de vero ac legitimo adorationis loco contentionem inter Iudæos ac Samaritanos; illis asserentibus, esse templum Ierosolymitanum; istis verò contrà affirmantibus, esse templum in Garizim posteà excitatum. Quam contentionem perdu-

SANABALETES DEFECIT A PERSIS AD GRAECOS.

AEDIFICAT TEMPLVM IN MONTE GARIZIM.

rasse etiam vsque ad tempora Ptolemæi Lagi Regis Ægypti, scribit Iosephus 12. Antiq. cap. 1. & item regnante Ptolemæo Philometore, qui pro Iudæis sententiam tulit, vt idem tradit Iosephus 13. Antiq. cap. 6. quin etiam Christi temporibus extitisse, patet ex loco S. Ioannis proximè citato.

AB ORBE CONDITO ANNVS 3722. SEXTÆ MVNDI ÆTAT. ANNVS 276.

1 ANNO regni sui quinto, Alexander Ægyptum cum omnibus copiis intrauit, vrbesque omnes sine labore recepit, Ægyptiis ipsum læto animo suscipientibus, quòd Persarum Imperium execrarentur, quoniam nonnulla ex idolis suis Persæ subuerterant; & speciatim Artaxerxes Ochus; qui eosdem Ægyptios denuò subiugauerat, eorum sacra, & præcipuum inter ipsorum deos Apim contemptui habuerat; vt sub anno mundi 3690. num. 1. tactum est. Item Alexander vrbem in Ægypto celeberrimam condidit, atque ex proprio nomine Alexandriam appellari voluit. Hanc dictæ vrbis ædificationem, quam Diodorus lib. 17. sub anno regni Alexandri quinto ponit, Eusebius in Chronicis refert in annum Alexandri septimum, quem facit Olympiadis centesimæ duodecimæ tertium: Solinus verò cap. 34. ait Alexandriam fuisse ædificatam Olympiade duodecima supra centesimam, L. Papirio & C. Pætelio Coss. Qui tamen Consulatus apud Onuphrium in Fastis, non in duodecima, sed in decimatertia supra centesimam Olympiade competere videtur. Verùm quidquid sit de Consulatu, omnes conueniunt in Olympiade; & quod spectat ad Alexandri annum, nobis Diodori opinio videtur probabilior; quia Alexander anno regni sui septimo non in Ægypto, sed in Orientalibus Asiæ regionibus morabatur, vt ex infrà dicendis apparebit. Nisi fortè Diodorus de inchoata vrbis fabrica, alij verò de eadem iam pænè expleta intelligi debeant. Compositis autem Ægypti rebus, Alexander in Syriam reuersus est, vbi alias iterùm pacis conditiones, prioribus multò ampliores, sibi à Dareo oblatas acceptare recusauit, sed contra eum progrediens, & ad vicum nomine Arbela cum eo congressus, ipsum denuò superauit, & in Mediam turpiter confugere compulit.

ALEXANDER AEGYPTO POTITVS, ALEXANDRIAM CONDIDIT.

AB ORBE CONDITO ANNVS 3723. SEXTÆ MVNDI ÆTAT. ANNVS 277.

1 ANNO sexto, Alexander acceptis in Arbela Darei thesauris, armorumque apparatu & commeatu admodum copioso, venit in Babylonem; vbi lautè exceptus, ibidem aliquantisper militem largè donatum recreauit: mox Susa occupata, ingentes Darei thesauros ibi quoque repertos, sustulit. Nec multò pòst Persepolim item cepit; vbi Persarum Regiam suasu temulentæ mulieris incendit, indeque aliis thesauris amplioribus asportatis, ad reliquas Persidis vrbes occupandas profectus, quasdam vi cepit, quasdam per deditionem obtinuit. Denique ad ipsum Dareum inquirendum castra mouit; qui cùm Bactra se'ex fuga recepisset, à Præfecto eius regionis Besso, per seditionem captus atque interemptus est. Quod vbi resciuit Alexander, qui eum cum equitatu insequebatur; curauit eum more regio sepeliri. Et tunc tandem Monarchia Persarum omnino extincta, nouum erexit Imperium; nimirum illud, quod in sacris Scripturis inter primaria quattuor mundi Regna tertio loco ponitur, & de quo etiam accipi debet quod legimus initio lib. 1. Machab. illis verbis: *Et percussit Alexander Philippi Macedo, qui primus regnauit in Græcia, Darium Regem Persarum, &c.* non enim sensus illius loci est, quòd ante Alexandrum nullus alius in Græcia regnauerit (hoc namque falsum esset) quandoquidem tum ex Eusebio in Chronicis, tum ex aliis grauissimis Scriptoribus apertissimè constat, plures in Græcia, quin etiam specialiter in Macedonia Reges extitisse ante Alexandrum; verùm idcircò dicitur Alexander primus regnasse in Græcia, quòd non solùm fuerit Regum Græciæ omnium maximus; sed etiam quia ipse reverà fuit primus, qui occupato Persarum Imperio, instituit maximum illud Regnum, quod postea per Antonomasiam Regnum Græciæ, seu Græcorum Monarchia, appellatum est.

DAREI THESAVRIS OCCVPATIS, AC TANDEM IPSO EXTINCTO, REGNVM GRAECORVM EREXIT.

EXPONITVR LOCVS I. MACHAB.

2. Ceterùm, grandis hæc victoria, quam Alexander de Dario reportauit, ante ducentos viginti & ampliùs annos, vt patet ex tabulis, præmonstrata fuerat Danieli, in ea visione hirci, qui aduersus arietem præualuisse describitur Daniel. cap. 8. per totum;

ALEXANDRI DE DARIO VICTORIA A DANIELE PRAENVNTIATA.

vt

vt ibidem verſ. 20. & 21. exponitur hiſce verbis: *Aries quem vidiſti habere cornua, Rex Medorum eſt atque Perſarum: porrò hircus caprarum, Rex Græcorum eſt.* Super quæ verba B. Hieronymus ſic ait: *Aries, videlicet Darius Arſami filius, in quo Medorum & Perſarum regnum deſtructum eſt. Porrò hircus caprarum qui veniebat ab Occidente, & propter nimiam velocitatem, terram tangere non videbatur; Alexander eſt Rex Græcorum, qui ſubuerſis Thebis, in Perſas arma corripuit; & apud Granicum fluuium inito certamine, Darij Duces ſuperauit; & ad extremum, ipſum percuſſit arietem, & duo eius confregit cornua, Medos atque Perſas; miſitque eum ſub pedibus ſuis; & vtrumque cornu, ſuo ſubiugauit Imperio.* hucuſque B. Hieronymus. Eumdem Regem Græcorum Daniel cap. 7. verſ. 6. comparauit pardo: quia, vt ibidem S. Hieronymus dicit, *pardus beſtia eſt velociſſima, quæ præceps fertur ad ſanguinem, & ſaltu in mortem ruit: nihil enim Alexandri victoria velocius fuit: qui ab Illyrico & Adriatico mari, vſque ad Indicum Oceanum, & Gangem fluuium, non tam prælijs quàm victorijs præcucurrit; & ſex annis partem Europæ, & omnem ſibi Aſiam ſubiugauit.* De eodem Alexandro idem Propheta cap. 11. verſ. 3. ait: *Surget verò Rex fortis, & dominabitur poteſtate multa, & faciet quod placuerit ei; & cùm ſteterit, conteretur regnum eius.* Quem locum exponens B. Hieronymus, *Perſpicuè*, inquit, *de Magno Alexandro Rege Macedonum loquitur, qui Philippi filius fuit. Hic enim Illyricis Thracibuſque ſuperatis, victa Græcia, Thebiſque ſubuerſis, tranſiuit in Aſiam; & fugatis Darij Ducibus, vrbem Sardis cepit; poſteàque capta India, & vrbe Alexandria condita, cùm triginta & duos ætatis haberet annos, & duodecimum ageret Imperij annum, in Babylone veneno periit* hæc ſanctus Hieronymus.

AB ORBE CONDITO ANNVS 3724. — SEXTÆ MVNDI ÆTAT. ANNVS 278.

1 ANNO igitur proximo, qui (vt apparet in tabulis) fuit Olympiadis centeſimæ duodecimæ tertius, ceſſauit ſecunda mundi Monarchia, quæ Perſarũ dicitur; & cœpit tertia, quæ Græcorum appellata eſt. Nam etſi anno regni ſui quinto Dareus poſtremò victus profligatuſque fuit; conuenientius tamen videtur, hanc Imperij mutationem à nece eiuſdem Darei, quæ ſub finem anni præcedentis contigit, exordiri: ipſe enim quoad vixit, poſtremi Perſarum Monarchæ titulum obtinuit. Oportet ergo ipſam Perſarum Monarchiam perduraſſe per annos ſeptem ſupra ducentos; tot enim ab initio Monarchiæ Cyri ad hoc tempus dinumerari poſſunt in tabulis. Ad quam opinionem proximè acceſſit Dionyſius Halicarnaſſeus non procul ab initio libri 1. Antiq. Romanarum ita ſcribens: *Perſæ porrò Medis deuictis, Aſia quidem penè tota tandem potiti ſunt: ceterùm Europæas gentes bello tentare auſi, non multùm profecerunt; nec vltra ducentos annos permanſerunt in rerum faſtigio.* ſic Halicarnaſſeus. Vnde patet, toto aberraſſe cælo Hebræos, & cum eis Lyranum, qui Perſarum Imperium minus centum annis ſtetiſſe putarunt. etenim conſtat ex his, quæ nos ſub anno mundi 3494. num. 5. diſſeruimus, Cyrum ab initio Monarchiæ ſuæ regnaſſe annos ſaltem ſeptem; & ſub an. mun. 3524. num. 3. oſtendimus, ab initio regni Cambyſis ad initium regni Darij Hyſtaſpis fluxiſſe annos octo. Porrò ipſe Darius regnauit annos triginta ſex: & Xerxes cum aliquot Artabani menſibus, annis viginti duobus: & Artaxerxes Longimanus annis quadraginta: & Xerxes II. & Sogdianus, anno ferè vno: & Artaxerxes Nothus, annis decem & nouem: & Artaxerxes Mnemon, quadraginta: & Artaxerxes Ochus, viginti ſex: & Arſas ferè tres, & Dareus ferè ſex, ita vt octo circiter annis ambo regnauerint, vt ſuis locis probatum eſt. Qui omnes computati, faciunt prædictam ſummam annorum ducentorum ſeptem.

INCIPIT MONARCHIA GRAECORVM.

SECVNDAE MONARCHIAE, SEV PERSARVM, REGES.

7
8
36
22
40.
1
19
40
26
8
207

2. Quamquam autem Monarchia Græcorum ab hoc circiter tempore, vt dictum eſt, cœperit, ita vt primus eius annus cum hoc anno, qui erat regni ipſius Alexandri ſeptimus, penè totus concurrat: nihilominus apud Aſiaticos Æra regni Græcorum non fuit inchoata, niſi ab eo tempore quo regnum iniit in Aſia Seleucus huius nominis primus, qui etiam dictus eſt Nicanor, duodecim videlicet annis poſt Alexandri Magni obitum; & ex conſequenti, ſaltem decem & octo annis à nece Darei, extinctaque Perſarum Monarchia: & propterea qui ſcripſerunt libros Machabæorum, cùm eſſent Iudæi, & conſequenter Aſiatici, numerant annos regni Græcorum, non ab initio Monarchiæ Alexandri, ſed ab exordio regni memorati Seleuci; quemadmodum ſub anno mundi 3742. num. 2. probabitur. Nuncupatum autem fuit regnum Græcorum, non quia ſemper fuerit huius regni caput in Græcia, aut ſub vno Rege, aut ſedem in vna tantùm

APVD ASIATICOS REGNVM GRAECORVM VNDE INCIPIAT.

REGNVM GRAECORVM CVR SIC DICTVM

tantùm vrbe habuerit, ſicuti regnum Aſſyriorum, & Chaldæorum, atque Perſarum: ſed quia initium habuit, partumque fuit ab Alexandro, qui erat natione Græcus; & ipſo mortuo, diuiſum eſt (vt ſub anno mundi 3730. num. 3. dicemus) inter amicos eius, qui pariter erant Græci: vnde regnum hoc rectè dicitur perduraſſe, donec omnes præfatorum Alexandri amicorum ſucceſſores à Romanis poſteà victi, & regna eorum ſubiugata ſunt. Et quia poſt cetera omnia, Ægypti regnum deuenit in poteſtatem Romanorum; ideò totius regni Græcorum finis rectè ponitur in anno pugnæ Actiacæ, quando ſcilicet Auguſtus Cæſar, Antonio & Cleopatra deuictis, ipſam Ægyptum prorſus Imperio Romano ſubiecit. Nam etſi anteà Iulius Cæſar poſt ſuperatum Pompeium, bellum geſſerat cum Ptolemæo Aulete Ægypti Rege, qui poſtremæ pater fuit Cleopatræ, vt ex Cicerone teſtatur Strabo lib. 17. in quo bello adiutus valdè fuerat ab Antipatro patre Herodis Aſcalonitæ, quemadmodum ſcribit Ioſephus 14. Antiq. c. 14. & 15. verumtamen ipſe Cæſar deuicto Ptolemæo, regnum Cleopatræ & fratri eius minori conceſſerat. ſic enim ſcribit Suetonius in Vita Cæſaris cap. 35. *Neque deinceps Aegyptus redacta eſt in prouinciam; niſi, vt dictum eſt, quando Auguſtus, Antonio & Cleopatra ad Actium nauali prælio ſuperatis, magnus orbis Monarcha effectus eſt.* Itaque ſi regni Græcorum anni ab initio Monarchiæ Alexandri numerentur, erunt (vt etiam ſub anno mundi 4023. num. 2. dicendum erit) trecenti. Totidem enim inueniuntur à ſubacto Perſarum Imperio (quod diximus accidiſſe anno Olympiadis centeſimæ duodecimæ tertio) ad pugnam Actiacam, quæ (vt infrà ſuo loco probabitur) facta eſt anno Olympiadis centeſimæ octogeſimæ ſeptimæ ſecundo. Sin autem annos regni Græcorum à prædicto Seleuco ſupputare voluerimus; dicendum erit, idem regnum ſtetiſſe annis ducentis viginti ſeptem aut viginti octo; quia longè ante Actiacam pugnam regnum Seleucidarum à Romanis ſubiugatum fuit, vt ſub anno mundi 3970. num. 3. patebit.

QVOT ANNIS PERDVRAVERIT.

ALIA ALEXANDRI GESTA ANNO REGNI SVI SEPTIMO.

3. Eodem anno regni ſui ſeptimo, Alexander milites ſuos, ob victorias de Dareo glorioſè latas, ſuper debita ſtipendia muneribus ampliſſimis donauit: deinde Hyrcaniam aliaſque prouincias ſecus mare Caſpium ſubegit: mox conſuetudine cum Amazonum Regina per aliquot dies habita, ad luxum deinceps Aſiaticum declinare cœpit; & nihilominùs aliquot bella in eiſdem regionibus, tum per ſe, tum per Duces ſuos feliciter confecit: & detecta quorumdam conſpiratione contra ſe excitata, capitale de reis ſupplicium ſumpſit.

AB ORBE CONDITO ANNVS 3725. — SEXTÆ MVNDI ÆTAT. ANNVS 279.

ACTA ALEXANDRI ANNO REGNI SVI OCTAVO.

1 ANNO octauo, qui, iuxta Diodorum, erat Olympiadis decimætertiæ ſupra centeſimam primus, Alexander, Septemtrionales quaſdam regiones, niuibus aliiſque cæli iniuriis horridas ſubegit: & eas item quæ ad Caucaſi montis radices iacebant, vbi prope aditum qui in Mediam ducit, vrbem condidit, quam ex nomine ſuo Alexandriam nuncupauit; & prope ipſam ad vnius diei iter, alias vrbes, in quas colonos multa millia barbarorum hominum traduxit. Mox in Bactrianam contendit, vbi Barbaros quoſdam Ducis ſui nece perterritos in deditionem recepit; & Beſſum Darei interfectorem, qui ſe Regem fecerat, à Barbaris traditum, fratri ceteriſque Darei conſanguineis, vt pro ipſorum libito ſupplicium de illo ſumerent, conceſſit; qui Beſſum contumeliis cruciatibuſque innumeris affectum, denique minutatim conciſum, fruſta eius fundis varias in partes iactata diſperdiderunt. Poſt hæc, cum mercenario exercitu pugnat Alexander, & victor vrbes plurimas, ac præcipuè locum pænè inuium ſaxi cuiuſdam magni circuitione, rupibuſque aſperrimis ac vallibus profundiſſimis natura munitiſſimum, à Barbaris occupatum, obtinuit. Cumque ad vlteriora progrederetur, & quidam Indus, nomine Aphices, cum viginti millibus hominum loca, quà Alexandro tranſeundum erat, occupaſſet; ecce idem Aphices à quibuſdam interemptus eſt, & caput eius Alexandro allatum. Denique Indo fluuio tranſmiſſo, Alexander Mophim Regem vltrò ad ſe venientem, in deditionem accepit; regnoque eidem elargito, ipſum deinceps amicum & ſocium habuit.

AB ORBE CONDITO ANNVS 3726. | SEXTÆ MVNDI ÆTAT. ANNVS 280.

1 ANNO regni sui nono Alexander insignem de Poro Indorum Rege victoriã reportauit, eodẽ Poro in conflictu grauiter sauciato, duobusq; filiis suis cũ exercitu interemptis. Duas ciuitates extruxit. Regi Poro, vt primùm ex curatione cõualuit, quòd egregiè admodũ pugnasset, imperiũ mira liberalitate restituit. Alterum Regem nomine Sabisarum, qui tardiùs Poro in auxilium superuenerat, terrore iniecto, vt imperata faceret compulit. Contra alium Porum, prioris ex fratre nepotem, qui ad Gangaridas se contulerat, misit vnum de Ducibus suis cum exercitu, vt regnum eius occuparet, priorique Poro traderet. Ipse verò Alexander Andrestarum terris partim vi occupatis, partim deditione receptis, ad Catharos transiens, ibi oppidum munitissimum summo labore expugnauit, atque incendit; & alterum oppugnare aggressus, oppidanis supplicantibus pace concessa, exercitum ad vrbes quæ Sophitæ parebant, duxit; receptoque à Sophita regno, illud eidem dono restituit. Idem fecit cum alio Rege, cui nomen erat Phegeus; à quo cùm didicisset de Tabræsiorum & Gangaridum populis, qui (trans Gangem fluuium, omnium quos India habet altissimum atque latissimum) Xandramo Regi potentissimo suberant, valdeque cuperet aduersus Gangarides expeditionem sumere, dissentiente exercitu, coactus est à proposito desistere, & ibi bellorum suorum terminum facere. Relicto igitur illic admodum insigni castrorum suorum monumento, per viam qua progressus fuerat rediens, diuertit ad fluuium nomine Acesines: ibi aliquamdiu moratus, naues fabricat ducentas octoginta, nouum exercitum è Græcia conductum excipit; duas vrbes iuxta fluuium extruit, nomine vni Nicæa, alteri Bucephalea, imposito. Quibus peractis, ipse classem cum minore exercitus parte ingressus est, maiorem terra per Duces suos non procul à flumine deducens. Vbi peruenit ad locum, in quo Hydaspes & Acesines in vnum confluunt, de naui egressus Alexander, quasdam vrbes in sui amicitiam acceptas libertate donauit: Aglasses verò, quadraginta tria millia hominum prælio victos partim interfecit, partim in captiuitatem traxit, & magnam item eorumdem partem in vrbe quadam magna redactam, iniecto igne incendit, præter paucos, qui se in arcem recipientes, pacem ab eo supplices petierunt atque impetrarunt. Post quæ Alexander cum suis in naues reuersus, vt primùm deuenit vbi prædicta duo flumina simul iuncta in Indum influunt, pariterque cum eo decurrunt; ob ingentes quasdam fluctuum collisiones, tremendosque vortices, tota classis periclitari cœpit; & ipse Rex, non sine summa nauium succurrentium difficultate, vix tandem de maximo atque euidenti naufragij periculo præter spem liberatus, contra Oxidracas & Mallos, qui aduersus ipsum octoginta millia peditum, decem equitum, currusque septingentos coëgerant, castra mouit; vbi vrbem ipsorum maximam expugnans, iterùm in maximum incidit vitæ discrimen: nam cùm primus ipse murum conscendisset, solusque aliquamdiu cum hostibus dimicasset, vulnus accepit, vixque à suis ab interitu seruatus est. Mox vi capta vrbe, hostibusque trucidatis, vt primùm ex vulnere conualuit, cœptam in flumine nauigationem continuans, ad populos, qui Sambastæ dicebantur, deuenit: quibus perterritis, pacemque petentibus concessit; & honores plusquam humanos ab ea gente consecutus, in Massanos & Sodras contendit; ibique secus flumen vrbem Alexandriam condidit. Mox in Musicani regnum ingressus, Regem captum interfecit, gentesque deuictas sibi parêre compulit. Inde in terram cui Porticanus imperabat ingressus, eumdem in arce munitissima fugatum expugnatumque oppressit, & omnes eius vrbes vi captas euertit. Idem in Sambi regno fecit; sed Rex trans Indum fugiens, vitæ periculum euasit. Denique ad oppugnandam Brachmanum vrbem, nomine Harmata, magnam ac benè munitam cùm accessisset; egressi oppidani supplicantes, seque in potestatem eius dedentes, veniam impetrarunt. Ipse autem nauigatione repetita, ad Oceanum, & inde rursus per flumen classe ad Hyalam insignem vrbem appulit: traditaque Nearcho & aliis amicis classe, vt per Oceanum sibi ad Euphratis ostia occurrerent, atque in transitu littorales populos ad sui obsequium compellerent: ipse cum terrestribus copiis latissimam regionem per Orbitas & Gedrosiam terram transiens, aduersos debellauit, alios verò in fidem recepit. Inde autem per loca deserta & inaquosa progressus, vt primùm Oridis finitima cœpit attingere, exercitu in tres partes diuiso, repentè totam illam regionem igne, ra-

GESTA ALEXANDRI IN INDIA.

pinis cædibusque vastauit. Quamobrem perterritæ vicinæ gentes, in Regis potestatem deuenerunt, qui iuxta mare nactus portum situ quietissimum, ibi vrbem à se conditam, Alexandriam ad sui nominis incrementum nuncupauit. Posteà in Oritarum agros irrumpens, breui totam illam gentem sibi parêre coëgit. Vnde in Gedrosiam progressus, incidit secus mare in gentem prorsus feram, terramque omnium quæ vsui sunt inopem atque desertam, vbi primò quidem multos fame amisit; posteà verò celeriter ex finitimis prouinciis tantam commeatuum vim aduehi curauit, quæ exercitui sufficeret, donec ad terram rebus omnibus affluentem peruenerunt. Denique variis cum exercitu peragratis regionibus, tandem ad Susa Persarum Regiam profectus, ibi Statiram Darei filiam natu maiorem sibi matrimonio iunxit; minorem nomine Drypetim, Hephæstioni vxorem dedit; fecitque vt nobiliores puellæ Persicæ insignioribus amicis suis Græcis nuberent. Persicum exercitum, quem ad animos Macedonicæ phalangis reprimendos ipse sibi comparauerat, magnis affecit muneribus, quòd Macedonica armatura optimè instructus, sese ei ostendisset. Omnibus exulantibus, præterquam sacrilegis & homicidis, reditum in patriam edicto gratioso concessit: decem millibus è suo exercitu senioribus vacationem militiæ indulsit. & quod maius est, pro alieno ære obstrictis, ipse vna die ferè decem millia talenta creditoribus exoluit. Ad compescendas verò Macedonum murmurationes ac seditiones, primò quidem concionanti sibi obstrepere ausos, acriùs obiurgauit; deinde, tumultus auctores suis manibus comprehensos, apparitoribus puniendos tradidit; postremò, primos in exercitu honores Persis conferens, vix adduci potuit, vt Macedonibus etiam præ humiliatione lacrymantibus reconciliaretur. Et hæc sunt quæ ab Alexandro intra hunc annum acta reperiuntur.

QVAE EGIT IN SVSA.

AB ORBE CONDITO ANNVS 3727. SEXTÆ MVNDI ÆTAT. ANNVS 281.

1 ANNO regni sui decimo, Alexander iam non minùs Persis quàm Macedonibus in vniuersum sibi fidendum censens, ita exercitum ex vtrisque miscuit, vt eumdem, retusa Macedonum audacia, sibi in posterum obsequentiorem reddiderit: & nihilominùs, Macedonum filios ex captiuis feminis susceptos, numero fermè decem mille, constituta de suo eis certa pecuniæ summa, vt liberaliter educarentur, optimisque disciplinis imbuerentur, prouidit. Posteà de Susis cum exercitu in Mediam profectus, multisque ibi peragratis regionibus, plura gessit, non tamen tam multa neque adeò memoratu digna, quemadmodum superiori anno gesserat.

QVAE IN MEDIA.

AB ORBE CONDITO ANNVS 3728. SEXTÆ MVNDI ÆTAT. ANNVS 282.

QVID IN BABYLONE.

1 ANNO vndecimo, de Media discedens Alexander, Babylonem versus castra mouit, paruis tamen itineribus, & interdum etiam quiescens, ne non exercitus reficeretur. Vt autem Babyloni appropinquare cœpit, audiens Chaldæos ex quadam astrorum obseruatione nouisse, sibi mortis periculum imminere si Babylonem intrasset; primò quidem timore correptus, aliquamdiu substitit, & castra metatus stadiis ducentis procul à Babylone, non sine magna omnium admiratione differebat ingressum; verumtamen, re cognita à quibusdam Philosophis, ac de vana Chaldæorum diuinandi ratione persuasus, Babylonem cum exercitu intrauit; vbi omnes à ciuibus humanissimè excepti, in summa rerum omnium abundantia, sese ad otium & voluptates conuerterunt.

PRIMVS PROCONSVL CREATVS.

2. Eodem anno, qui erat Vrbis conditæ quadringentesimus vigesimus octauus, Romæ cœpti sunt creari Proconsules, primusque omnium fuit Q. Publius Philo, cui prorogatum est imperium; quod antè cum nullo alio factum fuerat. Nam cùm Consulatu abijsset, vt pro Consule rem gereret iussus est, quoad debellatum cum Græcis esset.

AB ORBE CONDITO ANNVS 3729. QVINTÆ MVNDI ÆTAT. ANNVS 283.

1 ANNO regni sui duodecimo, Monarchiæ verò sexto, Alexander ex omnibus ferè orbis terrarum partibus Legatos habuit; à quibus & coronas, & munera amplissima accepit: ipse verò omnes in vniuersum vt benigna ac liberali responsione,

ſio ne, quantum eorum negotia patiebantur, accepta, læti & erga ſe benè affecti dimitterentur, ſummopere ſtuduit. Deinde funus Hephæſtionis, amici & cognati ſui, qui in Media obierat, & in Babylonem delatus fuerat, ibidem ſollemniſſimo apparatu celebrari curauit;ita vt in eo talenta pluſquam duodecim millia fuerint impenſa: & eidem Hephæſtioni (vt addit Q. Curtius lib. 10.) tamquam heroi,ſacrificari iuſſerit. Poſt hæc Alexander quando videbatur potentiæ ac felicitatis humanæ ſummum attigiſſe faſtigium; ac propterea ad remiſſionem animi vitamque lætiorem ſeſe dederat;ecce per aliquot ſigna mortem ſibi imminere non inaniter ſuſpicari cœpit: atque ita non multò pòſt, ſiue vt quidam putarunt,ex nimia potatione, letali morbo repentè oppreſſus;ſiue, (vt communiter creditur, & indubitanter aſſerit Q. Curtius lib. 10.) veneno ſublatus interiit. Ceterùm, quæ nos hactenus de Alexandri rebus geſtis breui compendio percurrimus, breuiſſimis Scriptura ſacra verbis perſtrinxit initio lib. 1. Machab. vſque ad verſ.7.ſic dicens: *Et factum eſt, poſtquam percuſſit Alexander Philippi Macedo, qui primus regnauit in Græcia, egreſſus de terra Cethim, Darium Regem Perſarum & Medorum: conſtituit prælia multa,& obtinuit omnium munitiones, & interfecit Reges terræ, & pertranſiit vſque ad fines terræ,& accepit ſpolia multitudinis Gentium: & ſiluit terra in conſpectu eius. Et congregauit virtutem & exercitum fortem nimis: & exaltatum eſt, & eleuatum cor eius: & obtinuit regiones Gentium,& tyrannos, & facti ſunt illi in tributum. Et poſt hæc decidit in lectum,& cognouit quia moreretur.* ſic Auctor 1. Machabæorum.

DE ALEXANDRI OBITV.

GESTORVM ALEXANDRI EX SACRA SCRIPTVRA EPILOGVS.

AB ORBE CONDITO ANNVS 3730. — SEXTÆ MVNDI ÆTAT. ANNVS 284.

1 ANNO itaque primo inchoante Olympiadis decimæquartæ ſupra centeſimam, vt paulò pòſt probabitur, deceſſit in Babylone Alexander Magnus, menſem vnum annos tres & triginta natus, quemadmodum tradit Iuſtinus Hiſtoricus in calce libri 12. hoc eſt (vt ſcribit Euſebius in Chronicis) anno ætatis ſuæ trigeſimo quarto: quamquam B. Hieronymus ſuper cap. Danielis 8. & 11. dicat, Alexandrum deceſſiſſe cùm triginta duos annos haberet ætatis. Enimuerò, vtcumque res ſit, Ioſephus circa medium lib. 1. Contra Apionem, *Alexandrum*, inquit, *omnes confitetur obiiſſe Olympiade centeſima decimaquarta.* Quòd autem anno eiuſdem Olympiadis primo defunctus ſit, affirmant Diodorus ſub finem lib.17. & Euſebius tum in Chronicis, tum etiam lib.8. de Demonſtratione Euangelica, Demonſt. 2. circa medium, & alij; inter quos Ioſephus Scaliger lib. 5. de Emendatione temporum, in capite cui titulus eſt, De primo Thoth annorum Philippi, & mortis Alexandri. vbi inſuper addit, eumdem Alexandrum deceſſiſſe in diebus æſtiuis. Ex quo dubitari poteſt, num deſinente an inchoante dicto anno Olympico mortuus ſit Alexander; quandoquidem ſub anno mundi 3278. num.8. probatum eſt, annos Olympicos in Æſtiuo Solſtitio terminare pariterque incipere conſueuiſſe. Sed hæc difficultas ex Ptolemæo dirimenda eſt, qui libro ſui Almageſti 3. cap.8. numerat ab initio regni Nabonaſſar ad obitum Alexandri Magni, annos quadringentos viginti quattuor; & ab obitu Alexandri ad initium Monarchiæ Auguſti Cæſaris, annos ducentos nonaginta quattuor. Conſtat autem, Auguſtum tunc & non priùs obtinuiſſe totius Imperij Romani Principatum, quàm cùm vicit Antonium in Actiaca pugna: hanc verò nos ſub anno mundi 4023. num.2. probabimus incidiſſe anno Vrbis ſeptingenteſimo vigeſimo tertio, & Olympiadis centeſimæ octogeſimæ ſeptimæ ſecundo, & Æræ Nabonaſſari ſeptingenteſimo decimooctauo. Sanè annus primus Olympiadis centeſimæ decimæquartæ, de quo nunc agimus, coincidit (vt videre eſt in tabulis) cum anno Æræ Nabonaſſari non quadringenteſimo vigeſimo quarto, ſed quadringenteſimo vigeſimo quinto: igitur oportet Alexandrum deceſſiſſe anno Olympico incipiente, non autem deſinente. Et confirmatur; quia anni ducenti nonaginta quattuor, quos diximus fluxiſſe ab obitu Alexandri ad Imperium Auguſti, inueniuntur ab anno Æræ Nabonaſſari quadringenteſimo vigeſimo quinto, ad annum eiuſdem Æræ ſeptingenteſimum decimumoctauum; terminis non excluſiuè, ſed incluſiuè putatis. Ex quibus omnibus manifeſtum fit, obitum Alexandri incidiſſe non deſinente, ſed inchoante anno primo Olympiadis centeſimæ decimæquartæ.

QVA AETATE ET QVANDO ALEXANDER OBIERIT.

¶ 2. Ceterùm, quot annis regnauerit Alexander, varia eſt Scriptorum ſententia. Iuſtinus initio lib. 11. dicens ipſum fuiſſe annos viginti natum, quando patre iam mortuo regnare cœpit; & ſub finem lib. 12. aſſerens, eumdem Alexandrum deceſſiſſe menſem vnum annos tres & triginta natum; perſpicuè videtur inferre, quòd regnauerit annis

QVOT ANNIS ALEXANDER REGNAVERIT.

tredecim & mense vno: Eusebius in Chronicis apertè dicit, Alexandrum regnasse annis quattuordecim: Diodorus prope finem libri 17. scribit, eumdem annò regni duodecimo, mense verò eiusdem anni septimo, vita functum; ita vt vix annos vndecim cum dimidio in regno excesserit. Idem ferè videtur sensisse B. Hieronymus, qui super Daniel. c. 11. ait, Alexandrum, cùm annum Imperij duodecimum ageret, veneno periisse. Sed nos expressam sacræ Scripturæ sententiam sequimur, quæ 1. Machab. cap. 1. vers. 8. ita ad verbum habet: *Et regnauit Alexander annis duodecim, & mortuus est.* Quod & Orosius lib. 3. cap. 23. aliis verbis expressit dicens: *Igitur Alexander per duodecim annos trementem sub se orbem ferro pressit.* Quamquam non imus inficias, allegatum Scripturæ dictum non necessariò præcisè ad litteram esse sumendum, sed rectè etiam posse accipi, ac si voluerit significare, Alexandrum annos circiter duodecim plus minus in regno exegisse.

DE IVDAEORVM PONTIFICIBVS A IADDO AD MACHABAEOS.

3. Sed antequam de successoribus Alexandri agamus, necesse est, aliquantulùm ad Iudæorum Pontifices diuertere. Nam quia sub anno mundi 3616. num. 23. ex Iosepho ostendimus, Iaddum Alexandri Magni temporibus Iudæorum Pontificem, eodem ferè quo ipse Alexander tempore obiisse; videndum nunc est, eidem Iaddo quinam posteà, & quo ordine successerint, vsquequò ad Machabæos Pontificatus transitum fecit. Et ex Iosepho potissimùm, à quo (vt arbitror) Eusebius lib. 8. de Demõstratione Euangelica, Demonstratione 2. post medium, & B. Nicephorus Constantinopolitanus in sua Chronologia, & Auctor Glossæ ordinariæ super 2. Machab. cap. 3. & Sigonius de Repub. Hebræorum lib. 5. cap. 2. & Genebrardus Chronologiæ lib. 2. & alij, quosdam Iaddi successores desumpserunt; & post ipsum Iaddum, sub quo, inquiunt, Alexander Ierosolymam venit, ponunt Primò Oniam huius nominis primum, & eiusdem Iaddi filium. Secundò Simonem cognomento Iustum, cuius laudes celebrat Scriptura Ecclesiastici cap. 50. vt nos sub anno mundi 3744. num. 2. probabimus. Tertiò Eleazarum dicti Simonis Iusti fratrem. Quartò Manassem, Eleazari patruũ. Quintò Oniam, Simonis Iusti filium. Sextò Simonem, secundi Oniæ filium. Hunc Simonem B. Nicephorus & Sigonius vbi suprà, confundunt cum Simone Iusto, putantes esse illum cuius meminit Iesus Sirach F. in Sapientia sua. Quæ verba de priori Simone dicenda erant. Septimò alium Oniam huius vocabuli tertium, & proximè memorati Simonis filium. Quæ omnia sparsim apud Iosephum reperiri, certum est: siquidem in calce lib. 11. Antiq. ait, Iaddum obiisse, Onia filio successore. & 12. Antiq. cap. 2. non valdè procul ab initio, hæc ad verbum habet: *Onia Pontifice defuncto, filius ei Simon successit, Iustus cognominatus, quòd & Deum piè coleret, & eius summa potiretur beneuolentia. Quo mortuo, superstite vnico filio paruulo, frater eius Eleazarus pontificatum assumpsit.* sic Iosephus. Est autem iste Eleazarus, à quo, petente Ptolemæo Philadelpho, missi sunt in Ægyptum LXXII. viri apprimè docti, qui vetus Testamentum de Hebraico idiomate in Græcum transtulerunt: quorum translatio vsque nunc LXX. Interpretum titulo prænotatur. Cuius rei historiam ibidem prosequitur Iosephus. Qui & sub finem capitis 3. hæc subiungit: *Post obitum Eleazari, Manasses eius patruus Pontificatum assumpsit: quo defuncto, Onias successit in Sacerdotium, Simonis Iusti filius, quem Simonem, Eleazari fratrem fuisse diximus.* hæc Iosephus: qui ibidem, & cap. sequenti, de huius Oniæ auaritia pusillanimitateque nonnulla subtexuit; & in fine capitis ait, quòd idem Onias relicto successore honoris sui Simone filio, obiit. Deinde vita functo Simone, Onias filius successit; ad quem Lacedæmoniorum Rex Arius legationem misit cum litteris, quarum tenorem subsequenti capite, quod est eiusdem libri quintum, idem Iosephus commemorat. Quin etiam in capitis 6. initio vlteriùs addit, quòd Antiochus Rex, *Onia Pontifice defuncto, fratri eius Iesu id Sacerdotium contulit, quòd filius superstes tum esset paruulus.* Et subiungit, quòd *hic Iesus priuatus est eo sacerdotio per Regis indignationem, moxq. in Oniam fratrum minimum Pontificatus translatus est. Simoni enim hi tres fuerunt filij, ad quos omnes, Pontificatus peruenit. Ceterùm Iesus Iasonem se vocari maluit, sicut alter frater pro Onia, Menelaus dictus est.* hucusque Iosephus, quem secuti sunt præfati Auctores. Et nihilominus constat, Iosephum in his quæ de Onia, Iasone, & Menelao fratribus scribit, dupliciter peccasse. Primò, in eo quòd asserit Menelaum alio nomine dictum fuisse Oniam, & fuisse alterius Oniæ Iasonisque fratrem, & prædicti Simonis filium: siquidem Scriptura sacra in libris Machabæorum, vbi de hoc Menelao agit, nullibi memorat, quòd dictus vmquam fuerit Onias, neque quòd fuerit frater alterius Oniæ & Iasonis; sed 2. Machab. cap. 4. vers. 23. dicit Menelaum fuisse fratrem Simonis ibidem num. 1. memorati, qui capite 3. vers. 4. dicitur fuisse de tribu Beniamin; & c. 4. vers. 29.

dictum

dictum Menelai tertium fratrem nominat Lysimachum; vnde patet, hos tres fratres non fuisse de semine Aaron, & consequenter longè diuersos esse à prædictis tribus filiis illius Simonis, qui fuerat Simonis Iusti nepos; vt etiam sub anno mundi 3882. num. 3. ostendemus. Errat secundò Iosephus, quia dicit Sacerdotium transisse ad Iasonem, defuncto Onia; quod falsum est, vt apertè colligi potest ex eodem 2. Machab. cap. 4. vbi vers. 7. vsque ad 11. describitur, quomodo Iason Oniam fratrem adhuc viuentem Sacerdotio spoliauerit; & ibidem manifestè apparet, dictum Oniam exinde aliquot annis superuixisse, donec tandem præfati Menelai opera, ab Andronico Antiochiæ Præfecto per fraudem interemptus est, vt ibidem vers. 34. traditur. Sed hæc aliàs.

4. Nunc quod ad rem, hoc est, ad successionem Pontificum continuandam attinet, sat sit supponere, quod (quemadmodum cap. Machab. proximè citato habemus) adhuc viuente Onia Pontifice iusto, impius eius frater Iason, malis artibus ab Antiocho Rege Pontificatum obtinuit: & post triennium, Menelaus, quamuis de genere Sacerdotali non esset, pari impietate & astutia Iasonem de Pontificatu deiecit, & sibi illum à Rege deferri curauit. Qui cùm promissas Regi pecunias non persolueret, ipse item de illa dignitate depositus est, subrogato in eius locum Lysimacho eius fratre. Quo deinde, propter multa quæ de Menelai fratris consilio sacrilegia perpetrabat, furore populi extincto; licet rursum Menelaus, post accusatores suos Principum fauore apud Regem oppressos, videatur iterùm in potestate Pontificia aliquantulùm perseuerasse, vt sub anno mundi 3892. num. 1. dicemus; attamen certum est, quòd non multò pòst transiuit Pontificatus ad Alcimum: qui, quoniam tempore commistionis, vltrò Gentilium ritibus (quemadmodum traditur 2. Machab. cap. 14. vers. 3.) se coinquinauerat, meritò proptereà Pontificatum amisit. Et tunc, aut non multò pòst, Machabæorum pater Mathathias, sancto aduersus impios Regis ministros zelo erectus, eam dignitatem sibi & posteris suis, communi omnium bonorum consensu, demandari promeruit. Porrò ex hisce Pontificibus, qui hactenus à nobis memorati sunt, Eusebius Manassem Iaddi filium, & Iasonem, & Menelaum, & Lysimachum, & Alcimum; Iosephus verò & B. Nicephorus, Lysimachum dumtaxat; Glossa autem ordinaria, omnes post Oniam tertium locis citatis prætererunt. Et hæc sunt quæ de Pontificum successione, à Iaddo ad Machabæos, hoc loco in vniuersum dici posse videntur: quandoquidem de vnoquoque seorsum propriis locis differere non possumus: quia tametsi singulorum nomina, vt ostensum est, tum ex Iosepho, tum etiam ex sacris Machabæorum libris perspicuè colligantur; annos tamen quos vnusquisque in suo Pontificatu exegerit (præterquam de Iasone, qui triennio tantùm in tali honore permansisse indicatur 2. Machab. cap. 4. vers. 23.) nullibi certò notatos inuenimus, nisi suppositítios ab Annianis excogitatos. Quo fit, vt eosdem ritè, quemadmodum optabamus, distinguere, & suis locis ponere nullo modo permissum fuerit. De Machabæis autem, qui Pontificatum pariter ac Principatum tenuerunt, & de ipsorum successoribus, propriis posteà locis dicendum erit: nam quemadmodum Principatus, ita & Pontificatus eorum anni, facilè in tabulis digeri ac distinctè tradi poterunt. Redeamus nunc ad historiam.

5. Post Alexandrum Magnum surrexerunt plurimi Reges, prout ipse cùm adhuc viueret (quemadmodum dicitur 1. Machab. cap. 1. vers. 7.) diuiserat Imperium suum pueris suis, hoc est seruis suis nobilioribus; siue (vt ibidem exponit Rabanus) diuidendum reliquerat. Est autem hæc Rabani expositio valdè accommodata, ad conciliandam in hac parte historiam Sacram cum Ethnica, quæ hanc regni diuisionem non ab ipso Alexandro, sed post eius mortem, factam tradit; nimirum à Perdicca primario inter Alexandri amicos Ducesque. Nam cùm, vt scribit Iustinus in calce lib. 12. Alexander, sexto ægritudinis suæ die, præclusa voce, detractum digito anulum tradiderit Perdiccæ, qui non multò pòst, vt idem Auctor non procul ab initio libri proximi refert, prouincias quæ sub Alexandro fuerant, Ducibus ac Principibus eius diuisit: videtur quodammodò talis diuisio dici posse virtualiter, & vt ita dixerim, auctoritatiuè facta ab eodem Alexandro, vtpote qui dum adhuc viueret, prædicto signo aliqualiter per quem facienda esset indicauerat; posteà verò à Perdicca, tamquam Alexandri ministro, efficienter impleta. Quamuis enim Perdiccæ intentio fortè non fuerit tunc regni diuisionem, sed Præfecturarum, pro recta regni administratione, distributionem facere: verùmtamen diuino consilio factum est, vt sic ipsa quoque regni diuisio subsecuta sit. *Quandoquidem* (vt ibidem subdit Iustinus) *non magno pòst tempore, quasi Regna, non Præfecturas diuisissent; sic Reges ex Præfectis facti, magnas opes non sibi tantùm parauerunt, verùm & posteris reliquerunt.*

DE REGNI ALEXANDRI DIVISIONE.

6. Porrò

DANIEL PRAEVIDIT REGNI ALEXANDRI DIVISIONEM.

6. Porrò hæc tam festina diuisio regni, quod tanto ac tam celeri studio Alexander congesserat, Danielem, qui ante ducentos & amplius annos prophetauerat, non latuit: etenim ipse cùm præuidisset, & in capite Prophetiæ suæ 11. prænuntiasset surrecturum Regem fortem, videlicet Alexandrum, qui magnam terrarum partẽ in sui dominium potestatemque redigeret; protinus subiungit, ipsius regnum cùm steterit, diuisum iri. ac deinceps multa quoque summatim prædicit, quæ mox inter successores eius, Ægypti scilicet & Asiæ Reges, euentura erant, vsque ad octauum Asiæ Regem Antiochum Epiphanem, sextumque Ægypti Ptolemæum cognomine Philopatora, vt suis locis adnotabimus. Iam verò quod attinet ad memoratam regni Alexandrei diuisionem, hæc ad verbum Propheta cap. citato vers. 4. scripta reliquit: *Et cùm steterit, conteretur regnum eius, & diuidetur in quattuor ventos cæli; sed non in posteros eius, neque secundùm potentiam illius, qua dominatus est. Lacerabitur enim regnum eius etiam in externos, exceptis his.* Super quæ verba B. Hieronymus ita differit:

TEXTVS DANIELIS A B HIERONYMO EXPONITVR.

Post Alexandrum, in quattuor ventos cæli, Orientem videlicet & Occidentem, Meridiem & Septemtrionem, regnum illius diuisum est. In Aegypto enim primus regnauit Ptolemæus Lagi filius, id est ad Meridiem. In Macedonia Philippus, qui & Arideus frater Alexandri; id est ad Occidentem. Syriæ, & Babylonis, & superiorum locorum, Seleucus Nicanor; id est ad Orientem. Asiæ & Ponti, ceterarumq. in ipsa plaga prouinciarum, Antigonus; id est ad Septemtrionem. Hæc secundùm totius orbis plagas dicimus: Ceterùm qui in Iudæa est, ad Aquilonem Syriam, & ad Meridiem Aegyptum habet. Quòd autem ait, Et non in posteros eius; hoc significat, quòd liberos non habuerit; sed regnum ipsius in alienos laceratum sit: excepto fratre Philippo, qui Macedonas tenuit. Neque secundùm potentiam illius qua dominatus est. Diuisum enim in quattuor partes regnum, imbecillius fuit, dum aduersum se dimicant, & intestino furore bacchantur. Lacerabitur enim eius regnum etiam in exteros, exceptis his. Præter regna quattuor, Macedoniæ, Asiæ, Syriæ, Aegypti, etiam in alios obscuriores & minores Reges, Macedonum regnum laceratum est. Significat autem Perdiccam, & Crateron, & Lysimachum, nam Cappadocia & Armenia, Bithynia & Heraclea, Bosphorúsque, & aliæ prouinciæ, de potestate Macedonum recedentes, diuersos sibi Reges constituerunt.

ALEXANDRI SVCCESSORES PLVRES SED PRAECIPVI QVATTVOR.

7. Itaque Alexandri successores, tametsi multò plures fuerint, quemadmodum etiam colligi potest ex Iustino lib. 13. Q. Curtio in calce libri 10. Diodoro lib. 18. & Orosio lib. 3. cap. 23. & Iosepho lib. 12. Antiq. cap. 1. & Appiano Alexandrino aliquanto ante finem libri de Bellis Syriacis: quattuor tamen præcipui notantur in Sacro eloquio, nimirum Danielis cap. 8. vers. 8. & cap. 11. v. 4. necnon etiam, licet subobscurè, cap. 7. vers. 6. qui sunt hi quos ex B. Hieronymo paulò antè commemorauimus. Nisi fortè pro eo qui dicitur regnasse ad Aquilonem, mallet quis accipere Lysimachum Thraciæ Regem; quæ respectu quattuor totius orbis plagarum, vel etiam regni ab Alexandro relicti, vergit ad Aquilonem. Nam licet ab initio prædictæ diuisionis, alius Asiam, nempe Antigonus; alius Syriam, nimirum Seleucus, tenuerint: nihilominùs non multò pòst regnum Asiæ, & omnia quæ fuerant Antigoni, ad Seleucum & eius posteros deuoluta sunt. Igitur hi quattuor inter alios præcipui, post Alexandri mortem imposuerunt sibi diademata (licet non eodem tempore, vt ex sequentibus apparebit) & filij eorum post eos, quemadmodum apertè dicitur 1. Machab. cap. 1. vers. 10. vbi etiam subiungitur: *Et multiplicata sunt mala.* nimirum propter mutua eorum prælia: nam post mortem Alexandri, vt scribit Orosius vbi suprà non longè ab initio capitis, *Principes eius*, inquit, *veluti opimam prædam à magno leone prostratam, auidi discerpsere catuli; seque ipsos inuicem in rixam irritatos, prædæ æmulatione fregerunt.* Et Iosephus vbi suprà de eisdem ait: *Qui dum seditionibus agitantur, & de Imperio contendunt, durante longo bello, & vrbes multæ afflictæ sunt, & habitatores earum plurimi per diuersa præliorum certamina desiderati sunt: id quod tota Syria tum passa est sub Ptolemæo Lagi, quem præter meritum, Soterem* (id est, seruatorem) *appellabant.* hæc Iosephus.

CVR SACRA SCRIPTVRA DE AEGYPTI SYRIAEQVE REGIBVS TANTVM AGAT.

8. Ceterùm, de prædictis Macedoniæ, & Thraciæ, ac Ponti, Asiæque Regibus, sicuti etiam de aliis plurimis obscurioribus, puta Cappadociæ, Bithyniæ, Armeniæ, & aliarum prouinciarum; quæ, vt diximus, dilacerato Alexandri regno, singulæ proprios sibi Reges constituerant, nihil agitur in Sacris libris; quoniam illi nihil pertinebant ad populum Domini, cui quodammodò neque obesse nec prodesse poterant; cùm propter nimiam eorum à regno Iudaico distantiam, tum etiam quia citiùs inter se dimicantes extincti sunt, vt tradit Orosius in calce libri 3. & successores eorum posteà à Romanis subiugati, regnisque spoliati fuerunt. Sæpè autem in sacra Scriptura fit mentio de duobus aliis regnis, Syriæ scilicet & Ægypti, eorumque Regibus, quoniam sæpissimè ab ipsis grauiter afflictus oppressúsque est populus Iudaicus; vtpote qui inter ipsa erat medius.

dius. Quod etiam adnotauit S. Hieronymus ſuper Danielis cap. 11. dicens: *Idcircò autem* (ſubaudi, Sacer textus) *cetera regna dimittens, Macedoniæ videlicet & Aſiæ, tantùm de Aegypti & Syriæ narrat Regibus; quia in medio Iudæa poſita, nunc ab illis, nunc ab iſtis Regibus tenebatur: & Scripturæ ſanctæ propoſitum eſt, non externam abſque Iudæis hiſtoriam texere; ſed eam quæ Iſraelitico populo copulata eſt:* ſic ille. Quare nos quoque de his duobus dumtaxat ſubſequenter agemus, relictis aliis, tamquam ad inſtitutum noſtrum nihil pertinentibus. Et quoniam (vt dictum eſt) Ægyptus, reſpectu Iudææ, poſita eſt ad Meridiem; Syria verò & Babylonia magis reſpiciunt ad Aquilonem; idcircò ordinariè in Sacro eloquio per Regem Auſtri deſignatur Rex Aegypti; & per Regem Aquilonis, Rex Syriæ & Babyloniæ; quod hîc ſemel adnotaſſe ſat ſit: id enim plurimum facit ad intelligentiam capitis 11. Danielis, vbi breuiter prædicuntur prælia, & alia multa, quæ poſterioribus temporibus acciderunt inter Reges Syriæ & Ægypti, & populum Iudaicum, quarum plurima fuſiùs deſcripta habentur in libris Machabæorum. Igitur

9. Eodem anno primo Olympiadis decimæquartæ non multò antè inchoato, (vt ex mox dicendis comprobari poteſt) Ptolemæus Lagi, quemadmodum Pauſanias in Atticis ſcriptum reliquit, cùm poſt Alexandri obitum, iis qui ad Aridæum Alexandri fratrem regnum deferri debere contendebant, acriter reſtitiſſet, ac Imperij in plures partes diuidêdi auctor cum aliis extitiſſet: in Ægyptum profectus, Cleomenem, quem illi regno Alexander præfecerat, quòd Perdiccæ ſtuderet, occidit, & ſibi regnum illud vſurpauit. Ac deinde etiam poſt cædem Perdiccæ ad res gerendas excitatus, Syriam & Phœnicem imperio ſuo adiecit. Mox Seuleucum Antiochi filium, ab Antigono Aſiæ Rege eiectum, & ad ſe confugientem, in fidem recepit. Hunc Ptolemæum Ludouicus Viues apud S. Auguſtinum lib. 18. de Ciuit. cap. 42. dicit humili loco natum, Lago ſcilicet patre Alexandri ſatellite, ad gratiam Regis, ob egregiam indolem fortitudinemq; animi, & peritiam rei militaris, ex gregario milite fuiſſe euectum: quod & tangit Iuſtinus non procul ab initio lib. 13. Sed meliùs Pauſanias vbi ſuprà, *Ptolemæum*, inquit, *Macedones reverà Philippi*, qui pater fuit Alexandri, *verbo autem Lagi filium fuiſſe exiſtimant; eius enim matrem cùm gereret vterum, à Philippo vxorem Lago datam ferunt.* De hoc primo poſt Alexandrum Ægypti Rege, (à quo poſteà eius poſteri appellati ſunt Ptolemæi, quemadmodum Romanorum Imperatores à Cæſare & Auguſto cognomentum ſumpſerunt) meminit Scriptura Danielis cap. 11. verſ. 5. illis verbis: *Et confortabitur rex Auſtri.* adeò enim magnificatus eſt & effectus potens, vt (teſte B. Hieronymo ibidem) Pyrrhum Regem Epirotarum expulſum reſtituerit in regnum, Cyprumque obtinuerit & Phœnicem; & victo Demetrio filio Antigoni, Seleuco regni ſui partem, quæ ab Antigono fuerat ablata, reſtituerit: Cariam quoque obtineret, & multas inſulas vrbeſque ac regiones. De eodem Ptolemæo ſcribit Ioſephus 12. Antiq. cap. 1. quòd occupatis dolo Ieroſolymis & Iudæa, multos Iudæorum captiuos in Ægyptum tranſtulit: ſed poſtmodum agnita ipſorum in obſeruanda iuriſiurandi fide conſtantia, multos ex ipſis ſacramento deuinctos, in præſidiis ſuis poſuit; & iure ciuitatis apud Alexandriam, pari cum Macedonibus conditione donauit. Quamobrem plures poſteà alij Iudæorum vltrò in Ægyptum commigrarût. Ceterùm, iſte Ptolemæus, vt communiter tradunt Scriptores, regnauit annis quadraginta. Quod debet intelligi, numerando annos regni eius ab obitu Alexandri Magni ad obitum ipſius Ptolemæi: nam alioqui, ſi vt probabile eſt, ob bella quæ inter Alexandri ſucceſſores interceſſerunt, non tam citò regnare potuit; tanto minùs prædicto annorum numero ipſe regnaſſe dicendus erit, quanto tardiùs Ægypti regnum occupare valuit: dempto item poſtremo vitæ ſuæ anno, in quo regnauit filius eius Philadelphus, vt ſub anno mundi 3768. num. 2. probabimus.

PTOLEMAEVS LAGI REGNAT IN AEGYPTO.

QVIS FVERIT DICTVS PTOLEMAEVS.

PROPHETIA DANIELIS DE PTOLEMAEO LAGI, ET EIVS GESTA.

10. Hunc Ptolemæum Lagi, poſt Alexandri Magni obitum, eiuſdem Alexandri geſta ſcripſiſſe, tradit initio Hiſtoriarum ſuarum de expeditione Alexandri Arrianus ille Scriptor Græcus, cuius nos ſub anno mundi 3719. num. 1. meminimus; & ibi ſe hiſtoriam illam ex dicto Ptolemæo, & quodam Ariſtobulo, tamquam Scriptoribus admodum veridicis ac fide dignis, ſumpſiſſe profitetur, quippe qui vnà cum eodem Alexandro militauerant, & ſocij expeditionum eius fuerant. Fuit ergo iſte Ptolemæus non ſolùm Rex valdè potens, & bellica fortitudine inſignis; ſed etiam, non ſecùs ac poſteà Cæſar, Scriptor egregius.

AB ORBE CONDITO ANNVS 3733. SEXTÆ MVNDI ÆTAT. ANNVS 287.

IVBILEVS VIGESIMVS TERTIVS. 1 ANNO regni Ptolemæi Lagi quarto oportet incidisse in Iudæa annum Iubilei vigesimi tertij: siquidem, vt videre est in tabulis, præfatus regni annus concurrit cum anno ab ingressu Israëlis in terram Chanaan millesimo centesimo quinquagesimo.

AB ORBE CONDITO ANNVS 3735. SEXTÆ MVNDI ÆTAT. ANNVS 289.

ANTIGONVS REGNAT IN ASIA. 1 ANNO memorati Ptolemæi siue ab obitu Alexandri Magni sexto, primus regnauit in Asia Antigonus annis decem & octo, vt tradit Eusebius in Chronicis.

AB ORBE CONDITO ANNVS 3742. SEXTÆ MVNDI ÆTAT. ANNVS 296.

SELEVCVS PRIMVS, QVI ET NICANOR, REGNAT IN SYRIA. 1 ANNO Olympiadis centesimæ decimæseptimæ primo (vt mox probabitur) circiter desinente, credimus Seleucum huius nominis primum, qui & Nicanor, profligato (Ptolemæi Regis Ægypti auxiliis) Antigono, à quo priùs fuerat expulsus, Syriæ regnum obtinuisse. Nam etsi Eusebius, tum in Chronicis, tum lib. 8. de Demonstratione Euangelica, Demonstratione 2. non longè post medium, & Scaliger lib. 5. de Emendatione temporum, cap. De anno Seleucidarum Alexandreo, sentiant, prædictum Seleucum, post annos duodecim ab Alexandri Magni obitu exactos, regnare cœpisse: puto tamen horum sententiam largè esse accipiendam seu interpretandam, ita vt ad ipsius veritatem sufficiat, quòd non post annos tredecim, sed sub finem decimitertij regnare cœperit; & sic annus primus regni Seleuci ferè totus concurrat, non cum decimotertio, sed cum decimoquarto ab obitu Alexandri, & consequenter, non cum primo, sed cum secũdo dictæ Olympiadis, vt positum est in tabulis. Moueor autem ad hoc ponendum duplici de causa. Nam cùm certum sit, (quemadmodum numero proximo demonstrabimus) annum primum regni Seleuci, fuisse etiam primum Æræ regni Græcorum more Iudaico putatæ; & constet ex Iosepho 12. Antiquit. cap. 11. versus finem, & ex Eusebio in Chronicis, annum regni Græcorum centesimum quadragesimum octauum, in quo emundatum est templum, incidisse Olympiade centesima quinquagesima quarta, & ex 1. Machab. cap. 6. vers. 20. 49. & 54. pateat, annum regni Græcorum centesimum quinquagesimum, fuisse Sabbaticum: certè, si annus primus regni Græcorum fuisset quoque primus Olympiadis centesimæ decimæseptimæ, nullo modo posset annus regni Græcorum centesimus quadragesimus octauus incidere in Olympiadem centesimam quinquagesimam quartam; & annus regni Græcorum centesimus quinquagesimus nonnihil discordaret ab Æra annorum Sabbaticorum, quæ habetur in tabulis; & ex consequenti deinceps tota illa Æra perturbaretur. Posito autem quòd annus primus regni Græcorum concurrat cum secundo Olympiadis centesimæ decimæseptimæ; & loca Iosephi & Eusebij citata vera esse inueniuntur; & memorata Sabbaticorum Æra, cum his quæ tum in Sacro eloquio, tum apud Iosephum, de annis Sabbaticis scripta sunt, omnino consona redditur, vt in eisdem tabulis experiri quisque poterit.

AB ORBE CONDITO ANNVS 3743. SEXTÆ MVNDI ÆTAT. ANNVS 297.

INCIPIT AERA REGNI GRAECORVM SEV SELEVCIDARVM IVDAICA. 1 ANNO eiusdem Olympiadis secundo, qui concurrit ferè totus cum primo regni eiusdem Seleuci, cœpta est Æra seu dinumeratio annorum regni Græcorum, quam sequuntur libri Machabæorum, vt non semel testatur Iosephus, qui 12. Antiq. in principio capitis 7. ait, quòd Antiochus Epiphanes, relicta Aegypto, ingressus est Ierosolymam anno centesimo quadragesimo tertio, ex quo primùm ad Seleuci familiam Syriæ regnum deuenerat. Et ibidem paulò pòst asserit, annum regni dictæ familiæ centesimum quadragesimum quintum, in quo idem Antiochus Ierosolymitanum templum profanauit, incidisse Olympiade centesima quinquagesima tertia;

tia; quod dictum nullo modo veridicum esse posset, si anni regni Græcorum non à Seleuco, vt dictum est, sed ab Alexandro numerandi essent: siquidem annus centesimus quadragesimus quintus Monarchiæ Alexandri, concurrit cum anno Olympiadis centesimæ quadragesimæ octauæ quarto, vt videri potest in tabulis. In eiusdem quoque libri capite 14. Iosephus scribit, quòd Iudas oppugnare cœpit arcem anno centesimo quinquagesimo, ex quo primùm ad Seleucum Imperium illarum regionum peruenerat. Idem cõfirmari potest ex Eusebio in Chronicis, & loco de Demonstratione Euangelica numero præcedenti citato, & B. Hieronymo super Danielis cap. 8. & Rabano super 1. Machab. cap. 1. & Seuero Sulpitio lib. 2. Historiæ sacræ, & aliis. Quin etiam, quod magis vrget, ipsamet sacra Scriptura, in suis annorum numeris cum annis Regum Syriæ collata, idipsum apertè manifestat. Etenim singuli anni regni Græcorum in libris Machabæorum commemorati, si ab initio regni Seleuci supputentur, vt fit in nostris tabulis, omnia consona inueniuntur: sin autem illos ab initio regni Alexandri, vel ab exordio Monarchiæ eius numerare voluerimus; proculdubiò nequaquam constabũt: nam in singulis annorum summis ibidem expressis error comperietur; in primo quidem casu, annorum circiter viginti quattuor; in secundo autem, annorum saltem decem & octo, vt quiuis poterit experiri in eisdem tabulis, vbi binas regni Græcorum Æras digessimus; eam scilicet quæ ab Alexandri Monarchia deducitur, & illam quæ ab exordio regni Seleuci deriuatur: quæ etiam dupliciter deduci potest; vel more Iudaico, vel (vt Ptolemæus lib. Almagesti 11. cap. 7. vocat) secundùm Chaldæos, quemadmodum nos infrà num. 4. & sub anno mundi 3824. num. 1. declarabimus. Ratio autem, cur Scriptura sacra regni Græcorum annos numerare maluerit non ab Alexandro, quem primò regnasse in Græcia asserit initio 1. Machabæorum, sed à Seleuco, qui primus post Alexandrum regnauit in Syria; esse potest, vel quia licet ambo essent natione Græci, tamen Alexandri regnum non ad posteros suos deuenit, nec in familia sua diu permansit, sicuti regnum Seleuci, quod ad plurimas suæ posteritatis generationes successiuè transiuit; vel quia, cùm Iudæa esset pars Syriæ, conuenienter Iudæi Scriptores sequi debebãt Æram à Seleuco Rege primo Syriæ in illis regionibus introductam. CVR SCRIPTVRA SACRA ANNOS REGNI GRAECORVM A SELEVCO NON AB ALEXANDRO DINVMERET.

¶ 2. Ad hæc si aduertisset Franciscus Suarez, Theologorum nostri temporis clarissimus, non tam facilè in suis Commentariis super 3. part. Summæ S. Thomæ, disput. 1. sect. 2. pronuntiasset, errasse Scriptores, qui ex Olympiadum subductione colligunt, fluxisse centum nonaginta quattuor circiter annos ab exordio Monarchiæ Alexandri, ad initium Pontificatus & Principatus Ioannis Hircani; cùm ex 1. Machab. cap. vlt. vers. 14. constet, Simonem eius patrem, cui immediatè successit præfatus Ioannes, occisum fuisse anno regni Græcorum centesimo septuagesimo septimo; & huic Scripturæ maior habenda sit fides, quàm omnibus Olympiadum supputationibus; non, inquam, culpasset prædictos Scriptores; neque argumentum à se adductum, insolutum reliquisset, si ad ea quæ nos præcedenti numero disseruimus, aduertisset: vtique enim dignoscere potuisset, annos, qui videntur deficere in summa loco Machab. citato adnotata, esse illos qui fluxerunt ab anno primo Monarchiæ Alexandri ad primum regni Seleuci. Huius differentiæ, quæ reperitur inter Æram Seleucidarum, & eam quæ deducitur ab Alexandri Monarchia, meminit etiam Appianus Alexandrinus in fine libri de Bellis Syriacis; tametsi fallitur in eo, quòd ponit quattuordecim dumtaxat annos à Monarchia Alexandri ad annum primum Seleucidarum; cùm ponendi essent saltem decem & octo: nisi fortè dictus Auctor ibi intelligere voluerit, illos quattuordecim annos fluxisse non à primo, sed ab vltimo anno Monarchiæ Alexandri, ad primum regni Seleucidarum, vtrisque terminis computatis. id enim admitti posset. Igitur potiùs culpandi sunt Lyranus, Io. Lucidus, Io. Driedo, & alij; qui perperàm existimarunt, prædictos regni Græcorum annos ab Alexandro esse supputandos. Maximè verò omnium cauendus est Io. Annius, qui in suis Commentariis super Breuiario temporum falsò Philoni adscripto, non erubuit dicere, libros Machabæorum olim sine vlla annorum notatione extitisse; sed eos postmodum, addita temporum distinctione, à Iosepho fuisse corruptos, & Apocryphos redditos. Quod quis non aduertit, quàm temerarium sit? præsertim cùm videamus, in omnibus probatis eorumdem exemplaribus illam annorum notationem reperiri, & ita eos in sancta Ecclesia publicè legi, & pro Canonicis omnino haberi, vt etiam probat Cardinalis Bellarminus lib. 1. de Verbo Dei cap. 15.

REFELLITVR DICTVM FRANCISCI SVAREZ.

ERROR ANNII MAXIME CAVENDVS.

3. Notandùm verò hîc est, quòd licet (vt scribit Scaliger lib. 5. cap. De anno Seleucidarum Chaldaico) Seleucus Babylone recuperata, diadema sibi imposuerit anno

primo

DVPLEX ANNORVM REGNI GRAECORVM DINVMERANDI RATIO.

primo Olympiadis centesimæ decimæseptimæ, subaudi desinéte, vt num. 1. dictum est; & annus regni Græcorum apud Iudæos primus incidat in annum sequentem, qui fuit eiusdem Olympiadis secundus: tamen apud Chaldæos concurrit cum anno dictæ Olympiadis tertio, vt videre est in tabulis. Et hoc, siue quia (vt sentiunt Hebræi, & ex Latinis Scaliger loco citato, & alij recentiores) cùm annus Iudaicus semper inciperet in Vere à mense Nisan; econuersò annus Chaldaicus & Antiochenus incipiebat in Autumno à mense Hebræorum sexto vel septimo, nimirùm ab Elul, vel Tisri: siue quia non vbique à primo anno regni Seleuci cœperit in illis regionibus numerari annus primus regni Græcorum, neque ab eodem tempore à singulis populis illi regno subiectis: sed hæc dinumeratio priùs in Syria, in qua erat regni metropolis, quæ postmodum Seleucia dicta est, & consequenter etiam in Iudæa, quæ erat Syriæ pars, cœpta sit, ab ipso primo regni Seleuci anno: in Chaldæa autem & aliis regionibus remotioribus, alia aliqua de causa nobis incognita, non nisi ab anno secundo inchoata fuerit, qui concurrit cum tertio memoratæ Olympiadis. Cùm igitur, vtcumque res tulerit, exordium Æræ regni Græcorum Iudaicè putatæ, ferè semper anno vno præcedere soleret initium eiusdem Æræ ritu Chaldaico dimensæ; non mirum est, si quæ gesta fuerant, verbi gratia, anno regni Græcorum iuxta computum Iudaicum tertio, in annum eiusdem regni secundum more Chaldaico referebantur; & sic de aliis.

CONCILIANTVR LOCA LIB. 1. MACHAB. CVM ALIIS 2.

4. Hinc soluuntur difficultates, quæ in libris Machabæorum reperiuntur: quorum primus cap. 6. vers. 16. dicit Antiochum Epiphanem decessisse anno regni Græcorum centesimo quadragesimo nono: secundus verò liber cap. 11. ponit litteras Eupatoris & Lysiæ post obitum prædicti Antiochi datas anno centesimo quadragesimo octauo. Item primus liber in eodem cap. 6. vers. 20. dicit, Iudam Machabæum obsedisse arcem alienigenarum in Iudæa anno centesimo quinquagesimo; quæ fuit causa quòd Eupator, & eius militiæ princeps Lysias, posteà venerint cum exercitu magno contra Iudæos, vt ibidem subiungitur: at 2. Machab. cap. 13. vers. 1. legimus, quòd *anno centesimo quadragesimo nono cognouit Iudas Antiochum Eupatorem venire cum multitudine aduersus Iudæam.* & prætereà lib. 1. cap. 7. vers. 1. habemus, Demetrium Seleuci filium exisse ab vrbe Roma anno centesimo quinquagesimo primo, & ingressum esse in regnum patrum suorum, iussisseque ab exercitu occidi Eupatorem & Lysiam; & cùm sederet Demetrius in sede regni patris sui, ad eum venisse Alcimum Iudæum, qui volebat fieri summus Sacerdos, &c. In secundo autem libro cap. 14. vers. 4. expresè traditur, quòd prædictus Alcimus venit ad Demetrium anno centesimo quinquagesimo. Ecce quàm multa sunt, quæ inter hos libros in annorum numeris discordare videntur. Huius tam apparentis dissensionis nulla profectò alia assignari causa posse videtur, nisi quòd Auctor lib. 2. qui fortè, licet genere Iudæus, in Chaldæa fuerat educatus, vel etiam natus, eorumdem Chaldæorum supputationem secutus est; secundùm quam necesse habuit prædictas actiones vno regni Græcorum anno anteuertere: Auctor verò libri 1. qui in hisce annis supputandis ritum Hebraicum obseruauit, easdem actiones in sequentem annum referre compulsus est: & sic vterque vera scripsit, neque vlla prorsus inter ipsos notari potest contradictio. Quòd autem dictorum librorum Auctores secuti sint præfatos ritus inter se diuersos, inde etiam videtur indicari, quòd Auctor lib. 1. semper mẽses, vel propriis Hebræorum nominibus, vel per numeros Hebraico more, videlicet primum, secundum, tertium, &c. notare solet, vt patet cap. 9. vers. 3. vbi meminit primi mensis; & vers. 54. itemque cap. 13. vers. 51. secundi mensis, & cap. 10. vers. 21. mensis septimi; & cap. 7. vers. 43. & 49. nominat mensem Adar, & cap. 1. v. 57. pariterq; cap. 4. vers. 52. & 59. mensem Casleu, & cap. vlt. vers. 14. mensem Sabat: Auctor verò 2. Machab. interdum etiam vtitur nominibus mensium non Hebraicis, sed Syrogræcis, quemadmodum eo tempore solebant etiam Chaldæi; cuiusmodi sunt Xanticus, Dioscorus, & alij similes, vt patet 2. Machab. cap. 11. vers. 21. 30. 33. & 38. Igitur

AB ORBE CONDITO ANNVS 3744.	SEXTÆ MVNDI ÆTAT. ANNVS 298.

INCIPIT AERA REGNI GRAECORVM CHALDAICA.

1 Anno proximo, qui erat regni Seleuci secundus, cœpit Æra regni Græcorum in Chaldæa, quemadmodum ex dictis anno præcedenti probatum est.

SIMON IVSTVS PONTIFEX.

2. Per hæc circiter tempora, nimirũ Ptolemæo Lagi in Aegypto, & Seleuco in Syria regnsantibus, summum Pontificatum tenuit in Iudæa Simon ille filius illius Oniæ primi, qui Iaddo (vt ait Iosephus in calce libri Antiq. 11.) immediatè successerat. Hunc

Simo-

Simonem idem Iosephus lib. Antiq. 12. cap. 2. non valdè procul ab initio capitis, testatur cognominatum fuisse Iustum, quòd & Deum piè coleret, & eius summa potiretur beneuolentia. Et est ille Simon, cuius inclyta celebrãtur præconia Ecclesiastici cap. 50. ferè per totum, vt optimè probat Iansenius ibidem, & sentit Genebrardus lib. 2. suæ Chronologiæ. Idem Simon (quemadmodum loco Ecclesiastici allegato in eius laudibus breuiter tãgitur) templum Ierosolymitanum sub Zorobabele ædificatum, quod temporum iniuria iam collabi seu periclitari cœperat, instaurauit; & quoad partes eius exteriores auxit, ac duplici muro, vel vnico, duplo quàm priùs esset altiore, à fundamentis erecto, circummuniuit. Et præualuit amplificare ciuitatem, nimirum ipsam Ierusalem, & antiquatos ipsius aquæductus, olim ab Ezechia aliisque Regibus in vrbe extructos, restitui curauit; vt idem explicat Iansenius exponens illa verba eiusdem capitis vers. 3. quæ sic habent: *In diebus ipsius emanauerunt putei aquarum, & quasi mare adimpleti sunt supra modum.* Quamquam ex eisdem verbis videatur etiam posse colligi, eumdem Simonem primò omnium deduxisse in templum, pro hostiarum sanguine ipsisq; hostiis abluendis, fontes illos, quorum meminit Aristææ de LXX. Interpretibus Historia, Philadelphi Aegyptiorum Regis tempore conscripta. Enimuerò, in codice eius Coloniæ anno salutis 1578. excuso, pag. 75. & 76. in altaris Ierosolymitani descriptione, hæc ad verbum habentur, quæ ad prædicti Scripturæ loci intelligentiam hîc ponere visum est: *Templum autem*, inquit, *spectat ad Ortum, posterioribus eius ad Occasum tendentibus; & pauimentum totum* (subintellige Atrij Sacerdotum, in quo erat altare holocautomatum, vbi offerebantur mactabanturque victimæ) *est lapide constratum, tractúsque habet aquæ immittendæ ad loca certa, quæ immittitur ad abluendum sanguinem hostiarum, quæ in solemnibus festis multa millia iumentorũ offeruntur. Aquæ verò cõfluxus numquã deficit; & quia fons intrinsecus magnus, naturalem & eam perennem scaturiginem habet; & quia subtus terram sunt mira, & inenarrabili arte aquarum receptacula confecta per quinque stadia, quemadmodum apparebat vndequaque circa templum; quorum singula habent fistulas infinitas, vtrimque in se inuicem emittentes fluxus: atq; hæc omnia in imo & à lateribus plumbo sunt obducta, & multa terra accuratè cooperta. Sunt prætereà multa ostia in fundo & basi, quæ nemo cernere potest, præter illos quibus ministerium est commissum. Per hæc impetu & effluxu supermissæ aquæ, sanguis quantumuis copiosus à victimis collectus abluitur & expurgatur. Exponam etiam, quomodo ipse istorum receptaculorum molem & structuram, ex singulari beneuolentia monstratam, cognoui. Nam abduxerunt me ex ciuitate vltra quattuor stadia; & iussit me vnus, capite ad locum quemdam inclinato, auscultare sonum, quem aquarum concursus ederet. Hinc ego apertè cognoui magnitudinem vasorum illorum, de quibus dixi.* hactenus Aristæas. cuius sententiam de hisce aquis breuiter refert Eusebius lib. 9. de Præparatione Euangelica cap. 4. versus finem, eamdemque Philonis auctoritate corroborat. Ex quibus omnibus, satis probabiliter coniici potest, has esse aquas, quarum meminit, licet subobscurè, locus Ecclesiastici paulò suprà citatus, tamquam à dicto Simone introductas: non enim hoc ab vllo alio factum in tota Scriptura sacra legimus. Et certum est ex loco Iosephi citato, quòd iam mortuus erat Simon, quando eius frater Eleazarus temporibus dictæ historiæ Pontificatum Ierosolymis tenebat. Fortè autem istæ sunt aquæ olim in spiritu Ezechieli præmonstratæ, quarum initio cap. 47. ipse meminit dicens: *Et conuertit me ad portam domus, & ecce aquæ egrediebantur subter limen domus ad Orientem; facies enim domus respiciebat ad Orientem: aquæ autem descendebant in latus templi dextrum ad Meridiem altaris.* Igitur si in templo quod vidit Ezechiel, descendebant aquæ ad Meridiem altaris, & egrediebantur subter limen portæ Orientalis; vtique fit manifestum, non fuisse illud templum prorsus idem cum eo quod fecerat Salomon, in quo si extitissent aquæ iugiter manantes, proculdubiò frustrà labrum æneum & luteres facti fuissent. Per hæc ergo confirmari possunt, quæ nos sub anno mundi 3023. num. 8. diximus, nempe Ezechieli in ea visione ostensa fuisse non ea solùm quæ Salomon in templo fecerat, sed etiam multa eorum quæ in templo mox reædificando facienda erant.

GESTA SIMONIS IVSTI.

TEMPLI AQVAEDVCTVS DESCRIPTIO EX ARISTAEA.

AB ORBE CONDITO ANNVS 3752. — SEXTÆ MVNDI ÆTAT. ANNVS 306.

1 ANNO regni Seleuci decimo (vt patet in tabulis) circiter desinente, decessit Antigonus, primus post Alexandrum Magnum Asiæ Rex, cùm regnasset annos decem & octo, vt testatur Eusebius in Chronicis.

ANTIGONVS ASIAE REX MORITVR.

AB ORBE CONDITO ANNVS 3753. — SEXTÆ MVNDI ÆTAT. ANNVS 307.

REGNAT IN ASIA DEMETRIVS I. QVI ET POLYORCETES.

1 Anno proximo regnauit in Aſia Antigoni filius, nomine Demetrius huius nominis primus, qui & Polyorcetes, annis decem & ſeptem, vt ait ibidem Euſebius.

AB ORBE CONDITO ANNVS 3754. — SEXTÆ MVNDI ÆTAT. ANNVS 308.

ANTIOCHIA, LAODICIA, SELEVCIA, APAMEA, EDESSA, BEROEA, ET PELLA, SYRIAE VRBES.

1 Anno inſequenti, hoc eſt, regni ſui duodecimo, Seleucus Syriæ Rex extruxit Antiochiam, vt ſcribit Euſebius in Chronicis; vbi etiam addit, quòd alias quoque inſignes in Syria vrbes ædificauit, nempe, Laodiciam, Seleuciam, Apameam, Edeſſam, Berœam, & Pellam. & quòd poſteà in vrbes à ſe ædificatas tranſtulit Iudæos, ius eis ciuium & municipalem ordinem cum Græcis æquali honore concedens. Porrò ex hiſce vrbibus, prima & vltima celebres fuerunt apud Chriſtianos, & præſertim prima, quæ multis quidem aliis nominibus fuit celeberrima, ſed ob id potiſſimùm, quòd Antiochiæ primùm Diſcipuli appellati ſunt Chriſtiani, vt patet Actorum cap. 11. verſ. 11. & quia in eadem vrbe ſanctus Petrus Princeps Apoſtolorum primus ſedem tenuit; ac poſteà ipſa vrbs fuit metropolis totius Orientis, vt teſtatur ſanctus Hieronymus epiſtola 61. quæ eſt ad Pamachium, non valdè procul à fine. Pella verò, quia creditur fuiſſe illa ciuitas, ad quam paulò ante poſtremam Ieroſolymorum obſidionem, Eccleſia Chriſtianorum quæ Ieroſolymis fuerat congregata, reſponſo à Deo accepto emigrare iuſſa eſt, quò ablatis ex vrbe ſanctis & iuſtis viris, vindictæ cæleſti fieret locus, tam de vrbe ſacrilega, quàm de populo impio per excidium patriæ euerſionemque ſumendæ, quemadmodum hiſcemet verbis ſcriptum reliquit Euſebius Eccleſiaſticæ hiſtoriæ lib. 3. cap. 5.

AB ORBE CONDITO ANNVS 3758. — SEXTÆ MVNDI ÆTAT. ANNVS 312.

SADOC GENVIT ACHIM.

1 Anno regni eiuſdem Seleuci circiter decimoſexto, oportet contigiſſe quod ſcribit S. Euangeliſta Matthæus cap. 1. verſ. 14. illis verbis: *Sadoc autem genuit Achim.* hoc enim ex dictis ſub anno mundi 3461. num. 1. fit conſequens. Poterat verò tum Sadoc eſſe annorum circiter vnius & quinquaginta, vt ibidem dictum eſt, & apparet in tabulis.

SELEVCVS OBTINET BABYLONIAM.

2. Eodem anno Seleucus Syriæ Rex obtinuit Babyloniam, vt ſcriptum reliquit Euſebius in Chronicis; & propterea ipſum non modò Syriæ, ſed & Babyloniæ, & ſuperiorum locorum Regem appellat.

AB ORBE CONDITO ANNVS 3768. — SEXTAE MVNDI AETAT. ANNVS 322.

PTOLOMAEVS PHILADELPHVS REGNAT IN AEGYPTO.

1 Anno Æræ Nabonaſſari quadringenteſimo ſexageſimo tertio, (qui, vt patet in tabulis, concurrit cum trigeſimo nono Ptolemæi Lagi, ſeu à morte Alexandri) regnare cœpiſſe Ptolemæum Philadelphum in Ægypto, teſtatur Scaliger lib. 4. de Emendatione temporum, cap. De anno cæleſti Dionyſiano Ptolemæi Philadelphi. vbi etiam ait, eumdem annum incidiſſe anno tertio Olympiadis centeſimæ vigeſimæ tertiæ. & lib. 5. cap. De initio Ptolemæi Philadelphi, idem repetit; idque conſtare ait ex obſeruationibus Dionyſij Mathematici, de quibus nos ſub anno mundi proximo num. 2. mentionem faciemus. Verùm hìc duo aduertere oportet; Primò, neceſſarium eſſe quòd primus regni Philadelphi annus concurrat ferè totus cum anno Æræ Nabonaſſari quadringenteſimo ſexageſimo quarto, vt digeſtum eſt in tabulis; & nos infrà ſub anno mundi proximo num. 2. & anno 3781. num. 1. apertè ex Ptolemæo probabimus. Quare quod ait Scaliger, initium regni Philadelphi incidiſſe in annum Nabonaſſari quadringenteſimum ſexageſimum tertium, debet intelligi, circiter deſinentem; ita vt primus annus regni Philadelphi ferè totus concurrat cum anno Nabonaſſari quadringenteſimo ſexageſimo quarto; & conſequenter, cum quadrageſimo regni

regni Ptolemæi Lagi, seu à morte Alexandri Magni, quemadmodum digestum est in tabulis: alioquin rueret tota Ptolemæi collatio Æræ Nabonassari cum Æra Dionysiana, de qua sub anno mundi proximo num. 2. agemus.

2. Alterum quod hîc aduertere debemus, est, non ideò nunc regnare cœpisse Philadelphum, quòd hoc tempore obierit pater eius; constat enim, vt paulò pòst probabimus, ipsum adhuc anno saltem vno integro superuixisse; sed quòd Philadelphi pater se regno abdicans, vltrò illud nunc filio tradiderit. *Etenim*, vt scribit Ludouicus Viues super B. Augustini lib. 18. de Ciuit. cap. 42. *Ptolemæus Lagi, cùm in senectute tranquilliùs viuere statuisset, rerum curam filio mandauit, qui Philadelphus dicebatur.* Quod videtur accepisse ex Iustino, qui lib. 16. de præfato Ptolemæo verba faciens, ait: *Is contra ius gentium, minimo natu ex filiis, ante infirmitatem, regnum tradiderat, eiusq; rei populo rationem reddiderat; cuius non minor fauor in accipiendo, quàm patris in tradendo regnum fuerat. Inter cetera patris & filij mutuæ pietatis exempla, etiam ea res amorem parem populi iuueni conciliauerat, quòd pater, regno ei publicè tradito, priuatim officium Regi inter satellites fecerat, omniq; regno pulchrius, Regis esse patrem dixerat.* hæc Iustinus. Cui licet aduersari videatur Pausanias in Atticis, scribens, Philadelphum declaratum fuisse regni successorem à patre iam propè moriente; vtrumque tamen admitti, ac simul posse verum esse videtur; quòd scilicet bis à patre declaratus fuerit Rex, semel anno vno ante obitum patris, & iterùm moriente patre; siue ad maiorem rei declarationem, siue ad omnino abolenda fratrum, ac præcipuè primogeniti iura.

AB ORBE CONDITO ANNVS 3769. SEXTÆ MVNDI ÆTAT. ANNVS 323.

1 Anno proximo, qui erat ab obitu Alexandri Magni quadragesimus, &, vt dictum est, concurrit ferè totus cum primo regni Philadelphi; Ptolemæus Lagi, primus post Alexandrum Ægypti Rex, mortuus est sub finem anni, vt tradit Eusebius in Chronicis. Quare, quod ait Polybius circa medium lib. 2. Ptolemæum Lagi & Seleucum obiisse circa Olympiadem centesimam vigesimam quartam, proculdubiò ita accipiendum est, vt Ptolemæus circa initia, & Seleucus circa finem dictæ Olympiadis diem functi sint; quemadmodum videre est in tabulis. PTOLEMAEVS LAGI MORITVR.

2. Ab hoc anno regni Philadelphi primo, Dionysius Mathematicus suarum Astronomicarum obseruationum annos dinumerat; illos nimirum, quos Ptolemæus in libris sui Almagesti, secundùm Dionysium vocat, vt ex eodem colligi potest, qui lib. 10. c. 4. annum regni Philadelphi decimumtertium confert in annum Nabonassari quadringentesimum septuagesimum sextum: & apertiùs lib. 9. cap. 10. dicit, annum vigesimum primum secundùm Dionysium, fuisse Nabonassari quadringentesimum octogesimum quartum: & eodem lib. cap. 7. asserit, quòd annus, qui secundùm Dionysium erat vigesimus tertius, erat à Nabonassaro quadringentesimus octogesimus sextus: & vigesimus octauus Dionysij, quadringentesimus nonagesimus primus Nabonassari: & lib. 10. c. 9. ait, annum Philadelphi (quem appellat, secundùm Dionysium) decimumtertium, esse quinquagesimum secundum ab Alexandri interitu. Ex quo obiter fit manifestũ, quod sub anno præcedente num. 1. asseruimus, videlicet, Philadelphum circa finem anni à morte Alexandri trigesimi noni regnare cœpisse. & lib. 11. cap. 3. tradit, annum, qui secundùm Dionysium erat quadragesimus quintus, fuisse ab obitu Alexandri octogesimum quartum. Hæc autem hîc adnotare operæpretium duximus, vt cunctis pateat, hanc quoque antiquissimi Mathematici Æram optimè cum nostris Annalibus conuenire; quod vt faciliùs deprehendi valeat in nostris tabulis, præter Nabonassari Æram, quam sequitur libris citatis Ptolemæus, & eam quæ à morte Alexandri Magni ad Augusti Monarchiam ducitur, etiam Dionysianam, per aliquot saltem annos, in eisdem tabulis digerere non grauabimur. INITIVM AERAE DIONYSIANAE.

3. Ceterùm, vt ad Ptolemæum Philadelphum, qui fuit Ptolemæorum Ægypti Regum secundus, redeamus: hunc Eusebius, Beda, Genebrardus, & alij, asserunt regnasse annos triginta octo; quos tamen numerare incipiunt ab exitu anni quadragesimi, ex quo decesserat Alexander Magnus. Iosephus autem 12. Antiq. cap. 2. in initio capitis ait, illum regnasse annis vndequadraginta: quos si recensere voluerimus, non à fine, sed à principio prædicti anni quadragesimi (quemadmodum nos sub anno mundi 3768. num. 1. faciendum esse probauimus) vtique finis regni Philadelphi, tam secundùm Iosephum quàm secundùm alios, in idem tempus incidet, nimirum in exitum anni se- PHILADELPHVS QVOT ANNIS REGNAVERIT.

tuagesimi octaui ab obitu Alexandri. Eiusdem Regis, suppresso nomine, meminit Daniel cap. 11. vers. 5. illis verbis: *Et de Principibus eius præualebit super eum, & dominabitur ditione: multa enim dominatio eius.* Etenim quemadmodum præcedentia verba, *Et confortabitur Rex Austri*, ibidem à sacris Doctoribus, & præcipuè à B. Hieronymo exponuntur de Ptolemæo Lagi: ita hæc quæ sequuntur, *Et de Principibus eius*, &c. ab eisdem Expositoribus explicantur de Philadelpho; quem ex supradictis constat fuisse vnum de Principibus, id est de filiis Ptolemæi Lagi: iste enim diuitiis ac potentia præualuit patri, vt ibidem asserit B. Hieronymus, & ex historiis probat dicens: *Iste est Ptolemæus Philadelphus filius Ptolemæi superioris, secundus* (subaudi Lagidarũ) *Aegypti Rex, sub quo LXX. Interpretes Alexandriæ Scripturam sanctã in Græcum dicuntur vertisse sermonem: qui & Eleazaro Pontifici multa Ierosolymam, & in Templi donaria, vasa transmisit: cuius bibliothecæ præfuit Demetrius Phaleræus, idem apud Græcos Orator & Philosophus: tantæq; potentiæ fuisse narratur, vt Ptolemæum patrem vinceret. Narrant enim historiæ, habuisse eum peditum ducenta millia, equitum viginti millia, curruum verò duo millia; elephantos, quos primus eduxit ex Aethiopia, quadringentos; naues longas, quas nunc liburnas vocant, mille quingentas; alias ad cibaria militum deportanda, mille; auri quoque & argenti grande pondus; ita vt de Aegypto, per singulos annos, quattuordecim millia & octingenta talenta argenti acceperit; & frumenti artabas* (*quæ mensura tres modios, & tertiam modij partem habet*) *quinquies & decies centena millia.* hæc S. Hieronymus.

DE PHILADELPHO, DANIELIS PROPHETIA.

PHILADELPHI DIVITIAE.

AB ORBE CONDITO ANNVS 3770. | SEXTÆ MVNDI ÆTAT. ANNVS 324.

DEMETRIVS SE REGNVMQVE ASIAE SELEVCO TRADIT.

I. Anno regni Philadelphi secundo circiter inchoante, qui erat Seleuci vigesimus nonus, vt patet in tabulis, Demetrius Asiæ Rex cùm regnasset annis decem & septem, seipsum regnumque suum eidem Seleuco Regi Syriæ tradidit, vt notat Eusebius in Chronicis, & tangit etiam Iustinus non longè ab initio libri 16. Oportet igitur Seleucum deinceps eiusque successores, non Syriæ tantùm, sed Asiæ etiam (intellige, minoris) Reges extitisse.

AB ORBE CONDITO ANNVS 3773. | SEXTÆ MVNDI ÆTAT. ANNVS 327.

INITIVM BELLI CVM TARENTINIS ET CVM PYRRHO.

I. Anno regni eiusdem Seleuci trigesimo primo, qui erat Vrbis conditæ quadringentesimus septuagesimus tertius, L. Aimilio Barbula & Q. Martio Philippo Coss. Romani Tarentinis bellum prouocati indixere; à quibus in auxilium vocatus Pyrrhus Epirotarum Rex in Italiam venit cum valido exercitu, & elephantis multis ad præliandum instructis (quales bestias, Plinio lib. 8. cap. 6. teste, Italia priùs non viderat) & per annos sex, vt scribit Plutarchus in Pyrrho, cum Romanis bellum gessit. De quo bello nihil Liuius in 2. Decade, quæ tota desideratur; pauca Florus in Epitoma lib. 3. eiusdem Decadis; plura apud Plutarchum vbi suprà, & apud alios Historicos.

AB ORBE CONDITO ANNVS 3774. | SEXTÆ MVNDI ÆTAT. ANNVS 328.

SELEVCVS ASIAE REX REGNI SVI ANNOS EXPLET.

I. Anno regni sui trigesimo secundo circiter expleto, oportet Seleucum Syriæ Regem aut mortuum esse, aut tradidisse regnum filio. Tot namq; annis ipsum regnasse tradunt Eusebius in Chronicis, & Genebrardus suæ Chronologiæ lib. 2. & alij; præter Appianum Alexandrinum, qui sub finem libri de Bellis Syriacis, posteaquã multa præclarè ab eo gesta recensuit, & quòd maiorem regni partem filio tradidit, ac deinde bellum in Phrygia gessit, atque in prælio Lysimachum interfecit; denique subiungit, quòd exacto ætatis anno septuagesimo tertio, regni quadragesimo, cùm traiecisset Hellespontum, Lysimachiam petens, occisus est. Hæc si vera sunt, oportet Appianum dinumerasse annos regni Seleuci vsque ad eius mortem; alios autem Auctores, vsque ad prædictam regni resignationem filio factam.

AB ORBE CONDITO ANNVS 3775. SEXTÆ MVNDI ÆTAT. ANNVS 329.

1 ANNO proximo regnauit Asiæ simul ac Syriæ Antiochus, huius nominis primus, qui & Soter, id est Seruator dictus est, annis decem & nouem, vt proximè allegati asserunt Auctores. Quare arbitror decipi Sulpitium, qui tribuit ei annum regni vnum supra vigesimum: nisi fortè duobus annis regnasset cum patre ante illam regni resignationem, de qua præcedenti anno actum est. quod tamen probari non potest. Huic Regi, Berosum Chaldæum Historicum & Sacerdotem, Chaldaicam suam historiam tribus libris comprehensam dicasse, tradit ex Tatiani Oratione contra Græcos Genebrardus lib. 2. suæ Chronologiæ. vbi etiam addit, quòd & seriem Regum Assyriorum, & aliorum, à Diluuio ferè vsque ad Iosue, item Gentium origines Græcis explicauit; & quòd filia eius fuit Sibylla Babylonica, quemadmodum S. Iustinus Martyr in Parænetico scriptum reliquit.

ANTIOCHVS SOTER REGNAT IN ASIA ET SYRIA.

DE BEROSO CHALDAEO.

AB ORBE CONDITO ANNVS 3779. SEXTÆ MVNDI ÆTAT. ANNVS 333.

1 ANNO regni eiusdem Antiochi quinto, qui coincidit cum anno Vrbis quadringentesimo septuagesimo nono, M. Curio Dentato & L. Cornelio Lentulo Coss. sub finem anni sexti ex quo cœperat, cessauit bellum inter Romanos & Pyrrhum Epiri Regem. Intra quod tempus, ter totis viribus idem Pyrrhus cum eisdem Romanis conflixit: primò quidem feliciter: secundò, victoria vix liquidò comparata: tertiò, magna à M. Curio Consule accepta clade, ob quam coactus est ab Italia omnino discedere, vt latè scribit Plutarchus in Pyrrho.

FINIS BELLI ROMANORVM CVM PYRRHO.

AB ORBE CONDITO ANNVS 3781. SEXTÆ MVNDI ÆTAT. ANNVS 335.

1 ANNO regni Philadelphi decimotertio accidit obseruatio quædam Astronomica, quam ex Timocharo antiquissimo Astronomo refert Ptolemæus lib. 10. Almagesti cap. 4. vbi subiungit, eumdem Philadelphi annum incidisse in annum Nabonassari quadringentesimum septuagesimum sextum. Quod ideò hîc adnotare voluimus; quia inde manifestè apparet, verũ esse quod nos sub anno mundi 3768. num. 1. & 3769. num. 1. asseruimus; nimirum, necesse esse vt primus regni Philadelphi annus concurrat pænè totus cum anno dicti Nabonassari quadringentesimo sexagesimo quarto. Et confirmatur ex eodem Ptolemæo, qui in eiusdem lib. cap. 9. ait, quòd idem annus Philadelphi decimustertius, fuit ab obitu Alexandri quinquagesimus secundus. Porrò hos annos simul coincidisse, patet in tabulis.

RATIO TEMPORVM OBSERVATIONE ASTRONOMICA COMPROBATVR.

AB ORBE CONDITO ANNVS 3783. SEXTÆ MVNDI ÆTAT. ANNVS 337.

1 ANNO regni eiusdem Philadelphi decimoquinto incidit annus Iubilei vigesimi quarti: concurrit enim dictus Philadelphi annus cum anno Æræ, quæ ducitur ab introitu Israelis in terram Chanaan, millesimo ducentesimo, vt videre est in tabulis.

IVBILEVS 24.

AB ORBE CONDITO ANNVS 3790. SEXTÆ MVNDI ÆTAT. ANNVS 344.

1 PER hæc tempora, nimirum Olympiade centesima vigesima nona (subaudi, circiter inchoante) vt notat Polybius Historiarum lib. 1. ferè in principio, facta est prima Romanorum transfretatio ex Italia, de qua primò in Siciliam profecti sunt. Et ab hac profectione præfatus Auctor Historiæ suæ veluti Præfationem, quam 1. & 2. libro complectitur, exordiri se velle profitetur; quòd ea continua sit ijs quæ Timæus vltimo loco scripta reliquerat. Ab hoc item eodem tempore cœpit primum bellum Punicum, quod per annos viginti duos (vt ait Eutropius initio lib. 3.) Romani gesserunt cum Carthaginensibus, qui tum iam Siciliam & Sardiniam, aliasque maris

ROMANI NVNC PRIMVM EX ITALIA EXEVNT.

INITIVM I. BELLI PVNICI.

oras acquisierant, vt tradit Appianus circa initia lib. de Bellis Punicis. Porrò de origine & causis primi huius belli Punici, vide Polybium lib. 1. Quæ autem in eo acta sint, breuiter percurrit citatus Eutropius in posteriore medietate libri 2.

AB ORBE CONDITO ANNVS 3793. — SEXTÆ MVNDI ÆTAT. ANNVS 347.

ANTIOCHVS SOTER MORITVR.

1 ANNO regni sui decimonono circiter exacto, (vt ex sub anno mundi 3774. n. 1. dictis consequitur) Antiochus Soter Syriæ Asiæque Rex mortuus est, quemadmodum etiam ex Eusebio patet in Chronicis.

AB ORBE CONDITO ANNVS 3794. — SEXTÆ MVNDI ÆTAT. ANNVS 348.

ANTIOCHVS II. QVI ET THEOS, IN ASIA SYRIAQVE REGNAT.

1 ANNO insequẽte regnauit in Syria Asiaq; alter Antiochus huius nominis secundus, qui dictus est Theos, hoc est, Deus. Nec refert quòd Eusebius in Chronicis ponat primum dicti Regis annũ anno Olympiadis centesimæ vigesimæ nonæ quarto, in nostris verò tabulis concurrat cum primo Olympiadis centesimæ trigesimæ: quia vel potuit iste Rex regnare cœpisse sub finem anni præcedentis, vt notatum est in tabulis; vel annus dictæ Olympiadis pro parte etiam cum hoc primo memorati Regis anno concurrit: diximus enim aliàs, annos Regum & Olympiadum, diuersa vt plurimùm habuisse principia. Quoniam autem ob causas sub anno mundi 3742. num. 1. adductas, necessarium fuit ponere, primum Seleuci annum concurrere pro maiori parte cum anno Olympiadis centesimæ decimæseptimæ secundo, non autem primo, vt facit Eusebius in Chronicis: propterea nemini mirum videri debet, si ex necessaria consequentia, deinceps in ceteris etiam posteriorum Syriæ Regum annis eadem quoque modica inter nostras & Eusebij tabulas differentia reperietur. Etenim satius duximus, annos Olympiadum cum Æra regni Græcorum lib. 1. Machab. & apud Iosephum digesta, & item cum annis Sabbaticis ab eodem Iosepho & in sacra Scriptura commemoratis, accuratiùs componere; quàm omnino hîc sequi dictum Eusebij Chronicon, iuxta quod nequeunt prædicti anni prorsus inter se conuenire, vt ex dictis anno mundi proximè citato manifestò colligi potest. Ceterùm, iste Antiochus cognomento Theos regnauit annis quindecim, vt sentiunt idem Eusebius in Chronicis, & Genebrardus lib. 2. & alij.

DANIELIS DE PHILADELPHI ET ANTIOCHI THEOS VATICINIA A B. HIERONYMO EXPLICATA.

2. Sanè, de his quæ inter hunc Antiochum Syriæ Regem & Philadelphum Regem Aegypti euenerunt, nonnulla, licet subobscurè, Spiritu prophetico prędixit Daniel c. 11. vers. 6. vbi ait: *Et post finem annorum fœderabuntur, filiaq; Regis Austri veniet ad Regem Aquilonis facere amicitiam. Et non obtinebit fortitudinem brachij, nec stabit semen eius: & tradetur ipsa, & qui adduxerunt eam, adolescentes eius, & qui confortabant eam in temporibus.* hucusque verba Danielis. Quæ exponens S. Hieronymus sic ait: *Primùm Syriæ regnauit, vt diximus, Seleucus cognomento Nicanor. Secundus Antiochus, qui appellatus est Soter. Tertius, & ipse Antiochus, qui vocabatur Theos, id est, Deus. Iste aduersus Ptolemæum Philadelphum, qui secundus imperabat Aegyptiis, gessit bella quamplurima, & totius Babylonis atque Orientis viribus dimicauit. Volens itaque Ptolemæus Philadelphus post multos annos molestum finire certamen, filiam suam nomine Berenicem Antiocho vxorem dedit; qui de priore vxore nomine Laodice, habebat duos filios; Seleucum, qui cognominatus est Gallinicus; & alterum Antiochum. Deduxitq; eam vsque Pelusium, & infinita auri & argenti millia dotis nomine dedit. Vnde Phernophoros, id est Dotalis appellatus est. Antiochus autem Berenicem consortem regni habere se dicens, & Laodicen in concubinæ locum; post multum temporis, amore superatus, Laodicen cum liberis suis reduxit in Regiam. Quæ metuens ambigui viri animum, ne Berenicem reduceret, virum per ministros veneno interfecit. Berenicem autem cum filio qui ex Antiocho natus erat, Icadioni & Gennæo Antiochiæ Principibus occidendam tradidit: filiumq; suum maiorem, Seleucum Gallinicum, in patris loco Regem constituit. Et hoc est quod nunc dicitur: Post multos annos, Ptolemæus Philadelphus & Antiochus Theos facient amicitias; & filia Austri Regis, hoc est Ptolemæi, veniet ad Regem Aquilonis, id est, ad Antiochum, vt inter patrem ac virum iungat amicitias. Et non poterit, inquit, obtinere, nec semen illius stare in regno Syriæ. Sed & ipsa Berenice, & qui eam adduxerunt, interficientur. Rex quoque Antiochus qui confortabat eam, hoc est, per quem poterat præualere, veneno vxoris occisus est.* hucusque B. Hieronymus.

AB

AB ORBE CONDITO ANNVS 3798. — SEXTÆ MVNDI ÆTAT. ANNVS 352.

1 ANNO regni Græcorum quinquagesimo sexto natus est insignis ille vir inter Iudæos, nomine Eleazarus; qui posteà, anno eiusdem regni Græcorum centesimo quadragesimo quinto, ætatis verò suæ nonagesimo, pro patriis legibus ab Antiocho Epiphane crudeliter occidi maluit, quàm simulare carnes se suillas Lege vetitas manducasse; ne ceteris, maximè verò adolescentioribus, malum hoc præuaricationis præberet exemplum, vt infrà sub anno mundi 3887. num. 7. & 8. dicemus. ELEAZARVS DE QVO IN LIB. 2. MACHAB. NASCITVR.

2. Post hæc circiter tempora, nimirum circa postremos regni sui annos, vt numero proximo probabiliter ostendemus, Philadelphus composita cum Antiocho, vt dictum est, pace, sese admodum benè affectum ostendebat erga Iudæos: nam, vt sanctus scribit Augustinus lib. 18. de Ciuit. cap. 42. *omnes quos pater eius subiugatos abduxerat, liberos redire permisit. Insuper & dona regia in templum Dei misit; petiuitque ab Eleazaro tunc Pontifice dari sibi Scripturas, quas profectò audierat fama prædicante diuinas; & ideò concupierat eas habere in Bibliotheca, quam nobilissimam fecerat. Has ei cùm idem Pontifex misisset Hebræas; pòst etiam ille Interpretes postulauit. Et dati sunt ei septuaginta duo, de singulis duodecim tribubus seni homines, linguæ vtriusque doctissimi, Hebrææ scilicet & Græcæ. Quorum interpretatio, vt Septuaginta vocetur, iam obtinuit consuetudo*. hæc S. Augustinus. Quæ latiùs prosequitur Iosephus 12. Antiq. cap. 2. & Philo lib. 2. de Vita Moysis circa medium, & S. Epiphanius lib. de Mensuris & ponderibus. Egregij huius facti (cuius etiam Tertullianus in Apologetico cap. 18. & 19. & S. Athanasius in Synopsi prope finem, & omnes pænè boni Auctores, cùm veteres tum recentiores meminerunt) historiam primus omnium integro libello scripsit Aristeas, vnus ex Legatis, quos ad negotia hæc pertractanda miserat Philadelphus ad Iudæos. Quare non ab aliis accepta, sed quæ idem gesserat, quibusque ipse interfuerat, ad Philocratum fratrem litteris mandauit, quemadmodum ex eiusdem historiæ exordio manifestum est. Eumdem Aristææ libellum de LXX. Interpretibus, mendis expurgatum, & commentariis atque adnotationibus illustratum, nouissimè restituit ac in lucem edidit Iacobus Middendropius, Coloniæ anno salutis 1578. excusum; ad quem huius rei studiosos libentissimè remittimus. DE PHILADELPHO, ET LXX. INTERPRETIBVS.

3. Sanè, quonam regni sui anno Philadelphus hæc egerit, non omnino certum videtur: nam licet S. Epiphanius vbi suprà, dicat id contigisse anno regni Philadelphi 17. attamen magis probabile videtur, quod Ludouicus Viues super citato B. Augustini loco ait; nempe Philadelphum, cùm in maturiore ætate morbis affligaretur, proculque à bellis gerendisque rebus esse cogeretur; auctore Demetrio Phalereo, qui patria Athenis, vir nobilissimus maximusque functus Magistratibus, ciuium inuidia pulsus, ad eum confugerat, studiis se tradidisse; accitisque vndique ingeniis, & constructa illa nobili Alexandrina Bibliotheca, in eam veteris Testamenti libros poni curasse. Hoc si verum est, quemadmodum certè videtur admodum verisimile: longè probabiliùs sentit Petrus Galatinus lib. 1. de Arcanis Catholicæ veritatis, dicens LXX. Interpretes anno ante Christi natiuitatem circiter ducentesimo quinquagesimo, rogatu Ptolemæi Philadelphi, Alexandriam ab Eleazaro Pontifice tota Biblia in Græcum traducturos fuisse missos; quam Sixtus Senensis lib. 4. suæ Bibliothecæ sanctæ, & eius asseclæ, qui memoratam LXX. Interpretum historiam Olympiade centesima vigesima quarta contigisse crediderunt, & trecentis quinquaginta annis ante Christum natum. Qua in re dupliciter peccasse videntur. Nam si in dicta Olympiade, LXX. Interpretum versio facta est; vtique non potuit fieri trecentis quinquaginta annis ante ortum Christi: quandoquidem ab initio eiusdem Olympiadis ad Olympiadem centesimam nonagesimam quartam, in qua omnium consensu natus est Christus, circiter ducenti octoginta anni dumtaxat inueniuntur. Si autem Philadelphus circa postremos regni sui annos Bibliothecam suam instruxit, cùm ipse prope eiusdem Olympiadis 124. initia regnare cœperit, & triginta octo annos in regno exegerit, profectò non eadem Olympiade, sed post Olympiadem centesimam trigesimam, quæ diximus, acta esse oportet; & consequenter, non trecentis quinquaginta annis, sed paulò plus ducentis quinquaginta ante Christum natum, vt quiuis recta supputatione assequi poterit. VERSIO LXX INTERPRETVM QVANDO FACTA.

4. Per eadem quoque tempora quibus florebant LXX. Interpretes (quemadmodum probat Iansenius sub finem Procœmij Commentariorū suorum in Ecclesiasticum) Iesus LIBER ECCLESIASTICI QVANDO ET A QVO SCRIPTVS.

sus filius Sirach Ierosolymita, qui (vt refert Genebrardus, fertur fuisse vnus è LXXII. Interpretibus, de stirpe illius Iesu cuius meminit Zacharias cap. 3.) Hebraicè conscripsit librum Ecclesiastici, quemadmodum apertè traditur in calce capitis pænultimi eiusdem libri; qui propterea apud LXX. Interpretes inscribitur, *Sapientia Sirach*, siue, *Sapientia Iesu filij Sirach*. Quamquam autem librum hunc tribuant Salomoni, vt testatur Cardinalis Bellarminus lib. 1. de Verbo Dei cap. 14. fieri tamen potuit (quemadmodum idem ibi subiungit) vt Iesus filius Sirach, ipsius Salomonis sententias à se diligenter collectas, in vnum volumen redegerit; & ità vterque huius libri Auctor aliquomodò dici possit, quemadmodum de libro Sapientiæ traditur; quem aiunt esse Philonis, vt refert B. Hieronymus in Prologo: & nihilominùs eiusdem libri sententias esse Salomonis, euidentissimè constat ex ipsiusmet libri cap. 9. vers. 7. & 8. vbi de se ipso Auctor pronuntiat, dicens: *Tu elegisti me Regem populo tuo; & dixisti me ædificare templum in monte sancto tuo*, &c. Est ergo, sicuti liber Sapientiæ, ita liber Ecclesiastici, quod attinet ad eorum sententias, Salomonis: quantum verò spectat ad earum collectionem & dispositionem, iste Iesu filij Sirach, ille verò Philonis; non illius qui post Christum floruit sub Caio Caligula, vt colligitur ex Iosepho 18. Antiq. cap. 10. & in cuius laudem multa scribit Eusebius libro Historiæ Ecclesiasticæ 2. cap. 5. sed alterius, illo longè antiquioris, vt tradit Cardinalis Bellarminus lib. 1. de Verbo Dei cap. 13. Sed posteaquam in libri Sapientiæ mentionem incidimus, liceat hîc obiter Lectorem commonefacere, ne vllo modo (viri auctoritate allectus) auscultare velit Rupertum Abbatem, alioqui Scriptorem egregium ac valdè pium; qui lib. 3. Commentariorum suorum in Genes. cap. 31. nescio quo modo deceptus, affirmare ausus est, librum Sapientiæ non esse Canonicum. quod constat esse falsissimum: nam præterquam quòd S. Augustinus in Epistola 99. quæ est ad Euodium, pro Canonico eum citat; etiam in Concilio Carthaginensi & Laodicensi inter Canonicas Scripturas relatus reperitur; & nouissimè in Concilio Tridentino sub anathematis pœna cautum est, ne quis oppositum tueri præsumat.

AB ORBE CONDITO ANNVS 3807. — SEXTÆ MVNDI ÆTAT. ANNVS 361.

PTOLEMAEVS PHILADELPHVS MORITVR.

I ANNO post mortem Alexandri Magni septuagesimo octauo circiter exeunte incidit obitus Ptolemæi Philadelphi Regis Aegypti; quemadmodum sub anno mundi 3769. num. 3. probatum est.

AB ORBE CONDITO ANNVS 3808. — SEXTÆ MVNDI ÆTAT. ANNVS 362.

REGNAT IN AEGYPTO PTOLEM. EVERGETES I.

I ANNO postero regnauit in Aegypto Ptolemæus Euergetes, id est Benefactor, huius nominis primus: nam (vt infrà sub anno mundi 3909. num. 1. dicemus) mox alter eiusdem nominis regnauit in Aegypto. Sanè is de quo nunc loquimur Euergetes, iuxta B. Heronymum, fuit frater Philadelphi; iuxta verò Iustinum lib. 27. dicitur frater Berenices, & consequenter filius Philadelphi. Vtvt sit, constat ipsum fuisse de germine, hoc est, de prosapia ipsius Philadelphi, & illũ cuius gesta præuiderat prænuntiaueratq; Daniel c. 11. v. 7. vsq; ad 10. vbi ait: *Et stabit de germine radicum eius plantatio: & veniet cum exercitu, & ingredietur prouinciam Regis Aquilonis, & abutetur eis, & obtinebit. Insuper & deos eorum, & sculptilia, vasa quoque pretiosa argenti & auri captiua ducet in Aegyptum: ipse prævalebit aduersus Regem Aquilonis, & intrabit in regnum Rex Austri, & reuertetur ad terram suam*. Super quæ verba B. Hieronymus ita scribit: *Occisa Berenice, & mortuo Ptolemæo Philadelpho patre eius in Aegypto, frater illius, & ipse Ptolemæus cognomento Euergetes, tertius successit in regnum, de plantatione & de germine radicis eius; eò quòd esset germanus: & venit cum exercitu magno, & ingressus est prouinciam Regis Aquilonis, id est Seleuci cognomento Gallinici, qui cum matre Laodice regnabat in Syria; & abusus est eis, & obtinuit, in tantum vt Syriam caperet, & Ciliciam, superioresq; partes trans Euphraten, & propemodum vniuersam Asiam. Cúmque audisset in Aegypto seditionem moueri, diripiens regnum Seleuci, quadraginta millia talentorum argenti tulit; & vasa pretiosa, simulacráque deorum duo millia quingenta, in quibus erant & illa, quæ Cambyses, capta Aegypto, in Persas asportauerat. Denique gens Aegyptiorum idololatriæ dedita, quia post multos annos deos eorum retulerat, Euergetem eum appellauit; &*

DANIELIS DE EVERGETE PROPHETIA, EIVSQ. EX B. HIERON. EXPLICATIO.

Syriam

Syriam quidem ipse obtinuit, Ciliciam autem amico suo Antiocho gubernandam tradidit, & Xantippo alteri Duci prouincias trans Euphraten. hucusque S. Hieronymus. Hæc autem non hoc anno, sed post sequentem, in quo dicemus regnasse Antiochum Gallinicum, acta esse neccessariò credenda sunt, vt sub anno mundi 3828. num. 1. tangemus.

2. Sub hoc Ptolemæo Euergete versus fuit de Hebræo in Græcum liber Ecclesiastici, per nepotē proprij Auctoris, vt numero proximo probabimus. Sed quonam dicti Euergetis anno id factum fuerit, adhuc inexploratum habemus: nam licet in Prologo iam allegato idē Interpres fateatur, se in octauo & trigesimo anno, tēporibus Ptolemæi Euergetis Regis, peruenisse in Ægyptum, vbi memoratam libri translationem fecit: attamen certum est, illum annum trigesimum octauum non posse accipi ab exordio regni ipsius Euergetis, quē ex Eusebio & aliis cōstat regnasse tantùmodò annis viginti sex. Ios. Scaliger lib. 5. de Emend. temp. in c. De initio regni Philadelphi, & enucleatiùs lib. 4. vbi agit de anno Dionysiano Ptolemæi Philadelphi, putat prædictos annos 38. numerandos esse ab initio regni Philadelphi, iuxta Dionysianā Æram, (de qua nos sub anno mundi 3769. n. 2. meminimus) inde deductam; cuius Epochæ, inquit, mentio tantùm extat apud Ptolemæum (subaudi, in libris Almagesti) & apud Iesum filium Sirach, sapientissimū apud Hebræos Chronographum, in Prologo, his verbis: *Nam in octauo & trigesimo anno, temporibus Ptolemæi Euergetis Regis, posteaquam perueni in Aegyptum*, &c. Quæ verba exponens Scaliger, subiungit: Is erat annus Euergetæ primus: nam anno 38. imperij sui decessit Philadelphus. sic Scaliger. Sed eius opinioni obstant, quæ nos sub anno mūdi proximè adducto, n. 3. de annis Philadelphi ex Iosepho diximus. Si enim ille saltem attigit annum regni sui trigesimum nonū; implicat dicere aliquid accidisse anno Philadelphi trigesimo octauo, & temporibus Euergetis Regis. Quare meliùs alij existimarunt, annum illum non fuisse trigesimum octauum regni alicuius Regis, sed vitæ ipsius Interpretis: nisi fortè probabilius sit, prædictum Interpretem vel numerasse prædictos annos, ex quo auus eius librum illum Hebraicè conscripserat; vel ibidem meminisse eius Epochæ, quæ tunc fortè apud Iudæos ducebatur ab insigni illa pænè innumerabiliū Iudæorum captiuitate à Rege Philadelpho benignissimè relaxata: solent enim interdum à memorabilibus eiusmodi euentibus, præsertim prosperis, Æræ annorum deriuari. Sed vtcumque res fuerit, quia nescimus quo tempore vel natus sit memorati libri Interpres, vel auus eius dictum librum conscripserit; vel quo regni sui anno Philadelphus Iudæorum captiuitatem à patre suo in Ægyptum abductā dimiserit: propterea etiam scire non possumus, quo regni Euergetis anno prædicti octo & triginta anni terminauerint; & consequenter, quonam tēpore facta sit ipsius Ecclesiastici de Hebræo in Græcum translatio. Sed hoc parū refert; cùm satis esse possit, nosse eam tēporibus Regis Euergetis esse factā.

VERSIO LIBRI ECCLESIASTICI DE HEBRAEO IN GRAECVM QVANDO FACTA.

3. Ceterùm, vt aliquid de dicto Ecclesiastici Interprete hîc subiūgamus; non desunt, qui ipsum eodem quo auus eius libriq; Auctor nomine nuncupatū fuisse existiment, sed reuerà ex Scripturis sacris id conuinci posse non videtur; quemadmodū rectè Iansenius in Ecclesiastici Procemium adnotauit. Illud verò ex iam dictis consequitur, eiusdē libri translationem non à LXX. Interpretibus, sed, vt dictum est, ab Auctoris nepote fuisse factam: siquidem ipsi suum interpretandi munus Philadelpho regnante expleuerūt; prędictus verò Auctoris nepos se eumdem librum interpretatum fuisse temporibus Euergetis Regis apertè testatur. Nec obstat quòd in ipsis LXX. Interpretū codicibus idem liber Ecclesiastici Grecè scriptus reperiatur: quia quemadmodū in eisdem quoq; habentur libri Machabæorum, quorū tamen historia non modò ab ipsis non conscripta, sed neq; non nisi longè posterioribus temporibus gesta fuit: ita proculdubiò potuit hæc ab Auctoris nepote Ecclesiastici de Hebræo in Grecū facta trāslatio, posteà in eorūdem LXX. Interpretū codicibus fuisse addita. Et hoc magis placet, quā quod tangit Iansenius super dicto Ecclesiastici Prologo; nimirum, versiones LXX. Interpretū priùs factas, posteà vsui & adiumento fuisse prędicto Auctoris nepoti, ad suam accuratiùs perficiendam. id enim in LXX. Interpretum versione imperfectionē ponere videtur, & eorū auctoritati derogare.

DE DICTO ECCLESIASTICI LIBRI INTERPRETE.

4. Quoniam autem & superiùs, nempe sub anno mundi 3794. num. 2. & 3. & hîc quoque duobus præcedentibus numeris actum est de tempore, quo Biblia sacra de Hebraico in Græcum sermonem translata sunt, & de eiusdem translationis Auctoribus: quæret fortasse hoc loco aliquis, quando & à quibus iidem Sacri libri in idioma Chaldaicum versi fuerint, non quidem ad verbum (nullus enim apud nos extat, quem ego viderim, Textus sacer Chaldaicus) sed per Paraphrases, hoc est per latiores quasdam sacrarum sententiarum explicationes: est enim Paraphrasis veluti latior quædam sententiæ explicatio, vt fit, cùm quæ quis pressiùs scripsit, alter quibusdam mutatis additisque,

QVANDO, ET A QVIBVS LIBRI SACRI IN SERMONEM CHALDAICVM VERSI.

tisque, copiosiùs ac dilucidiùs explicare conatur. Vt igitur ad quæsitum respondeamus; dicimus, quòd tametsi non possimus præcisè tempus quo scriptæ editæque fuerint Chaldaicæ Bibliorum Paraphrases indicare: illud tamen certum est, eas non vno eodemque tempore, neque ab vno eodemque Auctore omnes fuisse conscriptas: siquidem quæ in Prophetas habentur, cuiusdam Ionathæ Vzielis filij esse perhibentur, quem Petrus Galatinus lib. 1. cap. 3. & alij asserunt ante Christi natiuitatem sub veteri Synagoga floruisse. Quæ verò Chaldaica Paraphrasis in Pentateuchum extat, à quodam, cui nomen fuit Onkelos, edita creditur. Illa autem quæ Hagiographa, hoc est Scripta Sanctorum, nempe libros Iob, Ruth, Paralipomenon, Canticorum, Ecclesiastæ, Threnorum, Esther, Danielis, Esdræ, & Nehemiæ declarat; Iosepho Cæco tribuitur. At verò quæ in libros Historicos habetur, ab Auctore quodam innominato edita traditur. Et omnes hos tres posteriores post Christum passum vixisse atque scripsisse, asserit Franciscus Lucas Brugensis in Tractatu De vsu Chaldaicæ Paraphrasis, quem suis in Euangelia Commentariis adiecit. In quo etiam eamdem Paraphrasim à cuiusdam Auctoris innominati suggillationibus & calumniis pro viribus acerrimè defendit; & tamquam peruetustam, plurimùm Sacrorum librorum studiosis conducere posse demonstrat, ad ostendendum, textus Hebraicos & Latinos, vbi à Græcis dissident, non esse mendosos; & item ad rariores quasdam Hebraici textus voces probè intelligendas, atque ad obscuriores cùm Latinæ editionis tum Hebraici fontis sententias ritè explicandas; & prætereà ad versionem Vulgatam pluribus in locis contra aliorum interpretationes stabiliendam, illosque redarguendos, qui Hebraicum textum, & qui cum eo consentit Latinum, mendosum corruptumque esse, perperàm ostendere nituntur. Et multa alia de Chaldaicæ Paraphrasis vtilitatibus doctè ac peritè differit, concluditque non minùs eam in veteri Testamento conferre, quàm in nouo Interpretationem Syriacam; tametsi hæc à Christianis Scriptoribus, illa verò à Iudaicis conscripta fuerit. Denique prudenter aduertit, ne quis propterea memoratam Paraphrasim tanti faciendam putet, vt etiam pro Textu sacro haberi possit aut debeat; sed ideò conuenienter Sacro textui fuisse adiectam, vt quandocumque Sacri textus intelligentiam sedulus indagator inquirit, ipsam quoque Paraphrasim inspicere valeat: & si quidem illa aliquid afferat quo ipse iuuari possit, ea vtatur; sin minùs; nihil ea moueatur; immò etiam, si id locus exigat, liberè reiiciat. Sed ad historiæ seriem redeamus.

ONIAS PONTIFEX REGEM IRRITAT, QVEM PLACAT IOSEPHVS.

☞ 5. Sub eodem quoque Ptolemæo Euergete acta sunt ea quæ scribit Iosephus 12. Antiq. sub finem capitis tertij, & ferè toto cap. 4. de Onia illo pusillanime & auaro, qui cùm esset Pontifex, & solitum Regi tributum pendere nollet, commouit ad iram dictum Euergetem; quem posteà placauit Iosephus, sororis dicti Oniæ filius, vt latè ibidem describitur.

ANTIOCHI THEOS OBITVS.

6. Eodem quoque anno circiter exeunte (qui fuit ab obitu Alexandri Magni septuagesimus nonus, vt patet in tabulis,) decessit Antiochus Theos Syriæ Asiæque Rex, ab vxore Laodice veneno sublatus, quemadmodũ sub anno mundi 3794. n. 2. dictum est.

AB ORBE CONDITO ANNVS 3809 — SEXTÆ MVNDI ÆTAT. ANNVS 363.

REGNAT SELEVCVS GALLINICVS IN ASIA.

1 Anno insequente regnauit in Syria & Asia Seleucus huius nominis secundus, cognomento Gallinicus, viginti annis, vt aiunt Eusebius in Chronicis, & Genebrardus lib. 2. suæ Chronologiæ, & fortè etiam aliquid ampliùs. Vnde quod ait Sulpitius Historiæ sacræ lib. 2. hunc regnasse annis viginti & vno, arbitror de annis fractis, seu de vigesimo primo tantùm inchoato esse accipiendum.

ACHIM GENVIT ELIVD

2. Eodem circiter anno probabiliter creditur Achim genuisse Eliud, quemadmodum (suppresso, vt solet, tempore) scribit sanctus Matthæus cap. 1. v. 14. nimirum cùm ageret ipse Achim annum ætatis quinquagesimum primum, vt apparet in tabulis; & colligi potest ex his quæ sub anno mundi 3461. numero 1. dicta sunt.

AB ORBE CONDITO ANNVS 3812. — SEXTÆ MVNDI ÆTAT. ANNVS 366.

1 Anno memorati Seleuci quarto, Carthaginenses à Romanis nauali prælio victi obtinuerunt ab eis pacem, ea inter alias conditione, vt Sicilia & omnibus insulis quæ inter Italiam & Africam sunt, ipsi Pœni excederent. Vnde hoc anno finis

no finis impositus est primo bello Punico, vt ex his quæ nos sub anno mundi 3790. num. 1. diximus inferre licet, & comprobari item potest ex his, quæ de hac pace tradit Sigonius in suo Fastorum Commentario sub hoc eodem Vrbis anno quingentesimo duodecimo. Eutropius quoque lib. 2. in fine ait, dictam pacem fuisse factam anno belli Punici vigesimo tertio, subaudi, circiter inchoante. Et hinc detegitur error in ratione temporum Appiani, qui initio libri de Bellis Punicis ait Romanos abstulisse Carthaginensibus Siciliam anno à Carthagine condita septingentesimo: cùm hinc ad septingentesimum Carthaginis conditæ annum, deficiant plusquam quinquaginta anni, vt facilè dignosci potest ex tabulis: siquidem superiùs iam probatum est, ipsam Carthaginem cœpisse fundari anno ab orbe condito 3166.

FINIS PRIMI BELLI PVNICI.

AB ORBE CONDITO ANNVS 3817. — SEXTÆ MVNDI ÆTAT. ANNVS 371.

1 ANNO regni sui septimo circiter inchoante, necesse est dictum Seleucum Gallinicum genuisse filium, quem vocauit Antiochum, qui posteà cognominatus est Magnus. Nam si verum est quod tradit Polybius lib. 5. ante medium, videlicet, quòd idem Antiochus vix annum vitæ decimumquintum excesserat, quando fratre eius maiore defuncto ipse factus est Rex (quod quidem anno mundi 3831. contigisse, nos infrà sub eodem anno dicemus) vtiq; necessariò consequitur, eumdem Antiochum hoc anno natum esse, vt etiam videre est in tabulis.

AB ORBE CONDITO ANNVS 3825. — SEXTÆ MVNDI ÆTAT. ANNVS 379.

1 ANNO secundùm Chaldæos, hoc est, iuxta Æram Græcorum ritu Chaldaico putatam, octogesimo secũdo, accidit obseruatio quędam Astronomica, quam ab innominato quodam Auctore antiquo Chaldæo desumptam refert Ptolemæus lib. 11. Almagesti cap. 7. vbi addit, eumdem annum fuisse quingentesimum decimumnonum à Nabonassaro. Ex quo loco licet colligere, prædictum Nabonassari annum, qui, vt videre est in tabulis, cum anno memoratæ regni Græcorum Æræ pręcedente pro maiori parte concurrit, pro aliqua etiam parte cum isto concurrisse: & consequenter, alios quoque dicti Nabonassari annos non ad vnguem cum præfatæ Græcorum Æræ annis coincidere, sed partim cum antecedente, & partim cum subsequente.

EX CVIVSDAM ASTRONOMICAE OBSERVATIONIS ANNO, RATIO TEMPORVM COMPROBATVR.

AB ORBE CONDITO ANNVS 3828. — SEXTÆ MVNDI ÆTAT. ANNVS 382.

1 ANNO regni sui vigesimo, vt notat Eusebius in Chronicis, Seleucus Gallinicus Asiæ Rex, post plurima bella cum Ptolemæo Euergete Aegypti Rege infeliciter gesta, & toto pænè regno pulsus, nimirum Syria, Cilicia, & superioribus trans Euphratem prouinciis (quemadmodum nos sub anno mundi 3808. num. 1. retulimus) amissis; tandem equo præcipitatus, miserrimè interiit, vt refert Iustinus lib. 27. relictis duobus filiis; quorum natu maior vocabatur Seleucus Ceraunus; minor autem, Antiochus, qui posteà nuncupatus est Magnus.

SELEVCI GALLINICI MORS.

AB ORBE CONDITO ANNVS 3829. — SEXTÆ MVNDI ÆTAT. ANNVS 383.

1 ANNO insequente regnauit in Asia Seleucus huius nominis III. cognomento Ceraunus, annis (iuxta Appianum sub finem libri de Bellis Syriacis) duobus exactis; iuxta verò Eusebium in Chronicis, & Sulpitium Historiæ sacræ lib. 2. tribus; subaudi, imperfectis. De hoc Seleuco, & fratre eius Antiocho, prædicti Gallinici filiis, prophetauit Daniel cap. 11. vers. 10. illis verbis: *Filij autem eius prouocabuntur, & congregabunt multitudinem exercituum plurimorum.* Quæ verba exponens B. Hieronymus, ait: *Post fugam & mortem Seleuci Gallinici, duo filij eius, Seleucus cognomento Ceraunus, & Antiochus, qui appellatus est Magnus, prouocati spe victoriæ & vltione parentis, exercitu congregato aduersus Ptolemæum Philopatorem arma corripiunt.* sic S. Hieronymus. Verum-

SELEVCVS CERAVNVS REGNAT IN ASIA.

DANIELIS DE SELEVCO ET ANTIOCHO MAGNO VATICINIA A B. HIERONYMO EXPLICATA.

Verumtamen hîc aduertendum est, quod ait Scriptura, *Congregabunt multitudinẽ exercituum*, non esse intelligendum de singulis hisce duobus fratribus simul: siquidem donec regnauit maior, frater eius minor, vtpote adhuc valdè puer, in superiore regni parte priuatam vitam egit, vt sub anno mundi 3831. num. 1. ex Polybio dicemus: sed dicti fratres, successiuè vnus post alterius obitum, congregauerunt exercitum, vt vrbes à patre suo amissas recuperarent; quemadmodum ex dicendis clariùs apparebit. Neque potuerunt ambo simul contra Philopatorem bellum gerere, vt ait sanctus Hieronymus, quia Ceraunus periit aliquot annis antequam Philopater regnare cœperit: sed Antiochus tantummodò fuit is, qui feliciter admodum bellauit aduersus Philopatorem, vt ex consequentibus palàm fiet.

2. Porrò, quod attinet ad Ceraunum, ipse simul ac regnum ingressus fuit (vt scribit Polybius lib. 4.) cùm audisset Attalum omnia loca quæ sunt citra Taurum montem occupasse, rebus suis consulendum ratus, maximis viribus Taurum transcendit; vbi paucis diebus interiectis, ab Apaturio Gallo & Nicanore dolo circumuentus atque extinctus est. Achæus propinqui mortem vlciscendam ratus, extemplò Apaturium atq; Nicanorem interfecit. Igitur

SELEVCVS OCCIDITVR.

AB ORBE CONDITO ANNVS 3831. | SEXTÆ MVNDI ÆTAT. ANNVS 385.

ANTIOCHVS VOCATVR AD REGNVM.

1 ANNO regni sui tertio (vt testatur B. Hieronymus super Danielis cap. 11.) Seleucus Ceraunus cùm per dolum (vt diximus) in Phrygia occisus fuisset; exercitus qui erat in Syria, Antiochum fratrem cognomento Magnum de Babylone vocauit ad regnum. Idem scriptum reliquit Polybius lib. 5. dicens: *Antiochus itaque iunior filius erat Seleuci cui cognomentum Gallinicus fuit. Hic, mortuo patre, cùm regnum ad fratrem eius Seleucum, qui natu maior erat, peruenisset; principiò quidem in superiore parte regni priuatam vitam egit: mox fratre, qui Taurum montem cum copiis transcenderat, per dolum, vt suprà memorauimus, interfecto, imperium ipse adeptus, regnauit.* hæc Polybius. Appianus quoque sub finem libri de Bellis Syriacis ait, quòd Gallinico successerunt ex ætatis ordine duo eius filij, Seleucus & Antiochus; quorum maior nec valetudine firmus, nec opibus, exercitum in officio continere non potuit, veneno sublatus purpuratorum perfidia, post exactum regni annum alterum.

REGNAT ANTIOCHVS MAGNVS IN ASIA.

2. Eodem igitur anno currente, Antiochus huius nominis III. Seleuci Gallinici filius, & Seleuci Cerauni frater iunior, qui vixdum decimumquintum ætatis annum, vt ait loco citato Polybius, excesserat, regnare cœpit; & annos triginta sex regnauit in Asia, teste Eusebio vbi suprà, & aliis. Hic est qui posteà Magni nomen adeptus est, & de quo loquitur Daniel cap. 11. vers. 10. vbi ait: *Et veniet properans & inundans, & reuertetur, & concitabitur, & congredietur cum robore eius.* Super quo loco B. Hieronymus ita scribit: *Et proptereà nunc infert, quòd duo quidem filij prouocati sunt, & congregauerunt multitudinem exercituum plurimorum; sed quod vnus Antiochus Magnus venerit de Babylone in Syriam, quæ eo tempore tenebatur à Ptolemæo Philopatore filio Euergetis, qui quartus regnauit in Aegypto.* Ex quibus B. Hieronymi verbis patet, hæc contigisse non statim ac regnare cœpit in Asia præfatus Antiochus (necdum enim tunc regnare cœperat Philopator in Ægypto) sed aliquot annis pòst, quemadmodum sub anno mundi 3834. num. 1. dicemus. Bella quæ cum hoc Rege Romani gesserunt, scripta reliquit Appianus Alexandrinus in lib. cui titulus est, de Bellis Syriacis.

DANIELIS DE ANTIOCHO MAGNO VATICINIVM A S. HIERONYMO EXPLICATVM.

AB ORBE CONDITO ANNVS 3833. | SEXTÆ MVNDI ÆTAT. ANNVS 387.

IVBILEVS VIGESIMVS-QVINTVS.

1 ANNO regni Ptolemæi Euergetis vigesimo sexto incidisse annum Iubilei vigesimi quinti, colligitur ex tabulis, vbi prædictus annus concurrit cum anno millesimo ducentesimo quinquagesimo ab introitu Israëlitarum in Terram promissionis.

PTOLEMAEI EVERGETIS INTERITVS.

2. Eodem anno, iuxta Eusebium in Chronicis, circiter desinente, Ptolemæus Euergetes Ægypti Rex à proprio filio interfectus interiit, vt scribit Iustinus initio libri 29. & repetit initio libri 30.

AB ORBE CONDITO ANNVS 3834. SEXTÆ MVNDI ÆTAT. ANNVS 388.

1 ANNO proximo, iuxta eumdem Eusebium, regnauit in Ægypto Ptolemæus, cui (vt ait Iustinus vbi suprà) quòd patrem ac matrem interfecisset, ex facinoris crimine, cognomentum Philopator, ex contrario fuit. Hic *regno parricidio obtento, & ad necem vtriusq; parentis cæde etiam fratris adiuncta, veluti rebus feliciter gestis, luxuriæ sese tradiderat, Regisq; mores omnis secuta Regia erat. Itaque non amici tantùm, Præfectique; verùm etiã omnis exercitus, depositis militiæ studiis, otio ac desidia corrupti marcebant. Quibus rebus cognitis, Antiochus Rex Syriæ, veteri inter se regnorum odio stimulante, repentino bello multas vrbes eius oppressit; ipsamq; Aegyptum aggreditur.* hæc Iustinus. Priùs ergo quàm Ægyptum aggrederetur Antiochus (vt paulò pòst ex B. Hieronymo clariùs apparebit) Syriam, quam patri suo Ptolemæus Euergetes abstulerat, recuperauit. Quomodo autem id actum sit, breuiter tangit Polybius lib. 5. ita scribens: *Theodotus, qui inferioris Syriæ rebus præerat, natione Aetolus, partim Regem* (subaudi, Philometorem) *ob incuriam atque segnitiem vitæ contemnens; partim iis qui Regiam sequebantur diffidens, quòd non multo antè tempore, cùm rem perquam vtilem Regi proposuisset, cùm ad alia, tum ad obsistendum Antiocho, Syriæ regnum perturbare volenti; non modò nihil gratiæ consecutus erat, sed contrà, vocatus Alexandriam, de vita fuerat periclitatus; conuenire Antiochum decreuit, eiq; inferioris Syriæ vrbes tradere. Hoc igitur oblationem læto animo suscipiente, res quamprimùm finem sortita est.* sic Polybius. *Itaque* (quemadmodum tradit B. Hieronymus super Daniel. cap. 11. iam sæpiùs citato) *cùm Antiochus pugnasset aduersus Duces Philopatoris, immò proditione Theodotij obtinuisset Syriam, quæ per successionem iam à Regibus Aegypti tenebatur; in tantam venit audaciam, contempta luxuria Philopatoris, & magicis artibus quibus inseruire dicebatur, vt vltrò Aegyptiis bellum conaretur inferre.* hucusque B. Hieronymus. REGNAT PTOL. PHILOPATOR IN AEGYPTO. ANTIOCHVS BELLO ADORITVR PHILOPATOREM, EIQVE SYRIAM ERIPIT.

2. His prouocatus Rex Ægypti Philopator (vt ibidem subiungit idem S. Doctor) *amissa Syria proditione Theodotij, congregauit plurimam multitudinem; & ingressus est aduersus Antiochum Magnum. Et inito certamine iuxta oppidum Raphiæ, quod in foribus Aegypti est, omnem Antiochus amisit exercitum; & per deserta fugiens, penè captus est; cumq; cessisset Syriâ, ad extremum fœdere & quibusdam conditionibus pugna finita est.* sic B. Hieronymus. Et hoc est quod tanto antè tempore præuiderat prænuntiaueratque Daniel cap. 11. vers. 11. & 12. illis verbis: *Et prouocatus Rex Austri egredietur, & pugnabit aduersus Regem Aquilonis; & præparabit multitudinem nimiam, & dabitur multitudo in manu eius, & capiet multitudinem, & exaltabitur cor eius, & deiiciet multa millia; sed non præualebit.* hactenus verba Danielis. qui de Philopatore rectè dixit: *Et deiiciet multa millia, sed non præualebit.* quia, vt ibidem exponit S. Hieronymus, *aduersarium suum capere non potuit.* & item propter ea quæ consequenter subiungit Propheta dicens: *Conuertetur enim Rex Aquilonis*, &c. quemadmodum infrà suo loco explicabimus. Porrò hæc quæ tam paucis verbis, & tam dilucidè, ac tanto priusquam fierent tempore, diuino plenus Spiritu Daniel futura prædixit, alij deinde Scriptores, postquam gesta sunt, enucleatiùs explicarunt; nempe B. Hieronymus suprà relatus, Auctor libri 3. Machabæorum, qui licet Canonicus non sit, inter probatos tamen Scriptores computari potest: item Iustinus lib. 30. & Polybius lib. 5. Quorum dicta ad huius loci illustrationem ad verbum hîc referre non grauabor. Et primò quidem citatus 3. libri Machabæorum Auctor in initio sic habet: *Cùm Philopator è reuersis intellexisset erepta sibi esse ab Antiocho loca quæ tenebat; excitis omnibus copiis, tam pedestribus suis quàm equestribus, assumptaq; secum Arsinoë sorore, excurrit ad vicinas vsque Raphiæ regiones, vbi castra habebant copiæ Antiochi.* Et paucis interiectis subiungit: *Porrò commisso acri prælio, cum fortius pugnaretur ab Antiocho, Arsinoë sedulò copias obambulans, capillis solutis, cum lacrymis orabat miserabiliter, ferrent opem audacter sibi, liberis, & vxoribus; binas victoribus auri minas daturam singulis pollicens. Ita hostes pugna confici, multosq; capi contigit.* sic ille. Similia paucis tradit Iustinus dicens: *Trepidat igitur Ptolomæus; & per legationes quousq; vires parat, rogat morari Antiochum. Magno deinde è Græcia exercitu conducto, secundum prælium facit, spoliassetq; regno Antiochum, si fortunam virtute iuuisset. Contentus reciperatione vrbium quas amiserat, factaq; pace, auidè materiam quietis arripuit.* hæc Iustinus. Sed & belli huius historiam omnium luculentissimè tradit Polybius, qui cùm eius causas, præparationem, exitumque pluribus exposuisset, tandem de Victore Pto- PHILOPATOR PRAELIO VICIT ANTIOCHVM.

lemæo sic ait: *Ptolemæus Raphia & reliquis ciuitatibus repentè potitus est, vniuersis populis inter se certantibus, vt in dedendo se Regi, vicinum præuenirent.* Et post pauca: *Quapropter hic quoque supra modum coronis, sacrificiis, aris, & aliis huiusmodi modis Ptolemæum honorabant. Antiochus verò, cùm ad ciuitatem ipsi cognominem peruenisset; subitò Antipatrum fratris filium, & Theodotum Hemiolium, Legatos ad Ptolemæum misit, qui pacem à Rege precarentur: timebat enim incursionem hostium, & perexiguam spem, ob acceptam nuper cladem, in militibus habebat. Formidabat præterea Achæum, ne opportunitate temporis motus, bello ipsum infestaret. Ptolemæus autem nihil horum cogitans, sed felici atque insperato successu rerum lætus, benéq; secum actum existimans, quòd iam omnem Syriam possideret, haud alienus à conditionibus pacis erat; sed plus etiam quàm satis esset, pronum ad hoc animum habebat, allectus desidia vitæ, qua semper fuerat vsus. Cùm igitur ante eius conspectum Legati venissent, paulùlum in Antiochum inuectus, pacem in annum concessit; ac Sosibium vnà cum Legatis, sententiam suam vt enarraret, ad Antiochum misit. Ipse in Syria & Phœnice circiter tres menses commoratus, ordinatis mox ciuitatibus, & cura eorum omnium locorum Andromacho Aspendio tradita, Alexandriam cum sorore & amicis reuersus est.* hucusque Polybius.

PHILOPATOR IN SYRIAM A SE RECVPERATAM VENIT.

3. Ceterùm, quo tempore moram Philopator, vt dictum est, trahebat in Syria, accidit historia quam describit allegatus Auctor libri 3. Machab. de Philopatore, qui cùm vicinas post victoriam obiret Syrorum ciuitates, gratulatoria quoque Iudæorum legatione cum muneribus suscepta, non multò pòst Ierosolymam venit, ac in templo sacrificia cùm obtulisset, volebat omnino, Iudæis licet obsistentibus, introire contra omne fas in Sancta sanctorum; sed post multa tandem, insigni miraculo castigatus atque percullsus, retrocedere coactus est. Quamobrem iratus valdè aduersus Iudæos, eisque atrocia minitans, perrexit in Ægyptum, vbi publica primùm ignominia notari Iudæos in Alexandria curauit, deinde cunctos censeri, & in seruitutem redigi; mox diro contra eos promulgato edicto, diligenter in tota Ægypto conquiri, mirisque modis vexatos in Alexandriam perduci, vna die ab elephantis, ipsomet Rege populoque inspectantibus, interficiendos. Verumtamen præstò eis affuit diuina protectio; & non solùm ab atrocissimo illo interitu mirabiliter à Deo erepta gens Iudæorum est; sed etiam versò Regis furore in beneuolentiam, ab eodem deinceps iucundata, & nouo decreto ad fauorem ipsorum edito, in statum pristinum restituta fuit; vt latiùs in toto libro superiùs adducto describitur. Simile quid posteà iterùm contigisse sub Ptolemæo Phiscone, memorat Iosephus lib. 2. Contra Apionem, non procul ab initio.

AB INGRESSV TEMPLI MIRABILITER ARCETVR.

IRATVS IVDAEIS, EOS MVLTIMODIS VEXARE CONATVR, AC TANDEM EISDEM PLACATVR.

AB ORBE CONDITO ANNVS 3836. — SEXTÆ MVNDI ÆTAT. ANNVS 390.

INITIVM SECVNDI BELLI PVNICI.

1 Post duos annos, nimirum anno vrbis (iuxta computum Varronianum) quingentesimo trigesimo sexto, P. Cornelio Scipione & Ti. Sempronio Longo Coss. excitatum cœptumque fuisse secundum bellum Punicum, multis probant Onuphrius in suis Fastorum Commentariis sub anno Vrbis proximè notato, & Sigonius sub anno præcedenti. Et ab eodem tempore, nimirum ab Olympiade centesima quadragesima (cuius annus tertius cum hoc de quo nunc agimus concurrit, vt perspicuum est in tabulis) Polybius circa initia lib. 3. post longiores apparatus duobus prioribus libris præmissos, eamdem de secundo bello Punico historiam auspicari velle asserit. De hoc bello vide, si placet, plura apud Eutropium lib. 3. Appianum lib. de Bellis Punicis, T. Liuium in tota ferè Decade tertia, & alios.

AB ORBE CONDITO ANNVS 3850. — SEXTÆ MVNDI ÆTAT. ANNVS 404.

VATICINIVM DANIELIS EX B. HIERONYMO ET IVSTINO DECLARATVR.

1 Anno regni Philopatoris Regis Ægypti circiter postremo, credimus facta esse quæ Daniel longè antè vaticinatus fuerat cap. Prophetiæ suæ 11. vers. 13. illis verbis: *Conuertetur enim Rex Aquilonis, & præparabit multitudinem multò maiorem quàm priùs: & in fine temporum annorumq; veniet properans cum exercitu magno, & opibus nimiis.* Quæ verba tum ex his quæ ibidem dicit S. Hieronymus, tum etiam ex Iustini loco paulò pòst adducendo, declaranda sunt. Et primò S. Doctor eadem verba exponens, sic ait: *Antiochum Magnum significat, qui contempta Ptolemæi Philopatoris*

ignauia

ignauia (eò quòd deperiret Agathocleam psaltriam, fratremq́; eius, & ipsum Agathoclen haberet concubinum: quem postea Aegypti Ducem constituit) incredibilem de superioribus locis Babylonis exercitum congregauit. Sanè Philopatoris ignauiam, quæ, vt innuit B. Hieronymus, occasionem dedit Antiocho congregandi prædictum exercitum, eleganter describit Iustinus lib. 30. dicens, quòd *contentus reciperatione vrbium quas amiserat, factaq́; pace, auidè materiam quietis arripuit: reuolutusq́; in luxuriam, occisa Eurydice vxore, eademq́; sorore sua, Agathocleæ meretricis illecebris capitur: atque ita omnem magnitudinem nominis ac maiestatis oblitus, noctes in stupris, dies in conuiuiis consumit. Adduntur instrumenta luxuriæ, tympana & tripudia: nec iam spectator Rex, sed magister nequitiæ, neruorum oblectamenta modulatur. hæc primò labentis regiæ tacita pestis, & occulta mala fuere. Deinde crescente licentia, iam nec parietibus regiæ domus contineri meretricis audacia potest: quam proteruiorem, sociata cum Agathocle fratre ambitiosæ pulchritudinis scorto, quotidiana Regis stupra faciebant. Accedebat & mater Euanthe, quæ geminæ sobolis illecebris deuinctum Regem tenebat. Itaque non contentæ Rege, iam etiam regnum possident; iam in publico visuntur, iam salutantur, iam comitantur. Agathocles Regis lateri iunctus, ciuitatem regebat: Tribunatus, Præfecturas, & Ducatus mulieres ordinabant: nec quisquam in regno suo minùs quàm ipse Rex poterat.* hæc Iustinus.

2. Eodem anno regni sui decimoseptimo per aliquot menses iam inchoato, Philopator mortuus est, relicto quinquenni ex Eurydice sorore filio. *Sed*, vt ibidem subiungit Iustinus, *mors eius, dum pecuniam regiam mulieres rapiunt, & imperium inita cum perditissimis societate occupare conantur, diu occultata fuit.* sic Iustinus. Intereà *Philopatore mortuo*, Antiochus (vt ait B. Hieronymus vbi suprà) *aduersus filium eius, qui tunc quattuor annorum erat* (hoc est quartum ætatis annum expleuerat, & quintum iam erat ingressus) *& vocabatur Ptolemæus Epiphanes, rupto fœdere mouit exercitum. Tantæ enim dissolutionis & superbiæ Agathocles fuit, vt subditæ priùs Aegypto prouinciæ rebellarent, ipsaq́; Aegyptus seditionibus vexaretur; Philippus quoque Rex Macedonum & Magnus Antiochus pace facta, aduersum Agathoclen & Ptolemæum Epiphanem dimicarent, sub hac conditione, vt proximas ciuitates, regno suo singuli de regno Ptolemæi iungerent. Et hoc est quod nunc dicit* (subaudi, Daniel cap. citato vers. 14.) *multos consurgere aduersus Regem Austri, Ptolemæum scilicet Epiphanem, qui erat ætate puerili.* hæc S. Hieronymus. Quibus subiungenda sunt quæ Iustinus loco citato prosequitur: *Re cognita,* (id est, Philopatoris obitu tandem vulgato) *concursu multitudinis Agathocles occiditur, & mulieres in vltionem Eurydices patibulis suffiguntur. Morte Regis, supplicio meretricum veluti expiata regni infamia, Legatos Alexandrini ad Romanos miserunt, orantes vt tutelam pupilli susciperent; tuerenturq́; regnum Aegypti, quod iam Philippum & Antiochum, facta inter se pactione, diuisisse dicebant. Grata legatio Romanis fuit,* &c. sic Iustinus lib. 30. qui initio sequentis libri etiam hæc addit: *Mortuo Ptolemæo Philopatore Rege Aegypti, contemptaq́; paruuli filij eius ætate, qui in spem regni relictus, præda etiam domesticis erat, Antiochus Rex Syriæ occupare Aegyptum statuit. Itaque Phœnicem, ceterasq́; Syriæ quidem, sed iuris Aegypti ciuitates cùm inuasisset, Legatos ad eum Senatus mittit, qui denuntiarent ei, abstineret à regno pupilli, postremis patris precibus fidei suæ traditi. Quibus spretis, interiecto tempore alia legatio superuenit, quæ omissa pupilli persona, ciuitates iure belli factas populi Romani, in integrum restitui iubebat. Abnuenti, bellum denuntiatur; quod ille facilè susceptum, infeliciter gessit.* hucusque Iustinus.

PHILOPATORIS MORS.

3. Verumtamen hîc aduertere oportet, quòd licet Eusebius & alij videantur tribuere Philopatori annos regni decem & septem integros, & filio eius Epiphani viginti quattuor pariter completos, qui faciunt in summa annos quadraginta & vnum plenos; nihilominùs, si verum est quod nos infrà sub anno mundi 3873. num. 1. probabimus, videlicet, primum regni Philometoris annum concurrisse, saltem pro maiori parte, cum quingentesimo sexagesimo octauo Æræ Nabonassari; proculdubiò oportet fateri, neque Philopatorem, neque filium eius Epiphanem postremos regni sui annos expleuisse. Nam si primus annus regni Philopatoris fuit quingentesimus vigesimus nonus Æræ Nabonassari, vt patet in tabulis: vtique ab anno eiusdem Æræ quingentesimo vigesimo octauo ad quingentesimum sexagesimum octauum, exclusis terminis, inueniuntur non vnus & quadraginta anni, sed tantummodò quadraginta. Igitur

DE ANNIS PTOL. PHILOPATORIS ET EPIPHANIS.

4. Eodem anno Philopatoris postremo, regnauit (vt dictum est) in Ægypto filius eius paruulus, qui nuncupatus est Ptolemæus Epiphanes: cuius temporibus impleta sunt,

REGNAT IN AEGYPTO PTOL. EPIPHANES ADHVC PVER.

ſunt, quæ Danieli præmonſtrata fuerant cap. eius 11. verſ. 14. vſque ad 20. hiſce verbis: *Et in temporibus illis multi conſurgent aduerſus Regem Auſtri: filij quoque præuaricatorum populi tui extollentur, vt impleant viſionem, & corruent. Et veniet Rex Aquilonis, & comportabit aggerem, & capiet vrbes munitiſsimas: & brachia Auſtri non ſuſtinebunt, & conſurgent electi eius ad reſiſtendum, & non erit fortitudo. Et faciet veniens ſuper eum iuxta placitum ſuum, & non erit qui ſtet contra faciem eius: & ſtabit in terra inclyta, & conſumetur in manu eius. Et ponet faciem ſuam, vt veniat ad tenendum vniuerſum regnum eius, & recta faciet cum eo: & filiam feminarum dabit ei, vt euertat illud: & non ſtabit, nec illius erit. Et conuertet faciem ſuam ad inſulas, & capiet multas: & ceſſare faciet principem opprobrij ſui, & opprobrium eius conuertetur in eum. Et conuertet faciem ſuam ad imperium terræ ſuæ, & impinget & corruet, & non inuenietur.* hactenus verba Prophetiæ Danielis. Quæ profectò breuiter Antiochi Magni geſta perſtrinxiſſe videntur, quemadmodum ex his quæ conſequenter vſque ad annum mundi 3867. dicenda erunt innoteſcere poterit. Sanè, prædictorum Danielis verborum intelligentia ex B. Hieronymo in primis petenda eſt: qui cùm (vt ſub anno præcedenti, num. 2. retulimus) declaraſſet, quomodo multi aduerſus Regem Auſtri; id eſt Ptolemæum Epiphanem pupillum conſurrexiſſent, ſubiungit, quòd *pugnantibus contra ſe Magno Antiocho & Ducibus Ptolemæi, Iudæa inter ipſos poſita, in contraria ſtudia ſcindebatur; aliis Antiocho, aliis Ptolemæo fauentibus. Denique Onias Sacerdos, aſſumptis Iudæorum plurimis, fugit in Aegyptum: & à Ptolemæo honorificè ſuſceptus, accepit eam regionem quæ Heliopoleos vocabatur; & concedente Rege, templum extruxit in Aegypto ſimile templo Ieroſolymitano: quod permanſit vſque ad Imperium Veſpaſiani, annis ducentis quinquaginta. Ipſa autem vrbs, quæ ex nomine Pontificis vocabatur Onie, ſiue Onion, dimicantibus poſteà aduerſus Romanos Iudæis, ad ſolum vſque deleta eſt; & neque vrbis, neque templi, vllum reſtat veſtigium. Sub occaſione igitur Oniæ Pontificis, infinita examina Iudæorum, Aegyptum confugerunt. Eo tempore & Cyrenæorum multitudine repleta eſt: aſſerebat enim Onias ſe Iſaiæ implere vaticinium ſcribentis: Erit altare Domini in Aegypto, & titulus Domini in terminis eius.] Et hoc eſt quod nunc dicit: Filij præuaricatorum populi tui (qui dereliquerunt Legem Domini, volentes in alio loco præterquam iuſſum erat, Deo victimas immolare) extollentur in ſuperbiam; & viſionem, hoc eſt Domini præceptum ſe implere iactabunt. Sed corruent, quia & templum, & vrbs poſteà deſtruentur. Cumq; Antiochus teneret Iudæam, miſſus Scopas Aetholi filius, Dux Ptolemæi partium, aduerſus Antiochum fortiter dimicauit, cepitq; Iudæam: & optimates Ptolemæi partium ſecum abducens, in Aegyptum reuerſus eſt.* hucuſque S. Hieronymus. Et hoc eſt quod dicit etiam S. Auguſtinus lib. 18. de Ciuitat. cap. 45. nimirum Iudæos iterùm à Ptolemæo Epiphane fuiſſe captos. Idem tradit Euſebius in Chronicis, ſub anno regni dicti Ptolemæi Epiphanis ſecundo.

DANIELIS PROPHETIA.

DECLARATIO EX B. HIERONYMO.

ONIAS CVM IVDAEIS IN AEGYPTVM FVGIT, ET IBI TEMPLVM AEDIFICAT.

¶ 5. Verùm de tempore, quo S. Hieronymus templum ab Onia fabricatum dixit, meritò dubitari poteſt, quoniam Ioſephus 13. Antiq. in principio, & in calce capitis 6. apertè aſſerit, id ſub Ptolemæo Philometore contigiſſe. & Euſebius quoque in Chronicis (quem poſteà recentiores ſecuti ſunt) eiuſdem templi ædificationem ſpecialiùs ponit ſub anno ipſius Philometoris vigeſimo. Contrà verò, ex præcitata Danielis Prophetia, iuxta allatam B. Hieronymi expoſitionem, videtur hoc referri debere ad initia circiter regni Ptolemæi Epiphanis. Quod ſi verum eſſet, oporteret ipſum Oniæ templum non ducentis quinquaginta dumtaxat, ſed ſupra ducentos ſeptuaginta annos permanſiſſe: nam ab anno ſecundo Olympiadis centeſimæ quadrageſimæ quartæ (in quo, ſecundùm Euſebium, regnare cœpit prædictus Epiphanes) ad ſecundum Imperij Veſpaſiani, qui fuit pariter ſecundus Olympiadis ducenteſimæ duodecimæ, in quo facta eſt Ieroſolymorum euerſio, numerantur anni ducenti ſeptuaginta duo. Vnde neceſſarium eſt fateri, hallucinatum eſſe Ioſephum lib. 7. de Bello Iudaico cap. 30. in fine, vbi ait, dictum templum ſtetiſſe *annis trecentis triginta tribus*: niſi fortè error ſit in codice, & legendum ſit *ducentis triginta tribus*. Ceterùm, fieri poteſt vt huius templi ædificatio ſub Ptolemæo Epiphane cœpta ſit, vt indicant verba Prophetiæ Danielis à B. Hieronymo expoſita, & poſteà quibuſdam de cauſis intermiſſa, ac denuò regni Philometoris anno circiter primo reſumpta; annis ſcilicet, vt ait S. Hieronymus, ducentis quinquaginta ante eius euerſionem; & demum abſoluta anno regni eiuſdem Philometoris decimooctauo; nimirum annis ducentis triginta tribus priuſquam poſtmodum deſtructa fuerit: & ſic omnia conſona reddi poſſunt.

DE TEMPORE QVO ONIAS EXSTRVXIT TEMPLVM IN AEGYPTO.

6. Sed ad hanc rem magis dilucidandam, præter hactenus dicta, inquirendum quoque hîc eſt, Quiſnam fuerit iſte Onias, qui præfatum templum in Aegypto extruxit: plures

plures namque extitisse huius nominis Pontifices, iam nos sub anno mundi 3730. num.2.& 3.docuimus.Et de hoc Onia neque ipse Iosephus sibi ipsi constare videtur, vt ex consequentibus apparebit. Nam si fuit ille, quem idem Auctor 12.Antiq. sexti capitis initio dicit relictum fuisse paruulum tempore mortis Oniæ patris, huius nominis III.de quo in calce capitis 4.& initio 5.narrauerat,quòd ad eum Arius Lacedæmoniorum Rex legationem litterasque transmiserat; certè non videtur dicti Oniæ filius potuisse in Aegyptum ad Ptolemæum Epiphanem confugere; tum quia credibile est, ipsum dicti Regis temporibus vix natum, nedum fugæ aut templo extruendo idoneum fuisse;tum quia Iosephus lib.citato cap.15.ait,Oniam tunc fugisse in Ægyptum, quando vidit quòd Antiochus Eupator,interfecto Menelao, tradidit Lysia suadente Pontificatum Alcimo ad cognationem Pontificum nihil pertinenti, vt eum honorem ad aliam familiam transferret.Clarum autem ex tabulis esse potest, quòd tūc in Ægypto non Ptolemæus Epiphanes, sed Philometor dicti Epiphanis filius, iam ex multis annis regnabat. Quo factum est,vt Eusebius quoque Iosephum secutus, dicti templi structuram non sub Epiphane, sed sub Philometore posuerit. Verumenimuerò, mihi multò probabilius,ac memoratæ Danielis Prophetiæ magis consentaneum videtur, quòd Onias templi Hieropolitani in Ægypto ædificator,fuerit non præfati Oniæ tertij filius,sed frater natu minor,eiusdem nominis, filius nimirum Simonis, vt apertè tradit Iosephus lib. 7.de Bello cap.30.Fuit autem iste Simon,Simonis Iusti nepos; de quo idem Iosephus 12.Antiq.cap.6.ait,quòd habuit tres filios, quorum primo & tertio Oniæ nomen fuit,secundo autē Iesu,qui postea se Iasonem vocari maluit. Quamquam ibi Iosephus hallucinatur in eo quod ibidem subiūgit dicens,etiam Oniam fratrum minimum se Menelaum dici voluisse: quia Menelaus non fuit frater prioris Oniæ & Iasonis, qui erant Simonis Iusti pronepotes; sed frater erat Lysimachi & alterius Simonis de tribu Beniamin,vt nos sub anno mundi proximè adducto num.2. ostendimus. Igitur Onias de quo hîc agimus,non fuit filius Oniæ Pontificis, vt perperàm tradit Iosephus 12. Antiq. sub finem capitis 15. sed fuit filius Simonis, vt benè idem Iosephus expresè tradit 7.de Bello,circa initia capitis 30. & consequenter, non fuit Simonis Iusti abnepos, sed pronepos; & propterea benè potuit ad Ptolemæum Epiphanem in Ægyptum aufugisse,quando Antiochus Magnus, deuicto Scopa dicti Epiphanis Duce,Iudæam occupauit,vt numero insequenti dicemus; & eodem Epiphane postmodum annuente inchoasse ibi templum, vt Iudæos de Ierusalem tum Antiocho subiecta,religionis ergô,reduceret in Ægyptum. Intermissam verò mox fuisse illius structuram, quando Epiphanes duxit Antiochi Magni filiam in vxorem, recepta dotis nomine Iudæa, vt sub anno mundi 3862. num. 1. dicemus: tunc enim iam superflua videbatur illa templi constructio. Succedente autem Philometore; iterùm Oniam à nouo Rege puero,seu ab eius tutoribus,vt sub anno mundi 3873. num. 2. dicemus, obtinuisse, vt sibi liceret cœptam prosequi ædificationem, eamque tandem eodem Philometore regnante absoluisse.Sed redeamus ad Prophetiam Danielis nu.1. adductam.

QVIS NAM FVERIT ONIAS,QVI TEMPLVM AEDIFICAVIT IN AEGYPTO.

☞ 7. Quod autem prosequitur Daniel,dicens: *Et veniet Rex Aquilonis*,&c. sic ab eodem S.Hieronymo exponitur: *Antiochus enim volens Iudæam recuperare & Syriæ vrbes plurimas,Scopam Ducem Ptolemæi iuxta fontes Iordanis,vbi nunc Paneas condita est, inito certamine fugauit,& cum decem millibus armatorum obsedit clausum in Sidone: ob quem liberandum misit Ptolemæus Duces inclytos,Eropum,& Menocleam,& Damoxenum: sed obsidionem soluere non potuit,donec fame superatus Scopas,manus dedit, & nudus cum sociis dimissus est. Quodq́; ait* (subaudi Daniel,) *Comportabit aggerem.*] *illud significat, quòd præsidium Scopæ in arce Ierosolymorum,adnitentibus Iudæis, multo tempore oppugnarit, & ceperit alias vrbes,quæ priùs à Ptolemæi partibus tenebantur, Syriæ, Ciliciæ, & Lyciæ: eo enim tempore captæ sunt Aphrodisias,& Soloë,& Zephyrion, & Mallos,& Anemurium, & Selenus,& Coracesium,& Coricus,& Andriacæ,& Limyra, & Patra, & Xanthus, & ad extremum Ephesus: de quibus vniuersis & Græca & Romana narrat historia. Quodq́; intulit: Et stabit in terra inclyta,& consumetur siue perficietur in manu eius.*] *Terram inclytam, siue vt* LXX.*interpretati sunt,Voluntatis,hoc est,quæ complaceat Deo; Iudæam significat, & propriè Ierusalem: in qua honorificè susceptus,eos qui partium Scopæ erant, persecutus est. Pro terra inclyta,quod interpretatus est Aquila,quem nos in hoc loco secuti sumus, Theodotio ipsum Hebraicum verbum posuit Sabin,pro quo Symmachus vertit Terram fortitudinis.* hæc S. Hieronymus. Verùm quod iste sanctus Doctor breuiter tetigit,de præsidio Scopæ in Arce Ierosolymorum ab Antiocho, adnitentibus Iudæis, oppugnato; fusiùs describit Iose-

EXPOSITIO VATICINII DANIELIS EX B. HIERONYMO.

phus 12. Antiq.c.3.in hunc modū: *Antiocho Magno in Asia regnante, in continua vexatione tam Iudæa fuit quàm Cœlesyria; quòd eo bellum gerente cum Philopatore Ptolemæo, huiusq; filio, qui Epiphanes cognominatus est; siue vinceret, siue vinceretur, malè mulctarentur; non aliter quàm nauis fluctibus vtrimque oppugnata, inter prosperam & aduersam Antiochi fortunam, iactatæ. Tandem victor Antiochus Iudæam suæ ditioni adiecit. Defuncto verò Philopatore, filius eius magnum exercitum, Duce Scopa, misit in Cœlesyriam: qui & multas eius vrbes & nostram gentem vi in potestatem eius traxit. Aliquantò autem post Antiochus, ad fontes Iordanis cum Scopa prælio congressus, fit superior: cumq; recepisset occupatas à Scopa vrbes Cœlesyriæ simul & Samariæ, Iudæi quoque vltrò deditionem fecerunt; receptumq; intra mœnia eius exercitum & elephantes liberaliter aluerunt: & oppugnantibus præsidium in arce à Scopa relictum, impigrè auxilium tulerunt. Quamobrem Antiochus æquum ducens aliquam Iudæis, pro studio suarum partium referre gratiam, scripsit ad amicos suos & Duces litteras, testes beneficiorum, quæ in ipsum contulerant; in quibus etiam significabat, quomodo remunerari eos decreuisset.* Earum exemplar subiicit ibidem Iosephus, citato priùs Polybij testimonio, ex Historiarum eius lib. 15. in hæc verba: *Scopas, inquit, copiarum Ptolemæi Dux, ad Mediterranea verso impetu, per hiemem Iudæorum gentem subegit. Ac paulò pòst in eodem libro narrat, quomodo victo Scopa Antiochus Batanæam, Samariam, Gadara, & Abila receperit: moxq; Iudæi, qui Ierosolyma & celebre eius loci templum incolunt, ad eum defecerint: de quo cùm multa essent dicenda, ait se id in aliud tempus differre.* Et hæc quidem Polybius ab allegato Iosepho adductus.

AB ORBE CONDITO ANNVS 3853. — SEXTÆ MVNDI ÆTAT. ANNVS 407.

FINIS SECVNDI BELLI PVNICI, ET INITIVM PHILIPPICI SEV MACEDONICI PRIMI.

1 ANNO regni Ptolemæi Epiphanis quartò vel desinente, vel proximo incipiente, oportet finem accepisse secundum bellum Punicum, si verum est quod asserit Eutropius in fine lib. 3. nempe, ipsum annis septemdecim perdurasse (totidem enim hinc ab anno mundi 3836. sub quo illud incepisse diximus, inueniuntur) T. Liuius prope finem Decadis 3. dicit hoc bellum finitum esse anno decimooctauo. quod in idem recidit, si de anni initio intelligatur. Sanè bello hoc transacto, secutum est primum bellum Macedonicum, seu Philippicum, vt idem Eutropius tradit initio lib. 4. Quod & comprobari potest ex his quæ habentur apud Onuphrium in suis Fastorum Commentariis sub anno Vrbis quingentesimo quinquagesimo tertio, qui concurrit cum hoc Ptolemæi Epiphanis anno, vt patet in tabulis; & apud Sigonium sub anno præcedente. T. Liuius initio Decadis 4. ponit dicti belli principium anno insequenti. ait enim: *Anno quingentesimo quinquagesimo quarto ab Vrbe condita, P. Sulpitio Galba & C. Aurelio Coss. bellum cum Rege Philippo initum est, paucis mensibus post pacem Carthaginensibus datam.* Sed hæc vnius anni differentia paruipendenda est, præsertim in annis Vrbis, qui non eodem modo semper ab omnibus Auctoribus dinumerari solent.

AB ORBE CONDITO ANNVS 3856. — SEXTÆ MVNDI ÆTAT. ANNVS 410.

ANTIOCHVS DOLOSE SPONDET FILIAM SVAM EPIPHANI.

1 ANNO regni Ptolemæi Epiphanis septimo, ætatis verò eius vndecimo, volens Antiochus (quemadmodum tradit B. Hieronymus vbi suprà) non solùm Syriam, & Ciliciam, & Lyciam, & alias prouincias quæ Ptolemæi fuerant partium, possidere; sed in Ægyptum quoque regnum suum extendere: filiam suam Cleopatram, per Euclem Rhodium septimo anno regni adolescentis despondit Ptolemæo. Et hoc est quod insinuatur illis Prophetæ verbis: *Et ponet faciem suam, vt veniat ad tenendum vniuersum regnum eius.* Putabat enim Antiochus, cùm factus esset Ptolemæi adolescentis socer, faciliùs se posse sibi vsurpare vniuersum regnum eius.

AB ORBE CONDITO ANNVS 3859. — SEXTÆ MVNDI ÆTAT. ANNVS 413.

FINIS PRIMI BELLI MACEDONICI, SEV PHILIPPICI

1 ANNO Vrbis conditæ quingentesimo quinquagesimo nono, vt tradit Sigonius loco proximè citando, data est à Romanis pax Philippo Macedonum Regi his conditionibus, quæ descriptæ habentur apud Eutropium initio lib. 4. & apud Sigonium in suo Fastorum Commentario sub anno Vrbis quingentesimo quinquagesimo secundo.

AB ORBE CONDITO ANNVS 3860. SEXTÆ MVNDI ÆTAT. ANNVS 414.

1 ANNO regni Ptolemæi Epiphanis circiter decimo, probabiliter credimus actum esse quod narrat S. Euangelista Matthæus cap. 1. vers. 15. dicens: *Eliud autem genuit Eleazar*, nimirum anno vitæ ipsius Eliud circiter quinquagesimo primo, vt ex sub anno mundi 3461. num. 1. dictis consequitur, & notatum reperietur in tabulis. ELIVD GENVIT ELEAZAR.

AB ORBE CONDITO ANNVS 3862. SEXTÆ MVNDI ÆTAT. ANNVS 416.

1 ANNO Vrbis conditæ quingentesimo sexagesimo secundo (vt ait Macrobius lib. 1. Saturnalium ab Onuphrio relatus) credimus à Romanis cœptum fuisse bellum Antiochinum, siue Asiaticum, aut Syriacum, sic appellatum quòd cōtra Antiochum Magnum, Asiæ Syriæque Regem, susceptum esset. Sequimur autem in hoc libentiùs Macrobij sententiam, quia media est inter eam quam sequitur Sigonius in Commentario Fastorum, ponens hoc bellum sub anno Vrbis quingentesimo sexagesimo primo, & illam quam secutus est Onuphrius, qui illud sub anno Vrbis quingentesimo sexagesimo tertio collocauit. Huius belli causam breuiter tangit Sigonius vbi suprà. Sed de hoc eodem bello fusiùs agunt T. Liuius Decadis 4. lib. 7. & Appianus in libro de Bellis Syriacis, & Eutropius lib. 4. & Plutarchus in Scipione, & alij. INITIVM BELLI ANTIOCHINI, SEV ASIATICI, AVT SYRIACI.

2. Eodem anno, qui erat regni Ptolemæi Epiphanis decimustertius, vt videre est in tabulis, Antiochus cùm (vt sub anno mundi 3856. num. 1. dictum est) callidè filiam suam Cleopatram desponsasset Ptolemæo Epiphani, hoc anno eam illi tradidit, data dotis nomine omni Cœlesyria & Iudæa; tali affinitate affectans parare sibi viam ad totam Ægyptum sibi occupandam, & sic reddere se potentiorem aduersus Romanos. Sed fefellit Antiochum astutia sua: nam vt ait S. Hieronymus exponens illa verba Danielis loco inferiùs citando, *Et non stabit, nec illius erit.*] *Obtinere non potuit Aegyptum; quia Ptolemæus Epiphanes & Duces eius sentientes dolum, cautiùs se egerunt; & Cleopatra magis viri partes quàm parentis fouit. Vnde vertit se* Antiochus *ad Asiam; & nauali certamine aduersus plurimas insulas dimicans, cepit Rhodum, & Samum, & Colophonem, & Phoceam, & alias multas insulas. Sed occurrit ei L. Scipio Nasica cum fratre suo Publio Scipione Africano, qui Hannibalem vicerat. Cùm enim Consul Nasica frater Africani, hebetioris esset ingenij; & contra Regem potentissimum Senatus ei bellum nollet credere; spontaneam legationem obtulit Africanus, pro fratris iniuria. Victus ergo Antiochus, intra Taurum regnare iussus est: & inde fugit ad Apamiam & Susam, & vltimas regni sui penetrauit vrbes. Cúmque aduersus Elymæos pugnaret, cum omni est deletus exercitu. Et hoc est quod nunc Scriptura dicit, quòd multas insulas ceperit, & vincente exercitu Romano, regnum Asiæ perdiderit, & opprobrium eius conuersum sit in caput eius: & ad extremum de Asia fugiens, reuersus sit ad imperium terræ suæ; & impegerit, atque corruerit, & locus eius non sit inuentus.* hæc S. Hieronymus. Quem tamen tamquam memoria lapsum corrigit Pererius super Danielis cap. 11. in eo quòd sanctus Doctor Lucium Scipionem (eum scilicet qui vicit Antiochum Magnum, & propterea dictus est Asiaticus) dixerit fuisse Nasicam, qui non frater germanus Africani, sed consobrinus fuit: siquidem, vt tradit Plutarchus in Vita Scipionis, duo fuere fratres, Publius Scipio, & Gnæus Scipio; qui multis rebus præclarè gestis, in Hispania occubuerunt. Huius Gnæi Scipionis filius fuit P. Cornelius Nasica, vir Consularis. Publij autem Scipionis, gemina fuit & perquàm eximia proles; Publius Scipio, qui ob deuictum Hannibalem Africamque dictus est Africanus; & Lucius Scipio, qui superato Antiocho Magno, Asiaque, quæ cis Taurum montem est, ei adempta, Asiaticus est cognominatus. Verùm ex his quæ superiùs dicta sunt de Antiochi machinatione in tradenda filia Epiphani, apparet, minùs verum esse quod scribit Appianus non longè ab initio libri prænotati, videlicet, Antiochum misisse Ptolemæo Cleopatram Syram cognomine, in dotem addens Cœlesyriam, quam ei priùs ademerat, demulcens adolescentem, vt bello Romano quiesceret. Dicere enim, quòd Antiochus in hunc tantùm finem Ptolemæi affinitatem, sicut & aliorum Regum quæsierit, videtur manifestè aduersari non solùm his quæ ex S. Hieronymo retulimus; sed etiam sacræ Scripturæ verbis, quæ Danielis cap. 11. vers. 17. sic habent: *Et ponet faciem suam*

ANTIOCHVS DAT CLEOPATRAM EPIPHANI VXOREM.

FRVSTRATVR SPE OBTINENDI AEGYPTVM. MEDITERRANEI INSVLAS OBTINET, SED A ROMANIS SVPERATVR

suam vt veniat ad tenendum vniuersum regnum eius, & recta faciet cum eo: (subaudi, secundùm apparentiam) *& filiam feminarum dabit ei, vt euertat illud; & non stabit, nec illius erit.* Ex quibus verbis (vt ibidem tradunt Expositores) satis apertè indicatur, Prophetam præuidisse ac prænuntiasse intentionem Antiochi fuisse, vt mediante dicto coniugio faciliùs posset decipere Epiphanem adolescentem, & occupare sibi vniuersum regnum eius; non autem vt eum sibi deuinciret, & induceret, vt se potiùs quàm Romanos in bello adiuuaret.

DE ANTIOCHO A ROMANIS VICTO, TESTIMONIA.

3. Sanè de eodem Antiocho, B. Theodoretus in Danielem, Oratione decima, exponens locum Prophetiæ citatum, sic ait: *Multis enim insulis in suam ditionem redactis, illarum Principes imperio abdicatos, eiusmodi reddidit, qui ludibrio haberentur. Verùm ne ipse quidem huius expers opprobrij fuit. Romani enim illo ad Thermopylas debellato, compressa eius ingenti audacia, mille imposuere talentorum tributum; quod sibi singulis annis eum afferre coëgerunt; filiumq; eius Antiochum, cognomento Epiphanem, acceptum obsidem, Romæ custodiebant. quod nos docet primus liber Machabæorum.* (subaudi, cap. 1. vers. 11.) sic beatus Theodoretus. Idem, quod attinet ad memoratum tributum, tradit Eusebius in Chronicis. Atqui 2. Machab. cap. 8. vers. 10. apertè dicitur, quòd tributum ab Antiocho Romanis dandum, erat duo millia talentorum. Oportet igitur vel illud postmodum aliqua de causa fuisse duplicatum; vel textum citatum de vna pro duobus annis solutione esse accipiendum, vel prædictos Auctores esse deceptos. Ceterùm, de Antiocho à Romanis superato, & ducto sub tributum, præter ea quæ memorati Auctores, & item Iustinus lib. 31. & 32. & Appianus libro de Bellis Syriacis, & T. Liuius Decad. 4. lib. 8. & alij tradiderunt; extat quoque præclarum Scripturæ testimonium 1. Machab. cap. 8. vers. 6. & 7. vbi de Romanis verba faciens, inter alia ab eis fortiter gesta subiungit: *Et Antiochum Magnum Regem Asiæ, qui eis pugnam intulerat, habens centum viginti elephantos, & equitatum, & currus, & exercitum magnum valdè; contritum ab eis: & quia ceperunt eum viuum, & statuerunt ei, vt daret ipse, & qui regnarent post ipsum, tributum magnum, & daret obsides, & constitutum.* hactenus verba libri Machabæorum; quæ nemo miretur, in eo quòd habent Antiochum à Romanis viuum fuisse captum, aliis Auctoribus, præsertim T. Liuio, Floro, & Appiano aduersari; qui ipsum de prælio aufugisse, ac posteà per Legatos de pace à Romanis obtinenda egisse asserunt. Quia cùm ibi Sacer textus profiteatur narrare quæ Iudas audiuerat, (vt patet ex initio citati capitis;) non est necesse, quòd illa omnia adamussim, vt dicebàtur, vera essent; sed sufficit quòd reverà ita, sicuti ibidem exprimitur, ipsi Iudæ nuntiata fuerint. Ceterùm, quod memorauimus bellum, à quibusdam dicitur Syriacum, ab aliis Asiaticum, & à nonnullis Antiochinum appellatur. & hoc circiter anno susceptum, & sequenti confectum creditur, data Antiocho pace illis conditionibus, quæ descriptæ habentur apud Eutropium lib. 4. & Appianum, & alios qui de hoc bello scripserunt. Easdem breuiter tradit Sigonius in suo Fastorum Commentario, sub anno Vrbis quingentesimo sexagesimo quarto.

AB ORBE CONDITO ANNVS 3867. — SEXTÆ MVNDI ÆTAT. ANNVS 421.

DE ANTIOCHI MAGNI INTERITV.

1 ANNO regni Ptolemæi Epiphanis Regis Ægypti decimoseptimo, vt patet in tabulis, Antiochus Magnus Rex Syriæ, cùm regnum tenuisset annis triginta sex, vt tradunt Eusebius in Chronicis & alij, (licet Appianus & Sulpitius dicant triginta septem; subaudi, tantummòdò inchoatis) decessit sub finem anni vitæ suæ quinquagesimi primi relictis duobus filiis, Seleuco scilicet, & Antiocho Epiphane, quemadmodum scriptum reliquit idem Appianus sub finem libri de Bellis Syriacis. Sanè de obitu Antiochi Magni ita scribit Strabo lib. 16. *Antiochum Magnum, qui Beli templum spoliare conatus est, finitimi Barbari ex sese adorti interemerunt.* & Iustinus lib. 32. *Intereà*, inquit, *in Syria Rex Antiochus, cùm graui tributo pacis à Romanis premeretur, & victus oneratusq; esset, seu inopia pecuniæ compulsus, seu auaritia sollicitatus, qua sperabat se sub specie tributariæ necessitatis excusatiùs sacrilegia commissurum, adhibito exercitu, nocte templum Dindymæi*, seu, vt alia lectio habet, *Dodonæi Iouis aggreditur. Qua re prodita, concursu incolarum cum omni militia interficitur.* Itaque

AB ORBE CONDITO ANNVS 3868. SEXTÆ MVNDI ÆTAT. ANNVS 422.

1 ANNO proximo ſucceſſit in regnum Syriæ Aſiæque (vt colligitur 2. Machab. cap. 3. verſ. 3.) Seleucus huius nominis quartus, Antiochi Magni filius natu maior; qui regnauit annis duodecim otioſus, nec admodum potens, propter cladem quam pater acceperat, vt loco citato ſcribit Appianus. Totidem regni annos eidem tribuunt Euſebius & Sulpitius. Quare arbitror decipi Ioſephum, qui 12. Antiquit. cap. 5. ſeptennio dumtaxat ipſum regnaſſe aſſerit. Huius Seleuci (qui neſcio qua de cauſa à quibuſdam Philopator & Soter cognominatus fuerit) meminit Scriptura Danielis cap. 11. verſ. 20. iuxta B. Hieronymi expoſitionem, illis verbis: *Et ſtabit in loco eius viliſſimus & indignus decore regio, & in paucis diebus conteretur, non in furore nec in prælio.* Super quæ verba B. Hieronymus, *Seleucum,* inquit, *dicit cognomento Philopatorem, Magni Antiochi filium, qui nihil dignum Syriæ & patris geſſit imperio; & abſque vllis præliis inglorius periit.* REGNAT SELEVCVS IV. IN ASIA.

2. Sub iſto Seleuco acta ſunt ea, quæ in toto cap. 3. lib. 2. Machab. & cap. 4. vſque verſ. 8. narrantur de Oniæ Pontificis pietate, ob quam & Ieruſalem habitabatur in pace, & leges optimè cuſtodiebantur, & templum in ſummo honore habebatur apud Reges & Principes, qui id maximis muneribus decorabant, & ipſe Seleucus Aſiæ Rex, de propriis reditibus ſumptus ad ſacrificia pertinentes ſuppeditabat: de Simone quodam, qui in odium Oniæ, theſauros templi per Apollonium Regi prodidit: de Heliodoro à Rege miſſo, & à Deo per Angelos mirabiliter flagellato, eò quòd vellet theſauros templi auferre: de eodem ad preces Oniæ Pontificis diuinitus ſanitati reſtituto: de profectione eiuſdem Oniæ ad Regem pro communi vtilitate: ac demum de ipſius Seleuci Regis morte; cui ſucceſſit in regno frater eius Antiochus, qui Epiphanes, id eſt Nobilis ſeu Illuſtris dictus eſt; de quo infrà ſuo loco agemus. ACTA IEROSOLYMIS TEMPORIBVS DICTI SELEVCI.

3. Igitur ab hoc circiter tempore, præfato ſcilicet regnante Seleuco, incipiunt contenta in duobus libris Machabæorum: nam ſi ab vno eodemque Auctore, temporum ordine continuato, digeſta eſſent; vtique ab iis quæ in dicto 3. capite narrata eſſe diximus, hæc hiſtoria fuiſſet inchoanda; ſed hoc factum noneſt, quoniam ſeorſum à duobus Auctoribus cõſcripta fuit. Et primus quidem, licet videatur ab Alexandro Magno exordiri, nihil tamen ſub eo neque ſub aliis ſucceſſoribus eius in Iudæa actum deſcribit; ſed tantummodò ab his, quæ regnante Antiocho Epiphane ibidem geſta ſunt, agere incipit: & in nece Simonis Machabæi, quæ accidit anno regni Græcorum centeſimo ſeptuageſimo ſeptimo, terminat. Auctor verò 2. libri aliquanto altiùs, nimirum ab his quæ ſub prædicto Seleuco acciderunt, in tertio ſui libri capite, vt dictum eſt, ſuam narrationem exorſus eſt: (quæ enim in 1. & 2. eiuſdem libri capitibus habentur, per modum cuiuſdam Procemij potiùs tradi videntur:) & non niſi ad occiſum à Iuda Nicanorem, id eſt, ad annum dicti regni Græcorum circiter centeſimum quinquageſimum primum, peruenit. Porrò quæ in eiſdem libris deſcribuntur, præfigurabant prælia ſpiritualia, & ſeditiones, & ſchiſmata, & Sanctorum martyria, quæ dæmonum inſtinctu in ſancta Eccleſia mox ſubſecutura erant, vt ait ſanctus Antoninus Hiſtoriarum part. 1. tit. 4. §. 13. & præſertim acerrimas Antichriſti (cuius inſignis prototypus fuit Antiochus) perſecutiones aduerſus Sanctos, quas non ſine magno timore expectamus. Et propterea, licet prædicti libri ab Hebræis (vt in Prologo B. Hieronymi galeato apparet) & item ab hæreticis, de Sacrorum librorum Canone excipiantur; eos tamen Eccleſia Catholica inter Canonicos recipit, & qui eos non receperint, anathemate damnat; vt patet in Concilio Tridentino ſeſſ. 4. & latè probat Cardinalis Bellarminus lib. 1. de Verbo Dei cap. 10. & 15. QVÆ IN MACHABAEORVM LIBRIS CONTINEANTVR

4. Et quoniam, vt diximus, certum eſt, duos hos libros non ab vno eodemque Auctore, ſed à duobus inter ſe diuerſis fuiſſe conſcriptos; ſi quis percontetur, quinam ij fuerint: dicimus id certò ſciri non poſſe. Nam qui prioris libri Auctorem faciunt Io. Hircanum Simonis filium, hiſce dumtaxat coniecturis ducuntur: Quòd ſcilicet ipſe rebus omnibus in eo contentis interfuerit: Quòd poſt patrem ſuum Simonem ſummus Sacerdos fuerit, diuque & pacificè in Principatu ac Sacerdotio vixerit, per annos videlicet vnum & triginta; & non ſolùm Sacerdos & Princeps, ſed etiam Propheta fuerit, quemadmodum aſſerit Ioſephus 13. Antiq. cap. 16. Quæ quidem omnia licet probabilitatem aliquam faciant, non tamen certitudinem. Qui verò affirmant A QVIBVS SCRIPTI.

ſecundi

ſecundi libri Auctorem fuiſſe Iaſonem Cyrenæum, proculdubiò falluntur: ſiquidem ipſe Iaſon totam quidem Iudæ Machabæi hiſtoriam quinque libris conſcripſit: at verò Auctor 2. libri Machabæorum (quiſquis ille fuerit) in eo quod cap. 2. verſ. 24. ait: *Itémque ab Iaſone Cyrenæo quinque libris comprehenſa tentauimus nos vno volumine breuiare*; vtiq; ſeipſum manifeſtè à dicto Iaſone ſecernit. Non ergo dici poteſt, quòd ipſe Iaſon propriè & ſimpliciter fuerit auctor libri 2. Machabæorum; ſed is qui ex Iaſonis libris illum breuiter compilauit.

SPARTIATAE MITTVNT LEGATIONEM SOCIETATIS AD IVDAEOS.

5. Per hæc quoque tempora, nimirum prædicto Onia Pontificatum in Iudæa tenente, vt etiam teſtatur Ianſenius ſuper Eccleſiaſtici cap. 50. Arius Spartiatarum vel Spartanorum, ſeu (vt ait Ioſephus loco paulò pòſt citando) Lacedæmoniorum Rex, miſit litteras & legationem ad Iudæos, tamquam ad ſocios, & ex eodem quo ipſi ſtipite propagatos; quemadmodum nos ſub anno mundi 1931. num. 54. ex 1. Machab. & Ioſepho probauimus. & ſuſcepit Onias virum cum honore, & accepit epiſtolas in quibus ſignificabatur de ſocietate & amicitia, vt legimus 2. Machab. cap. 12. verſ. 7. & 8. Quarum exemplar regiſtratum habetur ibidem verſ. 9. vſque ad 24. Eamdem quoque Epiſtolam aliis verbis refert Ioſephus 12. Antiq. cap. 5. vbi inſuper addit, eiuſdem Epiſtolæ latorem fuiſſe Demotelem, & ipſas litteras in pagina quadrangula ſcriptas fuiſſe, & obſignatas ſigillo aquilæ vnguibus draconem tenentis.

AB ORBE CONDITO ANNVS 3873. — SEXTÆ MVNDI ÆTAT. ANNVS 427.

EPIPHANES AEGYPTI REX MORITVR, ET SVCCEDIT EI PHILOMETOR FILIVS.

1 ANNO regni ſui vigeſimo quarto (non quidem exacto, vt ponit Euſebius in Chronicis; ſed per menſes circiter ſeptem inchoato, vt ex ſub anno mundi 3850. num. 3. dictis conſequitur, & ex ſubſequenter dicendis comprobabitur) Ptolemæus Epiphanes Rex Ægypti mortuus eſt. Et eodem anno, qui erat Æræ Nabonaſſari quingenteſimus ſexageſimus octauus, quemadmodum patet in tabulis, regnare cœpit in Ægypto Ptolemæus cognomento Philometor, vt probat ex Almageſto Ptolemæi Scaliger lib. 5. in cap. De initio Philometoris, vbi ait, obſeruari apud eumdem Ptolemæum quamdam Lunæ defectionem ſeptimo Philometoris anno, qui erat Nabonaſſari quingenteſimus ſeptuageſimus quartus; ergo, infert, primus regni Philometoris inciderat anno Nabonaſſari quingenteſimo ſexageſimo octauo, qui concurrit cum anno regni Græcorum Iudaico centeſimo trigeſimo primo, vt patet in tabulis. Quare annus dicti Regis primus magis concurrit cum anno ſubſequente, vt pariter in eiſdem tabulis notatum inuenies. Fuit autem iſte Philometor filius præfati Ptolemæi Epiphanis & Cleopatræ, quæ fuerat Antiochi Magni filia, & Antiochi Epiphanis ſoror. Oportet item eumdem Philometorem fuiſſe puerum, puta decem circiter annorum, quando ſucceſſit patri; & aliquamdiu ſub tutoribus manſiſſe: ſiquidem, vt ex ſequentibus patebit, Antiochus Epiphanes eius patruus maternus, ſpecie eius tutelæ ſuſcipiendæ, non ſemel tentauit ſurripere ei regnum. Habuit etiam idem Philometor ſororem Cleopatram, ex matris nomine ſic appellatam, quam poſteà anno, vt arbitror, regni ſui circiter quarto ſibi iam deſponſauerat vxorem, quemadmodum ex ſub anno mundi 3876. num. 1. proximè dicendis planum fiet. Eiuſdem Philometoris obiter meminit Scriptura ſacra 2. Machab. cap. 4. verſ. 21. & cap. 9. in fine, & cap. 10. verſ. 13. Genebrardus lib. 2. ſuæ Chronologiæ ait, dictum Regem per Antiphraſim nuncupatum fuiſſe Philometorem; quòd ſcilicet propriam matrem interfecerit. Id autem quando & quamobrem acciderit, adhuc incompertum habeo.

DE TEMPLO AB ONIA IN TERRA AEGYPTI FABRICATO.

2. Per hæc quoque tempora, nimirum circa regni Philometoris initia, Onias Simonis Pontificis filius, qui (iuxta ea quæ nos ſub anno mundi 3850. num. 5. & 6. diſſeruimus) aliàs in Ægyptum transfugerat; & vt ſibi nomen faceret, ac Iudæos in Ægyptum etiam religionis occaſione attraheret, Regibuſque Ægypti potiùs quàm Syriæ deditos redderet, concedente Ptolemæo Epiphane templum ibidem inchoauerat; ſed ob redditam poſteà Ægyptio Regi ab Antiocho Magno Iudæam, iam cœptam intermittere fabricam coactus fuerat: vt primùm aduertit ac præſenſit, quòd Ptolemæo Epiphane mortuo, Antiochus Epiphanes, ſub prætextu tutelæ Philometoris pueri ac nepotis ſui ſuſcipiendæ, Iudææ dominari inhiabat; facilè, vt arbitror, ab eodem Philometore, ſeu ab eius tutoribus obtinuit facultatem intermiſſum reſumendi ac proſequendi ædificium in regione quæ olim Heliopoleos dicebatur, & octoginta ſtadiis à Memphi diſtabat. Itaque confeſtim totis viribus opus vrgere cœpit. Atque vt conſilium

lium hoc ſuum, ſuperbia atque auaritia plenum, meliùs confirmaret, piaque aliqua ratione quaſi velis quibuſdam obtenderet; illud pro ſe adducebat Iſaiæ vaticinium, quod habetur cap. eius 19. verſ. 19. vbi legimus: *In die illa erit altare Domini in medio terræ Aegypti.* Qui quidem Prophetæ locus, S. Hieronymo aliiſque Eccleſiaſticis Doctoribus atteſtantibus, non de alio altari templóve contra Moyſaicæ Legis præcepta fabricando, ſed de cultu diuino, ad Legis Euangelicæ ritum in Ægypto poſt aduentum Chriſti propagando, accipiendus eſt. Perperàm ergo prædicabat iſte Onias, eamdem Iſaiæ Prophetiam tunc temporis, quando ſcilicet illud templum quod extruebat, abſolutum eſſet, fore implendam. Vnde licet colligere, quãta ſit impiorum hominum audacia ac temeritas, qui ad proprias explendas cupiditates, & ad falſa ipſorum dogmata fulcienda, non ſine peſtifera multorum deceptione ac pernicie, etiam ſacræ Scripturæ teſtimonia malè, prauè, ac nequiter intellecta, adducere non erubeſcunt. Quam impietatem & arrogantiam hæreticos quoque imitari quotidie cernimus: nimirum perditi huius generis homines, tamquam à patre ſuo diabolo edocti, iiſdem penè artibus incautos decipere, perdere, mactare, & à via veritatis abducere moliuntur; quibus ille fruſtrà Dominum Ieſum, qui falli non poterat, tentare auſus fuerat, Matthæi cap. 4. verſ. 6. vbi, vt præcipitium ei ementita ſecuritate ſuaderet, ſubiunxit: *Scriptum eſt enim: Quia Angelis ſuis mandauit de te.* & quæ ſequuntur. Ceterùm hanc prædicti Oniæ hiſtoriam narrat Ioſephus lib. 13. Antiq. cap. 6. & lib. 7. de Bello cap. 30. Vbi aduertendum eſt, in eodem cap. de Bello, magnum reperiri Chronologiæ erratum, in eo quòd ibi legimus, Iſaiæ vaticinium de templo Oniæ in Ægypto mox extruendo, præceſſiſſe eius ſtructuram annis nongentis ſeptuaginta: nam ab initio regni Oziæ, ſub quo Iſaias (vt patet in exordio Prophetiæ eius) prophetare cœperat, vſque ad hæc tempora, inueniuntur in tabulis anni minùs quàm ſexcenti quinquaginta. Sed iſte error eſt codicis, non Auctoris; qui loco Antiq. proximè adducto ait, prædictum Iſaiæ vaticinium ante annos ampliùs ſexcentos fuiſſe factum. Quamquam idem Auctor locis citatis de manifeſto errore excuſari non poſſit; quòd ſcilicet exiſtimauerit, prædictam Iſaiæ Prophetiam, verè ad templum, quod poſteà dictus Onias in Ægypto conſtruxit, pertinuiſſe; cùm reuerà, vt dictum eſt, illa reſpiceret referriq; debeat ad tempus Legis Euangelicæ; quemadmodum etiam plurimis probat argumentis Pererius lib. 15. in Daniel. ſuper illa verba: *Filij quoque præuaricatorum populi tui extollentur*, &c.

HAERETICORVM TEMERITAS.

AB ORBE CONDITO ANNVS 3874. — SEXTÆ MVNDI ÆTAT. ANNVS 428.

1 ANNO ſecundo regni eiuſdem Philometoris, qui erat Vrbis conditæ quingenteſimus ſeptuageſimus quartus, L. Manlio Acidino & Q. Fuluio Flacco Coſſ. Perſeus Philippi Macedoniæ Regis ex concubina filius, mortuo patre, regnum accepit; & anno inſequenti à Senatu Romano appellatus eſt Rex, regnauitque annis vndecim. vide T. Liuium Dec. 5. lib. 5. non procul ab initio. Hic poſteà bellum geſſit cum eiſdem Romanis, & ab ipſis regno ſpoliatus eſt, vt infrà ſub annis mundi 3881. num. 2. & 3886. num. 1. dicemus.

PERSEVS REGNAT IN MACEDONIA.

AB ORBE CONDITO ANNVS 3876. — SEXTÆ MVNDI ÆTAT. ANNVS 430.

1 ANNO quarto regni Philometoris & Cleopatræ eius ſororis pariter ac coniugis, vt expreſsè tradit Ioſephus 13. Antiq. cap. 6. propè ante medium: quorum etiam non ſemel meminit idem Ioſephus lib. 2. Contra Apionem non longè ab initio; Doſitheus Sacerdos & Ptolemæus eius filius, tulerunt in Ieruſalem epiſtolam Phurim, hoc eſt Sortium, nempe librum Eſther; quemadmodum nos ſub anno mundi 3650. num. 3. declarauimus. Quem librum, vel quam epiſtolam dixerunt interpretatum eſſe, id eſt, de Hebræo in Græcum poſteà tranſtuliſſe Lyſimachum, præfatorum, Ptolemæi quidem filium, Doſithei verò nepotem: Eſther cap. 11. verſ. 1.

LIBER ESTHER QVANDO ET A QVIBVS IN IERVSALEM DELATVS.

AB ORBE CONDITO ANNVS 3879. — SEXTÆ MVNDI ÆTAT. ANNVS 433.

1 ANNO regni ſui duodecimo Seleucus Philopator Syriæ Rex moritur: *nam* (vt refert Appianus lib. de Bellis Syriacis, poſt medium) *cùm fratrem Antiochum obſidem à Romanis obtinuiſſet, dato in eius vicem ſuo filio Demetrio, iamq; Athenas Antiochus*

SELEVCVS IIII. SYRIAE ASIAEQVE REX MORITVR.

chus peruenisset, Seleucus insidiis Heliodori cuiusdam purpurati oppressus est. sic Appianus. An verò iste Heliodorus, ille sit, qui ab eodē Seleuco Rege missus fuerat Ierosolymam ad thesauros templi auferendos, quique ibidem mirabiliter à Deo flagellatus, ac tandem, Onia Pontifice pro ipso orante, liberatus, re infecta ad Regem redierat, quemadmodum describitur 2. Machab. cap. 3. tametsi non vsquequaque exploratum habeamus, est tamen admodum probabile: quandoquidem & tempus amborum congruit, & eumdem Heliodorum fuisse valdè acceptum Regi, constat ex loco Machabæorum citato.

ANTIOCHVS EPIPHANES REGNAT IN ASIA SYRIAQVE.

2. Eodem anno ad finem vergente, quemadmodum ex paulò pòst dicendis apparebit, *ipsum Heliodorum regni affectatorem* (vt suprà prosequitur Appianus) *Eumenes & Attalus expulerunt, deducto in possessionem eius Antiocho, vt amicum sibi redderent hoc beneficio: iam enim ob quasdam offensiunculas etiam hi Romanos suspectos habebant. Atque ita Antiochus huius nominis quartus, Antiochi Magni filius, Syria potitus est; quem Syri cognominarunt Illustrem, quòd alienis regnum vsurpantibus, ipse auitæ ditionis assertor exortus, suis illuxerit.* ita Appianus. Porrò Antiochum hoc eodem anno (qui concurrit cum anno regni Græcorum centesimo trigesimo septimo, vt patet in tabulis) regnare cœpisse, disertè traditur 1. Machab. cap. 1. vers. 11. Quot autem annis regnauerit, videtur dubium; quoniam Eusebius in Chronicis, & B. Hieronymus super Daniel. cap. 11. & Sulpitius libro Sacræ Historiæ 2. & alij, eidem tribuunt regni annos vndecim; sacra verò Scriptura videtur eidem dare tredecim: etenim, vt dictum est, ponit initium regni eius anno regni Græcorum centesimo trigesimo septimo, & obitum eiusdem anno centesimo quadragesimo nono: 1. Machab. cap. 6. vers. 16. Sed vtrumque verum est: vndecim enim annis regnauit integris, & aliquid ampliùs ante & pòst eos: oportet igitur Antiochum sub finem huius anni regnare cœpisse, ac non multò pòst inchoatum annum regni Græcorum centesimum quadragesimum nonum obiisse. Quare necesse est hallucinari Appianum, qui duobus tantùm annis ipsum regnasse tradit; aut textum eius esse corruptum, & pro biennio, duodecim annis esse legendum.

VATICINIA DANIELIS DE ANTIOCHO EPIPHANE.

3. De hoc Rege multa prædixit Daniel in cap. Prophetiæ suæ 8. vers. 9. vsq; ad 15. sub typo cuiusdam cornu modici, quod posteà factum est grande, dicens: *De vno autem ex eis egressum est cornu vnum modicum: & factum est grande contra Meridiem, & contra Orientem, & contra fortitudinem. Et magnificatum est vsque ad fortitudinem cæli: & deiecit de fortitudine, & de stellis, & conculcauit eas. Et vsque ad principem fortitudinis magnificatum est: & ab eo tulit iuge sacrificium, & deiecit locum sanctificationis eius. Robur autem datum est ei contra iuge sacrificium propter peccata: & prosternetur veritas in terra, & faciet, & prosperabitur. Et audiui vnum de sanctis loquentem: & dixit vnus sanctus, alteri nescio cui loquenti: Vsquequò visio, & iuge sacrificium, & peccatum desolationis, quæ facta est: & sanctuarium, & fortitudo conculcabitur? & dixit ei: Vsque ad vesperam & manè, dies duo millia trecenti: & mundabitur sanctuarium.* sic Daniel. Quæ omnia, quomodo Regi Antiocho competant, ex inferiùs dicendis manifestum fiet. Item in eodem Danielis capite, vers. 23. veluti ad aliqualem prædictorum declarationem, hæc subiunguntur: *Et post regnum eorum, cùm creuerint iniquitates, consurget Rex impudens facie, & intelligens propositiones. & roborabitur fortitudo eius, sed non in viribus suis: & suprà quàm credi potest, vniuersa vastabit, & prosperabitur, & faciet. Et interficiet robustos, & populum Sanctorum secundùm voluntatem suam, & dirigetur dolus in manu eius: & cor suum magnificabit, & in copia rerum omnium occidet plurimos: & contra principem principum consurget, & sine manu conteretur.* hactenus verba Danielis. super quæ B. Hieronymus ita scribit: *Consurget Antiochus Epiphanes filius* (*filius* inquit, sed voluit dicere *frater*) *Seleuci, qui & Philopator appellatus est. Qui cum obses fuisset Romæ, & nesciente Senatu per dolum cepisset imperium, contra Ptolemæum Philometorem dimicauit; hoc est cōtra Meridiem, & contra Aegyptum. Rursumq; ad Orientem contra eos qui res nouas in Perside moliebantur. Ad extremum, contra Iudæos dimicans, capta Iudæa, ingressus est Ierosolymam, & in templo Dei simulacrum Iouis Olympij statuit; & vsque ad fortitudinem cæli, id est filios Israel, qui Angelorum vallabantur auxilio, erexit magnificentiam suam; ita vt de Sanctis plurimos idololatriæ subiiceret, & velut stellas cæli conculcaret pedibus suis. Atque ita factum est, vt & Meridiem & Orientem, id est, Aegyptum & Persidem, suo teneret imperio. Quodq; ait: Vsque ad principem fortitudinis magnificatus est.] hoc significat, quòd erectus sit contra Deum, & Sanctos illius persecutus sit; & tulerit ἐνδελεχισμὸν, id est iuge sacrificium, quod manè offerebatur & vespere, & polluerit atque deiecerit locum sanctificationis eius: & hoc non sua virtute, sed propter peccata populi. Atque ita factum est, vt veritas prosterneretur in terram,*

DECLARANTVR PRAEDICTA VATICINIA EX B. HIERONYMO.

& cul-

& cultu idolorum florente, Dei religio conquiesceret. hucusque S. Hieronymus.

4. Quoniam autem hic Rex, nempe Antiochus Epiphanes, vt diximus, insignis futurus erat figura Antichristi; & quòd in illo ex parte præcedere debebat, in hoc ex toto erat implendum: propterea, iuxta morem sacræ Scripturæ, quæ futurorum veritatem typis præmittere atque adumbrare solet, Daniel etiam cap. 11. vers. 21. vsque ad finem capitis 12. vbi de Antichristo vaticinatur, nonnulla quoque ibidem intermiscet, quæ ipsi Antiocho apposite competunt. Sic Dauid in Psalm. 71. cui titulus est, *In Salomonem*, de Christo prophetans, quamuis quędam dicat quæ etiam Salomoni, qui Christum figurabat, ad litteram conuenire poterant; plura tamen addit quæ soli Christo conueniunt; quale est illud, *Et permanebit cum sole, & ante lunam, in generatione & generationem*; & alia huiuscemodi multa, vt docent B. Augustinus lib. 17. de Ciuitat. cap. 8. sub medium, & B. Hieronymus super loco Danielis citato. Rectè ergo idem S. Hieronymus ibidem reprehendit Porphyrium, qui totum illud Prophetæ vaticinium de ipso Antiocho perperàm interpretari conatus est; cùm reverà, vt Catholici sentiunt Doctores, illud principaliter de Antichristo accipiendum sit, cui omnia in illo contenta bellè quadrant: Antiocho autem multa, & præsertim quæ in citato cap. 12. habentur, nullatenus verè aptari queant: quemadmodum idem sanctus Doctor ibidem ostendit. Quænam verò sint, quæ etiam de ipso Antiocho rectè accipi valeant, infrà suis locis explicabimus. Nunc illud tantùm hoc loco commemorandum est, quod illis Prophetæ verbis prænuntiatur: *Et stabit in loco eius despectus, & non tribuetur ei honor regius: & veniet clàm, & obtinebit regnum in fraudulentia.* Quæ vtique ex Porphyrio, quem ibidem refert B. Hieronymus, sic interpretari rectè possumus, videlicet: Et stabit in loco Seleuci, frater eius Antiochus Epiphanes, cui primùm ab his qui in Syria Ptolemæo fauebant, non dabatur honor regius; sed posteà simulatione clementiæ, obtinuit regnum Syriæ. ANTIOCHVS EPIPHANES FVIT ANTICHRISTI FIGVRA.

5. Igitur intra primum circiter regni huius Antiochi annum hæc contigisse oportet: Primò, ipse Antiochus Syriæ regnum, quod non sibi, sed Demetrio filio Seleuci fratris sui iam defuncti debebatur, simulata clementia, vt dictum est, fraudulenter obtinuit. Deinde acta sunt, quæ breuiter tanguntur 1. Machab. cap. 1. vers. 12. vsque ad 17. & fusiùs explicantur 2. Machab. cap. 4. vers. 7. vsque ad 21. de quibusdam sceleratis Iudæis, qui Regem impium adeuntes, obtinuerunt ab eo facultatem profanandi Ierosolymam, & transferendi contribules suos ad ritus Gentium. Fuit autem perditorum horum hominum caput Iason Oniæ summi Sacerdotis frater; qui corrupto muneribus Rege, summum Sacerdotium fratri ablatum in se transtulit; & statim ciuium iura destituens, praua cœperat instituta sancire. Quin etiam Gymnasio sub ipsa arce constituto, optimos quosque epheborum in lupanaribus ponere, & neglecto, vel potiùs contempto Dei cultu, multa alia Gentilium scelera in populo suo nequiter introducere non est veritus; vt pleniùs videre est locis proximè citatis. QVAE ANTIOCHI PRIMO ACTA FVERINT.

6. Eodem tempore (quemadmodum ex B. Augustino refert S. Antoninus Historiarum suarum part. 1. tit. 4. cap. 4. §. 13.) ignis ille sacer, qui olim ex aqua crassa sub Nehemia (vt nos sub anno mundi 3610. num. 8. diximus) mirabiliter eductus fuerat, ac deinceps in altari holocautomatum à Sacerdotibus, iugi lignorum appositione, vsque ad hæc tempora conseruatus, mirabiliter quoque, ad præfati Iasonis Simoniæ aliorumque scelerum detestationem, extinctus est. IGNIS SACER IN TEMPLO DESIIT.

AB ORBE CONDITO ANNVS 3880. | SEXTÆ MVNDI ÆTAT. ANNVS 434.

1 ANNO proximo, qui pro maiori parte concurrit cum anno primo regni sui, Antiochus cùm se in regno Syriæ satis iam confirmatum vidit, Ægypti quoque regnum occupare ambiens, sub prætextu tutelæ suscipiendæ Regis Ptolemæi Philometoris nepotis sui, qui tum poterat decimumsextum aut decimumseptimum ætatis annum agere; misit Apollonium Mnesthei filium in Ægyptum, vt induceret Primates dicti Ptolemæi, ad resignandam sibi pacificè nepotis sui pupilli tutelam. Verumtamen, vt cognouit se ab illis, tamquam de regni vsurpatione suspectum, excludi, ac alienum reputari ab administratione & negotiis regni Ægypti; cogitauit vi sese in dicti pueri tutelam introducere, atque hoc pacto sibi totam Ægyptum subiugare. Itaque non pupilli, sed propriis vtilitatibus consulens, exercitum comparare cœpit: ipse verò interim venit in Ioppen, & inde diuertit in Ierusalem, vbi ab Iasone & ciuitate ANTIOCHVS EPIPHANES PACIFICE TENTAT OCCVPARE AEGYPTVM.

cum facibus & laudibus honorificentiſſimè ſuſceptus eſt; vnde poſteà in Phœnicem rediit, vt inſtructa claſſe, cum exercitu pergeret in Ægyptum: 2. Machab. cap. 4. verſ. 21. & 22.

AB ORBE CONDITO ANNVS 3881. — SEXTAE MVNDI AETAT. ANNVS 435.

ANTIOCHVS OCCVPAT ET VASTAT AEGYPTVM.

1 ANNO, vt arbitror, regni ſui ſecundo circiter ineunte, Antiochus aggreſſus eſt Ægyptum cum magno exercitu, & elephantis, & copioſa nauium multitudine; & fugato Ptolemæo (hoc eſt Ptolemæi Ducibus) cepit ciuitates munitas, & accepit ſpolia terræ Ægypti, vt dicitur 1. Machab. cap. 1. verſ. 17. vſque ad 21. Et hoc eſt quod ſubobſcurè prædixerat Daniel cap. 11. verſ. 22. dicens: *Et brachia pugnantis expugnabuntur à facie eius, & conterentur*, & quæ ſequuntur. Hæc namque verba ſic videtur exponere B. Hieronymus, ac ſi diceretur: *Et brachia Ptolemæi expugnata ſunt atque contrita à facie Antiochi. Brachia autem*, inquit, *fortitudinem vocat.* Sed fortè hîc magis propriè brachia dici poſſunt duo Ptolemæi Duces, de quibus idem Sanctus ibidem poſt pauca mentionem facit, exponens illa Prophetæ verba quæ ſequuntur, videlicet: *Inſuper & Dux fœderis. Et poſt amicitias, cum eo faciet dolum: & aſcendet, & ſuperabit in modico populo. Et abundantes, & vberes vrbes ingredietur: & faciet quæ non fecerunt patres eius, & patres patrum eius: rapinas, & prædam, & diuitias eorum diſsipabit, & contra firmiſsimas cogitationes inibit: & hoc vſque ad tempus.* hæc, inquam, explanans S. Hieronymus, ſic ait: *Cùm ipſe* (& loquitur de Antiocho) *obtuliſſet pacem Ptolemæo, & fuiſſet Dux fœderis, poſteà eſt ei molitus inſidias. Ptolemæum autem hîc non Epiphanem ſignificat, qui quintus regnauit in Aegypto; ſed Ptolemæum Philometorem filium Cleopatræ ſororis Antiochi, cuius hic auunculus fuit. Et cùm poſt mortem Cleopatræ, Eulaius eunuchus nutritius Philometoris, & Lenæus, Aegyptum regerent, & repeterent Syriam, quam Antiochus fraude occupauerat; ortum eſt inter auunculum & puerum Ptolemæum prælium. Cumq; inter Peluſium & montem Caſsium commiſiſſent, victi ſunt Duces Ptolemæi. Porrò Antiochus parcens puero, & amicitias ſimulans, aſcendit Memphim; & ibi ex more Aegypti regnum accipiens, puerią; rebus ſe prouidere dicens, cum modico populo omnem Aegyptum ſubiugauit ſibi, & abundantes atque vberrimas ingreſſus eſt ciuitates. Fecitq; quæ non fecerunt patres eius, & patres patrum illius: nullus enim Regum Syriæ ita vaſtauit Aegyptum, & omnes eorum diuitias diſsipauit; & tam callidus fuit, vt prudentes cogitationes eorum, qui Duces pueri erant, ſua fraude ſubuerteret.* hæc ex Porphyrio ſanctus Doctor.

AB ORBE CONDITO ANNVS 3882. — SEXTÆ MVNDI ÆTAT. ANNVS 436.

ANTIOCHVS REDIT IN SYRIAM.

1 ANNO poſtero, vt arbitror, Antiochus cùm Alexandriam expugnare non potuiſſet, redire in Syriam, neſcio qua de cauſa, compulſus eſt; ſpoliata reliqua Ægypti terra, vt dicitur 1. Machab. cap. 1. verſ. 20. & valido admodum relicto Peluſij præſidio, quo (vt notat T. Liuius Decad. 5. lib. 5.) Ægypti clauſtra teneret, & cùm vellet rurſus ibi exercitum poſſet inducere, rediit in Syriam.

MENELAVS IASONEM PONTIFICATV SPOLIAT.

2. Sub finem eiuſdem anni, quando ſcilicet Antiochus iam cœperat ingredi quartum regni annum, nempe poſt triennij tempus ex quo Iaſon ſummum Sacerdotium fratri Oniæ ſurripuerat, vt ſignanter notatur 2. Machab. cap. 4. verſ. 23. Menelaus quidam illius Simonis frater, cuius ſub anno mundi 3868. num. 2. mentionem fecimus, & de quo etiam numero proximo agemus, à Iaſone miſſus vt ferret pecunias Regi, eumdem Iaſonem Pontificatu ſpoliauit, plura Regi talenta pollicitus. Itaque impius Iaſon, qui Pontificatum proprio fratri malis artibus ſurripuerat, iuſto Dei iudicio non ſolùm ipſe quoque deceptus fuit, ſed etiam profugus in Amanitidem regionem expulſus. Verumtamen & ipſe Menelaus Regi deinde promiſſa præſtare cùm neglexiſſet, vel fortè non potuiſſet, amotus eſt à Sacerdotio; & ſucceſſit ei Lyſimachus frater, vt dicitur loco Machab. citato vſque ad verſ. 30.

MENELAO SVCCEDIT LYSIMACHVS FRATER.

SIMON, MENELAVS ET LYSIMACHVS FRATRES, DE QVA TRIBV FVERINT.

3. Verum hîc de prædicto Simone, & fratribus eius Menelao & Lyſimacho, dubitari meritò poteſt, num reverà fuerint de tribu Beniamin, quemadmodum legimus 2. Machab. cap. 3. verſ. 4. an verò, vt quidam putarunt, textus ille Sacer numero præcedenti allegatus, qui ait Menelaum fuiſſe dicti Simonis fratrem, interpretandus ſit, vt non natura, ſed moribus frater illius fuerit. Et ratio dubitandi eſt, tum quia vbi dictus

Simon

Simon dicitur fuisse de tribu Beniamin, dicitur etiam quòd constitutus fuerat templi Præpositus: quod munus non videtur nisi hominibus de tribu Leui dari potuisse; tum quia Menelaus & Lysimachus dicti Simonis fratres, vt dictum est, vnus post alterum facti sunt summi Sacerdotes. Ad hoc videtur posse responderi, prædictam interpretationem, videlicet quòd non naturâ sed moribus Simonis frater fuerit, nullatenus esse admittendam, tamquam contrariam regulæ B. Augustini communiter receptæ, quæ habet: *In Scripturis sacris numquam à propria verborum significatione esse discedendum, nisi grauis causa vrgeat*; quod in casu nostro non militat. Etenim, vel dici potest verè eos fuisse de tribu Leui; sed tamen appellari de tribu Beniamin, quòd in ea tribu aliquamdiu habitassent. Nam cùm tribus Leui propriam in tribubus Israel possessionem non haberet, nec inter duodecim tribus connumerari solita esset; poterat quilibet Leuita ei tribui adscribi, in cuius finibus habitare consueuerat. Illustre huius rei exẽplum habemus Iudic. cap. 17. vers. 7. vbi dicitur: *Fuit quoque alter adolescens de Bethleem Iuda, ex cognatione eius*: siue, vt habet editio LXX. Interpretum, *de populo Iuda*: vel vt Chaldaica Paraphrasis, *ex prosapia Iehuda: eratq; ipse Leuites*. Ecce hic qui verè erat Leuites, dicitur Bethleemita, & de populo, seu cognatione, vel prosapia Iudæ; quoniam in Bethleem tribus Iudæ manere solebat. Vel alio modo, & multò meliùs dicere possumus, memoratum Simonem & fratres eius fuisse de tribu Beniamin, saltem ex parte patris; sed per potentiam, eò quòd diuites valdè essent; & item ob Antiochi Regis impietatem atque auaritiam, in Sacerdotium fuisse intrusos, contra Moysaicam Legem, quæ Numer. cap. 3. vers. 10. apertè prohibebat quemquam fieri Sacerdotem, nisi esset de posteris Aaron. Vnde de Alcimo, qui posteà Pontificatum à Demetrio Rege obtinuit, & prædictis fratribus succedebat, dicebant Iudæi 1. Machab. c. 7. vers. 14. *Homo Sacerdos de semine Aaron venit, non decipiet nos*. Quibus verbis proculdubiò videtur indicari, præcessisse aliquos qui non essent de semine Aaron; prædictos scilicet fratres, Lysimachum & Menelaum; & hinc comprobari potest quod sub anno mundi 3721. num. 2. diximus; videlicet, falsam esse assertionem Iosephi, qui 12. Antiquit. cap. 6. & lib. 15. cap. 3. & lib. 20. cap. 8. post medium ait, quòd Menelaus alio nomine appellabatur Onias, & quòd fuit frater illius Oniæ, quem idem posteà Menelaus per Andronicum Antiochiæ Præfectum curauit interfici. Nam si Menelaus (vt apertè testatur Scriptura 2. Machab. cap. 4. vers. 23. & 29.) fuit frater Simonis & Lysimachi; & iste Simon non erat de semine Aaron, vt ratio proximè adducta ostendit: vtique necessariò consequitur, eumdem Menelaum nullatenus potuisse fratrem esse dicti Oniæ.

ONIAS III. VBI, QVANDO, ET A QVO OCCISVS.

4. Per idem tempus contigit Antiochum Regem properare in Ciliciam, vt Tharsenses & Mallotas, quòd Antiochidi eiusdem Regis concubinæ dono essent dati, seditione commotos sedaret, relicto interim pro se in Antiochia vno ex comitibus suis, nomine Andronico: cui cùm Menelaus aurea quædam vasa è templo furtim sublata donasset, & alia item Tyri ac per vicinas ciuitates impiè vendidisset, ac de eiusmodi sacrilegiis ab Onia viro iusto redargutus fuisset: ecce Andronicus, Menelao suadente, dictum Oniam Antiochiæ secus Daphnem tuto loco se continentem, de Asylo, data fide, euocatum, nequiter interemit. Quod cùm Antiocho, posteaquàm de Cilicia rediit, delatum fuisset, eumdem Andronicum Rex, in eodemmet loco in quo Oniam necauerat, interfici voluit: 2. Machab. cap. 4. vers. 30. vsque ad 39.

DECIMA ROMANI REGIMINIS MVTATIO.

5. Eodem anno, qui fuit Vrbis conditæ quingentesimus octogesimus secundus, Romæ primùm duo è plebe simul Consules creati sunt, quemadmodum notatum est in tabulis Capitolinis. & hæc fuit decima Romani regiminis mutatio. Sicuti ergo ante primum Consulem plebeium, ambo Consules semper patricij fuerunt; deinde patricius & plebeius; aliquando item ambo patricij: ita posthac patricij Consules ambo numquam erunt ante Cæsaris Dictatoris tempora, plebeius vterque sæpè, plebeius & patricius sæpissimè. Quamuis enim Lex, qua iubebatur, vti liceret ambos Consules plebeios creare, lata esset (vt ait Liuius) anno Vrbis quadringentesimo duodecimo; numquàm tamen nisi hoc primum anno seruata est. Fuerunt autem hi Consules C. Popilius Lænas & P. Ailius Ligus, ambo Ligures, vt tradunt Sigonius & Onuphrius in suis Fastorum Commentariis.

INITIVM BELLI SECVNDI MACEDONICI.

6. Eodem anno, vt ex Sigonio in suis Fastorum Commentariis constat, Romani bellum susceperunt contra Perseum Macedoniæ Regem; ex cuius nomine bellum etiam Persicum dictum est; fuitque Macedonicum secundum, quia primum cum patre eius Philippo gestum fuerat, vt suo loco dictum est. Belli huius causa dicitur fuisse, quòd dictus Perseus contra fœdus cum Philippo eius patre ictum, & post illius mortem, cum ipsomet renouatum, sociis P. R. arma intulisset, & belli parandi aduer-

ſus P.R. conſilia iniſſet, arma, milites, claſſem eius rei cauſa comparaſſet. Onuphrius initium dicti belli, de quo plura Liuius, Plutarchus, Eutropius, & alij, confert in annum inſequentem. Perdurauit autem hoc bellum integro quadriennio, vt tradit T. Liuius Decad. 5. lib. 5. non procul ab initio.

AB ORBE CONDITO ANNVS 3883. SEXTÆ MVNDI ÆTAT. ANNVS 437.

IVBILEVS VIGESIMVS SEXTVS.

1 ANNO inſequenti neceſſe eſt incidiſſe annum Iubilei vigeſimi ſexti: ſiquidem iſte annus concurrit cum anno ab introitu Iſraelis in terram Chanaan milleſimo trecenteſimo, vt patet in tabulis.

LYSIMACHVS A POPVLO OCCIDITVR.

2. Eodem anno, vt credimus, circiter deſinente (oportet enim interuallum plus vnius anni, inter ſpoliatum à Menelao Iaſonem & Lyſimachi necem interceſſiſſe) cùm idem ſummus Sacerdos Lyſimachus, ob multa ſacrilegia de Menelai fratris conſilio in templo commiſſa, Ieroſolymitani populi conſpiratione, ſecus ærarium fuiſſet interemptus; & hac de cauſa Menelaus quoque ſacrilegus apud Regem, qui ad Tyrum venerat, fuiſſet accuſatus: videns Menelaus ſe in ſummo diſcrimine, & non aliter poſſe iudicium Regis euadere; corrupto larga pecuniarum ſponſione quodam Ptolemæo, cui cognomen erat Macer, qui creditam ſibi à Philometore Ægypti Rege Cyprum deſeruerat, atque ad Antiochum Nobilem (vt dicitur 2. Machab. cap. 10. verſ. 12. & 13.) tranſierat; per hunc Ptolemæum, quem Rex Cœleſyriæ ac Phœniciæ, vt colligitur 2. Machab. cap. 8. verſ. 8. præfecerat, vafer Menelaus non ſolùm ſe præter omne ius faſque abſolui, ſed etiam (quod iniquius fuit) accuſatores, quantumuis innoxios, morte damnari facilè impetrauit; ac deinceps, propter auaritiam eorum qui potentes erant apud Regem, ipſe item in poteſtate permanens, creſcebat in malitia ad ciuium ſuorum inſidias, vt dicitur 2. Machab. cap. 4. verſ. 39. vſque ad finem capitis. Vbi, ſi ad illud *permanens in poteſtate*, ſubiungendum eſſet *Pontificia*; oporteret Menelaum poſt necem Lyſimachi fratris iterùm per vnum aut alterum dumtaxat annum tenuiſſe Pontificatum: quia certum eſt, quòd vt traditur 2. Machab. cap. 14. verſ. 3. Alcimus, qui poſteà à Demetrio Rege Pontificatum obtinuit, iam aliàs fuerat Pontifex tempore commiſtionis, nempe populi Iudaici cum Gentibus, quando ſcilicet Rex Antiochus Epiphanes polluto templo compellebat Iudæos ſeſe Gentilium ritibus & ſacrificiis immiſcere; quod tertio pòſt abhinc anno accidiſſe, ex conſequentibus apparebit. Vnde etiam conſequeretur, Alcimum tunc immediatè Menelao adhuc viuenti ſucceſſiſſe. Sin autem illud *permanens in poteſtate*, ſeu (vt eſt apud LXX. Interpretes) *in Principatu*, habet hunc ſenſum, quòd ſcilicet Menelaus Principum fauore fultus, poteſtate præualeret inimicis ſuis, vt quoquomodò innuere videntur, quæ ibidem ſubſequuntur, *creſcebat in malitia ad ciuium ſuorum inſidias*; oportet quòd per hæc circiter tempora, hoc eſt poſt Lyſimachi obitum, Alcimus ab Antiocho Epiphane primò Pontifex creatus fuerit; & quòd in ea dignitate permanſerit vſque ad tempus dictæ commiſtionis; quando, ne Regis gratiam perderet, vltrò in eſcis ac ſacrificiis Gentilium coinquinari maluit. Quo facto, ſeipſum Pontificatu indignum atque incapacem reddidit. Vnde hæc poſteà dignitas ad Machabæos tranſlata eſt, quemadmodum ſub anno mundi 3721. num. 2. iam dictum eſt; & denuò ſub annis mundi 3887. num. 5. & 3892. num. 1. dicendum erit.

ALCIMVS FVIT PONTIFEX TEMPORE COMMISTIONIS.

AB ORBE CONDITO ANNVS 3884. SEXTÆ MVNDI ÆTAT. ANNVS 438.

ANTIOCHVS PARAT SECVNDAM PROFECTIONEM IN AEGYPTVM, ET INTERIM IEROSOLYMIS PRODIGIA OSTENSA VIDENTVR.

1 ANNO regni Antiochi ſexto, vt notatum eſt in tabulis, Antiochus parauit ſecundam expeditionem in Ægyptum. Accidit autem eodem tempore, nimirum ſub finem, vt arbitror, eiuſdem anni, videri Ieroſolymis portenta quædam futurorum malorum præſagia: apparuerunt enim in aëre per quadraginta dies continuos, veluti exercitus quidam armatorum, equitum ſcilicet & peditum in cælo diſcurrentium, atque inuicem congredientium, quæ multis timorem incutiebant; alij autem precabantur hæc eadem omnia in bonum, hoc eſt ad præſidium ciuitatis conuerti: 2. Machab. cap. 5. verſ. 2. vſque ad 5. Similia arma cæleſtia inter ſe concurrentia, tertio Martij Conſulatu, ab Amerinis & Tudertibus ſpectata fuiſſe, ſcribit Plinius lib. 2. cap. 57. & alia eiuſmodi plura relata inuenies in Theatri humanæ vitæ volumine 5. lib. 4. ſub titulo, *Prodigia, Oſtenta*. Ceterùm, quia hæc ſunt Dei monita, quibus ſigni-

significare solet hominibus id quod in Psalm.7. vers.13. exclamabat Regius Propheta dicens: *Nisi conuersi fueritis, gladium suum vibrabit, arcum suum tentendit*, &c. propterea saluberrimum consilium est, quòd in eiusmodi quadam occasione protulisse fertur Carolus Magnus, idemque valdè pius Imperator; nimirum, gratias agendas Deo, quòd imminentes peccatorum nostrorum castigationes talibus indiciis præmonstrare dignetur, ac deinde totis viribus enitendum, vt pœnitentiæ remediis, eius misericordiam, quæ cunctis operibus suis præualere solet, consequi mereamur.

AB ORBE CONDITO ANNVS 3885. SEXTÆ MVNDI ÆTAT. ANNVS 439.

1 ANNO subsequente circiter ineunte, videlicet post exactum biennium ex quo de Ægypto in terram suam redierat Antiochus, vt notat B. Hieronymus super Danielis cap. 11.vers.29.dicens: *Et post biennium, rursum contra Ptolemæum exercitum congregauit, & venit ad Austrum. Cumq; duo fratres Ptolemæi, Cleopatræ filij, quorum ipse auunculus erat, obsiderentur Alexandriæ; Legati venere Romani. Inter quos Marcus Popilius Lænas, cùm Regem stantem inuenisset in littore, eiq; Senatusconsultum dedisset, quo iubebatur ab amicis Populi Romani recedere, & suo imperio esse contentus; & ille ad amicorum responsionem, consilium distulisset: orbem dicitur fecisse in arenis baculo quem tenebat in manu, & circumscripsisse Regem, atque dixisse: Senatus & Populus Romanus præcipiunt, vt in isto loco respondeas quid consilij geras. Quibus dictis ille perterritus, ait: Si hoc placet Senatui & populo Romano, recedendum est. atque ita mouit exercitum.* hucusque S. Doctor. Et eadem ferè ad verbum de prædicto Popilio leguntur apud T. Liuium Decadis 5. lib.5. Iustinum lib. 34. & Appianum sub finem lib. de Bellis Syriacis. Et hoc est quod longè antè prædixerat de dicto Antiocho Daniel cap. 11. vers. 29. & 30. vbi ait: *Statutò tempore reuertetur, & veniet ad Austrum: & non erit priori simile nouissimum. Et venient super eum Trieres, & Romani: & percutietur, & reuertetur*, &c. Ecce quomodo apertè prædixit Propheta hanc Antiochi secundam in Ægypto expeditionem, & fuisse nouissimam (numquam enim posteà rediit in Ægyptum,) & non fuisse similem primæ: siquidem illa fuit satis felix; hæc verò nequaquam. Et causam insuper infelicitatis subiungit; subobscurè indicans, Legatos Romanorum nauibus superuenturos, qui ipsum Antiochum ab Ægypto, re infecta, redire compellerent. Nam quod posteà subdit Propheta, *Et percutietur*; non indicare voluit, ipsum ibi periturum: protinus enim addit, *Et reuertetur*: sed, vt ait B. Hieronymus, quòd aspera illa atque imperiosa Romanorum iussione percussus, omnem exinde in Ægyptios arrogantiæ magnitudinem deponere cogendus esset.

ANTIOCHVS IN AEGYPTVM REDIIT, SED INDE REVERTI, ROMANIS IMPERANTIBVS, COGITVR.

2. Eodem tempore, cùm fortè accidisset exire ac vulgari falsum quemdam de obitu Antiochi rumorem, Iason ille, qui nefario astu Pontificatum Oniæ fratri abstulerat, atque impiissimè gesserat, vt sub anno mundi 3878. num.4. dictum est; ac posteà pari calliditate à Menelao deceptus, & extra patriam eiectus, in Ammaniten (quemadmodum sub anno mundi 3881. num.2. retulimus) profugus secesserat; confestim assumpta militum manu, venit Ierosolymam; ac derepentè eam aggressus, fugatoque in Arcem Menelao, cepit ciuitatem, multis ciuium suorum interfectis: sed tamen Principatum, cui perditus inhiabat, obtinere non valuit; quin potiùs præter opinionem spe frustratus, in Ammaniten vnde venerat, se recipere compulsus est: & inde etiam ab Areta Arabum Tyranno eiectus, ac de ciuitate in ciuitatem, omnibus odiosus & execrabilis fugiens, in Ægyptum extrusus est; ac denique in Græciam ad Lacedæmonas profectus, ibidem insepultus atque illamentatus miserrimè interiit, dignum scelesti vita finem sortitus.

IASON OCCVPAT IEROSOLYMAM, SED INDE STATIM FVGATVR.

3. Audita ergo hac Ierosolymorum inuasione, à viro præsertim Iudæo perpetrata, Antiochus, qui tum fortè ex Ægypto, quam metu Romanorum reliquerat, indignatus reuertebatur, gentis à se defectionem suspicatus, ascendit Ierosolymam efferatis animis, vt Scriptura sacra testatur; & ciuitate capta, multisque Iudæorum millibus interfectis, atque aliis in vincula coniectis, aliis verò venumdatis, introiuit Menelao ductore, ac patriæ proditore, in sanctificationem cum superbia; ibique profanatis omnibus, accepit aurum & argentum, & vasa concupiscibilia, & thesauros absconditos; & sublatis omnibus, factoque planctu magno in Ierusalem, abiit in terram suam, hoc est in Antiochiam, relictis in Iudæa Præpositis seipso crudelioribus, qui gentem illam affligerent: nimirum Ierosolymis Philippo genere Phryge, & in Garizim Andronico & Menelao. Hæc latiùs tradita habentur 1. Machab. cap. 1. vers. 22. vsque ad 30. &

ANTIOCHVS IEROSOLYMAM CAPIT ET VASTAT, AC TEMPLVM IMPIE SPOLIAT.

2. Machab. cap. 5. verſ. 11. vſque ad 24. vbi quod dicitur verſ. 14. *Erant autem toto triduo octoginta millia interfecti, quadraginta millia vincti, non minus autem venumdati.* videtur non de ſolis Ieroſolymæ incolis, ſed computatis etiam proximarum vrbium habitatoribus, eſſe accipiendum; alioqui pauci admodum viderentur in Ieruſalem remanſiſſe; niſi fortè, qui vincti fuiſſe dicuntur, iidem poſteà ſoluti in vrbe remanſerint. Verùm hîc duo reſtant adnotanda: Alterum eſt, omnia hæc olim à Daniele prænuntiata fuiſſe, quemadmodum infrà num. 14. oſtendemus. Alterum eſt, dupliciter decipi Ioſephum 12. Antiq. cap. 7. in eo quòd primò aſſerit hanc Iudæorum cladem accidiſſe anno poſt vrbem captam ſecundo, qui erat regni Græcorum centeſimus quadrageſimus quintus: cùm econuersò conſtet, eo anno non hanc, ſed aliam de qua ſub anno mundi 3887. num. 1. agemus, accidiſſe; vt ibidem ex ipſomet Sacro textu probabimus. Deinde etiam fallitur ibidem dicens, Antiochum in vrbem apertis portis vltrò admiſſum; cùm econtrariò Scriptura ſacra 2. Machab. cap. 5. verſ. 11. apertè dicat, ipſum armis, hoc eſt armorum vi cepiſſe ciuitatem. Vnde patet, Ioſephum ibidem confudiſſe has duas Ieroſolymæ clades, quoad tempus & modum, quin etiam quoad numerum: agit enim de his ac ſi vna tantùm fuiſſet; quemadmodum ex collatione vtriuſque narrationis, nimirum ipſius Ioſephi & ſacræ Scripturæ, colligere licet.

AN INGRESSVS SIT ORACVLVM TEMPLI, ET INDE ARCAM FOEDERIS ASPORTAVERIT.

¶ 4. Ceterùm, quia ex proximè relatis certum eſt, Antiochum introiſſe in Sanctificationem, & (vt expreſsè dicitur 1. Machab. cap. 1. verſ. 23.) accepiſſe Altare aureum, & Candelabrum, & Menſam propoſitionis, quæ erant in Sancta, & omnia alia ibidem exiſtentia; & nihil meminit Scriptura ſacra Arcæ fœderis, neque Oraculi, quod Sancta ſanctorum dicebatur, in quo illa manere conſueuerat: meritò dubitari poteſt, num ingreſſus quoque fuerit in Sancta ſanctorum Antiochus, & inde etiam fœderis Arcam abſtulerit. Et ratio dubitandi eſt; quoniam ſi vera eſſet illa Hebræorum opinio, cuius nos ſub anno mundi 1540. num. 4. mentionem fecimus; nimirum quòd in ſecundo templo Arca fœderis numquam extiterit, & quòd Iudæi loco Arcæ poſuerint in Sancta ſanctorum lapidem tres digitos à terra eminentem, thuribulo eidem ſuperpoſito, vt ſcribit Genebrardus libro Chronologiæ ſuæ 2. vbi agit de his quæ ſub Ioachimi Sacerdotio geſta ſunt; profectò Antiochus (quem dubitandum non eſt, præ ſuperbia & impietate ſua, etiam templi Oraculum ingredi voluiſſe) non potuiſſet inde Arcam fœderis tollere. Verùm quia ſub anno mundi 3610. num. 10. & 15. iam ſatis probatum eſt, Arcam fœderis ab ea ſpelunca, in qua olim à Ieremia, quando Chaldæi Templum incenderunt, fuerat occultata, denuò, Duce Iudæorum Nehemia, ad ſecundum templum fuiſſe reportatam: manifeſtum eſt, eamdem inde ab Antiocho potuiſſe auferri. An verò eam abſtulerit, nec ne, hoc eſt quod nunc quærere intendimus.

5. Et quidem ex Sacris libris id ſciri non poteſt: ſed neque omnino clarè ex Ioſepho; quippe qui vtrique quodammodò parti viſus ſit patrocinari. Nam lib. 6. de Bello Iudaico cap. 6. non procul à fine capitis apertè aſſerit, quòd in intima templi parte, quæ Sancta ſanctorum dicebatur, nihil prorſus erat poſitum. Ex quo Ioſephi loco, tametſi exploditur proximè memoratum Genebrardi aſſertũ, à Talmudicis mutuatum, de lapide & thuribulo loco Arcæ repoſitis: videtur tamen confirmari opinio dicentium, eamdem Arcam vel numquam de prædicto ſpecu eductam; vel ſi aliquando inde ad ſecundum templum tranſlata fuerat, fuiſſe poſtmodum ab impio Antiocho ſublatam. At idem Ioſephus lib. 7. de Bello, c. 24. vbi inter alia Ieroſolymitani templi ſpolia, quæ à Tito Romam in triumpho delata fuiſſe ſcribit, poſt enumeratam Menſam auream, & Candelabrum pariter aureum, Legem quoque commemorat hiſce verbis: *Poſt hæc autem portabatur Lex Iudæorum, nouiſsima ſpoliorum.* Et quibuſdam interpoſitis, vbi ait Veſpaſianum Paci templum ædificaſſe, in eoq; omnia, quorum viſendi ſtudio homines per totum orbẽ vagabantur, collecta depoſuiſſe; ad extremum in calce capitis ſubiungit eumdem Imperatorẽ in eo fano etiam quæ Iudæorum fuerat inſtrumenta repoſuiſſe; Legẽ verò eorum, & penetraliũ vela purpurea, in palatio condita aſſeruari præcepiſſe.

QVID LEGIS NOMINE IOSEPHVS ACCEPERIT

6. Sed hîc quæri poteſt, quid Legis nomine ſignificare voluerit Ioſephus. Nam ſi codicem Moyſaicæ Legis, id eſt, illummet Deuteronomij librum, quem idem Moyſes morti proximus deſcripſerat, atque ad latus Arcæ fœderis reponi mandauerat, vt ſub anno mundi 2583. num. 30. dictum eſt: videtur concedi poſſe, vel Arcam fœderis numquam in ſecundo templo extitiſſe, vt ſuprà tetigimus; vel ipſam ab Antiocho aut ab alio aliquo inde fuiſſe ablatam: alioqui, ſi remanſiſſet in templo vſq; ad poſtremam ipſius euerſionem à Tito factam, credibile eſt, quòd tunc ipſa quoque cum ceteris rebus ſacris ab eodem Romam tranſlata fuiſſet. Si verò per Legem, duas Legis tabulas lapideas digito Dei ſcriptas; & has non quidem nudas (nuſquam enim legimus illas

ex

ex quo semel in Arca per Moysen impositæ fuerant, inde vnquam amplius fuisse eductas) sed Arca inclusas, intelligi voluit Iosephus; proculdubio necesse est fateri, aut Antiochum minimè in Sancta sanctorũ intrasse; aut si introiuit, non abstulisse Arcã, sed ab ea tantummodò aurum, & si quid aliud ibi pretiosum inuenerat, sublatum asportasse.

7. Quid igitur dicendum? Certè, vt liberè proferam quod sentio, non videtur Iosephus nomine Legis signare voluisse Deuteronomij volumen Iudæis quondam à Moyse relictum; quoniam probari non potest, neque verisimile est, ipsum remansisse in templo vsque ad tempora Titi: siquidem illud, Iosia regnante, vt traditur 2. Paralip. cap. 34. in quodam templi Gazophylacio, vbi reponebantur pecuniæ, casu inuentum, deuenit primò in manus Helciæ Sacerdotis, deinde Saphan Scribæ, postremò Regis; nec posteà sciri potest, vtrùm penes Regem remanserit, an vbi deinceps repositum fuerit. Sed esto, tunc iterùm in templum, quod probabilius videtur, reportatum sit; certum est, quòd quando Chaldæi templum incenderunt, omnia ibidem existentia partim consumpta, partim dissipata fuere: & licet per idem tempus Ieremias absconderit Arcam, & Candelabrum, & eiusmodi alia, in monte Nebo, vt sub anno mundi 3447. n. 8. dictum est: attamen, quòd cum his quoque prædictum librum occultauerit, nusquam reperimus scriptum. Quòd si demus, ipsum vel tunc à Ieremia, vel aliàs ab aliquo alio inde asportatum esse, ac postmodum vel à Nehemia, vel ab Esdra Sacros libros conquirentibus, ac Bibliothecam instruentibus, inuentum, & in secundo templo fuisse repositum, ibidemque deinceps remansisse; oporteret eumdem Antiochi temporibus denuò inde fuisse sublatum, & alicubi absconditum, quando scilicet ipso iubente profanatum est templum, & libri Legis Dei diligenter conquisiti scindebantur, & igni comburebantur, quemadmodum traditur 1. Machab. cap. 1. vers. 59. Quin etiam opus esset supponere, eumdem librum iterùm ab illo exterminio ereptum, posteà in eodẽ templo restitutum, & mox in eo quod extruxit Herodes, fuisse repositũ; de quibus tamen omnibus nihil certi adferre aut asserere possumus: nec facilè credi potest, volumen illud toties de loco ad locũ repentè translatum, ac sæpè etiam, vt probabile est, in locis subterraneis valdeq; vliginosis, ne ab hostibus inueniri posset, diutiùs detentum, vsque ad tempora Titi naturaliter perdurare potuisse; sed magis in tanta temporum diuturnitate (nimirum plus mille quingentorum quadraginta annorum interuallo, quod ab obitu Moysi ad triumphum Titi fluxisse certum est) iam omnino fuisse consumptum.

NON DEVTERONOMII VOLVMEN AVTHENTICVM SEV EXEMPLARE.

8. Neque item videtur Iosephus loco allegato intelligere voluisse aliquem alium Moysaicæ Legis seu Deuteronomij codicem, à primo illo, priusquam nimia vetustate deficeret, transumptum: (solebant enim de antiquo illo volumine alia exemplaria describi, quemadmodum in eiusdem Deuteron. c. 17. vers. 18. præcipitur; nempe, vt Rex *postquam sederit in solio regni sui, describat Deuteronomium Legis in volumine, accipiens exemplar à Sacerdotibus Leuiticæ tribus, & habebit secum legetq; illud omnibus diebus vitæ suæ, vt discat*, &c.) quandoquidem huiuscemodi exemplaria postmodum valdè multiplicata esse certum est: constat enim quòd Antiochi Epiphanis temporibus non modò apud Iudæos plurima iam habebantur, quæ in Maspha orantes expandebant coràm Domino, quemadmodum dicitur 1. Machab. cap. 3. vers. 48. sed etiam non pauca ex tunc ad manus Gentilium iam deuenerant; ex quibus, vt ibidem obiter tangitur, scrutabantur Gentes similitudinem simulacrorũ suorum: siue *quia*, vt ait Lyranus, *ex ipsorum etiam lectione volebant conuincere Iudæos, licere sibi facere simulacra; quoniam in Sancta sanctorum iusserat Moysaica Lex fieri imagines Cherubim*: siue (quemadmodum exponit Rupertus Commentariorum suorum in Genes. lib. 6. cap. 15. in fine capitis) *vt ad normam diuinæ Legis exhiberent simulacris suis ritum & ordinem sacrificiorum.* Posterioribus quoque temporibus, nimirum Cæsare Augusto imperante, nouimus ad fauorem Iudæorum ab eodem Imperatore, publico edicto, sub pœna sacrilegij & confiscationis bonorum, cautum fuisse, ne quis eorumdem Sacros libros furari auderet, vt videre est apud Iosephum 16. Antiq. cap. 10. Vnde patet, tunc temporis adeò frequenter dictos libros à Gentilibus expeti & furto surripi consueuisse, vt edicto Imperatorio ad id compescendum opus fuerit. Cùm igitur Augusti tẽporibus tot Moysaicæ Legis exemplaria per multas orbis plagas iam disseminata essent; quis dubitet, plurima etiam Romæ Vespasiano imperante extitisse? vt proptereà credendum non sit, quòd vnum ex his tanti fieret, quod in Titi triumpho sollemniter cum Mensa & Cãdelabro, quæ erant admodum sacra, postremo ac nobiliori loco tamquam res sacratissima, deferri debere videretur; & quod posteà non in fano cum ceteris rebus mirabilibus, sed in proprio Imperatoris palatio, quasi res omnium mirabilior ac pretiosior asseruari deberet.

NON DEVTERONOMII EXEMPLAR.

9. Igitur multò probabilius videtur, Iosephum loco sæpiùs allegato per Legem

non

SED ARCAM LEGIS TABVLAS CONTINENTEM.

non librum Legis, sed fœderis Arcam Legis tabulas continentem significare voluisse: sic enim videtur locum illum intellexisse Auctor Historiæ Scholasticæ Iudith cap. 3. vbi ait, quòd inter manubias, quas tulerunt Romani de Iudæa, leguntur translata Arca Domini, Candelabrum, & Mensa. Et quidem si verum est (quemadmodum ex Ieremiæ Prophetia sub anno mundi 3610. num. 14 probauimus) quòd locus ille, in quo olim ipse Ieremias Arcam abdiderat, postmodū solutæ captiuitatis tempore reuelandus erat; & quòd ipsa Arca Nehemiæ temporibus inuenta, atque ad secundum templum reducta est: cùm probari nullo modo possit, ipsam deinde ab vllo alio de Iudæa aliò fuisse translatam, nisi à Tito Romam, vbi vsque nunc apud S. Ioannem Lateranum eius reliquiæ ostenduntur: certè videtur de ipsa fœderis Arca conuenienter accipi debere locus Iosephi adductus, cùm in memorata æde, vt palàm fertur, constet eiusdem Arcæ partem, prædicti verò codicis nihil prorsus, quod vmquam audiuerim, reperiri. Illud quoque eamdem sententiam videtur comprobare posse, quòd, vt ex Iosepho ibidem colligitur, Vespasianus Imperator extructo Pacis templo, dicitur posuisse quidem in eo Mensam propositionis, & Candelabrum aureum; at verò Legem, hoc est, vt diximus, Arcam fœderis, tamquam omnium sacratissimam, cum velis penetralium purpureis, in proprio palatio, subaudi in particulari quodam eius veluti Oratorio, asseruari præcepit: non nudam, vt arbitror, sed prædictis inuolutam velis: sic fortasse ab aliquo Iudæorum edoctus, quòd extra proprium tabernaculum eam ita haberi mandatum fuerat Numer. cap. 4. vers. 5. & quòd eamdem olim Rex Dauid in propria domo, magna cum rerum suarum subsecuta prosperitate, aliquamdiu tenuerat: nulla enim alia probabilior causa videtur posse adduci, cur Imperator magis eam cum prædictis velis, quàm alia Iudæorum sacra, penes se retinere voluerit.

DILVVNTVR OBIECTA.

10. Neque prædictis obstat, quòd in Arcu Vespasiani & Titi, in quo ipsius Titi triumphus adhuc Romæ insculptus visitur, nullum Arcæ fœderis vestigium apparere videatur. Nam quod ibi ante alia deferri conspicitur, non Arca, sed Mensa propositionis aurea est, vt sentiunt Ribera lib. 2. de Templo cap. 2. & Villalpandus ad calcem Tomi 2. in Ezechielem, & alij; & ex ipso quoque Iosepho manifestè colligi potest, qui Legem Iudæorum non ante Candelabrum, sed post omnia ipsorum sacra spolia, in eodem triumpho deportatam esse testatur. Non, inquam, hæc obstant; quia si quis diligenter consideret cælaturam in prædicto Arcu existentem, prout nunc cernitur, pluribus in locis temporum vetustate corrosam; proculdubiò non obscurè coniiciet, tria illa præcipua Iudæorum spolia fuisse repræsentata, quæ commemorat Iosephus, nimirum Mensam propositionis auream, & Candelabrum item aureum, & Legem; eo prorsus ordine, quo idem Auctor in eodem triumpho deportata describit. Nam licet primò Mensa non adhuc penitus obliterata, cui binæ etiam tubæ, quarum vsus in Iubileo fuerat, innixæ adiectæque sunt; deinde Candelabrum euidentiùs expressum cernantur; de Lege autem nihil relictum appareat: nihilominùs tres illi laureatorum portantium ordines, qui sibi inuicem vnus post alium succedere conspiciuntur, & item illi tres tituli, tribus baculis affixi, quorum singuli immediatè ante singulos illos portitorum ordines deferri euidenter cernuntur; & singuli pariter nomina rerum quibus præferebantur, olim insculpta habuisse creduntur, (quamuis posteà litteræ temporum iniuria deciderint) satis perspicuè attestantur, non Mensam Candelabrumque tantummodò, sed & postremò Legem quoque, id est, vt sæpè exposuimus, fœderis Arcam tabulas Legis continentem in eo Arcu, vel modica ex parte tantùm, propter illius tabulæ breuitatem, vel tali prospectu fuisse effigiatam, qui parum eiusdem tabulæ occuparet, essetque (vt Italicè dicimus) facta in *scurzo*, quamuis posteà eadem cælatura vel temporum diuturnitate, vt diximus, deciderit; vel vt quidam non immeritò suspicantur, à Iudæis Romæ commorantibus, qui visibile illud perfidiæ suæ à Deo castigatæ monimentum ferre non possunt, posterioribus temporibus clàm abolita fuerit; vel potiùs ab his, præsertim Rabbinis, seu de ipsorum consilio, abrasa, qui fœderis Arcam adhuc in antro montis Nebo abditam esse, & in fine mundi, ad eorumdem Iudæorum consolationem, reuelandam fore mordicus tenent, & credi ab aliis volunt. Ceterùm, quia non omnes Romam proficisci, & in memorati Titi arcu insculpta propriis oculis videre contemplarive possunt; & vtrùm quæ à nobis dicta sunt, ita se habeant, diiudicare: operæpretium duxi, eiusdem cælaturæ typum anno Domini 1597. ex marmorea eiusdem arcus tabula fidelissimè exceptum, æreisque formis excusum, & ipsius quoque arcus imaginem hîc apponere, vt & hi qui remotissimas ab Vrbe regiones incolunt, sine vllo peregrinationis labore, ex huius exemplaris aspectu, quæ diximus, vel probare, vel saltem de his iudicium ferre valeant.

11. Sed

TITI ARCVS TRIVMPHALIS ORTHOGRAPHIA.




SACRA IVDÆORVM SPOLIA IN TRIVMPHO TITI DELATA.

11. Sed dicet aliquis: Si verè Arca fœderis in triumphum Titi ducta fuit, quomodo loca Iosephi superiùs num. 5. allegata inter se conciliari poterunt? Respondeo dupliciter: Primò, si dixerimus maiorem fidem esse habendam his quæ Iosephus dicit de Lege Iudæorum in Titi triumphum delata, quàm eidem asserenti, nihil prorsus in templi Oraculo extitisse: quandoquidem hoc potuit aut parum considerate, vt quandoq; accidit, obiter've protulisse; aut vulgi opinionem, vel illorum potiùs Rabbinorum sententiam secutus, qui putabant Arcam fœderis adhuc in memorata montis spelunca asseruatam manere. In eo autem quod de Lege in triumphum Titi sollemniter deportata asseruit, non potuit vllus error interuenire; siquidem paulò antè ipsemet Auctor Populusque Romanus, rem prout gesta erat propriis spectauerant oculis: quare si in re adeò tum recens acta, cunctisque vulgata, tam apertum litteris mendacium commendasset; proculdubiò tot habuisset contra se oculatos testes, quot fuerant triumphi illius spectatores. Neque item ausus fuisset Iosephus eamdem historiam protinus ipsismet Imperatoribus Vespasiano & Tito legendam tradere, ac deinde aliis etiam Romanorum, qui in eodem bello contra Iudæos militauerant; necnon demum multis quoque Iudæorum nobilioribus viris, præcipuè verò Agrippæ Regi, vt idem Auctor lib. 1. Contra Apionem, non longè à principio testatur: vereri enim meritò potuisset, ne ab illis manifestæ falsitatis redargutus fuisset. Vel aliter & meliùs dicere possumus, vtraque Iosephi loca posse vera esse. Nam licet certum sit, Arcam fœderis Domini à diebus Salomonis & deinceps in ea templi parte, quæ Sancta sanctorum dicebatur, ordinariè asseruari consueuisse; verumtamen fieri potest, vt posterioribus temporibus, videntes Iudæi non semel contigisse, templum ab impiis quibusdam Regibus profanari, ac pertimescentes ne aliquando ipsa etiam fœderis Arca, quæ sacris rebus vniuersis in templo existentibus sanctior habebatur, in manus impiorum deueniret, ipsam de Sanctuario tulerint, & in aliquo tutiori loco clàm occultauerint; & exinde in Sancta sanctorum reverà, vt scribit Iosephus, nihil prorsus extiterit. Si enim, quemadmodum sub anno mundi 3412. num. 1. probauimus, eadem Arca non semel de priori templo à Sacerdotibus & Leuitis extracta, & alibi occultè asseruata est, ne ab impiis quibusdam Iudæorum Regibus, quales fuerunt Achaz, & Manasses in primis regni sui annis, & Amon, templum polluentibus contaminaretur; non mirum est, tale quid etiam in posteriori templo contingere potuisse, præsertim post primam eiusdem templi direptionem ab Antiocho factam: & item nihil prohibet, illud etiam posse verum esse quod idem refert Iosephus, videlicet Legem, hoc est, vt exposuimus, Arcam Legis tabulas continentem, Titi temporibus, licet tunc fortè non esset in templo, nihilominùs in excidio illo Ierosolymitano, casu, vel quorumdam proditione, fuisse à Romanis inuentam, & Romam cum aliis rebus sacris in templo repertis, in eiusdem Titi triumpho asportatam.

OBIECTIO.

RESPONSIO

12. Itaque, vt tandem ad quæsitum à capite huius disputationis propositum respondeamus, dicimus, nobis multò probabiliùs videri, Antiochum, quando, vt dictum est, hoc anno, qui erat regni eius septimus, Ierosolymitanum templum expoliauit, vel fortè diuinitus aliquo timore perculsum non intrasse in Sancta sanctorum; vel si, quod probabiliùs est, intrauit, nó abstulisse inde Arcam fœderis, sed aurum dumtaxat, quod circa ipsam erat. Etenim tunc non videtur nisi auro thesaurisque inhiasse, vt colligi potest 1. Machab. cap. 1. vers. 23. vbi dicitur, quòd *accepit argentum & aurum, & vasa concupiscibilia, & thesauros occultos quos inuenit; & sublatis omnibus abiit in terram suam.* Et confirmatur; quia ibidem, vbi summatim recensentur omnia ab eo inde sublata, nulla Arcæ fœderis, quæ tunc in Sancta sanctorum extitisse creditur, fit mentio; sed tantùm Mensæ, Candelabri, & vasorum in Sancta existentium. Præterea, si Antiochus tūc non solùm intendisset thesauros auferre, sed simul quoque Iudæorum religionem funditus euertere, quod deinde non multò pòst conatus est facere; proculdubiò non modò etiam Arcam fœderis tum abstulisset, sed magis ipsas quoque Legis tabulas, quæ sacratiùs quàm reliqua omnia colebantur, confregisset disperdidissetque: quod cùm factum non sit, datur intelligi, ipsum tunc vel dictam Arcam non attigisse, quòd fortè tum in aliquo alio loco abscondita fuisset; vel forsitan laminas dumtaxat aureas, quibus illa tegebatur, auferri iussisse; de ipsa Arca lignea, neque de tabulis lapideis quæ in ea erant, tunc temporis quidquam curasse. Quando autem posteà in animum induxit Iudæos ad ritus Gentium transferre, ac proinde abominandum in templo idolum posuit (vt paulò pòst suo loco dicemus) necesse est fateri, Arcam fœderis, & Legis tabulas in ea positas, Dei monitu aliquantò antè à Sacerdotibus & Leuitis de templo (si tamen

AD QVAESITVM RESPONSIO.

men ibidem adhuc erant) fuisse sublata,& alicubi abdita, ne in manus impiorum deuenirent,qui profectò illam tamquam veræ religionis exortes, omnino contriuissent, & pænè ad nihilum redegissent: alioqui si non hoc aut aliquo alio simili modo ab impiissimis Antiochi ministris præerepta ac præseruata fuisset, nequaquam posteà Titi temporibus Romam in eius triumpho deferri potuisset.

COROLLARIA. 13. Hæc quæ hactenus diximus,si vt nobis videtur vera sunt,vtique declarant vera pariter esse,quæ sub anno mundi 3610.num.10.& 11.adnotauimus; videlicet Primò, non esse recipiendam illorum opinionem, qui asserunt, fœderis Arcam adhuc in ea montis Nebo spelunca manere occultatam, in qua Babylonicæ captiuitatis tempore abdita fuerat; nec inde educendam aut manifestandam nisi sub finem mundi, quemadmodum ex Ieremiæ Prophetia 2.Machab.cap.2.vers.7.& 8.relata, elicere moliuntur,putantes non nisi postremis mundi temporibus fore implendam. Etenim si dicta Arca hucusque ibidem mansisset abscondita,quomodo potuisset Romam à Tito deferri? Deinde etiam hallucinari eos,qui eamdem fœderis Arcam, Legis tabulas in se habentem, in primo dumtaxat templo mansisse crediderunt, numquam autem in secundo: cùm probabile admodum sit, ipsam non in secundo tantùm, sed & in tertio aliquamdiu asseruatam fuisse; præsertim si eam Titus non aliunde,sed de ipso templo sustulisset. Oportet igitur eamdem Arcam neque nunc ab Antiocho, vt numero præcedenti dictum est,fuisse sublatam,neque postmodum à Pompeio Magno,qui (vt testatur Iosephus 14.Antiq.cap.8.) captis Ierosolymis sacros thesauros præ pietate non attigit; ergo tanto minùs Arcam fœderis,quæ erat sacratissima: sed tantummodò templum non sine magna Iudaicæ religionis læsione ingredi voluit: in cuius sacrilegij pœnam (vt hoc quoque hìc obiter commemorem,quod à multis posteà obseruatum fertur) cui priùs omnia prosperè cesserant, exinde paulatim multa euenisse aduersa, donec tandem dolosè necátus,vitam quoque infeliciter amisit. Sed neque etiam à Crasso Arcam de loco suo motam putamus: nam licet citatus Auctor eodem libro cap.12. narret,quòd pecuniam sacram quam Pompeius non attigerat, posteà Crassus contra Parthos expeditionem parans abstulerit; nihil tamen aliud contra templi religionem molitum commemorat: & certum est,quòd Crassus nihil aliud intendebat, nisi pecunias & aurũ auferre pro expensis in eo bello faciẽdis. Deniq; à nullo alio probari potest eamdem Arcam de Iudæa fuisse sublatam,nisi à Tito,qui eam,vt dictum est,tamquam ceteris templi Ierosolymitani manubiis digniorem, nobiliori loco, hoc est post alia Iudæorum spolia,Romam in suo triumpho deferri voluit; & posteà eamdem Vespasianus Titi pater in suo palatio honorificè asseruari mandauit. Ex quo primùm loco acceptæ creduntur illæ eius reliquiæ,quæ vsque nunc Romæ haberi, ac deuotionis ergô peregrinis ostendi perhibentur. Et hæc pro nunc satis de Arca fœderis: nostram modò iam cœptam narrationem prosequamur. Sed priùs etiam illud hìc notandum videtur,quòd

POMPEIVS SACRILEGII POENAS LVIT.

PROPHETIAE DANIELIS DECLARATIO. 14. Ab hoc eodem anno centesimo quadragesimo tertio regni Græcorum, in quo Antiochus Epiphanes spoliauit,vt dictum est,templum Ierosolymitanum, cœpitque vexare Iudæos,supputari debere illos bis mille trecentos dies naturales, quorum meminit Daniel in cap.suæ Prophetiæ 8.vers.14.consentiunt magis probati illius textus Expositores; aiuntque,Prophetam illo dierum numero signare voluisse præcisum tempus,quo duratura erat sæuissima hæc Iudæorum calamitas, quam contra patrias Leges,ac præcipuè sanctum Dei cultum, ab eodem impiissimo Rege Antiocho passuri erant; & mox reipsa perpessi sunt. Nec obstat,quòd longè ante prædictum annũ, nempe vsque ab initio regni eiusdem Antiochi, ad ritus Gentium Iudæi paulatim induci cœperint,vt sub anno mundi 3878.num.5.tradidimus: quia illa non tam fuit vis ab Antiocho Iudæis illata,quàm fraus ab impietate, ambitione, & auaritia Iasonis tunc summi Sacerdotis profecta, vt locis Scripturæ ibidem citatis apparet. Sed dubium est apud prefatos Expositores de tempore quo prædicti bis mille trecenti dies, qui faciunt annos sex,menses tres, & dies viginti,debeant terminari. Nam licet Propheta visus sit illos ad templi seu Sanctuarij emundationem, quæ postmodum à Iuda Machabæo facta est,voluisse deducere: inquit enim, *Vsque ad vesperam & manè, dies duo millia trecenti: & mundabitur sanctuarium.* nihilominùs, quia à prædicto centesimo quadragesimo tertio regni Græcorum anno,ad dictam templi purificationem certum est non plus sex annis intercurrere potuisse; contigit namque anno eiusdem regni centesimo quadragesimo octauo,vt infrà suo loco probabitur; propterea necessarium est, memoratos dies vltra prædictum terminum protrahere; & dicere, sensum Prophetæ non

non fuisse ibi assignare Sanctuarij emũdationem, tamquam pro vltimo dictorum dierum termino; sed potiùs addere, quòd in decursu illius temporis, hoc est, sub finem illorum dierum, ipsa quoque templi purificatio perficienda erat; quod etiam aduertit Pererius; & benè insuper videtur ex ipsa Vulgati textus punctuatione colligi posse: nam illa verba *& mundabitur Sanctuarium*, à præcedentibus perspicuè duobus punctis dirimuntur: per quod manifestè apparet, eadem rectè ad prædictum quoque sensum posse accommodari. Quem igitur conuenientem notatis diebus terminum assignabimus? Certè nil meliùs in re tam obscura coniectari possumus, nisi vel (quod citatus Auctor putat) prædictos bis mille trecentos dies in obitu Antiochi Epiphanis, acerrimi Iudæorum hostis, fuisse expletos: vel (quod magis ipse reor) post aliquot insuper à dicto obitu menses diesque, quando scilicet Eupator eius filius ac regni successor, procurante exercitus sui duce Lysia, Iudæis legitima sua concessit, vt patet ex litteris tum Lysiæ, tum ipsius Regis, tum etiam Legatorum Romanorum 2. Machab. cap. 11. registratis. Exinde enim, & deinceps, licuit Iudæis sacra maiorum suorum instituta, sacrosque ritus ac cærimonias ad Dei cultum, sine vllo prorsus timore obseruare; neque posteà ampliùs à Syriæ Regibus hac de causa molestati sunt. Ceterùm, nemo quæ nos hîc diximus, in dubium vocet, quòd prædictæ litteræ videantur datæ anno regni Græcorum centesimo quadragesimo octauo: quia Auctor lib. 2. Machab. computat annos more Chaldaico. Constat autem, annum centesimum quadragesimũ octauum Chaldaicè sumptum, concurrere, saltem magna ex parte, cum centesimo quadragesimo nono Iudaicè putato, vt patet in tabulis, & colligi potest tum ex his quæ sub anno mundi 3742. num. 4. & 5. disputauimus; tum etiam, quia ex dictis litteris apparet, quòd tunc iam mortuus erat Antiochus Epiphanes; cuius mortem incidisse anno regni Græcorum centesimo quadragesimo nono, nos infrà sub anno mundi 3890. num. 1. ostendemus. Hactenus exposuimus dictam Danielis Prophetiam, supponẽtes (vt ferè omnes supponunt) eam esse accipiendam loqui de diebus naturalibus: at verò siquis contendat illam debere accipi de diebus artificialibus, propter illa verba ibidem posita, videlicet, *Vsque ad vesperam & manè*, quæ videntur tam posse accipi in sensu disiuncto quàm coniuncto: certè quia hoc supposito, illa dierum summa efficiet tantummodò dies naturales mille centum & quinquaginta; nihil prohiberet arbitrari, Prophetam ibi voluisse notare tempus non duraturæ impeditionis diuini cultus, quam Iudæi ab Antiocho Epiphane passuri erant, sed potiùs tempus quo perseueratura erat pollutio templi, ex quo incipienda erat, vsque ad eius emundationem. Hoc namque tempus mille centum & quinquaginta dierum, ferè coincidit cum eo quod notatur Apocalyps. cap. 12. vers. 6. de quo aliisque eiusmodi, nos distinctiùs sub anno mundi 3890. num. 5. agemus.

AB ORBE CONDITO ANNVS 3886. | SEXTÆ MVNDI ÆTAT. ANNVS 440.

1 Anno Vrbis circiter quingentesimo octogesimo sexto (vt ex Fastorum Commentariis colligi potest) bellum secundum Macedonicum à Romanis feliciter confectum fuit, Perseo deuicto per L. Aimilium Paulum Consulem; qui in eiusdem Persei naue inusitatæ magnitudinis Romam reuersus, de eo triumphauit in curru aureo, vt narrat Eutropius lib. 4. FINIS SECVNDI BELLI MACEDONICI.

AB ORBE CONDITO ANNVS 3887. | SEXTÆ MVNDI ÆTAT. ANNVS 441.

1 Post duos annos, vt dicitur 1. Machab. cap. 1. vers. 30. nimirum à captis ab Antiocho Ierosolymis, ac spoliato templo, id est inchoante circiter anno regni Græcorum centesimo quadragesimo quinto, qui teste Iosepho 12. Antiq. cap. 7. incidit Olympiade centesima quinquagesima tertia, hoc est, anno eiusdem Olympiadis secundo, vt patet in tabulis; Antiochus, cùm esset admodum malè affectus erga Iudæos, eorumque religionem funditus euertere disposuisset; hæc quæ subsequenter referemus, per detestabiles ministros suos (Deo nimirum permittente, ac dæmone rem ad Iudæorum perniciem dirigente) præstari curauit. Ac primò quidem, vt eorumdem Iudæorum vires ita frangeret, ne deinde iussis suis vllatenus resistere valerent, misit Principem tributorum nomine Apollonium, eisdẽ Iudæis valdè odiosum, in Iudæam ANTIOCHVS PER APOLLONIVM VASTAT IEROSOLYMAM.

cum valido exercitu viginti duorum millium virorum, præcipiens ei, vt ante omnia viros perfectæ ætatis interficeret, imbellem verò iuuentutem ac mulieres diuenderet. Qui cùm venisset Ierosolymam,& callidè pacem aliquantisper simulasset, derepentè irruit super ciuitatem die Sabbati,feriantibus Iudæis,& percussit eam plaga magna, atque vastauit, cæsa grandi hominum multitudine, pluribusque incensis domibus, & muro etiam vrbis deiecto. Quibus crudeliter admodum perpetratis, ipse tandem in Sion ciuitatem Dauid,tamquam in tutiorem locum,sese cum suis recepit, eóque spolia ciuitatis,ac mulieres captiuas,natosque ac pecora reduxit: & extructo in circuitu eius muro ac turribus valdè firmis,facta est eis Sion in arcem; in qua congregatis escis & armis, posuerunt præsidium validum iniquorum hominum,qui insidiosè discurrentes per circuitum Sanctificationis seu templi, variis modis ipsum contaminabant; & quoscumque ad illud piè accedentes offendere contingeret,impiè mactabant. Quamobrem,qui reliqui erant Iudæi, paulatim de Ierusalem aufugientes, breui eadem vrbs facta est habitatio exterorum,& Sanctificatio eius deserta,&sublimitas eius in luctum, & Sabbata in opprobrium: 2. Machab.cap.5.vers.24.vsque ad 27. & latiùs 1.Machabæorum cap.1.vers.30.vsque ad 43. Puto autem primam hanc templi contaminationem & obsidionem cœpisse die vigesima quinta mensis tertij eiusdem anni, videlicet semianno ante perfectam ipsius templi pollutionem,quæ posteà contigit quando sacrificia idolo ibidem erecto fieri cœpta sunt,vt ex sub anno mundi 3889.num.8.dicendis apparebit.

SION MVNITVR FITQVE ARX ALIENIGENARVM.

¶ Verùm hìc,antequã in historia progrediamur,adnotandum est, quòd Villalpandus Tomo 3.in Apparatu vrbis & templi cap.7. putat prædictam arcem ab Antiochi Ducibus non in Sion,sed in monte Acra fuisse munitam & instructam. Quod & Iosephus asseruisse videtur 12.Antiq.cap.7.illis verbis: *Et demolitus mœnia,* (loquitur autem de Antiocho) *in inferiore vrbe arcem condidit: erat enim editiore loco sita,ipsi templo imminens: quapropter benè priùs firmatæ mœnibus & turribus,Macedonicum præsidium imposuit.* sic ille. Verùm nobis opinio opposita magis placet, quòd scilicet Macedones sibi pro arce munierint ciuitatem olim à Dauide ædificatam in monte Sion, vt apertè tradit Sacer textus 1.Machab. cap.1.vers.35. dicens: *Et ædificauerunt ciuitatem Dauid muro magno & firmo,& turribus firmis; & facta est illis in arcem.* Nam dato, quòd fortè potuerit sacra Scriptura pro ciuitate Dauid indicare etiam aliam Ierosolymæ partem minùs celsam, quòd tota illa vrbs olim fuerit metropolis ipsius Dauid: nulla tamen hìc videtur necessitas sic accipiendi nomẽ ciuitatis Dauid: cùm præsertim multò probabilius sit, Macedones faciliùs atque opportuniùs potuisse ac voluisse sibi reficere munitionem olim à Dauide in Sion constructam, & reliqua vrbis parte altiorem ac tutiorem,quàm de nouo in inferiore vrbe arcem à fundamentis erigere,quæ templo immineret.Non enim præadducto Sacro textui obstant alij duo eiusdem lib. cap. 4. quos loco superiùs citato Villalpandus opponit; nempe alterum vers.37.vbi legimus: *Et congregatus est omnis exercitus* (subaudi Iudæorum,) *& ascenderunt in montem Sion.* & alterum vers.60.vbi dicitur: *Et ædificauerunt in tempore illo montem Sion, & per circuitum muros altos,& turres firmas,* &c. ex quibus colligit citatus Auctor,illam arcem Macedonum,in qua certum est eos mansisse vsque ad tempora Simonis Machabæi, non fuisse in monte Sion.Non , inquam, hæc obstant; quia in hisce duobus locis clarum est,Scripturam sacram vsurpasse montem Sion pro monte Moria ei proximo, in quo erat templum.Id namque apertissimè indicant verba quæ ibidem subsequuntur. Nam post illa verba,*Et ascenderunt in montem Sion*; protinus subiungitur: *Et viderunt sanctificationem desertam,& altare profanatum, & portas exustas,& in atriis virgulta nata sicut in saltu vel in montibus, & pastophoria diruta,*&c. Clarum est autem, hæc non extitisse,neque inueniri potuisse in monte Sion,sed in mõte Moria, vbi erat templum, vt dictum est.Similiter vbi dicitur, *Et ædificauerunt montem Sion,*&c. statim subditur: *Ne quando venirent Gentes,& conculcarent eum sicut anteà fecerunt.* Quibus verbis perspicuè indicatur, Scripturam sacram ibidem loqui de monte in quo erat templum, quod paulò antè à Gentibus fuerat conculcatum & profanatum, & consequenter, locis citatis accipere *Sion*, quatenus continebat etiam montem Moria eidem contiguum.In qua significatione videtur quoque Ieremias Threnorum cap.1. vers.4. accipere Sion,vbi ait: *Viæ Sion lugent.* sequitur enim: *Eò quòd non sint qui veniant ad sollemnitatem.* Verumtamen quòd appellatione montis Sion Scriptura sacra vmquam intellexerit etiam montem Acra, vt arbitror,probari non poterit. Neque verò curandum est de Iosepho, quotiescumque videmus ipsum à Sacra historia recedere: nisi fortè loco citato ipse Iosephus dicere voluerit,Antiochum diruisse mœnia in inferiore vrbe,

QVID HIC PER SION SIT ACCIPIENDVM.

vrbe, arcem verò in ſuperiore condidiſſe: id enim (commate dumtaxat mutato) videtur eò loci tradere potuiſſe, ſi eius verba ita diſtinxerimus: *Et demolitus mœnia in inferiore vrbe, arcem condidit.* Nam & hunc ſenſum videntur confirmare, vel ſaltem inſinuare verba illa quæ ibidem ipſe ſubiunxit, dicens: *erat enim* (nempe arx) *editiore loco ſita, ipſi templo imminens.* Hæc namque monti Sion potiùs quàm Acræ conuenire videntur. Sed nunc hiſtoriæ ſeriem proſequamur.

2. Porrò inter alios qui de Ieruſalem aufugerunt, fuit etiam quidem Mathathias nomine, Ieroſolymita genere, de Aſſamonæorum proſapia, & Sacerdos de vice Ioarib, vt traditur 1. Machab. cap. 2. verſ. 1. & apud Ioſephum 12. Antiq. cap. 8. quæ inter alias vices Sacerdotales erat prima, quemadmodum patet ex 1. Paralip. cap. 24. verſ. 7. Hic cum quinque filiis ſuis, (qui ab vno ipſorum, cui cognomentum erat Machabæus, quòd ceteris fortior, &, vt ait Ioſephus 1. de Bello cap. 1. natu maximus eſſet, & primus poſt patrem aliorum dux fuerit, poſteà Machabæi ſunt appellati) videns mala quæ fiebant in Ieruſalem, inde profectus abiit in montem Modin, ibique ipſe & filij eius, ſciſſis præ nimio cordis dolore veſtibus, & operti ciliciis, plangebant inconſolabiliter, deplorabantque tam acerbas illorum temporum, Gentis ſuæ, ac templi vrbiſque calamitates, vt videre eſt loco Machabæorum proximè citato vſque ad verſ. 15. MATHATHIAS CVM FILIIS SVIS MACHABAEIS FVGIT IN MODIN.

3. Per idem tempus, nimirum dum prædicta in Ieruſalem agerentur, exiit edictum à Rege Antiocho ad vniuerſas vrbes regni eius, quo capitali pœna precipiebatur, vt cuncti, relictis propriis legibus, vnam eamdemque communem Gentibus religionem, eiuſdemque iam receptos ritus ac cærimonias vniformiter amplecterentur. Speciatim verò eiuſmodi edictum & Regis litteræ in Ieruſalem & Iuda, quorum intuitu primariò editæ fuerant, per celeres nuntios tranſmiſſæ ſunt: quibus omnino prohibebantur fieri holocauſta, & ſacrificia, & placationes in templo Dei, & celebrari Sabbata; & inſuper iubebantur coinquinari ſancta, & econuerſò quantocyùs ædificari aræ, & templa, & idola; & immolari carnes ſuillæ, & pecora communia, hoc eſt immunda, iuxta illud Actorum cap. 10. verſ. 14. *Quia numquam manducaui omne commune & immundum.* & poſt pauca: *Quod Deus purificauit, tu commune ne dixeris.* Et prætereà, vt relinquerentur paruuli incircumciſi, & vt in omnibus idololatrarum Gentium immunditiis animæ coinquinarentur. Quicumque autem hæc facere renueret, moreretur: 1. Machab. cap. 1. verſ. 43. vſque ad 53. ANTIOCHVS PVBLICO EDICTO MANDAT, VERO DEI CVLTV RELICTO, IDOLA ESSE COLENDA.

4. Sed his non contentus, miſit inſuper paulò pòſt Rex Antiochus ſenem quemdam Antiochenum, qui omnimodis compelleret Iudæos relinquere patrias Dei Leges, & tranſire ad ritus Gentium; & qui proptereà Ieroſolymitanum templum contaminaret, Iouique dedicatum cognominaret Iouis Olympij: & ſimiliter illud quod erat apud Samaritanos in monte Garizim, de quo nos ſub anno mundi 3721. num. 2. egimus, nuncuparet Iouis Hoſpitalis: & prætereà præponeret in ſigulis Iudæorum vrbibus Principes, qui prædicta ad vnguem præſtari curarent. Igitur ET IVDAEOS TRANSIRE AD RITVS GENTIVM, ET TEMPLVM CONTAMINARI.

5. Eodem anno regni Græcorum centeſimo quadrageſimo quinto, die decimaquinta menſis Caſleu, (vt ſignanter notatur 1. Machab. cap. 1. verſ. 57.) qui mẽſis erat Anni Hebræorum ſacri nonus, ædificauit impius Rex Antiochus per deteſtabiles miniſtros ſuos abominandum deſolationis idolum ſuper altare Dei, & die vigeſimaquinta eiuſdem menſis, vt colligitur ibidem verſ. 62. cœperunt ſuper aram quam contra altare Dei fecerant, prædicto ſacrificare idolo; quod & deinceps ſingulis menſibus eadem die faciebant. Per vniuerſas etiam pariter ciuitates Iuda ædificauerunt aras, & ante ianuas domorum, atque in plateis, incendebant thura, & ſacrificabant: vbicumq; autem inueniebant libros Legis, ſcindentes comburebant eos, ac ſine vlla miſeratione trucidabant omnes penes quos reperiebantur, & quos Legem quomodolibet obſeruantes comperiſſent; præcipuè verò qui pueros circumcidiſſe deprehenſi eſſent: quin ipſos quoque infantes circumciſos, ad maiorem parentibus incutiendum timorem, ceruicibus ſuſpenſos, ac de domibus ipſorum pendentes relinquebant. Atque hæc & his ſimilia in ſingulis Iudæorum ciuitatibus quàm diligentiſſimè exercebantur, per miniſtros ad hoc ſpecialiter deputatos; qui etiam poteſtatem habebant introeundi ex improuiſo ſingulis menſibus ſingulas Iudæorum domos, vt ſcrutarentur, num aliquod in eis veſtigium obſeruantiæ Legis diuinæ deprehendere ac punire poſſent. vt mirari iam nemo debeat, ſi noſtris temporibus Eliſabetha impiiſſima Anglorum Regina in Catholicos ſæuiens, eodem quo olim Antiochus dæmoniaco acta ſpiritu, illumq; imitata, iiſdem pænè modis, vt notiſſimum eſt, eoſdem donec vixit, quàm diligentiſſimè ſcrutari, ac ſtudioſè perſequi, crudeliterque necari curauit. Sed quod ad Iudæos attinet, PONITVR IDOLVM SVPER ALTARE DEI, ET EIDEM IDOLO SACRIFICATVR. LIBRI LEGIS SCINDEBANTVR, ET COMBVREBANTVR, ET LEGIS OBSERVATORES INTERFICIEBANTVR.

net, de quibus hîc agimus, pessimis hisce Antiochi inquisitionibus non obstantibus, multi de populo eligebant mori magis, quàm derelinquere Legem Dei sui. alij autem nimio hostium furori sese clàm subtrahentes, in abditis fugitiuorum locis latitabant. Non sic impius Alcimus Pontifex, qui sui muneris oblitus, ac magis Regem timens quàm Deum, nec curans plurimos pessimo exemplo suo perituros, in Gentilium escis atque idololatriis voluntariè coinquinatus est, vt apertè traditur 2. Machab. c. 14. v. 3. Ceteris verò atque vniuersis admodum grauis erat pessima hæc malorum incursio: nam templum luxuria & comessationibus Gentium erat plenum, & scortantium cum meretricibus, sacratis ædibus vltrò se ingerentibus, & inferentibus ea quæ non licebat. Altare item plenum erat illicitis; neque Sabbata, diésve alij sollemnes custodiebantur; nec simpliciter Iudæum se esse quisquam profitebatur. Ducebantur autem cum amara necessitate in die natali Regis ad sacrificia: & cùm Liberi sacra celebrarentur, cogebantur hedera coronati Libero circuire. Quæ omnia latiùs descripta inuenies 1. Machab. cap. 1. vers. 53. vsque ad finem capitis, & 2. Machab. cap. 6. v. 1. vsque ad 8. & his similia tradit Iosephus 12. Antiq. cap. 7. & lib. 1. de Bello cap. 1.

PRAEDICTA MALA A DANIELE MVLTO ANTE PRAENVNTIATA.

6. Sanè mala hæc hactenus relata, & pariter numeris proximis referenda, quæ Antiochus Epiphanes Iudæis & terræ eorum ac templo sacrilegus intulit, longè anteà per Danielem Prophetam cap. 8. vers. 11. 12. 23. 24. & 25. & quoquomodò etiam cap. 11. vers. 30. & sequentibus prædicta fuerant, vt ibidem asserunt B. Hieronymus, & alij prædictorum locorum Expositores. Quin etiam ante hos Iosephus quoque 12. Antiquit. cap. 11. non procul à fine adnotauit, licet nonnihil in numero annorum dictæ prædictionis assignando decipiatur: ait enim, Prophetam hæc prænuntiasse ante annos octo & quadringentos; cùm tamen ab anno regni Baltassar Regis Babylonis tertio, in quo cœpit Daniel (vt idem in principio capitis suæ Prophetiæ 8. testatur) prædicta vaticinari, vsque ad hæc tempora, inueniantur tantummodò anni trecenti octoginta octo: quemadmodum in tabulis facilè supputari potest.

IVDAEI IN SINGVLIS ANTIOCHI VRBIBVS COMPELLEBANTVR PATRIAS DESERERE DEI LEGES.

7. Sed neque solùm in Ierusalem & in omni Iudæa, verùm etiam in Gentilium quoque ciuitatibus, quocumque impium Antiochi decretũ peruenerat, hæc quæ num. 3. 4. & 5. retulimus, aduersus Iudæos exercebantur, suggerentibus præsertim Ptolemæis (vt dicitur 2. Machab. cap. 6. vers. 8.) id est, vt arbitror, sequacibus perfidi illius Ptolemæi, qui apud Antiochum plurimum poterat; & iam aliquot ante annos, corruptus muneribus, Menelaum malorum auctorem absolui, insontes verò eius accusatores cõdemnari curauerat; vt sub anno mundi 3882. num. 1. dictum est, & cuius etiam infrà sub anno mundi 3888. num. 4. mentionem faciemus. Quare vno eodemque tempore, in toto Antiochi regno, Iudæi per illud dispersi, in singulis vrbibus ad deserendas patrias Dei Leges, & ad instituta Gentium capessenda, idolisque immolandum, grauiter compellebantur; ac renuentes, miris torquebantur suppliciis, & crudeliter admodum necabantur. Huius rei pauca quædam de multis, sed, vt puto, insigniora, valdeque memorabilia referuntur exempla 2. Machab. cap. 6. vers. 8. vsque ad finem capitis, & in toto sequenti: nimirum de duabus illis mulieribus, quæ quòd natos suos circumcidissent delatæ, cum suis infantibus ad vbera suspensis per vrbem priùs circumductæ, posteà per muros præcipitatæ sunt. Quod vbinam acciderit, in Ierusalem ne, an in aliqua alia vrbe, Scriptura sacra non exprimit. Et de iis qui latẽter in proximis speluncis diem Sabbati celebrantes, iubente Philippo Phryge vrbis gubernatore, flammis succensi sunt, non audentes sibiipsis manu auxilium ferre, ne obseruantiam Festi violasse viderentur. quod in Ierusalem, quam (vt etiam colligi potest ex 2. Machab. c. 5. v. 22.) præfatus gubernabat Philippus, aut certè in eius ditione accidisse oportet. Itẽ de nobili illo ac venerando sene Eleazaro, qui cùm iam nonaginta esset annorũ, & suillas carnes non modò non manducare, sed nec manducasse simulare voluisset, ne ceteris, maximeq; iunioribus, perniciosum præberet exemplum; ad supplicium ductus, plagisque sæuissimè tortus, in tormentis animam Deo reddidit. Ac denique de celeberrimo illo septem fratrum inuictæque eorumdem matris agone, qui comprehensi, & coram Rege perducti, ob eamdem causam vnus post alterum matre inspectante, eosque ad tolerantiam adhortante, crudelissimè cruciati atque necati sunt; & post ipsos ipsa quoque similiter perempta est. Et hæc quidem, quæ de dictis Eleazaro ac septem fratribus eorumque matre dicta sunt, non in Ierusalem aut in Iudæa, sed in Antiochia, ad quam coram Rege, qui ibi residebat, de Iudæa adducti fuerant, acta esse creduntur; & colligi etiam potest ex his quæ scribit Iosephus in libello quem de Imperio rationis, seu de Machabæis inscripsit. Idem sentiunt B. Antoninus parte Historiarum suarum 1. tit. 4. c. 4. §. 13. & Lyra-

ELEAZARI ET 7. FRATRVM MARTYRIA IN ANTIOCHIA CONTIGISSE.

& Lyranus ſuper loco Machab. citato, & alij. Ratione etiam id comprobari poteſt; quandoquidem nuſquam legimus, Antiochum poſt Ieroſolymitani templi expoliationem rediiſſe in Ieruſalem aut in Iudæam, & tamen ex Sacro textu & dicto Ioſephi Libello conſtat, præfatos coram ipſo Rege fuiſſe cruciatos, vt patet accuratè legenti prædictum Libellum, & totum cap. 8. lib. 2. Machab. Denique Martyrologium Romanum, quod publicè in Eccleſia legitur, apertè Kalendis Auguſti tradit, Machabæos in Antiochia martyrium ſumpſiſſe.

8. Hìc de prædicto Eleazaro ſi quis quærat, quiſnam fuerit? dicimus fuiſſe Sacerdotem, multis Tyranni ſatellibus ob ætatem valdè prouectam notum, & ſcientia Legis valdè peritum, vt ait Ioſephus in citati ſui Libelli cap. 5. Propterea 2. Machab. cap. 6. verſ. 18. appellatur vnus de primoribus Scribarum. Ioſephus non ille qui & Flauius, ſed alter qui Gorionis filius nuncupatur, lib. 3. cap. 2. & 4. ait hunc Eleazarum fuiſſe vnum de LXX. Interpretibus, & inter eos præcipuum. Sed hoc ex Chronologia conuincitur eſſe falſum: ſiquidem conſtat, LXX. Interpretes floruiſſe temporibus Philadelphi Regis Ægypti. At verò poſtremum huius Regis annum concurrere cum vndecimo vitæ dicti Eleazari, patet in tabulis. Quòd autem apud Gregorium Nazianzenum Oratione 22. videatur iſte Eleazar dici pater memoratorum ſeptem fratrum; non natura, ſed magiſterio & eruditione pater accipiendus eſt; quemadmodum idem Auctor ibidem ſeſe declarat, vbi inducit illos dicentes: *Eleazari diſcipuli ſumus; pater priùs decertauit, filij poſteà certabunt.* DE ELEAZARO, QVISNAM FVERIT.

9. De memoratis autem ſeptem fratribus, & eorum matre, nihil aliud adferre poſſumus, quàm quod in præcitato Ioſephi de Machabæis Libello legimus; non quidem in recentiori eius quæ nunc circumferrur tranſlatione, ſed in alia Baſileæ anno ſalutis 1540. excuſa, atque (ex diuerſo, vt apparet, Græco textu) recognita & edita: in qua perſpicuè traditur, ipſos è Suſandro caſtello, quod ipſorum fuerat, in Antiochiam cum matre, quæ Salomona vocabatur, fuiſſe abductos: & quòd hæc fuerunt ipſorum nomina: primus, Machabæus; ſecundus, Aber; tertius, Machir; quartus, Iudas; quintus, Achas; ſextus, Areth; & ſeptimus dictus eſt Iacob: omnes autem genere illuſtres & corpore admodum formoſos extitiſſe. Quæ ſi vera ſunt, (nam vnde accepta fuerint ignoramus) credi etiam poteſt, ex primogeniti vocabulo reliquos item nuncupatos eſſe Machabæos; neque id ſanè ſine cauſa, quandoquidem Machabæus *pugnator* interpretari dicitur: atqui hos fortiter admodum pro patriis Legibus in ſtadio pugnaſſe ſatis conſtat, & infrà etiam num. 12. ex B. Ambroſio comprobabitur. Ceterum, ex omnibus veteris Teſtamenti Sanctis, qui ante Chriſti aduentum extiterunt, ſolos iſtos ſancta Eccleſia Catholica tamquam Martyres ſollemniter veneratur; non ſolùm ob rationes quas adducit S. Gregorius Nazianzenus Oratione 20. in Machabæos; verùm etiam quia præclaras horum de Tyranno victorias cuncti ferè S. Patres Latini & Græci ſummis laudibus extulerunt; quorum indicem texuit, locaque ſingulorum citat Cardinalis Baronius in ſuis Notationibus ad Martyrologium Romanum ſub die *Kalendis Auguſti.* Et certum eſt, B. Auguſtinum pluribus in locis, præſertim verò in Sermone 109. de Diuerſis, cui, & ſequenti titulus eſt, *De Machabæis*, aſſeueranter teſtari, Machabæos Martyres Chriſti eſſe; quos, inquit, nondum mortuus, ſed moriturus Chriſtus Martyres fecit: & ideò non importunè, ſed conuenientiſſimè dies & ſollemnitatem eorum à Chriſtianis celebrari: aſſeritque inſuper, eorumdem Baſilicam in Antiochia olim extitiſſe, & ibidem martyrij eorum memoriam celebrari; eamdemque Baſilicam à Chriſtianis fuiſſe ædificatam, & ab eiſdem teneri. Martyrologium quoque Romanum, vbi ſuprà, tradit, ſacras eorumdem Machabæorum Reliquias Romam allatas, in Eccleſia S. Petri ad Vincula eſſe conditas. Nec deſunt qui ſcriptis prodiderint, ipſorum ſimul ac matris capita primùm ab Antiochia Conſtantinopolim, dein à S. Euſtorgio Mediolanenſi Epiſcopo Mediolanum, & demum Coloniam à Reginoldo Coloniæ Agrippinæ Archiepiſcopo tranſlata fuiſſe, ibique vſque hodie in Eccleſia eiſdemmet SS. Machabæis dedicata, ſuper altari eius maiori, in capſa deaurata honorificè aſſeruari. Quæ omnia diuino conſilio, vt ſcilicet eorum ſanctitas omnibus teſtata fieret, & ipſi à cunctis Chriſti fidelibus venerarentur, facta eſſe dubitare nemo debet.

DE SEPTEM FRATRIBVS MACHABAEIS, ET IPSORVM MATRE.

CVR TAMQVAM MARTYRES HABEANTVR ACCELEBRENTVR: ET DE SANCTIS EORVM RELIQVIIS.

10. Intereà, dum hæc quæ retulimus, & eiuſmodi alia multa aduerſus Iudæos in vrbibus Antiocho Regi ſubiectis agerentur, venerunt etiam in ciuitatem Modin miniſtri regij, vt eius incolas, & quos illuc confugiſſe comperiſſent, cogerent immolare, & accendere thura idolis, & à Lege Dei diſcedere. Igitur, cùm multi de populo Iſrael, qui-

MATHATHIAS ET FILII EIVS, TRVCIDATIS IDOLOLATRIS, AD DESERTA CONFVGIVNT.

quidam vltrò, quidam verò timore perculsi, illorum iussa facerent; Mathathias tamen & filij eius, tametsi verbis honorificis compellati, & pollicitationibus allecti, constantissimè renuerunt: quin potiùs ipsemet Mathathias, cùm vidisset vnum de Iudæis in omnium oculis sacrificantem idolis; sancto, sicuti olim Phinees, accensus zelo, protinus insiliens, trucidauit eum super aram, & primarium Regis ministrum, nomine Bacchidem, vt ait Iosephus 1. de Bello cap. 1. siue Apellem, vt idem tradit 12. Antiq. c. 8. (erat enim binominis,) qui cogebat immolare, eodem tempore pariter interfecit; statim exclamans: Quicumque zelum Dei habet, me sequatur. Et relictis omnibus, fugit cum filiis suis ad occultiora loca deserti; vbi (quemadmodum dicitur 2. Machab. in calce capitis 5.) maluerunt fœni cibo vesci, & inter feras in rupibus vitam agere ac demorari, quàm participes esse coinquinationis. Ad quos etiam non multò pòst multi alij confluxerunt cum filiis & vxoribus ac pecoribus suis. Verumtamen, vt primùm hæc nuntiata sunt his qui pro Rege Ierosolymis residebant, confestim accitos instructosque milites aduersus illos miserunt: qui cùm fortè reperissent ad mille hominum animas in quodam loco absconditas, easdem in die Sabbati aggredientes, sine vllo negotio tamquam oues minimè reluctantes interemerunt; non enim repugnare ausi sunt propter Sabbati religionem. Quæ res cùm peruenisset ad aures Mathathiæ & filiorum amicorumque eius, qui tum fortè in alia deserti parte latitabant; expleto planctu super fratres suos, inter se quid agendum esset consultare cœperunt; ac Deo consultationes eorum dirigente, statuerunt non esse consentaneum diuinæ voluntati, neque ipsorum saluti expedire, huic hostium calliditati non occurrere; alioqui procul dubiò breui omnes pariter perituros: proptereà si deinceps contingat eos in die Sabbati ab hostibus lacessiri, omnimodis esse repugnandum.

DE GESTIS EORVM IN DESERTO.

11. Itaque post hæc, congregata ad eos Synagoga Assidæorum, quæ viribus erat satis valida, & successiuè accurrentibus aliis multis, partim voluntariè, partim quodammodò coacti, vt scilicet se de tantis malis eriperent: Mathathias qui eorum omnium Dux ac Princeps, & item, vt creditur, tunc loco impij Alcimi (qui quemadmodum suprà num. 5. dictum est, ad colenda pariter cum Gentibus idola conuersus, ipso iure Pontificatum amiserat) communi omnium bonorum consensu Pontifex delectus fuerat: ipse & filij eius (vt S. Ioan. Chrysostomi super Psalm. 43. verbis vtar) *tamquam generosi quidam catuli ex antris exilientes, & è latebris emergentes, statuerunt non se amplius solos seruare, sed etiam alios quoscumq; possent. Itaque ciuitatem, & omnem regionem obeuntes, collegerunt quotquot inuenerunt adhuc sanos & integros; & multos etiam qui laborabant, & corrupti erant, in statum pristinum redegerunt, eis persuadentes redire ad Legem patriam.* Dein collecto instructoque exercitu, inopinatas per regionem agere cœperunt incursiones; ac Deo benè iuuante, impios idololatrasque percutere, fugare, persequi, eorumque aras euertere, pueros autem quotquot in finibus Israel incircumcisos comperissent, circumcidere. Atque hoc pacto aduersus idololatras, tam indigenas quàm externos, fortiter dimicando, patrias Leges restituere atque in vsum reuocare satagebant. Hæc latiùs traduntur 1. Machab. cap. 2. vers. 1. vsque ad 49. & apud Iosephum 12. Antiq. cap. 8. & lib. 1. de Bello cap. 1. Et hoc est quod prædixerat Daniel cap. 11. vers. 34. illis verbis: *Cumq; corruerint, subleuabuntur auxilio paruulo.* Paruulum siquidem fuit auxilium, quod Israeli iam adeò ab idololatris oppresso ferre poterat Mathathias cum suis. Quantus enim erat ipse, nimirum vir priuatus, pauper, & in desertum fugatus, qui cum tam paruo comitatu aduersus vires Antiochi Asiæ Regis potentissimas conflictare auderet? Et nihilominùs Dei beneficio factum est, vt Iudaicum populum tunc deiectum ac pænè extinctum, ipse cum parua suorum manu subleuauerit, ipse erexerit, & contra se impiè opprimẽtes eduxerit, ac tandem superiorem aduersariis reddiderit. Igitur auxilium Mathathiæ paruulum, diuina ope posteà mirum in modum excreuit in filios: & subleuatio hæc quantulacumque à principio fuerit, certè paulatim adeò facta est magna, vt posteris aditum aperuerit non modò res suas in statum pristinum restituendi, verùm etiam excutiendi penitus à se iugum alienigenarum Gentium. Quod quando & quomodo actum sit, infrà suis locis dicemus. Oportet autem hæc quæ hîc de Mathathia retulimus, fieri cœpisse sub finem prædicti anni regni Græcorum centesimi quadragesimi quinti: quoniam, vt num. 5. dictum est, non nisi sub finem mensis noni eiusdem anni erectum fuerat idolum super altare Dei in Ierusalem, eidemque ibi sacrificia offerri, ac deinceps in aliis quoque Iudæorum vrbibus diis immolari cœptum erat. Quare ab hoc circiter tempore initium sumpsit Principatus Machabæorum, qui posteà perdurauit vsque ad expugnatam ab Herode Iero-

DANIELIS VATICINIVM EXPLICATVR.

QVANDO HAEC AGI COEPERINT, ET DE INITIO PRINCIPATVS MACHABAEORVM, EIVSDEMQVE DVRATIONE.

Ierosolymam, nimirum per annos circiter centum & triginta, vt supputari potest in tabulis. Intra quod tempus non Principatus solùm, sed Sacerdotij pariter tempora omnium & singulorum Ducum Regumque, qui de Mathathiæ posteris prodierunt, distinctè ordinateque, vt etiam sub anno mundi 3730. num. 3. adnotauimus, tradi potuerunt. Fuerunt enim fermè omnes (quemadmodum de Heli dictum est) simul & Pontifices, & populi Duces aut Reges.

12. Ex dictis apparet, non rectè sensisse eos, qui putarunt, Mathathiæ & filiorum eius pugnas contra Antiochi Duces, & victorias de ipsis reportatas, de quibus nos deinceps propriis locis agemus, præcessisse; martyria verò septem puerorum, & aliorum quæ paulò antè memorauimus, fuisse prædictis bellis posteriora: nam (vt ex præmissis, & item specialiter ex 2. Machab. cap. 8. vers. 4. vbi tamquam bellorum causæ recolluntur iniquissimæ paruulorum mortes, apertè colligi potest) econtrà accidit: siquidem cùm vidissent Mathathias & filij eius impietates illas intolerabiles, quæ per omnes ferè ciuitates Antiochi iussu aduersus Iudæos exercebantur; inde occasione accepta, cœperunt primò quidem in desertum aufugere; mox sese armis defendere; dein, paulatim augescentibus viribus, acriter contra iniquos & eiusdem Antiochi milites Ducesque pugnare; ac demum, Deo fauente, eosdem de Iudææ finibus propellere. Nec refert, quòd bella libro Machabæorum primo, martyria verò secundo descripta inueniantur: quandoquidem, vt in horum Annalium Præfatione num. 1. diximus, & sub anno mundi 3867. num. 3. confirmauimus, hi duo libri non ab vno eodemque Auctore, sed à duobus diuerso ordine conscripti sunt. Quòd si quis nobis opponat B. Ambrosium lib. 1. Officiorum c. 41. dicentem: *Non minorem de superbo Rege Antiocho Machabæi pueri reuexerunt triumphum, quàm parentes proprij: siquidem illi armati, isti sine armis vicerunt.* Quibus sanè verbis insinuari videtur, quòd quemadmodum parentes tempore naturaliter præcedunt filios, ita parentum prælia fuerint priora filiorum martyriis. Respondemus, id nequàquam necessariò consequi; quandoquidem fieri potest, vt pro vlciscenda morte filiorum, posteà patres pugnam susceperint. Quare ex citata sancti Doctoris sententia elici omnino non potest quidnam præcesserit, agonésne puerorum, an parentum prælia: id namque sanctus vir indecisum ibi reliquit, & tamquam ad maiora intentus, exprimere non curauit. Verùm, cur eos qui armis vicerunt, vocat parentes eorum qui martyrio coronati sunt? An quòd omnes ex vna eademque cognatione fuisse crediderit? & propterea Mathathiam & filios eius, qui iam viri erant, puerorum parentes appellarit, more Hebræorum, qui (vt sæpiùs dictum est) solebant cognatos omnes, si natu maiores essent, parentes dicere; si minores, filios; si æquales, nuncupare fratres. An verò (si cui magis placet, quos B. Ambrosius proprios puerorum parentes vocat, reuerà fuisse veros eorumdem patres, vt verba eius indicare videntur) fortasse alicubi sanctus Doctor reperit, proprios puerorum parentes, videlicet septem fratrum, & illorum infantulorum, quos vberibus matrum suspensos, per murum præcipitatos suprà num. 7. diximus, posteà (quod non est improbabile) Machabæis iunctos, aduersus Antiochi Duces fortiter dimicasse, ac de illis victores reuexisse triumphos? Hoc si verum est, possumus quod idem Sanctus de prædictis pueris protulit, ad alios pariter vniuersos extendere, quos (præter in sacra Scriptura memoratos) sanè plurimos extitisse dubium non est; qui eadem de causa ab Antiocho & eius ministris variè torti atque necati sunt: verisimile enim est, eorum parentes libenter posteà Machabæis adhæsisse, & simul cum ipsis fortiter admodum contra Antiochi copias dimicasse, vt natorum vxorumque innoxium sanguinem impiè fusum vlciscerentur, ac seipsos patriamque ab idololatrarum impietate ac immanitate liberarent. Et hæc dicta sint, ne quis temerè tantum virum in Sacra historia lapsum audeat suspicari; aut quod peius esset, ne prænotatum fortè errorem, eiusdem sancti Doctoris auctoritate, perperàm quis tueri se posse præsumat.

QVOD MARTYRIA PRAECESSERINT, MOX BELLA MACHABAEORVM SINT SVBSECVTA.

AB ORBE CONDITO ANNVS 3888. — SEXTÆ MVNDI ÆTAT. ANNVS 442.

1 ANNO regni Græcorum centesimo quadragesimo sexto ad finem declinare incipiente, vt paulò pòst probabitur, Mathathias morti appropinquare se sentiens, enixè hortatur filios suos, vt memores egregiorum operum quæ patres eorum (quorum plurimos nominatim per singulas propè generationes, & ipsorum gesta recensuit) pro Lege & gloria Dei intrepidè gesserunt, & præmiorum grandium quæ pro

MATHATHIAS, POST SANCTISSIMA MONITA FILIIS DATA, MORITVR.

pro his ab eodem summo Deo consecuti sunt; ipsi quoque pariter, eorum exempla secuti, pro patriis sanctissimisque Dei Legibus contra hostes diuini cultus fidenter fortiterque pugnare ne vmquam omittant: & vt Simonem, vtpote virum consilij, auscultare tamquam patrem; Iudam verò fortem viribus, tamquam militiæ principem sequi, eorumque placitis obtemperare ne recusent. Quibus dictis, benedixit eis, & appositus est ad patres suos, sepultusque à filiis suis in ciuitate Modin; & planxerunt eum omnis Israël planctu magno, vt dicitur 1. Machab. cap. 2. vers. 49. vsque ad finem capitis; & apud Iosephum 12. Antiq. cap. 8. & 9. & libr. 1. de Bello cap. 1. Necesse verò est Mathathiam obiisse, vt diximus, sub finem huius anni, si (quemadmodum ait Iosephus. 12. Antiq. cap. 8.) exacto sui Principatus anno defunctus est: quandoquidem sub finem anni præcedentis, vt nos ibidem num. 11. adnotauimus, ipse bonorum Princeps effectus, cœperat præliari bella Domini. Igitur

AB ORBE CONDITO ANNVS 3889. — SEXTÆ MVNDI ÆTAT. ANNVS 443.

IVDAS MACHABAEVS DVX IVDAEORVM ET PONTIFEX, ET QVAEDAM EIVS GESTA

1 ANNO regni Græcorum centesimo quadragesimo septimo circiter ineunte, pro Mathathia surrexit Dux in Israel Iudas filius eius, cognomine Machabæus, qui 2. Machab. cap. 5. vers. 27. dicitur decimus, nimirum decimus Iudæorum Pontifex ab initio regni Græcorum, vt ibidem exponunt Glossa ordinaria ex Rabano, & Lyranus; quamquam non eodem modo ab ipsis idem numerus supputetur. Iste Iudas, adiutus à fratribus suis, & ab iis qui se patri suo adiunxerant, multa fortiter gessit, quæ summatim tanguntur 1. Machab. cap. 3. vers. 1. vsque ad 10. & 2. Machab. cap. 8. vers. 1. vsque ad 8. vbi dicitur, quòd primò quidem latenter cum suis introiens in castella, conuocabat cognatos & amicos, & eos qui permanserant in Iudaismo; atque hoc pacto reduxit ad se sex millia virorum: & inuocato Domino vt vindictam sumeret de his qui exterminabant populum Domini, ipse sicut catulus leonis rugiens in venatione, & tamquam gigas indutus arma bellica, persecutus est iniquos, & breui intolerabilis efficiebatur Gentibus. Etenim ex improuiso, & præsertim noctu, superueniens castellis & ciuitatibus, succendebat eas; & opportuna loca occupans, multas hostium strages faciebat; & perambulans ciuitates Iuda, perdebat impios ex eis; atque ita conturbati repulsique sunt inimici eius, & directa est salus in manu eius. Quæ res exacerbabat quidem Reges multos seu ministros Regis valdè; verumtamen econuersò admodum lætificabat Israëlitas, videntes tantam Ducis sui virtutem, ob quam fama eius vbique diffundebatur, & iam nominatus erat vsque ad nouissimum terræ illius. Hæc in vniuersum locis Machab. citatis de Iuda inuenies, & item apud Iosephum 1. de Bello cap. 1.

APOLLONIVM ET SERON REGIS DVCES PRAELIO VICIT, ET PRIMVM ETIAM INTERFECIT.

2. Vt autem ad magis specialia ordine descendamus: videntes Regij Iudam indies proficere, cœperunt vnus post alterum ducere acies contra ipsum. Et primò Apollonius Samariæ Præfectus, tamquam proximior, congregatis Gentibus, cum manu forti veniebat: cui Iudas protinus obuiàm profectus est, & commisso prælio illum occidit, exercituque eius partim interfecto partim fugato, accepit spolia eorum, & gladium Apollonij, quo posteà ad confusionem terroremque inimicorum in præliis ipse vti voluit. Fortè autem iste Apollonius ille est, qui (vt sub anno mundi 3887. num. 1. dictum est) simulata priùs cum Iudæis pace, mox eosdem sabbatizantes, ac nihil mali suspicantes, ex improuiso aggressus, percussit ingenti plaga, Ierosolymamque vastauit; qui nunc demum debitas iniquitatis suæ pœnas dedit. Post hæc Princeps exercitus Syriæ, nomine Seron, ratus gloriam consequi non modicam, si Iudam & Iudæos qui cum ipso impia Regis edicta spernebant, debellasset; præparato exercitu, venit cum eo vsque Bethoron, vbi tum fortè aderat Iudas cum paucis ieiunio fatigatis; qui propterea hæsitabant pugnare contra multitudinem hostium tam grandem; sed confirmati verbis Iudæ, & alacriter certamen aggressi, contriuerũt Seron & exercitum eius, occisis octingentis viris, reliquis verò vsque ad terram Philisthinorum in fugam actis. Exinde ergo etiam finitimæ gentes cœperunt pertimescere Iudam & fratres eius. Et peruenit ad Regem nomen eius, nam de præliis Iudæ loquebantur omnes: 1. Machab. cap. 3. v. 10. vsque ad 27. & Iosephus 12. Antiq. cap. 10.

ANTIOCHVS PARAT EXERCITVM CONTRA IVDAEOS.

3. Vt primùm ergo audiuit Antiochus Rex rumores istos, iratus congregauit exercitum grandem ab vniuerso regno suo, castra fortia valdè; apertoque ærario suo, dedit stipendia singulis in annum; & mandauit vt essent parati ad omnia: verumtamen cùm cogno-

cognouiſſet defeciſſe in theſauris ſuis pecuniam, conſternatus animo cogitauit ire in Perſidem, ad exigenda illarum regionum tributa. Itaque relicto Lyſia, qui negotiis regni à flumine Euphrate vſque ad flumen Ægypti præeſſet, & curam gereret Antiochi filij ſui, donec ipſe rediret; tradidit ei mediam partem exercitus, & elephantos, præcipiens vt mitteret ad extirpandos Iſraëlitas de Iudæa, & ſorte diſtribueret alienigenis terram eorum. Quibus mandatis, ipſe Rex cum reliqua exercitus parte eodem anno regni Græcorum centeſimo quadrageſimo ſeptimo profectus eſt in Perſidem: 1. Machab. cap. 3. verſ. 27. vſque ad 38.

MANDAT LYSIAE VT IVDAEOS EXTERMINET, IPSE VERO IN PERSIDEM PROPERAT.

4. Lyſias ergo, vt mandata Regis de Iudæis penitus à terra ſua exterminandis impleret, elegit Ptolemæum Dorymini filium, Ducem Cœleſyriæ & Phœnicis, cuius ſub annis mundi 3883. num. 2. & 3887. num. 7. meminimus, & Nicanorem, & Gorgiam; & miſit cum eis quadraginta millia peditum, & ſeptem millia equitum, vt irent in terram Iuda, & diſperderent eam: 1. Machab. cap. 3. verſ. 38. & 39. Verùm illis, neſcio quamobrem, expeditionem cunctantibus; Philippus, quem Rex, vt dicitur 2. Machab. cap. 5. verſ. 22. Ieroſolymis præfecerat, videns quòd Iudæ interim res proſperè cederent, & quotidie magis proficerent; ſcripſit ad prædictum Ptolemæum, vt rebus Regis auxilium quantocyùs ferret: non enim expedire ampliùs illud differre. Is ergo, qui tum fortè graui aliqua de cauſa detentus, cum toto exercitu, vt decreuerat, venire non potuit, ſtatim miſit Nicanorem cum viginti millibus, vt vniuerſum genus Iudæorum delere curaret; adiuncto eidem Gorgia, viro in re militari exercitatiſſimo. Aſſumpta ergo hac expeditione, Nicanor cogitare cœpit, rem gratiſſimam ſe Regi facturum, ſi tributum duo millia talentorum, quod Romanis dandum erat, ex Iudæorum captiuitate, quam certò ſe facturum ſupponebat, eidem Regi ſuppeditaret: propterea conuocatis mille maritimarum ciuitatum negotiatoribus, ſpopondit ſingulo talento ſe eis nonaginta Iudæorum mancipia diſtracturum: qui hac pollicitatione freti, cum magna vi auri & argenti venerunt & ipſi in caſtra Nicanoris, vt captiuorum coemptioni præſtò eſſe poſſent.

LYSIAS ELIGIT DVCES CONTRA IVDAEOS.

5. Intereà Iudas, cùm audiſſet exterminium quod iubente Rege Iudæis parabatur, congregauit ſuos, vt eſſent parati ad prælium. Et quoniam maxima erat hoſtium vis, & bellum omnium quæ præceſſerant periculoſiſſimum; & multi de ſuis trepidabant, operæpretium duxit, eos priùs ſollemni quadam ratione ac deuotione ad illud præparare. Itaque, quia tunc Ieruſalem occupata erat ab alienigenis, & templum profanatum iam fuerat; conuentu facto in Maſpha, vbi olim locus orationis erat in Iſrael, & ciliciis induti, conſperſiſque cinere capitibus, ac ſciſſis veſtibus, ieiunauerunt illa die, expandentes libros Legis, vt ſic paratos ſe pro illa mori profiterentur; attulerunt quoque ornamenta Sacerdotalia, & primitias, & decimas, & ſuſcitauerunt Nazaræos qui impleuerant dies, & ſimul omnes clamabant magnis vocibus ad Dominum, vt adiuuaret eos. Quibus expletis, confeſtim Iudas conſtituit fratres ſuos Duces populi, & ſub eis Tribunos, & Centuriones, & Quinquagenarios, & Decuriones ſiue Decanos, inſtruxitque exercitum ſeptem milliũ virorum: & dimiſſis formidoloſis, aliiſque quos Lex Deuteron. cap. 20. verſ. 5. vſque ad 9. dimitti præcipit, mouit caſtra ad Auſtrum Emmaum, non valdè procul ab hoſtium exercitu; ibique ſuos ad fidenter fortiterque præliandum, propoſitis aliquot antiquorum exemplis, animauit. Accidit autem vt Gorgias, aſſumptis quinque millibus peditum, & mille equitum electorum, putaret ſe noctu & ex improuiſo aggredi & diripere caſtra Iudæ: at ille præueniens diſceſſit cum exercitu ſuo, vt inuaderet caſtra Gentium, hoc eſt Nicanoris. Gorgias ergo, cùm neminem reperiſſet in caſtris Iudæ, ratus eos aufugiſſe, quærebat eos in montibus. Iudas verò diluculo, tametſi aduertiſſet de ſuis reperiri ad tres mille viros pæne inermes, hoſtes verò validos & armis benè inſtructos, equitatuque vallatos; nihilominùs, diuino fretus auxilio, magna animi conſtantia, ſuis denuò ad pugnam excitatis, cum hoſte conflixit; ac Deo benè iuuante contriuit exercitum eius, occiſis in vno quidem congreſſu ſuper nouem millia hominum, & reliquis vulneribus debilitatis ac fugatis; quos propter diem Sabbati ſuperuenientem longiùs perſequi non potuit. In alio autem congreſſu percuſſit Iudas de eodem Nicanoris exercitu vſque ad tria millia, perſequens eos vſque ad Gezeron, & ad campos Idumææ, & Azoti, & Iamniæ. Reuerſus autem ad hoſtium caſtra, continuit ſuos, ne ad ſpolia diripienda diffluerent, ſed magis parati ſtarent ad dimicandum cum Gorgia contra eos veniente. Et ecce, hæc adhuc loquente Iuda, viderunt partem exercitus Gorgiæ de monte proſpicientem. Verumtamen, vt cognouit Gorgias contritum eſſe Nicanorem, & caſtra

IVDAS PARAT SE AD DIMICANDVM CONTRA DVCES REGIOS.

PRAELIO VICIT NICANOREM.

eius

eius succensa, & Iudam cum exercitu suo paratum contra se quoque confligere; fugit & ipse cum suis. Iudas verò securus ad spolia castrorum detrahenda rediit, inuenitque opes magnas, hyacinthum, & purpuram marinam, & argentum aurumque multum, & præsertim illud, vt arbitror, quod secum attulerant præfati negotiatores ad Iudæorum coëmptionem. & hymnos canentes, benedicebant Dominum. Collectis deinde hostium armis & spoliis, debilibus quoque & orphanis ac viduis diuiserunt prædam.

ET TIMOTHEVM, ET BACCHIDEM.

6. Nec inde multò pòst dimicauit etiam Iudas cum duobus aliis Ducibus, Timotheo scilicet & Bacchide; qui, vt arbitror, missi à Ptolemæo, cum reliqua parte exercitus superuenerant: & interfecit ex iis Iudas super viginti millia, & cum eis Philarchen virum scelestum, qui in multis Iudæos afflixerat; pro quo quidam non ineptè intelligunt Philippum illum, quem Rex Ierosolymis præfecerat: Philarchen enim non personæ, sed dignitatis nomen fuisse perhibent. De prædictis autem Timotheo & Bacchide, vtrùm iidem sint qui 1. Machab. cap. 5. & 7. memorantur, tametsi incertum sit; certum tamen est, hoc bellum diuersissimum esse ab iis quæ locis citatis describuntur: siquidem constat, quòd Antiochus adhuc viuens in superioribus regni sui regionibus, non solùm audiuit de Lysia à Iudæis fugato, & de cultu Dei in Ierusalem restituto, vt legitur 1. Machab. cap. 6. vers. 6. & 7. sed etiam quæ contra Nicanorem & Timotheum gesta fuerant, quemadmodum refertur 2. Machab. cap. 9. vers. 3. Quare hoc bellum ante, illa verò post purificatum Templum accidisse, nemo negare potest.

7. Ceterùm Iudæi, parta etiam hac tertia tam grandi victoria, munitiones quoque excelsas facilè obtinuerunt, & ingentes prædas & arma quidem de hostibus collecta locis opportunis distribuerunt, reliqua verò spolia Ierosolymam detulerunt, (expulsis nimirum inde alienigenis, præterquam ab arce Sion, vt infrà sub anno proximo n. 2. patebit) & æquam de præda portionem debilibus, pupillis, viduis, & senioribus dispertierunt. Cùm autem læti Ierosolymis celebritatem agerent, pro victoria gratias Deo agentes, audissentque Casthenem quemdam, qui sacras ianuas incenderat, præ Iudæorum timore in quoddam domicilium confugisse; facto populi concursu, eumdem in eodem domicilio flammis consumpserunt; digna ei mercede pro ipsius iniquitate reddita. Hæc Iudæi. Regij verò Duces, Timotheus, Bacchides, Gorgias, & qui ceteris eminebat Nicanor, turpi fuga sibiipsis consuluerant. & ipse Nicanor præter spem humiliatus, & vltrà quàm dici potest confusus, Antiochiam reuersus, prædicabat protectorem Deum habere Iudæos, quòd Leges ab ipso institutas sequerentur. Lysias autem, qui ibidem pro Rege residebat, his auditis, consternatus animo deficiebat, quòd non qualia sperabat, & Rex mandauerat, contigissent in Israel. Quæ omnia 1. Machab. cap. 3. vers. 38. vsque ad 28. proximi capitis, & 2. Machab. cap. 8. vers. 8. vsque ad finem sparsim & promiscuè tradita, clarioris doctrinæ gratia, eo quo diximus ordine, hîc referre curauimus: quorum aliqua item refert Iosephus 12. Antiq. cap. 11.

AB ORBE CONDITO ANNVS 3890. — SEXTÆ MVNDI ÆTAT. ANNVS 444.

LYSIAS CVM EXERCITV VENIT IN IVDÆAM.

A IVDA FVGATVS REDIIT IN ANTIOCHIAM.

1 ANNO sequenti (vt signanter notatur 1. Machab. cap. 4. vers. 28. & apud Iosephum cap. citato) qui erat annus regni Græcorum centesimus quadragesimus octauus, vt capite Machab. adducto vers. 52. patet, & erat primus Olympiadis centesimæ quinquagesimæ quartæ, vt constat tum ex Iosepho ibidem, tum ex tabulis; congregauit Lysias exercitum electorum sexaginta millium peditum, & quinque millium equitum, vt omnino debellaret Iudæos, quemadmodum ei præceperat Rex. Et veniens ipsemet cum vniuersis copiis in Iudæam, castra posuit in Bethoron; cui confestim occurrit Iudas cum decem millibus, & inuocato Domino alacer iniit cum eo pugnam, & ceciderunt de exercitu Lysiæ quinque millia virorum. Videns autem Lysias fugam suorum, & Iudæorum audaciam, quippe qui parati essent aut vincere, aut fortiter mori: abiit in Antiochiam, vt aucto exercitu rursum veniret in Iudæam, quemadmodum traditur loco Machab. proximè citato vsque ad vers. 36. & apud Iosephum vbi suprà.

IVDAS TEMPLVM PVRIFICAT.

2. Intereà Iudas & fratres eius, contritis hostibus, decreuerunt ascendere Ierosolymam, & mundare templum. Itaque congregato omni exercitu, Domino se ptotegente, præter ciuitatem, quam (vt sub anno præcedenti num. 7. diximus) iam ceperant,

etiam

etiam templum (quod adhuc ab hostium præsidio in arce manente obsidebatur) receperunt; & aras, quas alienigenæ per plateas extruxerant, itemque delubra demoliti sunt. At vt viderunt sanctificationem desertam, & altare profanatum, & portas exustas, & pastophoria diruta, & in atriis virgulta nata velut in saltu, planxerunt planctu magno; quo expleto, delegit Iudas viros qui pugnarent aduersus præsidium alienigenarum quod erat in arce, ne exeuntes impedirent eos à purificatione templi; & elegerunt Sacerdotes qui eamdem purificationem facerent, & purgato templo, dirutoque altari quod à Gentibus fuerat profanatum, repositisque seorsum lapidibus, donec veniret Propheta qui responderet de eis; ædificauerunt altare holocaustorum nouum, ad præscriptum Legis: & resarcita anteriori domo, quæ Sancta dicebatur, fecerunt vasa sancta noua, & intulerunt Candelabrum, & Altare incensi, & Mensam propositionis in templum; & extenderunt vela, & omnia perfecerunt quæ ad restituendum verum Dei cultum opus esse videbantur, & denique ipsam ædem, vt diximus, iam reparatam, & atria eius perpurgata, sanctificauerunt, vt accuratè describitur 1. Machab. cap. 4. vers. 36. vsque ad 52. & 2. Machab. cap. 10. vers. 1. vsque ad 5. & apud Iosephum 12. Antiq. cap. 11. Quoniam autem loco Machab. hîc priùs allegato de vnico tantùm candelabro & vnica mensa fit mentio, & probabile est, Machabæos instaurasse omnia eo modo quo priùs fuerant in templo; videtur hinc desumi posse, quòd in templo post reditum de Babylonia ædificato, non decem candelabra & decem mensæ extitissent, quæ anteà fecerat Salomon; sed vna dumtaxat mensa, & vnum candelabrum, quemadmodum olim in Tabernaculo fecerat Moyses. Quod si verum est, oportet in hoc quoque diuersum fuisse secundum templum à primo, vt sub anno mundi 3540. num. 3. dictum est.

3. Igitur, die vigesima quinta mensis noni, qui dicebatur Casleu, eiusdem anni centesimi quadragesimi octaui, ante matutinum surgentes, & de ignitis siue igniferis lapidibus igne concepto, obtulerunt cum canticis, & citharis, & cinyris, & cymbalis, & lætitia magna, super Altari holocautomatum nouo sacrificia, & posuerunt incensum super Altare thymiamatis, & lucernas accensas in Candelabro, & panes propositionis super Mensam in templo, sicut priùs fieri consueuerat; & prostrati in terram adorabant & benedicebant Deum, qui prosperauerat eis, obsecrantes ne deinceps vmquam ampliùs sancta eius à gentibus pollui permitteret; sed & si quando peccassent, mitiùs cum eis ageret, vt videre est locis proximè citatis. INCIPIVNT FIERI IN TEMPLO PVRIFICATO SACRIFICIA.

4. Sanè hæc templi purificatio contigit eodemmet die, quo ante aliquot annos à gentibus pollutum fuerat, vt expresè traditur 1. Machab. cap. 4. vers. 54. & clariùs 2. Machab. cap. 10. vers. 5. & euidenter colligitur ex collatione duorum Scripturæ textuum, nempe 1. Machab. cap. 1. vers. 57. & 62. vbi dicitur, quòd die vigesima quinta mensis Casleu anni centesimi quadragesimi quinti, cœperunt gentes sacrificare idolo super aram: cum aliis duobus Sacris textibus, nimirum 1. Machab. cap. 4. vers. 52. & 2. Machab. cap. 10. vers. 5. vbi legimus, quòd in eadem vigesima quinta die mensis Casleu, anni centesimi quadragesimi octaui, obtulerunt sacrificia secundùm Legem. Ex quibus sanè locis vtique consequitur, & templum eodem die fuisse mundatum quo priùs fuerat profanatum, & hanc eius contaminationem tribus præcisè annis perdurasse. TEMPLI PVRIFICATIO QVANDO FACTA, ET QVAMDIV EIVS POLLVTIO PERDVRAVERIT.

5. Sed dicet aliquis: Quomodo ergo verum est, quod loco Machab. proximè citato dici videtur, dictam templi purificationem factam esse post biennium? Et item, quomodo veridicus inueniri poterit Iosephus, qui lib. 1. de Bello cap. 1. non procul ab initio, vbi de Antiocho Epiphane verba faciens, dicit, quòd *ipse templum spoliauit, & quotidianæ religionis assiduitatem per annos tres sexq; menses inhibuit?* Cuius sententiam sequuntur Iansenius in suæ Concordiæ Euangelicæ cap. 122. & Pererius lib. 5. in Danielem super illa verba capitis 4. *Septem quoque tempora mutabuntur*, &c. dicentes, Antiochi persecutionem aduersus Iudæos, vel potiùs Ierosolymitani templi profanationem ab eo factam, durasse per tempus, & tempora, & dimidium temporis; hoc est tribus annis cum dimidio: & totidem annis duraturam Antichristi persecutionem in prædicto Antiocho præfiguratam. Constat enim memoratam phrasim, videlicet *tempus, & tempora, & dimidium temporis*, qua Daniel cap. 7. vers. 25. & cap. 12. vers. 7. & eius exemplo Ioan. in Apocalypsis cap. 12. vers. 14. vsi sunt, exponi ab eodem Daniele c. 12. v. 11. per mille ducentos nonaginta dies, & ab eodem Ioan. Apocalyps. cap. 13. v. 5. & c. 11. vers. 2. per menses quadraginta duos, & ibidem vers. 3. & cap. 12. vers. 6. per dies mille ducentos sexaginta; quæ tres temporum summæ continent singulæ annos circiter tres

cum dimidio. Nam licet non sine mysterio in prima supersint dies duodecim, in tertia autem deficiant dies decem & octo; certum est, secundam præcisè tres annos semis Solares integros facere; computatis nimirum duodecim mensibus pro vnoquoque anno. Igitur si tribus circiter annis cum dimidio durauit prædicta templi profanatio; quomodo dici potest quòd post biennium, aut quòd statim in fine triennij ex quo pollutum fuerat, facta sit templi purificatio?

6. Respondemus, vtique tria hæc (si accuratiùs tempora distinxerimus) posse vera reperiri. Nam certum est, quòd à tempore quo primùm sacrificari cœptum fuit idolo super Altari holocautomatum iussu Antiochi collocato, vsque ad tempus, quo super altari nouo ibidem, loco prioris profanati, extructo, cœperunt offerre sacrificia Domino, fluxerunt præcisè anni dumtaxat tres integri, vt ex Scripturæ locis suprà allegatis manifestum est, & disertis verbis testatur Iosephus 12. Antiq. c. 11. dicens: *Integro triennio desertum fuit templum post factam ab Antiocho profanationem. Ea enim incidit in annum centesimum quadragesimum quintum, & diem Apellæi mensis vigesimum quintum, Olympiade centesima quinquagesima tertia: renouatum est autem eadem die, anno centesimo quadragesimo octauo, Olympiade centesima quinquagesima quarta.* Et idem ferè tradit Eusebius in Chronicis.

7. Si autem attendamus tempora defluxa ex quo cœptum est prædicto sacrificari idolo, vsque ad determinationem factam mundandi Sancta, quādo scilicet Iudas contritis hostibus, & coacto Iudæorum conuentu, decreuit purificare templum, & ad hoc venit cum suis in Ierusalem, vt suprà num. 2. dictum est: proculdubiò veraciter dicere possumus, ipsam templi purificationem post biennium fieri cœpisse; id est, posteaquam iam exacti erant duo priores anni ab eius profanatione. Nam si in fine tertij anni absoluta fuit ipsa templi purificatio, vtique oportet eamdem per plures anteà menses, puta sex aut septem, fuisse inchoatam: non enim minori tempore videntur fieri potuisse omnia, quæ numerò citato retulimus; nimirum ascensus Iudæ cum exercitu in Ierusalem: magnus ille omnium luctus, vt viderunt sanctificationem desertam & contaminatam: pugna virorum Iudæ cum alienigenis in arce existentibus: mundatio seu sanctificatio Sacerdotum: demolitio ararum ac delubrorum, atque altaris contaminati, idolique super eo positi: ædificatio noui altaris holocautomatum, & altaris incensi, & candelabri aurei, ac lucernarum eius, & mensæ propositionis, & vasorum ac velaminum: & reparatio ædis sanctæ, & portarum atque exedrarum, & atriorum, & eiusmodi alia, quæ necessariò fieri debebant antequam inciperent immolare in templo sacrificia Domino. Quare illa verba *post biennium*, quæ habentur 2. Machab. cap. 10. v. 3. licet videantur referri tantummodò ad primam illam hostiarum oblationem, id est ad terminum absolutæ iam purificationis; reverà tamen referenda sunt etiam ad initium eius, hoc est ad Iudæ aduentum in Ierusalem pro ipsa templi purificatione peragenda, qui ibidem in ipso capitis initio prænarrari cœptus fuerat.

8. Denique, si tempora hæc metiri voluerimus à primo illo valdè memorabili contaminationis templi initio, quando scilicet Apollonius ab Antiocho Rege Ierosolymam missus, facta ingenti Iudæorum strage, sese cum suis recepit in Sion, olim ciuitatem Dauid, tamquam in arcem benè munitam, & inde iugiter discurrens in circuitu Sanctificationis perimebat omnes ad templum deuotionis causa accedentes (ex tunc enim cœperunt Iudæi à sacrificiis in templo offerendis præpediri, & ipsum templum tunc cœptum est multa innoxij sanguinis effusione commaculari; quod posteà pleniùs præstitum est, quando diuulgato Regis edicto de Iudæis ad ritus Gentium transferendis, missus etiam fuit Ierosolymam senex ille Antiochenus, qui abominandum Iudæis idolum in altari collocauit, & eidem sacrificia fieri mandauit, vt latiùs sub anno mundi 3887. num. 1. 3. & 4. dictum est) si, inquam, non ab absoluta, sed ab inchoata templi pollutione, vsque ad perfectam eius emundationem, temporis intercapedinem metiri voluerimus; certè inueniemus illam fuisse annorum circiter trium cum dimidio, vt ex dictis sub anno mundi citato num. 1. inferri potest.

DE TEMPLI, ET ALTARIS DEDICATIONE, ET FESTI ENCAENIORVM INSTITVTIONE.

☞ 9. In hac quoque templi emundatione, celebrarunt altaris & templi dedicationem diebus octo, ornantes faciem templi coronis aureis, & scutulis, & huiusmodi; offerentesque in eo holocausta ad præscriptum Legis. Sed & octo istos dedicationis dies celebrarunt in modum seu similitudinem sollemnitatis Tabernaculorum; quæ similitudo in eo sita erat, quòd quemadmodum festiuitas Scenopegiæ seu Tabernaculorum celebrabatur per octo dies continuos; & in memoriam tabernaculorum in quibus habitauerant patres eorum per desertum, ipsi quoque sub tentoriis noctu manentes, per diem proce-

procedebant gestantes in manibus ramos virides: sic in hoc Encæniorum festo, quod pariter octo diebus perdurabat, tametsi non habitaret in tabernaculis, ferebant tamen surculos palmarum aliarumque arborum, recolentes exilij ipsorum tempus proximè præteritum, quando scilicet cogebantur festa sua non in templo, quod profanatum erat, agere; sed in montibus & speluncis more bestiarum; & nunc diuino beneficio de tantis ærumnis eruti, in hunc præsertim modum benedicebant Domino qui prosperauerat eis, & concesserat vt templum denuò recuperare, mundare, atque in eo festa sua celebrare potuerint. Insuper communi omnium decreto statuerunt, præcipientes vniuerso Israëli, vt deinceps quotannis celebraret die vigesima quinta mensis Casleu hanc eamdem sollemnitatem per octo dies continuos, quemadmodum disertè traditur 1. Machab. cap. 4. vers. *56*. vsque ad *60*. & breuiter repetitur 2. Machab. cap. 10. vers. *6*. vsque ad *9*. Hæc eadem narrat Iosephus 12. Antiquit. cap. 11. hisce verbis: *Celebrauit autem Iudas recepti templi festiuitatem per dies octo sacrificans, in quibus nullum voluptatis genus omissum est; sed populo quidem sumptuosum ac splendidum epulum est exhibitum; in Dei verò laudem, hymnis & canticis personabant omnia. Tanta verò lætitia ob reductos ritus patrios & priscam religionem occupauit gentis eius animos, maximè quòd ea felicitas ex insperato obtigerat; vt Lex lata sit ad posteros, quæ iuberet quotannis hoc festum reparati cum cærimoniis templi, per octo dies celebrari: & ex eo tempore mos hic apud nostros obtinuit; vocamusq; hanc festiuitatem Luminum; opinor ideò, quòd ex insperato nobis illuxerit tanta felicitas.* sic Iosephus.

¶ 10. Pluribus ergo nominibus hæc dedicationis templi celebritas postmodum nuncupata fuit: nimirum, festiuitas Luminum, ob causam proximè allatam. item Scenopegia mensis Casleu, vt videre est 2. Machab. cap. 1. vers. *9*. vbi legimus: *Et nunc frequentate dies Scenopegiæ mensis Casleu.* vbi signanter additum est illud *mensis Casleu*, ad differentiam vulgatæ apud Hebræos Scenopegiæ, quæ sine vlla additione absolutè vocabatur Scenopegia, & non in die vigesimo quinto mensis Casleu, qui erat mensis Anni sacri nonus; sed die decimoquinto mensis septimi agi solebat, vt præceptum fuerat Leuitici cap. 23. vers. 34. & sequētibus. Puto autem ideò sic etiam fuisse appellatam, quòd in memorato decreto non simpliciter præceptum fuisset, vt singulis annis hęc templi dedicatio celebraretur; sed etiam vt eo prorsus modo fieret, quo tunc primùm, nimirum Iudæ temporibus facta fuerat, videlicet in modum festiuitatis Scenopegiæ seu Tabernaculorum, quemadmodum clarè exprimitur 2. Machab. cap. 10. vers. *6*. Denique hoc festum appellatum quoque fuit Encænia, à καινὸν Græcè, quod Latinè significat *nouum: quandocumq; enim nouum aliquid fuerit dedicatum, encænia vocantur*, vt ait S. Augustinus tract. 48. in Ioan. circa initium. Et hæc est illa festiuitas, cuius meminit in Euangelio S. Ioannes c. 10. v. 22. dicens: *Facta sunt Encænia in Ierosolymis*, &c. vt planè indicant verba quæ ibidem subiunguntur, *& hiems erat*. etenim, quemadmodum (vt sub anno mundi 2544. num. 11. diximus) Nisan, Anni Hebræorum sacri mensis primus, sæpenumerò partem habet nostri Martij & Aprilis; ita nonus, vocabulo Casleu, cōcurrit ex parte cum nostro Nouembri & Decembri. Huc accedit, quòd quamuis in Sacro volumine duas quoq; alias ante istam legamus factas esse Ierosolymitani tēpli dedicationes, nulla tamen illarum nisi hæc in hieme contigit. Nam prima, vt ait S. Cyrillus in Ioan. lib. 7. c. *9*. à Salomone celebrata fuit cū magna gloria, & totius regni pace, autumnali tempore, videlicet mense septimo; vt apertè traditur 3. Reg. cap. 8. v. 2. & 2. Paralip. cap. 7. v. 10. Secunda verò, à Zorobabele & Iesu Sacerdote magno, cum reliquis filiis Babylonicæ transmigrationis, verno tempore facta est, videlicet in mense Adar, vt dicitur 1. Esdr. cap. *6*. v. 15. & 16. qui mensis partim Februario & partim nostro respondet Martio. Tertia autē, vt diximus, à Iuda Machabæo & fratribus eius acta est die vigesima quinta mensis Casleu; quando etiam speciatim constitutum est, vt singulis annis hęc eadem dedicatio sollemnibus frequentaretur officiis. Quæ planè constitutio vsq; ad tempus Saluatoris seruata est, sicuti Euangelij lectio declarat. hæc ex S. Cyrillo. Cui si quis opponat, videri aliam insuper tempore Herodis fuisse factam, vt ex Iosepho in calce libri 15. Antiq. colligi potest; dicimus, de hac nusquam haberi, neque quo anni tempore facta fuerit, neque quòd quotannis posteà celebrari iussa sit.

FESTI ENCÆNIORVM PLVRA NOMINA.

☞ 11. Eodem tempore ædificauit Iudas, hoc est, ædificare cœpit montē Sion (nimirum illam montis partem in qua erat templum, vt declaratur 1. Mach. c. *6*. vers. 7.) instaurās in circuitu eius muros altos & turres firmas, quas olim Artaxerxes Longimanus Rex Persarum (vt anno mūdi 3610. num. 13. diximus) ædificauerat; & custodias ad hostem arcendum imposuit. Et insuper muniuit Bethsuram, vt ea, tamquam propugnaculo, Iudæa

IVDAS TEMPLI MVNITIONEM INSTAVRAT, ET IVDAEAB FINES CONTRA IDVMAEAM.

Iudæa protegi posset cōtra hostium conatus per viam Idumææ impendentium: 1.Machab.cap.4.verſ.60.& 61.& Ioſephus 12.Antiq.cap. 11.prope finem.Erat autem Bethſura,ciuitas ſiue caſtrum in finibus Iudæ poſitum, vt dicitur 1.Machab.cap.14.v.33. contra faciem Idumææ, 1.Machab. cap.4.in fine;natura quoque ſatis firmum, vtpote in anguſto quodam montium loco ſitum,rupibuſque vallatum,& ab Ieruſalem ſtadiis quinque diſtans;vt legimus 2.Machab.cap.11.verſ.5. Ex quo licet colligere, quàm arcti & Ieroſolymis proximi eſſent tunc temporis, ſaltem ab illo latere, Iudææ fines. Cuius rei cauſam eſſe arbitror,quòd Idumæi,quando Iudæos Antiochus tantopere infeſtabat,dilatauerint fines ſuos,occupantes Iudææ regiones ipſis proximiores: &iam (vt ex 1.Machab.c.5.v.65.nos numero proximo dicemus) cepiſſent Chebron ſiue Hebron,quæ diſtabat ab Ieruſalem ad Auſtrū viginti duobus millibus paſſuum, quemadmodum tradit Libellus de Locis Hebraicis.Et fortè item tum tenebant Idumæi alia,ſi quæ erant loca inter Hebron &Bethſuram,vt pariter ex numero proximo dicendis cōiectari poterit; & prætereà ex his,quæ ſub anno mundi proximo nu.4.dicemus de Idumæorum munitionibus,ad quas,qui ab Ieroſolymis fugabantur, confugere ſolebant.

SACRAM INSTRVIT BIBLIOTHECAM.

12. Per idem quoque tempus,vt arbitror,Iudas Machabæus, reſtituto Dei cultu, congregauit etiam in templum omni ſtudio ac diligentia conquiſitos quotquot reperire potuit Sacros libros,propter bella & Antiochi perſecutionem deperditos, vt obiter dicitur 2.Machab.cap.2.verſ.14. vbi etiam illud additur, quòd eo modo id præſtitit, quo longè anteà fecerat Nehemias,quemadmodum nos ſub anno mundi 3610.n.18. explicauimus. Vnde inferri poteſt, quòd Iudas vel antiquam quoque à Nehemia Bibliothecam in templo extructam,denuò reſarciuerit atque inſtaurauerit; vel aliam ei ſimilem erexerit.Puto etiam in hac diligenti Sacrorum librorum inquiſitione inuentas eſſe illas Ieremiæ Deſcriptiones, quæ memorantur 2.Machab. cap.2. & quarum nos ſub anno mundi 3447.num. 16.meminimus,in quibus ſacri ignis ab eo abſconditi hiſtoria eodem Machabæorum loco breuiter relata,latiùs texebatur: vel ſaltem inuenta tantùm fuiſſe alia quædam Nehemiæ Commentaria ſeu Deſcriptiones, ab his quæ nunc habentur diuerſa,vbi contenta in prædictis Ieremiæ Deſcriptionibus inſerta erant,vt apertè dicitur cap.Machab.citato verſ.13. & inſuper ſubiungebatur narratio eorum,quæ ipſiuſmet Nehemiæ temporibus acciderant, & breuiter tanguntur 2.Machab.cap.1.verſ.18.vſque ad 33.de dicto igne ſub aquæ cuiuſdam craſſæ forma inuento; & de eadem aqua ſacrificiis aſperſa,iterumque in ignem mirabiliter conuerſa; quæ fuerat cauſa inſtituendi Feſtum ignis. Atque ex horum librorum, ſeu huius libri inuentionis occaſione,Iuda Machabæo procurante,in publico ſeniorum Concilio ſancitum fuiſſe,de noua dictæ Feſtiuitatis inſtauratione, quam temporum varietate iampridem antiquatam videbant.Puto autem ideò quoque tunc decretum fuiſſe,vt ea deinceps in menſe nono ſimul cum feſto Dedicationis templi celebraretur, quemadmodum in Hebræorum Kalendario notata reperitur; quia licet ignis ille mirabilis in menſe ſeptimo, (vt nos ſub anno mundi 3610.num 12.& 13.probauimus) apparuiſſet; nihilominùs prædictæ Deſcriptiones Ieremiæ, quæ de dicta ignis apparitione teſtificabantur, in menſe nono,vt dictum eſt,inuentæ fuerant.

FESTVM IGNIS CVR IN MENSE NONO INSTITVTVM SIT.

IVDAS VASTAT IDVMAEOS, ET FILIOS BEAN, ET AMMONITAS.

13. Eodem anno,cùm audiſſent finitimæ Gentes inſtaurata eſſe omnia in Ieruſalem quæ ad Dei cultum pertinerent,diabolico quodam zelo accenſæ,cœperunt ſingulæ ex omni parte acriùs perſequi & vexare Iudæos. Quamobrem ipſe quoque Iudas cum fratribus ſuis denuò aduerſus eas vehementiùs dimicare cœpit.Et primò aduerſus Idumæos,qui erant in Acrabathane,quam puto eſſe eam Iudææ partem,tunc ab Idumæis occupatam,quæ apud Ioſephum lib.3.de Bello Iudaico,ſub finem cap.2.dicitur Acrabata,& inter vndecim Iudææ Toparchias tertia ponitur. Dein recolens Iudas malitiam filiorum Bean, qui Iſraëlitis iugiter moliri inſidias non deſiſtebant, applicuit ad eos,& in turribus concluſos igne ſuccendit.Poſteà tranſiuit ad Ammonitas,& commiſit cum eis & cum Timotheo eorum Duce prælia multa, contriuitque eos, & capta Gazer ciuitate reuerſus eſt in Iudæam.Verumtamen,vt primùm Gentes quæ erant in terra Galaad, cognouerunt de Iudæ ab illis partibus diſceſſione; confeſtim congregatæ adoriuntur Iudæos in eorum finibus exiſtentes, & plurimis ipſorum interfectis, reliquos in munitionem quamdā, cui nomen erat Datheman, quantocyùs confugere cōpulerunt; qui in ſummo diſcrimine poſiti,velociter mittūt litteras ad Iudam,obnixè rogantes,vt ſi non ipſorū ſalutem deſpiceret,illicò eis in auxiliū properaret.Sed & eidē Iudæ dum has legit litteras,ſuperuenerunt de Galilæa alij Iudæorum nuntij, cauſantes ſe à Ptolemaide, Tyro & Sidone, aliiſque finitimis vrbibus & populis valdè infeſtari.

Qui-

Quibus auditis, & consultatione cum suis præhabita, Iudas, relicta sub Ducibus Iosepho & Azaria parte exercitus, cum mandatis (vt colligitur 1. Machab. cap. 5. vers. 61.) ne contra hostes exirent, sed suos tantùm tueri satagerent; misit Simonem fratrē suum cum manu forti in Galilæam; qui fugatis feliciter spoliatisque hostibus, & ad tria millia occisis, receptos Iudæorum captiuos secum traduxit in Iudæam. Et similiter ipse Iudas, qui eodem tempore cum Ionatha fratre ac residuis copiis profectus fuerat in Galaaditidem regionem, semel atque iterùm contrito ac profligato Timothei exercitu, plures hostium cepit subuertitque ciuitates; & facta ingenti præda, recuperatisque omnibus Iudæorum captiuis, reuersus est cum eis in Iudæam cum lætitia magna, & populo multo, & spoliis plurimis, ac simul læti ascenderunt in montem Sion, hoc est, in templum, ibique obtulerunt holocausta Domino. At verò prædicti Duces Iosephus & Azarias, antequam redirent Iudas & fratres eius, vt primùm audierant eorum res benè gestas, æmulationis quodam zelo accensi, cupientes & ipsi interim sibi nomen facere, Iudæ præcepta paruifacientes, egressi sunt vt pugnarent cum hostibus ad Iamniam; vbi à Gorgia contriti, amissis ad duo millia militum, turpiter & confusi redierunt, debitam suæ temeritatis, præsumptionis, & vanæ gloriæ retributionem reportantes. Porrò huius cladis duplicem assignat sacra Scriptura rationem; nimirum, quia non audierunt Iudam & fratres eius, id est supremis ipsorum Ducibus parere neglexerant; meritò namque inobedientia inter vanæ gloriæ filias computatur: altera, quia non erant de his quos destinauerat Dominus ad liberandum Israëlem de iugo Gentium: ex quo proditur, quàm temeraria fuerit eorum præsumptio. Ceterùm, ea res maiorem Iudæ & fratribus eius gloriam parauit: quandóquidem hoc exemplo cognouit omnis Israel, ipsos & non alios verè à Deo esse electos populi Duces, qui ipsum de manibus hostium eriperent, & propterea exinde magis magnificabat eos populus, & conueniebant ad ipsos cuncti fausta acclamantes. His ergo excitati Iudas & fratres eius, denuò exeuntes, pugnauerunt iterùm cum Idumæis, & illis fusis percusserunt succenderuntque vrbem Chebron ab illis occupatam. Idumæis autem humiliatis, mouit Iudas inde castra, & excurrens, vastansque regiones Samariæ, declinauit in Azotum, quæ tum cum finitimis ciuitatibus tenebatur ab alienigenis, fortasse Philisthæis, quorum olim regio illa fuerat; vbi Iudas diruit aras eorum, & sculptilia succendit, & captis ciuitatum spoliis rediit cum exercitu lætus in Iudæam; vt latè describitur 1. Machab. cap. 5. per totum, & apud Iosephum 12. Antiquit. cap. 11. & 12. Quamquam autem non videatur verisimile, Iudæos trium ferè mensium interuallo, quod ab emundatione templi ad huius anni finem residuum erat, tot tantaque bella gerere potuisse; longeque probabilius sit, horum aliqua, videlicet posteriora, ad proximum annum pertinere: nihilominùs, quoniam successiuè, & sine vlla temporis distinctione, omnia hæc in Sacro eloquio recensentur; maluimus & nos eadem hîc eodem modo ac ordine breuiter referre.

SIMON IN GALILAEA, ET IVDAS CVM IONATHA IN GALAAD FELICITER DIMICANT.

ET IOSEPHVS ET AZARIAS AD IAMNIAM INFELICITER.

IVDAS ET FRATRES EIVS PROSPERE REM GERVNT IN IDVMAEA, SAMARIA, ET AZOTO.

AB ORBE CONDITO ANNVS 3891. — SEXTÆ MVNDI ÆTAT. ANNVS 445.

1 ANNO regni Græcorum centesimo quadragesimo nono, vt num. 2. probabitur, Antiochus Rex perambulans superiores regni sui prouincias, & in congregandis thesauris occupatus, audiuit esse ciuitatem in Perside opulentissimam, quæ antiquitus ab Elam primo eius conditore, Elymais; posteà, quòd Persidis Regia facta fuisset, Persepolis per Antonomasiam dicta est; in eaque templum pretiosissimis multarum Gentium, præsertim verò Alexandri Magni, donariis locupletissimum, quod Auctor 1. Machab. cap. 1. vers. 13. vocat Naneæ, Iosephus autem 12. Antiq. cap. 13. & Polybius ab ipso ibidem adductus, Dianæ; Appianus verò sub finem libri de Bellis Syriacis appellat Veneris: (diuersimodè enim aliquando eumdē locum à pluribus, pro idiomatum varietate, nuncupari contingit.) Hoc templum cùm Rex spoliare tentasset, Sacerdotum dicti templi consilio deceptus est: siquidem ab ipsis callidè in fanum cum paucis introductus, ibidemque conclusus, ac cæsis obtruncatisque & membratim sectis qui cum eo intrauerant, ipse lapidibus turpiter impetitus, pænè extinctus est. Simile quid iam patri suo Antiocho Magno acciderat, quem eiusmodi quodammodò sacrilega de causa interemptum fuisse, nos sub anno mūdi 3867. num. 1. ex Strabone & Iustino diximus: & nihilominùs exemplū tam domesticum tamq; memorabile, filium nihilo patre meliorem prohibere non valuit, quò minùs se quoque tali periculo com-

ANTIOCHVS TEMPLVM QVODDAM SPOLIARE TENTANS, TVRPITER FVGATVR.

committeret: tanta est auaritiæ vis, vt non immeritò Poëta admiratione obstupefactus exclamauerit, dicens:

—— Quid non mortalia pectora cogis
Auri sacra fames! ——.

Verùm iste, cùm nescio quo modo ex illo periculo euasisset, non multò pòst in aliud pænè incidit. Nam posteà volens, vt reor, cùm suis illud facinus vlcisci, multitudine ciuitatis vndique ad arma concurrente, non sine magno sui dedecore, & animi mœrore, inde cum exercitu suo quantocyùs aufugere coactus est. Cùm autem ex illa præcipiti fuga, qua in Babylonem venire disposuerat, nescio qua de causa in Mediam diuertisset; contigit vt nuntius, qui de Syria venerat nuntiare ei quæ in Iudæa acciderant, ipsum tandem reperiret circa Ecbatanam primariam Mediæ vrbem: à quo posteaquam recognouit, quæ Iudas contra Lysiam, & Nicanorem, & Timotheum, cæterosque eius Duces fortiter gesserat; & quòd destructis in Iudæa idolorum aris, ibidem, ac præsertim in templo Ierosolymitano, Dei cultum restitui curauerat, & Sanctificationem muris vt priùs circumdederat, Bethsuramque munierat: primò quidem Rex in furorem versus, iussit accelerari currum, & sine intermissione iter facere Ierosolymam versùs, volens omnimodis eam diruere, & sepulchri Iudæorum congeriem facere. Verùmenimuerò, cùm, ad tumorem malignitatemque eius frangendam, diuinâ prouidentiâ de curru impetu nimis incitato properante cecidisset, grauiterque colliso corpore, diro insuper viscerum dolore correptus esset, ita vt in sella gestatoria ipsum deinceps portari oporteret; renouata, admodumque aucta in eo est tristitia magna, tum ex morbi vi, tum etiam ob calamitates in Perside atque in Iudæa acceptas. Ingrauescente autem vsqueadeò deinde morbo, vt etiam cum fœtore intolerabili vermes de eius corpore scaturirent, diuinam in se vltionem sentiens, cœpit recogitare mala quæ fecerat in Ierusalem; & proponere, si sanitatem à Deo impetrasset, multa se mox bona Iudæis & eorum templo præstiturum. Verùm hanc scelesti huius pœnitentiam oportet fictam simulatamque fuisse, neque vllatenus ipsum de offensa Dei, sed de corporali tantùm sua miseria doluisse; alioqui Scriptura sacra de ipso non dixisset 2. Machab. cap. 9. vers. 13. *Orabat autem hic scelestus Dominum, à quo non esset misericordiam consecuturus.*

AVDITIS QVAE IVDAS FORTITER GESSERAT, IRATVS ADVERSVS IVDAEOS CVRRVM ACCELERARI IVBET.

DE CVRRV CADENS GRAVITER INFIRMATVR.

NON VERE POENITET.

2. Denique infelix, vt se sensit iam deficere, ac non posse suum se fœtorem ampliùs ferre; de propria salute desperans, volensque rebus filij sui (quem puerulum appellat Iustinus lib. 34. & eumdem tum nouennem extitisse asserit Appianus sub finem lib. de Bellis Syriacis) quantum posset prospicere; Philippum collactaneum suum regno suo præposuit, dans ei insignia regia, annulum scilicet, & stolam, & diadema, Antiocho filio perferenda, eumdem fidei suæ plurimùm commendans: deinde scripsit ad Iudæos Epistolam, quæ habetur 2. Machab. cap. 9. vers. 19. vsque ad 28. deprecans eos, vt Antiocho filio seruent fidem, subditique permaneant. Ac ita non multò pòst, obitu miserabili peregrè in montibus vita functus est, eodemmet anno regni Græcorum centesimo quadragesimo nono, vt apertè testatur Scriptura 1. Machab. cap. 6. vers. 16. & tradit Iosephus 12. Antiq. cap. 14. nimirum, vt reor, intra primos eiusdem anni menses: quandoquidem certum est, Iudam post Antiochi mortem hoc eodemmet anno plura bella gessisse, quæ consequenter narrabimus, & paucis mensibus confici potuisse non videntur. Et tunc impleta est Prophetia Danielis cap. 8. vers. 25. quæ ait: *Et sine manu conteretur.* quamuis ea non de Antiocho tantùm, sed etiam de Antichristo, cuius ille typum gerebat, prolata credatur. Porrò Antiochi cadauer transferebat Antiochiam præfatus Philippus collactaneus eius. Quæ omnia sparsim relata, nos hîc in hunc ordinem redacta collegimus ex 1. Machab. cap. 6. vers. 1. vsque ad 17. & 2. Machab. c. 1. vers. 13. vsque ad 17. & cap. 9. per totum, & ex Iosepho 12. Antiq. cap. 13. Neque verò prædictis obstat, quòd 2. Machab. cap. 1. vers. 13. & 16. Antiochus non dicatur ex morbo obiisse; sed à Sacerdotibus in templo Naneæ conclusus, lapidibusque percussus, cecidisse: quandoquidem cecidisse dicitur, non quia mortuus sit; sed quoniam exercitus eius, cuius ille erat caput, percussus ceciderat, & ipse Rex turpi fuga vix euaserat. Nam & Genes. cap. 14. vers. 10. legimus Regem Sodomorum in prælio cecidisse, qui tamen ibidem vers. 17. viuus Abrahæ posteà occurrisse describitur: & Daniel. cap. 11. vers. 30. de præfato Antiocho Epiphane dicitur, *Et venient super eum Trieres, & Romani, & percutietur.* Quem locum exponens B. Hieronymus, ait: *Percussus dicitur à Romanis Antiochus, non quòd tunc interierit, sed quòd omnem arrogantiæ perdiderit magnitudinem.*

MISERE ADMODVM MORITVR.

DANIELIS PROPHETIA IMPLETVR.

OBIECTIO DILVITVR.

3. Eodem anno Lysias, quem Antiochus Epiphanes, cùm proficisci vellet in Persidem,

dem, omnibus regni sui negotiis ab Euphrate ad Ægyptum præfecerat; quemadmodum sub anno mundi 3889. num. 3. diximus; statim vt audiuit Regem obiisse, constituit pro eo Regem Antiochum huius nominis V. & Epiphanis filium, licet adhuc, vt dictum est, pæne puerum, cognominauitque Eupatorem: qui suscepto regno, amouit Ptolemæum cognomento Macer à Præfectura Syriæ &. Phœnicis, quòd audisset ipsum erga Iudæos bene affectum; & pro eo suffecit Lysiam, quem non multò pòst, vt colligi potest 2. Machab. cap. 11. vers. 1. cunctis regni negotiis præposuit, Regisque cognatione propinquum fecit. Præfatus autem Ptolemæus inique ferens se suspectum esse Regi; & insuper, quòd frequenter ab aulicis se proditorem appellari audiret, quoniam creditam sibi à Philometore Ægypti Rege Cyprum deseruisset, & ad Antiochum Epiphanem facto transitu, etiam ab eo recessisset; veneno seipsum interemit: 1. Machab. cap. 6. vers. 17. & 2. Machab. cap. 10. vers. 10. vsque ad 14.

REGNAT IN ASIA ANTIOCHVS EVPATOR.

4. Per idem quoque tempus Gorgias, vnus de regiis Ducibus, assumptis secum aduenis, hoc est auxiliaribus seu conductitiis militibus, & simul cum eo quidam Iudæorum impij, & Idumæi, qui opportunas proximasque tenebant munitiones, & eos qui ob improbitatem ab Ierosolymis pellebantur, facilè libenterque recipiebant; frequenter admodum Iudæos infestabant. Quamobrem Iudas, & qui cum eo erant; orationibus supplicationibusque de more ad Deum præmissis, (quod vtinam Christiani Duces militesque facere assuescerent! sic enim proculdubiò illis res feliciùs cederent) & facto in hostes impetu, plurima obtinuerunt Idumæorum munita loca, & non minùs viginti millibus hostium trucidarunt. Et cùm plures in duas turres valdè munitas confugissent, ibique se valenter defenderent; Iudas relicto fratre suo Simone ad illarum expugnationem, ipse ad eas quæ magis perurgebant pugnas conuertebatur. Verùm, vbi cognouit, quòd quidam ex iis qui cum Simone erant, pecunia corrupti, plures ex hostibus aufugere de turribus permiserant, confestim illos tamquam proditores interfici curauit, ac duabus illis turribus fortiter expugnatis, omnes in eis existẽtes pariter interemit. Ac subinde, cùm Timotheus (posteaquam à Iudæis, vt sub anno præcedenti num. 12. dictum est, fuerat superatus) exercitu peregrinæ multitudinis conuocato, iterùm quasi Iudæam occupaturus aduenisset; Iudas post supplicationes Deo præstitas, prælio eum aggressus est; ac cælesti quadam quinque equitum apparitione mirabiliter adiutus, eumdem Timotheum contriuit, cæsis de exercitu eius peditum viginti millibus & quingentis, equitum verò sexcentis: & tandem ipsum quoque Timotheum cum Chærea fratre, aliisque Ducibus, qui in Gazaram benè munitam confugerant, ac de loci firmitate confisi, aduersus Iudæos etiam iurgia proferre non dubitabant, præsidio expugnato atque incenso peremit, maledicosque viuos flammis concremauit. Et his actis, Iudæi in hymnis & confessionibus pro tam grandi parta victoria benedicebant Dominum, qui magna fecerat in Israel: 2. Machab. cap. 10. vers. 14. vsque ad finem capitis.

IVDAS ALIQVOT IDVMAEORVM LOCA OCCVPAT.

TIMOTHEVM ALIOSQVE DVCES PRAELIO VICTOS INTERIMIT

5. Non multò pòst Lysias propinquus &, vt diximus, primarius Regis Minister, his auditis, & grauiter ferens tantas Iudæorum progressiones, cùm octoginta millibus peditum, ac vniuerso equitatu, & octoginta elephantis veniens in terram Iuda, Bethsuram oppugnare cœpit, putabatque se posse etiam Ierosolymam capere, & templum profanare, ac Iudæos omnino subigere. Sed contrà accidit: nam Machabæus, præmissis, vt semper solebat, Deo precibus, & suos ad viriliter repugnandum adhortatus, cùm aduersus hostes ab Ierosolymis alacriter procederet; ecce apparuit præcedens eum eques in veste candida, aureis armis hastam vibrans: quem videntes Iudæi, adhuc magis conualuerunt animis, & benedicebant Dominum, parati talibus auxiliis etiam muros ferreos penetrare. Vt ergo hostibus appropinquare cœperunt, maximo quodam impetu in eos more leonum irruentes, prostrauerunt ex eis vndecim millia peditum, & equitum mille sexcentos; reliquos verò omnes, & plures vulneratos fugarunt. Qua clade accepta Lysias, qui & ipse turpiter fugiens euaserat, pro sua prudentia intelligẽs rem à Deo profectam, & Iudæos non humanis viribus, sed diuino innixos auxilio, prorsus esse inuictos; postulat obtinetque à Machabæo, vt de pacis conditionibus inter ipsum & Regem agatur, pollicitus se consensurum omnibus quæ iusta essent, & inducturum Regem amicum eius fieri. Itaque statim fide publica interposita, de fœderis pactionibus agi cœptum est per nuntios ac litteras vtrimque transmissas, vt colligi potest ex his paucis, quarum exemplaria habentur 2. Machab. cap. 11. vers. 16. vsque ad finem capitis, nimirum quas Lysias ad Iudæos, & Rex ad Lysiam, & item Rex, necnon Romanorum Legati ad eosdem Iudæos scripserunt. Et tandem cunctis consentientibus firmatum est fœdus, ea lege, vt deinceps Iudæi fideles essent Regi; ipsis verò Iudæis liceret

LYSIAS A IVDA VICTVS AC FVGATVS, DE FOEDERE CVM IVDAEIS INEVNDO AGIT.

PAX INTER IUDAEOS ET EUPATOREM, ROMANIS APPROBANTIBUS FIRMATUR.

vbique legitima patrum suorum obseruare, tam in templo, quàm in cibis & alijs quibuscumque: & præterea, qui Iudæam incolebant, liberè possent ad eorum bona in Antiochi regno extra Iudæam existentia, & ad Iudæos pariter ibidem commorantes, quandocumque placeat, proficisci: 2. Machab. cap. 11. per totum.

6. Ceterùm, Legati Romanorum commemorati, creduntur fuisse illi, quos Appianus in postrema libri de Bellis Syriacis medietate, versus finem, ait missos vt Regis elephantos interficerent, & naues quotquot supra definitum numerum reperirent exurerent, iuxta priùs conuenta in pace, quæ facta fuerat inter populum Romanum & Antiochum Magnum, paulò antè ab eodem Auctore narrata. Quod & ratio temporis comprobare videtur: siquidem dicti Legati apud Sigonium in Fastis dicuntur missi anno Vrbis quingentesimo nonagesimo primo, qui optimè competit cum anno præsenti, vt patet in tabulis. Neque verò quisquam miretur, quòd hæc dicantur acta paulò post mortem Antiochi Epiphanis, & consequenter anno centesimo quadragesimo nono; prædictæ autem litteræ, nimirum Lysiæ, Eupatoris, & Romanorum, ad Iudæos datæ sint anno centesimo quadragesimo octauo: quia quemadmodum sub anno mundi 3742. num. 4. & 5. latiùs probatum est, Auctor prioris libri Machabæorum in supputandis historiæ suæ annis secutus est ritum Hebræorum, quorum anni exordium erat mensis Nisan: Auctor verò posterioris libri obseruauit morem Chaldæorum, seu Syrogræcorum, qui annum suum ab Elul seu Tysri inchoare consueuisse perhibentur. Clarum est autem in tabulis, quòd annus centesimus quadragesimus nonus Hebraico more putatus, concurrit saltem pro medietate cum anno centesimo quadragesimo octauo Chaldaicè subducto.

OBIECTIO TOLLITUR.

☞ 7. Pace inter Machabæum & Lysiam composita, Lysias pergebat ad Regem: Iudæi autem depositis armis, agriculturæ operam dabant: verumtamen ceteri Duces regij, inter quos erant, vnus nomine Timotheus, diuersus ab illo quem suprà num. 4. diximus à Iuda fuisse peremptum, & alter Apollonius, pariter diuersus ab eo quem Iudas (vt sub anno mundi 3889. num. 2. dictum est) occiderat: non sinebant eos pacificè vitam agetere. Quamobrem coactus est Iudas denuò contra eos arma capere. Et primò quidem Ioppitarum facinus, qui callidè Iudæos in nauibus susceptos in mari demerserant, vindicauit: exustis eorum nauibus, & iis qui de igne euaserant, gladio interfectis. Iamnitis quoque tale flagitium in Iudæos perpetrare cogitantibus, nocte superueniens portum cum nauibus succendit. Inde abiens, prosperè cum Arabibus conflixit; & cum iis qui post pugnam remanserant inito fœdere, eosdem ad sua redire permisit. Mox Caspim vrbem valdè firmam à Gentibus promiscuè habitatam aggressus, expugnauit, & in ea innumerabiles cædes fecit. Cùm verò venisset ad vrbem nomine Characa, nec Timotheum quem quærebat reperisset, Dositheus & Sosipater Machabæi Duces peremerunt à Timotheo relictos in præsidio decem mille viros. At Machabæus cum sex millibus procedens aduersus Timotheum habentem centum viginti millia peditum, & equitum duo millia quingenta, Dei virtute hostibus timorem incutiente, prostrauit ex eis triginta millia: & Timotheum quidem ceperunt prædicti Duces Machabæi viuum, sed pro redemptione Iudæorum, quos ipse tenebat, illæsum dimiserunt. Capto deinde præsidio quod Carnion dicebatur, & videbatur inexpugnabile, Iudas interfecit ibi viginti quinque millia; & paulò pòst totidem in Ephron ciuitate munita. Inde verò ad Scythopolim sexcentis ab Ierusalem stadiis distantem veniens, cùm Scythopolitis, quòd erga Iudæos benignè se gessissent, pepercisset, Ierosolymam rediit, ac celebrato ibidem festo Pentecostes, exiuit cum tribus peditum millibus, & equitibus quadringentis, contra Gorgiam Idumææ Præfectum; cum quo congressus, contigit nonnullos Iudæorum cadere, & inter eos equitem quemdam, virum valdè fortem, nomine Dositheum; qui dum conatur Gorgiam viuum comprehendere, ab alio quodam equite percussus fuit; sicque Gorgias effugit in Maresa: milites verò eius (qui cum Esdrin vno ex dicti Gorgiæ Ducibus fortiter diutiusque repugnabant) Iudas, inuocato Domini auxilio, tandem in fugam conuertit: & collecto exercitu in ciuitatem Odollam, Sabbatum egit. Sequenti verò die exiens, vt suos qui in prælio ceciderant, parentum conderet sepulturis; reperit eos de idolorum donariis, contra Legem Deuter. cap. 7. vers. 25. & 26. latam, sustulisse, & hanc esse causam quòd permiserit eos Dominus in prælio cadere. Itaque hac arrepta occasione, Iudas enixè hortari cœpit suos, vt tali exemplo commoniti, deinceps vnusquisque sibi à tali delicto caueret. Et quoniam sperabat illos non intentione colendi idola, vtpote qui contra idololatras præliabantur, & pro Dei Lege ceciderant,

IUDAS IOPPITARUM ET IAMNITARUM NAVES SUCCENDIT.

CUM ARABIBUS PROSPERE CONFLIGIT.

CASPIM URBEM EXPUGNAT.

FELICITER CUM TIMOTHEO PUGNAT.

CARNION PRAESIDIUM CAPIT.

IEROSOLYMAM REDIT.

EXIT CONTRA GORGIAM, EUMQUE FUGAT.

ſed magis cupiditate quadam & auaritiæ vitio venialiter deliquiſſe; aut ſi mortaliter, non ſine pœnitentia deceſſiſſe; rogabat omnes, vt pro interfectis Dominum deprecari ne omitterent, neque precibus tantùm animabus eorum ſuffragari ſtuderent, verùm etiam aliis pietatis operibus, ac præcipuè ſacrificiorum oblationibus. Propterea, collatione facta, duodecim millia drachmas argenti (quæ totidem circiter Iulios faciunt) miſit Ieroſolymam, vt ibidem pro mortuis offerrentur ſacrificia. Vnde fit manifeſtum, quòd hæc omnia, quæ latiùs traduntur 2. Machab. cap. 12. vtique poſt templi purificationem acciderunt. Porrò ex proximè memorato Iudæ facto, quod ſancto huic Principi cælitus inſpiratum, meritoque in Sacris libris poſteà ad communem omnium vtilitatem regiſtratum fuiſſe, dubitare nemo debet, diſcere licet ad confuſionem hæreticorum, quàm antiquum piumque ſit, ac non à Chriſtianis ſolùm, ſed etiam à Iudæis olim, hodieque communiter in S. Eccleſia receptum, orare ac ſacrificia Deo offerre pro mortuis. Qua ſanctiſſima functione, certum eſt Chriſtianos quattuor eaque præcipua Catholicæ fidei dogmata, vno eodemque actu pariter confirmare, publiceque profiteri: nimirum, animorum immortalitatem, & corporum humanorum reſurrectionẽ, quam etiam ante Legem ſcriptam plena fide pij homines credebant, palamque confitebantur, vt patet Iob cap. 19. verſ. 25. & planè item indicat illa ſatis accurata priſcorum hominum ſollicitudo, vt ſua ſuorumque corpora honeſtè ſepelirentur, quemadmodum nos ſub anno mundi 930. num. 5. & 6. latiùs diſſeruimus. Tertium dogma eſt, poſitio Purgatorij; ſic enim appellant locum à Deo conſtitutum, in quo animæ, quæ de hac vita in Dei gratia migrant, ad tempus expiantur, luentes peccatorum pœnas, quas hîc debitis pœnitentiæ operibus diluere non valuerunt. Et denique, remiſſio earumdem Purgatorij pœnarum, quam per fidelium adhuc viuentium orationes, ſacrificia, eleemoſynas, aliaque eiuſmodi pietatis opera pro ipſis oblata, Dei miſeratione fieri credimus; quemadmodum etiam ex Matth. cap. 12. verſ. 32. Catholici Doctores colligere ſolent. Nam ſi omnia hæc veriſſima non eſſent, vtique ſuperfluum videretur & vanum orare pro mortuis.

PRO IVDAEIS IN BELLO OCCISIS ORATIONES ET SACRIFICIA FIERI CVRAT.

QVAM ANTIQVVM PIVMQVE SIT ORARE PRO DEFVNCTIS.

AB ORBE CONDITO ANNVS 3892. — SEXTÆ MVNDI ÆTAT. ANNVS 446.

1 ANNO regni Græcorum centeſimo quinquageſimo (ſubaudi Iudaicè putato) quemadmodum traditur 1. Machab. cap. 6. verſ. 20. & confirmat Ioſephus 12. Antiq. cap. 14. qui erat annus centeſimus quadrageſimus nonus Chaldaicè ſubductus, vt colligitur 2. Machab. cap. 13. verſ. 1. & perſpicuè apparet in tabulis, coactus eſt Iudas obſidere arcem templo imminentem; quoniam Gentes quæ in ea reſidebant, inde interdum excurrentes, contra pacis fœdera interficiebant Iudæos eò ad ſacrificia facienda accedentes. Vt primùm autem à quibuſdam perfidis Iudæis audiuit Antiochus Eupator Rex de dictæ arcis obſidione, iratus eſt valdè, & ingenti exercitu comparato venit cum Lyſia aduerſus Iudæos. Cui ſe cùm admiſcuiſſet Menelaus ille ſacrilegus, cuius ſub annis mundi 3882. num. 2. 3. & 4. & 3883. num. 2. mentionem fecimus, ac malitioſè deprecatus eſſet Regem pro Iudæis, ſperans rebus cum Rege compoſitis ſe ab eo conſtitui ſummum Sacerdotem; diuino iudicio à Lyſia delatus, quòd ipſe fuiſſet auctor omnium malorum, confeſtim iubente Rege necatus eſt; & eius cadauer inſepultum, de celſa turri præcipitatum in proximum quemdam locum cinere aggerato refertum, miſerè proiectum fuit. Et hoc Ioſephus 12. Antiq. cap. 15. ait accidiſſe poſt exactum in Pontificatu decennium. & addit, quòd ei ſucceſſit in eam dignitatem Alcimus. Sed in his Ioſephum hallucinari, ex aliquot ſacræ Scripturæ locis manifeſtè oſtendi poteſt: nam 2. Machab. cap. 4. verſ. 29. conſtat, quòd Menelaus poſt adeptum Pontificatum, cùm pecunias Regi pollicitas non ſolueret, amotus eſt à Sacerdotio, ſuffecto in eius locum Lyſimacho fratre. Et quamuis deinde, poſt interfectum à populo Lyſimachum, Menelaus, oppreſſis Principum fauore ac potentia accuſatoribus ſuis, quemadmodum in calce citati capitis dicitur, permaneret in poteſtate; nihilominùs (ſi tamen in poteſtate Pontificia, quod affirmare non auſim, ipſe permanſit) oportet in ea ipſum pauco dumtaxat tempore permanſiſſe, ac non multò pòſt eidem Menelao ſucceſſiſſe Alcimum: ſiquidem (vt legimus 2. Machab. cap. 14. verſ. 3. & nos ſub annis mundi 3730. num. 3. & 3883. num. 2. & 3887. num. 5 diximus) Alcimus fuerat ſummus Pontifex tempore commiſtionis, nempe Iudæorum cum Gentibus; quando ſcilicet iubente Antiocho Epiphane cogebantur Iudæi ſeſe Gentilium ritibus in

IVDAS ARCEM OBSIDET.

EVPATOR ET LYSIAS VENIVNT CONTRA IVDAEOS.

IMPIVS MENELAVS OCCIDITVR.

REFELLITVR IOSEPHVS.

cultu idolorum immiscere: ergo necesse est quòd Alcimus non post necem Menelai, sed longè priùs ab ipso Antiocho Epiphane Pontificatum primò obtinuerit. Non diu igitur potuit Pontificiam tenere potestatem Menelaus post Lysimachi interitum, neque perseuerare in ea vsque ad tempora Eupatoris, à quo posteà interemptus est. Præterea Alcimus anno regni Demetrij primo accusauit Iudam & sequaces eius Regi, pro Sacerdotio tamquam sibi, non autem ipsi Menelao, qui iam ab Eupatore necatus fuerat, sublato. Igitur quando Alcimus denuò Pontificatum à Demetrio Rege obtinuit, non successit Menelao, sed ipsi Iudæ, cui per Regis potentiam datus fuit veluti Antipontifex. Non ergo verè potuit Iosephus dicere, quòd Menelaus post exactum in Pontificatu decennium occisus fuerit; sed potiùs dicere debuisset, ipsum necatum fuisse post decennium ex quo callidè Iasonem Pontificatu spoliauerat. Neque item verè potuit Iosephus asserere, dicto Menelao successisse Alcimum; cùm reuerà Alcimus non Menelao mortuo, sed Iudæ adhuc viuenti successerit, vt dictum est. Redeamus nunc ad historiam.

IVDAS SOLVTA ARCIS OBSIDIONE VENIT CONTRA EVPATOREM.

2. Porrò Iudas, vt cognouit Eupatorem cum ingenti bellico apparatu per viam Idumææ aduersum se properare, præmissa cum vniuerso populo suo iugi trium dierum deprecatione corā Domino, in qua cum ieiuniis & fletibus enixè omnes rogabant eumdem Dominum, ne sineret eos blasphemis rursum nationibus subdi; recedens ab arcis obsidione, exiuit cum exercitu obuiàm Regi, antequam ad Iudææ fines accederet; & nocta quadam ex improuiso aggressus castra eius, interfecit de copiis regiis quattuor millia hominum, & turbato hostium exercitu retrocessit, posuitque castra in Bethzacharam contra castra Regis. Rex autem delibata Iudæorum audacia, & arte locorum difficultate superata, applicuit ad Bethsuram, & oppugnabat eam diebus multis; iis qui in præsidio erant fortiter reluctantibus, & Iuda eisdem qui intus erant clàm necessaria subministrante. Videns autem Rex quòd exercitus suus sæpè fugabatur, impingebat, & minorabatur, ac præterea per proditorem quemdam Iudæorum admonitus de subsidio quod clàm mittebat Iudas obsessis; decreuit & ipse omni conatu hostium castra adoriri. Itaque ordinato exercitu, & ante lucem surgens cautè ordinateque procedebat contra Bethzacharam; cui orto iam sole occurrit Iudas cum suis in prælium; & primo quidem impetu ceciderunt de exercitu Regis sexcenti viri. Accidit verò etiam in eodem conflictu & hoc memorabile Eleazari Iudæi facinus. Is namque viso elephante ceteris eminentiore, nec non loricis veluti regiis ornato, ratus super eo insidere Regem, audacter irruens, hostium cuneos qui circa illum erant, fortiter penetrauit, & subtus bestiæ ventrem ingressus, eam viriliter perfodiendo interemit; sed illa cadens, interfectorem pariter ad terram allidendo oppressit.

MEMORABILE ELEAZARI FACINVS.

3. Iudæi ergo, cùm viderent se longè impares esse qui possent tam valido regis exercitui obsistere, retraxerunt se de pugna. Rex autem denuò rediit ad obsidendam Bethsuram; quam, deficientibus in ea escis, propter annum Sabbaticum qui Iudæis superuenerat, breui per deditionem accepit; & relicto in Bethsura præsidio, venit protinus ipse cum toto exercitu suo in Ierusalem, nitebaturque totis viribus expugnare locum Sanctificationis, iam antè à Iuda benè munitum, in quem idem Iudas cum suis se receperat. Sed cùm diu acriter hinc inde pugnatum esset, iamque obsessi fame deficerent, nec se ampliùs tueri possent; ecce diuinum auxilium, in quo tantummodò spem reponebant suam, opportunè illis adfuit: siquidem derepentè venit nuntius ad Lysiam, referens aduenisse Philippum de Perside cum exercitu ac regiis insignibus ab Antiocho Epiphane acceptis, vt regni negotia administraret. Quibus cognitis, suasit Lysias Regi confestim inire fœdus cum Iudæis, & quantocyùs proficisci aduersus Philippum rebellem, priusquam regnum occuparet. Itaque pace breuî composita, amplexatus est Rex Iudam Machabæum, fecitque eum Ducem ac Principem à Ptolemaida vsque Gerrenos; & exeuntes de munitione Iudæi, introduxerunt honorificè Regem in montem Sion, qui reconciliatus obtulit sacrificium, templumque muneribus honorauit. Verumtamen visa loci munitione, vt omnem Iudæis iterùm à se deficiendi opportunitatem tolleret, violato quod paulò antè præstiterat iuramento, mandauit destrui murum in gyro; ac discessit festinanter. Sedauit verò in eodem reditu Lysias populum Ptolemensem, qui grauiter ferebat, quòd Rex cum Iudæis fœdus composuisset. Vt autem peruenit Rex cum Lysia Antiochiam, inuenit Philippum ibi dominantem, & pugnauit cum eo, obtinuitque ciuitatem: 1. Machab. cap. 6. vers. 18. vsque ad finem capitis, & 2. Machab. cap. 13. per totum, & Iosephus 12. Antiq. cap. 14. & 15. & lib. 1. de Bello cap. 1. Ipse verò Philippus, ne aliquando in potestatem Eupatoris

EVPATOR CAPTA BETHSVRA OPPVGNAT IVDAM IN TEMPLO.

FIT PAX INTER IVDAEOS ET REGEM.

REX DESTRVIT MVRVM IN CIRCVITV TEMPLI.

toris Regis deueniret, ad Ptolemæum Philometorem, qui tum in Ægypto regnabat, se contulit, quemadmodum traditur 2. Machab. in calce capitis 9.

4. Hoc igitur eodem anno, vt diximus, incidisse annum Sabbaticum, manifestè tradit Iosephus 12. Antiq. cap. 14. prope finem, & Scriptura sacra 1. Machab. cap. 6. v. 49. vbi dicitur, quòd qui erant in Bethsura conclusi, exierunt, deficientibus alimentis, *quia Sabbata erant terræ.* & ibidem vers. 53. & 54. vbi pariter legimus, quòd *esca non erant in ciuitate* (quando scilicet obsessa est Sion & locus Sanctificationis) *eò quòd septimus annus esset; & qui remanserant in Iudæa de Gentibus, consumpserant reliquias eorum quæ reposita fuerant. Et remanserunt in sanctis viri pauci, quoniam obtinuerat eos fames.* Quæ loca valdè notanda sunt, quoniam hic est primus annus Sabbaticus, quem apertè sacra Scriptura in vsum fuisse inductum memoret. Nam ille qui incidit anno regni Sedeciæ Regis Iudæ nono, qui indicatur Ierem. cap. 34. vers. 9. & 14. non ita clarè sicuti iste exprimitur. Quamuis non minùs iste quàm ille bellè quadret cum nostra annorum distributione hîc & in tabulis digesta: quandoquidem, vt ibidem apparet, iste annus concurrit cum anno ab introitu Hebræorum in terram Chanaan millesimo trecentesimo nono, qui numerus per septem diuisus, nihil relinquit; & in annum Sabbaticum centesimum octogesimum septimum desinit, vt in eisdem tabulis adnotatum inuenies. Ex quo temporum ratio hactenus à nobis inita valdè admodum confirmatur. PRIMVS ANNVS SABBATICVS IN SACRIS LIBRIS MEMORATVS.

5. Eodem anno, credimus Iudam Machabæum cum populo & Senatu Ierosolymitano, ob causas numeris 10. & 11. adducendas, misisse de Ierusalem ad Iudæos in Ægypto commorantes epistolam illam, cuius initium ponitur 2. Machab. cap. 1. vers. 10. & quam Melchior Canus lib. 2. de Locis Theologicis cap. 11. ad 4. principale argumentum, & post ipsum Cardinalis Bellarminus lib. 1. de Verbo Dei cap. 15. Obiect. 6. & alij, dicunt esse exordiendam ab illis verbis, *Populus qui est in Ierusalem*, &c. quæ enim immediatè precedunt, videlicet *anno centesimo octogesimo octauo*, non sunt, inquiunt, epistolæ sequentis initium, sed extrema antecedentis clausula. Ad quod quidem asserendum, sanè non infirmis videntur adduci rationibus. Nam ordinariè, aiunt, in epistolis, datæ annus in fine potiùs quàm in principio apponi solet. Et ex eiusdem epistolæ exordio constat eam ab ipso quoque Iuda, seu quod idem est, eius quoque nomine fuisse conscriptam: atqui certum est Iudam Machabæum mortuum esse anno regni Grecorum centesimo quinquagesimo secundo circiter inchoante, quemadmodum nos sub anno mundi proximo num. 1. probabimus: non ergo potuit memoratam exarare epistolam anno centesimo octogesimo octauo, quo tempore non ipse Iudas, sed Ioannes Hircanus, eius ex fratre nepos, Principatum in Iudæa tenebat, vt patet in tabulis. Sed neque anno centesimo octauo, vt LXX. Interpretum habet editio; quia tum Iudas fortè necdum natus erat; & constat ipsum non nisi anno regni Grecorum centesimo quadragesimo septimo circiter ineunte successisse patri in Principatum, vt sub annis mundi 3888. & 3889. num. 1. dictum est. Non etiam videtur conuenienter dici posse, Iudam, qui in titulo dictæ epistolæ nominatur, non fuisse Machabæum, sed alium ab eo diuersum, & illo longè posteriorem, vt putarunt Rupertus lib. 10. de Victoria verbi Dei cap. 15. & alij; aut cum aliis conari diuinare, quis nam ille fuerit: quoniam non est verisimile aut credibile, quemquam alium in titulo litterarum communitatis nomine exaratarum, simul cum Senatu & populo nominatum esse, nisi Principem: nullum autem (ante annum regni Græcorum centesimum octogesimum octauum) inter Iudæorum Duces Iudæ vocabulo communiter nuncupatum legimus, nisi Iudam Machabæum: nam filius Io. Hircani natu maior, licet & ipse Iudas dictus sit, vt testatur Iosephus 20. Antiq. cap. 8. communiter tamen dicebatur Aristobulus; & non nisi post annum à proximè memorato vigesimum, mortuo patre, Principatum obtinuit, vt sub anno mundi 3950. num. 1. dicemus. Quare nullo modo potuit ipse anno regni Græcorum centesimo octogesimo octauo litteras in Ægyptum mittere. IVDAS CVM SENATV ET POPVLO SCRIBIT IVDAEIS IN AEGYPTO COMMORANTIBVS. LOCVS 2. MACHABAEORVM EXPONITVR.

6. Huc accedit, quòd sustineri nullo modo posse videtur opinio Lyrani & Hugonis Cardinalis, & aliorum hos sequentium, qui putant præfatam quidem epistolam à Iuda Machabæo fuisse transmissam, sed annos in exordio eius positos, non esse more Græcorum à Seleuco supputandos; sed (vt, inquiunt, consueuerant Hebræi) ab anno Assueri duodecimo, quando scilicet omnes, opera ac fauore Esther Reginæ & Mardochæi, à nece quam eis impius Aman procurauerat, publico edicto liberati sunt. Non, inquam, hæc opinio stare potest; quoniam, vt omittã nullum alium huius Æræ exemplum reperiri, & Lyrani supputationem in multis euidenter peccare, quemadmodum loco citato benè probat Bellarminus: certè ab anno Assueri duodecimo ad tempora

Princi-

Principatus Iudæ Machabæi, non centum dumtaxat octoginta octo, sed plus ducentis annis constat reperiri. Nam si Assuerus maritus Esther fuit, vt senserunt Iosephus & alij, Artaxerxes Longimanus; profectò ab anno eius duodecimo ad præfatum Iudam numerantur anni saltem ducenti nonaginta, vt ex tabulis dignosci potest. Si autem ponamus (vt multis placet, & nos sub anno mũdi 3650. num. 1. comprobauimus) dictum Assuerum, eumdẽ fuisse cum Artaxerxe Mnemone; etiam ab anno regni eius duodecimo ad Iudam, annos non minus ducentos triginta fluxisse comperiemus. Quòd si quis malit arbitrari, Assuerum fuisse eumdem cum Artaxerxe Ocho; dicatque ab anno eius duodecimo ad Iudæ tempora, reperiri posse prædictos centum octoginta octo annos; & (quod etiam tangit Canus vbi suprà) fieri potuisse, vt qui litteras dederant, easdem iuxta memoratam Assueri Æram subnotauerint; qui verò librum secundum Machabæorum compilauit, numerum quidem annorum in epistolis repertum mutare noluerit, ipse tamen in reliquis Græcorum Æram secutus sit. Dicimus, quòd si hoc verum esset, oporteret idem quoque opinari de anno cẽtesimo sexagesimo nono alterius epistolæ, quæ ibidem dicitur data regnante Demetrio: atqui annus centesimus sexagesimus nonus ab anno Artaxerxis Ochi duodecimo subductus, in nullum regni Demetrij annum potest incidere, vt in tabulis experiri quiuis poterit: ergo signum est, quòd etiam anni illarum litterarum non ab anno Assueri duodecimo numerandi sunt, sed ab Æra regni Græcorum, sicut & ceteri in eodem lib. 2. Machab. notati. Denique, non etiam videtur posse probari alia quædam opinio, cuius meminit etiam loco citato Canus; videlicet, memoratum numerum centesimum octogesimum octauum non esse numerandum à Seleuco, vt solent reliqui anni in Machabæorum libris notati; sed ab Alexandro Magno: quia præterquam quòd hoc singulare esset, si quis rectam temporũ metiendi rationem inire voluerit; inueniet memoratum regni Græcorum annum nullo modo ad tempora Ducatus Iudæ Machabæi pertinere posse. Nam si supputetur ab eo tempore, quo primùm Alexander successit patri in regnum Macedoniæ: inde ad obitum Iudæ, inueniuntur tantummodò anni centum septuaginta sex: à Monarchiæ verò eiusdem Alexandri initio, centum septuaginta: à Seleuco autem, centum quinquaginta duo, vt in tabulis pariter experiri quisque poterit.

7. Quare cum Cano & Bellarmino locis citatis tenendum putamus, prædicta verba, *anno centesimo octogesimo octauo*, pertinere ad finem præcedentis epistolæ, non autem ad initium sequentis: nam cùm in præcedenti fiat mentio alterius epistolæ datæ anno centesimo sexagesimo nono, vtique oportet ipsam esse illa posteriorem: hanc verò quæ subsequitur, & incipit ab illis verbis, *Populus qui est Ierosolymis*, &c. credimus hoc anno regni Græcorum centesimo quinquagesimo (vt infrà num. 9. comprobabitur) scriptam transmissamque fuisse in Ægyptum; præsertim cùm ille Aristobulus Ptolemæi Regis Magister, cui eadem epistola principaliter directa fuit, temporibus Iudæ Machabæi extare potuerit, vt ex Eusebio in Chronicis facilè colligi potest. Si enim, quemadmodum ibidem traditur, iste Aristobulus currente Olympiade centesima quinquagesima prima scripsit ad Ptolemæum Philometorem, qui tum in Ægypto regnabat, Commentarios in Moysen, vt propterea eiusdem Ptolemæi Regis Rabbinus siue Magister ab Auctore lib. 2. Machab. rectè appellari potuerit; quis dubitet, facilè illum potuisse superstitem esse vsque ad Olympiadem centesimam quinquagesimam quartam, in qua Iudam obiisse patet ex tabulis?

8. Non me latet, quin & nonnihil me angit, quòd aduersus prædicta facere videntur omnes ferè Sacri codices qui nunc habentur correctiores: nullum enim punctum ponunt inter illa verba *anno centesimo octogesimo octauo*, & illa quæ ibidem immediatè sequuntur, *populus qui est Ierosolymis*, &c. Ex quo videtur posse inferri, epistolam illam illomet anno esse datam, & consequenter, longè post Iudæ Machabæi tempora. Verùm quia hoc posito, sequeretur vel Iudam Machabæum perperàm atque absurdè nimis inter illius epistolæ Auctores esse positum, vel Iudam ibi nominatum, fuisse à Machabæo diuersum; cùm tamen non satis probari possit, alium à Machabæo Iudam in illis litteris cum Senatu & populo potuisse adscribi. Et dato quòd alter eiusdem nominis ac præcipuæ inter Iudæos auctoritatis posteà extiterit; certè cùm illa epistola videatur quodammodò esse quædam denuntiatio Iudæis in Ægyptum commorantibus facta, vt & ipsi deinceps agerẽt Festa purificationis templi in modum Scenopegiæ, & Diem ignis, iuxta sanctionem in Concilio Ierosolymitano paulò anteà stabilitam: multò credibilius est, eiusmodi denuntiationem factam fuisse à Iuda Machabæo tunc Iudæorum non Principe solùm, sed etiam Pontifice; & hoc potiùs anno, in quo benè

firmata

firmata cum Syris pace, à bellicis occupationibus requiescere cœperunt, & adhuc recens erat dictarum Festiuitatum institutio; quàm post quadraginta ferè annos ab eadem Festorum institutione exactos. Propterea longè maioris ponderis esse censuimus argumenta, quæ nos hactenus contra communem vulgatorum codicum loco citato punctuationem adduximus; præsertim cùm (Cardinale Bellarmino vbi suprà attestante) in Græcis codicibus distinctio posita inueniatur post illa verba, *anno centesimo octogesimo octauo*. Quod si ita est, benè possunt eadem verba ad finem prioris epistolæ potiùs quàm ad exordium sequentis referri. Igitur epistola hæc temporibus Iudæ Machabæi, vt diximus, transmissa fuit, non autem anno regni Græcorum centesimo octogesimo octauo.

9. Credimus verò eamdem epistolam hoc magis anno Ducatus Iudæ Machabæi pænultimo fuisse exaratam, quàm (vt loco adducto putat Canus) anno eiusdem Iudæ postremo: quia oportet ipsam fuisse scriptam circa initia mensis Casleu, vt non obscurè colligitur 2. Machab. cap. 1. vers. 18. vbi dicitur, quòd facturi quinta & vigesima die mensis Casleu purificationem templi, necessarium duxerunt significare eis, vt idem quoque & ipsi agerent; erat autem Casleu mensis Anni sacri nonus: atqui in tali mense anni eius vltimi, vtique erat Iudas valdè occupatus in bello quod tum gerebat aduersus Nicanorem; siquidem (quemadmodum apertè traditur 1. Machab. cap. 7. v. 43. & 2. Machab. cap. vlt. vers. 37.) cum eo iterùm conflixit die decimatertia mensis Adar, qui erat Anni sacri duodecimus, quando eumdem Nicanorem cum suo pariter exercitu interfecit.

10. Causa ergo transmissionis litterarum totius populi Senatusque Ierosolymitani, ac Iudæ eorum Principis pariter ac summi Sacerdotis nomine, ad præfatum Aristobulum ceterosque Iudæos in Ægypto tum commorantes, fuit (quemadmodū num. 8. ex ipsomet Sacro textu probatum est) vt & ipsi agerent duas illas Festiuitates, veteribus in Concilio Ierosolymitano recèns additas; nimirum diem Scenopegiæ, & diem Ignis: Scenopegiæ inquam, non illius quæ olim præcepta fuerat Leuitici cap. 23. v. 34. & Numer. cap. 29. vers. 12. & Deuter. cap. 16. vers. 13. in memoriam mansionum, quas olim patres eorum de Ægypto redeuntes, in tabernaculis fecerant; illa enim in mense septimo, quem vocabant Tysri, celebranda erat, vt locis citatis patet: sed alium diem Scenopegiæ mensis Casleu; illum scilicet cuius fit mentio 2. Machab. cap. 1. vers. 9. & 18. & cap. 10. vers. 6. de quo etiam nos sub anno mundi 3890. num. 9. & 10. egimus. Hanc etenim Scenopegiam non multò antè Ierosolymis in ipsa templi purificatione primò celebratam, à Iudæis quoque Ægyptum incolentibus in vsum induci, ac quotannis frequentari cupiebant: & alterum item diem, nempe Ignis dati Nehemiæ temporibus, de quo nos sub anno mundi 3610. num. 8. & 9. & 3890. num. 12. egimus; vbi etiam causam institutionis seu instaurationis dictæ Festiuitatis aperuimus. Igitur, si quæ hactenus diximus, ita sunt, oportet tres esse epistolas, quæ 2. Machab. c. 1. & 2. ordine temporum minimè seruato, in Ægyptum scriptæ memorantur. Prima est, quæ à libri initio exorditur, & definit vers. 10. diciturque data anno (subintellige regni Græcorum) centesimo octogesimo octauo. Altera est, cuius in prædicta fit mentio, nimirum vers. 7. vbi etiam notatur eius datæ annus centesimus sexagesimus nonus: de quibus duabus nos infrà suis locis agemus. Tertia demum illa est, de qua hactenus disseruimus, diximusque scriptam fuisse hoc anno centesimo quinquagesimo, & incipere ab illis verbis: *Populus qui est Ierosolymis*, &c. vsque ad 2. capitis vers. 20.

CVR LITTERAE A IVDAEIS IN AEGYPTVM SCRIPTAE.

TRES LITTERAE A IVDAEIS IN AEGYPTVM SCRIPTAE MEMORANTVR.

11. Cur autem Auctor 2. Machab. in Præfatione libri sui prædictarum epistolarum meminerit, non vsquequaque exploratum habemus: satis tamen probabile videtur, ideò ipsum inchoasse librum suum, siue libri sui Proœmium ab ea epistola, quæ postremo tempore, nimirum anno centesimo octogesimo octauo scripta dicitur; quia fortè cum illa, nomine totius populi Ierosolymitani exarata Iudæis in Ægypto commorantibus, ipse Auctor eisdem Iudæis librum quoque suum ex libris Annalium Iasonis Cyrenæi abbreuiatum transmiserit, quemadmodum etiam sub anno mundi 3931. num. 1. dicendum erit: & in ea item videtur meminisse alterius epistolæ, anteà, nimirum anno centesimo sexagesimo nono datæ, quòd forsitan cum illa quinque libri Annalium dicti Iasonis in Ægyptum missi fuissent, vt nos sub anno mundi 3911. num. 2. probabimus. Scripserat enim Iason, tamquam Iudæ Chronographus, singulis libris singulorum quinque annorum Principatus eius gesta, vsque ad deuictum interfectumque Nicanorem, quod accidit sub finem anni quinti, vt suo loco dicetur. Et hanc reor esse causam, cur Auctor lib. 2. Machab. qui cap. 2. vers. 24. profitetur se esse dicti Iasonis Breuia-

CVR AVCTOR 2. LIB. MACHAB. DICTARVM LITTERARVM MEMINERIT.

Breuiatorem, nihil egit de obitu Iudæ, qui circa initia anni sexti contigit, vt sub anno mundi 3894. num. 1. videbimus. Credimus autem epistolam illam, quam ante alias duas, nempe hoc anno scriptam diximus, idcircò in memorato dicti Auctoris Prooemio esse insertam, quòd à Iuda Machabæo exarata fuisset, videreturq; admodum accommodata ad sanctum diuini cultus zelum ostendendum, quo flagrabat egregius ille Dux, cuius ipse res gestas compilare intendebat.

ONIAS PERFICIT IN AEGYPTO TEMPLVM SVVM.

12. Eodem quoque circiter anno, vt ex dictis sub anno mundi proximè allegando inferri potest, probabile est Oniam illum Simonis Iudæorum olim Pontificis filium, qui aliàs in Ægyptum transfugerat, & de quo nos sub anno mundi 3850. num. 5. & 6. latè disseruimus, absoluisse templi sui structuram, quam priùs de Ptolemæi Epiphanis licentia in regione Heliopolitana inchoatam, mox ex causa à nobis sub prædicto mundi anno adducta intermissam, posteà sub Ptolemæo Philometore resumpserat, & persequi denuò cœperat, quemadmodum sub anno mundi 3873. num. 2. dictum est.

AB ORBE CONDITO ANNVS 3893. — SEXTÆ MVNDI ÆTAT. ANNVS 447.

DEMETRIVS OCCISO EVPATORE REGNVM ASIAE OCCVPAT.

1 ANNO regni Græcorum centesimo quinquagesimo primo, qui erat centesimus quinquagesimus Chaldaico more putatus, vt sæpè dictum est, & apparet in tabulis; nempe post triennij tempus, vt dicitur 2. Machab. in principio capitis 14. (quod vel à purgato templo accipi debet; vel si, vt aliis placet, ob obitu Antiochi Epiphanis; certè per Synecdochen intelligendum est, ac si dictum esset, anno tertio) Demetrius huius nominis secundus, qui & Soter, filius Seleuci, fratris præfati Antiochi Epiphanis, cui adhuc puero & patre orbato idem Antiochus regnum surripuerat, cùm esset Romæ obses, & cognita morte Antiochi, arderet desiderio recuperandi regnum patris sui; vt primùm animaduertit se tacito iudicio non dimitti à Senatu, quòd tutius videretur Romanis, regnum Asiæ teneri ab Eupatore pupillo, quàm à Demetrio viro; specie venandi ab Vrbe profectus (quemadmodùm describit Iustinus in calce lib. 34.) Ostiæ tacitus nauem conscendens, in Syriam delatus est. Ascendit igitur primò cum paucis viris, nimirum fugæ comitibus, in ciuitatem maritimam, vbi singulari omnium fauore exceptus regnare cœpit, confluentibus vndique ad ipsum populis, ac pro legitimo suo Rege ipsum alacriter acceptantibus. Dein cum multitudine valida & nauibus per portum Tripolis ingressus, occupauit loca ad regni acquisitionem magis opportuna. Cumque obtinuisset regiones illas aduersus Antiochum Eupatorem & Ducem eius Lysiam, ingressusque esset regnum patrum suorum, ecce Antiochus & Lysias à proprio exercitu comprehensi, ad Regem Demetrium perducebantur; at ille re cognita, indicauit nolle se illos superstites intueri. Quare illis occisis, vltrò sese tradidit exercitus Demetrio, qui deinceps sine vlla suorum contradictione sedere cœpit in solio regni sui: 1. Machab. cap. 7. vers. 1. vsq; ad 5. & 2. Machab. cap. 14. vers. 1. & 2. & Iosephus 12. Antiq. cap. 16.

ALCIMVS MALIS ARTIBVS A DEMETRIO REGE OBTINET PONTIFICATVM.

2. His in Iudæa cognitis, continuò surrexerunt viri iniqui ex Israel, quorum Dux erat Alcimus, qui aliàs, nimirum regnante Antiocho Epiphane, Menelao vel Lysimacho (vt sub anno mundi 3883. num. 2. declaratum est) in Pontificatum successerat, & posteà in idolorum cultu coinquinatus, meritò à Machabæis de illa dignitate deiectus fuerat. Hic cupiens Pontificatum denuò obtinere, nec aliter se voti compotem fieri posse aduertens, nisi nouum Regem infensum faceret Machabæis; hoc eodē anno (qui iuxta sub anno mundi 3742. num. 4. & 5. tradita) si Iudaico more numeretur, erat centesimus quinquagesimus primus; Chaldaico autē, centesimusquinquagesimus, vt etiam apparet in tabulis: venit ad Demetrium Regem, obtulitq; ei munera quædam aurea, quæ de templo sublata esse videbantur: mox opportunam nactus occasionem, Iudæos Machabæum sequentes, & illos inprimis qui dicebantur Assidæi, quorum caput erat Iudas, & quorum operâ Pontificatus ad Machabæos transierat; accusauit Regi tamquam regni perturbatores, ac bellorum seditionumq; auctores, pariterque amicorum Regis exterminatores. Quibus commotus Rex, Alcimo Pontificatum detulit; & misit cum eo vnum de Ducibus suis nomine Bacchidem in Iudæam, qui pariter venientes cum exercitu magno, callidè miserunt nuntios pacis ad Iudam. Erat autē iste Alcimus non à genere Sacerdotali alienus, (vt nescio quomodo deceptus putauit S. Augustinus lib. 18. de Ciuit. Dei cap. 45.) sed de stirpe Aaron, vt manifestè traditur 1. Machab. cap. 7. vers. 14. Quamobrem multi ex Iudæis, & præsertim Scribæ, necnon ipsi quoque Assidæi,

Aſſidæi, audientes venire Pontificem de ſtirpe Aaron, qui iureiurando affirmabat, ſe neque ipſis neque ipſorum amicis mali quidquam illaturum; nimis creduli, facilè ei adhæſerunt: ſed non multò pòſt, viſa immani ſuorum occiſione ab eodem impiè perpetrata, ſerò tandem reſipuerunt. Non ſic Iudas & fratres eius, qui vidẽtes Bacchidem & Alcimum cum valido exercitu appropinquare, non ſe crediderunt eis. Bacchides ergo, cùm Alcimum in poſſeſſionem Pontificatus induxiſſet, & quoſdam de populo mactaſſet, atque in puteum proieciſſet, caſtra mouit ab Ieruſalem in Bethzecha, & tradita parte exercitus Alcimo, commiſſaque ei Iudææ cura, ipſe rediit ad Regem, ratus Iudææ rebus iam ſatis eſſe prouiſum. At verò Alcimus, ad quem omnes quoque populi perturbatores conuenerãt, multa per ipſos mala faciebat in Iſrael. Quamobrem exiens Iudas, vindictam ſumebat de illis; & demum vſque adeò præualuit, vt coactus ſit denuò Alcimus adire Regem, eumque aduerſus Iudam ampliùs inflammare. qui confeſtim nouum exercitum & Nicanorem Ducem miſit cum Alcimo in Iudæam: 1. Machab. cap. 7. verſ. 5. vſque ad 27. Erat autem Nicanor amicorum Regis chariſſimus, ſimulatque fidiſſimus; nam & Romã fugienti comes fuerat, vt aſſerit Ioſephus 12. Antiq. cap. 17. Ex quo patet, diuerſum fuiſſe ab illo Nicanore, cuius ſub anno mundi 3889. num. 4. & 5. meminimus.

3. Verùm hìc quod attinet ad memoratam Nicanoris miſſionem, videtur neceſſariò fateri oportere, ipſum Nicanorem bis in Iudæam veniſſe: nam quæ de eius aduentu referuntur 1. Machab. cap. 7. verſ. 26. vſque ad 39. valdè diſcrepant ab his, quæ de eadem re legimus 2. Machab. cap. 14. verſ. 12. vſque ad 37. quemadmodum legenti, & vtraque loca ſimul accuratè conferenti conſtare poterit. Nec videtur coonuenienter ſupponi poſſe, vnum eumdemque vtrobique deſcribi eiuſdem Nicanoris in Iudæam aduentum: quia ſi dixerimus, ipſum primò quidem tentaſſe Iudam dolo intercipere, mox verò ſincerè cum eo fœdus iniiſſe; obſtat quòd, vt dicitur 1. Machab. cap. 7. v. 30. Iudas, ex quo cognouit ſibi parari inſidias, noluit ampliùs videre faciem Nicanoris. Neque econuersò dicere poſſumus, Nicanorem primò ſine vlla fraude pacem compoſuiſſe cum Iuda, deinde ad eumdem & ad fratres eius miſiſſe cum dolo verbis pacificis dicens: *Non ſit pugna inter me & vos*; quemadmodum traditur 1. Machab. cap. 7. verſ. 27. & 28. quia ex eodem loco patet, id contigiſſe quando veniebat Nicanor cum exercitu magno in Iudæam; & ſcimus quòd inita pace, aliquamdiu ſeſe inuicem dilexerunt Iudas & Nicanor, vt paulò pòſt dicemus; quare implicaret dicere, ſtatim poſt fœdus interceſſiſſe fraudem. Huc accedit, quòd neceſſarium videtur, Nicanorem bis iuraſſe templum ſe euerſurum niſi tradidiſſent Iudam; Primò, quando ſe abſcondit Iudas, & interrogati Sacerdotes proteſtabantur ſe neſcire vbi eſſet, & nondum aperto bello decertare cœperant inter ſe Nicanor & Iudas: 2. Machab. cap. 14. verſ. 31. vſque ad 34. Deinde poſt primam Iudæ victoriam, quando Nicanor non ſolùm Iudam, ſed & exercitum eius ſibi tradi prætendebat: 1. Machab. cap. 7. verſ. 32. vſque ad 36. Igitur, vt diximus, oportet duplicem Nicanoris profectionem cum exercitu in Iudæam ponere; & primam quidem deſcribi in 2. Machabæorum libro, alteram verò in primo: & inter vtramque non modicum temporis interceſſiſſe; ſiquidem interim Iudas hortatu Nicanoris duxit vxorem, & liberorum propagationi vacabat, & ex corde ab eodem Nicanore diligebatur, quemadmodum ex conſequentibus apparebit.

DE DVPLICI NICANORIS IN IVDAEAM ADVENTV.

4. Vt ergo totam hanc hiſtoriam ex vtriſque citatis Machabæorum locis ritè ordinemus, dicendum eſt, quòd miſſus prima vice Nicanor à Rege in Iudæam, Iudæi audito eius aduentu, poſt preces coram Domino de more fuſas, imperante Iuda conuenerunt ad quoddam caſtellum nomine Deſſau, vnde Simon frater Iudæ cum militum manu generosè occurrens hoſtibus, contritus eſt repentino aduerſariorum aduentu: verumtamen, eo non obſtante, Nicanor audiens virtutem Iudæ & comitum eius, & veritus pugnare cum eis, tentauit per Legatos pacificè res componere; & tandem icto fœdere, ac dimiſſis vtrimq; exercitibus, morabatur Nicanor Ieroſolymis, nihil iniquè agens, & Iudam ex animo diligens, quẽ etiam vxorem ducere & filios procreare ſuaſit. Poſt plures autẽ vt arbitror menſes, Alcimus iniquè ferens eorũ amicitias, tertiò ad Regem profectus, falſis quibuſdam criminationibus illas Regi ſuſpectas reddidit, eumdemq; Regem impulit, Nicanori per litteras mãdare, vt Machabæum quantocyùs vinctum ad ſe tranſmittendum curaret: quod grauiter tulit Nicanor, & ægrè admodũ ad id præſtandũ adducebatur, ne videretur amicum fallere, & inſontem ſupplicio tradere. Verumtamẽ quoniam iuſſio Regis vrgebat, cui reſiſtere nullo modo poterat; quærebat opportunitatem, qua illum commodè & abſque tumultu capere poſſet; nec interim, præ

MEMORATA NICANORIS HISTORIA ORDINATE TRADITVR.

præ interna animi perturbatione, priſtinam ei comitatem exhibere valuit. Itaque rem præſentiens Iudas, tempeſtiuè cum paucis ſe ab ipſo occultat. Quare iratus Nicanor, coram Sacerdotibus extenſa ad templum manu, iurat ſe illud, ſi non ei Iudam prodant, exterminaturum; illi verò ſeſe excuſantes, quòd neſcirent vbi eſſet, manus protendebant in cælum, ſedulò Dominum deprecantes, vt templum illud in æternum protegeret atque ſeruaret. Vt autem vidit Nicanor ſe fortiter à Iuda præuentum, ac ſpe ſua fruſtratum, nec iam poſſe niſi aperto Marte & validis admodum viribus voti compotem fieri, abiit, vt arbitror, ad Regem; tum vt ſe de criminibus ſibi ab Alcimo obiectis præſens purgaret, tum etiam vt exercitum ſibi denuò compararet, quo poſſet Iudæ viribus fractis ipſum capere, & ad Regem, vt ei imperatum fuerat, tranſmittere; nam copias quas primò in Iudæam duxerat, quemadmodum dictum eſt, iam dimiſerat. Cùm itaque veniſſet ſecundò Nicanor in Iudæam cum exercitu magno, miſit ad Iudam & ad fratres eius in dolo, verbis pacificis dicens: *Non ſit pugna inter me & vos; veniam cum viris paucis, vt videam facies veſtras*, &c. verùm vbi Iudas aduertit in priuato illo conuentu, clàm ſibi paratas eſſe inſidias, prouidè dilapſus à Nicanore, noluit ampliùs videre faciem eius, neque eum denuò auſcultare: quamobrem coactus eſt Nicanor aperto deinceps bello illum perſequi. Et primò quidem commiſit cum eo iuxta oppidum quod olim Capharſalama, poſtmodum verò Antipatrida dictum eſt, inter Diſpolim, quæ priùs Lydda dicebatur, & Cæſaream ſitum, ab Ioppe diſtans ſtadiis centum quinquaginta ad Orientem; vbi de Nicanoris exercitu ceciderunt virorum ferè quinque millia: & ipſe Nicanor cum reliquis copiis Ieroſolymam ſe recepit, veritus ne illa vrbs Iudææ caput ad Iudæ partes deficeret; & vt ibidem quoque commodiùs exercitum reficere, ac denuò è Syria conuocatos expectare valeret.

NICANOR IVRAT TEMPLVM SE EXTERMINATVRVM.

5. Intereà Nicanor, vt odium quo Iudæos, communis præſertim boni zelatores, proſequebatur, oſtenderet; delatum ſibi vnum de ſenioribus magnæ in populo exiſtimationis virum, quòd, quia Antiochenæ perſecutionis tempore religionem ipſe non ſolùm fortiter conſeruaſſet, verùm etiam nutantes præclaro exemplo ſuo admodum confirmaſſet, communiter Pater Iudæorum ſeu Pater patriæ diceretur; hunc comprehendere ſtatuit; ratus, illo ſublato ſeu mulctato, maximum ceteris timorem incuſſum iri. Itaque miſſis ad domum Raziæ (hoc enim illi nomen erat) quingentis militibus, ille confeſtim ianuis occluſis fortiter ſe tuebatur. Verumtamen, vt iam ſe militum manus effugere non poſſe aduertit; animo inuictus, gladio ſe tranſuerberauit. Videns autem quòd ex vulnere ſibimet inflicto non ſtatim mortuus eſſet, de muro ſe præcipitem dedit; & cùm adhuc ſpiraret, animo accenſus ſurrexit de terra, & vndique fluens ſanguine, curſu concito turbam pertranſiit, atque quamdam ſupra petram ſtans, inteſtina ſibi de ſaucio ventre profluentia, incredibili cordis fortitudine, vtraque manu in turbas proiiciens, inuocabat Deum, vt ea illi iterùm redderet: 2. Machab. cap. 14. verſ. 37. vſque ad finem capitis.

MIRANDVM RAZIAE FACINVS.

6. Sanè hoc factum Raziæ (ſecluſo parriculari aliquo Dei inſtinctu, eidem tunc fortè ad hoſtium confuſionem, quemadmodum olim Samſoni, & poſteà S. Apolloniæ, & aliis Sanctis ſingulariter inſpirato, de quo tamen, quod attinet ad dictum Raziam, nihil certi habemus) non eſt laudabile, neque imitandum: nam homo non eſt dominus ſuæ vitæ; & S. Thomas 2. 2. quæſt. 64. art. 5. docet, non licere homini ſeipſum interimere; *quia*, inquit, *eſt contra naturalem hominis inclinationem; & contra charitatem, qua quiſque tenetur diligere ſe ipſum; & contra communitatem, cuius quilibet homo eſt pars; & denique contra ipſum Deum, qui nobis auctor eſt vitæ, & ſolus poteſt occidere & viuificare.* Hanc eamdem ſententiam tradiderat, pluribuſque confirmauerat S. Auguſtinus lib. 1. de Ciuit. cap. 17. vſque ad 28. vbi ſpecialiter in fine capitis 21. dat Regulam communiter poſteà receptam, & in Decreto cauſ. 23. quæſt. 5. can. *Si non licet* regiſtratam, in hæc verba: *His igitur exceptis, quos vel Lex iuſta generaliter, vel ipſe fons iuſtitiæ Deus ſpecialiter occidi iubet; quiſquis hominem, vel ſeipſum, vel quemlibet occiderit, homicidij crimine innectitur.* & cap. 26. poſt multa rem hiſce verbis concludit: *Hoc dicimus, hoc aſſerimus, hoc modis omnibus approbamus, neminem ſpontaneam mortem ſibi inferre debere, velut fugiendo moleſtias temporales, ne incidat in perpetuas: neminem propter aliena peccata, ne hoc ipſo incipiat habere grauiſsimum proprium, quem non polluebat alienum: neminem propter ſua peccata præterita, propter quæ magis hac vita opus eſt, vt poſsint pænitendo ſanari: neminem velut deſiderio vitæ melioris quæ poſt mortem ſperatur; quia reos ſuæ mortis, melior poſt mortem vita non ſuſcipit.* & denique cap. 27. cùm probaſſet etiam propter declinationem peccati, nefas eſſe ſe occidere, ſubiungit: *Nam ſi hoc ſponte faciendi*

QVOD NEMINI LICEAT SEIPSVM INTERIMERE.

vlla

vlla causa iusta esse posset; proculdubiò iustior quàm ista non esset: quia verò nec ista est, ergo nulla est. Meritò igitur idem S. Doctor lib. de Hæresibus, Hæresi 69. inter alios hæreticos connumerat etiam quosdam de secta Donatistarum, qui Circumcelliones dicebantur, ac seipsos variis modis interficiebant, aliosque ad idem faciendum sollicitabant: ad quos videtur ipse Sanctus allusisse Tractatu 51. in Ioan. sub medium, vbi ait: quòd *quidam maligni atque peruersi homines, & in seipsos crudeliores & sceleratiores homicidæ, flammis se donant, aquis se præfocant, præcipitio se collidunt, & pereunt*. Contra quorum vesaniam, exitialemque ac diabolicam doctrinam, latè etiam disputat in epistola 61. quæ directa est Dulcitio Tribuno, & lib. 2. cap. 23. Contra epistolam Gaudentij. Et hæc obiter hîc sint dicta, ne fortè quis Raziæ exemplum in Sacris libris positum putaret, ad confirmanda atque authenticanda quorumdam Gentilium fortia, quæ vocant, facta, &c, quæ tamquam à sola animi magnitudine profecta, ab Ethnicis celebrari valdè solent; nimirum Catonis, Lucretiæ, & aliorum; qui ne in manus persequentium deuenirent, aut ne quid humilius in hominum oculis pati viderentur, vltrò seipsos occidere maluerunt. Quæ res longè admodum abest à Sacri textus intentione, cuius vox est Ecclesiastici cap. 2. vers. 4. *Omne quod tibi applicitum fuerit, accipe, & in dolore sustine, & in humilitate tua patientiam habe: quoniam in igne probatur aurum & argentum; homines verò receptibiles in camino humiliationis*. Et quemadmodum certum est, Samsonem, vt ait S. Augustinus lib. 1. de Ciuit. cap. 21. non aliter excusari quòd seipsum cum aliis ruina domus oppresserit, nisi quia Spiritus latenter hoc iusserat, qui per illum miracula faciebat: ita de aliis Sanctis dicendum videtur, & fortè etiam de dicto Razia (si tamen ipse quoque laudabiliter se necauit, vt quidam recentiores existimant.) Vnde de Ethnicis, qui non Deo clàm iubente, sed superbia palàm suadente, seipsos interemerunt, constat eos nequiter ac temerè sibi manus iniecisse, ac propterea non commendatione aut imitatione dignos esse, sed potiùs qui ab omnibus reprobari, probro haberi, & studiosè caueri debeant. Sed iam ad institutum nostra recurrat oratio.

IN HÆRETICOS SEIPSOS INTERIMENTES.

EXEMPLA ETHNICORVM QVI SEIPSOS INTEREMERVNT, ABOMINANDA.

☞ 7. Post hæc ascendit Nicanor in eam partem montis Sion in qua erat templum, & occurrunt ei Sacerdotes salutantes eum, ostendentesque ei holocausta quæ pro salute Regis offerebantur Domino. At ille irridens spreuit eos, & polluit, iterumque superbè admodum atque iram euomens iurauit, se in reditu de bello ad quod ire intendebat, templum illud euersurum, nisi traditus sibi foret Iudas & exercitus eius; & continuò inde exiit indignatione plenus. Sacerdotes autem reuersi ad faciem altaris & templi, cœperunt cum fletu tum pro continua eiusdem templi protectione, tum etiam pro iusta blasphemiæ Nicanoris vltione Dominum deprecari. Profectus deinde Nicanor cum exercitu suo ab Ierusalem, venit in Bethoron, vbi nouas è Syria aduentantes sibi copias adiunxit. Vt autem comperit Iudam esse in ditione Samariæ, hoc est in Adarsa, cum tribus millibus dumtaxat viris; cogitauit aggredi eum die Sabbati; neque ab impio eiusmodi consilio (quantumuis Iudæi qui ipsum sequebantur, maiori qua poterant instantia illum deducere conarentur) desistere volebat: tametsi tandem id perficere non potuerit. Iudas verò videns sibi aduersus grandem hostium multitudinem cum paucis fore dimicandum, instructo exercitu, hortabatur suos ne hostes formidarent, vtpote qui propter eorum fallacias, periuria, & blasphemias Deo essent odibiles, sed magis mirabilium memores essent operum, quæ aliàs Dominus pro populo suo fecerat, sperarentque ab Omnipotente victoriam; quam etiam admirabili quadam visione sibi per somnium mirabiliter ostensa confirmauit, narrans, apparuisse sibi sanctos viros, Oniam scilicet, qui ante Iasonem immediatè Pontifex fuerat, & Ieremiam Prophetam; quorum primus de altero dicebat: *Hic est fratrum amator, & populi Israel: hic est qui multùm orat pro populo, & vniuersa sancta ciuitate*. Alter verò, nimirum Ieremias, extendens dexteram, dedit ipsi Iudæ gladium aureum, dicens: *Accipe sanctum gladium munus à Deo, in quo deiicies aduersarios populi mei Israel*. Quibus sermonibus Iudas lætificauit valdè erexitque suorum animos, atque ad pugnandum cum tanta hostium multitudine, tamquam de victoria securos, mirabiliter accendit. Appropinquantibus autem hostibus, vt vidit Machabæus ingentes ipsorum copias optimè ordinatas, equitesque & elephantos opportunis locis dispositos, & varium armorum apparatum, ac bestiarum ferocitatem; nihil territus, sed eleuatis in cælum manibus precatus est Dominum, vt quemadmodum olim per sanctum Angelum suum blasphemi Sennacheribi exercitum, tametsi numerosissimum atq; fortissimum, prostrauerat; ita nunc aduersus Nicanorem pariter blasphemum agere ne recusaret. Quibus dictis, alacriter cum

NICANOR SECVNDO MINATVR TEMPLVM SE EVERSVRVM.

PROFICISCITVR CVM EXERCITV CONTRA IVDAM.

IVDAS SVOS EXCITAT AD PVGNAM CONTRA NICANOREM.

PVGNAT FELICITER ET CAPVT MANVMQVE NICANORIS SECVM FERT IN IERVSALEM.

cum hoste congressus, ac manu pugnans, menteque orans, Deo benè iuuante præualuit, contritis non minus trigintaquinque millibus virorum, & Duce eorum Nicanore; cuius caput & dexteram, quam nefariè bis contra sanctam domum extenderat, cum humero abscissam, post collecta hostium spolia, tulit Iudas in Ierusalem, ostenditque populo & Sacerdotibus: mox blasphemi linguam iussit minutatim scissam dari auibus, manum verò contra templum, & caput in summa arce suspendi, in signum omnibus conspicuum diuini erga Iudæos auxilij euidentissimum. Agentes autem diem illum in lætitia, & benedicentes Domino, communi omnium consilio & consensu decretum est, felicissimum illum victoriæ diem, qui fuit decimustertius mensis Adar, in memoriam tanti beneficij à Deo accepti, quotannis deinceps ritu sollemni fore celebrandum. Et hoc Festum voce quadam Syriaca significatur, quæ Latinè sonat *Pridie Mardochæi*, quia immediatè ante festum olim à Mardochæo institutum celebrabatur. Et hîc explicit 2. libri Machabæorum historia; in cuius postremo capite, & 1. Machab. cap. 7. & apud Iosephum 12. Antiq. cap. 17. hæc quæ hoc numero breuiter perstrinximus, latiùs tradita reperiuntur.

INSTITVTIO FESTI OB VICTVM NICANOREM.

IASON IVDAE CHRONISTA A IVDAEA DISCEDIT.

8. Non multò post hæc, oportet Iasonem illum qui 2. Machab. cap. 1. vers. 7. memoratur, recessisse de Terra sancta & regno Iudææ; post cuius discessum, vt ibidem dicitur, Iudæis per aliquot deinceps annos, nempe vsq; ad annum regni Græcorum centesimum sexagesimum nonum inclusiuè, multa mala superuenerunt; videlicet interitus Iudæ, & posteà etiam Ionathæ fratris eius, & aliæ pariter calamitates, de quibus infrà suis locis dicetur; sed posteà succedente in Principatum Simone, res Iudæorum Deo adiuuante rursum erigi ac benè prouehi cœperunt, vt breuiter tangitur cap. Machab. citato vers. 8. Puto autem memoratum Iasonem eumdem esse cum eo, cuius eiusdem libri Auctor meminit cap. 2. vers. 24. vbi dicit eum fuisse Cyrenæum, & acta Iudæ Machabæi quinque libris à se conscripta edidisse; verùm quia sub anno mundi 3296. numero 1. duplicem fuisse Cyrenem diximus, alteram in Africa, & in Asia alteram; vtrùm iste Iason aut eius parentes, licet Iudæi genere, ex Cyrene Africana, vt magis credimus, an ex Asiatica essent, hactenus incompertum habemus. Hunc ergo Iasonem hoc circiter tempore, nescio quamobrē, credimus, relicta Iudæa, in qua prædictos Annales scripserat, rediisse ad vrbem Cyrenem, in qua fortè natus, vel etiam educatus fuerat, aut certè olim habitauerant parentes eius, vnde & ipse cognomen acceperat. Et hanc eius de Iudæa discessionem reor fuisse in causa, quòd, vt sub præcedenti anno mundi num. 11. diximus, ipse nihil scripserit de obitu Iudæ, qui in annum sequentem incidit.

IVDAS MITTIT ROMAM LEGATOS PRO INEVNDA SOCIETATE.

9. Post memoratam Machabæi de Nicanore victoriam, quieuit aliquantisper Iudæa à prælijs, ipso Iuda interim dominante: qui audiens Romanorum potentiam indies magis ac magis Deo fauente augescentem, & eorumdem facilitatem in acquiescendo omnibus quæ postulabantur ab eis, & in admittendo quoscumq; volentes cum eis iungere amicitias; & intelligens sibi admodum conducere ad firmandum imperium suum, & vt auferre posset ab Israële iugum Græcorum, cum ipsis Romanis mutui auxilij & societatis fœdus inire, statuit quantocyùs id procurare. Quamobrem misit Eupolemum & Iasonem Legatos; qui cùm venissent Romam, facile à Senatu populoque Romano societatis atque initi fœderis rescriptum in tabulis æreis obtinuerunt; & litteras insuper Demetrio Asiæ Regi, ne deinceps vllatenus molestare auderet Iudæos, alioqui à Romanis bellum terra marique sine mora expectaret: 1. Machab. cap. 8. per totum, vbi etiam memorati rescripti litterarumque exemplaria registrata habentur. De hoc fœdere agit etiam Iosephus 12. Antiq. cap. 17. prope finem capitis.

RVPERTI OPINIO DE MACHABAEIS REFVTATVR.

10. Non me latet hîc, Rupertum lib. 10. de Victoria verbi Dei cap. vlt. & alios ipsum secutos existimasse, Iudam & fratres eius Ionathan & Simonem idcircò posteà morte violenta cadere diuinitus esse permissos, quòd cum Romanis, qui erant idololatræ, fœdera iungere non dubitassent; quamuis non ideò eos æterna felicitate priuatos crediderit; *quia* inquit, *si quid pulueris inde contraxerunt, cita ipsorum morte deletum est.* Verumtamen multa sunt, quæ ipsos in hac fœderis percussione nihil deliquisse possunt ostendere: nam certum est, quòd idololatrarum auxilio non contra aliquos veri Dei cultores, sed aduersus alios idololatras, & ad propriæ vitæ, natorum, vxorum, & quod omnium caput est, veræ religionis defensionem vtebantur; & nihilominùs spem suam in ope diuina magis quàm in humana repositam habebant: sed nec Scriptura sacra quidquam vel minimum innuit, quo eos dicta de causa periisse suspicandum sit, nec eosdem ea de re vspiam reprehendit. Huc accedit, rationi etiam esse consonum, & veluti ab ipsa natura homini insitum, humana quoque præsidia ad sui suorumque tutelam

lam diuinis adiungere, ne Dominum tentare velle videamur, & absque necessitate ab ipso temere miracula expectare. Et denique, non desunt in sacris Scripturis alia eiusmodi plurima Sanctorum exempla: nam & Abraham credentium pater, vt legimus Genes. cap. 14. vers. 13. & 24. fœdus pepigerat cum Aner, Eschol, & Mambre, Chananæis; & eorum auxilio vsus est contra Chodorlahomor & Reges qui cum eo abduxerant Lot, vt in calce dicti capitis exprimitur; & cap. 21. vers. 22. vsque ad finem capitis percussit fœdus cum Abimelech Rege Palæstinorum, & Phicol Principe exercitus eius. similiter Isaac cum eisdem, vt traditur cap. 26. vers. 26. vsque ad 32. & Iacob cum Laban cap. 31. vers. 44. vsque ad 55. & alij item post multa tempora, nempe Dauid cum Naas Rege Ammonitarum, vt colligitur 2. Reg. cap. 10. vers. 1. & nos sub anno mundi 2974. num. 5. explicauimus; & cum Achis Rege Geth, 1. Reg. cap. 27. & Rex Asa cum Benadad Rege Damasci, 3. Reg. cap. 15. vers. 18. & 19. & alij item, quos pariter Scriptura sacra non reprehendit; quia quodammodò coacti cum externis nationibus fœdus inierunt, non quatenus illæ erant idololatræ, sed quatenus ad hostes à se propellendos illi eos iuuare poterant. Igitur si tot tantisque viris sine vlla Dei offensa id facere licuit, cur non etiam Machabæis in simili necessitate positis? præsertim cùm nulla Lege tale quid facere prohiberentur. Nam quod cauetur Deuteronom. cap. 7. vers. 2. illis verbis: *Non inibis cum eis fœdus*, &c. non vtique de omnibus Gentibus accipiendum est, sed de his tantùm septem, quæ præcedenti versiculo memoratæ fuerant; ad quod fortè non aduerterunt contrariæ opinionis sectatores. Quare nullo modo dicendum videtur, Machabæos ob contractam cum Romanis societatem fuisse occisos: quia id potuit vel ob aliquam aliam eorumdem culpam, vel etiam diuino aliquo consilio aut prouidentia, sine vlla ipsorum culpa accidisse: alioqui oporteret etiam Ioannem Hircanum morte violenta (quod tamen factum non est) fuisse punitum; quia & ipse cum Romanis fœdus à patre ac patruis suis ictum confirmari curauit, vt nos sub anno mundi 3926. num. 1. dicemus.

AB ORBE CONDITO ANNVS 3894. — SEXTÆ MVNDI ÆTAT. ANNVS 448.

☞ 1 ANNO regni Græcorum centesimo quinquagesimo secundo, mense primo (vt dicitur 1. Machab. c. 9. vers. 3.) cùm audisset Demetrius Rex cecidisse Nicanorem, & Iudam victorem dominari Iudææ; rursum misit alium de Ducibus suis nomine Bacchidem, cum Alcimo & cum exercitu valido in Iudæam; qui occupata Masaloth, quæ erat in Arbelis, factaque ibi cæde magna, in eodem mense primo applicuerunt exercitum ad Ierusalem; & cùm cognouissent ibi non esse Iudam, surgentes abierunt in Beream cum viginti millibus peditum, & duobus millibus equitum. Iudas autem posuerat castra in Laisa, erantque tunc fortè cum eo tria tantùm millia virorum, quorum plurimi tanta hostium multitudine perterriti subtraxerunt se de castris, ita vt relicti sint octingenti dumtaxat viri cum Iuda; qui tametsi propterea confractus valdè animo esset, nullis tamen suorum precibus ad fugam tunc capiendam adduci potuit. quinimò (vt sancti Ambrosij Officiorum lib. 1. cap. 41. verbis vtar) *securior aduersus viginti millia exercitus Regis, cum nongentis viris bellum adorsus, volentibus his cedere ne multitudine opprimerentur; gloriosam magis mortem quàm turpem fugam suasit; Ne crimen, inquit, nostræ relinquamus gloriæ. Itaque commisso prælio, cùm à primo ortu diei in vesperam dimicaretur, dextrum cornu, in quo validissimam manum aduertit hostium, aggressus, facilè auertit; sed dum fugientes sequitur, à tergo vulneri locum præbuit. Itaque gloriosiorem triumphis mortem inuenit.* hucusque S. Ambrosius: cuius verba in eo quòd habent, *cum nongentis viris*, non concordant cum Sacro textu Vulgato, qui 1. Machab. cap. 9. vers. 6. dicit: *Et non remanserunt ex eis* (subaudi, cum Iuda) *nisi octingenti viri.* Nec dicere possumus, S. Doctorem secutum esse textum illum qui positus est in codicibus LXX. Interpretum, quia ille idem prorsus habet iisdemmet verbis, quot Vulgatus. Quare oportet vel ipsum sanctum Doctorem habuisse exemplar libri Machabæorum in hac parte corruptum, vel eius codices citati Officiorum libri fuisse eo loco vitiatos, esseque corrigendos vt cum Sacro textu consentiant. Ceterùm, Ionathas & Simon tulerunt Iudam fratrem suum, & sepelierunt eum in sepulchro patrum suorum in Modin; luxitque eum omnis populus diebus

DVCES REGII IN IVDAEAM CVM VALIDO EXERCITV REDEVNT.

IVDAS IN BELLO FORTITER MORITVR.

bus multis: 1.Machab.cap.9.verſ.1.vſque ad 23. & apud Ioſephum 12.Antiq.cap.18. & 19. Ex quibus manifeſtum fit, Iudam Machabæum mortuum eſſe non circa finem (vt ſentit Melchior Canus lib.2.de Locis Theologicis cap. 11. ad 4. principale argumentum) ſed circa initia huius anni; qui ferè totus pertinet ad primum Ducatus Ionathæ.

VIRI INIQVI IN IVDAEA PRAEVALENT, ET BONI VALDE AFFLICTANTVR.

2. Poſt Iudæ obitum, præualuerunt valdè viri iniqui in omni Iſraële; & ſimul exorta fame magna, compulſa eſt omnis regio tradere ſe Bacchidi; ipſe verò ſtatim conſtituit viros impios regionis Præfectos, qui diligenter perſcrutabantur amicos Iudæ, quos illudebant, adducebantque ad Bacchidem, vt de illis vindictam ſumeret. Et eiſdem temporibus puto factam fuiſſe illam portæ ſeu portarum (ſubintellige, templi) conflagrationem, & largam illam innoxij ſanguinis effuſionem, quæ breuiter tangitur 2.Machab.cap.1.verſ.8. accidiſſeque Iudaico populo (vt ſub præcedenti anno mundi num. 8.notauimus) alias calamitates, quas conſequenter memorabimus: quamquam hæc quæ modò relata eſt (ipſomet Sacro textu atteſtante) fuerit vna de maximis tribulationibus, quæ Iudæis vmquam acciderit, ex quo inter ipſos Prophetia ceſſauerat, ſiue (vt ait Ioſephus) poſt captiuitatem Babylonicam: 1.Machab. cap.9. verſ.23. vſque ad 28.& Ioſephus 13.Antiq.cap.1.

IONATHAS ELIGITVR IN DVCEM, ET FVGIT IN DESERTVM.

3. Per eadem tempora congregati omnes amici Iudæ, elegerunt pro eo Ionathan ſibi in Principem ac belli Ducem. Vt autem cognouit Bacchides, quòd Ionathas loco Iudæ fratris ſui ſuſcepiſſet Principatum, quærebat occidere eum: at ille id præſentiens, confeſtim aufugit cum ſuis in deſertum Thecuæ, ad aquas lacus Aſphar. Quod cùm audiſſet Bacchides, venit ipſe cum toto exercitu quærere eum die Sabbati. Accidit autem intereà, vt Ionathas, qui ſe præparare ſatagebat aduerſus Bacchidem, miſerit Ioannem fratrem ſuum rogare Nabuthæos vt commodarent ei apparatum ſuum bellicum, nimirum equos & arma, atque huiuſmodi. Id dum Ioannes impigrè exequitur; ecce inopinato quodam euentu à filiis Iambri ſubitò inuaſus, captus, & cum ſuis occiſus eſt. Verùm non multò pòſt, iidem filij Iambri debitas ſceleris pœnas dederunt: nam cùm ducerent ſponſam, magni cuiuſdam Principis filiam, cum comitatu & ambitione magna; ſurgentes repentè de inſidiis Ionathas & Simon cum ſuis, occiderunt eos, & tulerunt ſpolia & arma eorum; quibus inſtructi & roborati redierunt ad ripam Iordanis. quò cùm perueniſſet Bacchides cum exercitu ſuo, hortatus eſt Ionathas ſuos ad pugnam, & impetu facto percuſſit de exercitu Bacchidis mille viros; atque ita repulſis hoſtibus, ipſe & qui cum eo erant tranſnatato Iordane, ad tutiora loca ſeſe receperunt. Veritus autem Ionathan Bacchides, reuerſus eſt in Ieruſalem, & curauit munire arcem, & ciuitates Iudææ; & accipere à Principibus regionis, ne ab ipſo deficerent, filios obſides, eoſdemque in arce Ieroſolymitana incluſos cuſtodire: 1.Machab.cap.9.verſ.28. vſque ad 54.& apud Ioſephum 13.Antiq.cap.1.

IOANNES A FILIIS IAMBRI OCCIDITVR, DE QVIBVS IONATHAS VLTIONEM CAPIT.

IONATHAS PERCVSSO BACCHIDIS EXERCITV, RECIPIT SE TRANS IORDANEM.

AB ORBE CONDITO ANNVS 3895. — SEXTÆ MVNDI ÆTAT. ANNVS 449.

ALCIMVS CVM COEPISSET DESTRVERE MVROS DOMVS DOMINI, MORTVVS EST.

1 ANNO centeſimo quinquageſimo tertio, menſe ſecundo, cœpit Alcimus deſtruere muros Domus Domini; ſed miro Dei iudicio diſſolutus paralyſi, & amiſſa voce, mortuus eſt cum ingenti tormento; & ſic impedita ſunt peſſima conſilia & opera eius. Quo defuncto, reuerſus eſt Bacchides ad Regem, & ſiluit à Bellis terra Iuda annis duobus: 1.Machab.cap.9.verſ.54. vſque ad 58. Ex quibus patet, hallucinari Ioſephum, qui 12.Antiq.cap.17.ſcribit, Alcimum obiiſſe ante Iudam; & ipſum Iudam eidem Alcimo communibus populi ſuffragiis in Pontificatum ſucceſſiſſe, cùm econtrariò ex allegatis ſacræ Scripturæ locis apertè conſtet, Alcimum ipſi Iudæ anno vno integro ſuperuixiſſe.

AB ORBE CONDITO ANNVS 3897. — SEXTÆ MVNDI ÆTAT. ANNVS 451.

BACCHIDES FRVSTRA TENTAT COMPREHENDERE IONATHAN

1 ANNO regni Græcorum circiter quinquageſimo quinto, concitauerunt denuò iniqui Bacchidem vt veniret cum exercitu in Iudæam contra Ionathan & ſuos habitantes confidenter, & ſine vlla incurſus hoſtium ſuſpicione. Porrò Bacchides inſtructo in Syria exercitu, antequam in Iudæam veniret, ratus incautum facilius parua ac repentina manu poſſe deprehendi; ſcripſit ad ſuos in Iudæa exiſtentes, vt im-

vt improuidum celeri validaque & clandestina incursione comprehendere tentarent. Sed Deo suos protegente, incassum illis eorum molimina cesserunt: nam Ionathas, re cognita, fortiter præuenit eos, & comprehensis quinquaginta insidiarum auctoribus, omnes interfecit, secessitque cum suis in desertum in Bethbessen, & extruxit ruinas eius, muniuitque se suosque ibi. Quamobrem iratus Bacchides, venit iterum cum exercitu in Iudæam; paratisque machinis nitebatur expugnare Bethbessen. At verò Ionathas, relicto ibidem Simone fratre suo cum parte exercitus, ipse clàm cum reliqua egressus, cœpit subitas in hostem excursiones cædesque facere, indiesque magis proficere, & exturbare Bacchidem ab expugnatione oppidi: & similiter Simon frater eius, de munitione subitò exiens, succendebat oppugnantium machinas, repellebatq; fortiter hostes: atque ita iste de intus egrediens, ille verò de foris frequenter adueniens, affligebant Bacchidem valdè; & consilia, congressiones, molitionesque eius reddebant inanes. Itaque cùm diu multumque frustrà laborasset Bacchides, de loci expugnatione desperans, conuersa indignatione contra eos qui illum ad eam impulerant, occidit ex eis plurimos; & cogitabat quomodo posset sine ignominia obsidionem soluere, & redire in regionem suam. Quod vt aduertit Ionathas, missis ad eum Legatis, pacem honestis conditionibus petebat; quas ille libenter accepit. Et redditis vtrimque captiuis, paceque composita, ac iuramento firmata, reuersus est Bacchides ad Regem; nec vltrà ampliùs in Iudæam rediit. Ionathas autem deinceps pacificè habitauit in Machmas, & ibi iudicabat Israëlem; ac seuerè admodum in diuini cultus desertores animaduertens, exterminabat impios ex Israel: 1. Machab. cap. 9. vers. 58. vsque ad finem capitis, & apud Iosephum 13. Antiq. cap. 1. & 2.

NON VALENS PRAEVALERE IONATHAE, CVM EO PACEM COMPONIT.

IONATHAS IVDICAT POPVLVM IN MACHMAS.

AB ORBE CONDITO ANNVS 3902. SEXTÆ MVNDI ÆTAT. ANNVS 456.

1 ANNO regni Græcorum sexagesimo supra centesimum, Alexander cognomine Veles, vt ait Iosephus 13. Antiq. cap. 8. versus finem: siue Balas, vt est apud Strabonem lib. 16. Antiochi filius qui cognominatus est Nobilis, occupata Ptolemaide, regnare cœpit ibi. Hunc Alexandrum Lyranus & Carthusianus super 1. Machab. cap. 10. putant fuisse filium Eupatoris, & ipsum quoque (quemadmodum auus eius) appellatum fuisse Nobilem: at Iosephus 13. Antiq. cap. 3. apertè dicit eumdem Alexandrum fuisse filium Antiochi Epiphanis, & consequenter non filium, sed fratrem Eupatoris natu minorem. Et ratio temporum id comprobare videtur: nam si Eupator anno regni Græcorum centesimo quadragesimo nono erat nouennis, quando successit patri in regnum, vt nos sub anno mundi 3891. num. 2. & 3. probauimus; quomodo potuit habere filium tantæ ætatis, qui anno eiusdem regni Græcorum centesimo sexagesimo aptus esset inuadere & vi obtinere regnum Syriæ iam à Demetrio occupatum? Multò igitur probabilius videtur, hunc Alexãdrum fuisse fratrem, quàm filium Eupatoris; si tamen reverà fuit de familia Seleucidarum: nam Appianus Alexandrinus, sub finem lib. de Bellis Syriacis, de hoc Alexandro ita scribit: *Quidam Alexander falsò in Seleucidarum gentem se ingerens, quem Ptolemæus Aegypti Rex fouebat odio Demetrij, connitentibus Aegyptiis Demetrium regno expulit.* Iustinus autem lib. 35. clariùs rem explicat, dicens, quòd *Antiochenses, adiuuantibus & Ptolemæo Rege Aegypti, & Attalo Rege Asiæ, & Ariarathe Rege Cappadociæ, bello à Demetrio lacessitis, subornarunt Prompalum quemdam sortis extremæ iuuenem, qui Syriæ regnum velut paternum armis repeteret: & ne quid contumeliæ deesset, nomen ei Alexandri inditur, genitusq; ab Antiocho Rege dicitur. Tantum odium Demetrij apud omnes erat, vt æmulo eius nõ vires regiæ tantùm, verùm etiam generis nobilitas consensu omnium tribueretur. Igitur Alexander admirabili rerum varietate, pristinarum sordium oblitus, totius fermè Orientis viribus succinctus, bellum Demetrio infert.* sic Iustinus. Eamdem sententiam de isto Alexandro sequuntur Sabellicus Enneade 5. lib. 8. & alij. Quæ si vera est, oportet Scripturam sacram, quando ipsum appellat Antiochi filium, esse intelligendam iuxta communem, quæ tum vigebat, omnium opinionem; nimirum prout communiter putabatur, & ipse putari volebat. Sed quidquid sit de huius Alexandri genere, illud certum est, quòd vt audiuit Demetrius præfatum Alexandrum regnare in Ptolemaide, festinauit congregare exercitum vt obuiàm iret ipsi Alexandro. Et vt præoccuparet reddere Ionathan sibi amicum, & belli adiutorem; multa eidem vltrò regia liberalitate concessit; nempe, facultatem congregandi exercitum, & arma fabricandi, ipsumque Regis socium declarauit; ac iussit eidem

QVIS NAM FVERIT ISTE ALEXANDER.

DEMETRIVS FESTINAT IRE CONTRA ALEXANDRVM. CONCEDIT IONATHAE MVLTA PRIVILEGIA VT PARTES SVAS SEQVATVR.

dem reddi obsides, nimirum Iudæorum Principum filios, quos Bacchides in arce custodiendos tradiderat. Quibus acceptis, confestim Ionathas de Machmas, vbi iam quinquennio resederat, properauit Ierosolymam; legitque epistolas Regis coram omni populo, & item iis qui in arce erant Gentilibus; qui timentes, tradiderunt statim obsides Ionathæ, & ille eos reddidit parentibus suis; cœpitque continuò reficere atque innouare ciuitatem, ac munire montem Sion. Quæ audientes alienigenæ, quos Bacchides in Iudææ munitionibus à se ædificatis disposuerat, paulatim vnus post alterum illis relictis abierunt; iis tantùm exceptis, qui custodiebant Bethsuram: 1. Machab. c. 10. vers. 1. vsque ad 15. eadem ferè tradit Iosephus 13. Antiq. cap. 3. & 4.

ALEXANDER ET DEMETRIVS CERTANT POLLICITATIONIBVS IONATHAN IN SVAS PARTES TRAHERE, ET PRAEVALET ALEXANDER.

2. Non multò pòst Alexander, vt cognouit quæ præstiterat spoponderatque Demetrius Ionathæ, & item agnita virtute bellica eiusdem Ionathæ & fratrum eius, scripsit ei & ipse epistolam valdè fauorabilem, & missa eidem purpura & corona aurea, constituit eum summum Sacerdotem, & inter amicos Regis voluit recenseri, illud tantummodò postulans ab eo, vt scilicet suas, non Demetrij partes sequeretur. Itaque eodem anno, die decimaquinta mensis septimi, hoc est in die primo ac sollemni Scenopegiæ, induit se Ionathas stola Pontificia, & in eo habitu tunc primùm visus est ab vniuerso populo; tametsi in eam quoque dignitatem statim fratri suo Iudæ defuncto successisset. Congregabat item Ionathas exercitum, & arma omnis generis copiosa. Quæ cùm audisset Demetrius Rex, veritus ne ad Alexandrum Ionathas declinaret, iterùm scripsit ei & populo Iudæorum, vt ab eis gratiam iniret, litteras multis ac magnis pollicitationibus ac priuilegiis refertas, quemadmodum videre est 1. Machab. cap. 10. v. 22. vsque ad 46. & apud Iosephum 13. Antiq. cap. 5. quibus enixè precabatur, vt in eius fide permanerent. Sed cùm eæ coram Ionatha vniuersoque populo lectæ fuissent, Iudæi ingenium viri agnoscentes, ac memores malorum quæ ab illo perpessi fuerant, quò maiora erant quæ pollicebantur, eò minorem ei fidem adhibentes; communi consilio decreuerunt, Alexandro potiùs quàm Demetrio adhærere. Quod & re ipsa deinceps præstiterunt, auxilium illi pro viribus ferentes omnibus diebus vitæ eius.

AB ORBE CONDITO ANNVS 3903. — SEXTÆ MVNDI ÆTAT. ANNVS 457.

ALEXANDER DEMETRIVM VITA AC REGNO SPOLIAT.

1 ANNO, vt arbitror, proximo, congregatis hinc inde validis exercitibus, commissum est prælium inter prædictos Reges, Alexandrum videlicet & Demetrium; in quo Demetrius tandem percussus, vita exercituque ac regno pariter spoliatus est, cùm regnasset annis propè vndecim, vt videre est in tabulis. Iosephus 13. Antiq. in fine capitis 5. vbi accuratiùs tradit, quomodo & quando iste Demetrius occisus fuerit; ait ipsum in cœnum quoddam transitu difficile equo prolapso cecidisse, ibique crebris hostium iaculis confixũ obiisse post exactum regni annum vndecimum. sed si hoc anno, qui est regni Græcorum centesimus sexagesimus primus, ipse Demetrius, vt credimus, decessit; vtique oportet ipsum non expleuisse annum regni vndecimum: nam anno regni Græcorum centesimo quinquagesimo primo exiit ab vrbe Roma, & regnare cœpit, vt apertè dicitur 1. Machab. cap. 8. vers. 1. Reliquit autem iste Demetrius duos filios, quorum natu maior & ipse, sicut & eius pater, Demetrius nuncupabatur. Vtrosque (quemadmodum notat Iustinus lib. 35.) pater *initio belli prouidè apud hospitem suum Gnidum, cum magno auri pondere, commendauerat; vt & à belli periculis eximerentur, & si ita fors tulisset, vltioni paternæ seruarentur.* At verò Alexander, vt ad ipsum redeamus, adepto regno, & tanta elatus prosperitate, non multò pòst scripsit ad Ptolemæum Philometorem Ægypti Regem, nuntians ei non modò victoriam quam de Demetrio tulerat, & felicem regni, vt ipse aiebat, paterni consecutionem; verùm etiam postulans ab eo dari Cleopatram eius filiam sibi in vxorem. Quod & facilè impetrauit, vt latè traditur 1. Machab. cap. 10. vers. 48. vsque ad 57. & apud Iosephum 13. Antiq. cap. 7.

AB ORBE CONDITO ANNVS 3904. — SEXTÆ MVNDI ÆTAT. ANNVS 458.

PHILOMETOR DAT CLEOPATRAM FILIAM ALEXANDRO VXOREM.

1 ANNO insequente, qui erat regni Græcorum centesimus sexagesimus secundus, vt signanter notatur capite Machab. citato vers. 57. Ptolemæus Philometor, Ægypti Rex venit cum Cleopatra filia sua Ptolemaidam, deditque eam in coniugem Alexan-

Alexandro Syriæ Regi, qui ibidem eis occurrerat, & ibi celebratæ sunt regales nuptiæ, splendore, vt par erat, regio: ad quas Ionathas quoque ab Alexandro vocatus, & purpura indutus, atque inter primarios eius amicos descriptus, ab vtroque Rege, præsertim verò ab Alexandro valdè honoratus est, reiectis quibusdam iniquè aduersus eum interpellantibus: 1. Machab. cap. 10. vers. 57. vsque ad 67. & Iosephus loco eius proximè adducto.

2. Eodem anno tandem, post multa in Senatu Romano præmissa consilia, decretum est suscipiendum, ac re ipsa susceptum fuit tertium bellum Punicum contra Carthaginenses, vt refert Sigonius in suo Fastorum Commentario, sub anno Vrbis sexcentesimo quarto, qui concurrit cum eo de quo nunc agimus; quemadmodum videre est in tabulis; & intra quadriennium ipsius Carthaginis excidio terminatum est, vt suo loco notabimus. INITIVM TERTII BELLI PVNICI.

AB ORBE CONDITO ANNVS 3906. SEXTÆ MVNDI ÆTAT. ANNVS 460.

1 ANNO regni Græcorum centesimo sexagesimo quarto, qui erat Vrbis conditæ annus sexcentesimus sextus, Sp. Posthumio Albino Magno & L. Calpurnio Pisone Censorino Coss. accidit tertium bellum Macedonicum, quod Romani gerere coacti sunt contra quemdam Andriscum, qui Philippi nomine sibi vsurpato, cùm se Persei quondam Regis filium falsò iactaret, & à pluribus credi iam videretur, comprehensus à Demetrio Syriæ Rege, Romam missus fuit anno dicti Regis postremo, hoc est, Vrbis sexcentesimo tertio, L. Licinio Lucullo & A. Postumio Albino Coss. verùm anno tertio, nimirum L. Martio Censorino & M. Manilio Coss. inde clàm in Græciam aufugiens, & ibi exercitu comparato, breui totam Macedoniam, Marco Iuuentio Prætore eiusque exercitu cæso, occupauit. Sed demum hoc eodem de quo nunc agimus anno, dictum PseudoPhilippum imaginarium Regem à Q. Cæcilio Metello nouo Prætore prælio victum atque in potestatem redactum, Macedonia recepta, tradunt Velleius lib. 1. Eutropius, Florus, & alij: ac propterea eidem Metello Macedonici nomen inditum, & ipsum posteà de Macedonia triumphasse aiunt. DE TERTIO BELLO MACEDONICO.

AB ORBE CONDITO ANNVS 3907. SEXTÆ MVNDI ÆTAT. ANNVS 461.

1 ANNO regni Græcorum sexagesimo quinto supra centesimum, vt expresse traditur 1. Machab. cap. 10. vers. 67. Demetrius huius nominis tertius, prioris Demetrij ab Alexandro occisi filius natu maior, de quo sub anno mundi 3903. num. 1. mentionem fecimus; vt primùm annos pubertatis egressus est, *audita* (vt scribit Iustinus lib. 35.) *Alexandri luxuria, quem insperatæ opes, & alienæ felicitatis ornamenta, velut captiuum inter scortorum greges desidem in Regia tenebant, auxiliantibus Cretensibus, securum ac nihil hostile metuentem aggreditur.* Et hoc est quod loco Machab. proximè adducto breuiter describitur hisce verbis: *Venit Demetrius filius Demetrij à Creta in terram patrum suorum. Et audiuit Alexander Rex, & contristatus est valdè; & reuersus est Antiochiam.* sic Sacer textus: cui addit Iosephus 13. Antiq. in principio capitis 8. causam profectionis Alexandri de Phœnicia Antiochiam; nimirum, vt res suas ante Demetrij aduentum in tuto constitueret, præposito interim Cœlesyriæ Apollonio Dauo. Oportet autem, vt reor, hunc Apollonium & diuersum esse à suprà memoratis, & ab Alexandro ad Demetrium defecisse: nam Sacer textus vbi suprà, subiungit, quòd *constituit Demetrius Rex Apollonium Ducem, qui præerat Cœlesyriæ*, id est, qui priùs ab Alexandro præpositus fuerat Cœlesyriæ. Porrò iste Apollonius, volens primò aduersus Iudæos Alexandri fautores dimicare, venit magno cum exercitu ad Iamniam, & per nuntios acriter admodum prouocare cœpit Ionathan; qui confestim delectis sibi decem millibus virorum, exiit de Ierusalem. Cui cùm occurrisset etiam Simon frater eius in adiutorium, venerunt ad Ioppem vrbem maritimam; quam cùm iam Apollonij præsidio præuentam deprehendissent, cœperunt oppugnare; & coëgerunt Ioppitas se eis in deditionem tradere. Vt autem accepit Apollonius, Ioppem occupatam esse à Ionatha; assumptis tribus equitum millibus & magna peditum multitudine, Azotum se contulit; & inde profectus, lento gradu procedens Ioppem versus, vt primùm occurrit ei Ionathas, is callidè relictis retrò in insidiis mille equitibus, qui hostem DEMETRIVS III. TENTAT OCCVPARE REGNVM ALEXANDRI. APOLLONIVS BELLAT INFELICITER CONTRA IONATHAN.

ſtem à tergo adorirentur, retrocedens traxit Ionathan in planitiem, fretus equitatu ſuo, in quo ſpem victoriæ collocarat: Ionathas autem præcognita Apollonij aſtutia, & diſpoſitis copiis quæ poſſent à tergo & à fronte hoſtem impetere, inſequebatur eum; & tandem Ioppem inter & Azotum commiſſo prælio, contriuit pariter ac fugauit exercitum Apollonij, & inſuper Azotum, ac ciuitates in circuitu eius exiſtentes cepit, eaſque & templum Dagon cum his qui in illud confugerant, omnes igne ſuccendit, occiſis in eo bello octo millibus virorum. Mox veniens Aſcalonem, & ab Aſcalonitis honorificè admodum exceptus, reuerſus eſt in Ieruſalem cum ſuis, ingenti præda quam de hoſtibus tulerant, valdè ditatis. Quæ cùm audiſſet Alexander Rex, adiecit honoribus honeſtare Ionathan, miſſa ei fibula aurea, quæ tum conſueuerat dari cognatis Regum: & inſuper Accaronem eiuſque toparchiam eidem poſſidendam tradidit: 1. Machab. c. 10. verſ. 67. vſque ad finem capitis, & apud Ioſephum 13. Antiq. cap. 8.

ALEXANDER IONATHAN ACCARONIS TETRARCHAM FACIT.

CARTHAGINIS EXCIDIVM.

2. Eodem anno, qui erat Vrbis ſexcenteſimus ſeptimus, & quartus ab initio tertij belli Punici, (vt ex ſub anno mundi 3904. num. 2. dictis liquidò deduci poteſt) Scipio Romanorum Conſul Carthaginem, quæ aliquamdiu fuerat Imperij Romani æmula, expugnatam diruit, funditùſque euertit, ac de ipſa triumphauit, & propterea Africani cognomen obtinuit. Rem geſtam à pluribus Hiſtoricis ſcriptam, paucis perſtringit Sigonius in ſuo Faſtorum Commentario, ſub anno Vrbis 607. & paucioribus Oroſius lib. 4. cap. 23. & Eutropius lib. 4. vbi etiam illud addit, quòd Carthago ſeptingenteſimo anno quàm condita erat, deleta eſt. Sed fallitur: nam ſi Carthago annis centum triginta quattuor ante Romam condita eſt, quemadmodũ nos ſub anno mundi 3166. num. 1. ſatis efficaciter probauimus; huic anno Vrbis 607. adde annos 134. & efficies ſummam annorum non ſeptingentorum, ſed ſeptingentorum quadraginta & vnius. Fuit autem hæc vrbs poſt annos viginti duos ab eius deſolatione denuò à Romanis ædificata, vt nos ſub anno mundi 3930. num. 4. dicemus.

AB ORBE CONDITO ANNVS 3908. — SEXTÆ MVNDI ÆTAT. ANNVS 462.

1 ANNO, vt arbitror, poſtero, Ptolemæus Philometor Ægypti Rex callidè cogitans Alexandri regnum occupare, copioſiſſimum coëgit exercitum, & cum eo venit in Syriam; ſpecie quidem vt Alexandrum generum ſuum aduerſus Demetrium adiuuaret; reuerà autem, vt quod iniquè propoſuerat, opere impleret. Itaque in ſingulis ciuitatibus Ptolemæus Rex honorificentiſſimè excipiebatur, & iuſſis eius omnes obtemperabant, quemadmodum de eius aduentu præmonitus mandauerat Alexander Rex, qui tum fortè ad impediendas quaſdam populorum defectiones in Ciliciam properauerat, & nihil mali à ſocero ſuo ſuſpicabatur. At ille, vt quod in eius corde latebat, aſſequi poſſet, in vrbibus per quas pertranſibat, militum ſuorum cuſtodias relinquebat. Occurrit autem ei & Ionathas honoris gratia in Ioppē, & comitatus eſt eum vſque ad fluuium Eleutherum; & nihilominùs Rex, ne ſe Ionathas ab incœpto præpediret, nihil auſus eſt ei exprobrare eorum quæ aduerſus ipſum finitimæ gentes detulerant; nimirum, de Azoto & templo Dagon ab eo incenſis, ac de cædibus ibidem in bello contra Apollonium factis. Vt verò Rex Ptolemæus obtinuit omnes Alexandri ciuitates vſque ad Seleuciam maritimam, miſit ad Demetrium Legatos, qui agerent cum eo de fœdere inter eos ineundo, promittens tradere ei filiam ſuam Cleopatram in vxorem; pœnituiſſe enim ſe eam dediſſe Alexandro, quoniam quæſiuerat ipſum occidere. Igitur firmato fœdere, confeſtim præfatam tulit ab Alexandro Cleopatram, deditque eam Demetrio coniugem; pariterque ſe Alexandri hoſtem declarauit: & ingreſſus Antiochiam, impoſuit ſibi duo diademata, Ægypti ſcilicet & Aſiæ. Quæ cùm audiſſet Alexander, properauit de Cilicia aduerſus Ptolemæum, qui occurrens Alexandro in manu valida, fugauit eum in Arabiam, vbi quidam Arabs amputatum Alexandri caput miſit Ptolemæo tum fortè grauiter ægrotanti, quo viſo valdè quidem lætatus eſt Ptolemæus, verumtamen triduo pòſt & ipſe iuſto Dei iudicio mortuus eſt: 1. Machab. cap. 11. verſ. 1. vſque ad 19. Aduertendum verò hîc eſt, quòd Ioſephus 13. Antiq. cap. 8. neſcio quamobrem, multò aliter hiſtoriam hanc narrat, excuſatque à dolo Ptolemæum, & totam huius facti culpam in ipſum transfert Alexandrum, quaſi verè Ptolemæum interfici curaſſet; ſed profectò quidquid dicat Ioſephus, qui non hîc modò, ſed aliàs ſæpè, pro ſua temeritate, à Sacro textu perperàm diſcedere ſolet;

PHILOMETOR TENTAT OCCVPARE REGNVM ALEXANDRI.

TVLIT CLEOPATRAM AB ALEXANDRO, ET DAT EAM DEMETRIO IN CONIVGEM.

IMPONIT SIBI DVO DIADEMATA.

FVGAT ALEXANDRVM, CVI ARABS CAPVT AMPVTAT, ET MITTIT PHILOMETORI, QVI TRIDVO POST MORITVR.

IOSEPHVS REFELLITVR.

ſolet, multò magis diuinæ Scripturæ, quæ nec falli nec fallere poteſt, credendum eſt, quàm humanæ.

2. Eodem anno, Gn. Cornelio Lentulo & L. Mummio Coſſ. deletam fuiſſe Corinthum ob iniuriam Romanorum Legatis illatam, tradunt ex Velleio Sigonius in ſuo Faſtorum Commentario, & ante ipſum Eutropius lib. 4. & alij.

CORINTHI EVERSIO.

AB ORBE CONDITO ANNVS 3909. | SEXTÆ MVNDI ÆTAT. ANNVS 463.

1 ANNO regni Græcorum centeſimo ſexageſimo ſeptimo, vt Machabæorum loco inferiùs citando notatur, Alexandro Syriæ Rege & Philometore Rege Ægypti defunctis, regnauit in Syria quidem Demetrius, qui (vt ſub anno mundi 3907. n. 1. dictum eſt) fuit huius nominis tertius. Hunc (quia alienum à ſua familia deuicit) Nicatorem Syri cognominarunt, vt ſcribit Appianus ſub finem libri de Bellis Syriacis. In Ægypto autem regnauit Ptolemæus Euergetes huius nominis ſecundus, qui & Phyſcon dictus eſt, fuitque frater prædicti Philometoris, quemadmodum teſtatur Strabo lib. 17. & Ioſephus circa initia libri ſecundi Contra Apionem.

REGNANT IN SYRIA DEMETRIVS III. QVI ET NICATOR, ET IN AEGYPTO PTOL. EVERGETES II.

2. Circa initia regni huius Ptolemæi, acta ſunt ea quæ obiter ſcribit Ioſephus loco proximè citato, videlicet, quòd mortuo Philometore eius fratre, Phyſcon à Cyrene profectus eſt, regno expellere cupiens Regis filios, vt ipſe ſibi regnũ occuparet. Et quoniam Onias Iudæus bellum aduerſus ipſum pro Cleopatra Philometoris vxore ſuſceperat; Phyſcon regno potitus, omnes qui in Alexandria extabant Iudæos, cum liberis & vxoribus comprehenſos, cùm nudos vinctoſque elephantis conculcandos obieciſſet, & ad id beluas etiam inebriaſſet; mira Dei prouidentia factum eſt, vt elephanti, omiſſis Iudæis ſibi expoſitis, amicos Regis aggreſſi, multos eorum interimerent. Quo tam inopinato horribilique ſpectaculo motus Rex, & orante etiam dilectiſſima eius concubina (quam alij Ithacam, alij Irenem appellant) ne tantum ſcelus perpetraret, abſtinuit; & eorum quæ fecerat ac facturus erat pœnituit. Propterea Iudæi Alexandrini eum diem, in quo tanto Dei beneficio ſalutem mirabiliter conſecuti fuerant, meritò poſteà celebrarunt. Simile quid aliàs Iudæis in Alexandria ſub Ptolemæo Philopatore eueniſſe, nos ſub anno mundi 3834. num. 3. narrauimus. Et hæc quidem in Ægypto.

IVDAEI IN AEGYPTO AB ELEPHANTIS MIRABILITER PRAESERVATI.

3. In Iudæa autem per hæc tempora contigit Ionatham obſidere cœpiſſe arcem, quam tenebant alienigenæ in Ieruſalem, & ad quam, vt ait Ioſephus, etiam confugere ſolebant Iudæi propriæ religionis deſertores. Quo audito, Demetrius Rex iratus venit confeſtim Ptolemaidem, ac per litteras imperauit Ionathæ, vt illicò ſolueret arcis obſidionem, & quantocyùs ad ſe properaret. At ille, non ſoluta obſidione, dedit ſe periculo, veniens ad Regem cum ſenioribus & Sacerdotibus ac muneribus, quibus placauit Regem. Atque ita, Deo in primis benè fauente, cauſam ſuam egit, vt Rex, reiectis calumniatoribus, illum non modò ab obiectis abſoluerit, verùm etiam eumdem coram omnibus valdè ſublimauerit, confirmans eum in Principatu & Sacerdotio, approbans quæcumque à præcedentibus Regibus eidem conceſſa fuerant, ponenſque ipſum in capite omnium amicorum ſuorum. Denique Ionathas pollicitus dare Regi trecenta talenta, obtinuit ab eo immunitatem toti Iudæorum regioni, & tribus Toparchiis ei adiectis, & Samariæ, ab omnibus decimis & tributis quæ Regibus ſolui conſueuerant; quemadmodum ex regio diplomate ibidem, nempe 1. Machab. cap. 11. verſ. 19. vſque ad 38. regiſtrato apparet. Eadem tradit Ioſephus 13. Antiq. cap. 8. prope finem. Porrò ampla hæc quæ Rex Ionathæ conceſſit priuilegia, tunc maximè quando potiùs de eius ſalute timendum videbatur, neceſſariò arguunt, Regem Ionathæ ingenuitatem agnouiſſe, ac probaſſe cauſas molitæ obſidionis ſincero mentis affectu ab ipſo allatas: inter quas, ſi diuinare licet, ea eſſe potuit, quòd illam vel inuitus aggredi coactus fuerat; non quidem animo talem Regi auferendi munitionem, quam etiamſi cepiſſet, paratus vtique eſſet ad omnem Regis voluntatem reſtituere: ſed quia in ea commorantes alienigenæ admodum infenſi eſſent Iſraeli; & item, vt pro meritis plectere atque in officio continere poſſet peruerſos quoſdam Iudæos, qui tali perfugio freti, ad quælibet contra diuinam ipſorum Legem mala, non ſine aliorum pernicie & ſcandalo, impunè patranda parati erant: cuius rei, ſeniores ciuitatis & Sacerdotes qui ſecum venerant, oculati locupletiſſimique teſtes, atque omni exceptione maiores eſſe poterant. Credendum verò eſt, rem tandem ita fuiſſe compoſitam, vt Rex promitteret efficere, ne deinceps dicti alienigenæ nocerent Iudæis, néve quiſquam Iudæus quauis

IONATHAS OBSIDET ARCEM.

quauis de causa in arcem reciperetur; aut si hoc non præstaret, arcem se omnino Ionathæ traditurum: Ionathas auté pollicitus sit illicò se obsidionem soluturum. Ceterùm, Ionathan posteà stetisse promissis, Regem verò nequaquam, vel ex eo coniici potest, quòd mox necesse fuit Ionathan iterùm rogare Regem, vt auferret de arce præsidium, quemadmodum infrà num. 5. dicemus. Vnde factum est, vt ex quo primùm dicta arx ab Apollonio illo Antiochi Epiphanis ministro, sicuti sub anno mundi 3887. num. 1. dictum est, extructa & munita fuerat; (tametsi postmodum à Iuda Machabæo, deinde nunc à Ionatha fuerit obsessa, & mox idem Demetrius denuò promiserit eam tradere ipsi Ionathæ, vt infrà n. 5. videbimus:) numquam tamen in potestaté Iudæorum deuenerit, nisi Simonis temporibus, vt ex sub anno mundi 3913. num. 1. dicendis apparebit.

DEMETRIVS DIMITTIT EXERCITVM.

4. Compositis ergo rebus cum Ionatha, Demetrius Rex rediit Antiochiam; vidensque cessasse bella, & nihil sibi ab vlla regni sui parte esse timendum, dimisit totum exercitum, retentis solùm illis militibus, quos ipse secum de Creta aliisque Archipelagi insulis collectos adduxerat. Quamobrem, qui soliti erant ab ipso & à prædecessoribus suis stipendia accipere, offensi admodum atque indignati, cœperunt Regem odio prosequi, ac de eo palàm murmurare. Quod aduertens vnus ex Alexandri Ducibus, qui anteà dicebatur Diodotus, sed posteaquam regnum Syriæ, vt posteà dicemus, occupauit, nouùm sibi Tryphonis nomen adsciuit, vt testatur Appianus sub finem libri de Bellis Syriacis. Hic inquam, Tryphon perrexit ad Emalcuel Arabem, qui educabat Antiochum Alexandri filium, cognomine Deum, vt scribit Iosephus 13. Antiq. cap. 12. suadebatque ei vt traderet sibi puerum, promittens eum se in paternum regnum intrusurum; idque non magno negotio tunc fieri posse, attenta maximè tam grandi, quæ tunc palàm vigebat in militibus, ac pæne in vniuerso populo, à Rege Demetrio animorum alienatione. Quoniam autem se difficilem præbebat Emalcuel ad assentiendum Tryphoni, res dilata est per aliquod tempus, morante nihilominùs Tryphone in Arabia, nec vllatenus cessante sollicitare dictum Emalcuelem: 1. Machab. cap. 11. vers. 38. vsque ad 41. & Iosephus 13. Antiq. cap. 9.

TRYPHON PROCVRAT DEMETRIVM E REGNO PELLI.

IONATHAS SOLLICITAT REGEM PRO ALIENIGENARVM EIECTIONE.

5. Intereà Ionathas, qui vt suprà ostensum est, arcis obsidioné soluerat, videns quòd Demetrius Rex nihil præstaret eorum quæ spoponderat, & quòd alienigenæ qui erant in ipsa arce, non cessabant molestare Iudæos, & esse eis admodum graues; coactus est mittere ad Regem, rogans eum, vt eos qui in arce Ierosolymitana & in aliis præsidiis erant, eiiceret, alioqui pugnas & congressiones inter eos & Israelem tolli non posse. Ad quod Rex magna promptitudinis atque alacritatis ostensione respondit, se non id tantùm, sed & alia longè maiora facere in gratiam Ionathæ opportuno tempore esse paratum: verumtamé, quod nunc attinet, expectare sibi à Ionatha mitti auxiliarios milites, quibus se tutari posset à propriis exercitibus, quos à se defecisse compererat. Confestim ergo misit Ionathas tria millia virorum fortium Antiochiam, qui pro Rege aduersus centum viginti mille Antiochenses viriliter admodú pugnantes, occiderunt ex illis centum mille viros, & incensa ciuitate, coëgerunt reliquos arma deponere, & Regem pro animabus suis suppliciter deprecari, ac sese vltrò eidem in omnibus subdere. Quibus fortiter gestis, reuersi sunt opimis onusti spoliis in Ierusalem. At verò ingratus Rex Iudæis, quorú ope vitam regiamque potestatem pæne iam in regno suo deperditas recuperauerat, nó modò promissa præstare neglexit, sed insuper ita se à Ionatha abalienauit, vt eum deinceps admodum vexare non sit veritus: 1. Machab. c. 11. vers. 41. vsque ad 54. Vexationem istam paucis describit Ioseph. 13. Antiq. c. 9. aliquanto post initium, dicens, quòd minitatus est ei bellum, nisi redderet tributa omnia, quæ Iudæorum Gens solita fuisset prioribus Regibus pendere; fecissetque etiam, ni impeditus fuisset à Tryphone; coactus apparatum contra Ionathan factum, in illum potiùs committere.

FERT SVPPETIAS REGI, QVI INGRATVS EVM VEXARE PARAT.

TRYPHON OBTINET ANTIOCHVM VT REGEM SYRIAE CONSTITVAT.

6. Eodem anno ad finem, vt arbitror, iam vergente, oportet (si verum est quod ex Iosepho nos sub anno mundi 3912. n. 3. dicemus) Tryphonem tandem voti composé factum, obtinuisse ab Emalcuel Arabe Antiochum Alexandri filium adhuc adolescentulú in sui tutelam; quem posteà perduxit in Syriá, vt nos consequenter dicemus. Igitur

AB ORBE CONDITO ANNVS 3910. — SEXTÆ MVNDI ÆTAT. ANNVS 464.

1 ANNO, vt credimus, proximo circiter ineunte, reuersus ex Arabia in Syriam Tryphon cum Antiocho, statim concitauit exercitus veteranos, qui abalienati erant à Demetrio, & Tryphonis industria pariter congregati, constituerunt Antiochum

chum Regem. Nec multò pòst, inito Tryphon certamine aduersus Demetrium, illoq; in Ciliciam fugato, obtinuit elephantos eius, & Antiochiam regni sedem. Itaq; Antiochus huius nominis sextus, posito sibi diademate, quantocyùs Ionathan amicum sibi reddere curauit, missis ei vasis aureis cum priuilegio satis amplo, quo confirmabat ei summum Sacerdotium, dabatque eidem facultatem vtendi ad eius mensam vasis aureis, & induendi purpuram, ac ferendi fibulam auream, tamquam inter cognatos ac primarios Regis amicos cooptatus; & prætereà addidit ei Præfecturas quattuor ciuitatum Iudææ proximarum; & Simonem fratrem eius regiæ militiæ Ducem, à Tyro ad Ægyptum vsque constituit. Quibus acceptis à Rege fauoribus, Ionathas, vt benefactori suo gratus beneficia rependeret, exiit cum suis ad finitimas Iudææ ciuitates, vt induceret cogeretve eas à Demetrio discedere, & adhærere Antiocho; & confestim confluentibus ad eum è Syria militibus, bellum gerebat aduersus Demetrij fautores; & Ascalone, ciuibus eius sibi honorificè occurrentibus, pacificè recepta, obsedit Gazam sibi resistentem; quam tandem, vastata eius regione, ad deditionem compulit, acceptis ab ea obsidibus, quos Ierosolymam transmisit. Deinde lustrata reliqua regione vsque Damascum, & ad parendum Antiocho adducta, audiuit quòd Demetrij Duces in Cades vrbe Galilææ (ad differentiam alterius quæ erat in deserto Pharan) præuaricabantur obloquentes de se & de Antiocho, & quærebant remouere ipsum à Principatu, quem ei concesserat Demetrius, & à tot tantisque progressibus, quos in Syria faciebat, reuocare. Quamobrem accensus zelo sumendi iustam de ipsis vindictam, relicto in Iudæa cum parte exercitus Simone fratre suo, qui tum fortè munitissimum Bethsuræ præsidium oppugnabat, ac tandem per deditionem recepit; ipse cum reliquis copiis in Galilæam properans, vbi peruenit ad campum Asor, ecce hostes, relictis retrò in quodam monte insidiis, occurrerunt ei: contra quos, vt primùm bellare cœpit Ionathas; exurgentes à tergo insidiæ fugauerunt omnes Ionathæ milites, præter duos primarios eius Duces; quibuscum Ionathas, præmissis ad Deum precibus, audacter hostes aggressus, eosdem fortiter repellere cœpit. Quod videntes qui primò aufugerant Iudæi, redeuntes ad pugnam, Demetrianos in fugam versos persecuti sunt vsque ad Cades, vnde venerant; & peremptis illa die tribus alienigenarum millibus, reuersi sunt cum Duce suo Ionatha in Ierusalem; 1. Machab. cap. 11. vers. 54. vsque ad finem capitis, & apud Iosephum 13. Antiq. cap. 9.

ANTIOCHVS VI. REGNAT IN SYRIA, ET IONATHAN SIBI AMICVM REDDERE CVRAT.

IONATHAS BELLAT CONTRA DEMETRIANOS PRO ANTIOCHO.

2. Post hæc Ionathas videns res Iudæorum, Deo fauente, non mediocriter auctas; vt adhuc magis eas firmaret, secundarum rerum temporumque opportunitate captata, operæpretium duxit mittere Legatos Romam, qui curarent renouare fœdus, quod cum Iuda fratre suo anteà ictum fuerat: atque hac occasione mandauit eisdem Legatis, vt in suo reditu ad Spartiatas siue Spartanos, quos Iosephus lib. 12. Antiq. cap. 5. & lib. 13. cap. 9. vocat Lacedæmonios, qui ad Australem Peloponnesi partem habitabant, pergerent, eisque litteras innouandæ seu confirmandæ societatis præsentarent, quarum exemplum loco mox citando refertur; & vt ad alia quoque loca alias item Ionathæ epistolas eiusdem ferè tenoris deferrent. Quod & fecerunt, reportantes à Romanis dicti fæderis confirmationem, & litteras commendatitias ad Europæ Asiæque Reges, vt latè describitur 1. Machabæorum cap. 12. vers. 1. vsque ad 24. & tradit etiam Iosephus loco citato.

MITTIT LEGATOS ROMAM RENOVARE FOEDVS, ET AD SPARTIATAS.

3. Per idem quoque tempus, audiens Ionathas quòd Demetrij Duces maioribus quàm anteà copiis contra se venire pararent; ipse ocyùs occurrit eis cum exercitu in regione Amathite, antequam ingrederentur Iudæam; & exploratis ipsorum castris, cognouit quòd decreuerant eum nocte illa derepentè aggredi; verùm vt audierunt innotuisse eorum consilia Ionathæ, & ipsum ad repugnandum expectare paratum, desperantes aperto Marte se posse contra eum præualere; accensis eadem nocte in castris focis, qui à Iudæis videri possent, ipsi clàm traiecto flumine Eleuthero, fugerunt. Vt primùm autem de eorum fuga Ionathas audiuit, insecutus est eos; sed non potuit assequi. Itaque illis omissis, diuertit ad Arabas Zabadæos, quibus percussis, acceptisque eorum spoliis, venit Damascum, obibatque totam regionem illam, vt retineret eam Antiocho adhærentem. Simon quoque eius frater, eodem tempore & ipse exiens, venit ad Ascalonem, & ad proxima præsidia, vt eadem in officio contineret. Mox audiens quòd Ioppitæ agerent de suo præsidio partibus Demetrij tradendo, properauit occupare ciuitatem, & ponere custodes in ea. Denique reuersi Ionathas & Simon in Ierusalem, conuocatisque senioribus populi, de ipsorum consilio decreuerunt munire Iudææ præsidia, atque in primis Ierosolymam, murumque excitare inter arcem & vrbem; vt

ITERVM FELICITER PVGNAT PRO ANTIOCHO.

STATVIT MVNIRE IVDAEAE PRAESIDIA ET IERVSALEM.

vt hoc pacto & vrbem ab alienigenarum incursionibus tutiorem redderent, & pariter arcis custodes ad commeatus penuriam adigerent. Itaque satagebant Ionathas erigere muros ciuitatis, Simon autem extruere munitiones in prouincia, præcipuè verò vnam vocabulo Adiada, in quodam loco qui dicebatur Sephela, perfecitque eam: 1. Machab. cap. 12. vers. 24. vsque ad 39. & Iosephus vbi suprà.

ET EXCITARE MVRVM INTER ARCEM ET VRBEM.

AB ORBE CONDITO ANNVS 3911. | SEXTÆ MVNDI ÆTAT. ANNVS 465.

TRYPHON COGITAT INTERFICERE ANTIOCHVM ET REGNARE PRO EO.

1 ANNO, vt arbitror, proximo, qui erat regni Græcorum centesimus sexagesimus nonus, cogitans Tryphon occidere Antiochum, & regnum eius occupare; veritus ne à Ionatha Antiochi amico consilium eius eluderetur, statuit priùs ipsum Ionathan, si posset, de medio tollere. Itaq; hoc animo venit cum exercitu in Bethsan, quæ posteà Scythopolis dicta est. Cui cùm obuiàm venisset Ionathas cum quadraginta millibus virorum, vt si quid mali ille in Iudæam moliri vellet, eidem obsistere valeret: Tryphon videns se Ionathan vi capere nullo modo posse, eumdem insidiis ac simulationibus incautum intercipere aggreditur, excipiens illũ cum honore ac muneribus; & præcipiens exercitibus suis, vt ei tamquam sibimet in omnibus obtemperarent; ac demum blandè suadens, vt dimisso exercitu, secum cum paucis veniret Ptolemaidam: ad hoc enim ipsum venisse, vt eius quoque vrbis, & reliquorum præsidiorum, necnon exercituum Regis, ac Præfectorum regionis, vniuersalem ei curam committeret traderetque. His atque eiusmodi nimiùm credulus Ionathas, dimisit exercitum, retentis dumtaxat tribus virorum millibus, quorum duo millia in Galilæam remisit. Vt primùm autem ipse Ionathas nihil mali suspicans, cum Tryphone ingressus est Ptolemaidam; confestim oppidani, quemadmodum præmoniti fuerant, clausis ianuis Ionathan viuum comprehenderunt, & omnes qui cum eo intrauerant trucidarunt. Misit autem illicò Tryphon equitum manus in Galilæam, vt ibidem quoque Ionathæ milites interficerent. Verùm cùm apud eos iam rumor de capto Ionatha percrebuisset, hortati semetipsos, exierunt parati pro animabus suis fortiter dimicare. Quod videntes qui à Tryphone missi fuerant, veriti aduersus desperatos pugnare, reuersi, dimiserunt illos pacificè ad suos redire. Ceterùm, re cognita, planxit Israel Ionathan, quem iam occisum existimabat, luctu magno: contrà verò Gentes, quæ erant in circuitu eius, exultantes putabant modò se posse Iudæos tanto Principe orbatos omnino conterere, ac penitus eorum memoriam de terra tollere: 1. Machab. cap. 12. vers. 39. vsque ad finem capitis, & Iosephus 13. Antiq. cap. 10. & lib. 1. de Bello cap. 2.

IVDAEI DE IERVSALEM SCRIBVNT IVDAEIS IN AEGYPTO DEGENTIBVS.

2. Eodem anno centesimo sexagesimo nono, post captum Ionathan, adhuc regnante in Asia Demetrio huius nominis tertio, Iudæi qui erant Ierosolymis in magna tribulatione positi, scripserunt fratribus in Ægypto commorantibus flebilem illam epistolam, cuius obiter fit mentio 2. Machab. cap. 1. vers. 7. vsque ad 9. & cum ea (quemadmodum sub anno mundi 3892. num. 11. diximus) probabile est fuisse pariter missos quinque Annalium libros à Iasone Cyrenæo de Iudæ rebus gestis conscriptos: nam si memorata epistola simul cum dictis Annalibus non fuisset transmissa; ad quid eorumdem Annalium Compilator eam in Proœmio libri sui posuisset, & non magis in historia proprio loco, videlicet vbi de templi purificatione facta agendum erat, inseruisset? Certè, vt dixi, probabile admodum est, quòd Auctor secundi libri Machab. sicuti in Proœmio suo ante omnia operæpretium duxit ponere epistolam Ierosolymitani ac Iudaici populi nomine, anno centesimo octogesimo octauo datam, cum qua ipse pariter librum suum compendiariò ex prædictis Annalibus exceptum, in Ægyptum mittebat, vt nos sub anno mundi 3930. num. 2. dicemus: ita etiam in eadem epistola meminerit alterius epistolæ, cum qua olim missi fuerant prædicti Annales; & propterea ab hisce epistolis, loco Præfationis, suam prædictorum Annalium compilationem inchoauerit. Ideò autẽ & memoratos Annales cum prædicta epistola putamus fuisse in Ægyptum directos, vt Iudæis ibidem habitantibus non solùm in memoriam redigerent, quod aliàs eisdem scripserant, suadentes celebrare quotannis Scenopegiam mensis Casleu Iuda inprimis procurante institutam; sed etiam, vt ex eorumdem Annalium lectione scirent, qua de causa fuisset instituta; & simul possent pro tam magnis beneficiis à Deo acceptis, nimirum quòd per Iudam & fratres eius, templum ab Antiocho Epiphane profanatum restituisset, & tantas de hostibus victorias concessisset, gratias agere: & item, vt ex comparatione præclarissimarum rerum à Iuda gestarum, magis

compati

compati possent captiuitati Ionathæ eius fratris; & rogare Dominum, vt præsentem populi sui calamitatem nouis miserationibus compensaret.

3. Eodem anno, iuxta ea quæ nos sub anno mundi 3461. num. 1. diximus, oportet Eleazarum illum, qui in genealogia Saluatoris refertur Matthæi cap. 1. vers. 15. genuisse anno vitæ suæ quinquagesimo primo Mathan, quemadmodum etiam notatum est in tabulis. Qui quidem Mathan siue Mathat, posteà adoptatus fuit in filium à quodam Leui, qui erat de stirpe Nathan, vt nos sub annis mundi 4037. num. 3. & 4051. num. 15. ostendemus. Et ideò dictus Mathan siue Mathat, secundùm Matthæum fuit filius naturalis dicti Eleazari; secundùm Lucam verò fuit filius Leui, nimirum adoptiuus. Genuit etiam naturaliter dictus Eleazar, siue ante siue post natum Mathan, alium filium nomine Pantherem, qui posteà fuit proauus beatissimæ Genitricis Dei Mariæ, quemadmodum sub annis mundi proximè allegatis apparebit. Quòd si anno circiter vno ante vel post præsentem mundi annum natus est Panther proauus dictæ beatissimæ Virginis, cùm hinc ad ortum ipsius beatissimæ in tabulis inueniantur anni circiter centum viginti sex; probabile est, ipsum Pantherem anno circiter ætatis suæ quadragesimo genuisse Barpantherem auum dictæ Virginis: & similiter Barpantherem anno vitæ suæ circiter quadragesimo genuisse Ioachimum patrem eiusdem Virginis: & hunc, cùm annum ageret circiter vigesimum sextum, duxisse vxorem Annam, quæ posteà, post exactos in coniugio annos viginti sine prole, genuit ei eamdem beatissimam Virginem, vt infrà suis locis dicemus. Sic enim commodè exhauriri posse videtur prædicta summa annorum centum viginti sex.

ELEAZAR GENVIT MATHAN.

AB ORBE CONDITO ANNVS 3912. — SEXTÆ MVNDI ÆTAT. ANNVS 466.

1 ANNO centesimo septuagesimo circiter inchoante, vt ex dicendis sub anno mundi 3914. num. 1. constabit, audiens Simon Tryphonem comparare sibi validissimum exercitum, vt ad Iudæam conterendam properaret, vidensque populum in magno timore ac trepidatione positum, aduocata publicè Ierosolymis concione allocutus est populum; ac primò quidem breuiter commemoratis, quæ & quanta ipse & omnes fratres eius fecissent pro sanctis Legibus ac veri Dei cultoribus, & angustias quas passi erant, & quòd huius rei gratia perierant omnes fratres eius, & ipse relictus erat solus; mox mira animi generositate obtulit se paratum vindicare, hoc est defendere Israëlem à Gentibus contra eum insurgentibus; & pro ipso etiam, si opus esset, fortiter in bello mori. Quibus auditis, commotus est spiritus vniuersi populi; & cunctis acclamantibus, *Tu es dux noster*, &c. illicò eum in Ducem ac Principem loco Ionathæ fratris sui vnanimes elegerunt. Quo munere suscepto, Simon accelerauit cunctos congregare bellatores, & munire muris Ierusalem, & mittere nouum validumque præsidium in Ioppem, eiectis his qui erant in ea, veritus ne ciuitatem Tryphoni traderent. Tryphon autem grandi coacto exercitu veniens in Iudæam cum Ionatha vincto, vt audiuit Simonem successisse in Principatum fratri, & occurrisse sibi in Addus cum exercitu benè instructo; non est ausus cum eo prælium committere, sed callidè misit qui dicerent ei, Si vellet dimitti fratrem suum, mitteret ei centum talenta argenti quæ debebat Regi, & duos filios eius obsides; hac enim de causa Ionathan detineri. Quibus auditis Simon, tametsi probè intellexit viri fictionem, nihilominus ne videretur fratris redemptionem neglexisse, misit omnia. Ille verò his acceptis, fidem fefellit; & non modò Ionathan non dimisit, sed Iudæam ingressus, circuibat cùm exercitu per viam quæ ducit Ador, volens ex parte Idumææ ascendere Ierosolymam. At verò Simon cum suo pariter exercitu illum perpetuò consectabatur, castra castris illius vbique opponens. Verùm Tryphon, cùm ab iis qui erant in arce Ierosolymitana requisitus, frustrà tentasset mittere Ierosolymam equitatum; videns se nihil proficere, mutato consilio rediit in Syriam, animo perdendi Antiochum, & inuadendi regnum eius; interfectis priùs in oppido Bascaman Ionatha & filiis eius. Quorum cadauera mox inde sublata, Simon in Modin ciuitate patris sui honorificè sepelienda curauit: vbi posteà magnificentissimum patri, matri, ac fratribus sepulchrum, magnis columnis, excelsisque pyramidibus, nec non variis armorum nauiumque cælaturis exornatum, extruxit, ad æternam ipsorum memoriam. Et planxerunt Ionathan in omni Israele multis diebus: 1. Machab. cap. 13. vers. 1. vsque ad 31. & Iosephus 13. Antiquitatum cap. 11.

SIMON ELIGITVR DVX POPVLI.

IONATHAS ET FILII EIVS A TRYPHONE INTERFICIVNTVR, QVIBVS SIMON EXTRVIT SEPVLCHRVM HONORIFICENTISSIMVM.

IONATHAS QVOT ANNIS POPVLO PRAEFVERIT.

2. Porrò Ionathan præfuisse populo ab obitu Iudæ fratris sui annis saltem decem & octo, apparet in tabulis, & ex annorum item serie hactenus recensita satis liquet; nam Iudas obiit anno regni Græcorum centesimo quinquagesimo secundo, Ionathas verò anno centesimo septuagesimo, vt dictum est. Quare oportet vel Iosephum sub finem capitis proximè adducti esse hallucinatum, vbi ait ipsum Ionathan obiisse exacto Pontificatus simul & Imperij sui anno quarto: vel eumdem Ionathan (quemadmodum aliquādo & alij Principes fecisse leguntur, & nos sub anno mundi 3452. n. 1. notauimus) ab aliqua insigni eius actione, annos Principatus ac Pontificatus sui deinceps recenseri voluisse, puta ab obtenta illa toti Iudæorum regioni immunitate, quam sub anno mundi 3909. n. 1. diximus contigisse anno regni Grecorum centesimo sexagesimo septimo.

TRYPHON OCCISO ANTIOCHO OCCVPAT REGNVM SYRIAE.

3. Non multò pòst, nimirum anno ad finem iam vergente, Tryphon iter faciens cum Antiocho Rege adolescentulo, callidè occidit eum, anno quarto postquam eius tutelam susceperat, vt testatur Iosephus 13. Antiq. c. 12. Ex quo patet, verum esse quod nos sub anno mundi 3909. n. 4. diximus eumdem Tryphonem anno regni Græcornm centesimo sexagesimo septimo obtinuisse dictum Antiochum in sui tutelam. Sanè Tryphon, sparso rumore quòd Antiochus inter se exercendum esset extinctus, milites magnis pollicitationibus adduxit vt se Regem facerent; atque his artibus imposito sibi diademate, factaque sibi aduersantium cæde magna, Asiæ seu Syriæ regnum vi occupauit: 1. Machab. cap. 13. vers. 31. & 32. Quare credimus primum Tryphonis regni annum ferè à sequenti initium sumpsisse, vt etiam notatum est in tabulis.

SIMON PRAESIDIA IVDAEAE MVNIT.

4. Intereà Simon Iudææ præsidia muris ac turribus, & omni commeatu munire satagebat. Vt autem audiuit necatum esse Antiochum, & Tryphonem se in regnum intrusisse, misit Legatos cum muneribus ad Demetrium Regem, quem sciebat Tryphonis hostem esse capitalissimum, & propterea contra illum libenter secum fœdus initurum. Facilè ergo obtinuit Simon, nactus hanc tam opportunam temporis occasionē, à Demetrio quæcumq; voluit; nimirum, absolutam Iudæis pacem, atq; immunitatē ab omnibus tributis, & liberum quarumcumq; munitionū ab ipsis ædificatarum dominium, & perpetuam inter ipsum Demetrium & Gentem Iudæorum societatem; vt patet ex ipsiusmet Demetrij diplomate, quod loco Mach. mox citando refertur. Itaq; hoc eodem anno regni Græcorum septuagesimo supra centesimum, ablatum est iugum Gentium ab Israële; cœpitq; populus scribere in tabulis & gestis publicis, *Anno primo sub Simone summo Sacerdote, magno Duce, & Principe Iudæorū:* 1. Machab. c. 13. v. 33. vsq; ad 43.

INITO FOEDERE CVM DEMETRIO REGE, AVFERT IVGVM GENTIVM AB ISRAELE.

¶ Diximus hæc accidisse anno regni Grecorum 170. quia si (vt legimus 1. Machab. c. 14. v. 27. & nos sub anno mundi 3914. n. 1. dicemus) annus centesimus septuagesimus secundus erat tertius sacerdotij Simonis, vtiq; oportet quòd primus Sacerdotij eius esset regni Græcorum centesimus septuagesimus. Quomodo ergo Iosephus 13. Antiq. c. 11. sub finem ait, quòd Simon primo sui Principatus anno suis immunitatem tributorum peperit, quæ hactenus Macedonibus erant soliti pendere: idq; accidit post annum centesimum septuagesimum, hoc est anno centesimo septuagesimo primo ex quo Seleucus Nicanor Syriæ regno potitus fuerat? Respondemus, necessariò dicendum esse, vel Iosephum in hoc, sicuti & in aliis multis, fuisse deceptum; vel, quod magis reor, prædictam immunitatem fuisse obtentam à Simone sub finem anni primi Principatus sui, qui annus desinebat post iam inchoatum annum regni Græcorum centesimum septuagesimum primum. Ceterùm, perfectam hanc Iudæorum libertatem accidisse post annos à soluta ipsorum Babylonica captiuitate 396. dignosci poterit ex Æra, quam hac speciatim de causa in tabulis ab eadem solutione deduximus. Intra hos namq; annos semper aliquomodò Iudæi, primò Persarum, mox etiam Græcorum Regibus subditi fuerant.

SIMON CAPIT GAZAM.

☞ 5. Per eadem quoq; tempora, Simon ducto exercitu machinisq; ad Gazam, obsedit oppugnauitq; eam; & oppidanis tandem ad deditionem compulsis, eosdem quidē occidere noluit, sed inde eiecit; & mundata à simulacris ciuitate, intrauit in eā cum hymnis benedicens Domino; & eiectis idololatris, deduxit eò colonias virorum obseruantium Legem Domini, ac demum munita vrbe, erexit quoq; sibi in ea palatium, in quo ipse pro libito habitare posset: 1. Machab. c. 43. vsque ad 49. & Iosephus 13. Antiq. c. 11.

AB ORBE CONDITO ANNVS 3913. | SEXTÆ MVNDI ÆTAT. ANNVS 467.

1 ANNO regni Græcorum centesimo septuagesimo primo, die vigesimo tertio mensis secundi, Simon tum muro inter arcem & vrbem (quem cœperat Ionathas, vt sub anno mundi 3910. n. 3. dictum est) iam erecto, tum aliis modis, cùm omnes

nes interclusisset aditus, penitusque prohibuisset ne custodes arcis Sion inde ad commeatus sibi comparandos vllatenus exire possent, ac eosdem fame pressos ad deditionem compulisset, tandem ipsis eiectis, & arce à contaminationibus mundata, introiuit in eam cum ramis palmarum & canticis, ingentiq; omnium lætitia; & statuit diem illum exinde quotannis cum gaudio esse celebrandum: 1. Machab. cap. 13. vers. 49. vsque ad 53. Vbi tametsi de eodem Simone Iosephus 13. Antiquit. cap. 11. subiungat, dicens, quòd expugnata Ierosolymorum arce, solo eam æquauit; id tamen non intelligendum est tunc statim fuisse factum, sed primò quidem ipsum loco alienigenarum collocasse in ipsa arce Iudæos, ad tuitionem regionis & ciuitatis, vt expresse dicitur 1. Machab. c. 14. v. 37. & colligitur etiam ex his quæ dicuntur c. 15. v. 28. Posteà autem, nimirum triennio pòst, vt nos sub anno mũdi 3916. num. 2. dicemus, mutato in melius consilio, illam, vt ex Iosepho dictum est, funditus diruisse. Muniuit etiam Simon montem templi, qui erat secus arcem; & habitauit ibi ipse, & qui cum eo erant præter Ioannem filium eius, qui posteà Hircanus dictus est; hunc enim quia vir erat admodum bellicosus, constituerat post se primarium totius militiæ Ducem, & voluit vt habitaret in Gazaris: 1. Machab. cap. 13. vers. 53. & 54. Erat autem Gazara in finibus Azoti, in qua hostes anteà habitabant; & propterea collocauerat Simon illic Iudæos, & quæcumque apta erant ad eorumdem hostium repressionem, vt traditur 1. Machab. cap. 14. vers. 34. & ex cap. 15. vers. 28. 30. & 35. manifestè colligitur; quòd Ioppe & Gazara tunc computabantur extra fines Iudææ; & quòd super ipsas tamquam regni sui partes ius prætendebant Syriæ Reges. Ideò opportunè ibi, tamquam in loco hostium incursibus valdè exposito, manebat primarius belli Dux, vt præstò esse posset, quandocumque à Syris noui aliquid moliri contingeret: quod posteà vsu venit, quemadmodum sub anno mundi 3916. num. 1. dicemus.

SIMON EXCLVSIS ALIENIGENIS INTRAT SOLLEMNITER IN ARCEM SION.

IOANNES HIRCANVS PRIMVS MILITIAE DVX.

2. Eodem anno, qui (vt videre est in tabulis) erat Vrbis conditæ sexcentesimus decimustertius, Gn. Cæpione & Q. Pompeio Coss. cœpit bellum Numantinum à Romanis in Hispania citeriore gestum per annos circiter septem, videlicet vsque ad Numantiæ excidium, de quo suo loco dicemus. Fuit autem hoc bellum, præsertim anno eius primo, admodum graue & dispendiosum Romanis, vt ex Appiano refert Sigonius in suo Fastorum Commentario: tametsi posteà fuerit grauissimum ipsis Numantinis vsque ad vltimum ipsorum interitum. Porrò Numantia erat olim vrbs celeberrima in Tarraconensi prouincia, quæ nunc vulgò dicitur, *Il regno di Aragon.* Quidam, inter quos est Pomponius Mela lib. 2. cap. 4. putant Numantiam posteà reædificatam, esse illam quæ hodie dicitur Cæsaraugusta, vulgò *Saragoza.*

INITIVM BELLI NVMANTINI.

AB ORBE CONDITO ANNVS 3914. — SEXTÆ MVNDI ÆTAT. ANNVS 468.

1 ANNO centesimo septuagesimo secundo (vt loco Machab. proximè citando exprimitur) Demetrius Rex, post fœdus cum Simone ac Iudæis ictum, congregato exercitu abiit in Mediam, ad contrahendos inde sibi auxiliarios milites, quibus expugnare posset Tryphonem, & à regno suo, in quod callidè ac violenter se intruserat, expellere. Verùm ab Arsace Persidis ac Mediæ Rege Demetrius Rex viuus comprehensus, atq; in custodia positus est. Quamobrem, inquit Scriptura, *siluit omnis terra Iuda,* nimirum à bellis, *omnibus diebus Simonis:* 1. Machab. cap. 14. vers. 1. vsque ad 5. Sanè hanc Demetrij profectionem trans Euphraten, & causam ipsius, paulò aliter descriptam reliquit Iosephus 13. Antiq. in calce capitis 9. ita tamen, vt non omnino videri possit aduersari his quæ ex 1. Machab. dicta sunt; nisi in hoc, quòd ipse Iosephus putat Demetrij captiuitatem accidisse antequam Tryphon regnare cœpisset; quin potiùs ex hac Demetrij calamitate occasionem arripuisse Tryphonem occidendi Antiochum, & inuadendi regnum pro eo. At enimverò, ex loco Machab. citato oppositum apertè colligitur. Qua in re, sicut & in reliquis eiusmodi, proculdubiò magis standum est cum sacro quàm cum profano Auctore. Ceterùm Demetrius, licet primò in custodiam, vt dictum est, traditus fuerit; posteà tamen liberè apud Regem Persarum mansisse credendus est, donec inde dimissus in regnum suum rediit, vt tradunt Iustinus & Appianus; quorum primus lib. 36. scribit, quòd *Demetrius multis prælijs Parthos fudit: ad postremum tamen pacis simulatione deceptus, capitur; traductúsque per ora ciuitatum, populis qui desciuerant, in ludibrium fauoris ostenditur. Missus deinde in Hircaniam, benignè, & iuxta cultum pristinæ fortunæ habetur.*

DEMETRIVS REX AB ARSACE COMPREHENDITVR.

IOSEPHVS REFELLITVR.

habetur. sic Iustinus. Appianus verò in calce libri de Bellis Syriacis, de eodem Demetrio sic ait: *Hic primi Nicanoris exemplo, suscepit expeditionem Parthicam; & captus vixit in Phraatæ Regia, Regis sorore Rodoguna ducta in matrimonium.*

SIMON VALDE HONORATVR AB EXTERIS, ET PRAECIPVE A ROMANIS.

2. Intereà Simon valdè florebat in Principatu suo, eratque inclytus & magnæ existimationis, non solùm apud suos, sed etiam apud exteras nationes, & præcipuè apud Romanos; qui, vt primùm audierunt quòd defunctus esset Ionathas, & Simon frater eius factus esset summus Sacerdos, obtineretque omnem Iudæorum regionem; scripserunt ad eum in tabulis æreis, vt renouarent societatem quam fecerant cum Iuda & Ionatha fratribus eius; lectæq; sunt litteræ corã vniuerso populo in Ierusalem: 1. Machab. cap. 14. vers. 16. vsque ad 20. Scripserunt quoque Spartani, quorum epistola ibidem ad verbum subiungitur vsque ad vers. 24. Cùm autem Simon deinde, ad magis adhuc confirmandam cum Romanis initam societatem, misisset Romam Legatos, inter quos princeps erat Numenius, qui aliàs à Ionatha eadem de causa missus fuerat, vt traditur 1. Machab. cap. 12. vers. 16. & per ipsos clypeum aureum magnum, pondo minarum mille; obtinuit insuper ab eis aliud amplissimum libertatis diploma, tabulis æreis exaratum, in quo Iudæi declarabantur liberi, & ab omni humana potestate independentes: 1. Machab. cap. 14. vers. 24. vsque ad 27. & alias item litteras commendatitias ad Ptolemæum Aegypti Regem, & ad Demetrium, aliosque Reges ac Gentes, vt per recapitulationem traditur 1. Machab. cap. 15. vers. 15. vsque ad 25. Vbi ex tenore eius quæ directa erat Ptolemæo Regi, & ibidem registrata habetur, coniicitur quales fuerint aliæ, quæ eadem ferè continebant, vt ibidem vers. 22. traditur. Porrò tabulas æreas libertatis ac societatis, quas Numenius à Romanis aliquantò anteà reportauerat, Iudæi posteà, hoc eodem anno, die decimooctauo mensis Elul, qui erat sextus, reposuerunt in monte Sion, hoc est, in templo, aut prope ipsum templum, cum quibusdam aliis titulis honorificentissimis à Gente sua eidem Simoni ad æternam memoriam dicatis atque erectis; nec non scriptura publica consignatis, ac in tabulis æreis loco vrbis celeberrimo pariterque conspicuo expositis: & aliis item tabulis eiusdem tenoris in ærario publico asseruatis: quorum exemplum, quod incipit, *Octaua decima die mensis Elul, anno centesimo septuagesimo secundo, anno tertio, sub Simone Sacerdote magno,* &c. habetur 1. Machabæorum cap. 14. vers. 27. vsque ad finem capitis. Ex quibus verbis manifestè colligitur, verum esse quod nos sub anno mundi 3912. num. 1. diximus; nimirum Simonis Principatum cœpisse anno regni Græcorum septuagesimo supra centesimum.

OBTINET A ROMANIS AMPLISSIMVM LIBERTATIS DIPLOMA.

ALEXANDRAE IVDAEORVM REGINAE NATIVITAS

3. Sub finem huius anni oportet natam esse Alexandram illam, quæ post Alexandri Regis viri sui obitum, regnauit in Iudæa. Siquidem (vt sub anno mundi 3987. n. 1. ex Iosepho dicemus) ipsa mortua est exacto anno regni nono, vitæ verò septuagesimo tertio. Quare annus insequens concurrit ferè totus cum primo vitæ eiusdem Alexandræ, vt etiam videre est in tabulis.

AB ORBE CONDITO ANNVS 3915. — SEXTÆ MVNDI ÆTAT. ANNVS 469.

ANTIOCHVS VII. MVLTA SIMONI PRIVILEGIA CONFERT.

1 ANNO centesimo septuagesimo tertio, vt arbitror, nondum exacto, Antiochus huius nominis septimus, cognomento Asidetes, siue Sedetes, qui & Soter, & à pietate mox erga templum Ierosolymitanum (vt sub anno mundi 3921. n. 1. dicemus) ostensa, Pius quoque à Iudæis est appellatus, vt tradit Iosephus 13. Antiquit. cap. 16. Demetrij Soteris filius, & alterius Demetrij proximè ab Arsace capti frater natu minor, qui ad Archipelagi insulas ab impetu Tryphonis aufugerat; præparatis sibi ibidem exercitibus & nauibus bellicis, vt regnum suum à Tryphone vsurpatum recuperaret, ante omnia expedire iudicauit, Simonem in auxilium adsciscere, aut saltem ita sibi amicum reddere, vt conatibus suis obsistere nullatenus attentaret: propterea misit ad eum à prædictis insulis litteras societatis & amicitiæ, confirmans ei immunitates & priuilegia à prioribus Regibus concessa: adiiciens ad priorum Regum indulta etiam facultatem cudendi propria numismata, & declarans Ierusalem ab omni regia iurisdictione esse liberam; & pariter omnia arma & præsidia quæ tum tenebant Iudæi, esse ac manere sub potestate Simonis: & denique maiora quoque promittens ad Iudæorum templique Ierosolymitani gloriam magis augendam se facturum, posteaquam regnum suum obtinuisset; vt videre est 1. Machab. cap. 15. vers. 1. vsque ad 10. Vbi etiam prædictæ litteræ ad verbum referuntur.

AB

AB ORBE CONDITO ANNVS 3916. SEXTÆ MVNDI ÆTAT. ANNVS 470.

1 Anno regni Græcorum centesimo septuagesimo quarto, vt expressè traditur 1. Machab. cap. 15. vers. 10. Antiochus proximè memoratus, Demetrij captiui frater, venit de Archipelagi insulis in terram patrum suorum. Et primò quidem, vt ait Iosephus 13. Antiq. cap. 12. *cùm oberraret, nec ab vlla vrbe reciperetur metu Tryphonis; misit ad eum Cleopatra Demetrij fratris vxor, offerens ei coniugium suum, & regnum: hoc autem fecit*, vt refert Iosephus ibidem, *partim amicorum suasu, partim quòd timeret ne quidam Seleucienses vrbem Tryphoni traderent*; & præterea, vt ait Appianus loco sæpiùs allegato, propter muliebrem æmulationem; nimirum quia intellexerat maritum suum Demetrium aliam duxisse, videlicet Rhodogunam Regis Parthorum sororem. Porrò Cleopatra iam duos habebat ex Demetrio filios, primum nomine Seleucum, alterum Antiochum cognomine Grypum: ex Antiocho autem Sotere, Demetrij fratre, vnum posteà habuit; qui quòd apud vrbem Cyzicum educatus fuerit, dictus est Antiochus Cyzicenus, de quibus infrà suis locis dicendum erit. Itaque Antiochus Soter, post acceptam Cleopatram, quæ fuerit Demetrij coniunx, confluentibus ad eum Tryphonis exercitibus, qui eius mores pertæsi, iam ad Cleopatram deficere cœperat, quando in Seleuciam cum liberis se incluserat metu Tryphonis; bellum eidem Tryphoni, cum quo pauci remanserant, fidenter intulit, & prælio victum fugauit in Phœnicem, ibique eum confestim insecutus, obsedit in Dora castro munitissimo, in quod fugiens Tryphon se receperat. Oppugnante autem Antiocho castrum terra mariq; cum centum viginti millibus peditum, & octo millibus equitum; misit ad eum Simon duo millia virorum electorum in auxilium, & argentum & aurum, aliaque donaria; quæ Antiochus, multitudine exercitus sui magnopere confidens, superbè omnia spreuit, ac remisit. Quin etiam contra fœdus quod iam cum Simone pepigerat, misit Athenobium Ierosolymam expostulans sibi reddi Ioppem, & Gazeram, & arcem Ierosolymitanam (ex quo obiter patet, ipsam, quæ anno centesimo septuagesimo primo capta fuerat, hactenus necdum fuisse destructam, vt sub anno mundi 3913. num. 1. dictum est) aut loco earum petebat sibi bis quingenta argenti talenta appendi. Quem cùm Simon vacuum remisisset, iratus Rex misit Cendebæum Ducem cum parte exercitus, vt vastaret Iudæam: ipse verò cum reliqua persequebatur Tryphonem, qui clàm naui aufugerat in Orthosiadam, siue, vt Iosephus exponit, in Apamiam vrbē. Cùm itaq; venisset Cendebæus Iamniam, & cœpisset vexare, & interficere, & captiuos facere Iudæos, & ædificare ac munire Gedorem, siue Cedronem, statimque nuntiasset omnia hæc Ioannes Simoni patri suo: ille confestim, electis de regione viginti millibus peditum, & valida equitum manu, tradidit eos duobus filiis suis natu maioribus, Iudæ scilicet & Ioanni, hortatusque est eos, vt posteaquam ipse præ senectute ad bella ampliùs procedere non valeret, ipsi memores eorum quæ ipse & fratres sui fecerant, à patre ac patruis eorum ne degeneres essent; sed fortiter, auxilium de cælo sperantes, pro Israële pugnarent. Qui festinanter & intrepidi aduersus hostem properantes, & cum eo congressi, tametsi Iudas vulneratus fuerit, nihilominùs validè præualuerunt; & occisis de hostili exercitu duobus virorum millibus, ceterisque in fugam conuersis, reuersi sunt cum insigni victoria in Ierusalem. Atque hoc pacto fracta hostium audacia, atque Antiochi Regis superbia, reliquum vitæ tempus Simon exegit in pace: 1. Machab. cap. 15. vers. 10. vsque ad 15. & vers. 25. vsque ad 11. capitis sequentis, & Iosephus 13. Antiquit. cap. 13.

ANTIOCHVS VII. VENIT IN TERRAM PATRVM SVORVM.

DVCIT CLEOPATRAM FRATRIS VXOREM, ET REGNAT PRO EO IN SYRIA.

BELLVM INFERT TRYPHONI, ET EVM FVGAT IN PHOENICIAM, ET IN DORA OBSIDET.

RESPVIT SIMONIS AVXILIA ET MVNERA.

MITTIT CENDEBAEVM CVM EXERCITV VT VASTARET IVDAEAM.

FILII SIMONIS VINCVNT FVGANTQVE CENDEBAEVM.

2. Eodem tempore, arbitror Simonem prouidè admodum prospicere voluisse periculo, quod rebus Iudæorum imminere videbat, si aliquando arx Ierosolymitana vel suorum proditione, vel alio aliquo casu in hostium potestatem deueniret; & tandem decreuisse eam omnino diruere, sed & montem quoque in quo posita erat humiliare. Quod quomodo factum sit, satis appositè describit Iosephus 13. Antiq. sub finem capitis 11. dicens, quòd *Simon expugnata Ierosolymorum arce, solo eam æquauit, ne posthac esse posset hostibus receptaculum, néve inde vrbi aliquod inferretur incommodum. Quo facto, visum est ei operæpretium, si mons quoque in quo sita fuerat, complanaretur, vt solum templum emineret: effecitq; id, commemoratis pro concione malis, quæ à præsidiariis in eam diem Iudæi passi fuerant, quæq; etiam in posterum ferre cogerentur, si extraneus aliquis Princeps ei loco imponeret præsidium: adeoq; permotus est eius exhortatione populus, vt non intermisso*

SIMON ARCEM IEROSOLYMITANAM DIRVIT, ET MONTEM HVMILIAT.

per

per triennium (hoc est ferè vsque ad obitum Simonis) *neque die neque noctu opere, tandem ad planitiem eum locum indefesso labore redegerint; atque ita nihil reliquerint quod obstaret, quo minùs templum omnibus in vrbe locis esset celsius.* hucusque Iosephus.

ANTIOCHVS TRYPHONEM INTERFICIT.

3. Ceterùm Antiochus, de quo suprà num. 1. dicebamus quòd Tryphonem insequebatur, Apamia tandem, in quam ille se receperat, vi capta, Tryphonem interfecit, triennio postquam regnum occupauerat, vt scriptum reliquit Iosephus 13. Antiq. c. 12. hoc est, nondum expleto anno regni eius quarto. Etenim verisimile est, Tryphonis necem contingere non potuisse, nisi saltem post huius anni centesimi septuagesimi quarti medietatem. Quare primus annus regni Antiochi à perempto Tryphone putatus, licet ab hoc anno ad finem iam vergente cœperit; attamen in sequentem, in quem pro maiori parte incidit, reiiciendus est: & sic in tabulis notatum inuenies.

AB ORBE CONDITO ANNVS 3919. — SEXTÆ MVNDI ÆTAT. ANNVS 473.

PTOLEMAEI MALITIA.

1 ANNO regni Græcorum centesimo septuagesimo septimo, mense vndecimo, vt expresse notatur 1. Machab. cap. vlt. vers. 14. Iudæus quidam nomine Ptolemæus, filius Abobi, cùm esset diues valdè, & gener Simonis, atque ab eo constitutus Dux in campo Iericho; in superbiam elatus, cogitabat tollere de medio Simonem & filios eius, & occupare sibi Iudææ Principatum. Itaque cùm Simon, perambulans regionis ciuitates, curam scilicet earum gerens, quadam die descendisset in Iericho; Ptolemæus, obseruata temporis opportunitate, eumdem Simonem cum Iuda & Mathathia filiis eius, sub honoris, amicitiæ & affinitatis prætextu, ad conuiuium in proximam quamdam munitiunculam vocabulo Doch, quam ædificauerat, amicè, vt videbatur, inuitatum atque exceptum, & nihil mali à genero suo, quem iam magnopere exaltauerat, suspicantem, callidè in mediis epulis interfecit: statimque misit qui hæc nuntiarent Regi Antiocho eiusdem Simonis hosti, pollicitus tradere ei regionem, si quantocyùs mitteret sibi exercitum: & alios misit in Gazeram, qui alium Simonis filium, nempe Ioannem, pariter interimerent: & Tribunos per epistolas multis ac magnis pollicitationibus conuocabat: & alios item misit occupare Ierusalem, & montem templi. Verùm, cùm tanti mali fama citiùs ad Ioannem aduolasset, ille primò quidem vehementer expauit, tam inopinati exterminij subito dolore permotus; sed quantocyùs, vt erat animo forti, ex timore confirmatus, atque ad ea quæ in tali casu agenda essent conuersus; primùm eos, qui ad se perdendum venerant, comprehensos interfecit; mox alia multa fortiter gessit, de quibus paulò pòst dicendum erit. Et hæc 1. Machab. cap. vlt. vers. 11. vsque ad finem capitis librique tradita inuenies, & apud Iosephum 13. Antiquit. cap. 14. & lib. 1. de Bello cap. 2. Ceterùm, de Simonis laudibus ac rebus egregiè gestis, extat breue compendium 1. Machab. c. 14. v. 4. vsq; ad 16.

SIMON A GENERO SVO DOLOSE INTERFICITVR.

FINIS HISTORIAE VETERIS TESTAMENTI.

¶ 2. Et hîc quidem desinit Historia sacra Veteris Testamenti; quam, vt cum his quæ in Nouo traduntur, aliquo modo continuare valeamus; necessarium erit, ex Iosepho inprimis, qui res Iudæorum accuratiùs scripsit, aliisque probatis Auctoribus, subiungere aliqua eorum quæ ab hoc tempore & deinceps acta sunt Ierosolymis, & in regione Iudæorum, donec Principatus ac regia potestas in Assamonæorum seu Machabæorum posteritate permansit; hoc est, vsque ad regnum Herodis Ascalonitæ, sub quo natus est Dominus noster Iesus Christus, quemadmodum traditur Matthæi cap. 2. v. 1. Atque ad hæc tempora magis comprobanda, quædam etiam potiora Romanorum gesta, vtpote ad quartam Mundi Monarchiam pertinentia, locis propriis breuiter intexenda erunt.

ANNI A NECE SIMONIS AD INITIVM REGNI HERODIS.

3. Ceterùm, iste annus centesimus septuagesimus septimus regni Græcorum, sub cuius anni finem periit Simon, concurrit, vt patet in tabulis, saltem pro maiori parte, cum secundo Olympiadis centesimæ sexagesimæ primæ; à quo ad initium regni Herodis, quo posteà regnante natus est Christus, id est, ad prope finem anni primi Olympiadis centesimæ octogesimæ quintæ (quo tempore Herodem à Romanis Iudææ Regem declaratum fuisse, nos sub anno mundi 4014. num. 5. & 6. ostendemus) fluxerũt anni nonaginta quinque. Quod etiam consonat cum supputatione annorum Principatus seu Regni singulorum Simonis successorum, vsque ad dictam Regni translationem in Herodis personam; vt tum ex infrà dicendis, tum etiam ex tabulis dignosci poterit. Itaque ad ea quæ intra prædictum tempus nonaginta quinque annorum, à posteris præsertim dicti Simonis, gesta fuerint, breuiter describenda accedamus.

AB

AB ORBE CONDITO ANNVS 3920. SEXTÆ MVNDI ÆTAT. ANNVS 474.

1 Anno insequenti, qui fuit tertius Olympiadis centesimæ sexagesimæ primæ, & Vrbis sexcentesimus vigesimus, P. Scipio, qui (vt sub anno mundi 3907. nu. 2. diximus) quòd Carthaginem euertisset, Africani nomen acceperat, secundò Consul factus, & ad Numantiam, celeberrimam olim Hispaniæ vrbem, missus, ipsam diu obsessam fame vicit, & captam deleuit: Eutropius lib. 4. Rem aliquantò fusiùs refert Sigonius in Commentario Fastorum sub anno Vrbis prænotato. NVMANTIAE INTERITVS.

2. Eodem anno, in Iudæa Ioannes filius Simonis audito patris interitu, cùm celeriter Ierosolymam properasset, atque à populo, qui Ptolemæum per aliam portam ingredi volentem mox repulit, alacriter receptus, & paternum Pontificatum pariter ac Principatum adeptus esset: confestim, exercitu comparato, Ptolemæum patris sui interfectorem persequi cœpit; & illo profligato, ac tandem in arce quadam Ierichuntinæ ditionis, nomine Dagon, concluso, munitionem expugnare nitebatur. At verò impius Ptolemæus, quotiescumque hostem aduersum se præualere aduertebat, eumdem astu mirabili compescebat: siquidem Ioannis matrem germanosque, quos necdum occiderat, in mœnia productos, flagris acerrimè cædi iubebat; minitabaturque eosdem de muris in præceps deiecturum, nisi filius fraterque ab oppugnatione desisteret; qui charorum intima commiseratione commotus, illicò in primis conatibus elanguescebat; & licet mater forti animo, mori potiùs eligens in tormentis, quàm nefarium generum inultum relinqui, filio contrarium suadere quantum poterat non cessaret; nihilominùs, quoties eam sui causa verberari ac lacerari conspiciebat, toties vincebatur materno filius affectu, atque oppugnationis impetum remittere cogebatur. Sicque protracta aliquamdiu obsidione, superuenit annus Sabbaticus, in ordine aliorum centesimus nonagesimus primus, vt patet in tabulis; qui annus à mense Anni sacri septimo, vt sub anno mundi 3584. num. 4. probauimus, exordiri consueuerat: in quo anno, propter religionem cessantibus vtrimque ab opere Iudæis, liber à bello Ptolemæus, Ioannis matre ac fratribus occisis, ad Zenonem cognomento Cotylam, qui tum apud Philadelphenses tyrannidem inuaserat, aufugit: Iosephus 13. Antiq. cap. 15. & lib. 1. de Bello cap. 2. Erat autem Philadelphia (quæ olim dicebatur Rabba siue Rabbath, & capta est à Dauide 2. Reg. cap. 12. vers. 29.) metropolis Ammonitarum, vt dicitur in lib. de Locis Hebraicis. Ceterùm, memoratus Ioannes, ex causa inferiùs sub anno mūdi 3925. num. 2. dicenda, postmodum dictus est Hircanus, quo nomine illum ferè semper Iosephus appellat: nos verò cum Auctore lib. 1. Machab. Ioannem, vel Ioannem Hircanum, nuncupabimus, ad differentiam alterius Hircani, de quo infrà. IOANNES PTOLEMAEVM PATRIS INTERFECTOREM FORTITER OPPVGNANS, MATRIS COMMISERATIONE RETRAHITVR.

3. Sub finem eiusdem anni primi Principatus ac Sacerdotij Ioan. Hircani, vt paulò pòst videbimus, Antiochus Soter, quem sub anno mundi 3915. num. 1. descripsimus, memor incommodorū quæ à Simone acceperat, exeunte circiter anno regni sui quarto, exercitu comparato Iudæam aggressus est; & vastata regione, compulit Ioan. Hircanum Ierosolymam se recipere, ibidemque se suosque communire; nec his contentus, vrbem quoque cum toto exercitu inuadens, septenis circumcinctam castris oppugnare cœpit. Illis autem qui intus erant fortiter repugnantibus, dilata est obsidio per multos menses, vt ex consequentibus apparebit: Iosephus 13. Antiq. cap. 16. Vbi oportet vel ipsum esse hallucinatum, vel codices eius fuisse corruptos in eo quòd ponunt, prædictum Antiochum inuasisse Iudæam Olympiade centesima sexagesima secunda; cùm ex serie annorum hactenus deducta, & ex legitima ipsorum computatione in tabulis digesta, clarum sit, annum Principatus Ioan. Hircani primum, & pariter regni huius Antiochi quartum, in quibus hæc gesta esse præfatus Auctor asserit, concurrere cum anno Olympiadis centesimæ sexagesimæ primæ tertio. Prædicti belli meminit etiam idem Iosephus 1. de Bello cap. 2. ANTIOCHVS VII. IVDAEAM INVADIT. IOSEPHVS IN RATIONE TEMPORVM LAPSVS

AB ORBE CONDITO ANNVS 3921. SEXTÆ MVNDI ÆTAT. ANNVS 475.

1 Anno proximo, superueniente festo Scenopegiæ, Antiochus Rex à Iudæis rogatus, septem dierum inducias celebrandæ sollemnitatis gratia concessit. Quo quidem tempore, cùm idem Rex, religionis ergô, exercitui epulum præbuisset, & tauros

ros auratis cornibus, poculaque aurea atque argentea omni genere aromatum referta, in templum offerenda misisset; Ioan. Hircanus eiusmodi pietate delectatus, & de tam pio Rege optimè sperans, missis ad eum Legatis pacem postulauit; ita tamen, vt Iudæis liceret patriis viuere Legibus. Quod æquus Rex, reiectis prauorum quorumdam dissuasionibus, concessit hisce conditionibus, vt obsessi arma sibi traderent, & pro vrbibus quas extra Iudæam tenebant, Regi vectigalia penderent, ac præsidium in vrbe reciperent. Ad quæ omnia assenserunt Iudæi, excepto præsidio; pro quo maluerunt dare Regi obsides, & argenti talenta quingenta. Atque ita soluta est obsidio, & Rex cum suo exercitu à Ioan. Hircano in vrbem honorificè receptus, ac liberalissimè tractatus est. Per idem quoque tempus idem Ioannes, aperto Dauidis monumento, tria millia talentorum inde protulit; primusque omnium cœpit externum militem alere. Quæ latiùs tradit Iosephus locis suprà citatis.

FIT PAX INTER ANTIOCHVM ET IOAN. HIRCANVM.

AB ORBE CONDITO ANNVS 3924. — SEXTÆ MVNDI ÆTAT. ANNVS 478.

IOAN. HIRCANVS SEQVITVR ANTIOCHVM AD EXPEDITIONEM PARTHICAM.

1 ANNO Principatus Ioan. Hircani circiter quinto, Antiochi verò Soteris octauo, vt videre est in tabulis, Ioan. Hircanus cum auxiliaribus copiis secutus est memoratum Antiochum ad expeditionem Parthicam proficiscentem; vbi idem Antiochus primò quidem Indatem Parthorum Regem profligauit, vt scribit Iosephus loco inferiùs citando, & hæc eadem ibidem auctoritate Nicolai Damasceni confirmat. Verùm posteà, nimirum, vt arbitror,

AB ORBE CONDITO ANNVS 3925. — SEXTÆ MVNDI ÆTAT. ANNVS 479.

ANTIOCHVS AB ARSACE VICTVS MORITVR.

1 ANNO insequente, qui fuit postremus regni ac vitæ eius, idem Antiochus ab Arsace Mediæ Persidisque Rege, qui Parthorum regnum inuaserat, victus, exercitum simul ac vitam amisit, vt scribit Iosephus 13. Antiq. cap. 16. cùm regnasset annos nouem, vt Eusebius in Chronicis & alij scriptum reliquerunt. Appianus sub finem libri de Bellis Syriacis, de hoc Rege ita scribit: *Antiochus capti Demetrij frater, postquam Rhodi de captiuitate fratris, & quid secutum sit didicit; in patriam reuersus, Tryphonem magno labore victum interfecit. Moxq; contra Phraatem cum exercitu profectus, fratrem repetens. Ille suis rebus metuens, remisit Demetrium. Antiochus nihilominùs cum Parthis congressus prælio, & victus, sibi manus intulit.* sic Appianus.

IOANNES VNDE HIRCANI NOMEN CONTRAXERIT.

2. Eodem anno Principatus sui sexto, vt est apud Eusebium in Chronicis, Ioannes Dux Iudæorum & Pontifex aduersus Hircanum bellum gerens, Hircani nomen accepit. Quis autem fuerit iste Hircanus, & vbi hoc bellum gestum sit, neque citatus Auctor, neque alius quem viderim, tradit. Quia tamen per hæc tempora præfatus Ioannes erat in Persidis Mediæque partibus Hircaniæ proximis; probabile est, ipsum cum aliquo Principe eiusdem regionis conflixisse, & ab eo deuicto nomen accepisse; sicuti priùs duo Scipiones, alter ab Africa superata Africanus; alter ab Asia deuicta Asiaticus dictus est.

AB ORBE CONDITO ANNVS 3926. — SEXTÆ MVNDI ÆTAT. ANNVS 480.

DEMETRIVS III. REDIT IN SYRIAM.

1 ANNO circiter proximo ineunte, Demetrius Syriæ Rex, huius nominis tertius, quem Arsaces Rex Medorùm atque Persarum aliquamdiu captiuum tenuerat, & posteà, quo tempore Parthorum regionem inuaserat Antiochus, (vt scribit Iosephus 13. Antiq. in calce capitis 16.) dimiserat; ad regnum suum, in pristinam libertatem ac dominium restitutus, rediit. Intereà Io. Hircanus, qui audita prædicti Antiochi morte, confestim in Syriam cum exercitu suo reuersus erat, à Macedonibus deficiens, quasdam vrbes Iudææ finitimas propugnatoribus vacuas esse cùm cognouisset, illas cepit; & inter eas Garizim, ac templum Ierosolymitani instar, quod ibi olim Alexandri Magni permissu Sanaballat Dux regionis in gratiam Manassæ generi sui (vt sub anno mundi 3721. num. 4. dictum est) fabricauerat, post ducentos & amplius annos desolauit. Deinde Idumæis quoque subiugatis, eosdem cunctos Iudaicæ Legis ritus suscipere coegit, & deinceps inter Iudæos censeri. Quibus gestis, vt se magis ad-

IOAN. HIRCANVS A MACEDONIBVS DEFICIT. TEMPLVM GARIZIM DESTRVIT. IDVMAEOS IVDAEOS FIERI COGIT.

gis aduersus Macedones communiret, misit Legatos Romam pro renouanda societate aliàs non semel cum maioribus suis contracta: & insuper obtinuit à Senatu Romano rescindi omnia tributa, & quæcumque onera, quæ Iudæis imposuerat Antiochus cognomento Soter; tamquam sine permissu Romanorum, sociis suis imposita. Dum autem apud Iudæos hæc agerentur, cupiebat quidem Demetrius Syriæ Rex Ioan. Hircano bellum inferre, eumque à memoratis progressionibus disturbare: verumtamen, quia propter mores suos valdè improbos, tam Syris quàm aliis exercitus sui militibus admodum erat inuisus, non valuit tale quidquam moliri. Quæ omnia latiùs prosequitur Iosephus 13. Antiq. cap. 17. & lib. 1. de Bello cap. 2.

RENOVAT CVM ROMANIS FOEDVS.

DEMETRIVS REX HIRCANVM IMPEDIRE NEQVIT.

AB ORBE CONDITO ANNVS 3929. — SEXTÆ MVNDI ÆTAT. ANNVS 483.

1 ANNO à reditu Demetrij in regnum suum quarto (quattuor enim exinde dumtaxat annos eum regnasse scribit Eusebius in Chronicis) vsque adeò aduersus ipsum creuerunt odia Syrorum, vt coacti sint mittere Legatos ad Ptolemæum Physconem, (quem sub anno mundi 3909. num. 1. ex Strabone & Iosepho probauimus eumdem esse cum Euergete huius nominis secundo, qui hisce temporibus regnabat in Ægypto) rogantes vt aliquem ex Seleuci genere daret eis, quem possent sibi Regem constituere. Cumque is misisset Alexandrum cognomento Zebinam, is pro Rege receptus est; & commisso prælio aduersus Demetrium à suis derelictum, facilè eum vicit fugauitque. Qui cùm è pugna fugiens Ptolemaidam ad Cleopatram, quæ priùs vxor eius fuerat; & ab ea quoque exclusus esset, inde in Tyrum delatus, ab inimicis captus, ac diu vexatus, tandem interfectus est, vt tradit Iosephus Antiquit. capite suprà citato. Quamquam Appianus sub finem libri de Bellis Syriacis scribat, eumdem Demetrium ab ipsa Cleopatra fuisse necatum, quæ insidias, inquit, ei molita est, propter æmulationem posterioris nuptæ Rhodogunes; de qua nos sub anno mundi 3916. n. 1. diximus. Sed totam hanc historiam Iustinus initio lib. 39. aliquantò aliter fusiusque commemorat, vt ibidem quisque pro suo libito videre poterit. Itaque, vt arbitror,

DEMETRIVS III. E REGNO PELLITVR, ET TANDEM NECATVR.

AB ORBE CONDITO ANNVS 3893. — SEXTÆ MVNDI ÆTAT. ANNVS 484.

1 ANNO circiter proximo ineunte, dictus Alexander Zebina Syriæ regnum adeptus, cum Ioan. Hircano fœdus iniit, vt scribit Iosephus cap. proximè allegato. quod fuit in causa, vt huius Regis tempore idem Ioan. Hircanus sine vllo impedimento res suas valdè augere potuerit, quemadmodum idem Auctor tangit ibidem.

ALEXANDER ZEBINA REGNAT IN SYRIA, ET CVM HIRCANO FOEDVS INIT.

2. Eodem tempore eidem Ioan. Hircano natus est filius nomine Alexander, & cognomine Iannæus, qui posteà fuit Rex Iudæorum, vt colligi potest ex Iosepho 13. Antiquit. cap. 23. in fine capitis.

ALEXANDER IANNAEVS NASCITVR.

3. Eodem anno Seleucus huius nominis quintus, & Demetrij ex Cleopatra filius, post patris obitum diadema sumpsit. Sed hûc Cleopatra mater, sagitta, sua manu emissa, confixit: siue metuens ne ille patris necem vlcisceretur; siue eodem furore gerens omnia, vt scribit Appianus vbi suprà. qui etiam subiungit, quòd Seleuco posteà successit eius frater Antiochus huius nominis octauus, cognomento Gryphus siue Grypus. Iustinus vbi suprà addit causam cur à matre Seleucus occisus fuerit: *quoniam*, inquit, *sine matris auctoritate diadema sumpsisset*: & cur Antiochus tale cognomentum sortitus fuerit, & qua conditione successerit in regnum fratri, dicens: *Alter cui propter nasi magnitudinem cognomen Grypo fuit, Rex à matre eatenus constituitur, vt nomen Regis penes filium, ius autem omnis imperij penes matrem esset*. Et deinde prosequitur Iustinus narrans, quòd præfatus Alexander Zebina, occupato Syriæ regno, & successu rerum elatus, cepit spernere etiam ipsum Ptolemæum, cuius fauore & auxilio ad regni apicem peruenerat: & quòd propterea Ptolemæus iunxit cum Grypo affinitatem, misitque ei filiam Tryphenam Grypo nupturam, & auxilia quibus idem Grypus aduersus Alexandrum præualuit, eumdemque tandem interfecit; ac posteà insidiis à matre appetitus, illis detectis, coëgit eam venenum quod filio parauerat ebibere. Deinde octo annis quietem in regno suo habuit Grypus, vt latiùs videre est apud eumdem Auctorem lib. 39. Et hæc quæ dicta sunt, intra vnum aut alterum annum gesta esse credibile est,

SELEVCVS V. REGNAT IN SYRIA, ET A MATRE OCCIDITVR.

REGNAT IN SYRIA ANTIOCHVS GRYPVS, QVI

ET PROPRIAM MATREM VENENO NECAT.

le est, vt etiam sentit Genebrardus lib. suæ Chronologiæ 2. vbi de Antiocho Grypo agit.

¶ 4. Per hæc eadem tempora, nimirum Q. Cæcilio Metello & T. Quinctio Flaminio Coss. (vt tradunt Orosius lib. 5. cap. 12. & Eutropius lib. 4. & Chronicon Adonis sub anno mundi 4690.) Carthago post annos duos & viginti ex quo fuerat incensa, à Romanis iubente Senatu iterùm ædificata fuit, & ciuium Romanorum familiis repleta; quo fit vt deinceps ipsi Carthaginenses inter Latinos computari cœperint. Eamdem posteà vrbem, nescio quo modo dirutam, instaurauit Augustus Cæsar, quemadmodum scribit Genebrardus lib. 2. suæ Chronologiæ, vbi de ipsius Augusti gestis agit. Et exinde hæc ciuitas maximè floruit, præsertim Christianorum temporibus: in ea enim septem Concilia celebrata fuisse certum est, & plurimos extitisse Sanctos, inter quos S. Cyprianus eiusdem vrbis Episcopus & Martyr illustrissimus. Sed posterioribus deinde temporibus, nempe anno ex quo Romana esse cœperat quingentesimo octogesimo tertio, vel quinto, à Vandalis (vt notat Prosper Aquitanicus in Chronico) capta est. Quod & tradit etiam Sigebertus in suo Chronico, sub anno Domini 446. his verbis: *Gesericus* (subaudi Vandalorum Rex) *dolo Carthaginem cepit, & omnem Africam sibi subijciens, lacrymabili clade potentiam Romani regni deiecit. Hic nihil pensi neque sancti habens, & infestus cunctis, maximè nobilitati & religioni, omnia diuina & humana exinaniuit. Episcopum & omnem Clerum Ecclesiæ Carthaginensis expulit. Loca sancta, aut suorum habitacula fecit, aut Arrianis tradidit: & Catholicos vbique persequi iussit.* sic ille. Denique ipsa Carthago (quemadmodum adnotauit Genebrardus lib. citato, vbi refert quæ regnante Ptolemæo Euergete secundo sunt gesta, à Saracenis & Arabibus capta est anno Domini septingentesimo, & vt arbitror, tunc, vel non multò pòst omnino extincta, ita vt nunc vix vllum loci vbi fuerat vestigium inueniri possit. Sed iam ad nostram temporum seriem reuertamur.

CARTHAGO NON SEMEL A ROMANIS INSTAVRATA, TANDEM AB ARABIBVS DESTRVCTA EST.

AB ORBE CONDITO ANNVS 3931. — SEXTÆ MVNDI ÆTAT. ANNVS 485.

IVDAEI CVR DE IERVSALEM SCRIBANT IVDAEIS IN AEGYPTO COMMORANTIBVS.

1 ANNO regni Græcorum centesimo octogesimo octauo, more Chaldaico (vt solet Auctor lib. 2. Machab.) putato; qui erat Principatus Ioan. Hircani duodecimus, & Olympiadis centesimæ sexagesimæ quartæ annus secundus, vt videre est in tabulis; populus Iudaicus de Ierusalem scripsit Iudæis fratribus in Ægyptum tunc commorantibus epistolam illam breuem, quæ habetur 2. Machab. cap. 1. vers. 1. vsque ad 10. vt patet ex fine eiusdem epistolæ, quæ desinit post illa verba, *anno centesimo octogesimo octauo*, quemadmodum sentiunt Melchior Canus & Cardinalis Bellarminus, & nos sub anno mundi 3892. num. 5. vsque ad 12. diffusè admodum comprobauimus. Causa autem huius scriptionis fuit, quoniam cùm ante aliquot annos, videlicet anno centesimo sexagesimo nono, regnante in Syria Demetrio, iidem Iudæi ab Ierosolymis scripsissent in Ægyptum de tribulationibus & calamitatibus, quas tunc præcipuè passi sunt quando captus est Ionathas; visum est eis nunc quoque eosdem certiores facere de præsenti ipsorum prosperitate, & hortari vt & ipsi agerent dies Scenopegiæ mensis Casleu, quæ Iudæ Machabæi temporibus instituta fuerat. Et eodem tempore probabile est, Auctorem 2. libri Machab. quinque Iasonis Cyrenæi libros de Iudæ Machabæi rebus gestis summatim à se compilatos, & in vnum volumen (vt ipsemet testatur cap. 2. vers. 24.) redactos, transmisisse in Ægyptum cum prædicta populi Ierosolymitani epistola, quæ propterea in capite eiusdem libri posteà registrata fuisse creditur. Ceterùm, quia hucusque dumtaxat Æræ regni Græcorum Scriptura sacra meminisse deprehenditur, idcircò eamdem Æram in nostris tabulis hîc terminari debuisse, videri posset. Verumtamen, quia hæc ab exordio regni Seleucidarum initium sumpsit, vt nos sub anno mundi 3743. num. 1. ostendimus; propterea ratio dictat, eam vsque ad finem eiusdem regni esse deducendam.

SECVNDVS LIBER MACHABAEORVM MITTITVR IN AEGYPTVM

AB ORBE CONDITO ANNVS 3932. — SEXTÆ MVNDI ÆTAT. ANNVS 486.

1 ANNO proximo circiter inchoante, credimus quòd Antiochus Grypus (quem quia matrem interfecerat, per antiphrasim Iosephus 13. Antiquit. cap. 20. Philometorem nominat) occiderit etiam Alexandrum Zebinam regni sui vsurpatorẽ; & quòd

quòd ab hoc tempore numerandi sint illi octo anni, quos Iustinus lib. 39. (quemadmodum sub anno mundi 3930. num. 2. dictum est) ait dictum Grypum in pace regnasse. Cuius verba sic accipienda sunt, ac si dixisset, sine aperto bello: nam alioquin interim non defuerunt inter ipsum Grypum & æmulum regni Cyzicenum fratrem eius vterinum (erat enim ex eadem quidem matre genitus, sed ex Antiocho patruo, vt sub anno mundi 3916. num. 1. diximus) parricidales discordiæ; quarum temporibus etiam obiisse Ptolemæum (subaudi Euergetem secundum, qui & Physcon) ipsemet ibidem tradit Iustinus, & ex infrà dicendis apparebit. Et propterea, inquit Iosephus 13. Antiq. cap. 17. non ausus est Grypus per id temporis bellum gerere contra Iudæos; volens nimirum priùs veneno aut insidiis tollere è medio fratrem, à quo bellum expectabat. Porrò præfatum Antiochum Cyzicenum, Iosephus vbi suprà, sic appellatum asserit, quòd in Cyzico Propontidis vrbe, vt etiam tradit Appianus in calce libri de Bellis Syriacis, educatus esset. Quem item Spondium fuisse cognominatum, idem Iosephus lib. 1. de Bello, sub finem capitis 2. scriptum reliquit.

ANTIOCHVS GRYPVS INTERFECTO ALEXANDRO ZEBINA REGNAT IN SYRIA.

CVR NON BELLAVERIT CONTRA IVDAEOS.

ANTIOCHVS CYZICENVS CVR SIC DICTVS.

AB ORBE CONDITO ANNVS 3933. — SEXTÆ MVNDI ÆTAT. ANNVS 487.

1 ANNO Principatus pariterque Pontificatus Ioan. Hircani decimoquarto, oportet incidisse annum Iubilei vigesimi septimi: nam, vt videre licet in tabulis, iste annus concurrit cum anno ab introitu Israëlitarum in terram Chanaan millesimo trecentesimo quinquagesimo.

IVBILEVS VIGESIMVS SEPTIMVS.

AB ORBE CONDITO ANNVS 3937. — SEXTÆ MVNDI ÆTAT. ANNVS 491.

1 ANNO Principatus Ioan. Hircani decimooctauo, Ptolemæus Euergetes huius nominis secundus, qui & Physcon, cùm regnasset in Ægypto annis viginti nouem, vt Eusebius in Chronicis & alij scriptum reliquerunt, mortuus est, *Aegypti regno vxori Cleopatræ & alteri ex filiis, quem illa legisset, relicto. Cùm autem illa pronior in minorem filium esset, à populo compellitur maiorem eligere: cui priusquam regnum daret, vxorem ademit; compulsumque repudiare charissimam sibi sororem Cleopatram, minorem sororem Selenen ducere iubet,* vt scribit Iustinus lib. 39. Igitur

EVERGETES II. MORITVR.

2. Eodem anno regnauit in Ægypto cum matre Cleopatra alter Ptolemæus: quem licet Eusebius in Chronicis, & alij Physconem cognominatum putent; Iosephus tamen 13. Antiq. cap. 18. & 20. sæpè Lathurum appellat. Et item Strabo lib. 17. vbi Ptolemæorum seriem breuiter recensens, ait, Physconis cognomen Ptolemæo Euergeti secundo fuisse attributum; quem etiam Ptolemæi Philometoris fratrem extitisse affirmat. Cui adstipulatur Iosephus circa initia lib. 2. Contra Apionem, vbi testatur, Physconem fuisse fratrem Philometoris.

REGNAT IN AEGYPTO CVM MATRE LATHVRVS.

AB ORBE CONDITO ANNVS 3940. — SEXTÆ MVNDI ÆTAT. ANNVS 494.

1 ANNO regni Antiochi cognomento Grypi seu Gryphi vndecimo circiter inchoante, quemadmodum ex sub anno mundi 3932. num. 1. dictis inferri potest; cùm iam Cleopatra priùs Lathuri vxor & soror, quæ, vt sub anno mundi 3936. num. 1. dictum est, non tam à fratre suo repudiata, quàm à matre sua eiusdem nominis diuortio viri dimissa fuerat, Antiocho Cyziceno in Syria nupsisset; exercitumque Cypri sollicitatum, veluti dotalem, ad maritum deduxisset; par factus fratri Grypo Cyzicenus, cum eo, quòd se veneno tollere voluisset, prælium committit; sed victus in fugam conuertitur. Cùm autem victor Grypus etiam Antiochiam cepisset, in qua erat Cyziceni vxor Cleopatra, Tryphena eius soror & Grypi vxor, admodum irata sorori, quòd regni æmulatione hosti suo nubens, hostem se suam ipsa effecisset, & peregrinos, hoc est Cyprios exercitus in certamina fratrum adduxisset; viro licet reluctante, vocatis illa militibus, eam in templo simulacrum deæ amplexantem confodi curauit, vt latiùs tradit Iustinus libro 39. Verumtamen non multò pòst

CYZICENVS CVM GRYPO INFELICITER PVGNAT.

2. Per hæc circiter tempora, nimirum dum prædicti fratres inter se de Syriæ regno decertabant; Ioan. Hircanus, qui post Antiochi Soteris cædem à Macedonibus defe-

CLEOPATRA CYZICENI VXOR A SORORE TRYPHENA INTERFICITVR.

defecerat, iamque nec vt subditus nec vt amicus vllam illis amplius opem ferebat, sed maximis successibus res suas augere studebat; & securè fruens Iudææ prouentibus, iam ingentem pecuniarum vim inde congesserat: videns Antiocho Grypo nihil esse ab Ægypto præsidij, & tam ipsum quàm fratrem eius Cyzicenum ex continuis inter se certaminibus multas clades accipere, facilè vtrumque despexit, vt testatur Iosephus 13. Antiquit. cap. 17. Itaque Samariam vrbem munitissimam (quæ tunc, vt ait Eusebius in Chronicis, Ectenias dicebatur, postea verò ab Herode instaurata, Sebaste in honorem Augusti appellata est) valido exercitu circumdatam oppugnare cepit, propter iniurias à Samaritis iussu Regum Syriæ illatas Marissenis Idumæis, quos idem Io. Hircanus (vt tradit Iosephus 13. Antiquit. cap. 17. non procul ab initio) sibi subiugauerat. Præfecit verò obsidioni duos filios suos, Antigonum & Aristobulum. Quibus oppugnationem vrgentibus, & fame intus premente, coacti sunt obsessi primò quidem cibis homini insuetis vesci, & denique Antiochi Cyziceni opem semel atque iterùm implorare; quem Iudæi bis fortiter repulerunt, nec quidquam Samaritis obsessis prodesse permiserunt, vt latiùs tradit Iosephus Antiquit. lib. citato cap. 18. & breuiter repetit 1. de Bello cap. 2.

IOAN. HIRCANVS SAMARIAM OBSIDET.

CYZICENVS SAMARITANIS SVPPETIAS FERENS AB HIRCANI FILIIS FORTITER REPELLITVR.

3. Eodem anno, qui (vt patet in tabulis) concurrit cum anno Vrbis sexcentesimo quadragesimo, C. Cæcilio Metello & Gn. Papirio Carbone Coss. ortum est bellum Cimbricum (vt tradit Cornelius Tacitus versus finem libri de Moribus Germanorum) quod fuit valdè periculosum ac perniciosum Romanis; quibus iidem Cimbri, quinque Consulibus fusis, quinque Consulares exercitus abstulerunt, Scaurumque Aurelium Consulem & alios celeberrimi nominis viros trucidarunt, vt scriptum reliquerunt idem Tacitus & Velleius, & alij. Erant autem Cimbri, populi Septemtrionales, qui Saxonici maris pæninsulam, quæ ab ipsis Cimbrica Chersonesus dicta est, incolebant (nunc Dani dicuntur; pertinentq; ad regnum, quod vulgò dicitur *Denemarch*) & quoniam, vt ait Florus, terras eorum Oceanus tunc inundauerat, varias terras peragrare, vt sibi nouas sedes quærerent, coacti sunt. Et quidem cùm in Illyricum venissent, cum Romanis primùm feliciter conflixerunt, deinde etiam aliis in locis, vt paulò antè tactum est: sed tandem eos C. Marius primò in Gallia Narbonensi, ad Aquas Sextias; mox iterùm in Insubria ad Vercellas, vsque ad internecionem deleuit, vt nos infrà sub anno mundi 3952. num. 2. dicemus.

CIMBRICI BELLI INITIVM.

AB ORBE CONDITO ANNVS 3941. SEXTÆ MVNDI ÆTAT. ANNVS 495.

1 ANNO insequente repetita inter prædictos fratres prælij congressione, victor Cyzicenus, Tryphenam Grypi vxorem, quæ anno præcedente sororem interfecerat, captam, eius supplicio vxoris manibus parentauit. Sic Iustinus vbi suprà; & hæc sub finem huius anni accidisse credimus.

CYZICENVS VICTO GRYPO, TRYPHENAM IN VLTIONEM PROPRIAE VXORIS INTERFICIT.

2. Eodem anno, nimirum exacto integro obsidionis anno, Iudæi Samariam vi captam solo æquarunt: & præterea Scythopolim olim Bethsan vocatam, necnon alia quædam oppida, eis à quodam Cyziceni Duce, cui nomen erat Epicrates, prodita, possederunt. His ergo auctus victoriis Ioannes Hircanus, ac deinde etiam superata Pharisæorum inuidia ac dissensione aduersum se concitata, sedataque pariter seditione, quæ inter ipsos ac Sadducæos insurrexerat; reliquum vitæ feliciter in Pontificatu Principatuque suo exegit: Iosephus vbi suprà. Causa autem memoratæ dissensionis inter Pharisæos & Ioan. Hircanum, vt arbitror, fuit, abrogatio illa ab eo facta quarumdam constitutionum, quas Pharisæi ex maiorum traditionibus induxerant; cuius obiter meminit Iosephus 13. Antiquit. cap. vlt.

SAMARIA A IVDAEIS SOLO AEQVATVR.

AB ORBE CONDITO ANNVS 3942. SEXTÆ MVNDI ÆTAT. ANNVS 496.

1 ANNO postero circiter inchoante, qui erat, vt patet in tabulis, regni Antiochi Grypi annus decimustertius, Antiochus Cyzicenus post præcedentis anni victoriam adeò præualuit aduersus fratrem suum Grypum, vt licet eum penitus à regno non expulerit, tamen ipse quoque in Syria regnare cœperit, & fratre multò esse potentior. Quare cum Eusebio in Chronicis, illos decem & octo annos, quibus idem

CYZICENVS REGNAT IN SYRIA.

idem Cycizenus regnasse dicitur, ab hoc tempore exordiendos esse putamus, quemadmodum & in tabulis positum est.

AB ORBE CONDITO ANNVS 3943. SEXTÆ MVNDI ÆTAT. ANNVS 497.

1 ANNO regni eiusdem Antiochi Grypi decimoquarto, qui concurrit cum anno Vrbis côditæ sexcentesimo quadragesimo tertio, P. Scipione Nasica & L. Calpurnio Bestia Coss. cœpit bellum Iugurthinum in Numidia. Nam cùm Iugurtha Numidiæ Rex fratrem Adharbatem, qui Romanorum auxilia implorauerat, contra Senatus Romani denuntiationem occidisset; ipsi Iugurthæ bellum indictum fuit. Contra quem Calpurnius Consul cum exercitu primus missus est; qui Regis pecunia corruptus, pacem cum eo flagitiosè composuit; quæ posteà à Senatu improbata fuit. Calpurnio successit Q. Cæcilius Metellus, qui intra biennium quo moratus est in Numidia, Iugurtham duobus præliis victum fugauit, atque adeò attriuit, vt Romæ posteà de ipso triumphum ac Numidici cognomen meruerit. Post Metellum C. Marius in Africam missus, Iugurtha capto, & Numidia in prouinciam redacta, huic bello finem imposuit, vt nos sub anno mundi 3947. num. 1. dicemus. De hoc bello plures alij Historici mentionem fecerunt, sed præcipuè Sallustius, qui illud integro libro fusissimè descripsit. IVGVRTHINI BELLI INITIVM.

AB ORBE CONDITO ANNVS 3947. SEXTÆ MVNDI ÆTAT. ANNVS 501.

1 ANNO Vrbis sexcentesimo sexagesimo septimo, Iugurtha per Metellum attrito, & per Marium capto, Numidiam in potestatem populi Romani deuenisse, tradit ex Rufo Sigonius in suo Fastorum Commentario sub anno Vrbis prænotato. De hoc bello Iugurthino vide plura, si libet, apud Sallustium. BELLI IVGVRTHINI FINIS.

AB ORBE CONDITO ANNVS. 3950. SEXTÆ MVNDI ÆTAT. ANNVS 504.

1 ANNO sui Principatus trigesimo primo circiter desinente, vel exacto, vt paulò pòst ostendemus, qui erat annus Regni Græcorum ducentesimus octauus, vt patet in tabulis, Ioan. Hircanus decessit, relictis quinque filiis superstitibus, vt ait Iosephus 13. Antiq. cap. 19. Sanè de rebus ab hoc Ioanne gestis, extabat olim liber inscriptus, *Dierum Sacerdotij Ioannis*, qui nunc, quod ego nouerim, minimè reperitur. Huius meminit Auctor lib. 1. Machab. in fine, his verbis: *Cetera sermonum Ioannis, & bellorum eius, & bonarum virtutum quibus fortiter gessit, & ædificij murorum quos extruxit, & rerum gestarum eius; ecce hæc scripta sunt in libro Dierum Sacerdotij eius, ex quo factus est Princeps Sacerdotum post patrem suum.* Vtrùm verò iste liber idem sit cum eo, qui apud Græcos dicitur Machabæorum quartus, & (vt ait Genebrardus lib. 2. suæ Chronologiæ, vbi de isto Ioan. Hircano agit) huius gesta, & vnius ac triginta annorum historiam continet; adhuc non satis exploratum habeo. Fortè autem de dicto Dierum libro accepit Iosephus, quæ de ipso Ioanne lib. 13. Antiq. scripta reliquit: inter quæ illud etiam extat, tum cap. eiusdem lib. 18. tum lib. 1. de Bello cap. 3. relatum, quòd idem Ioannes diuino dignatus est colloquio, ac filiorum suorum de Antiocho Cyziceno victoriam prænuntiauit; & non multò ante obitum suum prædixit, è liberis suis duos natu maiores non diu Principatus sui compotes fore. Quod quomodo euenerit, ex consequentibus dignosci poterit. IOAN. HIRCANVS MORITVR. DE LIBRO SACERDOTII IO. HIRCANI. IOAN. HIRCANVS SPIRITV PROPHETICO PRAEDITVS.

2. Ceterùm, quamuis de numero annorum Sacerdotij ac Principatus Ioan. Hircani varia fuerit Auctorum opinio: siquidem Eusebius in Chronicis, & qui ipsum sequuntur, dicunt ipsum præfuisse annis viginti sex: Breue autem Hebræorum Chronicon, quod Seder Ollam Zuta inscribitur, Decuria 6. ait, ipsum regnasse annis triginta septem. Nihilominùs nos mediam inter hos viam secuti, credimus cum Genebrardo vbi suprà, verum numerum annorum Principatus dicti Ioan. Hircani esse illum, quem tradit Iosephus 13. Antiquit. in fine capitis 18. vbi ait, ipsum elapso primo & trigesimo Imperij anno obiisse. Nec obstat, quòd idem Auctor 1. de Bello cap. 3. incipiente, dixerit, eumdem Hircanum optimè res administrasse per annos triginta tres. quia ille textus, DE NVMERO ANNORVM SACERDOTII EIVS.

textus, vel potest intelligi, computatis postremis duobus annis vitæ patris sui Simonis: quandoquidem ex tunc videtur ipse de mandato patris cœpisse res administrare in Gazara, vt sub anno mundi 3913. num. 1. dictum est. Vel, quia reverà ipse Io. Hircanus non nisi post mortem patris sui potuit esse summus Sacerdos, proptereà multò meliùs videtur dicendum, quòd verus annorum numerus Sacerdotij eius, ille est, quem Iosephus loco Antiquit. proximè adducto expressit. Nam cùm ipse libros Antiquit. post libros de Bello iam editos conscripserit, vt ex ipsomet euidenter colligitur, qui 13. Antiquit. cap. 6. ait, se nolle ibi repetere, quæ in lib. 7. de Bello iam commemorauerat: vtique censendus est, quæ aliàs perperàm se tradidisse recoleret, in posteriori suo Opere correxisse. Quo fit, vt in eiusmodi differentiis tutius videatur standum his quæ in libris Antiquit. tradita inueniuntur.

IOSEPHUM LIBROS ANTIQ. POST LIBROS DE BELLO CONSCRIPSISSE

3. Eodem circiter anno probabile est, ex Panthere natum esse Barpantherem, qui posteà fuit auus beatissimæ Genitricis Dei Mariæ, iuxta ea quæ sub anno mundi 3911. num. 3. de eiusdem Virginis maioribus dicta sunt.

PANTHER GENUIT BARPANTHEREM.

AB ORBE CONDITO ANNVS 3951. — SEXTÆ MVNDI ÆTAT. ANNVS 505.

1 ANNO proximo, qui erat à postremo Pontificatu impij Alcimi fermè quinquagesimus, vt scribit S. Augustinus lib. 18. de Ciuit. Dei cap. 45. reverà autem quinquagesimus octauus, vt dinumerari potest in tabulis; Aristobulus filiorum Ioan. Hircani natu maximus patri in Principatum succedens, ex Machabæorum siue Assamonæorum familia sibi diadema primus imposuit, & Principatum ad regni formam conuertit, vt tradit Iosephus 13. Antiquit. cap. 19. Accidit autem hoc non post annos quadringentos octoginta vnum à Babylonicæ captiuitatis solutione, vt citatus Auctor ibidem, & 1. de Bello cap. 3. existimauit; sed post quadringentos triginta quattuor dumtaxat annos, quemadmodùm videri potest in tabulis, vbi solutæ captiuitatis Æram hucusque deduximus. Quamquam autem hæc annorum differentia inde aliqua ex parte oriri potuit, quòd Iosephus credidit Cyrum triginta annis à soluta Iudæorum captiuitate regnasse: nos verò illum septennio post eamdem captiuitatis solutionem interemptum esse, iam sub anno mundi 3494. num. 2. vsque ad 6. pluribus argumentis probauimus, & sub anno mundi 3523. num. 1. tamquam verissimum supposuimus. Non tamen id sufficit ad Iosephi summam adæquandam: quare oportet ipsum etiam alibi plures ad huius temporis chronologiam annos adiecisse. Porrò Aristobulus Rex, tametsi, vt paulò pòst dicemus, breui admodum tempore regnauerit; nihilominùs Iudæorum ditionem auxit, adiecta nimirum ei parte regionis Ituræ, quam etiam circumcisionem ceterosque Iudaicos ritus suscipere coëgit. Ceterùm, in suos nimiùm crudelis fuit: nam & fratres suos, præter Antigonum quem diligebat, in vincula coniecit; & propriam quoque matrem, tamquam æmulam Principatus, fame in carcere necauit; & postremò temerè, inuidorum detractionibus fide adhibita, Antigonum etiam insontem interfici curauit. Meritò igitur & ipse non multò pòst tantorum scelerum debitam à Deo vltionem accepit; nimirum repentino sanguinis vomitu, animique desperatione correptus, miserrimè interiit, vno dumtaxat anno regni sui exacto, vt latè prosequitur Iosephus capite citato, & lib. 1. de Bello cap. 3.

ARISTOBULUS MACHABAEORUM PRIMUS REX IN IUDAEA APPELLATUS, ET QUANDO ID ACCIDERIT.

REGNUM AUXIT.

IN SUOS CRUDELIS.

ANNO REGNI EXACTO OBIIT.

AB ORBE CONDITO ANNVS 3952. — SEXTÆ MVNDI ÆTAT. ANNVS 506.

1 ANNO postero recens inchoato, Salome Aristobuli vxor, solutis defuncti viri fratribus, Alexandrum cognomine Iannæum annos natum duos & viginti, vt videre est in tabulis, qui ceteros tum superstites ætate præcedebat, Regem constituit: ipse verò non multò pòst, alterum ex fratribus sibi insidiantem interfecit, alrum priuata contentum vita in honore habuit: Iosephus 13. Antiq. cap. 20. & lib. 1. de Bello cap. 3.

REGNAT ALEXANDER IANNAEUS IN IUDAEA.

2. Eodem anno, qui erat Vrbis sexcentesimus quinquagesimus secundus, C. Mario V. & M'. Aquilio Coss. idem Marius imposuit finem bello Cimbrico. Nam cùm anno præcedente Cimbri à Celtiberis ex Hispania pulsi, adiunctis sibi Teutonibus, Ambronibus, & Tigurinis, in Galliam iterùm irrupissent eo consilio, vt superatis Alpibus

CIMBRICI BELLI FINIS.

pibus in Italiam traiicerent; C. Marius, qui tunc IIII. Cos. erat in Galliam, vbi audiuit quòd iidem Cimbri agminibus diuisi Italiam peterent, eos insecutus, & magnam ipsorum partem assecutus ad Aquas Sextias duobus prœliis deleuit; in quibus cæsa traduntur ducenta millia cum ipsorum Duce Teuthobocco, & capta nonaginta millia. Cùm verò altero, nempe hoc de quo nunc agimus anno, altera Cimbrorum pars iam Alpes pertransisset, nec eis Q. Catulus Procos. resistere potuisset, idem C. Marius, qui absens iam V. Cos. creatus fuerat, Romam accersitus, & Triumpho, qui ei offerebatur, repudiato, protinus ad Catulum collegam se contulit; & reuocatis ex Gallia copiis, iunctisque eiusdem Catuli & propriis exercitibus in agro Vercellensi, vt scribit Plutarchus in Mario, cum hostibus feliciter conflixit. Quo in prælio ad centum quadraginta Cimbrorum millia cæsa dicuntur, & sexaginta millia capta, Regulis ipsorum duobus occisis, & aliis duobus captis. Præclarissimæ huius victoriæ adhuc euidens habetur indicium siue argumentum in via qua Nouariâ itur Vercellas, vbi extat vicus, qui vulgò dicitur *Cameriano*. quod nomen Alciatus in Inscriptionibus, & Gaudentius Merula, & Bonauentura Castilioneus interpretantur, *Castra Mariana*. Quamuis alij malint, eumdem vicum Latinè dici *Arcomarianum*, non à castris, sed ab arcu Mariano. rectè enim in victoria extitit monumentum arcus. Quidquid sit, omnes consentiunt, memoratum vicum omnino à Marij victoria, quam ibidem, vt diximus, de Cimbris retulit, fuisse denominatum. Vide, si libet, quæ de huius prælij ac victoriæ loco disputat Carolus Episcopus Nouariensis lib. 1. de sua Nouariensi Ecclesia; vbi agit de terminatione Arcomariani.

AB ORBE CONDITO ANNVS 3953. — SEXTÆ MVNDI ÆTAT. ANNVS 507.

1 ANNO regni Alexandri Regis Iudæorum circiter secundo desinente, *Cleopatra* Ægypti Regina, *cùm* (vt scribit Iustinus lib. 39.) *grauaretur socio regni filio Ptolemæo*, (subintellige Lathuro) *populum in eum incitat; abductaq́ ei Selene vxore, eo indignius quòd ex Selene iam duos filios habebat, exulare coëgit*; nimirum in insula Cypri: sicq; sola regnare cœpit in Ægypto. Quòd autem id per hæc circiter tempora acciderit, colligi potest ex Iosepho, qui cap. Antiq. paulò antè citato manifestè insinuat, præfatum Alexandrum circa primos regni sui annos Ptolemaidam, vt paulò pòst dicemus, obsedisse: & paucis interpositis subiungit, quòd obsessis *supererat vna spes ab Aegypti Regibus & Ptolemæo Lathuro, qui à matre Cleopatra è regno eiectus, Cyprum obtinebat*. Igitur CLEOPATRA FILIVM LATHVRVM REGNI SOCIVM PELLIT.

AB ORBE CONDITO ANNVS 3954. — SEXTÆ MVNDI ÆTAT. ANNVS 508.

1 ANNO proximo Cleopatra (quemadmodum præcitato loco prosequitur Iustinus) *accersito minore filio Alexandro, Regem fratris loco constituit; nec alterum filium expulisse contenta, bello Cypri exulantem persequitur. Quo inde tandem pulso, interfecit Ducem exercitus sui, quòd viuum è manibus dimisisset: quamquam Ptolemæus verecundia materai belli, non viribus minor, ab insula recessisset. Igitur Ptolemæus Alexander hac matris crudelitate territus, & ipse eam reliquit, periculoso regno securam ac tutam vitam anteponens*. sic Iustinus. LATHVRVM MATER PERSEQVITVR POSITO IN EIVS LOCVM FRATRE ALEXANDRO, QVI MATREM ET REGNVM DESERIT.

2. Dum hæc in Ægypto & in Cypro agerentur, Alexander Iudæorum Rex, cùm aduertisset Syriæ Reges inter se decertantes satis esse occupatos, & dissidium item quod inter Ptolemæum Lathurum matremque intercesserat; arrepta hac temporis opportunitate, cum magno exercitu Ptolemenses aggreditur; & cùm prælio victos intra mœnia compulisset, obsidione conclusos oppugnare conabatur. Illi verò in tanto discrimine positi, considerantes sibi à Syriæ Regibus nihil opis posse conferri, missa legatione ad Ptolemæum Lathurum in Cypro à propria matre eiectum, rogabant vt eis in auxilium venire non negligeret: sic enim etiam rebus suis optimè consultum iri; quandoquidem, si ipse veniret in Syriam, facilè Gazæos & Ptolemaidenses, & Zoilum qui tyrannidem apud Stratonis turrim & Dora occupauerat, & Sidonios, multosque alios partium suarum adiutores esset habiturus. Ptolemæus ergo, tum materno bello vt cedere videretur, tum memoratis elatus promissis, in Syriam nauigare parauit. PTOLEMENSES A IVDAEIS OBSESSI PTOLEMAEVM LATHVRVM IN AVXILIVM VOCANT.

3. Sub finem eiusdem, vt arbitror, anni, Cleopatra timens ne filius eius maior Ptolemæus cognomento Lathurus, ab Antiocho Cyziceno ad recuperandam Ægyptum auxiliis CLEOPATRA MITTIT AVXILIA GRYPO CONTRA CYZICENVM

auxiliis iuuaretur; ingentia Antiocho Grypo auxilia, & Selenem vxorem nupturam hosti prioris mariti, mittit; Alexandrumque minorem filium per Legatos in regnum reuocat: Iustinus vbi suprà.

AB ORBE CONDITO ANNVS 3955. | SEXTÆ MVNDI ÆTAT. ANNVS 509.

ALEXANDER SOLVIT PTOLEMAIDIS OBSIDIONEM. SIMVLAT CVM LATHVRO AMICITIAM.

CLAM VOCAT CLEOPATRAM CONTRA LATHVRVM, QVI IVDAEAM VASTAT.

I ANNO, vt arbitror, subsequente, Ptolemæo Lathuro in auxilium Ptolemaidensibus superueniente, Alexander Iudæorum Rex, vt audiuit quòd ad Lathuri exercitum etiam Zoilus cum suis, & Gazenses contra Iudæos accessissent, obsidionem soluit; & reducto in Ierusalem exercitu, cœpit astu agere cum Lathuro; aperte quidem amicum & socium eius se esse simulans, & quadringenta argenti talenta eidem offerens, si Zoilum eius hostem de medio tolleret, eiusque agros Iudæis attribueret: clàm verò Cleopatram Lathuri matrem sollicitabat, vt aduersus filium cum exercitu properaret. Verumenimverò, detecta fraude, Lathurus, rupto fœdere cum Iudæis, primò quidem ad oppugnandam Ptolemaidem, quæ eidem mutato consilio portas clauserat, vires suas contulit; mox relicta ibi ad continuandam oppugnationem parte exercitus, ipse cum reliquis copiis ad vastandam Iudæam se conuertit; & vi captis aliquot oppidis, magnam inde prædam asportauit, & multa captiuorum millia abduxit: Iosephus 13. Antiq. cap. 20.

AB ORBE CONDITO ANNVS 3956. | SEXTÆ MVNDI ÆTAT. ANNVS 510.

LATHVRVS VICTOS IVDAEOS ADMODVM TERRET AC VEXAT.

PTOLEMAIDEM CAPIT.

I ANNO, vt probabile est, postero, Alexander Iudæorum Rex, vt hostem à suæ regionis vexatione compesceret, numeroso admodum exercitu comparato, obuiàm venit Lathuro; qui hoc audiens, occurrit ei ad Iordanem fluuium: vbi instructis vtrimque agminibus, initoq; certamine, Iudæi cæsi sunt ad triginta millia, ceteri partim capti, partim fuga seruati. Ptolemæus verò tam grandi parta victoria, per Iudæam longè lateque excurrebat; & cùm serò tandem in quosdam Iudæorum vicos se recepisset, eosque pueris ac mulieribus refertos vidisset, iussit eos promiscuè iugulari, & in frusta concidi, ac in ollis feruentibus coqui; vt milites sui valdè terribiles, atque humanis vesci carnibus crederentur, ac sic maiorem toti Iudææ timorem incuteret. Per idem quoque tempus, eiusdem Ptolemæi Duces ac milites, quos ad oppugnandam Ptolemaidam reliquerat, eamdem expugnarunt: Iosephus 13. Antiq. cap. 21. & lib. 1. de Bello cap. 3.

AB ORBE CONDITO ANNVS 3957. | SEXTÆ MVNDI ÆTAT. ANNVS 511.

CLEOPATRA LATHVRI PROGRESSVS IN SYRIA DISTVRBAT, QVI FRVSTRA AEGYPTVM AGGREDITVR.

I ANNO, vt credimus, succedente, Cleopatra verita tantos filij progressus, in Iudæa præsertim Ægypto adeò proxima, non permittendum duxit vt ille magis cresceret. Quare naualibus terrestribusq; copiis vndique accitis, sub Ducibus Chelcia & Anania Iudæis, & iusso Alexandro filio cum classe Phœnicem appellere, ipsa cum exercitu venit Ptolemaidem; & inde exclusa, oppugnationem vrbis instituit. At verò Lathurus, confestim relicta Syria, properauit cum suis in Ægyptum, sperans se eam præsidiis vacuã offendere, atq; ex improuiso posse occupare; sed spe sua frustratus est; siquidem validos ibidem inuenit propugnatores, vt ait Iosephus cap. Antiq. citato.

AB ORBE CONDITO ANNVS 3958. | SEXTÆ MVNDI ÆTAT. ANNVS 512.

CLEOPATRA LATHVRVM 2. AB AEGYPTO IN CYPRVM PELLIT. PTOLEMAIDAM EXPVGNAT, ET CVM ALEXANDRO REGE IVDAEORVM FOEDVS FERIT.

I ANNO, vt reor, subsequente, Cleopatra vt audiuit filij conatus in Ægypto irritos euasisse, missa eò parte exercitus sui, eum inde tandem omnino expulit; & ad Gazenses, ac dein transacta hieme, in Cyprum denuò redire coëgit. Interim quoque Cleopatra Ptolemaidam expugnauit. Quibus auditis, Alexander Iudæorum Rex venit ad Cleopatram victoriis exultantem; quæ suasu Ananiæ Iudæi eius Ducis, non solùm abstinuit ab inferenda Alexandro iniuria, quemadmodum quidam ex suis Reginæ suaserant; sed insuper cum eo fœdus percussit apud Scythopolim, vt latiùs videre est apud Iosephum vbi suprà.

2. Sub

2. Sub finem eiusdem anni, Antiochus Grypus Syriæ Rex, Heracleonis cuiusdam insidiis occisus est, anno ætatis suæ quinto & quadragesimo, regni verò nono supra vigesimum: Iosephus 13. Antiq. cap. 21. & lib. 1. de Bello cap. 3. Reliquit verò Grypus quinque filios, nempe Seleucum, Antiochum, Philippum, Demetrium cognomine Eucærum, & alterum Antiochum cognomento Dionysium, de quibus infrà suis locis dicemus. GRYPVS MORITVR RELICTIS QVINQVE FILIIS.

AB ORBE CONDITO ANNVS *3959.* SEXTÆ MVNDI ÆTAT. ANNVS *513.*

1 ANNO proximo circiter ineunte, Seleucus huius nominis sextus, Antiochi Grypi filius, patri in Syriæ regnum succedens, bellum gerit cum patruo suo Antiocho Cyziceno, eumque sub finem anni prælio victum armis regno eiecit, vt scribit Appianus. At verò Iosephus locis citatis addit, quòd etiam eum captum neci tradidit. SELEVCVS VI. CYZICENVM REGNO SPOLIAT.

2. Eodem anno Alexander Iudæorum Rex Ptolemæi Lathuri metu liberatus, nimirum virtute fœderis cum matre eius icti; refectis viribus, post discessum, vt arbitror, Cleopatræ, Gadaram inuasit, eamque post decem obsidionis menses cepit. Mox quasdam quoque alias vrbes armis in potestatem suam redegit; nempe Amathuntem (vbi tamen à quodam Theodoro derepentè inuasus, amisit decem millia Iudæos) & Rapinam, & Anthedonem, quam posteà Herodes, mutato nomine, Agrippiadem vocauit. Et denique infensus Gazæis, quòd contra se Ptolemæum Lathurum euocassent; visa hac temporis opportunitate, nimirum quòd idem Ptolemæus in Cyprum, & mater eius in Ægyptum recessissent: primò eorumdem Gazæorum agros depopulare cœpit, mox verò etiam vrbem oppugnare: Iosephus 13. Antiq. cap. 21. & lib. 1. de Bello cap. 3. ALEXANDER IVDAEORVM REX GADARAM ALIASQVE VRBES CAPIT, ET GAZAEOS OPPVGNAT.

AB ORBE CONDITO ANNVS *3960.* SEXTÆ MVNDI ÆTAT. ANNVS *514.*

1. ANNO postero circiter inchoante, Antiochus huius nominis decimus, Cyziceni filius, cui cognomen fuit Pius, defuncti patris diademate sibi imposito, bellum Seleuco Grypi filio intulit, & vno prælio victum, è tota Syria expulit, atque in Ciliciam fugauit. ita Iosephus locis citatis. Appianus verò Alexandrinus in calce libri de Bellis Syriacis: *Hunc Antiochum,* inquit, *Seleuci patruelis insidias euasisse putant Syri, pietatis merito, ideoq; Pium cognominarunt: seruatus est autem à meretrice adamatus formæ gratia.* Et subiungit: *Mihi videtur per iocum à Syris ei nomen id additum: duxit enim hic Pius Selenem, quæ priùs & patri eius Cyziceno, & patruo Grypo nupserat. Meritò igitur diuina vltione à Tigrane pulsus est.* hæc Appianus. ANTIOCHVS DECIMVS SELEVCVM VI. E SYRIA PELLIT.

2. Eodem anno, in Iudæa, Alexander Rex, post annum ex quo castra ad Gazam admouerat, eamdem à Lysimacho sibi traditam cepit, & facta ibi cæde magna, tandem vrbe diruta reuersus est Ierosolymã: Iosephus c. Antiq. allegato, & 1. de Bello c. 3. ALEXANDER IVDAEORVM REX GAZAM CAPIT.

3. Eodem anno, qui erat Vrbis sexcentesimus sexagesimus, Cælio Caldo & L. Domitio Coss. oportet cœpisse bellum Mithridaticum: siquidem (vt ex Plutarcho, Appiano, & aliis colligit Sigonius in suo Fastorum Commentario) hoc eodem anno L. Cornelius Sulla, qui ex Prætore Vrbano Ciliciæ Præfecturam habuerat, Cappadociam, quam Mithridates Pontifex, interfecto Ariarathe eius Rege, occupauerat, pulso armis Gordio eiusdem Mithridatis Duce, recuperauit; in eaque Ariobarzanem regiæ stirpis iuuenem ex S. C. Regem constituit. & hoc fuit initium belli inter Romanos & Mithridatem, quod posteà perdurauit per annos ferè triginta duos, nimirum vsque ad necem ipsius Mithridatis, vt suo loco dicemus. De quo bello scripsit integrum libellum Appianus, de Bellis Mithridaticis inscriptum. MITHRIDATICI BELLI INITIVM.

AB ORBE CONDITO ANNVS *3961.* SEXTÆ MVNDI ÆTAT. ANNVS *515.*

1 ANNO insequente Seleucus, qui à Mopseatis ex fuga receptus fuerat, cùm cœpisset velle ab eis tributa exigere; exorto populi tumultu, Mopsuhestiæ, quod est oppidum Ciliciæ, in Regia siue in Gymnasio cum amicis suis concrematus fuit: vt tradunt locis citatis Appianus & Iosephus. SELEVCVS VI. IN CILICIA CONCREMATVR.

2. Eodem

PHILIPPVS REGNAT IN PARTE SYRIAE.

2. Eodem, vt arbitror, anno, Antiochus huius nominis vndecimus, & memorati Seleuci sexti frater, bello aggreditur Antiochum Pium Cyziceni filium; sed ipse Antiochus vndecimus victus, exercitum simul ac vitam amisit. Post quem Philippus prædictorum Seleuci & Antiochi tertius frater, assumpto diademate regnauit in parte Syriæ: Iosephus vbi suprà, & concordat cum Eusebio, qui in Chronicis ponit primum regni huius Philippi annum anno Alexandri Regis Iudæorum decimo.

AB ORBE CONDITO ANNVS 3962. SEXTÆ MVNDI ÆTAT. ANNVS 516.

CLEOPATRA AB ALEXANDRO FILIO INTERFICITVR.

ALEXANDER OB MATERNAM NECEM IN EXILIVM AGITVR.

1 ANNO decimo circiter desinente, ex quo Cleopatra eiecerat de Ægypti regno Ptolemæum Lathurum filium suum natu maiorem, cùm etiam Alexandro filio suo minori occultis insidiis exitium machinaretur, ab eodem præoccupata interficitur: *digna prorsus hac mortis infamia, quæ etiam matrem toro expulit, & duas filias viduas alterno fratrum matrimonio fecit, & filio alteri in exilium acto bellum intulit, alteri erepto regno exitium per insidias machinata est. Sed nec Alexandro cædes tam nefanda inulta fuit. Nam vbi primùm compertum est, scelere filij matrem interfectam; concursu populi in exilium agitur.* sic Iustinus sub finem libri 39.

MATHAN GENVIT IACOB.

2. Eodem circiter anno oportet quòd Mathan, qui & Mathat in genealogia Saluatoris appellatur, cùm annum ageret vitæ circiter quinquagesimum primum, genuerit Iacob, iuxta ea quæ nos sub anno mundi 3461. num. 1. de eiusmodi generationibus disseruimus: quamquam idem Mathan, qui secundùm Matthæum cap. 1. vers. 15. genuit Iacob, secundùm Lucam cap. 3. vers. 23. ante vel post natum Iacob, genuerit etiam Heli, vt nos sub anno mundi 4051. num. 19. ostendemus.

AB ORBE CONDITO ANNVS 3963. SEXTÆ MVNDI ÆTAT. ANNVS 517.

LATHVRVS IN REGNVM RESTITVITVR.

DEMETRIVS IV. REGNAT IN PARTE SYRIAE.

ANTIOCHVS X. MORITVR.

1 ANNO proximo circiter ineunte, Ptolemeus Lathurus, qui iam pridem à Cleopatra matre pulsus fuerat, illa ab altero filio extincta, & eius interfectore à populis eiecto, communi omnium cõsensu ab exilio reuocatur, & in suum Ægypti regnum restituitur; quòd neque cum matre bellum gerere voluisset, nec à fratre armis repetere quod prior possedisset; vt ait Iustinus in calce lib. 39. Huius restitutionis Ptolemæi, sub nomine Physconis, meminit etiã Eusebius in Chronicis. Porrò iste Ptolemæus Lathurus eodem ferè tempore, vel non multò pòst ac in regnum restitutus fuerat, quartum Seleuci fratrem Grypique filium, nomine Demetrium huius nominis quartum, & cognomento Eucærum, à Gnido accitum, Regem constituit in parte Syriæ apud Damascum; nimirum, quemadmodum probabile est, vt vel sic Philippi alterius fratris vires frangeret. His duobus fratribus strenuè resistens Antiochus Pius Cyziceni filius, breui extinctus est: nam Laodiceæ, cùm auxilio venisset Galadenorum Reginæ cum Parthis bellum gerenti, fortiter in prælio dimicans occubuit. Quo facto, Syriæ regnum remansit penes duos fratres, Philippum scilicet atque Demetrium: Iosephus 13. Antiq. cap. 21.

PTOLEMAEVS CYR. REX ROMANOS REGNI HEREDES RELIQVIT.

2. Per hæc eadem tempora, in Ægypto Ptolemæus Rex Cyrenæorum moriens, Romanos testamento reliquit heredes, vt ait Eusebius in Chronicis. Hunc Genebrardus Chronologiæ lib. 2. vbi agit de Ptolemæo Alexandro, appellat Alexandrum Physconis fratrem: Iustinus autem lib. 39. tacito nomine, dicit fuisse fratrem Ptolemæi (subintellige, vt suprà dictum est, Lathuri) ex pellice susceptum, cui pater Cyrenarum regnum testamento reliquerat. Fortè autem Iustinus ibi pellicem vocat Cleopatram, cuius minor filius erat Alexander, de qua paulò antè dixerat, quòd propriam etiam matrem toro expulerat.

ALEXANDER IVDAEOS SEDITIOSOS PLECTIT. VICTIS ARABIBVS, MOABITIS ET GALAAD. TRIBVTA IMPERAT. A REGE ARABVM FVGATVR.

3. In Iudæa autem grauis contra Alexandrũ Regem exorta seditio est, ita vt cùm in festo Scenopegiæ Rex pariter ac Sacerdos de more Ierosolymis sacrificia facere pararet, conuitiis etiam atq; execrationibus, necnon citreorum explosione populariter per ludibrium impetitus fuerit: quamobrem iratus valdè, occidit ex ipsis ad sex millia. Deuictis deinde Arabibus, tributa Moabitis & Galaaditis imperauit. Denique congressus cum Obeda Rege Arabum, atque ab eo in insidias & asperas in fauces accessuque difficiles pertractus, ægrè euasit, & fuga Ierosolymam delatus, super acceptam cladem, per sex deinceps annos à sua gente bello vexatus fuit: Iosephus 13. Antiq. cap. 21.

& lib.

&lib. 1. de Bello cap. 3. Puto autem memoratos sex vexationis bellique annos inter proprium Regem populumque Iudaicum, ab hoc duodecimo vsque ad decimum octauum regni ipsius Alexandri annum excurrisse, vt ex sequentibus apparebit. ANNIS 6. A IVDAEIS BELLO VEXATVR.

AB ORBE CONDITO ANNVS 3966. SEXTÆ MVNDI ÆTAT. ANNVS 520.

1 ANNO Vrbis conditæ sexcentesimo sexagesimo sexto, L. Sulla & Q. Pompeio Coss. Romæ exortum est bellum ciuile inter Marium & Sullam, quod Rempub. Romanam maximè perturbauit. Eamdemque perturbationem vehementiùs auxit aliud dissidium, quod anno proximo exarsit inter eiusdem anni Consules L. Cinnam & Gn. Octauium, quo posteà interfecto, multæ cædes rapinæque & alia mala, in ipsa præsertim Vrbe perpetrata sunt per Cinnam & Marium inter se confœderatos, de quibus latè disserunt Appianus lib. 1. de Bellis ciuilibus, & Plutarchus in Mario, & alij. Harum ciuilium dissentionum occasione, inter alia damna quæ etiam foris passi sunt Romani, illud fuit grauissimum, quòd Mithridates Ponti Rex, cui proximè ante Marij & Sullæ contentiones indictum fuerat bellum; audiens Romam seditionibus laborare, confestim nactus temporis opportunitatem, Phrygiam Populi Romani prouinciam cum exercitu intrauit: Asia in potestatem redacta, omnes ciues Romanos in omnibus Asiæ ciuitatibus vno die atque vno nuntio interficiendos curauit: Q. Oppium Proconsulem, & M'. Aquilium Legatum captos, atque fœdè excruciatos necauit: vrbem Rhodum, quæ sola in fide permanserat oppugnauit, sed aliquot præliis naualibus victus recessit. Per Ariarathem filiū Thraciam & Macedoniam; per Archelaum Præfectum Græciam cum exercitu inuasit: & Brutio C. Sentij Macedoniæ Prætoris Legato aduersante, Pireum atque Athenas occupauit. Quæ omnia ex Appiano de Bellis Mithridaticis, & Plutarcho in Sylla & aliis Historicis colligi possunt.

BELLA CIVILIA INTER MARIVM ET SVLLAM, CINNAM ET OCTAVIVM.

MITHRIDATIS CONTRA ROMANOS PROGRESSVS.

AB ORBE CONDITO ANNVS 3967. SEXTÆ MVNDI ÆTAT. ANNVS 521.

1 ANNO regni Alexandri circiter decimosexto inchoante, Iudæi aduersus proprium Regem pertinaciter admodum bellantes, acciuerunt sibi in auxilium Demetrium cognomento Eucærum; qui vt sub anno mundi 3963. num. 1. dictum est, regnabat in Damasco: contra quem veniens Alexander Iudæorum Rex, & commissa pugna, victus fugit ad montes; maleque de ipso actum esset, nisi ad ipsum, eius infortunium miserati, confluxissent circiter sex millia Iudæorum; quorum metu Demetrius retrò abiit, Iudæa relicta. Post discessum verò Demetrij, propriis Iudæi viribus aduersus Alexandrum bellum gerebant; sed semper victi, multos suorum amittebant, ita vt in toto illo bello non minùs quàm quinquaginta millia ipsorum ceciderint. Fuit tamen bellum hoc Regi valdè dispendiosum, quoniā præter tot subditorum amissionem, ab ipsis sæpè afflictus, & ad extremum vitæ regnique periculum adductus fuit; dum non contenti eum propriis oppugnare viribus, externa etiam auxilia aduocabant; & ipsum tandem in eam compulerunt necessitatem, vt loca quæ in Moabitica & Galaaditica regione subegerat, Arabibus restitueret; ne & ipsi arma aduersus eum cum Iudæis coniungerent. hæc ex Iosepho 13. Antiq. cap. 22. & lib. 1. de Bello cap. 3.

ALEXANDER INFELICITER DIMICAT CVM DEMETRIO.

IVDAEI AB ALEXANDRO IPSORVM REGE VICTI.

AB ORBE CONDITO ANNVS 3968. SEXTÆ MVNDI ÆTAT. ANNVS 522.

1 ANNO prædicti Alexandri Regis Iudæorum, vt reor, decimoseptimo, Demetrius Eucærus Philippum fratrem suum in Berea obsedit; sed dum illum expugnare contendit, ipse ab Arabum Parthorumq; Ducibus contra ipsum à Philippo accitis, victus captusque est; & in Parthiam perductus, ibi apud Mithridatem Parthorum Regem in honore habitus, mansit, donec morbo correptus decessit: Iosephus vbi suprà.

DEMETRIVS IV. PHILIPPVM FRATREM OBSIDET. CAPTIVVS IN PARTHIAM DVCITVR.

2. Eodem anno, nimirum post prædictam Demetrij captiuitatem, Philippus eius frater Antiochiam profectus, totius Syriæ regno potitus est, vt ait Iosephus lib. 13. Antiq. cap. 22. in fine. Vnde inferri debet, quòd etiam Antiochus Pius Cyziceni filius iam decesserat; alioqui non potuisset Philippus totam Syriam possidere. Puto autem

PHILIPPVS TOTA POTITVR SYRIA.

quòd de Philippo dictum est, sub finem huius anni contigisse; & ab eo tempore numerandos esse duos annos, quibus eum regnasse tradunt Eusebius in Chronicis, & alij; totidem enim hinc numerantur vsque ad occupatam à Tigrane Syriam, vt videre licet in tabulis: nam alioqui fateri oporteret, ipsum Philippum ad decem circiter annos regnum Syriæ, siue eius partem tenuisse, vt ibidem apparet.

ANNA PROPHETISSA NASCITVR.

3. Eodem item anno, qui erat octogesimus quartus ante Christi natiuitatem (vt dinumerari potest in tabulis) nata est Anna filia Phanuel; de qua dicitur quòd posteà fuit Prophetissa, & numquam discedebat de templo, ieiuniis & obsecrationibus seruiens nocte ac die, quemadmodum testatur S. Lucas Euangelij cap. 2. vers. 36. vsque ad 39. Si tamen locus ille intelligatur de annis totius vitæ ipsius Annæ, vt nonnulli arbitrantur. Si autem accipiendus est tantummodò de annis eius viduitatis, vt sentit B. Ambrosius in eiusdem loci expositione; dicendum erit, præfatam Annam non hoc anno natam, sed viro fuisse orbatam.

AB ORBE CONDITO ANNVS 3969. SEXTÆ MVNDI ÆTAT. ANNVS 523.

ALEXANDER REX PRIMARIIS IVDAEORVM OCCISIS, SEDAT TVMVLTVS CONTRA SE CONCITATOS.

1 ANNO regni sui decimooctauo, qui erat sextus ex quo Iudæi contra ipsum bellare cœperant, Alexander Rex, Iudæorum sibi aduersantium potentissimos in Bethoma compulsos expugnauit, & capto oppido, in suam potestatem redactos abduxit Ierosolymam; vbi, ipsomet celsiore in loco epulante, atq; deorsum inspectante, octingentos eorum crucibus affigi voluit; & coram ipsis adhuc viuentibus, vxores ac liberos eorum iugulari: atque ita pœnas pro acceptis iniuriis ab eisdem exegit, & finem bello imposuit: siquidem hoc audito, ceteri Iudæorum qui contra Regem arma sumpserant, noctu fugientes, exules posteà manserunt, donec idem Alexander Rex superuixit. Itaque à tumultibus tandem Rex liberatus, securè deinceps regnum administrauit, quemadmodum latiùs tradit Iosephus capitibus Antiq. & de Bello citatis.

ANTIOCHVS XII. REGNAT IN DAMASCO.

2. Eodem anno Antiochus huius nominis duodecimus, cognomento Dionysius, memorati Philippi (vt ait Iosephus 13. Antiq. in principio capitis 23. & lib. 1. de Bello in initio capitis 4.) frater, nempe postremus; & consequenter Antiochi Grypi, quemadmodum sub anno mundi 3958. num. 2. dictum est, quintus filius, Damascum perueniens, ibidemque Principatum ambiens, & rerum potitus, Rex declaratur. Sed cùm posteà contra Arabas duxisset exercitum, Philippus eius frater ei Damascum ademit, opera Milesij arcis Præfecti; qui non multò pòst videns Philippi erga se ingratitudinem, eumdem callidè ab eadem vrbe exclusit, eamque seruauit Antiocho Dionysio, qui confestim, his auditis, ex Arabia rediit in Syriam, vt rebus suis ibi consuleret: Iosephus cap. 6. proximè adductis.

AB ORBE CONDITO ANNVS 3970. SEXTÆ MVNDI ÆTAT. ANNVS 524.

ANTIOCHVS XII. IN BELLO CONTRA ARABAS OCCIDITVR.

1 ANNO postero circiter ineunte, Antiochus Dionysius rebus suis in Damasco firmatis, expeditionem suscepit aduersus Arabas, & cum octo millibus peditum & octingentis equitibus per Iudæam transiens, ruptis, incensis, ac superatis omnibus impedimentis eidem ab Alexandro Rege interpositis, peruenit in Arabiam; vbi fortiter cum hoste dimicans, iamque vincens, occisus est: post cuius casum, exercitus eius in vicum Cana refugit, vbi maxima eius pars fame absumpta est.

ARETAS COELESYRIAE REGNVM ADIPISCITVR.

2. Post præfatum Antiochum, Cœlesyriæ regnum Aretas adipiscitur, vocatus ad imperium à Damascenis, propter odium quo prosequebantur Ptolemæum Mennæum. hæc Iosephus 13. Antiq. cap. 23. & lib. 1. de Bello cap. 4.

3. Eodem anno, in Syria mutuis fratrum odiis, & mox filiorum inimicitiis parentum succedentibus, cùm inexpiabili bello & Reges & regnum consumptum esset, ad externa populus auxilia concurrit, peregrinosque sibi Reges circumspicere cœpit. Itaque cùm pars Mithridatem Ponticum, pars Ptolemæum ab Ægypto accersendum censeret; denique considerantes *quòd Mithridates implicitus bello Romano esset, Ptolemæus quoque hostis Syriæ semper fuisset; omnes in Tigranem Armeniæ Regem consenserunt, instructum præter domesticas vires & Parthica societate, & Mithridatis affinitate.* sic Iustinus lib. 40. Et hic fuit finis regni Seleucidarum, cùm mansisset annis ducentis viginti septem, aut ad summum viginti octo, vt notabitur etiam in tabulis.

REGNI SELEVCIDARVM FINIS.

Igitur

Igitur Seleucidarum Regum progenies hæc fuit:

1. Seleucus huius nominis ac regni primus.

2. Antiochus I. qui & Soter, dicti Seleuci F.

3. Antiochus II. cognomine Theos, prioris Antiochi F.

4. Seleucus II. qui dictus est Gallinicus, Theos F.

5. Seleucus III. cognomento Ceraunus, Gallinici F. maior.

6. Antiochus III. qui dictus est Magnus, Gallinici F. minor.

Sanè Antiocho Magno successit

7. Seleucus IIII. F. eius maior.

8. Antiochus IIII. qui & Epiphanes, Mag. F. minor.

9. Antiochus V. cognomine Eupator, Epiphanis F.

10. Demetrius Soter, Seleuci IIII. F. — 11. Alexander, qui ab hac familia extraneus, & falsò Eupatoris filius vel frater fuisse à multis creditur.

12. Demetrius Nicator, Demetrij Soteris F. maior. — 13. Antiochus VI. Alexandri F.

14. Tryphon, & ipse ab hac familia extraneus.

15. Antiochus VII. Demetrij Soteris F. & Nicatoris frater minor.

16. Iterùm Demetrius Nicator. — 17. Alexāder Zebina.

18. Seleucus V. Demetrij Nicatoris F. maior.

19. Antiochus VIII. cognomento Grypus, Demetrij Nicatoris F. & Seleuci V. frater minor.

20. Antiochus IX. qui & Cyzicenus, prædictorum frater vterinus; sed de Antiocho VII. Demetrius Nicatoris fratre natus.

21. Seleucus VI. Grypi F. maior.

22. Antiochus X. Cyziceni F. qui etiam Antiochum XI. Grypi F. occidit.

Hic Zebina tametsi ex Iosepho 13. Antiq. cap. 17. de familia Seleucidarum fuisse videatur: quòd tamen alicuius memoratorum Regū, aut cuius ipsorū agnati filius fuerit, adhuc reperire non potui.

Post hos regnarunt reliqui tres Grypi filij, videlicet Philippus, Demetrius Eucærus, ac demum Antiochus XII. cognomine Dionysius; ob quorum filiorumque discordias, posteà Syri (vt dictum est) vltrò se dediderunt Tigrani Armeniæ Regi.

Visum est autem hîc superfluum notare singulos horum Regum annos; tum quia licet eo quo diximus ordine regnare cœperint, non tamen singuli post prioris obitum, sed aliqui ipsorum vno eodemque tempore aliquamdiu regnarunt; tum etiam quia tam singulorum anni seorsum, quàm omnium simul, in tabulis notati inueniuntur.

Ceterùm, in hac horum Regum deſcriptione intueri licet, quàm citò impiiſſimi Antiochi Illuſtris progenies extincta ſit, iuxta ea quæ non ſemel in Pſal. 36. legimus: *Semen impiorum peribit.* &, *Reliquiæ impiorum interibunt.* & huiuſmodi alia.

PTOL. LATHVRVS MORITVR.

1. Sub finem eiuſdem anni mortuus eſt Ptolemæus Lathurus Rex Ægypti, cùm regnaſſet octo annis poſtquam reſtitutus fuerat in regnum, vt ſcribit Euſebius in Chronicis.

L. SVLLA PROSPERE RES GERIT IN ASIA.

2. Eodem anno, qui erat Vrbis ſexcenteſimus ſeptuageſimus, L. Cinna IIII. & Gn. Papirio II. Coſſ. L. Sulla, cui anno Vrbis ſexcenteſimo ſexageſimo ſexto Conſuli bellum Mithridaticum fuerat demandatum, & qui ſuperatis impedimentis ſibi à C. Mario idem bellum acriter affectante excitatis, illud tandem obtinuerat, ac propterea in Græciam traiecerat, multaſque vrbes Romanis à Mithridate priùs ablatas recuperauerat; quin etiam ipſum Mithridatem multis prælijs victum valdè fregerat: hoc inſuper anno felicioribus aliquot ſucceſſibus magis adhuc auctoritate ac potentia augeri cœpit: nam & Cinnam Conſulem bellum contra ſe parantem, à proprio exercitu interfectum accepit; & C. Flauium Fimbriam aduerſæ factionis Ducem, à proprio exercitu (qui ad ipſum Sullam ſollicitatus tranſiuit) deſertum, Pergami obſeſſum ad necem compulit; & præterea Mithridatem ipſum ad petendam pacem adegit, eumque pecunia & nauium parte mulctatum, Aſia aliiſque prouinciis, quas armis ceperat, abſcedere, & paternis, hoc eſt Ponticis finibus contentum eſſe iuſſit; vt ex Appiano, & Plutarcho, & aliis colligi poteſt.

AB ORBE CONDITO ANNVS 3971. | SEXTÆ MVNDI ÆTAT. ANNVS 525.

REGNAT IN AEGYPTO PTOLEM. AVLETES.

1 ANNO proximo circiter inchoante regnauit in Ægypto Ptolemæus, quem Euſebius in Chronicis vocat Dionyſium; Genebrardus verò meliùs Auletem, qui fuit pater Dionyſij à Cæſare in flumen merſi, & Cleopatræ, quæ (vt ſcribit Eutropius ſub finem lib. 6.) quòd cum Cæſare ſtupri conſuetudinem habuiſſet, ab eo regnum obtinuit, & poſteà nupſit Antonio.

TIGRANES REGNAT IN SYRIA.

2. Eodem tempore, Philippo & aliis qui de Seleucidarum familia remanſerant, vnanimo Syrorum conſenſu eiectis, Tigranes Armeniæ Rex vltrò à Syris accitus, *per annos decem & octo tranquilliſsimo Syriæ regno potitus eſt; neque bello alium laceſſere, neque laceſsitus inferre alij bellum neceſſe habuit. Sed ſicut ab hoſtibus tuta Syria fuit, ita poſtmodum terræmotu vaſtata eſt; quo centum ſeptuaginta hominum millia, & multæ vrbes perierunt. Quod prodigium mutationem rerum portendere aruſpices reſponderunt.* ſic Iuſtinus in calce lib. 40.

SYRIA TERRAEMOTV VASTATA.

ARETAS COELESYRIAE REX PRAELIO VICIT ALEXANDRVM IVDAEORVM REGEM.

3. Eodem anno Aretas Cœleſyriæ Rex, cuius ſub præcedenti anno mundi num. 2. meminimus, in Iudæam cum exercitu proficiſcitur; & deuicto apud Adida Alexandro, certis conditionibus reduxit ſuos vnde venerat: Ioſephus vbi ſuprà.

AB ORBE CONDITO ANNVS 3972. | SEXTÆ MVNDI ÆTAT. ANNVS 526.

ALEXANDER REX IVDAEORVM QVAEDAM SYRIAE OPPIDA CAPIT.

1 ANNO inſequente, qui erat regni ſui vigeſimus primus, Alexander Rex Iudæorum expeditionem ſuſcepit aduerſus quædam Syriæ oppida, & trium annorum intercapedine, Dium, Eſſam, vbi erant res cuiuſdam Zenonis pretioſiſſimæ, & Gaulanam, & Seleuciam cepit: quibus ſubactis, ſuam quoque redegit in poteſtatem vallem quamdam, quæ Antiochi dicebatur, & caſtellum nomine Gamala; ac Demetrium quemdam illorum locorum dominum, multis eidem obiectis criminibus, Principatu exuit: Ioſephus locis Antiquit. & de Bello proximè citatis. Vnde apparet, hæc oppida non pertinuiſſe ad Tigranem.

L. SVLLA VICTIS HOSTIBVS ET DICTATOR FACTVS CRVDELITER SE GERIT.

2. Eodem anno, qui erat Vrbis conditæ ſexcenteſimus ſeptuageſimus ſecundus, C. Mario C. Marij F. & Gn. Papirio Carbone Coſſ. L. Sulla, qui anno præcedente compoſitis Græciæ Aſiæque rebus in Italiam traiecerat, & triginta armatorum millia & ampliùs contrariæ factionis Brunduſij depoſuerat; cùm ad ipſum Q. Metellus Pius & Gn. Pompeius Strabonis F. cum parte exercitus ſe tranſtuliſſent; & his licet auctus viribus, pacem à L. Scipione & à C. Norbano illius anni Coſſ. obtinere non potuiſſet; ac propterea alterum ipſorum, nempe Norbanum, quòd Legatos qui de pace agerent miſſos violaſſet, ad Caniſium prælio viciſſet; alterius verò, hoc eſt, Scipionis exercitum

per suos milites sollicitatum ad se attraxisset; hoc demum anno post quasdam conflictationes, contra hos quoque præsentis anni Consules feliciter admodum præualuit. Et cùm Carbo in Sicilia & Marius Præneste interiissent, ipse Dictatorem se dici curauit; non quidem ad certum tempus, vt aliàs alij, sed vsquequò totam Rempubl. ordinasset ac constituisset. Et hic primus Dictatoria potestate abusus est; & pulcherrimam victoriam crudelitate, quanta in nullo homine vmquam fuit, inquinauit: nam octomillia deditorum in villa publica trucidauit; tabulam proscriptionis fecit, Vrbem & vniuersam Italiam cædibus repleuit, omnes Prænestinos inermes concídi iussit, & M. Marium Senatorij ordinis virum, cruribus brachiisque confractis, auribus præsectis, & effossis oculis, necauit. Quæ omnia ex Appiano, Plutarcho, Velleio, & aliis Historicis peti possunt.

AB ORBE CONDITO ANNVS 3974. SEXTÆ MVNDI ÆTAT. ANNVS 528.

1 ANNO regni eiusdem Alexandri vigesimo tertio, qui erat prædictæ eius expeditionis tertius, eadem feliciter confecta, exercitum domum reduxit, à Iudæis magna cum alacritate exceptus, ob res prosperè gestas. *Itaque hisce circiter temporibus iam Syrorum & Idumæorum & Phœnicum vrbes tenebant Iudæi: ad mare, Stratonis turrim, Apolloniam, Ioppen, Iamniam, Azotum, Gazam, Anthedona, Raphiam, Rhinocuram: in mediterraneis per Idumæam regionem, Adoram & Marissam, totamque Samariam, & montes Carmelum & Ithabyrium: ad hæc Scythopolim, Gadara, Gaulanitidem, Seleuciam, Gabala; & Moabiticas vrbes, Esebonem, Medabam, Lembam, Oronas, Telithonem, Zaram, Aulonem, Cilicium, Pellam. hanc vltimam diruerunt, quòd incolæ recusarent Iudaicos ritus recipere. possidebant & alia Syriæ oppida non obscura*, quæ erant euersa: Iosephus capitibus antè citatis.

DOMVM REDIENS ALACRITER A IVDAEIS EXCIPITVR. VRBES IVDAEIS SVBIECTAE.

2. Eodem anno, qui erat Vrbis sexcentesimus septuagesimus quartus, L. Sulla Dictatore, & Q. Metello Coss. credimus cum Sigonio, cœpisse bellum ciuile Sertorianum, quod ex Mariano originem habuit, à Q. Sertorio excitatum & denominatum, qui triennio antè, cùm Marianas Scipionis & Norbani partes, quibus ipse studebat, à Sulla occisas ac profligatas in Italia videret, in Hispaniam, quam iam antè prouinciam Prætor obtinuerat, profectus est; vbi à Sulla proscriptus, posteà hoc circiter anno, exercitu comparato, & multis vrbibus partim expugnatis, partim aliter in potestatem redactis, per octo subinde annos imperauit; ac sæpiùs cum Romanis, nimirùm antequam imperaret, cum Hispaniæ prouinciarum Prætoribus, qui eum (vt Sullæ gratificarentur) arcebant; deinde cum C. Annio, & posteà cum Q. Metello Proconsule à Sulla Dictatore contra ipsum Sertorium missos; ac demum etiam contra Gn. Pompeium à Senatu pari cum Metello auctoritate illuc transmisso, euentu vario dimicauit, donec tandem coniuratione facta, à suis in conuiuio occisus est, vt suo loco dicemus.

SERTORIANI BELLI INITIVM.

AB ORBE CONDITO ANNVS 3976. SEXTÆ MVNDI ÆTAT. ANNVS 530.

1 ANNO regni sui vigesimo quinto, non multò anteà iam inchoato, nimirum triennio antequam moreretur, Alexander Rex Iudæorum, morbo ex temulentia crapulaque contracto, febri laborare quartana cœpit; qua integro deinceps triennio afflictatus est valdè, decrescentibus in dies paulatim viribus, tametsi à castrensibus interim officiis non abstineret: Iosephus ibidem.

ALEXANDER REX QVARTANA CORRIPITVR.

AB ORBE CONDITO ANNVS 3978. SEXTÆ MVNDI ÆTAT. ANNVS 532.

1 ANNO regni sui (quemadmodum paulò inferiùs constabit) vigesimo septimo ad finem, vt arbitror, iam vergente, Alexander Rex, cùm obsideret Ragaba castellum in finibus Gerasenorum vltra Iordanem, & infirmitate eius admodum ingrauescente, iamque morti vicinus vidisset Alexandram Reginam valdè desolatam, ac coram se flentem; consuluit ei, vt si velit securè cum filiis regnum obtinere, suis hisce postremis pareat monitis: nimirum, Primùm, celet militibus tantisper suam mortem, donec castellum illud ceperit. Deinde, cùm victrix Ierosolymam magnificè

MONITIS VXORI DATIS MORITVR.

gnificè redierit, Pharisæis, qui plurimum apud Iudæos poterant, nonnihil licentiæ permittat; & in cadauer suum, si velint, propter antiquas iniurias sæuire sinat, atque ex ipsorum sententia regnum se administraturam promittat. ita enim, inquit, fiet, vt & tu securè domineris, & mihi magnificentior quàm à te sepultura parabitur. Quibus dictis, decessit anno regni sui vigesimo septimo, vitæ verò vndequinquagesimo: hæc ex Iosepho vbi suprà.

AB ORBE CONDITO ANNVS 3979. SEXTÆ MVNDI ÆTAT. ANNVS 533.

ALEXANDRA ALEXANDRI VXOR REGNAT IN IVDAEA.

1 Anno proximo circiter inchoante, Alexandra Alexandri Regis vxor defuncti viri monitis ad vnguem obseruatis, vt primùm capto castello Ierosolymam se contulit, ita cum Pharisæis se gessit, vt eos ex infensis, sibi protinus admodum beneuolos reddiderit: etenim progressi, prædicabant plebi celebrantes Alexandri res gestas; & Regem iustum se amisisse conquerentes, populum ad eum luctum ac mœstitiam prouocauerunt, vt nullum ante hac Regem sumptuosiùs funerauerint. His itaque artibus ipsa, prout ei præcisè vir eius prædixerat, sine vlla contradictione se in regno stabiliuit. Habebat autem duos de Alexandro filios, Hircanum & Aristobulum. Hircanus natu maior, rebus administrandis minùs idoneus videbatur; Aristobolus autem ætate quidem minor, sed animi audax erat ac strenuus. Mater verò, cui administrationem regni vir eius testamento reliquerat, gratiosa erat apud populum, eò quòd visa sit ægrè tulisse, quæ maritus præter officium fecerat. Hæc magnum mercede conductorum militum alebat numerum, viresque suas ita augebat, vt terrori esset circumuicinis Tyrannis, & obsides ab eis acciperet. Quamquam autem illa quietam ditionem suam seruare satageret; nihilominùs Pharisæi, de quorum sententia, Reginæ permissu, gerebantur omnia, soli turbas excitabant, incitantes Reginam vt necaret illos, qui Alexandro auctores fuerant appendendi patibulis illos octingentos viros, de quibus sub anno mundi 3969. num. 1. dictum est: atque ita vnum post alium iugulabant, donec Proceres id indignè ferentes, & cum Aristobulo in Regiam conuenientes, de hac mente Reginam deducere conati sunt. Quæ vt has & eiusmodi dissensiones sedaret, prædictis Proceribus castellorum custodiam (quibusdam potioribus dumtaxat exceptis) credidit, & Aristobulum cum exercitu aduersum Ptolemæum Mennæum prope Damascum misit; qui tamen nulla re memorabili gesta domum rediit: Iosephus 13. Antiq. cap. vlt. & lib. 1. de Bello cap. 4.

HIRCANVS POST PATREM FIT SVMMVS PONTIFEX.

2. Eodem anno credimus Hircanum Alexandri Iannæi filium ipso iure successisse patri in Pontificatum, vt Iosephus haud obscurè insinuat 13. Antiq. cap. vlt. non procul ab initio, & apertiùs tradit 15. Antiq. cap. 9. dicens: *Hic finis fuit Hircani, post variam fortunam qua tota vita circumactus est. Nam statim principio, regnante matre Alexandra, Pontifex Iudæorum creatus, per nouem annos eum honorem obtinuit,* &c. Quare ne cogamur fateri Iosephum sibi ipsi esse contrarium, qui 14. Antiquit. cap. 1. ait, prædictum Hircanum accepisse Pontificatum anno tertio Olympiadis centesimæ septuagesimæ septimæ, Q. Hortensio & Q. Metello Cretico Coss. qui annus nullo modo competere potest primo regni Alexandræ: oportet dicere, vel quòd dictus Hircanus, licet ab exordio regni materni Pontifex fuerit, numquam tamē ante prædictum memoratæ Olympiadis annum, stola Pontificia indutus publicè in templo visus sit; quemadmodum sub anno mundi 3902. num. 2. de Ionatha quoque dictum est: vel (quod ferè in idem incidit) eumdem Hircanum statim post obitum patris, electum ac designatum fuisse summum Pontificem, sed actualem dictæ dignitatis possessionem posteà non nisi prænotato Olympiadis anno accepisse, vt nos etiam sub anno mundi 3984. num. 2. dicemus.

AB ORBE CONDITO ANNVS 3982. SEXTÆ MVNDI ÆTAT. ANNVS 536.

HERODES ASCALONITA NASCITVR.

1 Anno Olympiadis centesimæ septuagesimæ septimæ primo, qui erat regni Alexandræ quartus, vt videre est in tabulis, quattuor circiter mensibus ante exitum anni Olympici, natum esse Herodem Ascalonitam, qui posteà à Romanis Rex Iudæorum factus est, ex Iosepho apertissimè sic colligi potest: siquidem ipse 1. de Bello cap. 21. in ipso capitis exordio ait, quòd Herodes, quando grauiter ægrotabat,

bat, iam annos septuaginta erat natus. Nec refert, quòd 17. Antiq. cap. 8. non longè ab initio, vbi de eadem Herodis infirmitate loquitur, dicat, quòd ad septuagesimum vitæ annum accedebat: quia vtrumque verum esse potest, si tempus illius infirmitatis, quam aliquamdiu perdurasse certum est, distinguatur. Igitur, cùm ex Iosepho constet, Herodem iam ingressum esse annum vitæ septuagesimum antequam moreretur; & ex eodem Auctore 17. Antiq. cap. 10. habeamus, quòd idem Herodes regnauit triginta septem annis ex quo Romæ declaratus fuerat Rex; & iisdem pænè verbis idem priùs dixerat libro 1. de Bello, cap. vltimo, non multò ante finem capitis; proculdubiò necesse est fateri, quòd iam annum ætatis trigesimum tertium esset ingressus, quando Regis titulum obtinuit: his enim si addantur anni triginta septem, quibus posteà regnasse dicitur; fient in summa anni totius vitæ eius septuaginta inchoati. Porrò ipsum Romæ hanc dignitatem fuisse consecutum sub finem anni primi Olympiadis centesimæ octogesimæ quintæ, infrà nos sub anno mundi 4014. num. 5. vsque ad 9. demonstrabimus. Ergo oportet, vt dixi, ponere natiuitatem Herodis sub finem anni primi Olympiadis centesimæ septuagesimæ septimæ; ab hoc enim tempore ad paulò antè memoratum, inueniuntur anni triginta duo integri, & aliquid ampliùs, nimirum præter quattuor circiter menses anni primi dictæ Olympiadis, reliqui tres anni eiusdem Olympiadis, & septem integræ Olympiades sequentes vsque ad Olympiadem 185. exclusiuè, quæ continent annos 28. & insuper annus primus Olympiadis 185. qui omnes faciunt prædictam summam annorum 32. & aliquot mensium, vt etiam in tabulis nostris diligentiùs disquirenti constare poterit. Hæc volui hoc loco adnotasse, non quia ad Sacros Annales Herodis ortus necessariò pertinuisse videatur; sed quoniam ad ea quæ infrà de eius obitu, & de anno ortus Christi dicenda sunt, non mediocriter deseruire poterunt.

3
28
1
32

AB ORBE CONDITO ANNVS 3983. SEXTÆ MVNDI ÆTAT. ANNVS 537.

1 Anno regni Alexandræ Iudæorum Reginæ quinto oportet incidisse annum Iubilei vigesimi octaui: concurrit enim iste annus cum anno ab introitu Israelitarum in terrã Chanaan millesimo quadringentesimo, vt patet in tabulis. ANNVS IVBILEI 28.

2. Eodem anno, qui erat Vrbis sexcentesimus octogesimus tertius, Gn. Aufidio & P. Lentulo Coss. oportet expletum fuisse bellum Sertorianum. Nam licet biennio antè, videlicet M. Terentio & C. Cassio Coss. ipse Sertorius à suismet Ducibus M. Antonio & M. Perperna, & aliis coniuratis in conuiuio interfectus fuerit; tamen eidem Sertorio in Principatum successerat eius interfector M. Perperna, qui posteà anno insequente à Gn. Pompeio necatus fuit, L. Gellio & Gn. Lentulo Coss. & demum hoc anno, nimirum decimo ferè quàm cœptum fuerat illud bellum, idem Pompeius illo confecto recepit Hispanias, vt colligi potest ex L. Flori Epitoma 96. SERTORIANI BELLI FINIS.

AB ORBE CONDITO ANNVS 3984. SEXTÆ MVNDI ÆTAT. ANNVS 538.

1 Anno regni Alexandræ Iudæorum Reginæ sexto; vt ex paulò pòst dicendis apparebit, Tigranes Armeniæ Rex, qui à Syris vocatus, vt sub anno mundi 3971. num. 2. dictum est, Syriæ regnum obtinuerat, Ptolemaidam oppugnare aggressus est. Cùm autem eum breui in Iudæam quoque venturum vbique fama loqueretur, non immeritò Alexandra totaque gens Iudæorum tali rumore territi, miserunt ad eum Legatos cum magni pretij muneribus; quos Tigranes benignè exceptos, iussit de ipso bona sperare, & collaudatos remisit. Capta autem deinde sub finem, vt arbitror, illius anni Ptolemaide, Tigranes, cùm non multò pòst audisset Lucullum Armeniam ingressum vastare regionem suam, illicò domum reuersus est; atque ita Iudæi ab eius metu liberati sunt: Iosephus 13. Antiq. cap. vlt. & lib. 1. de Bello cap. 4. Ex hoc autem, quòd iste ingressus Luculli in Armeniam, & discessio Tigranis de Syria, contigerint anno postero, quemadmodum consequenter ostendemus; planè infertur, prædictam Ptolemaidis oppugnationem & Iudæorum legationem hoc anno, vt dictum est, accidisse. TIGRANES PTOLEMAIDAM OPPVGNAT. ALEXANDRA REGINA TIGRANEM MVNERIBVS SIBI CONCILIAT. TIGRANES PTOLEMAIDE CAPTA REDIT IN ARMENIAM CONTRA LVCVLLVM.

AB ORBE CONDITO ANNVS 3985. SEXTÆ MVNDI ÆTAT. ANNVS 539.

1 ANNO insequente, nimirum Q. Hortensio & Q. Metello Cretico Coss. quorum Consulatus secundùm Iosephi supputationem (vt patet 14. Antiq. cap. 1. non procul ab initio) incidit anno Olympiadis centesimæ septuagesimæ septimæ tertio; iuxta Onuphrij verò computum & nostrum (quemadmodum sub anno mundi 4014. num. 5. ostendemus) anno eiusdem Olympiadis quarto: hoc inquam anno bellasse Lucullum in Armenia cum Mithridate & Tigrane, tradit ex Dione Sigonius in suo Fastorum Commentario, sub anno Vrbis sexcentesimo octogesimo quarto.

LVCVLLVS BELLAT IN ARMENIA.

2. Eodem anno, Hircanum Alexandræ Reginæ filium natu maiorem, summum apud Iudæos accepisse Pontificatum, scribit Iosephus initio lib. 14. Antiq. cuius dictū non de Hircani electione ad hanc dignitatem; sed vel de sollemni eius in Pontificem vnctione; vel meliùs, de actuali eiusdem officij accepta possessione intelligi debere, iam nos sub anno mundi 3979. num. 2. probauimus: fieri enim potest, vt rationabili aliqua de causa, post obitum patris, Sacerdotium ipse administrare hactenus distulerit, substituto interim aliquo alio, qui vice sua illud exerceret; nunc autem ad reddendas Deo debitas gratiarum actiones, quòd Iudææ regnum de metu Tigranis liberasset, voluisse ipsummet publicè Pontificali stola indutum, in templo sacra facere. Credimus autem Iosephum loco proximè citato hallucinari, in eo quod ibidem subiungit, Aristobulum statim intulisse bellum ipsi Hircano. Etenim quòd ex tunc Aristobulus, præsertim vt vidit fratrem in publica illa actione ab omnibus glorificari & commendari, æmulatione quadam iuuenili motus, deliberare cœperit de bello fratri inferendo, vt ipse, licet natu minor, sibi regnum occuparet; id non inficior: sed quòd reverà tunc bellum intulerit fratri, hoc non probo, præsertim cùm ex ipsomet Iosepho capite præcedenti constet, Aristobulum non nisi post obitum matris bellum gessisse cum fratre. Nisi fortè Iosephus, vt videtur, supponat hoc anno iam decessisse Reginam; eius namque mortem describit in calce prioris libri. Sed si hoc est, vtique oportet ipsum valdè in chronologia deliquisse: siquidem iste annus nullo modo post dictæ Reginæ obitum incidere potuit; concurrit enim cum anno regni eius septimo, vt patet in tabulis. Præterea, quid opus fuisset Hircano iterùm post defunctam matrem suscipere Pontificatum, quem ipsomet Iosepho teste (vt sub anno mundi proximè citato probatum est) ab initio regni materni iam susceperat, & numquam deposuerat? Igitur de bello inter dictos fratres suo loco, nimirum post Alexandræ obitum, agendum erit.

HIRCANVS PONTIFICATVM EXERCERE COEPIT.

IOSEPHVS REFELLITVR.

AB ORBE CONDITO ANNVS 3987. SEXTÆ MVNDI ÆTAT. ANNVS 541.

☞ 1 ANNO regni eius nono ad finem appropinquante, cùm Alexandra Iudæorum Regina in morbum difficilem incidisset, visum est Aristobulo iam opportunum aduenisse tempus aggrediendi negotium, quod iam diu anteà decreuerat, ac iugiter animo volutabat. Itaque egressus ab vrbe, cœpit occupare castella; quod audiens Regina, vxorem ac filios ipsius Aristobuli in castello quod anteà Baris, posteà verò Antonia dictum est, & à Septemtrione templo adiacebat, custodiendos tradidit. Cùm autem nuntiatum esset, Aristobulum intra quindecim dies, viginti duo castella occupasse; & magno hominum ad se accedente confluxu, exercitum colligere, non ex Iudæis tantùm, sed etiam ex finitimis populis: & Hircanus simul cum Iudæorum senioribus pro instanti periculo Reginam ægrotantem consuluissent, illa iussit eos facere quod Reipub. conducere iudicarent; & non multò pòst mortua est, exacto anno regni nono, vitæ autem septuagesimo tertio, & relicto herede omnium Hircano, cui etiam regnum viuens commiserat: Iosephus 13. Antiq. cap. vlt. & 1. de Bello cap. 4.

CASTELLVM ANTONIA COGNOMINATVM, PRIVS BARIS DICEBATVR.

ALEXANDRA REGINA MORITVR.

2. Eodem anno, qui erat Vrbis sexcentesimus octogesimus septimus, C. Calpurnio Pisone & M'. Acilio Glabrione Coss. A. Gabinius Tribunus Plebis Legem ad populum tulit, qua imperium Gn. Pompeio extra ordinem aduersus piratas cum Legatis quindecim tradidit; ita vt maria, insulas, oras maritimas, classes Populi Romani quotquot essent, in potestate haberet: Dio, Plutarchus, Appianus, Epitome. Sanè hoc bellum Pompeius prosperè ac celeriter gessit: nam (vt testatur Cicero pro Lege Manilia,

PIRATICVM BELLVM A GN. POMPEIO GESTVM.

lia) illud *extrema hieme apparauit, ineunte vere suscepit, media æstate confecit. Et* (vt habetur in Epitoma 99.) *intra quadragesimum diem piratas omnes, qui commercium annonæ interclusferant, toto mari expulit.* & (vt alij dicunt) vndequinquagesimo die ex quo à Brundusio soluerat, omnes qui vbique prædones fuerunt, partim cepit interfecitque, partim in deditionem accepit; & bello cum iis in Cilicia confecto, totam illam prouinciam Populo Rom. adiunxit.

AB ORBE CONDITO ANNVS 3988. — SEXTÆ MVNDI ÆTAT. ANNVS 542.

1 ANNO proximo oportet Hircanum quoque consulentibus Iudæorum senioribus, tamquam legitimum Regē matrisque successorem, coacto exercitu exisse aduersus fratrem sibi regnum vindicare molientem; nam (vt ait Iosephus loco paulò pòst citando) commisso ad Ierichuntem prælio, plerique Hircano relicto transierunt ad Aristobulum. Hircanus autem cum reliquis fugatus, sese recepit Ierosolymis in prædictum castellum, in quo tenebantur liberi & vxor ipsius Aristobuli. Cœptum est deinde agi inter fratres de pacis conditionibus, in quibus obtinuit Aristobulus vt regnaret; Hircanus verò, quasi frater Regis, aliis honoribus contentus, facultatibus quæ illi obuenerant, frueretur. Hoc fœdus ictum est in ipso templo; & data acceptaque fide, iunctisque dextris, post mutuos complexus in conspectu populi factos digressi sunt, alter in Regiam, alter priuatus in ædes Aristobuli: Iosephus 14. Antiq. cap. 1. & lib. 1. de Bello cap. 4. Contigit autem hoc tribus elapsis mensibus, ex quo successerat Hircanus Alexandræ matri in regnum, vt tradit idem Iosephus 15. Antiq. c. 9. Igitur hoc eodem anno regnare cœpit Aristobulus Alexandri Iannæi filius in Iudæa, fuitque pariter & Rex & Pontifex Iudæorum, vt ex dicendis sub anno mundi 3998. num. 2. patebit, & expresse etiam tradit Iosephus 20. Antiq. cap. 8. non procul à fine.

HIRCANVS AB ARISTOBVLO FRATRE VICTVS FVGATVR. ARISTOBVLVS REGNAT IN IVDAEA.

2. Eodem anno Antipater, Herodis Ascalonitæ pater, vir valdè diues, & natura factiosus ac strenuus, timens Aristobuli potentiam, clancularíis obtrectationibus effecit, vt contra illum potentiores Iudæorum conspirarent; iniquum esse dictitans, finere Aristobulum incubare vsurpato per iniuriam imperio, ex quo eiecisset fratrem natu maiorem, eumque ætatis prærogatiua spoliasset. & eisdem pænè verbis etiam Hircanum assiduè obtundebat. Sed vt aduertit quòd ille, tamquam natura bonus, eiusmodi sermonibus credere nollet, neque calumnias libenter admitteret; addebat ne vitam quidem illi esse in tuto, nisi matura fuga saluti suæ prospiceret: amicos enim Aristobuli numquam non consultare, quomodo eo sublato dominationem alteri constabiliant. Cùm autem videret Antipater Hircanum nihil moueri suis monitis, non destitit tamen quotidie nouas de fratre criminationes fingere, quasi insidiaretur vitæ illius: atque ita tandem vrgendo ægrè obtinuit vt secum ad Aretam Regem Arabum confugeret, agerentque cum illo, vt eum in Iudææ regnum restitueret: Iosephus 14. Antiq. cap. 2. & breuiter lib. 1. de Bello cap. 5. Ex quibus apparet, hanc Hircani fugam non nisi prope finem huius anni contingere potuisse.

ANTIPATER HIRCANVM SOLLICITAT, ET TANDEM AD ARETAM REGEM ARABVM PERDVCIT.

3. Eodem circiter tempore, Tigrano Armeniorum Rege à Lucullo deuicto, Antiochus Cyziceni filius ab eodem Lucullo Syriæ Rex appellatur. *Sed quod Lucullus dederat, posteà Pompeius ademit; qui poscenti regnum respondit, ne volenti quidem Syriæ, nedum recusanti, daturum se Regem, qui decem & octo annos quibus Tigranes Syriam tenuit, in angulo Ciliciæ latuerit; victo autem eodem Tigrane à Romanis, alieni operis præmia postulet. Igitur vt habenti regnum non ademerit, ita quo cesserit Tigrani, non daturum quod tueri nesciat, ne rursus Syriam Iudæorum & Arabum latrociniis infestam reddat. Atque ita Syriam in prouinciæ formam redegit.* sic Iustinus in calce libri 40. Sed hîc aduertendum est, quòd præfatus Antiochus, quem Lucullus declarauerat Regem Syriæ, & Pompeius regno priuauit, non fuit Cyziceni filius, vt scribit Iustinus; sed nepos, quemadmodum affirmat Appianus in calce libri de Bellis Syriacis, vbi etiam addit, eumdem Antiochum, quòd educatus esset in Asia; Asiatici cognomen fuisse sortitum. Et ad dictum Iustini refutandum, sententiamque Appiani confirmandam, facit, quòd Antiochus Pius Cyziceni filius, iam ante annos viginti mortuus erat, vt nos sub anno mundi 3968. num. 2. probauimus. Fuit ergo iste Antiochus huius nominis XIII. & postremus.

ANTIOCHVS XIII. A LVCVLLO SYRIAE REX APPELLATVR, SED A SVCCESSORE POMPEIO NON ADMITTITVR. SYRIA A POMPEIO IN PROVINCIAE FORMAM REDIGITVR. QVIS FVERIT PRAEFATVS ANTIOCHVS.

4. Ceterùm, quòd hoc anno, qui iuxta nostrum computum concurrit cum anno Vrbis conditæ sexcentesimo octogesimo octauo, vt patet in tabulis; secundùm verò

Sigonij supputationem (quæ nostram ferè semper vno anno antecedit) cum anno Vrbis sexcentesimo octogesimo septimo; quòd inquam hoc anno, in quo constat bellum Mithridaticum Pompeio fuisse demandatum, Lucullus adhuc esset in Armeniæ partibus, iamque deuicisset Tigranem, patere potest accuratè legenti quæ ex Plutarcho, Dione, Cicerone, Pædiano, & Appiano, tradit in suo Fastorum Commentario Sigonius sub eodem Vrbis anno: siquidem ibi agens de Bello Mithridatico Gn. Pompeij, inter alia refert, Legem à C. Manilio Trib. Pleb. promulgatam, qua Gn. Pompeio copiæ, quæ sub Lucullo meruerant, & bellum contra Mithridatem & Tigranem Reges committebantur, ab Optimatibus vel ea etiam de causa fuisse oppugnatam, quòd Pompeius ad Luculli triumphum proficisci videretur: iam enim Populus Romanus Legatos ad prouinciam constituendam ex Luculli litteris, quasi debellatum esset, paulò antè miserat. Et ibidem paulò pòst narrat, quòd Pompeio ad hoc bellum proficiscenti Lucullus in Galatia occurrens, vt recederet, quòd bellum confectum esse, atque Legatos constituendæ prouinciæ causa iam diu expectari diceret, non persuasit.

LVCVLLVM ADHVC IN ARMENIAE PARTIBVS EXTITISSE PROBATVR.

AB ORBE CONDITO ANNVS 3989. SEXTÆ MVNDI ÆTAT. ANNVS 543.

I ANNO, vt credibile est, proximo, Aretas Arabum Rex assidua Antipatri instantia, multisque muneribus, necnon magnis quoque Hircani promissis permotus, expeditionem denique suscepit contra Aristobulum; quem deinde prælio victum, & Ierosolymam fugatum, in templo obsidere cœpit; ac tandem cepisset, nisi Scaurus Romanorum Dux superueniens, vt paulò pòst dicemus, obsidionem soluisset. Is à Pompeio, qui in Armenia distentus erat bello quod gerebat contra Tigranem, paulò antè in Syriam missus, vbi Damascum venit recèns à Metello & Lollio captam, cognitoque in Iudæa quid ageretur, continuato itinere illuc veluti ad quæstum cucurrit; moxque vt fines ingressus est Iudæorum, eidem Legati facti sunt obuiam, tam ab Hircano quàm ab Aristobulo missi, vtrique petentes societatem & auxilium, & pollicentes trecenta siue quadringenta argenti talenta. Sed Scaurus Aristobuli promissa prætulit, quòd ea faciliùs consequi posse videret. Itaque accepta ab eo pecunia, Legatos ad Hircanum Arabesque misit, Romanorum eis ac Pompeij nomen intentans, nisi ab obsidione desisterent: quamobrem Aretas metu perculsus, de Iudæa in Philadelphiam recedit; & Scaurus in Damascum rediit. Aristobulus verò quòd captus non esset, satis sibi esse non existimans, collectis omnibus quas haberet copiis, confestim hostes persequitur; & circa locum, quem Papyrona vocabant; commisso prælio, suprà sex eorum millia cædit; in quibus erat & Cephalon Antipatri frater: Iosephus 14. Antiq. cap. 3. & 4. & lib. 1. de Bello cap. 5.

ARETAS ARABVM REX ARISTOBVLVM PRAELIO VICTVM OBSIDET IN TEMPLO.

METV ROMANORVM OBSIDIONEM SOLVIT.

ARISTOBVLVS HOSTES CAEDIT.

AB ORBE CONDITO ANNVS 3990. SEXTÆ MVNDI ÆTAT. ANNVS 544.

I ANNO, vt arbitror, insequente cùm venisset Pompeius Damascum, & obiret Cœlesyriam, præstò fuerunt ei ex vniuersa Syria & Ægypto atq; Iudæa Legati cum amplissimis muneribus, ac deinde Antipater pro Hircano & Nicodemus pro Aristobulo causam dicentes; quorũ alter, nempe Nicodemus, insuper etiam accusabat eos ex Romanis, qui pecuniam à Iudæis acceperant, Gabinium videlicet & Scaurum. Sed Pompeius dilata eiusmodi querelarum decisione, donec ipsosmet disceptatores audire posset; interim aliquot in agro Damasceno castella diruit, & alia quædam ibidem egit ordinauitque ad regionem illam sub ditione Romanorum faciliùs retinendam opportuna. Mox Damascum reuersus, Hircanum & Aristobulum inter se disceptantes, & Iudæos ab vtroque diffidentes, ac sub Regibus esse detrectantes, audiuit, & improbata Aristobuli violentia, placidè dimisit eos, pollicitus, quamprimùm res Nabathæorum inspexisset, in eorum ditionem se venturum; interim & eosdẽ quietos esse imperans, & Aristobulum comiter habens, ne alienatus, ei transitus intercluderet: sed is, non expectatis Pompeij promissis, in Iudæam se contulit. Quamobrem offensus Pompeius, assumpto exercitu quem in Nabathæos parauerat, & excitis à Damasco ceteraque Syria copiis auxiliariis, aliisque Romanis legionibus quæ ductũ eius sequebantur, contra Aristobulum mouit: quem cùm intellexisset in arcem, Alexandrium nuncupatam, refugisse, ad se per nuntios accersiuit; ille verò, multis suadentibus

DISCEPTANT HIRCANVS ET ARISTOBVLVS DE REGNO CORAM POMPEIO.

POMPEIVS DVCIT COPIAS CONTRA ARISTOBVLVM.

bus vt à Romanis bellum caueret, descendit; & cùm de iure Principatus cum fratre disceptasset, rursum permissu Pompeij in arcem se recepit: quod cùm iterùm & tertiò fecisset, simul spe regni Pompeio obsecundans, & omnia eius imperata se facturum simulabat, & nihilominùs ad arcem rediens se muniebat, ac bellicos apparatus facere non cessabat. Iubente autem Pompeio vt sibi castella traderet, paruit quidem; sed id ægrè ferens, Ierosolymam se recipit, & se ad bellum parat. quò vbi Pompeius cum exercitu peruenit, Aristobulus antè actorum pœnitens, obuiàm ei venit oblatis pecuniis, rogansque vt quidquid velit, pacatè agat. At ille data petenti venia, mittit Gabinium cum militibus in vrbem ad accipiendam pecuniam; qui ab Aristobuli militibus exclusus, re infecta rediit. Ea res Pompeio vehementer stomachum mouit, & additis Aristobulo custodibus, ipse ad vrbem vadit; in qua dissidium erat non leue inter Aristobuli factionem, quæ excludendum Pompeium & cum eo bellandum iubebat, eò quòd Aristobulum haberet in vinculis; & reliquos qui vrbem Pompeio dedendam censebant. Et primi quidem præuenientes, templum occupant, quòd magis erat munitum; & præciso ponte qui ad vrbem ducebat, se ad bellum expediunt: alij autem introducto Pompeij exercitu, eidem vrbem Regiamque tradunt; qui fautoribus Aristobuli primùm pacis conditiones obtulit; sed his non admissis, templi oppugnationem aggreditur, Hircano alacriter suppeditante quidquid vsus posceret: Iosephus 14. Antiq. cap. 5. 6. 7. & 8. & lib. 1. de Bello cap. 5. OBSIDET ARISTOBVLI FACTIONEM IN TEMPLO.

2. Per hæc circiter tempora, secundùm ea quæ sub anno mundi 3911. num. 3. dicta sunt, probabile est, Barpantherem anno circiter ætatis suæ quadragesimo genuisse Ioachimum, qui posteà fuit pater beatissimæ Virginis Mariæ. BARPANTHER GENVIT IOACHIMVM.

AB ORBE CONDITO ANNVS 3991. — SEXTÆ MVNDI ÆTAT. ANNVS 545.

1 ANNO secũdo Olympiadis centesimę septuagesimæ nonę, C. Antonio & M. Tullio Cicerone Coss. qui erat annus Vrbis, iuxta Tabularum Capitolinarum & Sigonij computum sexcentesimus nonagesimus, iuxta verò Varronis & Panuinij quam sequimur supputationem, sexcentesimus nonagesimus primus, vt patet in tabulis; oportet natum esse Octauianum, qui posteà Romanorum Imperator factus, Cæsar Augustus dictus est; quemadmodum ex Pædiano & Tranquillo tradit Onuphrius in Commentariis Fastorum sub anno Vrbis proximè notato: & ex his quæ nos sub anno mundi 4066. num. 1. dicemus, liquidò inferri potest, & in tabulis supputari. OCTAVIANI AVGVSTI ORTVS.

2. Eodem anno, currente nimirum tertio obsidionis mense, qui pariter erat anni sacri tertius, quemadmodum ex his quæ sub anno mundi 4018. num. 3. dicentur, palàm fiet; Pompeius capto templo cum suis in illud ingressus, inspexit quæ nefas erat videre nisi solis Pontificibus. Ceterùm, de his quæ intus erant, & de sacræ pecuniæ thesauris, præ pietate nihil attigit; quod etiam refert Cicero in Oratione pro Flacco circa medium. Sequenti verò die, iussis purgare templum æditius, & instauratis legitimis sacrificiis sollemnia sacra celebrare, ipse Pontificatum Hircano reddidit: belli concitatores securi percussit: iis qui primi murum conscenderant, digna præmia retribuit: Ierosolymorum mœnia diruit; & Iudæam populo Romano stipendiariam fecit: vrbes verò quas Iudæi in Cœlesyria sibi subiugauerant, illis ademptas, iussit proprio parêre Præsidi: demum Cœlesyria, ab Ægypti terminis vsque ad Euphraten amnem, donec Romæ aliud à Senatu statueretur, M. Æmilio Scauro, quem in bello pro Quæstore habuerat, tradita, ipse cum duabus Romanis Legionibus in Ciliciam abiit, Romam properans, secumque abducens Aristobulum vinctum, cum duabus filiabus eius & totidem filiis, quorum Alexander in itinere aufugit; iunior verò Antigonus cum suis Romam deportatus est: Iosephus 14. Antiq. cap. 8. & lib. 1. de Bello cap. 5. Oportet autem hæc acta fuisse post primam medietatem anni quarti ex quo regnare cœperat Aristobulus, vt ex sub anno mundi 3998. num. 2. dicendis inferri potest; & consequenter, prope finem anni quarti ab obitu Alexandræ Reginæ eiusdem Aristobuli matre. POMPEIVS CONTRA FAS TEMPLVM INGREDITVR. SACRAM PECVNIAM NON ATTIGIT. PONTIFICATVM HIRCANO REDDIT. IVDAEAM POP. ROM. STIPENDIARIAM FACIT. ROMAM PROPERAT, ARISTOBVLVM EIVSQVE FILIOS CAPTIVOS DVCENS, QVORVM ALEXANDER IN ITINERE AVFVGIT.

3. Eodem anno & iisdem Coss. Mithridates Pontifex, qui iam per annos propè duos & triginta cum Romanis bellum gesserat, & à Sulla primùm, dein à L. Murena & à Lucullo valdè attritus fuerat, ac demum à Gn. Pompeio in Bosphorum fugatus (hi enim omnes de ipso triumphasse dicuntur) cùm transitum in Italiam moliens, filios aliquot & propinquos suspectæ fidei ibidem interfecisset, Pharnaces eius filius terrore compulsus, cùm se à Romanis regnum consecuturum speraret, patri insidias machinatus MITHRIDATICI BELLI FINIS.

chinatus est; quibus patefactis, ipse ope eorum quos pater ad se capiendum miserat, bellum intulit patri; ac Regia occupata, vt sibi veneno mortem inferret, adegit. Qui cùm veneno sumpto parum proficeret ad mortem, à milite Gallo nomine Bitoëto, à quo vt se adiuuaret petierat, interfectus est. Pharnaces autem filius eius se Pompeij potestati permisit. Et ita tandem hoc anno bellum Mithridaticum finem accepit, quemadmodum ex Dione, Plutarcho, Appiano, & aliis refert Sigonius in suo Fastorum Commentario.

AB ORBE CONDITO ANNVS 3992. — SEXTÆ MVNDI ÆTAT. ANNVS 546.

SCAVRVS VASTAT ARABIAM.

1 ANNO, vt arbitror, proximo, Scaurus in Arabiam ingressus, ad Petram quidem, regionum asperitate prohibebatur accedere; quæ autem circum erant, omnia vastabat; militibus verò suis fame laborantibus, Antipater iussu Hircani frumentum ex Iudæa, & alia eis necessaria suppeditabat. Missus deinde à Scauro Antipater ad Aretam Arabum Regem Legatus, eò quòd hospes eius esset & familiaris, persuasit illi trecenta argenti talenta dare Scauro vt abscederet; atque his conditionibus hoc bellum finitum est, non minùs è Scauri quàm ex Aretæ sententia: Iosephus 14. Antiq. cap. 9. & lib. 1. de Bello c. 6. Puto autem hoc bellum contra hos Arabes, quos Iosephus 14. Antiq. cap. 4. vocat Nabathæos, à Scauro fuisse susceptum iussu Pompeij; qui, vt idem Auctor eodem libro cap. 6. tradit, contra eosdem Nabathæos iam parauerat exercitum, quando Aristobuli & Hircani dissidio motus, eum duxit in Iudæam: & quoniam ea subacta voluit Romam proficisci, probabile est, eum reliquisse in mandatis Scauro, cui Syriam commiserat, vt opportuno tempore aduersus Arabas bellum gereret, quod ipse aliis rebus distentus suscipere non potuerat.

PER ANTIPATRVM CVM ARABVM REGE PACEM COMPONIT.

DE CONIVRATIONE CATILINAE.

2. Eodem anno, qui erat Vrbis sexcentesimus nonagesimus secundus, D. Iunio Silano & L. Licinio Murena Coss. Romæ coniuratio L. Sergij Catilinæ, quæ quadriennio antè cum Gn. Pisone facta fuerat, & posteà anno ei de quo nunc agimus proximè antecedente, cum P. Lentulo & C. Cethego Prætoribus, atque aliis multis de cæde Consulum & Senatus, incendiis Vrbis, & opprimenda Repub. confirmata & detecta, & Ciceronis tunc Consulis consilio impedita & disturbata, hoc demum anno extincta omnino est per obitum ipsius Catilinæ, qui in bello contra C. Antonium fortiter dimicans occisus est; vt ex Dione, Sallustio, Plutarcho, & Valerio Maximo lib. 2. cap. 8. cui titulus est De iure triumphandi, & Cicerone pro Sextio refert Sigonius in suo Fastorum Commentario.

AB ORBE CONDITO ANNVS 3995. — SEXTÆ MVNDI ÆTAT. ANNVS 550.

ALEXANDER ARISTOBVLI FILIVS IVDAEAM DEPOPVLATVR.

1 ANNO Olympiadis centesimæ octogesimæ tertio, vt arbitror, Alexander Aristobuli Regis filius, qui dum Romam captiuus à Pompeio duceretur aufugerat, collecta magna militum manu Iudæam multis incursionibus depopulari cœpit admodumque vastare, & in his perseuerans, tandem sub finem huius anni vsqueadeò res excreuit, vt Hircanus iam ampliùs ei resistere non valeret, ac propterea, vt se vrbemque ab illo muniret, de reficiendis Ierosolymorum muris, quos Pompeius disiecerat, cogitaret, nisi anno proximo, vt dicemus, superuenisset A. Gabinius: Iosephus 14. Antiq. cap. 10. & lib. 1. de Bello cap. 6.

GESTA CAESARIS IN GALLIA.

2. Eodem anno, qui erat Vrbis sexcentesimus nonagesimus sextus, Caius Iulius Cæsar Consul factus, bellum suscepit in Galliam Transalpinam; & primò vicit Heluetios, qui nunc Sequani dicuntur: deinde vincendo per bella grauissima, vsque ad Oceanum Britannicum accessit. Domuit autem annis ferè nouem omnem Galliam quæ inter Alpes, flumen Rhodanum, Rhenum, & Oceanum est, & circuitu patet ad bis tricies centena millia passuum. Britannis mox bellum intulit, quibus ante eum ne nomen quidem Romanorum cognitum erat: & eos quoque victos, obsidibus acceptis, stipendiarios fecit. Galliæ autem tributi nomine annuum imperauit sestertiûm quadringenties. Germanosque trans Rhenum aggressus, immanissimis prœliis vicit. Inter tot successus ter male pugnauit: apud Aruernos semel præsens, & absens in Germania bis. nam Legati eius duo, Titurius & Arunculeus per insidias cæsi sunt. sic Eutropius lib. 6. Cuius codex corrigendus est, vt pro *anno Vrbis sexcentesimo nonagesimo octauo,*

IN BRITANNIA.

IN GERMANIA.

dicat

dicat, *anno Vrbis sexcentesimo nonagesimo sexto*; quemadmodum traditur in Fastis apud Onuphrium. Porrò gesta Cæsaris in Gallia ipsemet latiùs conscripsit, vt videre est in eius Commentariis. Ceterùm, ad prædicti tributi Galliæ impositi summam valoremque probè percipiendum, aduertere oportet, quòd tametsi *sestertius* in genere masculino significabat quartam denarij seu Iulij Romani partem, vt docet Gulielmus Budæus lib. 3. de Asse, post medium: tamen *sestertium* in genere neutro, & *sestertia* in numero plurali, singula valebant nummos sestertios mille, hoc est denarios seu Iulios Romanos ducentos quinquaginta. Quare quod dictum est ab Eutropio, *sestertium quadringenties*, idem significat ac si diceremus, quadringenties centena millia nummorum sestertiorum (vt idem Budæus ostendit lib. 1. aliquantò ante finem) hoc est, centies centena millia denariorum seu Iuliorum. Et hoc fuit tributum annuum Gallis à Cæsare impositum. SESTERTII SIGNIFICATIO DVPLEX.

3. Quòd autem idem Cæsar primus omnium Britannos subiugauerit, apertè tradit etiam Diodorus Siculus lib. 6. Rerum antiquarum, in principio capitis 8. dicens: *In Oceano Galliæ montibus Hercinijs totius Europæ maximis, oppositæ sunt Insulæ plures, quarum maxima est Britannia, priscis temporibus nullius aduenæ imperium experta. Neque enim Dionysium, neque Herculem, neque Heroa aut Ducem quempiam accepimus eos bello tentasse. Nunc C. Cæsar, qui propter gestas res deus est appellatus, primus omnium Britannis subactis, certum eos dare tributum coëgit.* sic ille. Ex cuius verbo *nunc* manifestè infertur, quòd ipse Diodorus tunc suas scribebat Historias, quando Cæsar Britannos tributarios fecit. Quod & confirmant Suidas in verbo *Diodorus*, & Volaterranus lib. 15. dicentes, ipsum Diodorum sub Augusto floruisse, & ante ipsum, id est, & Iulio Cæsare in Galliis bellum gerente. Nam & hoc idem comprobari potest ex alio ipsius Didori loco, nempe lib. 6. cap. 9. non longè ab initio, vbi de Rheno fluuio verba faciens, *Quem*, inquit, *Iulius Cæsar diebus nostris pontibus miro modo iunxit, pedestribusq; traductis copiis, Galatas vltra Rhenum habitantes in potestatem redegit.* hæc Diodorus. Sed posteaquam hîc obiter de eximij huius Historiographi tempore mentionem fecimus, libet etiam attexere, quæ de eiusdem scriptis Volaterranus loco proximè adducto refert. *Diodorus* (ait) *Siculus scripsit Historiam, quam Bibliothecam inscripsit. Continet autem res & Romanas & varias in libris quadraginta, vt Suidas testatur. Primi sex libri antiquorum gesta, quæ Fabulosa appellant, ante bellum Troianum continent. In horum primis tribus, Barbarorum; in reliquis antiquæ res Græcorum narrantur. In vndecim deinde conferuntur quæ à bello Troiano vsque ad Alexandri Macedonis mortem gesta sunt. In reliquis vigintitribus continentur quæ deinceps vsque ad bellum Gallicum, quod Romani Duce Iulio Cæsare gesserunt, qui annos in summa complectuntur 1138. Huius Historiæ tantùm sex libri ad nostram ætatem peruenere.* hucusq; Volaterranus. Verùm quia nunc non sex tantùm, sed duodecim Diodori libros habemus, videlicet, sex priores, & insuper etiam vndecimum, duodecimum, decimumtertium, decimumquintum, decimumsextum, & decimumseptimum: si Volaterranus intelligit sex tantū Historiales, præter sex priores Fabulosos inueniri, benè habet: si verò intelligit sex tantùm absolutè; oportet sex alios posteà enumeratos, post ipsius Volaterrani tēpora fuisse inuentos & editos. Et de hoc satis. Redeamus ad institutum.

CAESAR PRIMVS BRITANNOS SVBIVGAVIT.

DIODORVS SICVLVS QVANDO FLORVERIT

DE IPSIVS LIBRIS.

AB ORBE CONDITO ANNVS 3997. — SEXTÆ MVNDI ÆTAT. ANNVS 551.

1 Anno insequente circiter ineunte, vt num. 2. probabitur, A. Gabinius Roma missus in Syriam, vt audiuit quæ moliebatur prædictus Alexander, confestim expeditionem contra ipsum suscepit. Quod vt audiuit Alexander, peruagando regionem properè decem armatorum millia collegit, & mille quingentos equites, & quædam castella munitionibus firmauit, ac prope Ierosolymam cum suis se recepit: quò veniens Gabinius, & conserto prælio, cæsa sunt à Romanis de Alexandri exercitu tria virorum millia, & totidem capta; ipse autem Alexander fugatus, & in Alexandrio castello conclusus fuit: ad quod vbi venit Gabinius, hortabatur ibidem existentes ad deditionem, promissa eis delictorum venia; quibus recusantibus, multos extra castellum stationem habentes interfecit, ac relicta parte exercitus ad prosequendam oppugnationem, ipse cum reliqua Iudæam perlustrabat, & vrbes quotquot offendebat dirutas, ædificari atq; instaurari iubebat; inter quas etiā fuit Samaria ab Alexandro Iannæo Rege euersa. Mox Alexandrium reuersus, eius oppugnationem acriùs perurgebat. Quamobrem Alexander, rebus desperatis territus, Legatos ad Gabinium misit, veniam precatus, quam, matre eius quæ Romanis fauebat intercedente, obtinuit ea lege, vt

A. GABINIVS ALEXANDRVM PRAELIO SVPERAT, ET IN CASTELLO CONCLVSVM OPPVGNAT.

IVDAEAM PERLVSTRAT, ET VRBES DIRVTAS INSTAVRARI CVRAT.

ALEXANDER OBTINET A GABINIO VENIAM.

vt Alexander castella quæ obtinebat in Iudæa Romanis traderet, Gabinius verò à Senatu Romano liberationem filiorum Aristobuli, quos Romam Pompeius abduxerat, impetraret. Quod & Gabinius posteà præstitit, vt suo loco dicetur; & de eiusdem matris Alexandri consilio, castella quæ filius reddidit, dirui curauit, ne rursus belli receptacula fierent. Demum Gabinius deducto Ierosolymam Hircano, vt ibidem Sacerdotio fungeretur, Iudæam quinque in partes diuisit; voluitque vt vna pars Ierosolymis iura peteret, altera in Dora seu Gadera, tertia in Amathunte, quarta in Iericho, & postrema in Sephoris Galilææ oppido: Iosephus 14. Antiq. cap. 10 & lib. 1. de Bello cap. 6.

IVDAEA IN PARTES QVINQVE DIVIDITVR.

2. Porrò, quod dictum est, A. Gabinium venisse in Syriam hoc anno, qui erat Vrbis secundùm Sigonij supputationem sexcentesimus nonagesimus sextus, secundùm nostram verò, vt patet in tabulis, sexcentesimus nonagesimus septimus; colligi potest ex eodem Sigonio, qui in suo Fastorum Commentario, sub anno Vrbis sexcentesimo nonagesimo quinto sic ad verbum ait: *Ceterùm, Syria recenti Gn. Pompeij victoria Imperio Populi Romani accesserat; cui ipse decedens M. Aemilium Scaurum præfecerat, quem in bello pro Quæstore habuerat. Is Metello & Afranio Coss. præfuit: Cæsare autem & Bibulo, L. Martius Philippus: Gabinio & Pisone, Gn. Lentulus Marcellinus, ambo ex Prætura: Lentulo & Metello Coss. Gabinius ex Consulatu in eam profectus est: Appianus in Syriaco, Iosephus lib.* 14. *Antiq.* hæc Sigonius. Quæ si vera sunt, duo hinc oportet inferre, nempe, Scaurum Syriæ primò præfectum fuisse à Pompeio, anno Vrbis circiter sexcentesimo nonagesimo primo desinente; & biennio pòst, iterùm à Senatu Romano in eadem Præfectura confirmatum esse per annum alterum; videlicet, durante Metelli & Afranij Consulatu. Alterum quod ex Sigonij verbis inferri debet, est, dictum Iosephi 1. de Bello cap. 6. vbi ait, quòd Gabinius Scauro successerat, non esse accipiendum immediatè, sed mediantibus duobus aliis prænominatis, de quibus Iosephus nihil meminit, quòd fortè sub ipsis in Iudæa nihil memorabile actum sit.

QVOD GABINII PRAEFECTVRA IVDAEAE IN HVNC ANNVM INCIDERIT.

AB ORBE CONDITO ANNVS 3998. — SEXTÆ MVNDI ÆTAT. ANNVS 552.

ARISTOBVLVS ROMA PROFVGVS INFELICITER CVM GABINIO PVGNAT.

1 ANNO, vt arbitror, proximo, Iudæa gens singulari vnius dominatione liberata, cùm libenter ab Optimatibus regeretur, ecce nouarum rerum occasio. Aristobulus Roma profugus, qui magna denuò Iudæorum manu conflata, primùm occupat Alexandrium castrum, idque recingere muro tentat: deinde cognito quòd Gabinius Romanos Duces contra se mitteret, in Machærunta concedit, imbella multitudine eiecta, solos armatos qui ad ipsum conuenerant, prope ad octo millia militum secum habens. Quem Romani insequentes, & conflictu habito, licet ipse Aristobulus cum suis aliquamdiu fortiter dimicans Romanorum impetum sustineret; nihilominùs tandem vi subactus est, cæsis de exercitu suo quinque mille viris, & ad duo mille in quemdam tumulum fugatis. Quamquam autem ipse Aristobulus cum reliquis mille viris, perrupta Romanorum acie, in Machærunta peruenerit; ibi tamen biduo à Romanis oppugnatus, tandem captus est, & cum Antigono filio, qui ei Roma fugienti comes fuerat, vinctus, ad Gabinium, ac deinde Romam secundò perductus; vbi & carceri à Senatu mancipatus fuit, filiis eius in Iudæam transmissis; quoniam Gabinius scripserat, id se, pro traditione castellorum, coniugi ipsius Aristobuli priùs spopondisse: Iosephus 14. Antiq. cap. 11. & lib. 1. de Bello cap. 6.

A ROMANIS CAPTVS ITERVM ROMAE CARCERI MANCIPATVR.

IOSEPHI DICTVM REFELLITVR.

2. Est autem hoc loco aduertendum, quòd hanc secundam Aristobuli captiuitatem Iosephus cap. Antiq. proximè citato ait contigisse posteaquam ipse Aristobulus iam per tres annos cum dimidio (siue vt 20. Antiq. cap. 8. dicitur, post tres annos & totidem menses) Pontificatu & regno potitus fuerat: quod stare non potest; quia ex quo Aristobulus Roma profugus rediit in Iudæam, vix vno integro anno, nedum tanto tempore, potuit ibidem permanere; sed neque tunc potuit regno potiri, quod à Romanis possidebatur; nec Pontificatu, quem Hircanus ex quo illum à Pompeio acceperat, hucusque semper tenuit. Quid igitur? Certè, vt reor, Iosephus per errorem, tempus quod fluxerat ante primam Aristobuli captiuitatem, inter primam & secundam fluxisse tradidit. Constat enim, Aristobulum ferè ab obitu matris suæ regnum pariter ac Sacerdotium sibi vsurpasse, ac deinceps per tres annos cum dimidio, donec scilicet à Pompeio captiuus Romam ductus est, tenuisse, vt etiam patet in tabulis: posteà verò, licet in Iudæam profugus redierit, numquam tamen nec regno nec Sacerdotio potiri potuisse.

AB

AB ORBE CONDITO ANNVS 3999. SEXTÆ MVNDI ÆTAT. ANNVS 553.

1 Anno insequente, qui iuxta Sigonium erat annus Vrbis sexcentesimus nonagesimus octauus, iuxta nostras verò tabulas sexcentesimus nonagesimus nonus, vbi ex infirmitate conualuit Gabinius, parauit expeditionem in Parthos, vt Mithridatem, Phraate patre mortuo, à fratre Orode pulsum restitueret: & iam Euphrate transmisso, litteris à Pompeio acceptis, vel etiam accepto (vt scribit Appianus initio libri de Bellis Parthicis) à Ptolemæo Aulete auro, statuit non contra Parthos, sed aduersus Alexandrinos ducere exercitum, quò in regnum armis reduceret eumdem Ptolemæum Auletem, qui vt scribit Strabo lib.17. ob multa eius flagitia à suis pulsus, & Romam ad Pompeium profectus, ab eoque, vt diximus, Gabinio commendatus fuerat. Quo in bello ipse Gabinius ab Hircano & Antipatro admodum adiutus fuit frumento, armis, atque pecuniis. Cùm autem victis pedestri naualique prælio Ægyptiis, & Ptolemæo in regnum restituto, reuersus esset; deprehendit Syriam dissidiis ac tumultibus valdè laborantem: siquidem Alexander Aristobuli filius denuò Principatum per vim inuaserat, & multos ad defectionem à Romanis inducebat; collectoq; magno Iudæorum exercitu, regionem obeundo interficiebat Romanos quotquot adipisci poterat, reliquos in montem Garizim compulsos obsidebat. In hoc statu Syriam offendens Gabinius, præmisso Antipatro, cuius prudentiam fidemque valdè perspectam habebat, multos ex tumultuatoribus ad se reduxit; Alexandrum verò cohibere non potuit. Is enim habens secum triginta Iudæorum millia, ausus est occurrere Gabinio; & collatis signis decernere ad montem Itabyrium: quo prælio desiderati sunt ex acie Iudaica decem mille viri. Victor itaque Gabinius, & constitutis de Antipatri sententia Ierosolymitanis rebus, profectus est contra Nabathæos; quos etiam vno prælio profligauit. ac tandem Romam rediens, Crasso prouinciam tradidit: Iosephus 14.Antiq.cap.11. & lib.1.de Bello cap.6.

GABINIVS PTOLEMAEVM AVLETEM IN AEGYPTI REGNVM RESTITVIT.

DE AEGYPTO REDIENS, FELICITER CVM ALEXANDRO PVGNAT, ET NABATHAEIS PROFLIGATIS ROMAM REVERTITVR.

AB ORBE CONDITO ANNVS 4000. SEXTÆ MVNDI ÆTAT. ANNVS 554.

1 Anno posterò (vt ait Sigonius in suo Fastorum Commentario, sub anno Vrbis sexcentesimo nonagesimo nono, qui iuxta nostrum computum est septingentesimus) A.Gabinius accessit ad Vrbem, & noctu intrauit, vt scribit etiam Cicero ad Q.fratrem; & à Senatu damnatus est exilio, quòd inconsultis Patribus Ægypto bellum intulisset, vetitum Oraculis: nam Sibyllina carmina id disertè cauerant, vt scribit Appianus initio lib.de Bellis Parthicis, & lib.2.de Bellis ciuilibus.

GABINIVS EXILIO DAMNATVS.

2. Eodem anno, M.Crassus cùm iam in Syriam peruenisset, atque quieta ibi esse omnia offendisset, belli gerendi & pecuniæ cumulandæ cupidus, in Parthos, quorum tum Rex erat Orodes, tametsi paulò antè pacatos, nec quidquam mouentes, sine vlla aut Senatus auctoritate, aut populi iussu, exercitum ducere parat. Et hac de causa, cùm venisset in Iudæam, templi pecuniam, quam Pompeius non attigerat, impiè sustulit, cum toto pariter reliquo auro quod ibidem reperit, cuius summa ad octo millia talentorum accedebat. Et prætereà trabem ex auro solidam, trecentas minas, hoc est septingentas libras pendentem, eidem in redemptionem pro reliquo templi auro traditam, fracto iureiurando asportauit, & simul quantum intus erat egessit; & rebus in Syria pro arbitratu suo compositis, Parthorum ditionem inuadere aggreditur: Iosephus 14.Antiq.cap.12. & lib.1.de Bello cap.6. Et quidem Euphrate traiecto, & Mesopotamia vastata, deuictoque eius regionis Satrapa; ac denique locis omnibus quæ intra Tigrim sunt, in ditionem redactis, præsidiisque impositis, in Syriam in hiberna recessit; ac temerè tempus Parthis se ad bellum comparandi dedit: Sigonius vbi suprà ex Dione, Appiano, & Plutarcho.

M. CRASSVS IN PARTHOS EXPEDITIONEM PARANS, IVDAEAE TEMPLVM SPOLIAT.

3. Eodem anno, qui fuit regni sui trigesimus, Ptolemæus Auletes, non multò postquam restitutus in regnum, propriam filiam (subintellige Berenicem) cui Ægyptij, eiecto eius patre, regno cum marito suo Archelao contulerant, interfecerat, morbo correptus diem obiit, relictis duobus filiis ac totidem filiabus, quarum grandior erat Cleopatra: Strabo lib.17.

PTOL. AVLETES MORITVR.

AB ORBE CONDITO ANNVS 4001. | SEXTÆ MVNDI ÆTAT. ANNVS 555.

M. CRASSVS A PARTHIS VICTVS ET OCCISVS.

1 ANNO insequente M. Crassus in Parthos reuersus, contemptis prodigiis Euphraten transiuit, ac relicto à tergo, qui solus & commeatus subuehere, & ipsum munire poterat, Euphrate; à simulato quodam cui credidit transfuga deceptus, in media camporum vastitate exercitum ex omni parte petendum hosti obiecit. Itaque cùm Carrhas (ad quam vrbem olim de Chaldæa venerat Thare pater Abraham, vt sub anno mundi 2113. num. 3. dictum est) Crassus peruenisset, à Præfectis Regis Surena & Syllace circumuentus, omnem pænè cum filio P. Crasso, qui ad eum ex Gallia à Cæsare venerat, exercitum amisit. Cuius reliquiis in collem receptis, euocatus Crassus à Surena in colloquium tamquam de pace acturo, captus, atque ne viuus in potestatem hostium perueniret repugnans, occisus est. Exercitus in Armeniam & Ciliciam, quò quemque fuga rapuit, distractus. Cassius Longinus Quæstor, cum aliqua parte in Syriam incolumis rediit. Hæc fusiùs vide apud Plutarchum in Crasso, Appianum in lib. de Bellis Parthicis, Eutropium lib. 6. Dionem, & alios. Quibus addit Iosephus locis suprà citatis, quòd Cassius occupata Syria resistebat Parthis, propter recentem victoriam excursantibus. Et cùm venisset Tyrum, inuisit etiam Iudæam, & captis primo impetu Taricheis, abduxit inde multa captiuorum millia: Pitholaum quoque Ducem, qui Aristobuli partes fouebat, interfecit, hortante Antipatro Herodis patre, qui plurimum apud eum poterat. Denique Cassius reparatis copiis, ad Euphraten se contulit, ibique Parthis se opposuit, transitu eos prohibiturus: & (vt Eutropij verbis Historiæ Romanæ lib. 6. vtar) *reliquiæ exercitus per C. Cassium Quæstorem seruatæ sunt; qui singulari animo perditas res tanta virtute restituit, vt Persas* (siue Parthos) *rediens trans Euphraten, crebris prælius vinceret.*

CASSIVS RELIQVIIS EXERCITVS SERVATIS E SYRIA PARTHOS REPELLIT.

CLEOPATRA REGNAT IN AEGYPTO CVM PTOL. DIONYSIO FRATRE.

2. Eodem anno, in Ægypto, Ptolemæo Auleti successit in regnum Cleopatra filia eius natu maior cum Ptolemæo Dionysio ex fratribus pueris grandiore, qui tum esse poterat annorum octo, eratque sub curatoribus. Et hæc tum ex Strabone lib. 17. tum ex Appiano lib. 2. de Bellis ciuilibus colligi possunt.

AB ORBE CONDITO ANNVS 4005. | SEXTÆ MVNDI ÆTAT. ANNVS 559.

CAESAR ROMAM OCCVPAT.

1 ANNO Vrbis septingentesimo quinto, vt ex Onuphrio Panuinio in Fastis patet, qui erat annus Olympiadis centesimæ octogesimæ secundæ quartus (vt videre est in tabulis) & ex his quæ sub anno mundi 3996. num. 2. diximus, inferri potest; ortum est Romæ bellum ciuile (vt ait Eutropius lib. 6.) execrandum & lacrymabile. Cæsar enim rediens è Gallia victor, cœpit poscere alterum Consulatum: atq; cùm sine dubitatione deferretur, contradictum est à Marcello Cos. à Bibulo, à Pompeio, à Catone, iussúsque dimissis exercitibus ad Vrbem redire. Propter quam iniuriam, ab Arimino vbi milites congregatos habebat, aduersus patriam cum exercitu venit. Consules cum Pompeio, Senatúsque omnis, atque vniuersa nobilitas ex Vrbe fugit, & in Græciam transiuit apud Epirum, Macedoniam, & Achaiam; vbi Pompeio Duce contra Cæsarem bellum parauit. Intereà Cæsar, Pompeio & Senatu fugato, Vrbem ingressus, Dictatorem se fecit: sed post dies vndecim abdicauit. Harum rerum historiam citatus Eutropius, Appianus lib. 2. de Bellis ciuilibus, & alij disertè narrant. Porrò Cæsar (vt scribit Iosephus 14. Antiq. cap. 13. & 1. de Bello cap. 7.) solutum vinculis Aristobulum decreuit cum duabus legionibus mittere in Syriam; hanc, & cuncta Iudææ proxima per illum se consequi posse ratus. Verùm & spem Cæsaris, & hanc Aristobuli alacritatem sustulere Pompeiani, illum veneno perimentes, quem posteà funerarunt Cæsariani: & cadauer eius melle conditum aliquamdiu asseruatum est, donec illud Antonius in Iudæam remisit, & in Regum conditoriis reponi mandauit. Nec multò pòst Alexandrum eiusdem Aristobuli filium Scipio, cui eodem anno Syria obuenerat, in Antiochia mandante Pompeio securi percuti iussit, eò quòd aliquoties à Romanis rebellasset. Frater verò eius Antigonus cum duabus sororibus, apud Ptolemæum Mennæum Chalcidis Dynastam sese recepit; & Philipio dicti Ptolemæi filius, alteram illarum nomine Alexandram duxit vxorem. Sed mox Ptolemæus, perempto filio, eam sibi matrimonio iunxit; huiúsque affinitatis gratia, germanorum curam

ARISTOBVLVS VENENO NECATVR.

ALEXANDER EIVS FILIVS SECVRI PERCVTITVR.

curam habebat: Iosephus vbi suprà. At Cæsar Roma discedens Hispanias petiit, vbi Pompeij exercitus validissimos & fortissimos cum tribus Ducibus L. Afranio, M. Petreio, & M. Varrone, superauit: Eutropius vbi suprà.

2. Eodem circiter anno Ptolemæus cognomine Dionysius, curatorum consilio fugata in Syriam sorore Cleopatra, solus regnare cœpit in Ægypto. Quod hîc necessariò supponere oportet, tum ob ea quæ sub anno proximo de eodem Rege dicemus; tùm etiam ad comprobandam communiorem Auctorum opinionem, quæ eumdem Dionysium biennio tantùm regnasse perhibet. PTOL. DIONYSIVS FVGATA SORORE SOLVS REGNAT IN AEGYPTO.

AB ORBE CONDITO ANNVS 4006. SEXTÆ MVNDI ÆTAT. ANNVS 560.

1 ANNO proximo, qui fuit iuxta nostrum & Panuinij computum, Vrbis conditæ septingentesimus sextus, & Olympiadis centesimæ octogesimæ tertiæ primus, Cæsar cum Seruilio Consul secundò factus, & de Hispania in Macedoniam transgressus, aduersus Pompeium dimicauit; ac primo quidem prælio (vt tradit Eutropius lib. 6.) victus est & fugatus: euasit tamen, quia nocte interueniente Pompeius sequi noluit; dixitque Cæsar, nec Pompeium scire vincere, & illo tantùm die se potuisse superari. Deinde in Thessalia apud Pharsaliam productis vtrimque ingentibus copiis dimicauerunt, insignemque illam ibidem de Pompeio victoriam Cæsar reportauit, qua sibi viam ad Imperium aperuit, vt ex sequentibus apparebit. Victus verò Pompeius in Ægyptum fugiens, ad ipsam appellere eum contigit eo tempore quo Cleopatra quæ cum fratre regnauerat, ab eoque pulsa, exul in Syria parabat exercitum: & Ptolemæus Dionysius eius frater, qui tum agebat annum decimumtertium, cum exercitu & suis curatoribus Achilla & Photino stabat circa montem Cassium, ad littus maris positum. Cùm autem ventus eò deferret Pompeium; vt vidit tam numerosum in littore exercitum, coniectans id quod erat, ibi adesse Regem; misit qui eum de rebus suis certiorem redderet, & de amicitia quæ ei cum patre suo intercesserat. Rex autem puer illicò accitis curatoribus, adhibito etiam Theodoto Rhetore ac præceptore suo, consultare cœperunt quid facto opus esset: præualuit autem nefarium Theodoti consilium, vt scilicet Pompeius in gratiam Cæsaris per insidias de medio tolleretur. quod & factum fuit, vt latè scribunt Plutarchus in Vita Pompeij, & Appianus libro 2. de Bellis ciuilibus. Cæsar verò Pharsali ad celebrandam sacrificiis victoriam, fessumque prælio militem reficiendum, biduo moratus; post concessam Thessalis, quorum auxilio vsus fuerat, libertatem; Atheniensibus verò supplicibus veniam datam; Orientem versus, quò Pompeium abiisse didicerat, profectus est. Audiens autem quòd ille in Ægyptum pergeret, eò ipse quoque celeriter peruenire satagens, Alexandriam deuectus, à tutoribus Regis adhuc circa montem Cassium hærentis, receptus est; quos comiter obuios excepit: sed vbi exercitus eius appulit, de Photino Achillaque supplicium sumpsit, ob patratum scelus in Pompeium, cuius caput oblatum auersatus, sepeliri iussit in suburbio, sacellumque ibidem dedicari. Theodotum verò tunc elapsum, Cassius posteà egit in crucem inuentum in Asia. Alexandrinis autem ob hàc rem tumultuantibus, & exercitu regio Cæsarem inuadente, vario euentu per nouem menses certatum est. postrema pugna aduersus ipsum Regem, in Nilo naualis fuit; in qua victus Rex, & scapha exceptus vt fugeret, multis insilientibus mersus necatusque est. Corpus eius posteà inuentum, indicio loricæ aureæ cognitum fuit. Cæsar verò grandi parta victoria, & Alexãdrinis ad deditionem desperatione cõpulsis, Cleopatram loco fratris Reginam fecit Ægypti, cum qua posteà quadringentis nauibus per Nilum subuectus, stupri consuetudinem habuisse fertur. Quæ omnia ex Appiano libro 2. de Bellis ciuilibus, Eutropio lib. 6. Romanæ Historiæ, Orosio lib. 6. cap. 15. & 16 & aliis colligi possunt. Porrò Antipater Herodis pater, qui mortuo Pompeio in clientelam Cæsaris se contulerat, eidem Cæsari in hoc bello Alexandrino multis in rebus vsui fuit, de Hircani mandato, quemadmodum latè tradit Iosephus 1. de Bello cap. 7. & lib. 14. Antiq. cap. 14. & 15. vbi Strabonis etiam auctoritate comprobat, Hircanum quoque Iudæorum Pontificem cum aliis Syriæ Dynastis dicto bello interfuisse, ac socia arma pro Cæsare contulisse. Intereà Populus Romanus (inquit Dio) audita Gn. Pompeij cæde, enixè operam dedit, vt Cæsari victori honorificentissima decreta fierent. Ergo Consulatum in quinque deinceps annos, Tribunitiam potestatem in per-

CAESAR IN CAMPIS PHARSALICIS VICIT POMPEIVM.

POMPEIVS IN AEGYPTO NECATVR.

CAESAR IN AEGYPTO DE POMPEII INTERFECTORIBVS POENAM SVMIT.

CVM ALEXANDRINIS VARIO EVENTV PVGNAT. IN NAVALI PVGNA VICTO NECATOQVE REGE, CLEOPATRAM REGINAM FACIT.

petuum ei mandauit; & Dictaturam non in sex menses, vt antè, sed in annum, quam postero anno cum M. Antonio Magistro equitum gessit.

CAESAR CONTRA PHARNACEM PERGENS, HIRCANVM IN PONTIFICATV CONFIRMAT, ET ANTIPATRVM IVDAEAE PROCVRATOREM DECLARAT.

2. Eodem anno, Cæsar, confecto bello Alexandrino, contra Pharnacem Ponti Regem raptim per Syriam duxit exercitum, vt scribit Appianus vbi suprà. Transiens autem per Iudæam, Antipatrum ciuitate Romana simul & immunitate donauit, ob auxilia ei paulò antè in Ægypto præstita, aliisque rebus honorando, amicissimeque tractando, dignum æmulatione reddidit. Insuper reiectis Antigoni criminationibus aduersus Antipatrum Hircanumque adductis, eidem Hircano Pontificatum confirmauit, & Antipatro Dynastiam quamcumque ipse optaret obtulit, & Procuratorem Iudææ declarauit; & præterea concessit, vt subuersa per Pompeium Ierosolymæ mœnia reficeret: Iosephus 14. Antiq. cap. 15. & 16. & lib. 1. de Bello cap. 7. & 8. Vt autem Cæsar peruenit in Pontum, cum Pharnace ad Zeliam congressus, ipsum vnico prælio fugauit in Bosphorum, vbi ab Asandro Bosphorani tumultus auctore necatus est. Vt propterea meritò Cæsar gloriatus sit, se ita cum Pharnace pugnasse, vt eadem hora venerit, viderit, vicerit; vt ex ipso Cæsare, Hirtio, Dione, Appiano & Plutarcho refert Sigonius in Fastis.

AB ORBE CONDITO ANNVS 4007. — SEXTÆ MVNDI ÆTAT. ANNVS 561.

ANTIPATER IVDAEAM GVBERNAT.

ANNO postero circiter incipiente, Antipater, deducto per Syriam Cæsare, & in Iudæam reuersus, ante omnia Ierosolymis disiecta per Pompeium mœnia restituit, & prouinciam obeundo, nouarum rerum cupidos sanioribus consiliis minisque compescuit. Deinde aduertens Hircanum esse segniorem, quàm regni sollicitudo posceret; volens ipse Antipater prouinciæ statum componere, Phasaëlum filium natu maximum Ierosolymis & circumuicinæ regionis Ducem constituit: Herodi autem secundo filio suo Galilæam curandam commisit; quia licet tunc adhuc esset adolescens, generoso tamen erat ingenio præditus. hæc tradit Iosephus 14. Antiq. cap. 16. & 17. & lib. 1. de Bello cap. 8.

HERODEM FILIVM GALILAEAE PRAEFICIT.

IOSEPHVS REFELLITVR VEL CORRIGITVR.

¶ Aduertendum verò hîc est, necessarium esse, vel Iosephum hallucinari, vel textum eius 14. Antiq. cap. 17. in initio, vbi ait, Herodem, quando Galilææ præfectus est, non excessisse annum vitæ decimumquintum, librariorum incuria esse corruptum; & pro *decimumquintum*, legi debere *vigesimum quintum*, quemadmodum ex his quæ sub anno mundi 3981. num. 1. de ortu Herodis dicta sunt, deduci potest; & apertiùs sub anno mundi 4051. num. 26. vsque ad 29. plurimis validissimisque probabimus argumentis. Ita tamen credimus Herodem tunc non excessisse vigesimum quintum ætatis suæ annum, vt proximè ingrederetur vigesimum sextum, qui pro maiori parte concurrit cum hoc anno Consulatus Q. Fufij Caleni & P. Vatinij, qui fuit annus Vrbis septingentesimus septimus, vt patet in tabulis. alioqui, cùm ipse Herodes mortuus sit anno Vrbis septingentesimo quinquagesimo primo, vt sub anno mundi 4051. num. 36. 37. & 38. probabitur; non potuisset attingere annum ætatis suæ septuagesimum; quem tamen iam ingressus obiit, quemadmodum sub anno mundi proximè citato palàm fiet.

HIRCANVS OBTINET A CAESARE CONFIRMARI FOEDERA OLIM ICTA INTER IVDAEOS ET ROMANOS.

2. Per hæc circiter tempora, nimirum quando Cæsar, Pharnace superato, & Romam reuersus, expeditionem parabat in Africam, de qua nos infrà num. 4. agemus, Hircanus Iudæorum Pontifex per Legatos obtinuit ab eodem Cæsare confirmationem societatis & amicitiæ, quæ olim inter Romanos & ipsius Hircani prædecessores non semel inita fuerat, vt tradit Iosephus 14. Antiq. cap. 17. vbi multa alia quoque indulta & priuilegia in fauorem Iudæorum facta refert.

HERODES SYRIAM A PRAEDONIBVS LIBERAT.

3. Ceterùm, Herodes cùm natura strenuus esset valdè, confestim occasionem inuenit quomodo posset virtutem suam ostendere: etenim Ezechiam quemdam primarium latronem, & ceterorum Ducem, Syriæ fines incursare solitum ac deprædari, comprehensum, cum multis latrocinij sociis supplicio affecit. quæ res adeò grata fuit Syris, nihil antiquius quàm repurgari tandem à prædonibus regionem cupientibus, vt per vicos & oppida vel hoc nomine Herodem tamquam auctorem pacis & fruendi securè possessionibus decantarent; quin & propterea Sexto quoque Cæsari propinquo magni Cæsaris, Syriam tunc administranti, cognitus est.

PHASAELVS RES BENE ADMINISTRAT.

Phasaëlus item hac de causa, ad æmulationem fraternæ gloriæ excitatus, nihil magis studebat quàm gratiosus esse apud populum Ierosolymitanum, omnia negotia publica per se obeundo, & in eis magna cum gratia versando, nec abutendo potestate ad cuiusquam iniuriam.

Quo

Quo factum est, vt Antipater, haud secùs ac si Rex esset, à tota gente coleretur; & nihilominùs rebus tam secundis more ceterorum non est deprauatus, quo minùs Hircano fidem seruaret atque amicitiam. Contrà verò Optimates Iudæorum, ægrè ferentes Antipatrum cùm filiis suis crescere, atque Herodis violentum audaxque ingenium pertimescentes, ergà illos malignè affecti induxerunt Hircanum, vt Herodem ad dicendam causam euocaret, quòd latrones extremo tradere supplicio ausus esset, antequam Iudicum sententia damnati fuissent. Et ille quidem præstò fuit, sed cum valida militum custodia (nimirum à patre sic præmonitus) & cum litteris Sex. Cæsaris Syriæ Præsidis ad Hircanum, vt Herodem omnino absolueret. Cùm igitur stetisset coram Iudicibus sine vllo timore stipatus militibus, & hac de re accusatus, nihil decisum fuisset; re in sequentem diem dilata, ipse interim Hircano conniuente secessit cum suis in Damascum ad Sex. Cæsarem; quocum, vbi res suas in tuto collocauit, cœpit audacter & palàm proferre, si denuò ad iudicium foret accitus, se nequaquam compariturum. Quæ res adhuc magis irritauit impulitque Iudices ad prouocandum Hircanum, vt ille iterùm ad iudicium vocaretur. Sed cùm intereà Sex. Cæsar, accepta pecunia, Herodem Cœlesyriæ præfecisset, ac Ducem militum per Syriam & Samariam declarasset; Hircanus vehementer expauit, ne ille contrà se copias duceret. Neque eum sua fefellit opinio: nam Herodes iratus, quòd ad causam dicendam vocatus esset, veniebat cum exercitu, vt Hircanum de sede deponeret; idque omnino fecisset, ni pariter egressi pater ac frater, eius impetum multis rationibus ac deprecationibus fregissent: quorum monitis paruit Herodes, ratus sufficere sibi ad futuras spes, quòd potentiam suam aduersariis declarasset. Quæ omnia fusiùs narrat Iosephus 14. Antiq. c. 17. & lib. 1. de Bello cap. 8.

ANTIPATER POPVLO GRATVS, OPTIMATIBVS NON ITEM.

HERODES IN IVDICIVM VOCATVS ILLVD ELVDIT.

HERODES COELESYRIAE PRAEFECTVS POTENTIAM SVAM ADVERSARIIS OSTENDIT.

4. Sanè C. Iulius Cæsar Dictaturam, quæ ei anno præterito in annum decreta fuerat, hoc anno gessit cum M. Antonio Magistro equitum, & eodem anno media hieme in Africam duxit exercitum contra Scipionem & Catonem, qui post pugnam Pharsalicam ad Iubam Mauritaniæ Regem confugerant, & ibidem cum ipso partes Pompeianas confirmarant. His itaque deuictis, & ad se ipsos neci dandos compulsis, Cæsar ex Africa Romam reuersus est, vbi magnis honoribus affectus fuit, vt sub anno proximo dicemus.

CAESAR SCIPIONEM ET CATONEM VICIT.

AB ORBE CONDITO ANNVS 4008. SEXTÆ MVNDI ÆTAT. ANNVS 562.

1 Anno Vrbis septingentesimo octauo iuxta Onuphrij supputationem ac nostram, qui erat Olympiadis centesimæ octogesimæ tertiæ annus tertiùs, vt videre est in tabulis; Cæsar, qui eo anno Coss. III. cum M. Lepido fuit, reuersus ex Africa, valdè honestatus fuit à Senatu, qui singulares ei honores decreuit, nimirum quadraginta dierum supplicationem, triumphos quattuor, Dictaturam in decennium, atque vt moribus præfectus esset in triennium. Itaque post supplicationem, quattuor nobilissimos in Vrbem inuexit triumphos; nempe Gallicum, Alexandrinum, Ponticum, & Africanum: quibus actis, magnis populum congiariis affecit, ludos fecit, epulum dedit, gladiatores & naumachiam ludis funebribus Iuliæ filiæ edidit, ædem Veneri Pharsalico prælio votam dicauit, forum Iulium extruxit, iudicia equitibus & Senatoribus communicauit, Prætoriis prouinciis annum, Consularibus biennium statuit; annum ordinauit, Senatum suppleuit, Patricios adlegit, censum egit. Quæ omnia ex Dione, Appiano, Plutarcho & Suetonio refert Sigonius in Fastis.

HONORES CAESARI A SENATV DECRETI.

2. Porrò quod attinet ad memoratam anni ordinationem à Cæsare factam; sciendum est, quòd iste annus Vrbis septingentesimus octauus (in quo, vt probat Panuinius in suo Commentario lib. 2. Fastorum sub prædicto & sequente anno Vrbis, Cæsar III. Coss. cum M. Lepido fuit) dicitur annus confusionis, sic à Mathematicis appellatus, quòd pro corrigendo Romæ Kalendario, intercalatis sexaginta septem, vel, vt alij dicunt, sexaginta octo diebus, vsque ad menses quindecim, hoc est ad dies quadringentos quattuor, fuerit productus: sub cuius anni finem ipse Cæsar, post Scipionem Iubamque Numidiæ, siue, vt alij volunt, Mauritaniæ Regem, vt dictum est, superatos, & post III. Dictaturam eidem in decennium decretam, cùm esset quoque Pontifex Maximus, ad quem ea res pertinebat; præcedentem anni dimetiendi rationem, vagam admodum atque inconstantem, emendauit stabiliuitque, adhibito inprimis Sosigene Ægyptio, Mathematicorum illius temporis præstantissimo, necnon Marco Flauio Scriba;

ANNVS CONFVSIONIS.

CAESAR PONTIFEX MAXIMVS ANNVM CORRIGIT, ET AD SOLIS CVRSVM REDIGIT.

ba; quorum consilio & operâ annum dierum trecentorum quinquaginta quinq; olim à Numa Pompilio ordinatum, & posteà diuersis Pontificum intercalationibus variatum, ad Solis cursum, qui trecentis sexaginta quinque diebus & ferè vnius quadrante conficitur, redegit; atque hanc anni emendationem in toto Romano Imperio statim promulgandam, ac deinceps omnimodis obseruandam sanciuit. Huius reductionis siue correctionis anni mentionem faciunt ex veteribus, Plinius lib. 18. cap. 25. Suetonius in Cæsarem cap. 40. Solinus cap. 2. Appianus in fine lib. 2. de Bellis ciuilibus; Dio lib. 43. Plutarchus in Cæsarem, & Macrobius lib. 1. Saturnalium cap. 14. Ex recentioribus verò, Io. Lucidus in Libello de Vero die Passionis Christi, cap. 2. Onuphrius Panuinius in Commentario lib. 2. Fastorum cap. De anno & partibus eius, Sigonius in Fastis sub anno Vrbis sexcentesimo septimo, Genebrardus Chronologiæ lib. 2. vbi agit de Ptolemæo Dionysio: asseritque hoc factum esse anno Vrbis septingentesimo octauo, & alij.

AB ORBE CONDITO ANNVS 4009. — SEXTÆ MVNDI ÆTAT. ANNVS 563.

CAESAR POMPEIANIS IN HISPANIA SVPERATIS IMPERIVM ROMANVM OBTINET.

1 ANNO proximo Cæsar, cùm audisset quòd Q. Pedius & Q. Fabius Max. quos exercitui suo in Hispania præfecerat, iam non possent ampliùs filiorum Pompeij Magni impetum sustinere, ipsemet in Hispaniam cum exercitu magnis itineribus viginti septem dierum spatio properauit; & post plures conflictus (vt tradit Eutropius in calce lib. 6.) in vltimo prælio apud Mundam ciuitatem pænè victus, vt vidit suos fugientes, de nece sibi inferenda cogitasse dicitur, ne post tantam rei militaris gloriam, annos sex & quinquaginta natus, in potestatem adolescentium veniret. Denique reparatis suis, vicit; & maior Pompeij filius occisus est, minor fugit. Ipse verò tandem Pompeianis superatis, Hispaniaque recepta, & omnibus bellis ciuilibus confectis, Romam rediit; vbi ob hanc victoriam ei Senatus quinquaginta dierum supplicationes decreuit, & quintum triumphum, quo nihil populo Romano grauius esse potuit; quòd non de Hispanis, sed de ciuibus actus sit. Insuper idem Cæsar nouos quosdam ac singulares sibi honores à Senatu decerni passus est, videlicet, vt Pater patriæ diceretur, Consul in decennium (quem tamen honorem posteà aspernatus est) Dictator in perpetuum esset, Sacrosanctus haberetur, Quinctilis mensis à suo nomine Iulius appellaretur, Comitia & tributa in potestate haberet, in acta sua Magistratus ineuntes iurarent: postremò etiam, vt Imperator appellaretur; Imperator, inquam, absolutè, tamquam qui potentiam & auctoritatem in Republica summam adeptus esset. Quo nomine ipse primus, ac deinceps eius successores appellati sunt, prisca illa eiusdem nominis appellatione, quæ supremam in exercitu tantùm dignitatem significabat, antiquata: atque ita Cæsar, odioso Regis nomine posthabito, sub honestis hisce Imperatoris & Dictatoris perpetui titulis, supremum ius summamque potestatem obtinuit, atque hoc pacto Respublica Romana ad Monarchiæ formam redigi cœpta est.

ANTIPATER MITTIT AVXILIA CAESARIANIS.

2. Eodem anno, cùm Cæcilius Bassus, vnus è Pompeianis, per insidias interfecisset Sex. Cæsarem Syriæ Præfectum, occupassetque prouinciam; Antipater cum filiis suis Phasaelo & Herode, memor beneficiorum quæ acceperat à Cæsare, misit auxilia Cæsarianis Ducibus, qui contra Bassum circa Apamiam bellum gerebant. Verumtamen bellum hoc aliquamdiu posteà protractum est, non solùm donec Sextius Murcus (quem Iosephus Marcum appellat) cum tribus legionibus à Cæsare contra eum missus, magna vi repulsus est; sed etiam vsquequò deinde post necem Cæsaris Cassius venit in Syriam, quemadmodum ex sub anno mundi 4011. num. 3. dicendis apparebit: Iosephus 14. Antiq. cap. 17. & lib. 1. de Bello cap. 8. in fine capitum, & Appianus lib. 3. de Bellis ciuilibus.

AB ORBE CONDITO ANNVS 4010. — SEXTÆ MVNDI ÆTAT. ANNVS 564.

CAESAR A CONIVRATIS IN SENATV OCCIDITVR.

1 ANNO Vrbis septingentesimo decimo iuxta Onuphrij nostramque supputationem, qui erat Olympiadis centesimæ octogesimæ quartæ annus primus, vt patet in tabulis, die decimaquinta Martij, Iulius Cæsar in Senatu à Cassio & Bruto aliisque coniuratis, viginti tribus confossus vulneribus periit, vt latè describunt Appianus lib. 2. de Bellis ciuilibus, & Plutarchus in Vita Cæsaris, & alij. Eutropius in cal-

in calce lib. 6. ait Cæsarem fuisse occisum *quòd agere insolentiùs cœperit, & contra Romanæ Reipub. libertatem honores ex sua voluntate præstaret; qui populo anteà deferebantur; nec Senatui ad se venienti assurgeret, aliaq́; regia ac penè tyrannica faceret.* sic ille. Verumtamen potissima necati Cæsaris causa fuisse creditur; quòd Senatores apertè intelligerent, ipsum non ea quam hactenus obtinuerat potestate penè regia contentum, sed titulo quoque regio ac diademate insigniri ambientem; modisque omnibus affectantem; ac variis artibus procurantem viderent: nam & hoc planè Cæsar ipse declarauerat, quando à M. Antonio Consule collega suo pro rostris diadema capiti suo impositum non omnino respuerat; sed illo in sella reposito, obseruarat inspectantis populi propensionem: item, quando Tribunis Pleb. sibi hac in re aduersantibus potestatem abrogauerat; & denique multò euidentiùs, quando iam fama percrebuerat, quòd proximo Senatu L. Cotta Quindecimvir sententiam dicturus erat, vt quoniam libris fatalibus contineretur, Parthos nisi à Rege non posse vinci; ipse Cæsar, qui tum expeditionem parabat in Parthos, Rex appellaretur. Has & eiusmodi causas ex pluribus Auctoribus petitas refert Sigonius in Fastorum Commentario, sub anno Vrbis septingentesimo nono. De annis autem Imperij Iulij Cæsaris Iosephus 14. Antiq. cap. 17. in fine, & lib. 1. de Bello cap. 9. in principio ait, Cæsarem occubuisse posteaquam Principatum tribus annis & septem mensibus tenuerat. At Onuphrius initio lib. 2. Fastorum ait, Iulium Cæsarem præfuisse Reipub. annos quattuor, menses duos, dies quindecim. Fortè hic Auctor numerat Imperij Cæsaris annos ab occupata Roma, ille verò ab occiso Pompeio. Certum est enim, quòd ex quo à Senatu declaratus fuerat Imperator & Dictator perpetuus, paulò amplius vno anno superuixit, vt ex suprà dictis deduci potest.

AB ORBE CONDITO ANNVS 4011. SEXTÆ MVNDI ÆTAT. ANNVS 565.

1 ANNO proximo, Octauianus Cæsar C. Cæsaris filius adoptiuus & heres relictus, post bellum Mutinense aduersus Antonium feliciter gestum, sibi, vigesimo ætatis anno necdum expleto, Consolatum demandari à Senatu per vim extorsit. Electus deinde Consul cum quo volebat collega, Q. Pedio, qui portionem suam ex Cæsaris hereditate illi donauerat, in Vrbem Consulari pompa ad sacrificandum ingressus est; & post sacra peracta, priore non contentus adoptione per testamentum facta, rursus seipsum in patris familiam ac nomen inseruit curiatis Comitiis, hoc est, per Plebiscitum; vt etiam sic Lege patria adoptatus, maximè legitima eius esset adoptio; & idem ius haberet, quod natiui filij habent erga suorum patrum cognatos ac clientes. Mox alia Lege lata absoluit Dolabellam, qui hostis iudicatus fuerat; & lata per Collegam Lege, de Cæsaris nece iudicia constituit. Itaque Cæsarianis accusantibus, alij vocati sunt in ius vt facinoris socij, alij vt tantummodò conscij. Postquam autem vniuersis vna (Præconis denuntiatione) dies dicta est; omnes absentes damnati sunt, inspectante Cæsare, & nemine ex toto Iudicum consistorio album ferente calculum, vno dumtaxat excepto, qui posteà proscriptus est. Contigit autem eodem anno duos de Cæsaris interfectoribus in suis prouinciis bello victos pœnas dedisse, nempe Trebonium in Asia, & Decium Brutum in Gallia, vt tradit Appianus sub finem lib. 3. & initio 4. de Bellis ciuilibus.

OCTAVIANVS CAESAR CONSVLATVM PER VIM EXTORQVET. CONSVL ELECTVS ADOPTIONEM SVAM CONFIRMARI CVRAT, ET PATRIS INTERFECTORES CONDEMNARI.

2. Eodem anno, videlicet 5. Kal. Decembris, Octauianus Cæsar icto fœdere cum Antonio & Lepido, Mutinam inter & Bononiam; nimirum in parua quadam & plana Labinij fluuij insula, Triumviratum cum ipsis iniit; in quo prædicti tres, (eorum exercitibus cuncta approbantibus, & mox Romæ per P. Titium Tribunum plebis sine solitis ritibus & sine mora Lege perlata) se Tresviros Reipub. constituendæ (tyrannidem suam tali titulo honestare curantes) cum summo imperio in quinquennium renuntiarunt: atque ita deinceps prouincias inter se diuiserunt, Magistratus in aliquot annos, nec Senatu nec Populo consulto, quibus ipsi voluerunt, mandarunt: Lepidum loco D. Bruti Cos. designati, ac posteà Lege Pedia damnati, Consulem in sequentem annum crearunt: & quod horribilius est, proscriptionem cædemque ciuium eis aduersantium proposuerunt, eamque pluribus vicibus auctam, protinus executioni sine vlla miseratione mandari curarunt. Quæ omnia latè prosequitur Appianus lib. 4. de Bellis ciuilibus, non longe ab initio.

TRIVMVIRATVM CVM ANTONIO ET LEPIDO INIT. PROSCRIPTIONEM CAEDEMQVE SIBI ADVERSANTIVM CVM COLLEGIS PROPOSVIT.

CASSIVS IVDAEAM AFFLIGIT.

3. Per eadem tempora Cassius cùm venisset in Syriam, & tam Murcum quàm Bassum, qui ibi sine Senatus aut Populi iussu bellum inter se gerebant, in suas partes eorumque exercitus pertraxisset, Iudæam vehementer afflixit, septingentis argenti talentis eidem imperatis. Tum Antipater Iudææ Procurator res vbique turbatas videns, partem eius pecuniæ filiis suis, partem cuidam Malicho, viro satis potenti, & quibusdam aliis exigendam commisit. Et primus quidem Herodes, ex Galilæa quantum imperatum erat, nimirum talenta centum, afferens, Cassij fauorem promeruit, vt propterea inter eximios eius amicos numerari cœperit: contrà verò ceteros tarditatis arguens Cassius, ipsis & aliquot item ciuitatibus irascebatur; quas cùm depopulari cœpisset, parum etiam abfuit quin & Malichum, quòd remissior in exigendo fuisset, interficeret; quod proculdubiò præstitisset, nisi iratum Cassium Hircanus per Antipatrum repressisset, centum illicò talentis de suo eidem missis. Et nihilominùs Antipatri opera seruatus Malichus, eidem posteà tamquam Hircani potestatem vsurpanti, insidiari non destitit. At ille cognitis viri de quo optimè meritus fuerat insidiis, & vires calliditatemque eius metuens, traiecto Iordane copias ad vlciscendam viri ingratitudinem colligebat. Videns verò Malichus sibi non succedere quod proposuerat, inficiabatur insidias; & deierans apud Antipatrum & filios, quòd ne in mentem quidem sibi vmquam tale aliquid venit, reconciliari curauit Antipatro: qui eumdem Malichum denuò à morte ei per Murcum Syriæ Præsidem parata, eò quòd res nouas in Iudæa molitum intellexerat, liberauit: Iosephus 14. Antiq. cap. 18. & lib. 1. de Bello cap. 9.

AB ORBE CONDITO ANNVS 4012. — SEXTÆ MVNDI ÆTAT. ANNVS 566.

HERODES TOTIVS SYRIAE PROCVRATOR, ET COELESYRIAE DVX CONSTITVITVR.

1 ANNO insequente, cùm audissent Cassius & Murcus in Syria existentes, quòd Octauianus Cæsar & Antonius bellum pararent contra M. Brutum in Macedonia morantem, vellentque se ac copias suas in Syria conflatas cum exercitu Bruti coniungere; Herodem, quem ad hoc idoneum nouerant, totius Syriæ Procuratorem & totius Cœlesyriæ Ducem constituunt, attributis ei naualibus equestribusque ac pedestribus copiis; & insuper eidem Iudææ regnum polliciti post finitum bellum, quod cum Cæsare & Antonio gerebant. Contigit autem, vt hæc & spes & exaltatio Herodis, patri eius causa mortis fieret: nam horum metu ingratus Malichus, pincerna Hircani, apud quem ambo epulabantur, pecunia corrupto, mixtum veneno poculum Antipatro dare persuadet; quo hausto ille post conuiuium mortuus est. Quod iniquiùs ferens Herodes, confestim patris mortem vlcisci volebat; sed Phasaëli fratris consilio acquiescens, ne ciuile bellum excitare velle videretur, dissimulauit tunc, & Malicho sese purganti credere finxit: verùm non multò pòst occasione oblata, illum apud Tyrios per Cassij milites interfici curauit: ac deinde contra Felicem, Malichi fratris necem vindicare volentem, quem priùs Herode ægrotante Phasaëlus eius frater fugauerat, vt primùm ipse conualuit, profectus; omnibus castellis, quæ occupauerat, spoliauit: post hæc Marionem Tyriorum Tyrannum è Galilæa pepulit: mox commisso in aditu Iudææ prælio, Antigonum Aristobuli filium à quibusdam Dynastis adiutum profligauit. Quamobrem, Ierosolymam posteà rediens, omnibus charus esse cœpit; & cum Hircano cognationem contraxit, desponsata sibi eius nepte, vocabulo Mariamme, quamuis propter nescio quæ impedimenta, cum ea nuptias non nisi post aliquot annos celebrauit, vt infrà sub anno mundi 4017. num. 1. dicemus. Et hæc latiùs tradita habentur apud Iosephum 14. Antiq. cap. 18. vsque ad 22. & lib. 1. de Bello cap. 9. & 10. Fuit autem Mariammes filia Alexandri, filij Aristobuli fratris Hircani, quam idem Alexander ex ipsius Hircani filia genuerat; & consequenter, ipsa erat tum ipsius Aristobuli ex filio, tum ipsius Hircani ex filia neptis, vt tradit Iosephus 14. Antiq. partim cap. 21. partim cap. 27. in fine.

ANTIPATER VENENO PER MALICHVM TOLLITVR.

HERODES MALICHVM PATRIS INTERFECTOREM NECARI CVRAT, ET FELICEM MALICHI FRATREM CASTELLIS SPOLIAT. MARIONEM E GALILAEA PELLIT. ANTIGONVM PROFLIGAT. CVM HIRCANO COGNATIONEM CONTRAHIT.

IACOB GENVIT IOSEPH.

2. Eodem anno (vt ex dictis sub anno mundi 3460. num. 2. inferri potest) Iacob genuit Ioseph virum Mariæ, de qua posteà natus est Iesus, quemadmodum legimus Matthæi cap. 1. vers. 16.

BELLVM PHILIPPENSE IN QVO BRVTVS ET CASSIVS INTEREVNT.

3. Eodem item anno, qui erat Vrbis septingentesimus duodecimus, commissum est memorabile illud bellum Philippense, in quo ab Octauiano Cæsare & M. Antonio, duplici prælio victi Cassius & Brutus, vltrò se à fugæ sociis interfici voluerunt; vt scribunt Appianus lib. 4. de Bellis ciuilibus, & Dio, & Plutarchus, & alij.

AB ORBE CONDITO ANNVS 4013. SEXTÆ MVNDI ÆTAT. ANNVS 567.

1 ANNO proximo, nimirum post Cassium Brutumque apud Philippos superatos, Octauianus Cæsar in Italiam, agros ciuitatesque militibus pollicitas diuisurus; Antonius autem in Asiam profectus est, ad colligendas pecunias militibus pariter distribuendas. Qui vbi in Bithyniam peruenit, omnium gentium legationes habuit obuias: in his Iudæorum Optimates, vt Phasaëlum Herodemque accusarent, quòd illis summam rerum vi possidentibus, nomen tantùm honorabile superesset Hircano. Verumenimuerò Herodem, qui ad obiecta diluenda venerat, vsqueadeò Antonius in honore habuit, vt ne ad colloquium quidem aduersarios eius admiserit, quemadmodum Herodes etiam data pecunia impetrauerat. Cùm autem Antonius venisset Ephesum, præstò ei fuit Hircani gentisque Iudaicæ legatio, nomine publico transmissa, afferens coronam auream, & rogans, vt quos Iudæos Cassius præter ius belli captiuos abduxerat, scriptis per prouincias litteris in libertatem vindicaret; & agros ab eodem Cassio ademptos, Genti restitueret. Quæ postulata Antonius æqua existimans, publico concessit edicto: & litteras item Hircano gentique Iudæorum rescripsit, quarum exemplaria habentur apud Iosephum 14. Antiq. cap. 22. Aduentante autem in Syriam Antonio, obuiàm illi in Cilicia veniens Cleopatra, amoribus suis eum implicuit. Quo tempore rursus centum Iudæorum potentissimi venerunt ad Antonium accusantes Herodem, cuius causam defendendam suscepit Messalla, assistente sibi Hircano, qui iam socer erat Herodis. Itaque auditis partibus, Antonius percontatur Hircanum, quinam essent rebus administrandis aptiores: quo respondente, Herodem in hoc præstantiorem esse; Antonius libenter hoc audiens, quippe qui filios Antipatris, à quo humanissimè hospitio exceptus fuerat, quando cum Gabinio in Iudæam venerat, diligebat, ipsum Herodem fratremque eius Phasaëlum Tetrarchas constituit, eisque Iudæorum gubernacula commisit; & ex eorum aduersariis quindecim in vincula coniecit etiam occidendos, nisi Herodis deprecatio intercessisset. Sed nec sic quidem quieuerunt Iudæi: nam rursus ad Antonium posteà in Tyro commorantem, mille Legatos miserunt; quos cùm Herodes & Hircanus multis rationibus ab incepto reuocare non potuissent; Antonius ab Herode & fratre eius multa pecunia corruptus, iussit illos à militibus sauciari ac trucidari; & denique etiam quos priùs vinxerat, interfici; quorum & saucios cura Hircanus, & mortuos sepultura dignatus est. Insuper Magistratui Tyrio imperauit Antonius, vt Herodem fratremque à se Tetrarchas constitutos adiuuaret, & in Iudæos illis aduersantes animaduerteret: Iosephus 14. Antiq. c. 22. & 23. & libr. 1. de Bello cap. 10. Multa item alia hoc tempore facta ab Antonio in Asia narrat Appianus lib. 5. de Bellis ciuilibus, vbi etiam consequenter prosequitur, quæ ab Octauiano Cæsare hoc eodem anno in Italia gesta sunt, & præcipuè bellum Perusinum, quod aduersus L. Antonium gessit. Huius belli causam exitumque ex Dione, Appiano, & Suetonio, paucis refert Sigonius in suo Fastorum Commentario his verbis: *Inter Imp. Cæsarem & L. Antonium Cos. Fuluiamq; socrum discordia exarsit. Antonius se agrorum parte quæ ad Marcum fratrem (is tum in Asia* vel potiùs in Ægypto *erat) pertinebat; Cæsar exercituum, qui sibi non traderentur, subsidio spoliatum querebatur. Itaque Clodia ab eo adhuc virgine repudiata, res in apertum bellum euasit. Nam cùm Cæsar agros promissos in castris Philippicis, veteranis diuisisset, ac seditiones exercitus sui, quas corrupti à Fuluia milites contra se concitauerant, cum periculo inhibuisset; L. Antonius Consul, Fuluiæ consilio vsus, populis iis, quorum agros veteranis ille dederat, ad arma concitatis, bellum mouit. Fuluia Præneste oppido occupato, omni militari munere atque imperatorio functa est. Cùm Legatis vltrò citròque missis res conueniri non potuisset, Cæsar in Nursiones & Sentinates exercitum induxit. L. Antonius in Vrbem, M. Lepido qui custodiæ Vrbis cum exercitu præerat, fuso, hostiliter irrupit. Cæsar Sentinatibus obsidendis Q. Saluidieno traditis, Romam reuersus, Antonium quasi ad bellum aliquod ex S. C. Vrbe proficiscentem, atque in Galliam contendentem, in itinere intercepit, atque Perusiæ in Hetruria conclusum diu obsedit. postremòque conatum aliquoties erumpere, & repulsum, coëgit in deditionem venire. Ei venia data est, plerisque Equitum ac Senatorum ad aram Cæsaris (vt fama est) immolatis. Perusia diruta, redactisq; in potestatem omnibus diuersæ partis exercitibus, bellum sine sanguine, Caluino & Pollione Coss. confectum.* hucusq; Sigonius. Porrò hæc inter Cæsarem & L. Antonium exorta dissidia, in causa fuere M. Antonio redeundi de Asia in Italiam, vt

HERODES ACCVSATVS CORAM ANTONIO HONORATVR.

ANTONIVS IVDAEIS PETITA CONCEDIT.

CLEOPATRAE AMORIBVS IMPLICATVR.

HERODEM ET PHASAELVM TETRARCHAS CONSTITVIT EISQVE IVDAEAE GVBERNACVLA COMMITTIT.

IVDAEORVM LEGATOS CONTRA HERODEM MISSOS MALE TRACTAT.

HVIVS ANNI GESTA TVM AB ANTONIO IN ASIA, TVM AB OCTAVIANO IN ITALIA VNDE PETENDA.

DE BELLO PERVSINO.

vt consequenter videbimus. Nam cùm Imp. Cæsar victoria ad Perusiam parta, Italiam totam partim voluntate, partim vi in potestatem redegisset; Fuluia ad M. Antonium virũ cum liberis & Iulia eius matre profugit. Is cùm in Asiam ex Ægypto recessisset, verbis vxoris incitatus, Cæsari amicitiam renuntiauit. Itaque haud multò pòst, nimirum

AB ORBE CONDITO ANNVS 4014. SEXTÆ MVNDI ÆTAT. ANNVS 568.

OCTAVIANVS ET ANTONIVS BELLVM INTER SE GERVNT.

1 ANNO postero, ineunte vere, Antonius cùm in Italiam traiecisset, Sipuntem occupauit, & Brundusium obsessum, P. Seruilio Rullo Cæsaris Duce pulso, cepit. Interim verò dum inter ipsum & Cæsarem per ipsorum Duces aperto bello decertatur, Fuluia tanti rerum & Italiæ motus causa, Sicyone moritur. Quo nuntio accepto, Cæsar Antoniusque tandem Cocceij opera, & exercitibus vtrimque per Legatos instantibus, pariter reconciliati, denuò fœdus inter se inierunt, noua insuper cognatione contracta: siquidem Octauiam Cæsaris sororem, defuncto priore marito, duxit Antonius, cui pariter vxor (vt dictum est) paulò antè decesserat. Et tum rursus Cæsar & Antonius totum inter se Romanum Imperium partiti sunt, ita vt terminus vtriusque ditionis esset Codropolis oppidum Illyricum, quod videbatur situm in intimo sinu Adriatico. ab hoc versus Orientem, vt omnes Antonius haberet tam insulas quàm prouincias vsque ad flumen Euphraten: versus Occidentem verò, Cæsar vsq; ad Oceanum; Africa, hoc est Mauritania Lepido relicta, prout à Cæsare acceperat. Bellum contra Pompeium Magni filium, qui Siciliam, Sardiniam, ac Corsicam occupauerat, Cæsari obuenit: Parthicum verò Antonio, ad vlciscendam illatam Crasso iniuriam: Appianus lib. 5. de Bellis ciuilibus, circa medium. Et eodem tempore singuli ouantes ingressi sunt Vrbem; Cæsar quòd cum Antonio, & Antonius quòd cum Cæsare pacem fecissent.

DENVO AFFINITATE CONTRACTA RECONCILIANTVR.

IMPERIVM ROMANVM INTER SE PARTIVNTVR.

AERAE HISPANICAE INITIVM.

2. Eodem anno circiter inchoante, ex occasione cuiusdam tributi ab Octauiano Cæsare Hispanis impositi, cœpta est Æra quam vocant Hispanicam, triginta octo nimirum annis ante Epochen quæ ducitur à Natiuitate Christi, vt aiunt Genebrardus sub finem lib. 2. suæ Chronologiæ, vbi agit de quarta Romanorum Monarchia; & Iosephus Scaliger lib. 5. de Emendatione temporum, cap. De Æra Hispanica, vbi fusiùs de ea disserit.

ANTIGONVS PARTHORVM AVXILIO IN REGNVM RESTITVITVR HERODE IN IDVMAEAM FVGATO.

3. Eodem anno, qui fuit alter ab eo in quo venerat Antonius in Syriam, vt notat Iosephus 14. Antiq. c. 23. in fine, & incidit biennio postquam discesserat Cassius de Syria, vt idem Auctor refert lib. 1. de Bello c. 11. in principio, nimirum eo tempore, quo in Italia bellabant inter se Cæsar & Antonius; in Iudæa Antigonus Aristobuli filius Parthorum auxilio restitutus est in regnum Iudæorum, Hircano & Phasaëlo captis; & altero quidem, nempe Hircano, auriculis truncato, ne deinceps ampliùs ad Pontificatum ob eiusmodi corporale vitium aptus esse assumíve vmquam posset, & Parthis tradito; altero autem ad se occidendum compulso; Herode verò in Idumæam cum mulieribus totaque familia sua fugato. Et hæc quæ nos hîc breuiter tangimus, fusiùs à Iosepho relata 14. Antiq. cap. 25. & lib. 1. de Bello cap. 11. pro libito videre quisque poterit.

HERODES FAMILIA SVA IN MVNITIONE CONTVTATA, POST MVLTA IN ITALIAM NAVIGAT, ET A ROMANIS IVDAEAE REX DECLARATVR.

4. Ceterùm Herodes, post multa (dum se paulatim à vi ac multitudine hostium retrahit) prælia feliciter commissa, ita vt eum in fuga Parthi grauiorem experti essent; vbi tandem ad Massada castellum satis firmum peruenit, in eo mulieres & charos cum sufficienti commeatu & militum manu, pro eorumdem defensione, sub fratris Iosephi cura reliquit: ipse verò ad Arabum Regem Malcum se contulit; à quo parum officiosè dimissus, molestè id admodum ferens discessit; & Ægyptum petens, Rhinocoluram venit, vbi de Phasaëli fratris obitu nuntium habuit. Et progrediens ad Pelusium, à Legatis Arabum Regis, quem facti pœnituerat, reuocari non potuit. Mox à nautis Alexandriam nauigaturis minimè receptus, Pelusij Magistratus adit; qui famam viri dignitatemque reueriti, Alexandriam ipsum prosequuntur: vbi à Cleopatra Regina honorificè susceptus, retineri se non est passus, quò minùs Romam, hiberno licet tempore, & perturbatissimis vt ferebatur Italiæ rebus, properaret: necdum enim Cæsaris & Antonij reconciliatio facta vel nuntiata fuerat. Igitur inde soluens versus Pamphyliam, & graui cum tempestate conflictatus, Herodes ægrè in Rhodum euasit, iactura etiam sarcinarum facta. Ab amicis autem, quos forte ibidem offendit, hospitio receptus, ac maxima deinde ædificata instructaque triremi, & cum amicis conscensa, in Italiam Brundusium appulit: atque inde Romam profectus, ante omnia conuenit Antonium, eique

clades

clades suas exposuit; nimirum, quòd Antigonum Parthi Regem in Ierusalem constituissent, pollicitum eis mille talenta, & quingentas mulieres, quas ex ipsius Herodis familia deligere destinauerat: quòd Phasaëlus frater occisus, & Hircanus captus esset: quòd ipse manus hostium ægrè euasisset: quòd familiam noctu non sine magno labore asportasset, atque eamdem in extremo periculo oppugnandam reliquisset; vt per medias tempestates, omnibus contemptis difficultatibus, ad vnicum subsidium, quod in ipso haberet repositum, properaret. His auditis Antonius, & amici commiseratione commotus, & pecunia quam Herodes pollicebatur, maximè verò Antigoni odio impulsus, quem turbulentum ac Romanis valdè infensum nouerat, ad ipsum Herodem iuuandum propensior est redditus. Cæsar quoque, tum ob Antipatri operam in bello Ægyptiaco Cæsari patri suo nauatam, & hospitij ius, & reliquam beneuolentiam, & ipsius Herodis strenuitatem; tum etiam, vt Antonio gratum faceret, quem Herodis valdè studiosum esse videbat; ad dignitatem eius tuendam, & conatus promouendos, se paratissimum ostendebat. Itaque conuocato Senatu, commendatus est Herodes; & tam patris quàm ipsius beneficia studiumque Romani nominis commemorata sunt: simulque accusatus & hostis declaratus fuit Antigonus, non solùm ob vetera crimina, sed etiam quòd contemptis Romanis, regnum à Parthis accepisset. Accedente autem Antonij sententia, exponentis, ad bellum Parthicum, quod ipse breui erat suscepturus, plurimum conducere, si in Iudæa regnaret Herodes; id mox omnium suffragiis approbatum est. Atque ita nouus Rex, primo regni sui die ab Imperatoribus vniuersoque Senatu honoratus, ab Antonio ad conuiuium exceptus est, & intra septem dies, insperata felicitate ornatus, ex Italia dimissus: Iosephus 14. Antiq. c. 26. & lib. 1. de Bello cap. 11.

¶. 4. Hanc regiam dignitatem à Senatu Romano Herodi fuisse collatam Olympiade centesima octogesimaquarta, Gn. Domitio Caluino & C. Asinio Pollione Coss. scribit Iosephus 14. Antiq. cap. 26. Quod Iosephi dictum non rectè calculantes Ecclesiastici Scriptores, in annis regni Herodis subducendis hallucinati sunt, putantes inde apertissimè consequi, Herodem obiisse ante natum Christum; quod proculdubiò aduersaretur Euangelio Matthæi cap. 2. vers. 1. affirmanti, Christum natum esse in diebus Herodis Regis. & ne quis hæsitaret, de quonam Herode Rege loqueretur; paucis interpositis, videlicet in eiusdem capitis vers. 19. & 22. subdit, quòd defuncto Herode regnauit pro eo Archelaus filius eius. Ex quo liquet, S. Euangelistam ibidem loqui de eodem Herode Ascalonita, de quo agit Iosephus loco citato. Quare iidem Ecclesiastici Auctores, eiusmodi absurditatem auersantes, in putandis annis regni Herodis apertè discesserunt à Iosepho, sed non eodem modo omnes: nam alij, quod attinet ad numerum annorum regni Herodis, Iosepho consentientes, posuerunt principium regni eius longè posteriùs quàm fecerit Iosephus, nimirum anno tertio vel quarto Olympiadis centesimæ octogesimæ sextæ; hoc est, anno decimo vel vndecimo Principatus Augusti. Huiusmodi sunt Eusebius in Chronicis, & S. Cyrillus Ierosolymitanus Catechesi 12. quibus videntur assentiri S. Epiphanius Hæres. 51. & 78. & Sulpitius Sacræ Historiæ lib. 2. dicentes, Christum natum esse anno regni Herodis trigesimo tertio: Onuphrius verò signat initium regni Herodis anno tertio Imperij Augusti. Alij de principio regni Herodis cum Iosepho consentiunt, sed non de annorum numero; vt Scaliger, qui lib. 5. de Emendatione temporum, cap. De excessu Herodis, asserit Herodem regnasse triginta octo annos solidos. Alij nec de principio, nec de numero annorum regni Herodis cum Iosepho conueniunt; vt Beda, qui in lib. de Sex ætatibus mundi, putat Herodem regnasse annos tantùm triginta sex, eosque ab vndecimo Principatus Augusti anno exorditur. Sed vnde hæc isti desumpserint, aut quo nitantur fundamento, incompertum est. Tametsi Pererius lib. 11. Commentariorum suorum in Daniel. in fine quæstionis quintæ, quæ est, De tempore ortus Domini nostri Iesu Christi, concludit necessarium esse, aut aliquot annis posteriùs quàm designauit Iosephus, Herodem constitutum fuisse Regem; aut plus triginta septem annis regnasse. At verò Cardinalis Baronius in Apparatu suo ad Annales, subtiliorem quamdam viam excogitauit dimetiendi annos regni Herodis, & producendi eos vsque ad octauum Christi annum, dicens, triginta septem annos, quibus Herodes regnasse dicitur, non esse supputandos ab obtento à Romanis Regis titulo, vt putat Iosephus; sed ab Actiaca pugna, quando Iudææ regnum ab Augusto iterùm impetrauit. Verumenimuerò, quòd ista quoque opinio admittenda non sit, nos infrà sub anno mundi 4051. num. 30. vsque ad 37. demonstrabimus.

QVANDO REX FVERIT DECLARATVS.

IOSEPHI DICTVM DEFENDITVR.

6. Nunc

QVOD IOSEPHI DICTVM DE INITIO REGNI HERODIS AB EVANGELIO NON DISCORDET.

6. Nunc ſat erit oſtendere, quomodo dictum Ioſephi ſit intelligendum, & quomodo nullatenus ab Euangelica veritate diſcordet. Pro qua re ſciendum eſt, quemadmodum in huius Operis Præfatione num. 11. monſtratum eſt, non omnes in annis ab Vrbe condita dimetiendis inter ſe conuenire, ſed varias admodum apud Auctores reperiri ſupputationes; ex quibus duas eſſe ceteris præferendas, grauiſſimorum Scriptorum auctoritate confirmat Onuphrius lib. 1. Commentariorum ſuorum in Faſtis cap. De anno & die Vrbis conditæ: nimirum Varronis, & Tabularum Capitolinarum, quarum altera ponit prædictum Caluini & Pollionis Conſulatum anno Vrbis ſeptingenteſimo decimotertio, vt eſt etiam in Faſtis apud Sigonium; qui annus ferè totus concurrit cum anno quarto Olympiadis centeſimæ octogeſimæ quartæ: altera in annum Vrbis ſeptingenteſimum decimumquartum, vt eſt apud Onuphrium in Faſtis; & hunc annum Pererius vbi ſuprà, ait competere cum anno ſecundo Olympiadis centeſimæ octogeſimæ quintæ, ſed reuerà concurrit cum primo eiuſdem Olympiadis, vt videre eſt apud eumdem Onuphrium, & patet in noſtris tabulis. Verumtamen aduertendum eſt, quòd ex hiſce duabus ſupputationibus, prior ponit etiam Conſulatum L. Cornelij Lentuli & M. Valerij Meſſallini (ſub quo natum eſſe Chriſtum etiam Baronius ipſe confirmat) in annum Vrbis ſeptingenteſimum quinquageſimum, & in annum primum Olympiadis centeſimæ nonageſimæ quartæ: poſterior verò ſupputatio, ponit eumdem Conſulatum Lentuli & Meſſallini anno Vrbis ſeptingenteſimo quinquageſimo primo, & anno ſecundo Olympiadis centeſimæ nonageſimæ quartæ, vt videre eſt apud citatum Onuphrium lib. 2. Faſtorum, & in noſtris tabulis, adeò vt ſemper in vtraque ſubductione, à Conſulatu Caluini & Pollionis, ſub quo regiam dignitatem conſecutus eſt Herodes, ad Conſulatum Lentuli & Meſſallini, ſub quo ſupponimus natum eſſe Chriſtum, numerentur præcisè anni dumtaxat triginta ſeptem: totidem autem, & non ampliùs, regnaſſe Herodem, tradit Ioſephus, & poſt ipſum omnes ferè alij Scriptores, præter vnum Baronium. Porrò, ex duabus proximè memoratis calculationibus, Ioſephus primam ſecutus eſt, & proptereà quemadmodum 14. Antiq. in principio libri poſuit Conſulatum Q. Hortenſij & Q. Metelli Cretici in annum tertium Olympiadis centeſimæ ſeptuageſimæ ſeptimæ; cùm tamen conſtet, prædictum Conſulatum, iuxta alteram ſupputationem, competere in annum quartum eiuſdem Olympiadis: ita idem Ioſephus præcitati libri cap. 26. poſuit Conſulatum Caluini & Pollionis anno quarto Olympiadis centeſimæ octogeſimæ quartæ; qui proculdubiò ſecundùm alteram calculationem incidit in annum primum Olympiadis centeſimæ octogeſimæ quintæ. Itaque, quia ſecundùm Ioſephum oporteret ponere natiuitatem Chriſti anno primo Olympiadis centeſimæ nonageſimæ quartæ, & Vrbis ſeptingenteſimo quinquageſimo; nos autem cum ipſo Cardinale Baronio credimus Redemptorem noſtrum natum eſſe anno ſecundo dictæ Olympiadis, & Vrbis ſeptingenteſimo quinquageſimo primo: ideò cogimur quoque ponere Conſulatum Caluini & Pollionis in annum primum Olympiadis centeſimæ octogeſimæ quintæ; nec proptereà, quod ad numerum annorum regni Herodis attinet, ab ipſo Ioſepho diſcedimus, quia, vt dictum eſt, idem annus, qui iuxta metiendi rationem à Ioſepho initam, fuit quartus Olympiadis centeſimæ octogeſimæ quartæ; ſecundùm alterum calculandi modum, fuit primus Olympiadis centeſimæ octogeſimæ quintæ.

HERODES SVB FINEM ANNI OLYMPICI DECLARATVS EST REX.

7. Quòd autem ſub anni huius (anni inquam Olympici) finem Herodes declaratus ſit Rex Iudæorum, inde fit clarum, quòd annus Olympicus, etiam ex Baronij ſententia, terminari ſolebat in media æſtate, hoc eſt circa Solſtitium Æſtiuum: Herodem verò tempore veris regiam obtinuiſſe dignitatem, ſatis euidenter colligi poteſt ex Ioſepho, qui 14. Antiq. cap. 25. deſcribens ea quæ Herodi Romam proficiſcenti acciderunt, narrat, ipſum hiberno tempore ab Alexandria ſoluiſſe; & graui iactatum tempeſtate, amiſſis ſarcinis, ægrè Rhodum peruenire potuiſſe; indeque poſtmodum, fabricata inſtructaque magna triremi, Italiam verſus nauigans applicuiſſe Brunduſium, ac tandem veniſſe Romam. Vnde manifeſtum fit, eumdem Herodem non potuiſſe tam longam adeoque difficilem nauigationem vnius aut duorum menſium interuallo conficere, præſertim, cùm poſtremam hiemis partem in inſula Rhodo, tum ad vitandas tempeſtates, tum ad triremem extruendam atque inſtruendam, tranſegiſſe dubium non ſit; nec inde, niſi appropinquante vere, aut circa ipſius veris initia, ſoluere valuiſſe; ac demum nonniſi inchoante circiter menſe Aprilis, vel non multò pòſt, Romam perueniſſe; & conſequenter, vt diximus, prope finem anni Vrbis ſeptingenteſimi decimiquarti, qui terminari ſolebat die vigeſima quinta Aprilis, quemadmodum à

nobis sub anno mundi 3300. num. 1. dictum est, & pariter non longè admodum ab exitu anni Olympici, regiam dignitatem fuisse consecutum; eodemque item mense Roma discedens, ad suos properare cœpisse: quandoquidem, vt suprà num. 3. ex Iosepho retulimus, intra septem dies ipsum Herodem insperata ornatum dignitate, Antonius dimiserat. Igitur, si verno tempore anni primi Olympiadis centesimæ octogesimæ quintæ Herodes factus est Rex, proculdubiò non potuit id accidisse nisi sub finem dicti anni Olympici; & consequenter necessariò infertur, primum annum regni Herodis ferè totum concurrisse cum anno secundo dictæ Olympiadis, & pariter annum vitæ regnique eius postremum peruenisse vsque ad initia verni temporis, id est, prope finem anni Vrbis septingentesimi quinquagesimi primi, & non admodum procul ab exitu anni secundi Olympiadis centesimæ nonagesimæ quartæ: siquidem Herodes mortuus est prope tempus Paschatis, vt planè colligitur ex Iosepho 17. Antiq. cap. 11. & 2. de Bello cap. 1. non longè ab initiis cap. Christus autem eodem anno, tribus nimirum ferè mensibus ante obitum Herodis, hoc est, die vigesima quinta Decembris proximè præteriti, iam natus erat. Quare manifestum est, dictum Iosephi de initio regni Herodis nequaquam sacro Euangelio aduersari.

8. Sed neque prædictis officit quod ait Cardinalis Baronius in Apparatu ad suos Annales, nimirum, Caluini & Pollionis Consulatum referri debere pro medietate in annum quartum Olympiadis centesimæ octogesimæ quartæ, & pro alia medietate in annum primum Olympiadis centesimæ octogesimæ quintæ: ex qua positione sequeretur, nullatenus Herodem potuisse consequi Regis titulum in fine anni primi eiusdem Olympiadis centesimæ octogesimæ quintæ. non, inquam, hoc obstat; quia Baronius supponit, Consulatum semper iniri consueuisse Kal. Ianuarij, & anno integro perdurasse; quod tamen neque ipse probat, neque probare potest; cùm potiùs constare videatur de opposito. Etenim certum est, sæpè variis anni temporibus Consules esse suffectos, siue ob priorum mortem abdicationémve, siue aliis de causis. Et præterea, quia tametsi ordinarium tempus gerendi Consulatus, esset annus integer; & ab anno Vrbis sexcentesimo firmatum fuisset, vt dies sollemnes ineundi Consulatus essent Kalendæ Ianuarij, quemadmodum scribit Panuinius lib. 1. Commentariorum suorum in Fastis, in fine cap. De anno & die Regisfugij; & idem confirmat Sigonius in suo pariter Fastorum Commentario cap. De Consulibus primùm creatis: attamen constat, id non semper posteà fuisse obseruatum, præsertim verò Triumuiratus tempore, in quod incidit ipsius Caluini & Pollionis Consulatus. nam, vt libro citato Panuinius cap. De Consulatu, testatur, Octauianus Cæsar durante Triumuiratu, Consulatum pro suæ & collegarum voluntatis arbitrio profusissimè, & nulla temporum vel hominum discriminis ratione habita, in plures paucioréve, vt illi libuisset, anni menses dedit. Quare neque supponi, neque affirmari vllo modo potest, Caluini & Pollionis Consulatum partem anni quarti Olympiadis centesimæ octogesimæ quartæ, & partem anni sequentis obtinuisse; sed tantummodò, quòd ipsi tunc Consules erant, quando Herodes declaratus est Rex, videlicet sub finem anni primi Olympiadis centesimæ octogesimæ quintæ; qui annus pænè totus concurrebat cum anno Vrbis septingentesimo decimoquarto, vt sæpè iam dictum est. OBIECTIO BARONII TOLLITVR.

☞ 9. Eodem anno, antequam de Italia in Iudæam rediisset Herodes, eius familia in Masada castello satis munito ab eodem relicta, acriter valdè oppugnabatur ab Antigono; resque eò periculi deuenit, vt deficiente obsessis aqua, Iosephus Herodis frater iam de fuga ad Arabes capienda cogitaret. Verùm imbre de cælo noctu diuina prouidentia demisso, repletisque cisternis, cœpit rursus magno animo aduersus Antigonianos repugnare, ac multos ex eis occidere; donec tandem reuersus ex Italia Herodes, ad liberandos obsidione domesticos properauit, quemadmodum sub anno insequente dicemus: Iosephus 14. Antiq. cap. 26. & libro 1. de Bello cap. 12. HERODIS FAMILIA AB ANTIGONO OPPVGNATVR.

10. Eodem anno, videlicet antequam Herodes ad regnum euectus esset, vel saltem priusquam id in Iudæa innotuisset, oportet Annam (quæ posteà mater fuit Genitricis Dei Mariæ) nuptui traditam fuisse Ioachimo, vt colligi potest ex Hippolyto Martyre, apud Nicephorum Ecclesiasticæ historiæ lib. 2. cap. 3. relato, vbi ait id accidisse sub Cleopatræ & Casoparis Persæ regno, ante Herodis Antipatri filij regnum, hoc est, regnantibus in Ægypto Cleopatra, & in Perside Casopare. Erat autem, vt arbitror, Casopares idem qui & Pacorus, ille Orodis Parthorum Regis filius, quem subsequente anno dicemus à Vintidio Antonij & Romanorum Duce fuisse interfectum. Horum enim Hippolytus mentionem fecit, quòd eo tempore idem Casopares cum Parthis (quos ANNA MATER B. MARIAE VIRGINIS IOACHIMO NVBIT.

(quos & Persas vocat Eutropius Romanæ Historiæ lib.7.) venerat in Iudæam, & pulsis Romanis, Antigonum in Iudææ regnum restituerat, ea conditione, vt penderet ei tributa: & quia Cleopatra, ex quo nupserat Antonio, qui Asiam Syriamque tenebat, ipsa quoque ius prætendebat in Iudæos. Antonij verò non meminit citatus Auctor, quòd ille tum in Italiam se contulisset, bellareque crederetur cum Octauiano Cæsare. Hisce ergo temporibus nupsit Anna Ioachimo. Nec refert, quod quidam asserunt, Ioachimum & Annam mansisse in coniugio per annos viginti sine vlla prole; hinc autem ad annum ortus beatissimæ Virginis, inueniantur in tabulis anni saltem viginti duo: quia eosdem communiter dixere viginti, vsurpantes, vt moris est, numerum perfectum pro imperfecto; quemadmodum communiter dicimus LXX. Interpretes, licet reuerà fuerint septuaginta duo; & quadraginta mansiones, quæ tamen fuerunt quadraginta duæ; & septuaginta discipulos Domini, cùm certum sit fuisse septuaginta duos. Verùm quinam fuerint prædicti Ioachim & Anna, nos sub anno mundi 4037. num.4. ostendemus.

AB ORBE CONDITO ANNVS 4015. — SEXTÆ MVNDI ÆTAT. ANNVS 569.

VINTIDIVS PARTHIS FVGATIS IN IVDAEAM VENIT.

I ANNO proximo, nimirum, vt tradit Eutropius Historiæ Romanæ lib. 7. & ex Dione refert Sigonius, Censorino & Sabino Coss. P. Vinditius à M. Antonio contra Parthos missus, illis è Syria fugatis, in Iudæam venit, verbo quidem, vt Iosepho & iis qui cum eo in Masada obsidebantur, ferret auxilium; reuerà autem, vt ab Antigono pecuniam extorqueret: quod & fecit. Nam cùm prope Ierosolymam castra posuisset, quæstu ab Antigono expletus, ipse quidem cum maxima exercitus parte discessit: Silonem verò cum quadam militum manu, ne fraus deprehenderetur, ibi reliquit: quem etiam Antigonus pecuniis placabat, ne sibi interim molestus esset, donec Parthi, vt sperabat, iterùm ei suppetias ferrent. Intereà Herodes ex Italia Ptolemaidam deuectus, & collectis tum ex suæ gentis milite, tum ex conductitio copiis non mediocribus, ac Vintidij Silonisque auxilio fretus, quibus Gellius ab Antonio missus, vt Herodem in regnum deducerent imperauerat; per Galilæam aduersus Antigonum properabat. Verùm, vt aduertit Vintidium quidem tunc in componendis Syriæ ciuitatum tumultibus, quos Parthorum irruptio excitauerat, distentum; Silonem verò in Iudæa ab Antigono mercede corruptum, occupata cum suo exercitu, qui indies magis ac magis augebatur, Galilæa, & Silone, quem aduersus Antigonianos ægrè repugnantem fortè offenderat, seruato; ac deinde capta Ioppe, suos liberaturus ad Masadam festinauit. Quibus facilè è Masada receptis, & capto etiam Ressa castello, cum exercitu suo admodum aucto, cui etiam multi ex Ierosolymitanis, eius potentia perterriti, & insuper Romani, Silonis milites, se adiunxerant, oppugnaturus Ierosolymam venit, posuitque castra ad Occidentalem vrbis tractum; & prosecutus esset oppugnationem, nisi detexisset Silonem ab Antigono largitione fuisse corruptum, & propterea per suos familiares concitasse suos milites ad flagitandum magnis clamoribus largiores commeatus, & vt in hiberna ad commodiora loca abducerentur. Quamobrem coactus est cum decem cohortibus ad commeatus conuehendos exire: quod dum exequitur, Ierichuntem ab incolis desertam offendit, & occupat; relictoque ibi præsidio, mox ad castra reuersus, Romanum exercitum in recens sibi deditas regiones, nempe Idumæam, Galilæam, & Samariam hibernatum dimisit: ipse verò, misso fratre Iosepho cum parte sui exercitus in Idumæam, depositaque matre ac familia sua quam de Masada eduxerat, in Samariam, ibique tutissimè collocata, cum reliquo exercitu in Galilæam profectus est media hieme, vt quædam Antigoni præsidia inde expelleret, & vt contra latrones expeditionem susciperet. Quibus demum percussis atque profligatis, vniuersos illius regionis ad suas partes traduxit, præter eos, qui in abditis quibusdam speluncarum receptaculis se receperant; quos non multò pòst (dimisso priùs Silone cum exercitu Romano ad Vintidium contra Parthos tum bellum gerentem) ipse miro quodam artificio inuadens, expugnauit. Deinde præfecto Galilææ Ptolemæo, Herodes cum exercitu in Samariam venit, vt armis cum Antigono rem decerneret; verùm audita Ptolemæi nece, & recenti plurimorum à se defectione, compulsus est redire in Galilæam; vbi multos prouinciæ turbatores defectoresque interfecit, & eorum arces diruit, & ciuitates centum talentis mulctauit. Quæ omnia latiùs referuntur apud Iosephum 14. Antiq. cap. 27. & lib. 1. de Bello cap. 12.

HERODES ADVERSVS ANTIGONVM PROPERAT.

HERODIS GESTA.

AB

AB ORBE CONDITO ANNVS 4016. SEXTÆ MVNDI ÆTAT. ANNVS 570.

1 ANNO insequente, Claudio & Norbano Coss. Vintidius Romanorũ Dux contra Parthos missus, & Pacoro eorum Rege in pugna interfecto, ipsisq; profligatis, & clade aliàs Crasso illata egregiè vlta, maximè quòd eodem die & Crassi clades & Vintidij victoria contigerat; per litteras ab Antonio monitus, misit in auxilium Herodi in Iudæa bellanti Machæram Ducem cum duabus legionibus, & mille equitibus; qui vocatus ab Antigono, & pecuniis corruptus, inuito Herode ad eum se contulit, tamquam eius negotia inspecturus; quod præsentiens Antigonus, non modò eum non admisit, sed etiam per funditores glandibus impetitum repulit: quamobrem confusus Machæra, in Emmauntem rediens, præ nimia iracundia in Iudæos sine delectu, quòd Antigoniani vel Herodiani essent, passim sæuiebat. Quod non ferens Herodes, ad Antonium, qui tunc Antiochum Comagenum in Samosata ad Euphraten sita inclusum oppugnabat, ire parat, Machæram accusaturus, quòd se magis quàm hostem læderet: sed ab eo rogatus, & eidem reconciliatus, non iam ampliùs animo ipsum incusandi, sed vt opportunè Antonio suppetias ferendo, eius gratiam magis consequeretur, omnino ire deliberat. Itaque relicto in Iudæa cum exercitu Iosepho fratre, monitoque ne rem in discrimen adduceret, néve cum Machæra contenderet, aut ei omnino fideret; ipse assumptis auxiliaribus copiis pedestribus atque equestribus, ad Antonium properat, atque in itinere cum Barbaris iter ei intercludentibus feliciter pugnat: demum ab Antonio honorificè exceptus & collaudatus, cum eo vsque ad illius belli finem permansit. Antiocho autem posteà Samosatam dedente, Antonius finito bello, & tradita Sosio Syria, iussoque vt Herodem iuuaret aduersus Antigonum, perrexit in Ægyptum: Sosius verò duabus cohortibus in Iudæam præmissis, ipse cum reliquis sequebatur. Interim autem in Iudæa Herodis res admodum fractæ sunt: nam Iosephus immemor mandatorum fratris, acceptis à Machæra quinque Romanorum cohortibus, quæ erant è tyronibus conflatæ, Ierichuntem ad demetendas fruges profectus, atque ab hoste inter locorum difficultates circumuentus, amisso exercitu, fortiter pugnans occubuit: cui, iubente Antigono, abscissum caput, quinquaginta talentis à fratre Pherora redimitur. Post quam Antigoni victoriam, Galilæa iterùm ab Herode defecit, eius factione in lacum demersa ac necata; & apud Iudæam multa nouata sunt, ita vt Machæra in castello nomine Gittha sese munire coactus sit: Iosephus 14. Antiq. cap. 27. & lib. 1. de Bello cap. 12. in fine, & 13. in principio.

VINTIDIVS PARTHORVM REGEM INTERFICIT.

ANTIOCHVS COMAGENVS.

HERODES CVM MACHAERA RECONCILIATVS AD ANTONIVM PROPERAT.

HERODIS RES IN IVDAEA FRACTAE.

IOSEPHVS HERODIS FRATER OCCIDITVR.

AB ORBE CONDITO ANNVS 4017. SEXTÆ MVNDI ÆTAT. ANNVS 571.

1 ANNO proximo, qui erat Vrbis septingentesimus decimusseptimus, Agrippa & Gallo Coss. Triumviri R. P. C. Cæsar, Antonius, & Lepidus, cùm quinque anni Triumuiratus, in quos se ipsi crearant, abiissent; in alterum quinquennium semet renuntiarunt, vt scriptum reliquit Dio lib. 49.

TRIVMVIRATVS PROROGATIO IN ALTERVM QVINQVENNIVM.

2. Eodem anno, qui erat tertius ex quo Herodes Romæ Rex declaratus fuerat, hæc quæ anno præcedente retulimus, eidem iam ad propria redeunti, prope Daphnem Antiochiæ suburbium cùm nuntiata fuissent, iter vltra vires accelerare cœpit; & cùm ad montem Libanum peruenisset, assumptis in auxilium octingentis eius loci viris, cum iis, & Romanorum cohorte quam ducebat, ante lucem Galilæam ingressus, hostes sibi occurrentes prælio victos, in castellum vnde exierant compulit; quod & primo manè oppugnare adortus est. & licet hiemis asperitate exercitum in vicos proximos recipere coactus sit; non multò pòst tamen, superueniente ab Antonio legione altera, qui castellum tenebant territi, illud deseruerunt. Inde Ierichuntem Herodes properauit, vt fratris necem vlcisceretur: vbi de repentina cuiusdam cœnaculi in quo cœnauerat ruina mirabiliter liberatus, mox cum Antigonianis pugnans vulneratur. Sed non multò pòst, quinque oppidis hostium captis atque incensis, & bis mille incolarum interfectis, contra Pappum ab Antigono in Samariam missum profectus est, confluentibus ad se multis ex Iudææ regionibus; & collatis cũ Pappo signis, eum egregiè vicit; ac nimia fratris vlciscendi cupidine accensus, plurimosq; quoq; in vicum fugientes, atq; in domibus tectisque latitantes, acriter insecutus, interfecit. Quo tempore vsqueadeò hostium fregit

HERODIS GESTA POST REDITVM SVVM AB ANTONIO IN IVDAEAM.

fregit audaciam, vt nisi eum hiemis asperitas prohibuisset, confestim Ierosolymam petere, & finem bello imponere potuisset: iam enim Antigonus de fuga deliberans, vrbem deserere cogitabat. Eodem die Herodes dum se in quodam cubiculo lauaret, aliud maximum Dei prouidentia vitæ discrimen euasit. Postridie verò caput Pappi in vltionem Iosephi fratris ab illo necati, alteri fratri suo Pheroræ transmisit. Vbi autem hiemis rigor cessit, Ierosolymam cum exercitu obsidere cœpit: & dum aggeres eleuarentur, turresque ædificarentur, relictis qui instarent operibus, ipse in Samariam ad nuptias cum Mariamme Alexandri filia, quam ei Hircanus (vt sub anno mundi 4012. num. 1. diximus) desponsauerat, celebrandas profectus est.

HERODES IEROSOLYMAM OBSIDERE COEPIT.

AB ORBE CONDITO ANNVS 4018. SEXTÆ MVNDI ÆTAT. ANNVS 572.

CAESAR SEX. POMPEIVM FVGAT.

1 Anno proximo, L. Gellio & M. Cocceio Coss. Cæsar duo bella suscepit ac feliciter confecit. Nam cùm aduersus Sex. Pompeium (qui denuò latrociniis mare infestabat, Vrbemque fame opprimebat, nec pacem quam ab eodem Cæsare & Antonio acceperat præstabat) naualibus certaminibus vario euentu pugnasset, ita vt duarum eiusdem Cæsaris classium, altera cui Agrippa præerat, vinceret; altera quam Cæsar duxerat, pænè deleta, & expositi in terram milites ferè à Pompeio oppressi essent. Victus deinde Pompeius in Siciliam profugit: Cæsar autem fugato Pompeio, collegarum Triumuiratus alterum, M. Lepidum, quem ex Africa in auxilium contra Pompeium euocauerat, superbientem viginti legionum fiducia, summasque sibi partas terrore ac minis vindicantem, spoliauit exercitu, supplicemq; concessa vita Circeiis in perpetuum relegauit. Et victo Lepido, cuius prouincia erat Africa, misso illuc T. Statilio Tauro, eius virtute vtramque Africam sine prælio obtinuit. Cæsari autem post bellum Siculum, Romæ magno omnium consensu statuæ, currus triumphalis, & vt ouans Vrbem iniret, & laurea corona perpetuò vteretur, concessum est. Quæ omnia latiùs ex Dione, Appiano, Velleio, Suetonio, atque Orosio peti possunt.

M. LEPIDVM EXERCITV AC TRIVMVIRATV SPOLIAT.

EIDEM CAESARI HONORES DECRETI.

2. Eodem anno circiter ineunte, nimirum triginta tribus annis ante ortum Christi, oportet natum esse S. Iacobum, Alphæi (vt sub anno mundi 4037. num. 5. dicemus, & sub anno 4082. n. 7. & 8. probabitur) filium, qui posteà communiter Domini frater dictus est, & ab eodem Christo Domino inter duodecim Apostolos meruit connumerari. Nam si verum est quod in Breuiario Romano, sub die primo Maij, de eodem Sancto legimus; videlicet, quòd nonaginta sex annos natus, cùm triginta annos sanctissimè Ierosolymitanæ Ecclesiæ præfuisset, tandem grauiter in capite fullonis fuste percussus, animam Deo reddidit, septimo Neronis anno; vtique consequitur, ipsum per hæc circiter tempora natum esse: ab hoc namque ad septimum Neronis annum (inclusiuè, vt aiunt) nonaginta sex anni inueniuntur. Vnde inferri potest, quòd tempore ascensionis Christi ipse iam sexaginta sex erat annorum; vt propterea mirum non sit, si tamquam ceteris Apostolis senior, & consequenter ad peragrandum orbem minùs aptus, accedente præsertim eximia eius, qua in Iudaismo fulgebat, sanctitatis opinione, Ierosolymorum Episcopus ab Apostolis electus & designatus fuit. Ex his (si vera sunt, vt credimus) consequitur decipi S. Epiphanium Hæres. 78. in eo quòd putauit, hunc Iacobum fuisse illum adolescentem, qui quando Iesus à Iudæis captus fuit, relicta sindone nudus aufugit, vt dicitur Mar. cap. 14. vers. 51.

S. IACOBVS ALPHAEI NASCITVR.

¶ Dixi Iacobum fratrem Domini posteà inter duodecim Apostolos à Domino fuisse cooptatum, quia tametsi non me latet, plurimos eosque alioquin grauissimos Auctores existimasse Iacobum fratrem Domini, à Iacobo Alphæi, & à Iacobo Zebedæi Apostolis fuisse diuersum, ac proinde non duos tantùm, sed tres extitisse sanctos Iacobos, nempe duos Apostolos, & tertiú, qui frater Domini dicitur, & vnus ex LXXII. Discipulis fuisse à nonnullis creditur: tamen nos multò veriorem ac magis fundatam putamus esse sententiam illorum, qui duos tantùm Iacobos, & ambos Apostolos faciunt, videlicet Iacobum Zebedæi, qui & maior; & Iacobum Alphæi, qui & minor, & Iustus, & frater Domini nuncupabatur, & primus Ierosolymorum Episcopus fuisse dicitur. Nam illa relatio maioris & minoris, quæ ad duos eiusdem nominis ac dignitatis distinguendos posita est, eò quòd alter priùs, alter verò posteà à Domino ad Apostolatum vocatus fuerat; vtique duos tantùm, & non plures indicat extitisse Iacobos: præsertim cùm is qui frater Domini dicebatur, etiam fuerit Apostolus, vt apertè testatur S. Paulus ad Galat. cap 1. vers. 19. dicens: *Alium autem Apostolorum vidi neminem, nisi Iacobum fratrem*

QVOD VERE FVERIT APOSTOLVS.

trem Domini, & cap. 2. eiuſdem Epiſtolæ, eumdem Iacobum connumerat cum iis, qui ob virtutis Euangelicæque doctrinæ præſtantiam videbantur eſſe columnæ Eccleſiæ, videlicet cum Petro & Ioanne. Ex quo patet, paris eos fuiſſe dignitatis, hoc eſt, omnes fuiſſe Apoſtolos. vnde non mirum eſt, ſi idem Iacobus Actorum cap. 15. verſ. 13. in primo illo Apoſtolorum Concilio, Petri ſententiam ſecutus, Apoſtolica locutus eſt auctoritate, ita vt omnes alij eidem conſenſerint: denique hoc idem confirmare poſſumus auctoritate ſanctæ Romanæ Eccleſiæ, quæ duorum tantùm huius nominis Sanctorum feſta celebrat, nempe die 25. Iulij feſtum S. Iacobi Ioannis germani, & conſequenter filij Zebedæi; & die 1. Maij ſimul cum S. Philippi Apoſtoli, feſtum S. Iacobi fratris Domini, & cognomento Iuſti, quem in Martyrologio Romano, & in eius Officij Lectione ſexta & ſeptima Ieroſolymorum Epiſcopum ab Apoſtolis creatum, & in primo Concilio poſt Petrum concionem habuiſſe, & vnam ſcripſiſſe Epiſtolam, quæ de ſeptem Catholicis, & conſequenter Apoſtolica eſt, & demum à Iudæis fuſte fullonis interfectum fuiſſe narrat. Et quia ibidem in titulo hunc etiam Iacobum Apoſtolum nominat, neceſſe eſt ipſum fuiſſe filium Alphæi: ſiquidem Matth. cap. 10. verſ. 2. vſque ad 5. & Marc. cap. 3. verſ. 16. vſque ad 20. vbi recenſentur nomina duodecim Apoſtolorum, duo tantùm nominantur Iacobi, quorum alter Zebedæi, alter Alphæi filius fuiſſe dicitur. Quoniam autem certum eſt, filium Zebedæi, ac Ioannis fratrem, ab Herode Agrippa gladio fuiſſe occiſum; vt videre eſt Actorum cap. 12. verſ. 2. neceſſariò conſequitur, Apoſtolum Alphæi filium fuiſſe illum, qui & Iuſtus, & frater Domini cognominatus eſt, & Ieroſolymorum Epiſcopus fuit, & à Iudæis fuſte interemptus; & propterea, vt dicebamus, duos tantùm huius nominis, amboſque Apoſtolos extitiſſe. Neque huic ſententiæ officit locus 1. ad Corinth. cap. 15. verſ. 5. vſque ad 9. ab aliter ſentientibus allegatus, vbi dicit Apoſtolus, quòd Chriſtus poſt reſurrectionem ſuam *viſus eſt Cephæ, & poſt hoc vndecim; deinde viſus eſt plus quàm quingentis fratribus ſimul; deinde viſus eſt Iacobo, deinde Apoſtolis omnibus.* nam hiſce verbis Iacobus à numero Apoſtolorum non ſecernitur: potuit namque Chriſtus aliquando apparuiſſe Iacobo ſoli, aliquando verò cum aliis Apoſtolis congregato; ſicuti ibidem dicitur ipſum Chriſtum apparuiſſe Cephæ, & poſteà vndecim, inter quos neceſſe eſt extitiſſe etiam ipſum Cepham: ſiquidem ſubſtitutio Matthiæ in locum Iudæ proditoris facta fuit nonniſi poſt Chriſti Aſcenſionem, vt patet Actorum, cap. 1. verſ. 15. quare ex dicto Pauli loco inferri nullo modo poteſt, Iacobum hunc non fuiſſe Apoſtolum. Neque verò eſt quòd quis nobis obiiciat S. Hieronymum, qui ſuper Iſaiam cap. 17. & ad Galat. cap. 1. aliter ſenſiſſe viſus eſt; quia ipſe poſteà aduerſus Heluidium ſententiam mutauit, & iiſdem ferè argumentis, quæ nos ſuprà adduximus, confirmat opinionem quam ſequimur. Ad eos autem, qui putant Iacobum minorem fuiſſe filium Alphæi, & Iacobum fratrem Domini fuiſſe filium Cleophæ, & propterea eſſe inter ſe diuerſos: nos ſub anno mundi 4082. n. 8. declarabimus, quomodo idemmet Iacobus potuit dici & filius Alphæi, & filius Cleophæ. Ad alios autem Auctores, qui ſine vlla probatione aſſerunt tres fuiſſe Iacobos, pro plena ipſorum redargutione, ſufficiant argumenta in contrarium adducta. Reſtant adhuc duæ tantùm difficultates, quæ contra hactenus aſſerta ab auctoritate duorum ſummorum Pontificum excitari poſſe videntur, nempe Anacleti & Nicolai huius nominis Primi. Siquidem Anacletus in Epiſtola 2. Decretali, aſſerens Iacobum fratrem Domini fuiſſe ordinatum Epiſcopum Ieroſolymitanum à Petro, Ioanne, & Iacobo Apoſtolis, videtur innuere quòd ipſe non fuerit Apoſtolus; præſertim cùm poſteà dicat, Apoſtolos omnes à Chriſto parem accepiſſe poteſtatem. Ex quo dicto emanauit cōmunis illa opinio, quòd Apoſtoli omnes fuerint immediatè à Chriſto, vel à Spiritu ſanctò ordinati Epiſcopi. Quod ſi verum eſt, videtur conſequi, ipſum Iacobum fratrem Domini (ſi fuit ab Apoſtolis ordinatus, vt ait Anacletus; vel creatus Epiſcopus, vt habet Lectio Breuiarij Romani ſuperiùs citata) non fuiſſe Apoſtolum. Et hoc quoque videtur inſinuaſſe Nicolaus ad reſcripta Bulgarorum cap. 92. dicens, *eas Eccleſias habendas eſſe Patriarchales, in quibus Apoſtolos ſediſſe conſtat, videlicet Romanam, Alexandrinam, & Antiochenam.* & poſteà ſubiungens, *Ieroſolymitanam quoque Eccleſiam eſſe in honore habendam.* vnde videtur ſequi, Iacobum eius Epiſcopum non fuiſſe Apoſtolum. Sed ad hæc reſponderi poteſt, Primò, quòd idem Nicolaus, in eo quòd de Eccleſiis Patriarchalibus verba faciens, concedit Ieroſolymitanam Eccleſiam etiam in honore eſſe habendam, (licet propter Petri auctoritatem illi præferat Antiochenam) noſtræ potiùs fauet ſententiæ; quam etiam confirmare videntur tam Patres Concilij Lateranenſis ſub Innocentio III. celebrati, qui can. 5. vbi agunt de ordine Eccleſiarum Patriar-

DE ECCLESIIS PATRIARCHALIBVS.

Patriarchalium, post Antiochenam constituunt Ierosolymitanam, quam alij Auctores, quotquot inter primas Ecclesias Patriarchales ab Apostolis fundatas Ierosolymitanam quoque connumerant. Dixi, *inter primas*; quia postmodum aliæ sic appellatæ fuerunt, non ratione fundationis Apostolicæ, sed quòd in vrbibus admodum principalibus erectæ essent; vt patet de Constantinopolitana, Aquileiense, Veneta, & si quæ sunt eiusmodi aliis. Verùm de Ecclesia Ierosolymitana, quòd fuerit Patriarchalis, illud etiam nos dubitare non sinit, quòd vsque nunc Romanus Pontifex Ierosolymitani Patriarchæ titulum cui vult conferre solet. Ad Anacletum dicimus, eius dictum debere intelligi non de consecratione & ordinis potestate, quam Iacobus frater Domini, vt Apostolus, habuit à Christo; sed de speciali quadam ipsius creatione, seu electione, vel deputatione ad regendam & gubernandam particularem illam Ecclesiam cum titulo specialis eius Episcopi, seu Patriarchæ, quod non habuerat immediatè à Christo; sed posteà ob causas superiùs adductas habuit, vel à Petro, Ioanne, & Iacobo Apostolis, vt credidit Anacletus; vel à solo Petro, vt sentit S. Ioan. Chrysostomus Homil. 87. in Ioannem. Redeamus ad Historiam.

HERODES ET SOSIVS IEROSOLYMAM EXPVGNANT.

☞ 3. Eodem anno non multò anteà iam inchoato, Herodes collectis aliis item militum copiis, cum Sosio, qui magnam equitum peditumque manum ducens aduenerat, Ierosolymam rediit; & ambo pariter vrbis oppugnationi acriter instantes, ipsam tandem septem post menses (quorum quattuor iam præcesserant Sosij aduentum, alij verò ferè tres subsecuti sunt, vt ex numero proximo dicendis constabit) vrbem templumque expugnarunt, ingenti facta hominum cæde, & Antigono Machabææ stirpis postremo Rege capto, moxque ad Antonium perducto. Herodes autem, deuictis hostibus, non minus negotij habuit in compescendis alienigenarum auxiliis: ruebat enim multitudo ipsorum ad visendum, non exteriora templi tantùm, sed & intima. Ipse verò excurrens & accurrens, hos precibus, illos minis, & nonnullos quoque armis reprimebat: alios item in cædes ac rapinas plus iusto bacchantes prohibere conabatur; grauiter questus cum Sosio, quòd sic se Romani solitudinis Regem facere velle viderentur. Cui dicenti, Militibus pro expugnationis labore, deprædationem meritò debere permitti: respondit, Se illis de suo cumulatè satisfacturum. Quod & posteà omnino præstitit, quemadmodum nos infrà num. 15. dicemus. Quæ omnia fusiùs tradit Iosephus 14. Antiq. cap. vltimo, & lib. 1. de Bello cap. 13.

4. Itaque sub finem anni quarti Olympiadis centesimæ octogesimæ quintæ, M. Agrippa & Canidio Gallo Coss. cuius anni postrema pars aliquantisper concurrere cœperat cum prima anni regni Herodis quarti, ex quo à Romanis Iudææ Rex fuerat declaratus; Herodes auxilio Sosij Ierosolymam cœpit, eodemmet mensis die, quo ante annos viginti septem expugnata fuerat à Pompeio; nimirum mense Anni Hebræorum sacri tertio, qui ex parte nostro interdum respondet Maio, Feriis quibus sollemne fieri solebat Ieiunium; & currente anno Iudæorum Sabbatico, qui fuit in ordine aliorum ducentesimus quintus, vt etiam in tabulis notatum inuenies. Et hæc omnia hîc breuiter tacta, latiùs prosequitur Iosephus 14. Antiq. cap. vltimo, & lib. 1. de Bello c. 13. Ex quibus consequitur, annum primum regni Herodis ab Ierosolyma capta, ferè totum concurrisse cum anno primo Olympiadis centesimæ octogesimæ sextæ, & cum anno Vrbis septingentesimo decimooctauo; vt etiam videre est in tabulis. Verùm quia ex Iosepho diximus, ab Herode captam fuisse Ierosolymam in mense tertio, currentibus Feriis Ieiunij sollemnis; si quis de dictarum Feriarum tempore percontetur; dicimus, ex veteri Hebræorum Kalendario id sciri nullo modo posse; quandoquidem tam in eo quod habetur apud Sigonium lib. 3. de Repub. Hebræorum cap. 18. quàm in illo quod nos emendatum sub anno mun. 2545. num. 27. posuimus, nullus in toto mense tertio Ieiunij dies notatus reperitur. At verò in recentiori, quod edidit Genebrardus cum suis Psalmorum Commentariis, tres in dicto mense Ieiunij dies notati inueniuntur, vnus die vigesimo tertio, alter die vigesimo quinto, ac tertius die vigesimo septimo. Vnde si hæ sunt Ieiuniorum feriæ à Iosepho commemoratæ, oportet præfatam Ierosolymæ expugnationem ac deprædationem sub dicti mensis finem incidisse.

¶ 5. Ceterùm, hoc tempore, in quo sceptrum Iudææ de Machabæorum familia (in qua non annos dumtaxat centum viginti sex, vt putat Iosephus in calce lib. 14. Antiq. sed centum triginta tres, vt nostris patet in tabulis, permanserat) omnino sublatum fuit, & ad Herodem translatum, putant ferè omnes impletam esse famosam illam Patriarchæ Iacobi Prophetiam, quæ habetur Genes. cap. 49. vers. 10. in hæc verba: *Non auferetur sceptrum de Iuda, & dux de femore eius, donec veniat qui mittendus est, & ipse erit*

DE IACOBI PROPHETIA.

erit expectatio gentium. siquidem, inquiunt, constat, sub isto Herode Rege alienigena natum esse Christum, qui fuit verus ille Messias olim semini Abrahæ à Deo promissus, in quo benedicendæ erant omnes gentes. Verumtamen, si hæc Prophetia ad litteram editionis Vulgatæ, quæ proculdubiò ceteris præferri debet, accipienda est; magis oporteret priùs natum esse Messiam, deinde subsecutam esse Iudaici sceptri translationem de tribu Iuda; id namque videntur ipsa Prophetiæ verba futurum prænuntiasse. Sed præter hoc argumentum, non etiam videtur prædicta opinio admittenda; quoniam duo supponit, nempe Machabæos fuisse de tribu Iuda, & Herodem non fuisse Iudæum, sed alienigenam; quorum neutrum concedi debere putamus. Nam de Machabæis certum est, eos fuisse de tribu Leui; quemadmodum patet 1. Machab. cap. 2. vers. 1. vbi disertè traditur, quòd Mathathias ipsorum pater fuit Sacerdos ex familia & vice Ioarib: fuisse autem ipsum Ioarib de filiis Aaron, apertè colligitur 1. Paralip. cap. 24. vbi describitur illa Sacerdotum distributio, quæ sorte per ipsorum familias, Dauide iubente, facta fuit; quò singulæ possent per ordinem, iuxta vices suas, in Templo ministrare; & dicitur, quòd prima sors exiuit in familiam ipsius Ioarib. Et infrà cap. Machab. proximè citato vers. 54. idem Mathathias morti proximus, enumerans coram filiis suis aliquot exempla iustorum qui præcesserant in Israel, nullum eorum appellat, patrē, nisi Phinees. ait enim: *Et Phinees pater noster zelando zelum Dei*, &c. Quibus verbis clarè insinuat, progeniem suam ab ipso Phinees filio Eleazari filij Aaronis prodiisse. Præterea de Ionatha & Simone filiis dicti Mathathiæ, quòd fuerint vnus post alterum summi Sacerdotes, manifestum est. De Ionatha, 1. Machab. cap. 10. v. 20. & cap. 12. vers. 6. & cap. 14. vers. 30. De Simone autem, 1. Machab. cap. 13. vers. 36. & 42. & cap. 14. vers. 17. 20. 23. 27. 41. & 47. Item de Ioanne filio præfati Simonis legimus 1. Machab. cap. vlt. vers. 24. quòd & ipse *factus est Princeps Sacerdotum post patrem suum:* & ibidem fit mentio libri Actorum Sacerdotij eius. De Alexandro quoque filio dicti Ioannis, quòd tamquam summus Sacerdos sacra faceret in die Scenopegiæ, colligitur ex Iosepho 13. Antiq. cap. 21. Et similiter de Hircano & Aristobulo filiis eiusdem Alexandri, quòd & ipsi Pontificatum tenuerint, idem Auctor apertè tradit; de priori quidem, lib. 14. Antiquit. cap. 1. & lib. 15. cap. 9. & lib. 1. de Bello cap. 4. de altero autem 14. Antiquit. cap. 11. Et in fine eiusdem libri de omnibus simul Machabæis (quos ipse Assamonæos vocat) verba faciens, ait quòd ipsorum *domus illustris fuit, & celebrata propter continuatum in ea gente honorem Sacerdotij.* Quare nullus relinquitur dubitandi locus, quin Machabæi omnes fuerint de posteritate Aaronis, & consequenter de tribu Leui, non autem Iuda: implicat enim, aliquem de tribu Iuda fuisse veteris Legis Sacerdotem; dicente Apostolo ad Heb. cap. 7. vers. 13. quòd de tribu Iuda nullus altari præstò fuit. Ex quibus patet, decipi Genebrardum, qui lib. 2. suæ Chronologiæ, vbi incipit agere de Machabæis, putat Machabæos de tribu Iuda paternam traxisse originem, maternam verò de tribu Leui. Nec obstat præmissis locus 1. Machab. cap. 5. vers. 63. ex quo Cardinalis Baronius in Apparatu ad suos Annales colligit, Machabæos fuisse de tribu Iuda; quia, inquit, de ipsis ibidem dicitur: *Et viri Iuda magnificati sunt valdè in conspectu omnis Israel*, &c. quandoquidem verus ac legitimus verborum illorum sensus est, ac si diceretur: Et viri qui sequebantur Iudam Machabæum, seu qui erant cum eo, nimirum ipse, & fratres eius, & milites eius, magnificati sunt. quem sensum clariùs indicauit editio Lxx. Interpretum, quæ sic habet: *Et vir Iudas, & fratres eius magnificati sunt*, &c.

QVOD MACHABAEI FVERINT DE TRIBV LEVI.

6. Non item obstat quod dicunt Lyranus, Abulensis, & Carthusianus, super cap. Genes. 49. & alij alibi, ponentes eosdem Machabæos fuisse quidem de tribu Leui ex stirpe paterna, ex materna verò de tribu Iuda; quia neque ipsi id satis plenè probant, neq; ex Sacris libris conuinci vllo modo potest: nam licet tribus Leuitica, quòd possessiones non haberet in Israel, quæ per matrimonia cum aliis tribubus confundi possent, liberè cum eisdem contrahere connubia valeret; & licet aliquot possint exempla proferri Pontificum seu Leuitarum, vt patet Exod. cap. 6. vers. 23. de Aaron qui duxit vxorem Elisabeth filiam Aminadab sororem Nahason, quos fuisse de tribu Iuda, liquidò constat Matthæi cap. 1. vers. 4. ibi enim recensentur in genealogia Saluatoris. & de Iosabeth filia Ioram Regis Iuda, quæ fuit vxor Ioiadæ Pontificis, vt dicitur 2. Paralip. cap. 22. vers. 11. & Iudicum cap. 19. vers. 1. vbi legimus, quòd vir Leuites habitans in latere montis Ephraim, accepit vxorem de Bethleem Iuda: non tamen ex his fit consequens, quòd omnes Leuitæ vel Sacerdotes seu Pontifices ducerent vxores de tribu Iuda; siquidem certum est, Zachariam patrem Io. Baptistæ, qui erat Sacerdos, habuisse

OBIECTA QVAEDAM TOLLVNTVR.

habuisse vxorem de filiabus Aaron, vt patet Luc.cap.1.vers.5. & probabilius videtur, eos vt plurimùm propriæ tribus vxores ducere consueuisse. Quare nullatenus constare potest, Machabæos ex matre tribus Iudæ fuisse genitos. Sed esto quòd ita fuerit; non tamen sequeretur, eos verè fuisse de tribu Iuda: quia in distinguendis tribubus semper attendebatur genus paternum, non autem maternum; vt propterea etiam sancti Euangelistæ genealogiam Christi per Ioseph potiùs quàm per Mariam deducere voluerint, licet ipsa vera mater, ille verò putatiuus Christi pater fuerit; & vterque ex vna eademque tribu essent. Huc accedit, quòd in præcitata Prophetia, ad illud, *Non auferetur sceptrum de Iuda*, non otiosè additum est, *& Dux de femore eius*; nimirum ad insinuandum, quòd ibi non erat sermo de Regibus aliquo modo pertinentibus ad tribum Iuda; sed de iis, qui verè ac re ipsa de femore, hoc est de semine essent Iudæ, seu de lumbis eius prodiissent: istæ enim & eiusmodi Hebraicæ phrases, in Sacro eloquio paternas, non autem maternas generationes significare solent. Per hoc item eluditur alia quorumdam opinio, quam ex duobus præsertim Scripturæ locis deducunt, videlicet, Numer.cap.1.vers.49. vbi præcipit Dominus Moysi ne numeret tribum Leui, neque ponat summam eorum cum filiis Israel, eò quòd essent separati in sortem & ministerium Domini. & Iudic.cap.17.vers.7. vbi sic legimus: *Fuit quoque alter adolescens de Bethleem Iuda, ex cognatione eius; eratque ipse Leuites, & habitabat ibi.* Ex quibus, inquiunt, patet, quòd singuli Leuitæ adscribebantur illi tribui in qua habitabant: vnde quemadmodum dictus Leuites dicitur de cognatione Iudæ, quia habitabat in Bethleem Iuda; ita Mathathias pater Machabæorum & posteri eius dici possunt de cognatione Iudæ, quia habitabant primò in monte & ciuitate Modin, quæ & Meddin, posita in tribu Iuda, vt patet Iosue cap.15.vers.62. deinde in Ierusalem, quæ à temporibus Dauidis pertinere cœperat ad tribum Iuda. Sed hoc, vt diximus, non est propriè dici de femore seu semine Iudæ.

QVOD HERODES NON FVERIT ALIENIGENA

7. Quod verò attinet ad Herodem: equidem non ignoro, S.Epiphanium lib.1. sui Panarij cap.20. cui titulus est, *Contra Herodianos*, tradere, Herodis maiores fuisse Ascalonitas; ipsum verò de Antipatro patre in Idumæa captiuo natum esse, ac propterea ab aliquibus appellari Ascalonitam, ab aliis autem Idumæum. Quin etiam asserit, dictum Antipatrum Herodis patrem non solùm fuisse Ascalonitam; sed etiam ab altero Herode cuiusdam Antipæ filio genitum, & simulacri Apollinis Æredituum ac ministrum extitisse: qui cùm quadam die ab Idumæis captus fuisset, in Idumæa manens genuit Herodem, & ibidem aliquamdiu ob patris paupertatem, cum Herode filio in eadem captiuitate permansit, donec tandem ex ciuium collatione vterque de illa seruitute liberatus, ad propria remeauit. Hæc autem, quæ nescio vnde desumpta fuerint, non parum sanè differunt ab his quæ Iosephus Iudæus, & ipso S.Epiphanio longè antiquior, 14.Antiq.cap.2. de eiusdem Herodis maioribus scripta reliquit, vbi Antipatrum Herodis patrem neque Ascalonitam, neque templi Apollinis ministrum, neque Idumæorum captiuum vnquam fuisse tradit, sed genere Idumæum; & non de alio Herode paupere, sed de Antipa admodum diuite, quippe qui (vt paulò pòst dicemus) totam Idumæam gubernauerat, natum. & addit, eumdem Antipatrum, qui & eodem quoque quo pater nomine vocabatur Antipas, fuisse virum pecuniosum, & natura factiosum ac strenuum. Scio item, ipsum Herodem, siue Ascalonita fuerit, siue Idumæus, communiter ab omnibus ferè Scriptoribus tamquam alienigenam censeri. Verumtamen (saluo semper saniori iudicio) potiùs dicendum puto, ipsum reuerà fuisse Iudæum. Nam licet facilè crediderim, Herodis patrem & aliquot ex maioribus eius aliquamdiu habitasse in Idumæa, quemadmodum ex Iosepho, cui magis in hac parte credendum esse videtur, colligi potest, qui loco proximè adducto ait, Antipam Herodis auum olim ab Alexandro Iudæorum Rege, & posteà etiam ab eius vxore Alexandra Regina, quæ ei in regnum successit, constitutum fuisse totius Idumææ Ducem: non tamen inde sequitur, ipsos genere Idumæos extitisse. Nec quòd ipsi aut aliqui ipsorum communiter fortassis Idumæi denominarentur, conuincit, eos verè fuisse Idumæos. Nam multos legimus Actorum cap.2.vers.9. appellatos fuisse Parthos, Medos, & Ælamitas, & Cretes, & Arabes, &c. quos tamen fuisse Iudæos, iam ibidem vers.5. indicatum fuerat illis verbis, *Erant autē in Ierusalem Iudæi viri religiosi ex omni natione quæ sub cælo est*, &c. Sic olim Obededom dictus est Gethæus, 2.Reg.cap.6. vers.10. & Vrias, Hethæus, cap.11.vers.4. & Areuna, Iebusæus, cap.24.vers.18. sic deinde Simon ille qui portauit crucem post Iesum, à SS.Euangelistis, Matthæo, Marco, & Luca, appellatur Cyrenensis; & similiter Lucius ille vnus ex Antiochenæ Ecclesiæ Doctoribus, Actorū c.13.v.1.

& (quod

& (quod magis mirandum videri poteſt) Apoſtolus Paulus,qui ad Rom. cap.11. v.1. & ad Philipp.cap.3.verſ.5. Iſraëlitam ſe, & de tribu Beniamin eſſe profitetur; nihilominùs Actorum cap.9.verſ.11.nuncupatur Tarſenſis,quia ipſe & aliqui ex maioribus eius nati educatique fuerant in Tarſis Ciliciæ oppido admodum inſigni, quod olim fuerat illius prouinciæ caput. Quin etiam Actorum cap.22.verſ.27.& 28. ipſemet ſe Romanum eſſe affirmat,quod vel (vt multis placet) patre ciuitate donato natus eſſet, vel (vt alij putant) tota Tarſus à Romanis tali iure nobilitata fuiſſet.Similiter & S.Barnabas Actorum cap.4.verſ.26. & Leuites dicitur, & genere Cyprius. Vnde fit manifeſtum,genus non ſemper pro ipſa generationis origine; ſed interdum quoque pro natiuitatis,vel educationis,vel diuturnæ habitationis loco,ſiue pro patria naturali, ſeu ex priuilegio acquiſita,vſurpari. Quare nihil vetat,quin Antipater Herodis pater dici potuerit Idumæus,quòd in Idumæa aliquamdiu habitauerit: & Herodes dici Aſcalonita, quòd vel in Aſcalone educatus, vel fortè etiam natus fuerit: nam de Antipa Herodis auo ſcribit Ioſephus 14. Antiquit. cap.2. quòd & Arabum, & Gazæorum, & Aſcalonitarum amicitias coluerat, multiſque eos ſibi conciliauerat muneribus. quamobrem facilè fieri potuit,vt Herodis parentes occaſione aliqua vrgente, in Aſcalone moram trahentes,ibi Herodem genuerint,vel illuc ipſum educandum tranſmiſerint; atque hanc forſitan eſſe cauſam,cur magis ipſe,quàm eius pater aut fratres, Aſcalonitæ cognomentum contraxerit.

8. Porrò Herodem duxiſſe genus ſuum ſiue originem non ab Idumæis,ſed à Primatibus Iudæorum qui de captiuitate Babylonica redierant, teſtatur (eodem referente Ioſepho vbi ſuprà) Nicolaus Damaſcenus Auctor grauiſſimus ac fide dignus; quippe qui fuit Ioſepho antiquior,& ipſiuſmet Herodis contemporaneus,& Philoſophus Platonicus, atque Hiſtoricus magni nominis, præſertim apud Auguſtum Cæſarem, cuius Vitam ſcripſit,& inſuper Hiſtoriam edidit vniuerſalem ſeptuaginta libris (qui tamen non extant (comprehenſam, vt videre eſt in Catalogo Hiſtoriographorum Officinæ Textoris,& latiùs apud Volaterranum lib.17. ex Suida. Neque verò minùs credendum eſt Damaſceno,quòd Ioſephus ibidem dicat, illum id ſcripſiſſe in gratiam Herodis,quem fortuna ad regnum Iudæorum euexit: cùm potiùs exiſtimandum ſit, à Ioſepho,communibus & propriis quoque odiis nonnihil indulgente (erat enim non ſolùm Iudæus,ſed etiam Sacerdos,& inſuper ex parte matris genus ſuum ex regio Aſſamonæorum genere ducebat, vt ipſemet initio Vitæ ſuæ à ſe conſcriptæ teſtatur & probat) oppoſitum litteris fuiſſe conſignatum in gratiam Iudæorum, ac maximè Sacerdotum, quòd cunctis Iudæis ipſe Herodes ob innatam crudelitatem ſuam inuiſus atque infenſus admodum fuerit, præcipuè verò Sacerdotibus, & maximè Aſſamonæis, quia non modò regnum ab eorum genere vi ablatum, ad ſe ſuoſque transferri curauerat; verùm etiam omnem Sacerdotalis generis ſtirpem regiam quæ remanſerat,variis modis ac prætextibus extinxerat. Nam ſi Herodes verè fuiſſet natione Idumæus, proculdubiò conſiderata eius audacia & effrænata animi ferocitate, & quòd à Romanis regnum obtinuiſſet, & vi cepiſſet Ieroſolymam; credendum eſt quòd nihil intentatū reliquiſſet,vt Iudæos ad ritum Gentis ſuæ traheret, ſicuti fecerat Io.Hircanus Iudæorum Dux,quando ſubegit Idumæos: eoſdem enim, qui tum Legi tantummodò circumciſionis Abrahamo olim datæ obligati erant, eò quòd ipſi eſſent filij Eſau nepotis Abrahæ; non autem Legi Moyſaicæ, quæ ſolis poſteris Iacob data fuerat: nihilominùs omnino in poſterum Iudaizare coëgit, vt tradit Ioſephus 13. Antiquit.cap.17. & nos ſub anno mundi 3926. num.1. retulimus. Vnde quis dubitat, Herodem ad vlciſcendum natura incitatiſſimum, quippe qui tot Iudæos in vltionem necati fratris, vt ſub anno mundi 4017.num.2. dictum eſt, interfecerat; ſi verè Idumæus fuiſſet,Iudæis ſubiugatis,voluiſſe etiam Gentem ſuam vlciſci, trahendo Iudæos ad cultum ritumque ipſius; vel ſaltem eoſdem Idumæos in priſtinæ religionis libertatem vindicare? Si enim (vt ſcribit Ioſephus 15.Antiq. cap.11.) Coſtobarus, vnus de Primatibus Idumæorum,Herodis gener factus,indignum exiſtimabat Idumæos ſeruire Iudæis,quorum religionem iampridem Ioan.Hircano cogente acceperant, & proptereà per Cleopatram clàm procurabat Idumæam in priſtinam religionem reſtituere; quid non egiſſet Herodes Rex adeò potens, ſi genere fuiſſet Idumæus? præſertim cùm ſibi perſuadere potuiſſet,id Romanis,à quibus regnum acceperat, tamquam à Iudaico ritu alienis,haud ingratum futurum, & ideò ab ipſis ad id præſtandum licentiam facilè impetraturum. Et tamen ipſum tale quid moliri, vel ſaltem attentare vmquam voluiſſe, probari nullo modo poteſt. quin potiùs conſtat, eumdem non modò ſe Iu-

dæum

dæum esse multis documentis ostendisse; verùm etiam quandoque acerrimum Iudaicæ Legis zelatorem. Nam quòd posteà more Iudaico semper vixerit, probat in primis illud Augusti Cæsaris dictum, quod refert Macrobius lib. 2. Saturnalium cap. 4. Cùm enim audisset de filio Herodis iussu patris occiso, *Melius est*, inquit, *porcum Herodis esse, quàm filium.* clarè insinuans, Herodem Moysaicæ Legis obseruatorem extitisse, quippe qui porcos & eiusmodi animalia Lege prohibita occidi non iuberet aut permitteret. Quòd verò etiam eiusdem Legis zelum idem Herodes non mediocrem aliquando ostenderit, duo vel maximè præclara eius facta attestari possunt. Alterum est, quòd quando Romanorum auxilio Ierosolymam cepit, totis viribus conabatur arcere Gentiles, hoc est Romanorum milites ab ingressu Templi interioris, acerbiorem (vt scribit Iosephus 14. Antiquit. cap. vlt. & lib. 1. de Bello cap. 13.) quàm si victus fuisset, existimans sibi fore victoriam, si quid eorum quæ videri fas non esset, culpa sua veniret in conspectum profanæ multitudinis. Alterum est, quòd ipse nullo suadente aut rogante, sed proprio animi motu actus, templum Ierosolymitanum multò quàm anteà augustius extruere voluerit, quemadmodum narrat idem Iosephus 15. Antiquit. cap. 14. & lib. 1. de Bello cap. 9. His adde, si placet, quòd & Iudæis Ioniæ vrbes incolentibus, quibus indigenæ admodum molesti erant; vt deinceps eosdem propriis viuere Legibus ac ritibus, patriamque pietatem ac instituta colere sinerent, ab Agrippa Romanorum Duce impetrauit. vide Iosephum 16. Antiquit. cap. 4. Sed neque probabile esset credere, quòd Antipater Herodis pater, si non fuisset Iudæus, tantum posset apud Iudæos, vt ipse eorum potentiores inducere quiuerit ad conspirandum contra Aristobulum Regem, & tandem obtinere, vt eo pulso reciperent pro rege Hircanum, quemadmodum refert Iosephus 14. Antiq. cap. 2. Neque item credibile videretur, Reges Iudæorum induci potuisse, vt vniuersam crederent Idumæam viro tam potenti, qualis erat Antipas Herodis auus, si ipse fuisset genere Idumæus. Potuissent enim meritò vereri, ne regionem illam, quæ aliàs se à Iudæorum subiectione subtraxerat, sibi facilè vsurparet. Non etiam probabile est, Hircanum summum Pontificem dare ausum esse neptem suam nomine Mariammem vxorem Herodi nondum Regi, si ipse fuisset stirpis alienigenæ: iure enim ac meritò vereri potuisset debuissetque, ne hac de causa Iudæorum Optimates, alioquin etiam Herodi admodum infensi, & violentum nimis audaxque eius ingenium valdè suspectum habentes, reclamarent, grauiterque ipsum Hircanum arguerent: sicut aliàs eos fecisse tradit Iosephus 14. Antiq. cap. 17. & lib. 1. de Bello cap. 8. Aut ne pariter Pharisæi, vtpote seuerissimi, Regum præsertim ac Pontificum censores, populum concitarent aduersus ipsum Hircanum, quòd præter ius fasque, Sacerdotale Regiumque semen cum viro alienigena copulare vellet: & tamen ob hanc rem nihil ab vllo obiectum reclamatúmve fuisse legimus. Signum ergo est, Herodem fuisse Iudæum. Huc accedit, quòd si Herodes, qui posteà per tot annos vniuerso imperauit Israëli, fuisset de posteris Esau, sequeretur tandem euenisse oppositum eius quod prædixerat Dominus Rebeccæ geminos, nempe Iacob & Esau, in vtero habenti, Genes. cap. 25. v. 23. vbi dicitur: *Duæ gentes sunt in vtero tuo, & duo populi ex ventre tuo diuidentur, populusq́; populum superabit, & maior seruiet minori.* Ad quem locum videtur allusisse Isaac, quando benedicens filiis suis, absolutè dixit ipsi Iacob: *Esto dominus fratrum tuorum, & incuruentur ante te filij matris tuæ*: Genes. cap. 27. vers. 29. & vers. 37. idem Isaac respondit filio suo Esau: *Dominum tuum illum* (videlicet Iacob) *constitui, & omnes fratres eius seruituti illius subiugaui.* & vers. 40. eidem filio suo prænuntiauit dicens: *Fratri tuo seruies.* Quæ quidem omnia non ad illos duos fratres dicta sunt, tamquam in eorum personis, sed in ipsorum posteris adimplenda; quemadmodum nos sub annis mundi 1666. num. 5. & 2319. num. 2. declarauimus. Vnde locis proximè citatis, per filios matris Iacob, & pariter per fratres ipsius Iacob, proculdubiò signantur posteri Esau, qui inter filios Rebeccæ computandi erant, & quoquomodò dici poterant fratres Iacob, quemadmodum Abraham Genes. cap. 13. vers. 8. Loth filium fratris sui, & reliquos de eius familia nomine fratrum appellauit, dicens: *Fratres enim sumus.* & cap. 31. Iacob & socer eius Laban, & eorum cognati, non semel appellantur fratres. Nec refert quòd cap. 27. Genes. citato, vbi dicitur, *Et fratri tuo seruies.* protinus subiungatur, *Tempusq́; veniet cùm excutias, & soluas iugum eius de ceruicibus tuis.* Quia aliud est, excutere à se iugum, quod fecerunt Idumæi temporibus Ioram Regis Iuda, quando ab eodem deficientes, constituerũt sibi proprium Regem, vt legimus 4. Reg. cap. 8. vers. 20. & 2. Paralip. cap. 21. vers. 8. Aliud est, quòd ipsi Idumæi, aut eorum aliquis, vnquam

LOCA GENES. EXPONVNTVR.

vmquam dominati sint Israëlitis. Id namque memoratis prænuntiationibus omnino aduersari videretur; & nusquam legimus tale quid accidisse, nisi supposita opinione quam modò improbamus, quòd scilicet Herodes fuerit Idumæus. His adde, necessarium videri, quòd Herodis temporibus plures Iudæorum palàm faterentur ipsum esse Iudæum; illi saltem, qui, quòd eumdem Herodem esse Christum in Lege ac Prophetis promissum publicè profiterentur, communiter Herodiani (S. Epiphanio Hæres.20. & Tertulliano in lib.de Præscriptionibus num.299.testibus) dicebantur: quorum etiam in Euangelio SS. Matthæus cap.22. vers.16. & Marc. cap.3. vers.6. & cap.12. vers. 13. meminere. Nam si iidem Herodiani non admisissent Herodem esse Iudæum, facilè confutari & conuinci potuissent à Scribis & Pharisæis, qui pro axiomate irrefragabili, tamquam ex Sacris testimoniis deprompto habebant, quòd Christus esset filius Dauid; hoc est, proditurus esset de stirpe & progenie Dauidis; & consequenter de tribu Iuda; quemadmodum apertè colligi potest ex eorum responsione facta Christo, Matth.cap. 22.vers.42. & Marc.cap.12. vers. 35. Denique ipsemet Iosephus parum sibi constans, 20.Antiquit. cap.6. referens contentionem & rixam quamdam inter Iudæos & Syros apud Cæsaream de iure ciuitatis exortam, dicit quòd *Iudæi potiore conditione volebant esse, quòd vrbis eius conditor Herodes Rex, fuisset Iudæus genere: & id Syri non inficiabantur quidem*; sed alias pro se rationes, vt ibidem videre est, adducebant. Porrò si Iudæi tunc non veritate ducti, sed ad fauorem propriæ causæ, affirmassent Herodem genere Iudæum extitisse: certè Syri illis aduersantes, qui ob locorum vicinitatem, de rei veritate satis edocti esse poterant, non tam facilè illud admisissent; sed negassent, dicentes, Herodem Cæsareæ conditorem, non fuisse Iudæum genere; & esse quidem Iudæorum, sed pariter ipsorum qui Cæsaream incolebant, Regem. Si ergo, teste Iosepho, illud inter Iudæos & Syros acriter inter se disceptantes conuenerat, quòd Herodes esset genere Iudæus; quis audeat hac de re ampliùs dubitare? Sed neque etiam prætereundum est, ad nouæ huius nostræ opinionis confirmationem, quòd Prophetia illa Iacob, quæ habetur Genes. cap. 49. vers. 9. de Iuda illis verbis: *Catulus leonis Iuda: ad prædam fili mi ascendisti: requiescens accubuisti vt leo, & quasi leæna, quis suscitabit eum?* tametsi spiritualiter de Christo accipienda est, qui humani generis regnum à diabolo per fraudem occupatum, illo per crucem deuicto atque eiecto, recuperauit, ac in eo, hoc est in sancta Ecclesia veluti accubando residens, ipsum propria virtute protegit ac defendit, factus dæmonibus cunctisq; suis hostibus formidabilis. Si tamen (vt credibile est) hæc eadem Prophetia etiam temporaliter de aliquo puro homine Christi typum gerente, ad litteram accipi potest; proculdubiò Herodi longè conuenientiùs quàm Dauidi videtur posse adaptari. Nam licet vterque propter insignem fortitudinem bellicam, conuenienter catulo leonis & leoni potuerit comparari; scimus tamen Dauidem non vi occupasse regnum Hebræorum, sed ab ipsis vltrò delatum suscepisse. At contrà Herodes, subactis in bello Iudæis, regnum ipsorum tamquam victoriæ prædam surripuit. Vnde multò magis eidem quadrare videntur verba illa, *Ad prædam fili mi ascendisti:* ipse enim verè ad regnum loco prædæ occupatum ascendit. & item illud quod sequitur, *Requiescens accubuisti vt leo, & quasi leæna.* quia maiori tenacitate ac custodia quàm quiuis alius, ipse regnum retinuit; veluti leo aut leæna formidabilis accumbens super partam prædam: quin potiùs aliis vel sola dumtaxat ferocia sua timorem incutiens, vt de ipso etiam illud ritè accipi possit, *Quis suscitabit eum?* id est, quis eum surgere faciet, aut audebit prouocare ad prælium? Nemo autem auersetur perhorrescatque audiens, virum impium, qualis Herodes fuisse perhibetur, potuisse aliquo modò Christi typum gerere: aut quòd eum Iacob vir sanctissimus, filij vocabulo signare voluerit illis verbis, *Ad prædam fili mi ascendisti,* &c. quia constat, apud Hebræos, (vt aliàs sæpè diximus) minores à maioribus filios, maiores verò à minoribus patres consueuisse appellari. Nam si hac eadem de causa Lucæ cap.16.vers.24.& 25. Abraham ab Epulone in inferno iacente vocatur pater, & ipse pariter Epulonem vocat filium: quid miraris quòd etiam Iacob tali vocabulo Herodem significare non indignum duxerit? Et si Saul, licet iniquus Rex, tamen quatenus vnctus & mortuus, mortem nostri Mediatoris expressit, vt disertè tradit S.Gregorius lib. 4. Moralium cap.4. quis non mirari desinat, ipsum quoque Herodem, quantumuis impium, in eo tamen quòd fuit Rex admodum fortis, potuisse Christi fortitudinem aliquatenus adumbrare? Non enim in omnibus figura respondere debet figurato; alioquin non figura esset, sed identitas. Et quis nesciat, quòd neque Cyrus Persarum Rex sanctus fuit; & nihilominùs, ab ipso solutum

tum iri Babylonicam Iudæorum captiuitatem, multis anteà sæculis præuidit prænuntiauitque Isaias cap. 45. vbi etiam, vt haud obscurè insinuaret tali actione adumbrandam fore generis humani liberationem à diabolica seruitute per Christum faciendam, de eadem ibidem protinus vaticinans ait: *Rorate cæli desuper, & nubes pluant Iustum: aperiatur terra, & germinet Saluatorem, &c.* Denique illud item à proposita nostra sententia non dissidet, quòd memoratæ Iacobi Prophetiæ loco Genes. adducto statim subiungatur altera, quam suprà num. 4. memorauimus, videlicet: *Non auferetur sceptrum de Iuda,* &c. fortassis ad insinuandum, quòd sceptrum de Iuda non esset auferendum; neque Dux ille siue Rex genere Iudæus, de quo paulò antè prophetauerat, nimirum Herodes, esset regno vitaque priuandus, nisi post natum Messiam. Etenim ea quoque de causa magis amplectenda videtur nostra hæc de Herode sententia, quòd scilicet non Idumæus aut Ascalonita fuerit, sed Iudæus; quia hoc posito, longè commodior, facilior, ac planior erit litteralis expositio eiusdem Prophetiæ, *Non auferetur sceptrum de Iuda,* &c. quæ alioqui multis implexa difficultatibus adhuc reperitur apud Ecclesiasticos Auctores, quemadmodum nos sub anno mundi 4051. num. 34. & sequentibus fusiùs ostendemus.

RESPONDETVR OPPOSITAE SCRIPTORVM OPINIONI.

9. Sed quid, obsecro, dicemus ad communem, quæ oppositum tenet, omnium penè Scriptorum opinionem? aut quomodo poterimus rapidissimum SS. Patrum, aliorumque Ecclesiasticorum veterum recentiorumque Doctorum torrentem sustinere atque reprimere, qui sua copia atque impetu hactenus omnes in contrariam traxisse videtur sententiam? Duplex nobis occurrit responsio. Altera est, nihil prohibere quò minùs dicere possimus, Auctores, qui Herodem vel simpliciter Idumæum aut Ascalonitam, vel genere Idumæum seu Ascalonitam appellant, esse intelligendos eo modo quo S. Lucas Actorum cap. 4. vers. 26. vocat S. Barnabam genere Cyprium, id est, non quia ipse haud esset verè Iudæus; sed quia maiores eius, vel etiam ipsemet aliquamdiu habitasset in Cypro. De his verò Auctoribus qui Herodem reuerà non fuisse Iudæum sed alienigenam quouis modo indicant, aut apertè tradunt; dicere possumus, neminem SS. Patrum, quod ipse sciam, eiusmodi difficultatem ex proposito discutiendam suscepisse, vtpote qui grauioribus studijs essent intenti; sed vnum post alterū simpliciter pronuntiasse, Herodem fuisse alienigenam, hoc est Idumæum, sine vlla veritatis discussione fidem adhibentes Iosepho, hoc idem asserenti. Altera est, verissimam esse illam Vincentij Lyrinensis Auctoris grauissimi sententiam, quam in libro ante annos circiter mille ab eodem contra Hæreses conscripto, nobis reliquit ferè initio capitis 39. vbi de Patrum consensione sequenda agens, ait: *Quæ tamen antiqua sanctorum Patrum consensio non in omnibus diuinæ Legis quæstiunculis, sed solùm certè præcipuè in fidei regula, magno nobis studio & inuestiganda est, & sequenda.* sic ille. Et hanc eamdem sententiam, tamquam communiter receptam, pro se in casu simili adducit quoque Pererius lib. 3. Commentariorum suorum in Genes. quæst. 4. de Paradiso. Quis autem non videt, hanc de Herodis genere quæstionem ad fidei regulam non pertinere? Nam si (vt probat Melchior Canus Locorum Theologicorum lib. 11. ad argumentum 12.) non fidei aut religionis quæstio est, Num quadringentesimus octogesimus ille annorum numerus, qui in Vulgatis codicibus 3. Reg. cap. 6. vers. 1. reperitur, sit recipiendus, tamquam ab Auctore libri verè ita traditus; an verò potiùs sit reijciendus, tamquam librariorum vitio corruptè adiectus. Neque item quæstio fidei est, Vtrùm Enoch & Elias verè in Paradiso terrestri sint, an alibi; sed salua fide potest in contrarias partes disputari, quemadmodum asserit S. Augustinus lib. 2. de Gratia Christi, contra Pelagium & Celestinum cap. 23. quamuis communiter credantur esse in dicto Paradiso. Et prætereà quæstio illa famosa de aquis quæ Genes. cap. 1. vers. 6. & 7. super firmamentum, & in Psalm. 148. vers. 4. super cælos esse dicuntur; quantumuis plurimi Doctores teneant, quòd reuerà sint super orbes cælorum: nihilominùs, sine fidei Catholicæ præiudicio, possunt etiam ritè accipi de his quæ in media regione aëris gignuntur, & in pluuiam coactæ cadunt, & inebriant terram, & germinare eam faciunt, sicuti tradunt S. Augustinus lib. 2. in Genes. ad litteram cap. 4. & B. Thom. 1. par. Sum. quæst. 68. art. 2. Si, inquam, memoratæ quæstiones, quæ ex ipsismet sacræ Scripturæ verbis trahi videntur, ad fidem non pertinent; quantò minùs hæc de Herodis origine, cuius nulla prorsus in Sacris libris fit mentio? Quamobrem, si in his quæ ad fidem non spectant, non est nouum aut inusitatum, neque vlla Lege prohibitum, à veteri & communi Doctorum sententia recedere; vbi contraria opinio probabilior videtur, & rationi ac sacræ Scripturæ magis consentanea; neminem mihi

mihi iure indignari posse puto, quòd posthabita communi Patrum sententia, probauerim Herodem fuisse Iudæum.

10. Igitur, vt ad caput redeat aliquantò longior hæc digressio nostra, si, quemadmodum iam ostensum est, Machabæi fuerunt de tribu Leui, non autem Iudæ; & Herodes non Idumæus fuit nec alienigena, sed Iudæus; proculdubiò consequitur, non hoc tempore translatum fuisse sceptrum Iudaicum à semine seu posteris Iudæ ad virum alienigenam; & propterea vulgatam illam Iacobi Prophetiam, *Non auferetur sceptrum de Iuda, & Dux de femore eius, donec veniat qui mittendus est,* non potuisse hoc anno impleri, præsertim cùm euidens sit, quòd tunc nondum Messias aduenerat, quando regnum Iudæorum à Machabæis ad Herodem transiuit. Quando autem hæc Prophetia impleri cœperit, ac demum omnino impleta fuerit, nos sub anno mundi 4051. num. 39. vsque ad 42. continenter dicemus. NON HOC TEMPORE TRANSLATVM FVISSE SCEPTRVM IVDAICVM AD ALIENIGENAM.

☞ 11. Eodem anno, qui pro maiori parte concurrit cum primo Olympiadis centesimæ octogesimæ sextæ, & erat annus regni Herodis à Ierosolyma capta, seu ab adepta regni possessione, primus; ipse Herodes, post Romanos milites liberaliter & pro merito, Ducesque eorum, atque ipsum in primis Sosium, regia largitate donatos ac dimissos, ita vt omnes benè nummati discederent; ad regimen ciuitatis regnique conuersus, suarum partium studiosos honorificè tractabat promouebatque; Antigonianos verò paulatim quotidianis absumebat supplicijs, ita vt eiusdem factionis primates quinque & quadraginta fuerint interfecti, & eorumdem cadauera, ad aliorum terrorem, in ipsa ciuitate aliquamdiu insepulta relinquerentur. Cùm autem audisset, quòd Antonius volebat Antigonum à Sosio ad se perductum seruare ad triumphum; veritus ne, si Romam ille duceretur, secum de iure regni, saltem pro filijs suis insontibus, apud Senatum contenderet; magnam vim auri atque argenti, partim ex regia supellectili inuenta congestam, partim à diuitibus ablatam & collectam, partim etiam ex occisorum facultatibus coactam, Antonio ac familiaribus eius distribuendam misit, obtinuitque ab eo vt Antigonum de medio tolleret; & ad fautores eius in Iudæa magis terrendos atque in officio continendos, eumdem securi percuteret. Quo facto, tum demum Herodes metu liberatus, atque ad stabiliendum Principatum suum omni ex parte intentus, Hircanum, qui fuerat Rex & Pontifex, quique adhuc captiuus apud Parthos tenebatur, missis ad eos Legatis ac muneribus, in patriam reduci curauit; simulans iure affinitatis atque amicitiæ id fecisse; reuerà autem, vt eum in potestatem suam redigeret, vel etiam, vt aliquando posset illum quoque, si opus esset, de medio tollere, quemadmodum posteà fecit: Iosephus 15. Antiq. cap. 1. & 2. & lib. 1. de Bello cap. 13. HERODES DIMISSIS ROMANIS, AD REGNI REGIMEN CONVERTITVR. ANTIGONVM AB ANTONIO SECVRI PERCVTI CVRAT. HIRCANVM IN PATRIAM REDVCIT.

12. Eadem de causa summum Sacerdotium (quod hactenus ex quo Machabæi Iudæis præesse cœperant, apud ipsos manserat, ita vt quot annis singuli successiuè præfuerunt Israëli, totidem summum quoque Sacerdotium tenuerint; & toto tempore quo regnauit Alexandra, præfatus Hircanus eius filius natu maior Pontifex fuerit) nunc Herodes à Machabæis ablatum, cuidam Ananelo Sacerdoti è Babylonia accito, & de Iudæis olim vltra Euphraten traductis nato, dedit; ne tanta dignitas in quemquam illustrium virorum perueniret, qui sibi posset aliquo modo obsistere. Quæ res, domesticæ seditionis occasionem præbuit: nam Alexandra Hircani filia & Mariammæ coniugis Herodis mater, iniquissimè ferens illum honorem non fuisse traditum Aristobulo filio suo decimumsextum annum tunc agenti; scripsit Cleopatræ, ac per ipsam alijsque modis clàm procurabat obtinere filio suo Pontificatum ab Antonio: quibus omnibus cùm Herodes prudenter admodum occurrisset, decreuit tandem promisitque, vxore præsertim Mariamme assiduis precibus instante, Alexandram socrum voti compotem facere, & Aristobulo adolescenti Pontificatum dare; atque ita tum visus est domesticæ discordiæ attulisse remedium: Iosephus 15. Antiq. cap. 2. SVMMVM SACERDOTIVM DAT ANANELO.

AB ORBE CONDITO ANNVS 4019. SEXTÆ MVNDI ÆTAT. ANNVS 573.

1 ANNO postero, nimirum L. Cornificio L. F. & Sex Pompeio Sex. F. Coss. Sex. Pompeius Magni filius à Cæsare in bello ciuili Siculo victus ac fugatus in Siciliam, cùm è Messana Corcyram, atque inde Cephaleniam nullo persequente venisset, & mox in Asiam ad Antonium se contulisset, audissetque eum in Lesbo malè aduersus Medos rem gessisse; ratus se illius imperium facilè ad se translaturum; dum bellum parat, per M. Titium Antonij Legatum captus, iussu eiusdem hoc SEX. POMPEIVS MAGNI F. IN ASIA OCCIDITVR.

hoc anno interfectus fuit, vt videre est apud Dionem, Velleium, & Appianum.

HERODES DAT PONTIFICATVM ARISTOBVLO.

2. Eodem anno, vt infrà ostendemus, Herodes, quemadmodum promiserat, Pontificatum abrogauit Ananelo adhuc viuenti, deditque illum Aristobulo adolescenti decimumseptimum ætatis annum agenti, vt exprimit Iosephus 1. de Bello, non procul ab initio capitis 17. Verùm non multò pòst, suspicatus Alexandram socrum suam ne in posterum quidem, si daretur occasio nouandarum rerum, quieturam; iussit eam se intra Regiam continere, & nihil pro potestate agere, constitutis qui eam obseruarent assiduè. Quod illa indignissimè ferens, clàm misit ad Cleopatram litteras, quibus præsentem rerum suarum statum deplorabat, ac precabatur vt aliquã ei opem afferret. Illa iussit eam vnà cum filio clàm ad se in Aegyptum confugere: quod dum illa implere parat, delata Regi, & in ipsamet fuga deprehensa, ad Herodem retrahitur; qui ne maioris odij ansam præberet Cleopatræ, simulata magnanimitate, volebat per clementiam videri indulgentior; statuit tamen modis omnibus adolescentem tollere, sed interposita mora, quò magis laterent insidiæ: Iosephus vbi suprà. Diximus, hoc anno regni Herodis secundo datum fuisse Pontificatum Aristobulo agenti annum ætatis decimumseptimum; quia si idem Aristobulus anno regni Herodis primo agebat annum vitæ decimumsextum, vt sub præcedenti anno mundi num. 2. ex Iosepho dictum est; proculdubiò oportet quòd anno secundo regni Herodis ageret annum decimumseptimum, & anno tertio ageret annum decimumoctauum.

ALEXANDRAM SOCRVM IN REGIA DETINET.

STATVIT ARISTOBVLVM CALLIDE DE MEDIO TOLLERE.

AB ORBE CONDITO ANNVS 4020. — SEXTÆ MVNDI ÆTAT. ANNVS 574.

1 ANNO insequente, qui erat regni Herodis tertius, Pontificatus verò Aristobuli primus, ætatis autem decimusoctauus, Herodes audiens populum in festo Scenopegiæ faustis quibusdam acclamationibus ostendisse vniuersalem suum affectum & beneuolentiam erga Aristobulum Pontificem sacra facientem; insano quodam liuore permotus, festinauit, quod de adolescente decreuerat, perficere. Itaque post Festum, quadam die conuiuio ab Alexandra exceptus; post epulas & quosdam ludos, Rex adolescente ad piscinas magnas, quæ ibi circa aulam erant, frigoris meridiano tempore captandi gratia comiter perducto, spectabant simul quosdam è socijs & famulis natantes: mox, Rege prouocante, cùm se quoque adolescens cum illis immiscuisset, ab amicis, quibus Rex hoc negotium crediderat, quasi per lusum & petulantiam inter natandum depressus est, donec aqua præfocatus interijt. Qui casus vbi vulgatus est, totam mœrore affecit ciuitatem, & luctu inconsolabili mulieres eidem coniunctas, maximè verò omnium Alexandram eius matrem; quam etsi dolus non fefellit, perpeti tamen, metu maioris mali, tunc necesse habuit. dissimulanter ergo rem tulit, nullam suspicionem præseferens. Herodes autem, vt alienus videretur ab hoc crimine, luctum fingebat & lacrymas, & mœstitiam veræ simillimam; & vt mulieribus aliquod afferret solatium, nihil reliquit quod ad magnificentissimum funeris apparatum desiderari posset: Iosephus 15. Antiq. cap. 3. qui ibidem addit, quòd Pontificatus ad Ananelum redijt. Sed quanto tempore eum posteà Ananelus tenuerit, incompertum habemus: nam etsi ex eodem Iosepho 15. Antiq. cap. 12. colligitur, Pontificatum deinde transisse ad Iesum Phabetis filium; quando tamen id acciderit, & an per obitum Ananeli, vel per abrogationem à Rege factam; & num inter Ananelum & prædictum Iesum alius intercesserit, ignoramus. Ceterùm, Aristobuli interitum paulò aliter narrat idem Iosephus 1. de Bello cap. 17. non longè ab initio. verumtamen prædicta, quæ idem Auctor in libris Antiquitatum tradidit, magis recipienda videntur, propter ea, quæ nos sub anno mundi 3950. num. 2. adnotauimus.

ARISTOBVLVM PONTIFICEM CALLIDE IN AQVIS PRAEFOCARI CVRAT.

2. Quæ verò ab hoc tempore vsque ad Actiacam pugnam, nempe trium circiter aut quattuor annorum interuallo, in Iudæa acciderint, hîc accuratiùs tradere non videtur necessarium: quandoquidem pauca dumtaxat, eaque non magni momenti scripta reliquit Iosephus 15. Antiq. cap. 4. 5. & 6. quæ quamuis instituto nostro non multùm deseruire videntur, nihilominùs ad aliqualem historiæ continuationem, eadem hîc breuiter tetigisse contenti erimus: licet autem ea Iosephus per tempora explicitè non digesserit, videntur tamen sic posse distingui, vt

DE IIS QVAE HINC AD ACTIACAM PVGNAM ACTA FVERINT.

AB ORBE CONDITO ANNVS 4021. SEXTÆ MVNDI ÆTAT. ANNVS 575.

1 ANNO regni sui quarto, Herodes ab Alexandra socru sua per litteras ad Cleopatram delatus, & per ipsam Antonio de nece Aristobuli accusatus, & ab eodem Antonio ad dicendam coram se causam euocatus, præstò fuit; ipsumque Antonium muneribus & colloquijs admodum prudentibus placauit, ac deinde domum reuersus, turbatam familiam inuenit; & Iosephum Salomæ sororis suæ maritum, à propria vxore falsò consuetudinis cum Mariamme accusatum, interemit; & Alexandram, vt malorum causam, in vincula coniecit; & ipsam Mariammem vxorem zelotypiæ stimulus agitatus, pænè occidit. HERODES AD CAVSAM DE ARISTOBVLI NECE DICENDAM VOCATVR. IOSEPHVM COGNATVM INTERFICIT, ET ALEXANDRAM SOCRVM INCARCERAT.

2. Eodem anno Cleopatra, alieni appetens, cùm amoribus suis Antonium propè dementasset, vniuersam turbabat Syriam, incitando Antonium aduersus omnes ferè illius regionis Dynastas, & contra ipsum quoque Herodem, vt Dynastias ac regna ab ijs accepta, sibi daret; & tandem multas Syriæ vrbes, & Iudææ partem ab eo obtinuit. Et mox Antonium ad bellum contra Armenos proficiscentem, vsque ad Euphraten prosecuta, in reditu Iudæam inuisens, ab Herode excepta est; concessamque sibi Arabiæ partem, & reditus agri Ierichuntini, qui balsamum omnium vnguentorum pretiosissimum solus fert, eidem Herodi locauit; cuius negotij occasione, contracta maiore cum Rege familiaritate, concubitum quoque eius appetere non erubuit; siue id libidinis æstu concita, siue etiam, vt per hoc struendis ei insidijs occasionem quæreret. At verò ille non solùm tale quid renuit, verùm etiam de ea occidenda clàm amicos consuluit: à quibus dissuasus, eamdem mox Aegyptum versus deduxit. CLEOPATRA TVRBAT SYRIAE DYNASTAS. AB HERODE EXCIPITVR.

AB ORBE CONDITO ANNVS 4022. SEXTÆ MVNDI ÆTAT. ANNVS 576.

1 ANNO regni Herodis, vt arbitror, quarto, Antonius, deuicto Arthabaze Tygranis Armeniæ Regis filio, ipsum cum aliis vinctum, & quidquid pretiosum de illo regno ceperat, in Ægyptum Cleopatræ munus misit. Herodes autem cùm redderet Cleopatræ annua tributa regionum, quas dono ab Antonio acceptas sibi locauerat, nec ipse posset à Rege Arabum ea exigere; bellum Arabibus inferre decreuit. Hæc omnia latiùs descripta videri poterunt apud Iosephum locis citatis; quorum aliqua etiam breuiter repetit lib. 1. de Bello, sub finem capitis 13. ANTONIVS ARMENIAE REGEM VICTVM CLEOPATRAE MVNVS MITTIT.

AB ORBE CONDITO ANNVS 4023. SEXTÆ MVNDI ÆTAT. ANNVS 577.

1 ANNO Vrbis septingentesimo vigesimo tertio, qui erat Olympiadis centesimæ octogesimæ septimæ annus secundus, & regni Herodis non septimus, vt putat Iosephus; sed sextus, cum quo saltem pro maiore parte concurrit iste annus, vt patet in tabulis; cùm inimicitiæ graues biennio antè inter Cæsarem & Antonium exortæ essent, ob causas, quas ex Dione refert Sigonius in suo Fastorum Commentario, sub anno Vrbis sexcentesimo vigesimo secundo; & anno proximo eædem inimicitiæ eousque tandem exarsissent, vt ipsi Antonio Populus Romanus, Cęsare procurante, bellum non verbo (ne qui cum eo erant ciues alienarentur) sed verbo quidem Cleopatræ, quòd mulier Ægyptia Romanum Imperium affectaret, reuerà autem ipsi Antonio indictum esset. Cumque ingentes copiæ vtrimque terra marique compararentur; Herodes quoque magno apparatu expediuit Antonio auxilia, paratus etiam ipse cum illo exire. Sed Antonius, qui alijs abundabat copijs, cùm audisset de Arabis erga Herodem perfidia, maluit vt Herodes cum exercitu quem iam parauerat, bellum inferret Regi Arabum: id enim magis placebat Cleopatræ, quæ in rem suam fore existimabat, si finitimi Reges mutuis inter se attererentur cladibus. Igitur Antonij iussu reuersus Herodes, domi continuit exercitum, cum quo mox inuasit Arabiam. Et primò quidem ad Dispolim, post acerrimum cum hoste conflictum, tulit victoriam: deinde ad Cana in Cœlesyria iterùm cum Arabibus congrediens, eosdem fugauit. Sed dum se tunc quoque victorem putat, ecce ex improuiso inuasus ab Athenio (qui in ea regione Dux erat Cleopatræ, & ipsius Herodis inimicus) & hinc ab ipso, illinc ab Arabi- BELLVM PARATVR INTER OCTAVIANVM CAESAREM ET ANTONIVM. HERODES BELLVM GERIT CVM ARABIBVS.

Arabibus, qui visa Athenij inuasione, resumptis animis ad pugnam reuersi sunt, oppugnatus, tandem amisso exercitu victus fugatusque fuit, atque adeò fractus, vt deinceps non nisi repentinis quibusdam excursionibus ac latrocinijs infestare posset Arabiam. Qua tam grandi clade accepta, & insuper non multò pòst valido admodum superueniente terræmotu, qui per vniuersam Iudææ regionem, magnam iacturam fecit pecudum hominumque; valdè deiecti erant animo Iudæi, nec ampliùs pugnare cum Arabibus audebant; sed graui tandem Herodis cohortatione excitati, & denuò contra Arabas à Rege ducti, eosdem aliquot prælijs victos, ad sese demum in Herodis clientelam dedendos compulerunt: Iosephus vbi suprà.

CAESAR, VICTO AD ACTIVM ANTONIO, ROMANVM IMPERIVM SOLVS OBTINET.

2. Eodem anno, vt paulò pòst probabitur, videlicet IV. Nonas Septembris, ad Actium Epiri Promontorium commissa est famosa illa naualis pugna, in qua Cæsar, victo fugatoque in Alexandriam Antonio, totius Romani Imperij dominium solus obtinuit. Et ab hoc tempore numerandi sunt illi quadraginta quattuor Imperij eius anni, quos memorant Eutropius Historiæ Romanæ lib. 7. Tacitus lib. 1. Suetonius in Vita Octauiani cap. 8. & alij: nam anteà, nimirum à primo Consulatu vsque nunc, imperauerat annis ferè duodecim, priùs cum Antonio & Lepido, posteà verò cum Antonio tantùm. Quòd autem hoc anno pugna hæc facta fuerit, nempe Augusto III. & Messalla Coruino Coss. probat ex Dione Onuphrius lib. 2. Commentariorum in Fastis, sub hoc eodem Vrbis anno; & confirmari pòtest ex Iosepho, qui 15. Antiq. cap. 6. dicit eamdem pugnam incidisse Olympiade centesima octogesima septima; constat autem annum secundum huius Olympiadis concurrere cum prædicto Vrbis anno; vt patet in tabulis. Concordat etiam cum his quæ tradit Ptolemæus lib. 3. Almagesti cap. 8. videlicet, quòd à morte Alexandri Magni ad Imperium Augusti, numerantur anni ducenti nonaginta quattuor, quod pariter apparet in tabulis. Igitur Cæsar Octauianus, qui posteà & Augustus, tam grandi parta victoria, tunc propriè dedit initium Monarchiæ Romanorum, quæ in ordine principalium mundi Regnorum quarta fuit, & omnino extinxit Regnum Græcorum, quemadmodum nos etiam sub anno mundi 3723. num. 4. probauimus. Nam licet nonnisi anno insequente mortui sint Antonius & Cleopatra Ægypti Regina, ipsaque Ægyptus in prouinciam redacta fuerit: attamen victis ad Actium Antonio & Cleopatra, vsqueadeò creuit Cæsaris potentia, continuò ad eum concurrentibus & procumbentibus populis ac Regibus, vt omnes facilè intelligerent, neminem ei ampliùs posse resistere; quippe qui iam ex tunc esset orbis dominus. Stetit ergo Regnum Græcorum ab initio Monarchiæ Alexandri Magni, seu, quod idem est, à cessatione Regni Persarum (vt sub anno mundi 3724. num. 2. diximus) annis ferè trecentis: nam Regnum illud Græcorum, hoc est Seleucidarum, cuius Epochen sequuntur libri Machabæorum, cœpit duodecim annis post obitum Alexandri Magni, & multò ante Actiacam pugnam desijt, vt sub anno mundi 3970. num. 1. ostendimus, & videre est in tabulis.

MONARCHIAE ROMANORVM INITIA.

QVOT ANNIS STETERIT REGNVM GRAECORVM.

CAESAR ITALIAM, MOX AEGYPTVM PETIT.

3. Ceterùm, parta victoria Cæsar, cùm Antonium & Cleopatram in Ægyptum profugientes alijs prosequendos mandasset, & ipse ab Actio ad Samum insulam in hiberna se recepisset, turbatus nuntijs de seditione militum, præmia & missionē poscentium, quos ex omni numero cōfecta victoria Brundusium præmiserat; repetijt Italiam, tempestate in traiectu bis conflictatus; primò inter promontoria Peloponnesi atq; Ætoliæ, rursus circa montes Ceraunios; vtrobique parte liburnicarum demersa, simulque eius in qua vehebatur fusis armamentis, & gubernaculo defracto. nec ampliùs quàm septem & viginti dies, donec desideria militum ordinarentur, Brundusij commoratus, Asiæ Syriæque circuitu Ægyptum petit: Suetonius in Octauio Augusto cap. 17.

HERODES AVDITA ANTONII CLADE, AD CAESAREM SE CONFERT, ET IN EIVS GRATIAM RECIPITVR.

4. Intereà Herodes, de bello Arabicò Ierosolymam rediens, victorijs elatus, dum se res suas benè stabilisse putat; derepentè easdem, hoc est regnum suum, seque met in summo discrimine positum videt; audita nimirum tam grandi apud Actium Antonij clade, Cæsarisque victoria. Tunc enim non ipse Rex solùs, sed nec vllus alius credebat impunè ei cessuram tantam, quam cum Antonio habuerat, amicitiam. Nihilominùs, vt erat animo admodum generoso, primùm quidem noluit amicum in tanto infortunio deserere; sed si non auxilio tunc, saltem consilio, eoque optimo, de se optimè meritum iuuare conatus est; nimirum commonstrando quonam vnico modo posset rebus suis benè consulere; videlicet, si Cleopatram illius belli causam è medio tolleret: hoc enim pacto posse illum vel à Cæsare faciliùs pacem impetrare, vel à ciuibus Romanis adiuuari; id si egisset, seipsum quoque, pecuniasque suas & exercitum, & omnia quæ haberet, eidem ad bellum contra Cæsarem gerendum fore parata.

parata. Verumtamen, vt vidit Antonium consilia sua aspernari, conuertit se ad prospiciendum sibi rebusque suis; & relicto Antonio, cœpit contra eius gladiatores, apud Monarchas, auxilia Vintidio siue Capidio mittere in fauorem Cæsaris, vt vel sic eius gratiam captare inciperet. Mox ad ipsum Cæsarem properare decreuit. Sed priùs Hircanum, qui solus de Assamonæorum genere superstes erat, arreptis quibusdam occasionibus, quas refert Iosephus locis infrà citandis, interfecit; veritus ne fortè ad ipsum, ob generis nobilitatem, Iudææ regnum denuò deueniret. Deinde fratri suo Pheroræ regni cura demandata, ac matre simul cum sorore in Masada, Mariamme verò vxore cum Alexandra eius matre, in Alexandrio castellò collocatis, reque familiari composita, ipse Rhodum transmisit, vt illic Cæsari occurreret. Ad quem vbi peruenit, posito diademate, liberè fassus est ac generosè exposuit, quanta pro Antonio de se optimè merito fecisset: promisitque tantumdem & ampliùs pro ipso Cæsare se facturum, si eum recipere, & inter suos cooptare, ac de eius fidelitate & gratitudine periculum facere non recusaret. Cui Cæsar, restituto diademate, humanissimè respondit; hortatusque est eum, vt non minùs deinceps suam, quàm hactenus Antonij amicitiam coleret. Qua responsione accepta, Herodes, præter suam omniumq; expectationem in regno confirmatus, per Syriam ad Ægyptum euntem Cæsarem cum exercitu & redeuntem, omnibus regiæ liberalitatis ac magnificentiæ officiis est prosecutus. Nam non solùm ipsi Cæsari & amicis, omnique exercitui eius, in ditione sua omnibus regni sui diuitiis hospitalitatem luculentissimè exhibuit; sed etiam per squalida & inaquosa loca ad Pelusium proficiscentibus, ac inde redeuntibus, diligentissimè prospiciens, nihil deesse passus est; non vinum, non aquam, nec quidquam aliud quod ibi desiderari posset: & præterea Cæsarem octingentis talentis donauit. Quibus omnibus non modò egregiam munificentiæ opinionem, verùm etiam sinceræ arctæque admodum fidelitatis atque amicitiæ erga ipsum Cæsarem, cunctosque Cæsarianos, sibi comparauit: Iosephus 15. Antiq. cap. 9. & 10. & lib. 1. de Bello cap. 15.

AB ORBE CONDITO ANNVS 4024. SEXTÆ MVNDI ÆTAT. ANNVS 578.

1 ANNO postero (vt colligi potest ex Panuinio & Sigonio in suis Fastorum Commentariis) qui erat annus Vrbis septingentesimus vigesimus quartus, credimus gesta esse quæ scribunt Strabo lib. 17. & Suetonius Tranquillus in Octauiano Augusto. Ponam hîc propria vtriusque verba. Strabo vbi suprà de Nicopoli agens, quam ab Alexandria distare ait stadiis triginta, ita scribit: *Hunc locum Cæsar Augustus ornauit, quòd hîc prælio eos superauit, qui cum Antonio contra ipsum exierant; & primo aditu vrbem cepit, Antonium verò coëgit vt ipse sibi manum inferret, Cleopatram viuam in potestatem suam redegit; quæ paulò pòst & ipsa, in custodia clàm admota aspidis morsu, aut, vt alij tradunt, illito veneno, se interfecit. Ad hunc modum Lagidarum Imperium euersum est, quod per multos annos durauerat.* hactenus Strabo. Suetonius verò, de Cæsare verba faciens, sic ait: *Obsessa Alexandria, quò Antonius cum Cleopatra confugerat, breuì potitus est: & Antonium quidem seras pacis conditiones tentantem, ad mortem adegit, viditq; mortuum. Cleopatræ, quam seruatam triumpho magnopere cupiebat, etiam Psyllos admouit, qui venenum ac virus exugerent, quòd periisse morsu aspidis putabatur. Ambobus communem sepulturæ honorem tribuit, ac tumulum ab ipsis inchoatum perfici iussit. Antonium iuuenem, de duobus Fuluia genitis maiorem, simulacro D. Iulij, ad quod post multas & irritas preces confugerat, abreptum interemit. Item Cæsarionem, quem ex Iulio Cæsare patre Cleopatra concepisse prædicabat, retractum è fuga supplicio affecit. Reliquos Antonij Reginæq; communes liberos, non secùs ac necessitudine iunctos sibi, & conseruauit, & mox pro conditione vtriusque sustinuit ac fouit.* hæc Suetonius. Erant autem Psylli, quorum citatus Auctor meminit, quoddam genus hominum, quod serpentium morsibus mederi profitebatur, non secùs, immò, vt arbitror, multò feliciùs quàm nostri temporis circulatores, qui se de S. Pauli stirpe falsò credi volunt; & vim terræ illius, quam è Melita insula deferunt, plus iusto quæstus gratia extollunt, quemadmodum latè ostendit Andreas Matthiolus super Dioscoridis lib. 6. cap. 40. Sanè præfati Psylli (vt ait Plutarchus in Catone Vticensi, non valdè procul à fine) ore trahentes venenum, & ipsos serpentes cantibus mitigantes, ab iisdem ictos curabant. Sed & illud, quod de dictis Psyllis tradit Plinius lib. 7. cap. 2. nempe, eorumdem corporibus ingenitum fuisse virus quoddam exitiale serpentibus, quo vel ipso odore sopiuntur, mirabile profectò est, non

CAESAR ANTONIVM ET CLEOPATRAM ADEGIT AD MORTEM.

DE PSYLLIS.

non tamen incredibile, præſertim ſi verum eſt quod Matthiolus vbi ſuprà ait, reperiri quoſdam, quibus quædam è cælo facultas tributa eſt, vt à ſerpentibus non mordeantur: & teſtatur ſe nouiſſe plures, qui ſimpliciter, nulloque artificio aut verbis, aſpides & viperas quotidie capiebant, nec vmquam ab iis icti fuere, quamuis illæ ab ipſis modò pedibus calcatæ, modò manibus compreſſæ fuerint, ac diutiùs in nudo eorum ſinu geſtatæ; & hos putant verè ex illorum familia eſſe, qui eiuſmodi gratiam S. Pauli meritis olim ſibi & poſteris ſuis conſecutos ferunt. Ecce quanta & quàm varia ſunt ſummi Dei dona, gratuitò hominibus collata! Sed redeamus ad inſtitutum.

☞ Fuit ergo Cleopatra proximè memorata, vltima de genere Lagidarum quæ in Ægypto regnauerit: nam

PTOLEMAEORVM SEV LAGIDARVM REGES.

1. Huius familiæ dictus eſt Ptolemæus Lagi,
2. Ptolem. Philadelphus, quorum anni ſimul iuncti fuerunt } 78.
3. Ptolem. Euergetes huius nominis I. qui regnauit annis }
4. Ptolem. Philopator, 29.
5. Ptolem. Epiphanes, 16.
6. Ptolem. Philometor, 24.
7. Ptolem. Euergetes II. 35.
8. Ptolem. Lathurus cum matre Cleopatra, 28.
9. Eadem Cleopatra cum alio filio Alexandro, 16.
10. Iterùm Ptolem. Lathurus ſine matre, 10.
11. Ptolem. Auletes, 8.
12. Cleopatra, huius nominis Regumque poſtrema, computatis duobus annis Ptolem. Dionyſij eius fratris, 30.

Manſit ergo regnum Lagidarum in Ægypto annis. 24.

298.

HERODES DE AEGYPTO REDIENS, TVRBATAM FAMILIAM INVENIT.

2. Intereà Herodes, cùm primùm à Cæſare dimiſſus in regnum reuerſus eſt, perturbatam familiam inuenit, infenſaſque ſibi Mariammem vxorem & Alexandram ſocrum, ratas ſe in illo caſtello non ſecuritatis cauſa, ſed quaſi in carcere fuiſſe incluſas: quin & inſuper Mariamme nihil moleſtiùs ferebat, quàm quòd ne, ſi maritum etiam mori contingeret, ſpes relinqueretur ipſam fore ſuperſtitem; nec vmquam excidebant animo mandata aliàs data Ioſepho: ac proinde, quemadmodum ante reditum viri vota faciebat, ne vmquam ille ſaluus reuerteretur; ita vbi præter ſpem magna ornatus fortuna rediit, illa iniquiſſimo animo tulit, cogitans vitam ſibi cùm eo fore intolerabilem; & vt erat ingenuis minimeque fucatis moribus, ad blandas illius appellationes ingemiſcebat; & narrante illo proſperos ſuos ſucceſſus, contriſtari magis quàm gaudere videbatur. Quamobrem in magnam Rex animi perturbationem incidit, nimirum inter amorem & odium ambigens. Quod vt obſeruarunt ſoror eius & mater, opportuniſſimum tempus nactæ, aſſiduis in eam calumniis concitare Regem non ceſſabant, accendentes eius odium & zelotypiam; quas ille nec reiiciebat, nec libebat credere & ſæuire in dilectam coniugem, peiùs tamen indies erga eam afficiebatur; ac fortaſſe iam ſæuius aliquid in ipſam ſtatuiſſet, ni commodum nuntiatum eſſet, extinctis Antonio & Cleopatra, Cæſarem Ægypto potiri: tunc enim ſtatim, familia ſic vt erat relicta, ad eum gratulabundus properauit, & cum eo congreſſus, ac iam liberiùs agens, amicitia fretus, magnis ab eo beneficiis ornatus eſt: quandoquidem non ſolùm ceteros Herodis honores Cæſar auxit, verùm etiam regno eius partem finium addidit, quam Cleopatra dempſerat; & plures inſuper alias ciuitates Iudææ finitimas. Ad hæc quadringentos Gallos, quos Cleopatra ſtipatores habuerat, eidem donauit: ac deinde etiam poſt multa tempora, alias Iudææ proximas regiones eidem attribuit.

GRATVLABVNDVS REDIT AD CAESAREM, A QVO BENEFICIIS ORNATVR.

Quando autem Cæſar, Ægypto in prouinciæ formam redacta, atque Cornelio Gallo eidem præfecto, in Aſiam per Syriam venit; Herodes eum vſque ad Antiochiam deduxit: & inde domum reuerſus, inuenit Mariammem vxorem non minùs quàm anteà ſibi ſuiſque valdè moroſam & auerſantem, ita vt improbiùs etiam illudere obnoxij mariti patientiæ interdum non vereretur; & poſthabita regiæ potentiæ ratione, non raró contumelioſiùs eum tractaret, atque apertè tam ſorori eius quàm matri exprobraret generis humilitatem. Quæ cauſa fuit implacabilis inter eaſdem mulieres odij, necnon calumniarum, quoties illis daretur occaſio; eæque diſſenſiones ac ſuſpiciones paulatim creſcentes perdurarunt per annum integrum poſt Herodis à Cæſare reditum. Hæc omnia multò latiùs tradita inuenies apud Ioſephum 15. Antiq. cap. 11. & lib. 1. de Bello cap. 15.

AB ORBE CONDITO ANNVS 4025. SEXTÆ MVNDI ÆTAT. ANNVS 579.

1 ANNO postero, qui erat Vrbis septingentesimus vigesimus quintus, Cæsar de bello Alexandrino rediens, curules triumphos tres egit, Dalmaticum, Actiacum, & Alexandrinum, continuo triduo omnes, vt ait Suetonius in Augusto cap. 22. videlicet, primo die de Dalmatis, Pannoniis, Iapygibus, & aliis populis, quos partim ipsemet, partim per suos Duces (quorum victoriæ ad Imperatorem, cuius auspiciis partæ erant, referri solebant) subegerat. Altera die, non de Antonio ciuibusque Romanis qui eius partes sequebantur, sed de Cleopatra ad Actium superata. Tertio demum die, de Ægypto capta atque in prouinciam redacta. Plura de hisce triumphis ex Suetonio, Macrobio, Dione, & aliis, refert Sigonius in Fastis, sub anno Vrbis septingentesimo vigesimo quarto. CAESAR CVRVLES TRIVMPHOS TRES EGIT.

2. Hoc eodem anno (inquit Onuphrius) Cæsarem pace terra marique parta, tertiò post Vrbem conditam clusisse templum Iani refert Dio; qui etiam addit, Hoc ipso anno eumdem Cæsarem Imperatoris pronomine à Senatu fuisse donatum, quo maxima ei auctoritas permissa est, ab eodem quoque Senatu patri suo Cæsari Dictatori concessum. vnde inferri potest, quòd ante hoc tempus eam Cæsar non habuerat ex Legibus potestatem, quæ eo pronomine continetur, tametsi diu antè illam vsurpasset. IANI TEMPLVM TERTIO CLAVDIT. IMPERATOR A SENATV APPELLATVR.

AB ORBE CONDITO ANNVS 4026. SEXTÆ MVNDI ÆTAT. ANNVS 580.

1 ANNO regni Herodis à Ierosolyma capta nono circiter inchoante, quemadmodum ex his quæ sub anno mundi 4024. num. 2. ex Iosepho diximus, consequi videtur, nimirum anno integro iam elapso post suum à Cæsare reditum de Antiochia in Iudæam, Herodes Mariammem vxorem suam, cuius nimiam morositatem & à se alienationem hactenus dissimulanter patienterque pertulerat, tandem ab ipsius Herodis sorore falsò accusatam, repentino incitatus furore, simulque aduocato statim amicorum consilio, damnari, ac demum interfici curauit. Susceperat autem ex ea Rex (vt scribit Iosephus 1. de Bello cap. 17. circa capitis initia) quinque liberos; duas feminas, & tres mares, quorum minimus Romæ studiis incumbens posteà mortuus est, duo autem maiores à patre necati sunt, vt infrà suo loco dicemus. Verùm vxore perempta, illicò Regem necis illius tantopere pœnituit, vt pænè ad insaniam perduci videretur; & nullis ab eo excogitatis oblectamentis, aliisve distractionibus posset ab animo mœrorem & coniugis ardenter admodum dilectæ recordationem amouere. Superueniente autem pestilentia, quæ & amicorum eius & plebis magnam partem absumpsit; ipse prætextu venationis, in solitudinem se recepit; vbi pariter ob vxoris peremptæ recordationem iugiter sese excrucians, intra paucos dies morbum vsqueadeò grauem contraxit, vt vel minimum à vitæ desperatione abfuerit. Et nihilominùs dum sic apud Samariam, quæ posteà (vt sub anno mundi 4033. num. 3. dicemus) Sebaste dicta est, decumberet; Alexandriam vxoris necatæ matrem, quòd Ierosolymitanas arces in suam potestatem redigere tentasset, delatam, sine mora iussit interfici. HERODES MARIAMMEM VXOREM INTERIMIT. ALEXANDRAM SOCRVM NECAT.

AB ORBE CONDITO ANNVS 4027. SEXTÆ MVNDI ÆTAT. ANNVS 581.

1 ANNO Vrbis septingentesimo vigesimo septimo, Cæsare VII. & M. Vipsanio Agrippa III. Coss. idem Agrippa ædificauit Romæ templum omnibus diis augustissimum, quod ipse Pantheon nominauit, & adhuc extat, atque inter antiquas eiusdem Vrbis fabricas admodum celebratur. Eiusdem structuræ tempus & auctorem planè indicat inscriptio ibidem in templi portícu apposita, quæ sic habet: M. AGRIPPA L. F. TERT. COS. FECIT. Posterioribus verò temporibus, Bonifacius Papa huius nominis IIII. eodem templo in honorem beatissimæ Virginis Mariæ & sanctorum Martyrum dedicato, instituit in eo agi Romæ quotannis ipsorum festiuitatem. Sed posteà Gregorius IIII. decreuit, eamdem festiuitatem, quæ variis modis iam in aliis Ecclesiis celebrabatur, deinceps in honorem omnium Sanctorum PANTHEON IN VRBE EXTRVITVR.

ctorum sollemniter ab vniuersa Ecclesia perpetuò obseruari; vt in Martyrologio Romano legimus Kalendis Nouembris.

2. Eodem Vrbis anno, Cæsar post biennium, ex quo tres illos nobilissimos triumphos, quos sub anno mundi 4025. num. 1. memorauimus, egerat, & quòd totum ferè terrarum orbem pacasse videretur; templum Iani tertiò post Vrbem conditam clauserat; consilium de Imperio deponendo, ac Repub. restituenda, habuit, suadente præsertim Agrippa; sed Mecænate dissuadente, eius sententiam, tamquam sibi fuisque tutiorem, ac Reipub. etiam magis conducibilem, secutus, animum exinde ad Imperium, quòd minùs legitimum videbatur, Lege firmandum conuertit. Itaque

CAESAR ROMAE CENSVM EGIT.

3. Eodem anno, nimirum à primo eius Consulatu decimosexto, vt ait Eusebius in Chronicis, Cæsar censum egit, ratus eum ad Rempub. ordinandam fore aptissimum: in quo, vt idem Eusebius tradit, inuenta sunt ciuium Romanorum quadraginta duo centena & sexaginta quattuor millia. Erat autem Censum agere, non solùm singulos ciues, & singulorum vxores, liberos, libertos seruosque nominatim, eorumdemque ætates per omnes vrbis regiones recensere; verùm etiam singulorum facultates æstimare, vt quisque secundùm rerum suarum æstimationem tributa penderet: & propterea tunc censeri dicebantur, quando bonorum suorum censum, hoc est valorem seu reditus, apud Censores prædicta de causa profitebantur. Sed & mores quoque censeri solebant, hoc est reformari; vnde Plutarchus in Æmil. *Censura*, inquit, *Senatores à Senatu remouere potest, Equitibus equos adimere, ex plebeiis ærarios facere, notare infamia, Censum agere, Lustrum condere.*

LVSTRVM CONDIDIT.

4. Itaque Cæsar hunc agens censum, se Principem Senatus legit; & more maiorum, Lustrum quoque condidit, quod fuit in ordine aliorum qui præcesserant, septuagesimum secundum; & alia insuper egit, quæ paulò pòst dicemus. Erat verò Lustrum condere, nihil aliud, quàm finito censu, populum in campo Martio congregatum, post quoddam sacrificij genus ex sue, oue, tauroque circumductis, ac posteà immolatis, lustrare. Quod cùm olim à Seruio Tullo Rege Romanorum pænultimo, & dicti Census Lustrique primo institutore, ordinatum esset vt quinto quoque anno incipiente posteà fieret; proptereà Lustrum deinceps pro quiquennali interuallo sumi cœpit. Et quoniam ex Fastis constat, Lustrum, vel ob bella ciuile'sve discordias, aut alia impedimenta, sæpiùs ad septem, aut decem, pluresve annos fuisse protractum; idcircò non mirum est, si hoc primum Lustrum à Cæsare conditum, dicitur fuisse septuagesimum secundum, habita scilicet præcedentium ratione; cùm alioqui debuisset excedere centesimum vigesimum, si anteà semper statutis temporibus conditum fuisset.

ALIA CAESARIS ACTA, QVIBVS CVNCTORVM ANIMOS PELLEXIT.

5. Præterea Cæsar, ne quis Senator se insciente extra Italiam esset, edixit; atq; omnes se ciuium litteras ad Antonium scriptas cremasse palàm professus est, ne quis Senator, ex iis qui Antonij partes secuti fuerant, quasi sibi proptereà suspectus, noui aliquid in Repub. moliretur. In hoc quoque suo Consulatu, Agrippæ collegæ, ex antiquo more, prout sors cecidit, fasces dedit; militem donis, populum muneribus & Ludis atque annona delinitum, Senatores pecunia, cunctos otij dulcedine (vt ait Cornelius Tacitus initio suorum Annalium) pellexit, ærarium publicum priuata pecunia sustentauit; nomina eorum qui ærario debebant, publicis incensis tabulis, deleuit. Cumque multa bellis & seditionibus ciuilibus, & maximè Lepido atque Antonio dominantibus, contra ius & Leges constituta essent, ea omnia vno edicto sustulit, terminumque illarum Legum, Consulatum suum sextum statuit.

CAESAR IMPERIO SE ABDICARE SIMVLAT.

6. His atque eiusmodi actis cùm maximam sibi apud omnes ciues gratiam comparasset, aliam quoque animi sui magnitudinem voluit ostendere; vt ea re coleretur magis, & volentibus ciuibus Imperium stabiliret. Paratis igitur ex Senatoribus iis, quorum sibi maximè spectata & nota fides erat, in pleno Senatu oratione ad tempus accommodata, se Imperio abdicare, idque Senatui & populo tradere pronuntiauit. Quibus auditis, Senatores, alij quòd fidem eius verbis non adhiberent; alij quòd grauiora damna ex statu populari extimescerent; alij quòd eius animi offensionem, si aliter facerent, vererentur; precibus petentes, coëgerunt vt Imperium ipse vnus retineret; ac S.C. satellitibus & custodibus eius stipendium duplicarunt; vt diligentiùs vita eius custodiretur. Cùm autem hoc modo de Senatus populique voluntate opes Imperij stabilisset, vt ipse popularis videretur, totius Imperij curam sibi depoposcit: prouinciarum administrationem cum Senatu & populo communicauit; non omnium, sed earum tantùm quæ pacatiores erant, aut imbelles, & militum præsidiis non indigebant; reliquas verò sibi retinuit, quæ militaribus copiis instructæ erant, & validissimis legionibus

nibus munitæ, tamquam eas quoque pacaturus, & pacatas Senatui populoque redditurus; reverà autem, vt omne exercituum robur in potestate sua haberet. Et nihilominùs, vt de se omnem Monarchiæ suspicionem arceret, potestatem Reipub. constituendæ, & aliarum rerum quæ sibi concessæ fuerant, in decennium tantummodò sumpsit: hoc enim temporis spatio se Rempub. constituturum affirmauit; addens, se, si citiùs res composuisset, citiùs etiam Imperium redditurum. Verumtamen decennio transacto, tum in quinquennium, ac deinde in alterum quinquennium, pòst in decennium, postremò in tertium etiam decennium, & petiit, & impetrauit: ita vt tali quinqenniorum ac decenniorum successione perpetuò deinceps per annos quadraginta, non ampliùs per vim, sed legitimè, Senatu scilicet populoque annuente, Imperium administrauerit. Quo factum est vt reliqui Imperatores, quamquam non in certum tempus, sed in omnem vitam designarentur; tamen decimo quoque anno festos agerent dies, quasi tum Imperium renouarent.

7. Ceterùm, Cæsari cùm alij honores multi habiti sunt, tum maximè quando Imperio abdicauit: nimirum vt laurus ante Regiam eius, & super eam corona quercea statueretur, tamquam ei qui & hostes vicisset, & ciues conseruasset. Vt Regia eius, Palatium vocaretur, quòd in Palatio habitaret, & Prætorium haberet. Vt Augustus nominaretur: nam cùm eum vellent singulari aliquo nomine ornare, atque alij alia afferrent, Cæsar inprimis se Romulum dici cupiebat; ne verò eo fortè nomine in regni suspicionem incideret, Augustum se dici passus est, quasi qui maior esset homine: omnia enim quæ maximo honore digna, & sacra sunt, *augusta* dicuntur. Itaque (vt ait Censorinus à Sigonio in Fastis relatus) ante diem XVI. Kal. Febr. Iulius Cæsar D.F. Imperator Augustus, sententia Munatij Planci, à Senatu ceterisque ciuibus dictus est; se septimum & M. Vipsanio Agrippa Coss. HONORES CAESARI HABITI.

8. Hunc igitur in modum cùm & Senatus & Populi potestas ad Augustum recidisset, & cuncta ad eius arbitrium ac præscriptum fierent, vt non ex Imperio, sed ex Legibus hæc facere videretur, abstinuit quidem à titulis, quos graues Populo Romano esse intelligebat; nec voluit vocari Rex, nec Dictator; quòd horum alterum primi Bruti, alterum Antonij Consulum Lege iam sublata fuissent. De cetero, omnia alia nomina quæ in libera ciuitate florebant, puta Consulis, Proconsulis, Censoris, Tribuni, Pontificis, & si quæ erant eiusmodi alia, vel sibi asciuit, vel eorum auctoritatem Imperatoris nomine expleuit. Atque ita Augusto regiam potestatem, regij nominis odio exempto, sibi retinente, certissimæ Monarchiæ initia ducta sunt, & Romanorum Respub. à Populo ad vnum translata est. Hæc & eiusmodi alia ex Dione aliisque probatis Auctoribus collecta inuenies apud Panuinium & Sigonium in Fastis. Ergo res Romana, quæ hactenus vt plurimùm à Consulibus administrata fuerat, nimirum per annos 483. (totidem enim à prima Consulum creatione ad hunc annum in nostris tabulis inueniuntur) deinceps ab Imperatoribus regi & gubernari cœpta est. Quæ fuit postrema Romani regiminis mutatio. CAESAR NON NOMINE, SED RE MONARCHA ROMANI REGIMINIS POSTREMA MVTATIO.

AB ORBE CONDITO ANNVS 4028. SEXTÆ MVNDI ÆTAT. ANNVS 582.

1 ANNO, vt arbitror, insequente, Herodes morbi vi tandem vix superata, ita efferatus animo factus est, vt quauis ex causa fieret ad sæuiendum promptissimus: quamobrem ne ab intimis quidem amicis sanguinarias manus abstinuit, vt latè tradit Iosephus 15. Antiq. cap. 11. HERODES INTIMOS QVOQVE AMICOS NECAT.

AB ORBE CONDITO ANNVS 4029. SEXTÆ MVNDI ÆTAT. ANNVS 583.

1 ANNO regni sui duodecimo ferè expleto, vt ex paulò pòst dicendis fiet clarum, Herodes, missis ad loca latebrarum militibus, interfecit filios Babæ, & eos qui cum illis latitabant, Salomæ sororis Regis indicio compertos. Erant autem isti, antequam capta esset ab Herode Ierusalem, viri pollentes opibus & auctoritate in populo, & fidi Antigono, quos Costobarus maritus dictæ Salomæ, & ab Herode destinatus ad custodiendos captæ vrbis exitus, ne quis aduersæ factionis elaberetur, subtractos clàm in suis agris habuerat, & per duodecim annos incolumes ab Herode seruauerat; sciens magnam esse ipsorum apud vulgus auctoritatem, & cogitans illos, quandocumque aliqua contingeret mutatio status rerum, magnum momentum suis cona- BABAE FILIOS INTERFICIT.

conatibus afferre posse: inhiabat enim Costobarus Idumæorum dominationi. Verumtamen orto deinde inter coniuges dissidio, Salome libellum repudij marito misit; & ad Herodem fratrem se conferens, eidem viri consilia patefecit; qui confestim ipsum Costobarum, & omnes eius complices interficiendos curauit. Itaque sublatis omnibus qui erant de cognatione Hircani, & aliis item quorum in populo dignitas excellebat; Herodes, cùm iam pro arbitratu suo posset quidquid vellet agere, nemine sibi ampliùs resistente, cœpit à patriis institutis discedere, & ad peregrina studia se conuertere; & primò quidem

AB ORBE CONDITO ANNVS 4030. SEXTÆ MVNDI ÆTAT. ANNVS 584.

AD PEREGRINA STVDIA CONVERTITVR.

1 Anno regni sui decimotertio (vt num. 2. infrà ex Iosepho patebit) Herodes extruere cœpit sumptuoso opere Ierosolymis theatrum, & deinde in campo amphitheatrum, vt in eis athletica certamina in honorem Cęsaris quinto quoque anno inchoato, ad similitudinem Olympiadum olim in Græcia institutarum, populis exhiberet; quæ postmodum statutis temporibus, magnis propositis præmiis exerceri voluit. Puto autem ipsum hoc anno circiter inchoante dictas fabricas extruere cœpisse, ac deinde nonnisi anno regni sui decimosexto, expletis fabricis, dicta certamina esse inchoata; quemadmodum ex dicendis sub anno mundi 4033. num. 1. colligi poterit. Quæ autem hîc compendiosè retulimus, latiùs habentur apud Iosephum 15. Antiq. cap. 11.

CALAMITATIBVS IN IVDAEA ADVENIENTIBVS OCCVRRIT.

2. Eodem regni Herodis anno (vt notat Iosephus in principio capitis proximè citandi) decimotertio, subintellige à Ierosolyma capta, maximæ calamitates in Iudæa ingruerunt; nimirum diuturna siccitas, quam insecuta est grandis sterilitas, ac deinde morbi graues, & denique etiam non leuis pestilentia: quæ quia ex alimentorum defectu potissimùm exacerbari videbatur; strenuè huic occurrit Herodes, conflatis vasis aureis atque argenteis, & quidquid aliud supellectilis aureæ atque argenteæ in regia inuentum est distracto, pecuniam ex his confectam in Ægyptum misit, vnde aduectum frumentum egentibus ad victum & item ad sementem distribuit. Adueniente verò hieme, pauperibus indumenta quoque prouidit, quibus se à frigoris asperitate tutari possent. Neque solùm suos, sed finitimos etiam Syrorum populos eadem inopia laborantes, quantum potuit, adiuuit. Quibus rebus & infensos sibi hominum animos beneuolos reddidit, & à cunctis eximiam prouidentiæ beneficentiæque laudem retulit. Eodem etiam tempore auxilia misit Cæsari quingentos selectos è suo satellitio, quos Ælius Gallus duxit in expeditionem Arabicam, eorumque sæpè forti opera vsus est: Iosephus 15. Antiq. cap. 12.

AB ORBE CONDITO ANNVS 4031. SEXTÆ MVNDI ÆTAT. ANNVS 585.

REGIAM AEDIFICAT IN SVPERIORE VRBIS PARTE.

1 Anno, vt arbitror, proximo, rebus in pristinam felicitatem restitutis, Herodes Regiam in superiore vrbis parte ædificauit, extructis in ea ædibus amplissimis, auro marmoribusque luculenter exornatis; quibus pro dignitate nomina indidit, vt vna diceretur Cæsaris, altera Agrippæ: fortassis quòd iam ex tunc audisset, eumdem Agrippam à Cæsare hoc anno, qui erat Vrbis septingentesimus trigesimus primus, vt patet in tabulis, tam Syriæ quàm toti Orienti fuisse præfectum, quemadmodum scribit Dio lib. 53.

MARIAMMEM FILIAM SIMONIS PVLCHERRIMAM DVCIT VXOREM.

2. Per idem quoque tempus Herodes permotus fama cuiusdam puellæ, cuius forma Ierosolymis admodum celebrabatur tamquam omnium eius ætatis pulcherrimæ; vt primùm eam vidit, statim eius amore captus est. Erat autem filia cuiusdam Sacerdotis nomine Simonis, filij Boëthi Alexandrini. Itaque noluit Rex vti potentia, ne tyrannicè agere videretur; sed maluit eam ducere vxorem. Verumtamen, vt honestiùs cum dicto Simone affinitatem contraheret; priùs Iesu filio Phabetis Pontificatum abrogat, & successorem ei dat Simonem; mox nuptias cum eius filia contrahit, cui nomen erat Mariamme, vt colligitur ex Iosepho 1. de Bello cap. 19. in fine. Quibus peractis, sexaginta circiter stadiis ab Ierusalem, quo loco Antigonianos olim vicerat dum pelleretur ab ipsis, castellum condidit, quod pluribus describit Iosephus post prædicta, capitulo proximè citando. vbi etiam subiungit, quòd Herodes duobus potissimum modis

modis subditos in officio continebat; timore suppliciorum, quæ nemini remittebat; & liberalitate, qua publicis prouidebat necessitatibus. finitimos verò Dynastas per occasionem colebat, ad conciliandam sibi eorum gratiam munificentissimus, quippe qui innatam haberet magnanimitatem regiam; atque ita factum est, vt cùm apud omnes esset gratiosus, magnis etiam rerum suarum incrementis augeretur. Verumtamen ambitio, studiumque demerendi Cæsarem, & Romanos apud eumdem potentiores, causa fuit vt posteà multùm à patriis institutis decedere non sit veritus, dum in honorem eorum vrbes condere, & templa extruere, vt suis locis dicetur, aggreditur; licet non in solo Iudaico, quòd id Iudæos religionis ergô nequaquam laturos crederet: quamquam etiam in illis condendis atque exornandis, nullis sumptibus parceret, vt sui memoriam ad posteros propagaret: Iosephus 15. Antiq. cap. 12. SVPPLICIIS ET LIBERALITATE SVBDITOS IN OFFICIO CONTINEBAT. A PATRIIS INSTITVTIS CVR DISCESSERIT.

3. Per hæc circiter tempora, aut non multò pôst, oportet Herodem alias duxisse vxores; ita vt præter Mariammem iam ex multo tempore necatam, posteà vno eodemque tempore nouem haberet coniuges, vt habemus ex Iosepho 17. Antiq. cap. 1. in fine, & clariùs 1. de Bello cap. 18. ante medium; ex quarum septem, genuit tres feminas, & septem mares, qui ibidem nominatim recensentur. Quoniam autem tempore mortis suæ tres tantùm mares, videlicet, Archelaus, & Antipas (qui etiam alio nomine dicebatur Herodes, vt pressiùs declarat Iosephus 2. de Bello cap. 8. in eius principio) & Philippus, in testamento nominati inueniuntur 17. Antiq. cap. 8. & 10. in principio capitum, & lib. 1. de Bello in fine capitis 20. & sub finem eiusdem libri; vtique inferri potest, tunc alios Regis filios vel ante patrem obiisse, vel ob graue aliquod ipsorum crimen ab eo necatos, aut saltem è testamento fuisse deletos; sicuti de filio filiæ Simonis Pontificis speciatim legimus 17. Antiq. sub finem capitis 6. & de Antipatro, lib. 1. de Bello cap. 20. in fine. DE IPSIVS LIBERIS.

AB ORBE CONDITO ANNVS 4032. SEXTÆ MVNDI ÆTAT. ANNVS 586.

1 ANNO regni sui decimoquinto, nimirum à captis Ierosolymis, qui erat decimusoctauus ex quo Romæ declaratus fuerat Rex, Herodes templum Ierosolymitanum, vetere à fundamentis sublato, nouum, ampliore ambitu ac maiore altitudine, augustiùs ædificare cœpit. Cuius ædificij magnitudinem latè describit Iosephus 15. Antiq. cap. 14. & lib. 6. de Bello cap. 6. breuiter autem tangit lib. 1. cap. 16. Ex quorum collatione locorum etiam satis apertè deduci potest, eamdem templi fabricam hoc anno fuisse inchoatam; alioqui (quemadmodum notat etiam Iosephus Scaliger lib. 5. de Emendatione temporum, cap. De initio Herodis Magni) non possent inter se conciliari duo loca Iosephi, 1. de Bello cap. 16. vbi in ipso capitis initio ait, templum cœpisse ædificari anno quintodecimo regni Herodis; & 15. Antiquit. in principio capitis 14. vbi dicit, id factum esse anno eiusdem regni decimooctauo. Quare fateri oportet, eumdem Auctorem hactenus quidem in citato Antiq. libro putasse annos regni Herodis à capta Ierosolyma, vt ex supradictis fit manifestum; in principio autem proximè citati capitis eosdem singulariter metiri voluisse à declaratione Herodis in Regem. Quod mirandum non est; quandoquidem etiam apud sacræ Scripturæ Auctores interdum simile quid inueniri certũ est, quemadmodum sub anno mundi 3095. num. 3. pluribus exemplis ostendimus. Quamquam difficile videtur, Iosephum ab aliqua temporum confusione, in gestis præsertim Herodis percensendis, excusari posse: siquidem tam in libris Antiq. quàm de Bello, ante hanc templi renouationem, narrat secundum Cæsaris aduentum in Syriam; quem tamen post inchoatam eiusdem templi fabricam venisse, nos sub anno mundi 4034. num. 1. demonstrabimus. In libro etiam 1. de Bello cap. 16. multa post cœptam templi structurã narrat de aliquot vrbium fabricis, puta Sebastæ & Cæsareæ, ac portus eius, aliisque ædificiis ab Herode extructis; necnon cap. 17. de Mariamme vxore eius interfecta: quæ tamen omnia & his similia in lib. 15. Antiq. ante initium structuræ templi referuntur. Hæc autem nos deinceps accuratiùs, quantum fieri poterit, ordinare conabimur. VETERE SVBLATO, NOVVM TEMPLVM AVGVSTIVS IN IERVSALEM AEDIFICAT.

2. Verùm, quia de templo Herodiano agere iam cœpimus, antequam vlteriùs progrediamur, necessarium videtur discutere, num vera sint quæ de eo scripta reliquit Iosephus; an verò tota illa eiusdem templi historia ab eodem Auctore perperàm fuerit conficta; quemadmodum constanter asserere non dubitauit Ioan. Baptista Villalpandus, qui Tom. 2. suarum Explanationum in Ezechielem Par. 2. cap. 68. videns se in supe- HERODIANI TEMPLI HISTORIA, VERA NE AN A IOSEPHO CONFICTA.

perioribus capitibus templum Salomonis Babyloniorum, Persarum, Romanorum, & (vt vno verbo dicam) omnibus totius orbis terræ fabricis (nescio quàm verè) prætulisse, sibique valdè admodum aduersari quæ de Herodiano templo tradit Iosephus, nec se aliter posse tam antiqui probatique Scriptoris testimonium eludere; coactus est de ipsa Iosephi historia hac in parte improbanda cogitare, & nouam anteaque inauditam de Iosephi impostura opinionem introducere, ac multis argumentationibus quantum potuit communire. Et primò quidem pro se profert quasdam Doctorum auctoritates; mox rationes, vt ipse ait, à Ioan. Eckio petitas, quem primarium, falsò, vt probabimus, dictæ eius sententiæ auctorem facit; ac demum omnibus eloquentiæ viribus obiecta diluere contendit. Auctoritates ex S. Augustino lib. 18. de Ciuit. cap. 45. & 48. & ex dicto Eckio, & ex Cardinale Toleto (quorum tamen loca, nescio quam ob rem, non citat) se desumpsisse profitetur. Rationum verò prima, quam cap. præcedenti magis explicauerat, talis est: Verba illa quæ Iudæi (Ioan. cap. 2. vers. 20.) obiiciebant Christo dicentes: *Quadraginta & sex annis ædificatum est templum hoc*, &c. non possunt accipi de templo Herodiano, quod vt ipsemet Iosephus scribit, extructum fuit nouem annis cum dimidio; ergo de illo quod ædificauerat Zorobabel; ergo illud quod Christus Iudæique intuebantur, non ab Herode, sed à Zorobabele conditum fuerat. Secunda ratio: Si Herodes nouum templum ædificasset; ergo Aggæi Prophetia quæ habetur cap. eius 2. vers. 10. non fuisset impleta in templo quod ipso viuente ædificabatur, & de quo ipse tunc loquebatur, sed in alio ab illo diuerso, neque appellasset illud nouissimum; si posteà eo demolito aliud fuisset fabricandum. Tertia ratio est; Quia ponere tertij templi fabricam, videtur aliquot Prophetarum locis reluctari; præsertim Ieremiæ cap. 7. vers. 4. vbi ait: *Nolite confidere in verbis mendacij, dicentes: Templum Domini, Templum Domini, Templum Domini est.* ter enim replicans, inquiunt, declarare voluit, mendaces esse illos, qui tertium fore ædificandum, falsò sibi aliisque persuadere nitebantur; & Danielis cap. 9. vers. 26. vbi prænuntians desolationem ciuitatis & Sanctuarij, hoc est, secundi templi, addit: *Et vsque ad consummationem & finem perseuerabit desolatio.* ergo non erit ampliùs reædificandum. Et pro hac assertione faciunt etiam quæ Galatinus & alij disputant contra Iudæos, Rabbinorum quoque testimoniis probantes, tertium templum nullo modo fore extruendum. Sed, vt ingenuè fatear, hæc me argumenta nihil prorsus mouent; nec quemquam meritò mouere posse ac debere arbitror: quandoquidem S. Augustinus locis citatis, vt quilibet videre poterit, tametsi nullam omnino templi Herodiani mentionem facit, non tamen inde inferri potest, quòd ipse crediderit, templum illud numquam extitisse, neque quòd illa eius ædificatio falsò fuerit à Iosepho conscripta; quia certum est, sanctum Doctorem non omnia à Iosepho tradita referre intendisse. Deinde Ioan. Eckius Tom. 2. Homiliarum suarum, Homil. 1. super Euangelio Dominicæ 26. post Pentecosten, vbi duo posteriora quæ ex Villalpando retulimus argumenta, profert, nihil prorsus de templo Herodiano, neque de Iosephi historia meminit; sed illud tantùm probare intendit, tertium templum non fore ædificandum. Quod & nos verissimum esse putamus. Quare Eckius nullo modo dici potest, quòd ipse primus historiam Iosephi de templo Herodiano reprobauerit, sed magis quòd primus vnicusque dictæ reprobationis auctor fuerit Villalpandus. Quod attinet ad Cardinalem Toletum, proculdubiò ipse nobis potiùs quàm aduersariis fauere visus est: siquidem super Ioan. cap. 2. Annot. 25. apertè dicit, Templum illud ab Herode fuisse instauratum, valdeque amplificatum, vt habet Iosephus 15. Antiq. cap. vlt. sic ille. Qui tamen ibidem templum pro eodem cum secundo templo censendum esse affirmat. cuius rei causam nos sub anno mundi 3533. num. 4. assignauimus, & hîc etiam paulò inferiùs tangemus. Veniamus ad rationes superiùs adductas. Ad Primam dicimus, illos quadraginta sex annos dubio procul non de templo à Zorobabele, sed ab Herode constructo esse intelligendos; quemadmodum rectè sentit Cardinalis Baronius anno Christi 31. & nos sub anno mundi 3540. num. 2. probauimus; & adhuc clariùs sub hoc de quo nunc agimus anno mūdi 4032. num. 5. vsque ad 9. ostendemus. Ad Secundam & Tertiam rationem, ex his quæ nos paulò antè, & sub anno mundi 3533. num. 4. diximus, & paulò pòst dicemus, nempe, templum Herodianum cum templo Zorobabelis de quo prophetauerat Aggæus, pro vno eodemque secundo templo esse reputandum, satisfieri posse putamus; & consequenter, nullam tertij templi habendam esse rationem libenter admittimus. Etenim si desolatio templi à Daniele prædicta, non alia est nisi illa quæ à Romanis facta fuit annis à passione Christi circiter quadraginta; & si illa verè fuit secundi templi desolatio

tio quam Daniel duraturam prænuntiauit vsque ad consummationem sæculi; vtique necessariò infertur, neque tertium templum fore ædificandum, neque Danielem Eckiumque distinxisse templum Herodianum ab eo quod ædificauerat Zorobabel; sed vtrumque (vt diximus) pro vno eodemque reputasse; quemadmodum nos quoque reputandum esse censemus. Conatur deinde Villalpandus respondere his quæ non (vt ipse ait) contra Eckium, sed veriùs (vt probatum est) contra propriam ipsius sententiam obiecta fuisse commemorat. Videamus num rectè id præstiterit: Prima obiectio est: Neminem in dubium vocasse, neminem non credidisse, quòd post 1500. annos leuibus & nullius momenti coniecturis inficiari ausus est Eckius. Cui respondet, id contigisse, quia eo tempore nullus viuentium ausus est Iosephi figmentum cum stabili sacræ Scripturæ veritate conferre. Quasi verò historia Iosephi de templi Herodiani constructione, aliqua in parte Scripturæ sacræ refragetur. Hoc namque fuisset probandum. Certè ex his quæ nos sub adducto mundi anno 3533. num.4. diximus, apparet, eam nihil his quæ ab Aggæo de posterioris templi gloria dicuntur, aduersari. Sed neque locis Ieremiæ ac Danielis paulò suprà citatis esse contrariam, iam probatum est. Neque video cuinam alij Scripturæ loco repugnet. Secunda obiectio est: Multos alios præter Iosephum idem affirmasse, nempe, Hegesippum, Iosephum F. Gorionis, S. Hieronymum, Rupertum, & alios. Huic obiectioni occurrit dicens, Hæc nihil facere contra ipsum, qui affirmat, nullum ex his qui ætate Iosephi vel ante illum vixerunt, templi Herodiani meminisse. Deinde Hegesippum dicere, non quòd Herodes templum reædificauit, sed quòd ipsum mirificè exornauit atque amplificauit. Sanctum verò Hieronymum, Rupertum, & alios, nihil aliud nisi historiam Iosephi referre, nec quidquam aliud superaddere. De filio autem Gorionis, sicuti & de ceterorum Rabbinorum sententia, nihil esse statuendum, in his præsertim quæ ad Christi gloriam attestandam spectant, quoniam semper malè affecti erga ipsum Christum Christianosque fuerunt. Quibus econuersò replicari potest, nos nullum habere Auctorem Iosepho contemporaneum, neque qui ante ipsum Herodis gesta conscripserit: Philo enim de Herode, quòd ipse obseruauerim, ne verbum quidem. sufficere autem quòd multi posteà de Herodiano templo mentionem fecerint, & quòd etiam sancti viri Ecclesiasticique Doctores Iosepho in hac parte crediderint. Nec aspernandam esse historiam filij Gorionis, vbi Scripturæ sacræ non contrariatur: videmus enim bonos Auctores ea vti, eiusque loca ad Iudæorum gesta confirmanda citare consueuisse. Et licet Hegesippus non dicat *ædificauit*, sed *exornauit* atque *amplificauit:* non tamen videtur minorem, sed potiùs maiorem fidem habendam esse Iosepho, qui proximior fuit temporibus Herodis, quàm Hegesippo, qui posteà Constantino Magno imperante vixisse fertur. Quamquam vtrumque verum dicere potuisse non dubitem: nam certum est, Herodem non omnes templi partes de nouo ædificasse, nec omnia eius fundamenta sustulisse; siquidem illa quæ olim Salomon ab ima valle quadringentis cubitis erexerat, intacta permanserunt. & idem videtur dicendum de aliis, præterquam vbi atria templi erant dilatanda, & vbi sacra ædes erat reædificanda; quam cùm Herodes vellet attollere vsque ad centum viginti cubitorum altitudinem, necesse fuit duplò crassiora ponere fundamenta: priora enim iubente Cyro posita fuerant supportantia altitudinem sexaginta dumtaxat cubitorum, vt traditur 1. Esdr. cap. 6. vers. 3. Quare quod de Herode Iosephus ait, *Sublatis deinde veteribus fundamentis, & nouis repositis, desuper templum extruebat*, &c. rectè per Synecdochen accipi potest, nempe, totum pro parte, immò & pro maiore parte. Et consequenter, cùm, vt dictum est, Herodes templum non solùm amplificauerit atque exornauerit, sed etiam pro maiore parte renouauerit; non incongruè per quamdam exaggerationem dici potest, quòd de nouo illud ædificauerit; sicuti 2. Machabæorum cap. 1. vers. 34. dicitur Rex Persarum fecisse Nehemiæ templum, tametsi illud non ædificauerit, sed iam à Zorobabele ædificatum ipse exornauerit, ditauerit, & muris circumsepiuerit; quemadmodum nos sub anno mūdi 3610. num. 13. docuimus. Sed & adhuc instat Villalpandus, quòd etiamsi demus Iosepho, Herodem reædificasse templum aliquantò latiùs priori; non tamen hinc videtur posse satisfieri Prophetiæ Aggæi, qui prædixit, gloriam nouissimi templi futuram maiorem prioris. Nam, inquit, si templum Zorobabelis in fronte latum erat sexaginta cubitis, & templum Herodis centum, computatis duobus humeris hinc inde additis, singulis viginti cubitorum latitudinis; vtique sequitur, quòd demptis hisce humeris, qui simul quadraginta cubitis extendebantur, parumque ad templi gloriam conferre videbantur, restabat eadem vtriusque templi latitudo. Si enim de centum cubitis tollantur qua-

quadraginta, remanent sexaginta. Ergo non verè dici potest, gloriam domus ab Herode constructæ maiorem fuisse illa quæ fuerat à Zorobabele fabricata. Ad hæc respõdemus, Primò, nos non ponere distinctionem inter hæc duo templa, sed eadem pro vno eodemque secundo computare, quemadmodum paulò antè ostendimus. Nam sicuti nemo est, qui primum templum à Salomone extructum distinguendum putauerit ab eo quod deinde reparauerunt (vt infrà num. 4. probabitur) primò Ioas, mox Iosias, Iudæ Reges: ita neque distingui debet secundum templum quod ædificauit Zorobabel, ab eo quod posteà dicitur fecisse, hoc est, circummunisse ac ditasse Rex Persarum, & postmodum suffulsit Simon Oniæ F. ac demum renouauit Herodes. Deinde dicimus, quòd tametsi magis credimus, templum Zorobabelis in fronte non fuisse latum cubitis sexaginta, sed tantummodò quadraginta: & numerum illum cubitorum sexaginta, qui ponitur 1. Esdr. cap. 6. vers. 3. non debere referri ad latitudinem, sed ad longitudinem, vt sub anno mundi 3540. num. 9. declarauimus: tamen non credimus, maiorem illam secundi templi gloriam ab Aggæo prænuntiatam in dicto cubitorum latitudinis excessu esse ponendam; nec eamdem gloriam fuisse maiorem tantummodò propter fabricam ab Herode sumptuosiùs ædificatam; sed multò magis propter ea quæ nos latiùs sub anno mundi 3533. num. 4. commemorauimus: nimirum, quòd erga ipsum multi Reges ac primarij orbis Monarchæ singularem ostenderint venerationem; quod beatissima Dei Mater per plures annos in eo moram traxerit; & demum ipsemet Rex gloriæ Christus ad ipsum pluries venerit, & in ipso multa gesserit. Et hæc quidem ad gloriam huius templi pertinentia partim ante cœptam Herodiani templi ædificationem, partim verò post accidisse certum est. Tertia obiectio erat, quòd etiam si de templo Herodiano solus Iosephus scripsisset, cuius fidem in historia laudant Eusebius & S. Hieronymus, quis non deberet Sacerdoti & erudito de re celeberrima, & paulò ante ætatem eius gesta scribenti fidem adhibere? Non enim credendum est, ipsum adeò dementem fuisse, atq; adeò Herodis memoriæ commendandæ cupidum, vt opus tam insigne impio Regi, qui non solùm Iudæis, sed maximè Sacerdotibus valdè infensus fuerat, falsò adscribere voluerit; & notissimum impudentissimumque mendacium eisdem Iudæis auderet obtrudere. Huic obiectioni, quæ valdè admodum vrget, vt respondeat, cogitur Villalpandus omnes ingenij neruos intendere, vt huius Historiographi fidem quantum potest imminuat; ac proinde quinque eius loca ad templum pertinentia profert, quæ, inquit, veritati manifestè aduersantur; in eaque vehementiùs, &, vt mihi videtur, nimis acriter inuehitur. Primus Iosephi locus est 6. de Bello cap. 6. vbi dicit, Aram templi quindecim cubitis fuisse altam, & quadraginta latam; at 2. Paralip. cap. 4. vers. 1. constat fuisse altam tantùmmodò cubitis decem, & latam viginti. Breuis responsio: Auctor lib. Paralip. loquitur de altari à Salomone constructo, Iosephus autem de eo quod fecit Herodes, qui, vt credibile est, de Sacerdotum Conciliique sententia illud multò latius fieri curauit, vt in magnis populorum concursibus, capax omnium esset holocautomatum, ne aliquando cogerentur hac de causa sanctificare partem Atrij interioris, quemadmodum contigerat tempore Salomonis, vt patet 1. Paralip. cap. 7. vers. 7. Et quia latius factum fuit, conueniens quoque visum est, vt etiam aliquantò altius fieret. Secundus Iosephi locus est 8. Antiq. cap. 2. vbi legimus: *Ianuæ demum fores altitudini parietis proportione conuenientes addidit latas cubitis viginti, & auro illitas.* hoc, inquit, aduersatur rationi & Scripturæ sacræ. Rationi; quia repugnat, in domo viginti cubitis lata dari portam eiusdẽ latitudinis; alioquin non verè videretur posse dici porta. Auctoritati sacræ; quia Ezechiel cap. 41. vers. 2. de eadem porta ait, eam fuisse latam decem cubitis. Nos econuersò dicimus, Iosephi dictum neque rationi reluctari, neque Scripturæ. Non Scripturæ; tum quia Ezechiel loquitur de porta per quam introibant in Sancta; Iosephus verò de ea quæ ducebat in Sancta sanctorum, vt legenti manifestè patere poterit; tum quia, vt nos aliàs diximus, non est necesse quòd in omnibus conueniant quæ spiritualiter ostensa sunt Ezechieli, cum his quæ materialiter in secundo templo sunt facta. Non rationi, quia cùm ibi Iosephus agat de templo Salomonis, & certum sit, ipsum in eo cũcta fecisse iuxta exemplaria diuina sibi à Dauide patre suo tradita, implicat dicere, in his quidpiam præter rationem extitisse; præsertim cùm in tota Scriptura sacra nihil contra hoc Iosephi assertum reperiatur; & conueniens fuerit, vt anterior oraculi pars ordinariè semper maneret aperta, & solo velo operiretur, vt simul & intus existentia occultari, & ad ea suffitus Altaris thymiamatis iugiter sine vllo impedimento faciliùs penetrare posset: & nihilominus decebat eamdem Oraculi partem habere fores, quæ aliquando, cùm opus esset, claudi

QVINQVE IOSEPHI LOCA EXPONVNTVR.

claudi possent; quarum ratione etiam conuenienter porta dici poterat, altitudini parietis, quæ ibi erat cubitorum triginta (vt Iosephus ait) proportionatæ. Tertius Iosephi locus est lib.6.de Bello cap.6. vbi ait: *Prima verò eius porta septuaginta cubitis alta erat, & vigintiquinque lata.* quo in loco absurdè videtur facere portam latiorem ipsa domo, quæ viginti tantùm cubitos habebat latitudinis. Sed hoc quomodo debeat intelligi, & quomodo rectè ac decenter factum fuerit, nos inferiùs num.11. explicabimus. Quartus locus est lib.Contra Apionem 2.ante medium, vbi de ianuis ita scribit: *Templi ostia erant altitudine sexaginta cubitorum, latitudine viginti, eaq; tota deaurata, & propemodum solida. Hæc claudebant quotidie viri non minùs ducenti, & aperta relinquere nefas erat.* Hunc locum in sensu prima fronte indicato acceptum, manifestis improbat argumentis, docens fieri non posse, vt ducenti homines simul actu concurrere possent ad claudendas portas viginti cubitis latas; nam quocumque ipsi ordine disponantur, non poterunt omnes pariter eas contingere, nedum impellere vt claudant. Et in hoc verum dicit. Sed, vt arbitror, Iosephus ibi non de vna tantùm, sed de cunctis templi exterioris portis loquitur (nam ædis sacræ portam primam, paulò superiùs ex eodem Iosepho diximus septuaginta cubitis altam fuisse) & de Atriorum portis, quas plures fuisse nos infrà num.15. ostendemus. Et non vult dicere, quòd ducenti homines simul vnamquamque clauderent; sed quòd ducenti homines curam habebant eas claudendi, distributis nimirum inter se vicibus, quò graue illud munus quotidie aperiendi & claudendi faciliùs exercere possent. Quintus idemque postremus Iosephi locus est 15.Antiq.cap.14. vbi de Herode dicitur: *Sublatis deinde veteribus fundamentis, & nouis repositis, desuper templum extruebat longitudine centum cubitorum, altitudine totidem & viginti ampliùs; qui viginti cubiti aliquantò pòst sidentibus fundamentis decesserunt, eósque denuò addere decreuerũt nostri, Neronis temporibus.* Porrò quod dictum est de viginti cubitorum decessu, si ita intelligatur, vt eos reipsa decessisse velimus; proculdubiò id non esse credibile, & nos facilè admittimus: numquam enim apud peritos Architectos auditum est de vlla vmquam fabrica, quòd sexta eius pars subtus terram suo pondere sine eius ruina decedere potuerit: & si in Herodiano templo id accidisset, vtique oporteret Sanctuarium, cuius altitudo viginti dumtaxat cubitorum fuisse dicitur, totum in terram fuisse absorptum; quòd & nemo scriptum reliquit, & nimis absurdum esset credere. Sed si, vt mihi videtur, Iosephus dicere voluit, quòd volebant quidem fabricam centum viginti cubitis attollere, verùm vt peruenerunt ad altitudinem centum cubitorum, aduertentes quòd fundamenta aliquatenus sidere incipiebant, & quòd tunc ob recentem structuram, non tutum videbatur fabricam tam citò ad tantam perducere altitudinem, statim cessauerunt ab ædificatione; & ita factum est, vt ad iustam primoque intentã altitudinis mensuram decederent, hoc est, deficerent viginti cubiti, donec tandem Neronis temporibus, quando scilicet structura multo iam temporis interuallo benè firmata videbatur, eidem dictos viginti cubitos superaddiderunt. Certè locus iste Iosephi ita intellectus, nullam omnino patitur difficultatem. Et hæc pro Iosepho sint dicta, non quò eum vmquam non errasse credam, aut persuadere aliis velle videar, (eius enim plura dicta, ab aliis & à me quoque haud immeritò refutata fuisse fateor:) sed vt omnes intelligant, hunc Auctorem, quod alibi etiam ostendimus, multoties cùm benè possit interpretari, à nonnullis non rectè reprehendi. Sed esto, etiam in his, in quibus ipsum posse ac debere excusari credimus, aliquando errauerit: aliud est in quibusdam particularibus propositionibus errasse, quod pluribus Scriptoribus commune esse videmus; aliud est, dicere ipsum totam templi Herodiani historiam tot tantisque circumstantiis descriptam perperàm confinxisse. quod certè de tanto viro opinari nimis videtur indignum. Quarta demum eademque postrema aduersus Eckij vel potiùs Villalpandi opinionem obiectio, desumpta est ex illis Marci cap.13. vers.1. verbis: *Magister, aspice quales lapides, & quales structuræ.* & vers.2. *Vides has magnas ædificationes,* &c. Ex quibus videtur posse colligi, non humiles veteresque structuras, nec lapides impolitos ac paruos fuisse Saluatori ostensos; quales fuisse creduntur qui ante plures annorum centurias à Zorobabele aliisque Iudæis pauperibus post reditum de Babyloniæ captiuitate in templi ædificio positi fuerant; sed recentes, & pulchros, & magnos, atque artificiosè elaboratos ab Herode admodum diuite & generoso in magnificentissima templi sui structura collocatos. Ad hoc respondet, dictos lapides esse illos quos olim Salomon in grandi illa ædificatione posuerat, quam ab ima valle quadringentis cubitis erexerat; & supra quam porticum illam ex eius nomine nuncupatam valdeque celebratam extruxerat. Sed reverà non videtur credibile, quòd Dominus,

minus, & Discipuli eius loquerentur tantummodò de residua illa vetereque Salomonis structura, & de lapidibus in valle pæne sepultis, qui saltem exteriùs vetustate partim corrupti, partim deformes redditi conspiciebantur; sed potiùs de magnificentissima totius templi structura, & præcipuè de sacra æde ex magnis albisque lapidibus nouissimè ab Herode constructa, quæ vndique magis erat conspicua, quippe quæ super omnia illius ciuitatis ædificia & magnitudine & pulchritudine, valdè admodum eminebat: præsertim cùm sic quoq; prædicta Euangelij verba intellexerit sanctus Ioan. Chrysostomus prope finem libelli, *Quòd Christus sit Deus*, inscripti; videlicet, non de aliqua templi parte tantùm, sed de totius templi structuris admiratione magna dignis. Et hoc etiam confirmari potest ex eo, quòd de illis lapidibus Dominus tunc subiunxerit: *Non relinquetur lapis super lapidem*. quod de dicto templo scimus fuisse impletum: de dicto autem Salomonis muro nusquam legimus quòd cum templo fuerit eradicatus; sed magis creditur quòd sub templi ruinis fuerit relictus, & adhuc maneat absorptus. Ex his ergo omnibus, ni fallor, satis euidenter patet, memoratam Villalpandi opinionem nequaquam esse recipiendam: & propterea nemini mirum videri debet, si nos hactenus in hac parte Iosephum secuti sumus; & si deinceps quæ de Herodiano templo ab ipso scripta sunt, prosequi atque elucidare conabimur.

3. Sed priùs quædam alia, quæ idem Auctor ad memoratam suam opinionem confirmandam adiecit, breuiter refellere necessarium videtur. Nam prædictis non contentus, prosequitur quattuor subsequentibus capitibus, nempe *69.70.71.&72.* luculentioribus, vt assolet, verbis disputare aduersus temporalem secundi templi gloriam: & primò quidem in toto cap. *69.* nititur ostendere, eam non ad temporalem esse referendam. Quæ propositio facilè posset admitti si non absolutè, vt ipse putat, sed principaliter, quemadmodum nos sub anno mundi 3533. num. 4. declarauimus, intelligatur. Etenim si, vt paulò pòst ostendemus, negari non potest, quin templum Herodianum fuerit maius Salomonico; quid prohibet credere, quòd ad hoc quoque potuerit alludere Propheticum Aggæi dictum, *Magna erit gloria domus istius nouissimæ plus quàm primæ?* vt scilicet aliquo modo leuaret populi mœrorem, quem, visis angustioribus illis Sacræ ædis fundamentis, iam pridem contraxerat, & adhuc in corde retinebat? per hoc enim Propheticæ prædictioni nihil omnino detrahitur; immò magis declaratur, eam aliis eiusmodi fuisse conformem: quæ tametsi principaliter in sensu spirituali ad Christi Ecclesiam referri soleant, tamen etiam minùs principaliter ad consolationem imperfecti illius populi, qui tẽporalia magis quàm spiritualia appetere consueuerat, accommodari poterant. Nam quæ in veteri Testamento habentur, ita sunt tradita, vt rectè & materialiter & spiritualiter possint intelligi, iuxta illud Apostoli 1. ad Cor. cap. 10. vers. 11. *Omnia in figura contingebant illis*. Spiritualiter, propter eos qui diuinitus illuminati, promissa Dei spiritualiter intelligebant: materialiter verò, vt etiam aliquo modo satisfieri posset iis qui obscuratum habentes intellectum, eadem non nisi carnaliter ac temporaliter capere poterant. Sciebant enim Prophetæ se quoque (quemadmodum posteà dixit Apostolus) sapientibus & insipientibus esse debitores. & propterea non implicat, Prophetam pariter & de vera spiritualique gloria, & de illa quæ talis communiter apud illum populum reputabatur, esse locutum. Quare, vt arbitror, non inconuenit, maiorem illam secundi templi gloriam temporalem, quæ de illo quod tunc ædificabatur accepta, manifestè ex fundamentis iactis humilior futura conspiciebatur; de illo quod Propheta nouissimè ab Herode renouandum ampliandumque prospiciebat, posse interpretari: tametsi eadem Prophetæ verba principaliter prænuntiata fuerint, ad præsignandam spiritualem ampliotemque ipsius sanctæ Ecclesiæ ædificationem, eo modo quo à sanctis Doctoribus exponi solent. Nititur deinde Villalpandus in toto cap. 70. probare, quòd etiamsi Herodes maius & opulentius templum ædificasse crederetur; de eo tamen intelligi non possent illa Aggæi c. 2. vers. 8. verba, *Et implebo domum istam gloria*; quia, inquit, in secundo templo defuerunt quinque res notabiles, quæ fuerant in primo: nempe, Vrim & Thumim, Ignis sacer, Diuina præsentia, Spiritus Propheticus, & Arca testamenti. Cui econuersò nos dicimus, hæc quoque in secundo templo aliquamdiu extitisse, quemadmodum fusiùs sub anno mundi 3540. num. 4. *5.* & *6.* probatum est. Nec obstare, quòd in Herodiano templo numquam extiterint Vrim & Thumim, & Ignis sacer; tum quia, vt iam sæpè diximus, Herodianum templum cum Zorobabelico pro vno eodemque secundo templo reputandum est; tum etiam quia in eo duo alia longè maiora & præclariora extiterunt, nimirum, personalis Deiparæ Virginis, & ipsius Dei ac Domini nostri Iesu

Christi

Christi præsentia. Veniamus ad eā quæ Villalpandus in cap. 71. vehementius exaggerat, demonstrare contendens, templum Herodianum nihil habuisse quod ad gloriam ab Aggæo tribui potuisse videatur. Nam, inquit, eius Auctor Herodes; fuit vir malus, & Salomoni minimè præferendus; & præterea erat pauper Regulus respectu Salomonis, qui dominabatur ab Ægypti terminis vsque ad Euphraten; & magnam vim auri atque argenti aliarumque rerum pretiosissimarum ab Indicis vsque regionibus classe ad se aduehi curabat. Quare non videtur Herodes erigere potuisse templum nec materia nec forma magnificentius eo quod fecerat Salomon. Postremò, ex comparatione aliquarum vtriusque templi partium facta, & collatione multitudinis operariorum qui in vtroque templo laborasse dicuntur; concludit, longè maiorem fuisse gloriam templaris ædificij à Salomone quàm ab Herode fabricati. Verùm ad hæc facilè responderi potest. Primò, quòd licet non imus inficias, Herodem & valdè crudelem extitisse, & multis aliis multò peiorem Salomone; non tamen vmquam eò peruersitatis ipsum deuenisse credimus vt idola coleret, sicuti fecerat Salomon; tametsi ille non tantam sapientiam, veríque ac summi Dei cognitionem, quantam habuerat Salomon, sortitus esset. Deinde, si decebat sanctum Dei templum non à peruerso, sed à sancto viro ædificari; cur primum non potiùs à Dauide viro secundùm cor Dei, quàm à Salomone fieri debuit? Et de secundo templo, numquid sanctus fuit Cyrus, quo imperante ac primario auctore fundari cœptum est? Numquid sanctus Darius Hystaspes, quo iubente expletum fuit? Certè fateri oportet, Deum, cuius sapientia inscrutabilis est, nonnumquam etiam per homines malos aliqua bona operari; alioquin (vt ait S. Augustinus in Psal. 54.) gratis viderentur esse in hoc mundo, si nihil boni de ipsis (adde, & per ipsos) ageret Deus. Quamobrem, sicuti Crucifixi, alicuiúsve Sancti imago ab homine improbis moribus congruenter expressa, non minùs veneranda esset, ac si à probo facta fuisset; ita non minùs sanctè coli debuit templum ab Herode, quàm si ab alio ipso meliore fuisset erectum. Sed neque quòd Herodes multò minùs diues fuerit Salomone, obstat quin maius templum erigere potuerit; siquidem Salomon, qui primus suum in vertice montis arduo ac pænè acuminato ædificare aggressus est, vtique necesse habuit murum firmissimum maximis sumptibus ab ima valle ad quadringentos cubitos erigere, & montis verticem detrahere, vt magnam vallis partem impleret, ac sic angustam nimis Templi aream dilataret; & insuper omnem totius ædificij materiam marmoream ligneamque in monte Libano longissimè remoto excidere, indeque in Ierusalem ad structuræ locum infinitis propè impensis, ac pænè innumerabili ministrorum operariorumque multitudine aduehere. At verò Herodes maiori vtriusque materiæ parte ex ruinis templi Salomonis ac Zorobabelis in eodem ædificij loco inuenta, & area ipsa à populo, qui post Salomonem (vt testatur Iosephus lib. 6. de Bello cap. 6.) paulatim semper aliquid aggeris accumulauerat, latiore iam effecta; certè multò minori sumptu potuit maiorem ædificationem erigere: præsertim cùm non propriis tantùm pecuniis, sed eiusdem quoque templi thesauris, qui erant amplissimi, eamdem perfecisse credatur. Quod verò attinet ad illam partium vtriusque templi collationem, non est quòd de singulis agamus, ac longiores nimísque morosas disputationes hîc attexere studeamus. Sufficiat principaliores inter se conferre, & ostendere fuisse maiores quæ postremò ab Herode renouatæ sunt, quàm quæ à Salomone constructæ fuerant. Certè (si Historia Iosephi vera est, & fide digna, & nullatenus ab eo perperàm conficta, quemadmodum num. præcedente iam satis superque probatum est) negari non potest, quin totus Atriorum ambitus Herodiani templi duplo maior fuerit eo quo cingebatur Salomonicum, immò etiam eo quod fecerat Zorobabel; & consequenter, ipsa quoque atria vel maiora, vel plura fuisse necesse est. Sed & ipsa sacra ædes, quæ in fronte Salomonici templi creditur non excessisse sexaginta latitudinis cubitos; in Herodiano centum habuit, propter humeros eidem hinc inde additos. Et interior eiusdem ædis longitudo, quæ (dempta murorum crassitudine, & computata anterioris porticus latitudine) in Salomonico septuaginta cubitorum erat, in Herodiano fuit centum, propter vestibulum longitudinis quadraginta cubitorum loco dictæ porticus ante ipsam ædem erectum. De mirabili autem illa Meridiana porticu triplici, in modum basilicæ quattuor columnarū ordinibus ab Herode extructa, quam describit Iosephus 15. Antiq. cap. 14. Villalpandus dicit, aliam ibidem priùs multò magnificentiorem à Salomone fuisse ædificatam, quando (vt dicitur 3. Reg. cap. 11. vers. 27.) ædificauit Mello. Verumenimuerò ibi Scriptura sacra nihil prorsus de templi porticibus innuit; sed (vt alij interpretantur) intelligenda est loqui de alijs ædificijs nihil ad templum pertinentibus

tibus à Salomone post impletam voraginem desuper fabricatis. Et reuerà non est verisimile, quòd Salomon, quando Atrium exterius porticibus cinxit, Meridianum latus in eomet loco ædificauerit, vbi posteà Herodes, dilatata ad Austrum (vt infrà num. 12. probabitur) atriorum amplitudine, suam Meridianam porticum extruxit: præsertim cùm de Salomone textu Reg. citato dicatur, quòd coæquauit voraginem ciuitatis Dauid; & de prædicto Herodis ædificio dicatur, quòd valli profundissimæ adiacebat. Vnde colligi potest, dictam voraginem in ea parte adhuc non fuisse impletam. Itaque quòd Salomon ibidem priùs aliam porticum similem ac multò magnificentiorem erexerit, gratis dicitur; & nullo Scripturæ sacræ, neque Iosephi, alteriúsve probati Scriptoris auctoritate conuinci potest. Quare etiam respectu dictæ porticus Meridianæ fateri necesse est, templum Herodianum Salomonico fuisse maius. Neque huic sententiæ obstat, quòd 1. Paralip. cap. 22. vers. 5. Dauid dixerit: *Domus autem, quam ædificari volo Domino, talis esse debet, vt in cunctis regionibus nominetur.* & Salomon lib. 2. c. 2. vers. 5. dicat: *Domus enim, quam ædificare cupio, magna nimis est & inclyta.* Quia ex his conuinci non potest, quòd posterioribus temporibus alia maior ac magis inclyta extrui non potuerit: præsertim cùm S. Ioan. Chrysostomus in libello, *Quòd Christus sit Deus*, inscripto, prope finem, de eximia templi Herodiani pulchritudine, magnitudine, ac magnificentia verba faciens, dicere non dubitauerit, *quòd nusquam huic simile templum erat, nec tam venerabile, nec tanto cultu insigne.* Et multis interpositis, rursus de ipso apertè pronuntiat, *quòd fuit priori multò præclarius, &*, inquit, *dicunt hoc Prophetæ, & prædicunt priusquam factum.* Item circa initia orationis 17. in Epistola B. Pauli ad Hebræos, posteaquam multa de priori templo magnificè extructo disseruit, hæc ad verbum subiungit: *Secunda autem ædificatio fuit præclarior & propter pulchritudinem, & omnia.* & loquitur ibi specialiter de templo Herodiano, vt ex his quæ ibidem subsequuntur manifestum est. Porrò hæc omnia qui diligentiùs considerauerit, proculdubiò intelliget quàm immeritò Villalpandus Salomonicum templum Herodiano præferre conatus sit, & hac de causa Iosephi Historiam tamquam fictitiam calumniari, quæ communiter ab omnibus (ipso excepto) probata atque recepta est. Itaque si vera sunt, vt credimus, quæ in ea de Herodiani templi magnificentia & pulchritudine traduntur; vtique necessarium est, minùs esse recipienda tot tamque admiranda ac vix credibilia, quæ præfatus Auctor de Salomonici Templi fabrica scribere non dubitauit. Nam etsi non imus inficias, Templum Salomonis ab Hiramo architecto excellentissimo fuisse maiori artificio, præsertim in parte ædis sacræ interna, elaboratum; quæ tota erat tabulis cedrinis, varijs mirabilibusque cælaturis, hisque laminis aureis vndique contectis exornata; & item multò maiori vasorum aureorum, argenteorum, & æreorum magnitudine ac multitudine, omnisque generis pretiosæ supellectilis in varios ministrorum vsus abundantia ditatum à Salomone, qui proculdubiò fuit longè ditior ipso Herode: nihilominùs, si ipsas dumtaxat fabricas, & vtriusque templi ædificia spectemus; vtique multò maiora & augustiora fuerunt (quemadmodum hactenus probatum est) quæ ab Herode, quàm quæ à Salomone constructa sunt; licet iste multò maioribus impensis quàm ille, ob causas proximè tactas, ædificare coactus fuerit. In cap. demum 72. Villalpandus ostendit, maiorem secundi templi gloriam in eo positam fuisse, quòd beatissima Dei Genitrix, & ipse Dominus noster Iesus Christus ipsum sua corporali præsentia honorare & glorificare dignum duxerit. Et hoc idem nos quoque fatemur; si tamen (quemadmodum sub anno mundi 3533. num. 4. antequam dictum Villalpandi caput vidissemus, declarauimus) intelligatur, nimirum, ipsius Deiparæ & Saluatoris præsentiam, super alia omnia ibidem enumerata, secundum templum gloriosum reddidisse apud Deum & homines; & nihilominùs Prophetam non de vera tantùm & spirituali gloria esse locutum, sed etiam de illa humana, quæ carnalem illum populum blandiùs consolari, magisque lætificare, & ad illud ædificium prosequendum excitare atque incitare poterat; cuiusmodi est, si illudmet templum aliquando magnificentiùs quàm ferrent illa tempora, ædificandum fore diuinitus intelligerent. Sed iam tempus est, vt hisce sublatis impedimentis, ad eiusdem Herodiani templi historiam continuandam accedamus.

TEMPLVM IEROSOLYMITANVM QVOTIES REPARATVM.

4. Fuit autem hæc postrema templi Ierosolymitani ædificatio. Nam primus omnium Salomon Rex illud à fundamentis erexerat, ac magnificentissimè exornauerat, quemadmodum nos sub anno mundi 3023. vsque ad finem anni 3030. fusissimè declarauimus. Deinde regnante Ioas in Iuda, cùm idem templum iam esset partim vetustate, partim Athaliæ Reginæ ac viri filijque eius impietate labefactatum; iubente Rege recon-

reconcinnatum atque instauratum fuit, vt à nobis sub anno mundi 3172. num. 2. dictum est. Quod iterùm temporibus Iosiæ Regis Iudæ, ipso præcipiente factum fuisse, nos sub anno mundi 3412. retulimus. Posteà cùm à Nabuchodonosor Rege Babylonis fuisset incensum, penitusque demolitum; post septuaginta Babylonicæ captiuitatis annos, sub Zorobabele Iudæorum Duce aliud, quod Secundum dicitur, reædificatum fuit, & absolutum anno regni Darij Hystaspis nono, vt sub anno mundi 3540. n. 1. explicauimus. & illud idem templũ mox, Duce Nehemia, Artaxerxes Longimanus Persarum Rex muniuit, exornauit, ac ditauit, vt sub anno mundi 3610. num. 9. adnotauimus. & rursus sub Simone Iusto Sacerdote magno, ne temporum iniuria collaberetur, ab eodem Pontifice suffultum ac reparatum fuit, quemadmodum sub anno mundi 3744. num. 2. dictum est. Denique Herodes tempore prænotato, veteri magna ex parte funditus euerso, nouum ampliore mole eodem in loco reædificare aggressus, illud tandem modo inferiùs explicando absoluit. Quare constat, primum templum bis notabiliter fuisse reparatum, nempe, vt diximus, à Ioa, & Iosia. Secundum verò ter fuisse instauratum vel auctum, videlicet primò à Longimano, mox à Simone, & demum ab Herode, qui illud mirabiliter auxit, vt suprà dictum est, & infrà suis locis magis explicabitur. Nam alioqui alijs etiam temporibus locus templi in colle positi, semper aliquid aggeris accumulante populo, latior effectus est, vt tradit Iosephus 6. de Bello cap. 6. circa medium. Ceterùm, de postrema templi ædificatione Herode imperante facta accipiendum esse illud Euangelistæ Ioannis cap. 2. vers. 20. *Quadraginta & sex annis ædificatum est templum hoc*, &c. iam ex Cardinale Baronio in suis Annalibus sub anno Christi 31. nos sub anno mundi 3540. num. 2. comprobauimus. ET QVOTIES A FVNDAMENTIS ERECTVM.

¶ 5. Sed hîc dicet aliquis: Quomodo verè dicere possumus, Herodem quadraginta & sex annis ædificasse hoc templum, si ab inchoato hoc ædificio vix tres & viginti annos ipsum superuixisse, tum ex sub annis mundi 3981. num. 1. & 4015. num. 5. & 6. iam dictis, tum ex sub anno mundi 4051. num. 24. vsque ad 30. dicendis, apertè constabit? & præterea Iosephus 15. Antiq. c. 14. expresè testatur, Herodem exteriora quidem templi omnibus patentia, octo annis; interiora verò solis Sacerdotibus peruia, sesquianno insuper absoluisse? Ad hæc ita respondet loco citato Cardinalis Baronius, Rem in arcto esse positam, & alterum de duobus necessariò dici debere; vel Iosephum esse mentitum, vel Iudæos esse hallucinatos. Et hos quidem, cùm de rebus palàm notis agerent, & eo argumento Christi assertionem refellere vellent, nulla potest esse suspicio, tam nota atque patentia locutos esse mendacia; etenim non solùm à Christo & à Discipulis eius, sed etiam à quouis è vulgo homine redargui erroris potuissent. In Iosepho ergo, infert Baronius, vacillat fides historica. quod & ibidem duobus comprobare nititur argumentis. Primò, quia idem Iosephus loco allegato dicit ab Herode vetus templum à fundamentis fuisse demolitum: at 20. Antiq. cap. 8. vbi agit de rebus sub Nerone gestis, testatur porticum Orientalem, Salomonis maximum opus, adhuc permansisse; & verum dicit: habetur enim eiusdem porticus mentio etiam in Euangelio Ioannis c. 10. vers. 23. & Actorum c. 3. vers. 11. & c. 5. vers. 12. non igitur sibi concors est Iosephus. Deinde, quia quantumlibet idem Auctor 15. Antiq. c. 14. affirmet, templum Herodianum circa medietatem decimi anni ab eius fundatione fuisse absolutum; eiusdem tamen assertione 20. Antiq. c. 8. certissimum est, ipsam templi structuram vsque ad Neronis tempora perseuerasse, operantibus in ea octodecim millibus opificum. Quare discedens Baronius à Iosepho, tamquam, vt ipse arbitratur, in fide historica sæpiùs vacillante, tandem concludit, Iudæos, quando dixerunt, *Quadraginta & sex annis ædificatum est templum hoc*, respexisse ad tempus inchoati huius ab Herode ædificij; atque inde vsque ad annum Christi trigesimum primum, in quo hæc habita fuit disputatio, numerasse prædictos quadraginta & sex annos. QVOMODO HERODES TEMPLVM 46. ANNIS AEDIFICAVERIT.

6. Sed hæc Baronij responsio supponit multa, quæ meo iudicio sustineri nullo modo possunt: nimirum Primò, annos regni Herodis à pugna Actiaca esse dinumerandos, vt ipsemet ibidem asserit, & in Apparatu suo fusiùs persuadere conatur. Secundò, Iosephum errasse 15. Antiq. c. 14. vbi ait, Herodem anno regni sui decimooctauo cœpisse templum extruere; & pro *decimooctauo*, corrigendum esse, legendumque *decimoquinto*. Tertiò, Herodem anno à pugna ad Actium secuta quintodecimo, inchoasse templi fabricam. Quartò, eumdem Iosephum perperàm scripsisse, quòd templum ab Herode annis octo & sesquianno fuerit expletum, & hac in re contrariari sibimet in eodem cap. & clariùs 20. Antiq. cap. 8. insinuanti, eamdem fabricam protractam fuisse vsque ad tempora Neronis. Et item sibiipsi contradicere 15. Antiq. c. 14. vbi ait, Hero- DEFENDITVR A BARONIO IOSEPHVS.

dem diruisse vetus templum à fundamentis; cùm 20. Antiq. c. 8. oppositum scripserit de porticu Salomonis, quæ vtique erat pars non infima templi, & quam certum est etiam temporibus Christi & Apostolorum extitisse. Quæ omnia nequaquam admitti debere censemus. Nam quòd anni regni Herodis non sint ab Actiaca pugna numerandi, nos sub anno mundi 4051. num. 24. & 25. plurimis euidentissimisque argumentis demonstrabimus. Credimus item Iosephi textum 15. Antiq. cap. 14. vbi affirmat, Herodem inchoasse templi fabricam anno regni sui decimooctauo, nullo modo esse alterandum; præsertim cùm Baronius nullam afferat antiquorum codicũ lectionem, quæ ibidem pro *decimooctauo*, habeat *decimoquinto*, neque dictum suum vlla alia rationabili probatione confirmet. Nam licet Iosephus 1. de Bello c. 16. eamdem historiam repetens, dixerit Herodem anno regni sui decimoquinto templum instaurare cœpisse; nihilominùs vtrobique benè dicit, nec sibi contrarius est: quandoquidem constat, ipsum annos Herodis aliquando putare solitum esse à Consulatu Caluini & Pollionis, aliquando à Consulatu Agrippæ & Galli; & certum est, annum decimumquintum à Consulatu Agrippæ, esse decimumoctauum à Consulatu Caluini, vt etiam patet in tabulis. Sed neque etiam supposita Baronij opinione, quòd scilicet Herodes cœperit ædificare templum anno decimoquinto post Actiacam pugnam, propterea omnino consequitur, ab hoc anno ad trigesimum primum Christi, fluxisse quadraginta & sex annos: siquidem (vt ipsemet Baronius in Apparatu suo refert) pugna ad Actium incidit in annum Vrbis septingentesimum vigesimum tertium; cui si addantur quindecim anni, cadet initium fabricæ templi in annum Vrbis septingentesimum trigesimum octauum, à quo ad annum Vrbis septingentesimum octogesimum primum (qui, vt patet in tabulis, concurrit cum trigesimo primo Christi) inueniuntur tantummodò anni quadraginta tres, vel ad summum, computatione nimirum vtrimque inclusiua, quadraginta quattuor; non autem quadraginta sex. Sanè Baronium fefellit alia quoque ipsius opinio, Iosepho pariter ac veritati, vt arbitror, contraria; videlicet, quòd Herodes à pugna Actiaca superuixerit annos triginta septem, atque ita peruenerit vsque ad annum Christi octauum; vnde sequeretur, ipsum longè plus quadraginta annis regnasse. Contra quæ & eiusmodi alia, nos sub anno mundi 4051. num. 24. vsque ad 30. disputabimus.

7. Non etiam, meo iudicio, tam facilè argui debuit à Baronio Iosephus, tamquam pugnantia protulerit, vno in loco dicens, templum externum annis octo, internum verò sesquianno fuisse expletum; in alio autem insinuans, eiusdem templi structuram vsque ad Neronis tempora perdurasse. Etenim dupliciter dici solet templum aliquod esse perfectum; Vno modo, quoad eius partes essentiales, quando scilicet ad id iam ventum est, vt possint in eo clerici & Sacerdotes sacra peragere; tametsi multa adhuc remaneant absoluenda, quæ vix post plures annorum decades omnino perfici valeant. Alio modo, & magis propriè, quando tota omnimodis perfecta & absoluta est fabrica; ita vt ei nihil ampliùs desit. Quæ distinctio adeò vera est, vt eam vsuvenire quotidie videamus, præsertim vbi de magnis quibusdam templorum fabricis agitur; veluti est illa B. Petri Romæ, & Metropolitana Mediolani, & alibi eiusmodi aliæ, quæ completæ & incompletæ modo suprà exposito rectè dici possunt, & communiter solent; vt iam nemini mirum videri debeat, quòd Iosephus interdum tradiderit, Herodiani templi fabricam Neronis tempore fuisse vsquequaque absolutam; interdum verò, eamdem nouem annis cum dimidio fuisse expletam; quia licet tunc multa, cùm ad ornatum pertinentia, tum ad iustam totius ædificij magnitudinem, adhuc ædificanda ac perficienda restarent; opus tamen iam ad eam formam redactum erat, vt commodè in eo possent sacrificia offerri, & cetera legalia præstari; quæ priùs in templo fieri consueuerant. Quòd autem iste sit germanus Iosephi sensus, inde fit clarum, quòd in eodem capite, vbi ait templum memorato annorum spatio ab Herode fuisse absolutum, etiam dicit, quòd Herodes *extruebat templum longitudine centum cubitorum; altitudine totidem & viginti ampliùs; qui viginti cubiti aliquantò pòst sidentibus fundamentis decesserunt, eosq; denuò addere decreuerunt nostri, Neronis temporibus*. ita Iosephus: qui mox etiam de hac additione meminisse videtur 20. Antiq. cap. 8. vbi ait; quòd octodecim millia opificum in templo ex operarum mercedibus victum quærere consueuerant; & quòd absoluto templi ædificio, ne sacra pecunia reposita, Romanis aliquando præda fieret, & ne tot millia opificum in otio essent, volebat populus instaurare Orientalem porticum; sed id vetuit Agrippa Rex, cuius curæ Claudius Cæsar templi fabricam commiserat; maluitque vt vrbem candido saxo consternerent. Ex quibus Iose-

Iosephi verbis patet, iustam Herodiani templi altitudinem nonnisi Herodis Agrippæ iunioris temporibus (quo in Chalcide regnante, Ierosolymis occisus fuit S. Iacobus frater Domini ab Anano Pontifice, vt tradit Iosephus cap. Antiq. citato) fuisse absolutam; & consequenter, neque etiam anno Christi trigesimo primo illam templi fabricam fuisse omnino perfectam. Vnde necessariò consequitur, Iosephum 15. Antiq. cap. 14. non de omnimoda templi perfectione esse locutum: sed neque Iudæos quando dixerunt, *Quadraginta & sex annis ædificatum est templum hoc*, &c. Quin potiùs, ex collatione eorum quæ de hujus templi structura locis citatis scripta reliquit Iosephus, cum sæpiùs allegato Euangelij loco, videtur posse colligi, eamdem fabricam post prædictos nouem & semis annos, ex quo ab Herode fuerat inchoata, non semper deinceps eadem celeritate, tantaque operariorum multitudine fuisse continuatam; sed quandoque etiam aliqua de causa, vt fit, interruptam, siue aliquamdiu intermissam, ac posteà resumptam, nec semper eodem operarum numero; sed nunc maiore, nunc minore, prout ferebant tempora. Adhuc autem minor erat ratio redarguendi Iosephum, quòd dixerit, Herodem vetus templum à fundamentis eradicasse; posteà verò de porticu Salomonis, quæ vtique pars erat templi, tamquam adhuc Neronis temporibus existente, meminerit; quia iuxta communem loquendi modum, vbi maior pars fundamentorum eruta est, rectè dici potest ædificium illud esse eradicatum; porticus autem illa, licet in se res esset magni admodum momenti, respectu tamen molis totius templi, tamquam parua eius pars censeri poterat; & cùm esset, vt ibidem dicitur, subnixa muro quadringentis cubitis ex valle profundissima exurgente, atque è saxis valdè magnis, nimirum longitudine viginti cubitorum, altitudine verò sex, ædificata; non videbatur à fundamentis eruenda, sed potiùs desuper instauranda. Et hæc hactenus pro Iosepho.

8. Verùm, vt nostram tandem ad quæsitum responsionem proferamus, breuiter dicimus; Herodem nouem annis cum dimidio omnes templi partes essentiales magna celeritate extruxisse, ita vt iam in ipso cōmodè possent sacrificia offerri, & solita ad Dei cultum præstari: exinde verò multò segniùs in his quæ restabant perficiendis progressum fuisse, vsque ad annum Christi vigesimum septimum circiter expletum, hoc est vsque ad complementum quadraginta sex annorum, ex quo fabrica hæc fuerat ab Herode inchoata: quibus elapsis, credimus eam aliqua de causa per aliquot annos omnino fuisse intermissam. Cuius intermissionis licet Iosephus nihil expresserit, nihil tamen in oppositum protulit; & nobis sufficere potest ac debet auctoritas Euangelij asserentis, quadraginta & sex annis ædificatum esse templum illud; ex quo loquendi modo colligi posse videtur memorata intermissio: non enim dicit, *ædificari templum hoc*, ac si vsque tunc perseuerasset ædificatio, nec *absolutum esse templum hoc*; quia adhuc deerant illi altitudinis viginti cubiti, qui posteà sub Nerone additi sunt: sed indeterminatè dicit, *ædificatum est*; apertè indicans, quòd quæ tunc videbatur fabrica, quadraginta sex annorum interuallo facta fuerat. Ex quibus, vt dixi, rectè potest inferri, quòd tunc iam per aliquod tempus cessatum esset ab opere. Hæc si placet responsio, certè nullatenus Euangelistæ dictis aduersatur; sed nec ipsius Iosephi, cuius historiam hac in parte nequaquam vacillare iam ostensum est, nihilque habere iusta reprehensione dignum. AVCTORIS SENTENTIA DE 46 ANNIS AEDIFICATIONIS TEMPLI.

9. Ceterùm de hoc templo dicturi, quoniam Herodes (vt diximus) non solùm multò quàm fecerat Zorobabel, sed etiam quàm Salomon illud magnificentiùs extruxit; quò meliùs ex aliorum comparatione intelligamus qualiter singulas eius partes ædificauerit, necesse erit sæpiùs veluti trium templorum, nempe Salomonici, Zorobabelici, & Herodiani mentionem facere; non quia, contra superiùs num. 2. asserta, nunc tria templa ponere intendamus; sed vt, clarioris doctrinę gratia, in quibus templū ab Herode renouatum cum primo à Salomone condito, & cum prima secundi constructione à Zorobabele facta conueniret, ab hisque discreparet, magis elucesceret. Itaque vt priùs notum fiat quomodo cum eisdem conueniret; dicimus primò, quod attinet ad nobiliorem ipsius partem, quæ (seclusis atriis ac vestibulo de quo infrà numero sequente) magis propriè templum dicebatur; ipsum quoque, non secùs ac secundum, ad prioris formam fuisse constructum; & in interiori eius amplitudine seu capacitate, partiumque distinctione ac dispositione, fuisse prioribus templis simile: atque in eo contenta, nempe Altare thymiamatis, Arca, Mensa Candelabrum, de quibus satis superque sub annis mundi 2544. num. 66. vsque ad 74. & 3030. num. 14. vsque ad 20. dictum est) eisdem locis singula sicut in prioribus templis fuisse collocata. IN QVIBVS TEMPLVM HERODIANVM CVM PRIORIBVS CONVENIRET.

Etenim

Etenim quemadmodum videre est apud Iosephum 15. Antiq. cap. 14. & præcipuè lib. 6. de Bello cap. 6. vbi accuratiùs tota hæc fabrica describitur, prout temporibus suis extabat; cui Auctori tamquam testi oculato, (quippe qui non solùm templum illud sæpè contemplatus fuerat, sed etiam cùm esset Sacerdos, non semel in eo sacra fecisse creditur) maxima fides habenda est; proculdubiò templum hoc, sicuti & duo priora, distinctum erat in duas partes valdè principales; quarum anterior, quæ magis ad Orientem spectabat, Sanctaque dicebatur, longa erat quadraginta cubitis, & lata viginti: posterior verò quæ ad Occasum vergebat, & Sancta sanctorum nuncupabatur, viginti cubitos habebat longitudinis, & totidem latitudinis, nimirum in quadro posita; & ab anteriori parte velo quodam magno ac pretioso distincta. Itaque vniuersa huius templi latitudo erat viginti cubitorum, & longitudo sexaginta, proportione triplicata, quemadmodum cetera templa, Salomonis scilicet & Zorobabelis, fuisse dicuntur. Quare quod Iosephus 15. Antiq. cap. 14. ait, Herodem ædificasse templum longitudine centum cubitorum; profectò accipiendum est, computato vestibulo, quod idem Auctor 6. de Bello cap. 6. primæ ædis nomine significat; dicitque fuisse longum quadraginta cubitis: sic quippe colligitur tota huius fabricæ interna longitudo cubitorum centum, seclusa scilicet murorum transuersalium crassitudine. Quòd autem aiunt idem Iosephus loco proximè citato, & alter item Iosephus Gorionis filius lib. 5. Historiarum Iudaicarum cap. 24. à Ribera in lib. 1. de Templo cap. 28. & aliàs sæpè citatus; videlicet, Herodianum hoc templum habuisse etiam in latitudine cubitos centum; debet intelligi non de corpore ipsius templi, sed de exteriori eius facie Orientali, quæ (computata murorum lateralium crassitudine, & insuper duobus veluti humeris, qui, vt ait Iosephus lib. 6. de Bello cap. 6. vtrimque vicenûm cubitorum spatio producebantur) habebat centum cubitos latitudinis. Facies autem eiusdem templi Occidentalis, vbi non erant prædicti humeri, vt ibidem dicitur, quadraginta cubitis angustior erat. Quare hinc necessariò infertur, murorum huius templi crassitudinem fuisse viginti cubitorum; alioquin non posset colligi latitudo faciei ipsius templi centum cubitorum, neque tergi eius cubitorum sexaginta, computata, vt dixi, murorum crassitudine, quæ profectò non videtur minor esse debuisse pro sustinenda altitudine centum viginti cubitorum. Vnde colligitur, hallucinari Iosephum Gorionis filium, vbi ait, quòd fundamenta de subtus decem tenebant cubitos; quod de templo quidem Zorobabelis verè dici potuisset, de isto autem Herodiano nequaquam. Extrinsecus etiam, templum hoc fuit aliis simile: nam eius quoque parietes valdè admodum excedebant culmina domorum seu cellarum ipsis vtrimque adhærentium; ita vt externa templi forma referre quodammodò videretur similitudinem vnius ex hisce nostris templis, cuius partes laterales, angustiores sunt atque humiliores, media verò pars latior ac excelsior, illis admodum eminere conspicitur. Et hoc est quod breuiter tangit Iosephus 15. Antiq. cap. 14. his verbis: *Erátque (sicut & regia porticus) hinc & hinc humilius, media sui parte excelsius.* & lib. 6. de Bello cap. 6. versus finem, *Circa latera verò,* inquit, *inferioris templi* (quod prioribus quoque templis commune fuisse videtur) *multa erant membra peruia, triplici tecto suspensa, & ad vtrumque latus, ad ea introitus à porta patebat. Superior autem pars, eadem membra non habebat, quò minùs erat angustior, celsior autem quadraginta cubitis, nec, vt inferior, ambitiosa.* sic Iosephus. Qui in eo quòd ait: *celsior autem quadraginta cubitis,* accipiendus est loqui de tempore, in quo tota templi altitudo erat centum dumtaxat cubitorum, & necdum alij viginti cubiti superadditi fuerant. Verumtamen, an dicta membra essent veluti cellæ tribus ordinibus distinctæ, & an lapideæ vel ligneæ, similes illis quæ erant circa templum Salomonis; an verò essent tria veluti magna quædam podia aperta, multumque prominentia, & ductu quodam continuato circa templum excurrentia; non satis est clarum. Illud tamen certissimum est, quòd si erant cellæ foris clausæ, oportet eas fuisse interruptas vbicumque erant templi fenestræ, alioquin eas occlusissent; quandoquidem tegebant templi parietes, à solo ad altitudinem sexaginta cubitorum, id est, vsque ad primam ipsius templi contignationem; nudamque relinquebant tantummodò partem eius superiorem.

HERODIANVM TEMPLVM IN QVIBVS DISCREPARET A PRIORIBVS.

10. Dissidebat autem hoc de quo loquimur templum à prioribus, non solùm in latitudine faciei anterioris, vt dictum est; verùm etiam in longitudine interiore ipsius templi; nimirum ratione magni illius vestibuli, cuius, vt diximus, sub nomine primæ ædis meminit Iosephus lib. 6. de Bello cap. 6. dicitque habuisse altitudinis nonaginta cubitos, latitudinis viginti, & longitudinis quadraginta: eiusmodi namque vestibulum

lum in prioribus templis nullum extitisse legimus; sed eius loco in facie templi Salomonis erat porticus, lata cubitis decem, & longa viginti, ad mensuram latitudinis templi: in Zorobabelis autem templo nihil tale in facie templi extitisse reperimus scriptum; tametsi probabile sit, eamdem quoque ibidem porticum fuisse extructam. Diffidebat item Herodianum hoc templum à prioribus, quia tota templi Salomonis interior altitudo triplici contignatione distincta fuisse perhibetur, quemadmodum sub anno mundi 3023. num. 4. probatum est; quarum prima à pauimento, triginta cubitis; secunda à prima, totidem; tertia verò à secunda, cubitis sexaginta attollebatur: Zorobabelis autem templum nonnisi vnam in summitate contignationem habuisse creditur: at Herodianum duas tantùm habuit, vt ex Græco Iosephi textu lib. 6. de Bello colligit Ribera; & prima quidem à solo sexaginta cubitis attollebatur; altera verò ab hac totidem. tota enim templi altitudo centum viginti cubitorum erat, quando scilicet eius altitudo Neronis tempore absoluta fuit. Quamobrem à vestibulo, quod intus habebat altitudinis nonaginta cubitos, introeuntibus in templum, ipsum templum vestibulo longè humilius videbatur, prima nimirum contignatione interseptum. Prætereà tertium hoc templum, sicuti & primum, fundamenta parietesque inde exurgentes habebat multò crassiores ac firmiores, vt tutò ferre possent altitudinem centum viginti cubitorum: quamuis, vt ait Iosephus 15. Antiq. cap. 14. aliquantò pòst sidentibus fundamentis, viginti cubiti decesserint, eosque denuò addere decreuerint Iudæi Neronis temporibus. Crassitudo autem parietum secundi templi, iussa præscriptaque fuerat à Rege Persarum ea dumtaxat mensura fieri, quæ posset supportare altitudinem sexaginta cubitorum, vt patet 1. Esdræ cap. 6. vers. 3. Vnde ad proportionem altitudinis aliorum templorum, oportet crassitiem parietum secundi templi decem tantummodò fuisse cubitorum. Item hoc templum (quod de aliis, præsertim verò de secundo, non legimus) totum constabat (quemadmodum tradit Iosephus cap. Antiq. citato, & cap. de Bello proximè citando) ex candidis firmissimisque lapidibus, magnitudine vicenûm quinûm cubitorum in longum, octo in altum, latitudine verò cubitorum duodecim; ita vt procul aspicientibus monti niueo similis videretur; nam vbicumque templum non fuerat deauratum, candidissimum erat, & à multis stadiis conspicuum: nonnullorum autem saxorum eius longitudo, quadraginta quinque cubitorum erat, altitudo quinque, & latitudo sex. Quare non est recipiendus Iosephus Gorionis in eo quod ait, *Vnam & eamdem mensuram habebant omnes lapides à fundamento ædificij ad summitatem eius*: sed magis recolendum est, quàm meritò tempore Saluatoris vnus ex discipulis eius dixerit: *Magister, aspice quales lapides, & quales structuræ.* cui Dominus: *Vides has omnes magnas ædificationes? non relinquetur lapis super lapidem, qui non destruatur*: Marc. cap. 13. vers. 1. & 2. *Porrò exterior huius templi facies* (quod etiam de aliis non legimus) *nihil quod animus aut oculi mirarentur non habebat; crustis enim aureis grauissimis vndique tecta, vltra primos ortus igneo splendore lucebat, vt cùm intuerentur contendentium oculi, quasi Solis radiis auerterentur. In summo autem aureis verubus horrebat acutissimis, ne ab insidentibus auibus pollueretur*: Iosephus 6. de Bello cap. 6.

11. Restat nunc dicendum aliquid de huius templi portis. Primam, per quam patebat ingressus in vestibulum, describit Iosephus cap. proximè allegato hisce verbis: *Prima verò eius porta, septuaginta cubitis alta erat, & viginti quinque lata, neque fores habebat: cælum enim vndique conspicuum lateque patens significabat; erantque totæ frontes inauratæ; ac prima ædes* (quam vestibulum appellauimus) *omnis perlucebat extrinsecus: auroque circa interiorem fani partem splendida cuncta cernentibus occurrebant.* hæc Iosephus. Vbi necessariò subintelligendum est, hanc portam saltem in lateribus forma aliqualiter obliqua fuisse fabrefactam, ita vt foris aliquantò latior esset quàm intus: nam certissimum est, interiorem eius partem non potuisse latiorem esse viginti cubitis, tanta enim & non amplior erat tota templi ac ipsius vestibuli latitudo: extrinsecus autem vel ratione prædictæ obliquitatis in parietum apertura, vel ratione exterioris ornatus, qui reddebat ingressum aliquantò ampliorem, porta ipsa viginti quinque cubitis lata erat. Secunda porta quæ à vestibulo ducebat in Sancta, sic ibidem à Iosepho describitur: *Interior verò porta, tota inaurata erat, vt dixi, & circum eam auratus paries, desuper autem habebat aureos pampinos, vnde racemi statura hominis pendebant, & fores habebat aureas, quinquaginta & quinque cubitis altas, sexdecim verò latas. ad hæc aulæum longitudine pari, hoc est, velum Babylonium, hyacintho, & bysso, & cocco, & purpura variatum, mirabili opere factum,* &c. De porta autem intimæ domus, quæ Sancta sanctorum diceba-

DE HERODIANI TEMPLI PORTIS.

dicebatur, nihil particulare habemus, nisi quòd eam priori similem extitisse colligi potest ex Iosepho 15. Antiq. cap. 14. vbi ait: *Portæ verò ipsi templo pares, & superliminaria aulæis variegatis ornabantur, floribus purpureis distinctis, & habentibus columnas intextas, sub quarum capitibus vitis expandebatur aurea, dependentibus vuis: mirandum sanè opus, tam manus quàm materiæ pretio.* sic Iosephus. Propter dictas autem vites vuasque in templo repertas, hoc est de templi portis, vt dictum fuit, pendentes, putauerunt quidam, Iudæos coluisse Bacchum, vt scribit Cornelius Tacitus non valdè procul ab initio lib. 21. vbi, Ethnicorum more, Bacchum appellat, Liberum patrem dominatorem Orientis.

DE ATRIIS TEMPLI, ET LOCO IPSORVM AMPLIATO.

12. Dicamus nunc aliquid de atriis ac reliquis templi partibus. Sed hîc ante omnia præmittere oportet, quòd (vt ait Iosephus 1. de Bello cap. 16.) circa intimum illud templum, de quo hactenus egimus, Herodes duplum terræ spatium quàm prius fuerat, muro amplexus est, ingenti sumptu & magnificentia singulari; ita vt (quemadmodum idem met Auctor 15. Antiq. cap. 14. testatur) totus muri ambitus in quadro positus, quattuor stadia circuiret, singulis lateribus inter duos angulos per singula stadia patentibus. ex quo obiter fit manifestum, quòd anteà templum Ierosolymitanum non ampliùs quàm duo terræ stadia circuirent. Addita verò arce, quæ in angulo quo Septemtrionale templi latus cum Occidentali iungebatur posita erat, olim à Machabæis ad munitionem templi constructa, ac demum ab Herode instaurata, magnificentiusq; ædificata, & in Antonij memoriam, Antonia vocata fuerat: vniuersus prædicti muri ambitus sex stadia complectebatur, vt tradit Iosephus 6. de Bello cap. 6. Est autem stadium octaua milliarij pars, continet enim centum viginti quinque passus, vt ait Plinius lib. 2. cap. 23. hoc est pedes sexcentos viginti quinque, qui faciunt cubitos quadringentos sexdecim, addito pede vno; nam pes constat palmis quattuor, hoc est digitis sexdecim, cubitus autem palmis sex, nimirum digitis viginti quattuor: tota verò prædicta mensura octies sumpta, efficit mille passus. Porrò prædictam templi dilatationem, à Septemtrionali potissimùm pariter atque Australi parte, ab Herode factam credimus, vt indicat Iosephus, qui lib. 6. de Bello cap. 6. ait, quòd perrupto Septemtrionali quoque muro tantum assumpsere spatium, quantum posteà totius fani ambitus incluserat. Et 15. Antiq. cap. 14. dicit, quòd Herodes radices quoque montis alio muro cinxit, cui, inquit, versus Austrum subiecta erat vallis profunda. & ibi (quemadmodum olim fecerat Salomon in parte Orientali) excitauit murum illum firmissimum, qui ibidem describitur hisce verbis: *Hic murus constat saxis grandibus, plumbo inter se vinctis, complectens interius spatium, & in profundum descendens, vt miranda sit magnitudo & altitudo structuræ, forma quadrangulari: saxorum enim magnitudo à fronte est conspicua, interiora ferro vincta, iuncturas continent contra omnium temporum iniurias, firmissimas.* & sequitur: *Hoc opus postquam æquatum est vertici, cauitas quæ intererat murum inter & tumulum, expleta est, vt complanatis omnibus fieret area; & circum quadriporticus quattuor stadiorum circuitu.* sic Iosephus. Sanè intra hunc ambitum Herodes, præter memoratam superioribus numeris templi fabricam, tria quoq; atria templi duplo maiora quàm anteà essent effecit, singulis proprio muro septis: vt proptereà collem triplici muro circumdatum fuisse tradiderint non solùm Iosephus 6. de Bello cap. 6. verùm etiam ante ipsum Aristæas in Historia de LXX. Interpretibus. Vnde etiam planè deducitur, non modò hoc templum, sed & Zorobabelicum quoque triplici muro fuisse cinctum; & consequenter, tria similiter atria habuisse, licet multò minora. Itaque Herodes non solùm dicta atria ampliauit, verùm etiam in ipsis porticus magnificentiores extruxit, vt suis locis dicetur. Totum autem sub dio spatium, omnium generum lapidibus eleganter stratum variatumque decorauit: Iosephus loco proximè citato.

13. Vt igitur de singulis atriis aliquid dicamus, & tamquam è templo superiùs descripto exeuntes, paulatim ad exteriora procedamus, dicimus; quòd ante templi seu

DE ATRIO SANCTO.

vestibuli eius faciem primò occurrebat atrium Sanctum, quod solis Sacerdotibus peruium erat, habebatque latitudinis cubitos centum, iuxta latitudinem faciei ipsius templi, & totidem, vt arbitror, longitudinis: in cuius medio erat Altare holocautomatum magnum valdè; nimirum, vt ait Iosephus 6. de Bello cap. 6. *quindecim cubitis altum, latum verò & longum cubitis quadragenis; quadratumq; stans, veluti cornutis angulis eminebat, ex lapidibus impolitis quos ferrum non tetigerat, ad Legis normam constructum; & à Meridie ascensus in illud clementer arduus resupinabatur.* hæc ille. Vbi aduertendum est, quòd Villalpandus in cap. Ezechielis 43. putat Iosephi textum esse deprauatum,

uatum, in eo quòd addit altitudini altaris olim à Salomone constructi cubitos quinque; quos, inquit, minimè sit verisimile, à sanctissimis viris, Iesu, Zorobabele, Aggæo, & Zacharia fuisse permissos. sic citatus Auctor; qui ex verbis suis planè videtur confundere Altare quod fuit in templo Salomonis, cum eo quod posteà fuit sub prædictis sanctis viris erectum. Et præterea non aduertit, Iosephum ibidem non de templo Salomonis aut Zorobabelis verba facere, sed de illo quod postremò ab Herode fabricatum fuit; quod nimirum à duobus prioribus in multis fuisse diuersum, iam nos suprà num. 8. demonstrauimus. Sed si Herodiani templi ara duplo longior latiorque fuit ea quam fecerat Salomon; quid mirum est, quòd etiam aliquantò altior sit facta? Sanè in hoc atrio Sacerdotum porticus quoque aliquas extitisse, liquidò colligitur ex Iosepho, qui sub finem lib. 15. Antiq. ait, quòd *Herodes interiora, à quibus profani Lege arcebantur, non ausus ingredi, per Sacerdotes curabat fabricam intimarum porticuum.* sic Iosephus. Oportet ergo has porticus, & domos ipsis adiunctas, ad vsum Sacerdotum iuxta vices suas templo deseruientium, in duobus lateribus dicti Atrij dumtaxat, Aquilonari scilicet & Meridionali fuisse ædificatas: nam ab Occasu aderat ipsum templi vestibulum, ab Ortu verò idem atrium, solo septo lapideo altitudinis cubiti vnius eleganter fabricato, ab altero admodum ampliore atrio, quod laicorum dicebatur, & de quo numero sequente agemus, distinctum erat. Ceterùm, Herodes in hoc atrio Sacerdotum neque columnas æreas, neque mare æneum, luteresque, sicuti olim Salomon, fecisse perhibetur; forsitan quòd columnas illas tamquam nullius vsus in templo minimè necessarias iudicauerit; pro mari verò ac luteribus æneis ad abluendum victimarum sanguinem, maluerit vt Sacerdotes multò commodiùs vterentur aquis ex illo perenni fonte manantibus, quem in secundo templo à Simone Iusto deductum fuisse diximus sub anno mundi 3744. num. 2.

14. Sequitur dicendum de altero atrio pro laicis constructo, quod & ipsum totum in quadro positum erat, & valdè amplum: nam etsi quanta fuerit eius amplitudo, scire non possimus, quòd neque Iosephus, neque alius Auctor quem viderim, longitudinis eius pariter ac latitudinis mensuras expresserit; nihilominùs certum est, ipsum tantæ capacitatis extitisse, vt non solùm omnes alias templi partes hactenus à nobis descriptas in se contineret, sed & insuper commodè posset excipere omnem Iudæorum vtriusq; sexus multitudinem, quæ secundùm Legem statis temporibus ad ipsum confluere solebat. *Erat autem à tribus partibus proprio muro circumdatum, cuius exterior celsitudo, quamuis quadraginta cubitis surgeret, tamen gradibus* (subaudi, in parte eius inferiori) *tegebatur; interior verò viginti quinque cubitorum erat, quoniam in altiori loco per gradus ædificata, non tota pars interior cernebatur, colle obtecta.* sic Iosephus 6. de Bello cap. 6. In parte autem Orientali seiungebatur ab atrio tertio, quod Gentibus immundisque Iudæis pariter commune erat, non muro, sed cancellis saxeis ad tres cubitos altis, nimiumque grato opere factis; vbi æquis dispositæ interuallis columnæ stabant, Græcis Latinisque inscriptionibus, sub interminatione pœnæ capitis præmonentes, ne alienigenæ immundive ad locum sanctum transire aut ascendere auderent. ex Iosepho ibidem. Sanè totum hoc atrium in parte anteriori, transuerso muro à Septemtrione ad Austrum excurrente, distinctum erat, quo mulieres à viris segregabantur: priorq; pars mulieribus, interior autem & atrio Sacerdotum proximior, destinata erat viris. Sed à parte mulierum ad locum virorum, quindecim gradibus scandebatur; quos aiunt beatissimam Virginem Mariam tres dumtaxat annos natam, sine alicuius ope mirabiliter ascendisse, quando, vt moris erat, in templo præsentata Deo fuit. etenim vlteriùs ingredi mulieribus vetitum erat. Quare vsque ad illam portam, quam Iosephus 6. de Bello cap. 6. maiorem appellat, prodibant Sacerdotes quotiescumque opus esset, siue vt eiusmodi oblationes à mulieribus acciperent, aut aliquid tale agerent: nam ad expiationes faciendas, vt arbitror, egrediebantur Sacerdotes vsque ad primam exterioris templi portam; vt laici ibidem expiati, introire possent in templum. Ab his quoque quindecim gradibus ferunt denominatos esse Psalmos Graduales, quòd singuli in ascensu singulorum horum graduum à Pontifice recitari solerent. At verò ab huius atrij parte viris assignata, ad atrium Sacerdotum, (quod quia in eo sacra fiebant, Fanum sacrosanctum vocat Iosephus) duodecim gradibus ascendebatur, vt ipsemet tradit vbi suprà. DE ATRIO LAICORVM.

15. De portis huius atrij laicorum diuersimodè loqui videtur Iosephus: nam sub finem libri 15. Antiq. septem dumtaxat portas in ipso ponit; nimirum tres in latere Aquilonari, & tres in Meridionali, æquidistantes; & vnam in Orientali magnam, per quam DE NVMERO PORTARVM ATRII LAICORVM.

quam casti cum vxoribus suis introibant: at lib.6. de Bello cap.6. ait, in eodem atrio decem portas extitisse; videlicet quattuor à Meridie, & totidem à Septemtrione, & ab Oriente duas: nam *Occidua pars nullam*, inquit, *portam habebat, sed perpetuus ibi murus erat extructus*. Verumtamen facile est eius dicta conciliare, si dixerimus, primam huius atrij partem mulieribus destinatam, tres habuisse portas, vt loco proximè citato tradit Iosephus; duas laterales, videlicet alteram à Meridie, & à Septemtrione alteram, tertiam verò ab Oriente magnam (subintellige, respectu aliarum duarum.) Secundam autem eiusdem atrij partem viris assignatam portas habuisse septem; tres à Septemtrione, & tres à Meridie, & vnam ab Oriente intimam, quæ recta linea respiciebat contra exteriorem illam magnam, quæ & Speciosa dicebatur, per quam casti cum vxoribus ingredientes, illas in prima atrij parte relinquebant; ipsi verò recto itinere ad secundam pergebant. Atque hoc pacto, fiunt in summa decem totius atrij huius portæ; nimirum quattuor à Meridie, totidem à Septemtrione, & duæ ab Ortu recta linea sese inuicem respicientes. Qua etiam in re valdè erat differens hoc atrium ab eo quod fecerat Salomon in primo templo: siquidem illud atrium quattuor tantùm portas habuisse legitur, quarum singulæ singulos ventos spectabant, vt scribit Iosephus 8. Antiq. cap.2. De magnificentia autem & ornatu huius Herodiani templi portarum, præsertim verò illius quæ Speciosa dicebatur, cuius etiam meminit S. Lucas Actorum cap.5. vers.2. (hanc Iosephus loco proximè citando vocat Corinthiam, quòd ære Corinthio constaret) ita enim idem Auctor scribit 6. de Bello cap.6. *Portarum autem aliæ quidem auro & argento vndique tectæ erant, itémque postes ac frontes; vna verò extra templum* (id est, per quam ingrediebantur laici vtriusque sexus in atrium hoc templi, ipsis deputatum) *ære Corinthio, quæ multùm argento inclusas & inauratas honore superabat. Et binæ fores quidem in singulis ianuis erant tricenis cubitis altæ, quinis denis etiam latæ*. Et post pauca subiungit: *Et aliarum quidem portarum magnitudo par fuit; quæ verò supra Corinthiam posita, quò mulieres conueniebant* (vt scilicet ipsæ etiam aspectu intimi templi, sacrificiorum, & aliarum Sacerdotalium functionum frui possent) *ab Oriente aperiebatur, porta templi sine dubio maior: quinquaginta enim cubitis surgens, quadraginta cubitorum fores habebat, ornatumq́ magnificentiorem; quoniam crassiori argento atque auro vestiebatur, quod quidem nouem portis infuderat Tiberij pater Alexander.* hæc Iosephus. qui nouem tantùm portis infusum aurum argentumque asserit, quòd decima porta, vt diximus, tota ex ære Corinthio fabricata esset; cuius etiam idem Auctor 7. de Bello cap. 12. occasione cuiusdam prodigij, meminit in hæc verba: *Orientalis autem porta interioris templi, cùm esset ænea atque grauissima, & sub vesperam vix à viginti viris clauderetur, serisq́ ferro vinctis obseraretur, pessulósque altos haberet in saxeum limen demissos, vno perpetuo lapide fabricatum, visa est noctis hora sexta sponte patescere.* sic ibi Iosephus; qui 6. de Bello cap.6. de iisdem portis verba faciens, addit: quòd *post introitum ipsarum, vbi latiores fiebant, tricenis vtrimque cubitis exedras habebant; exemplo quidem turrium longas & latas, supra verò quàm viginti cubitis celsas; singulas autem binæ columnæ duodenûm cubitorum crassitudine* (vel vt alij codices habent *altitudine*) *sustinebant*. Et paulò superiùs, idem Auctor de porticibus quoque huius atrij breuiter meminit, dicens: *Inter portas autem porticus, à muro intrò propè à thesauro* (hoc est, à Gazophylaciis) *aduersæ, magnis & pulcherrimis columnis sustentabantur; erantq́ simplices; ac præter magnitudinem, nulla re ab inferioribus* (id est, ab iis quæ erant in atrio gentium in inferiori situ posito) *aberant*.

DE MAGNIFICENTIA DICTARVM PORTARVM

DE EXEDRIS

DE PORTICIBVS.

DE MVLIERVM DEO DICATARVM DOMIBVS.

16. Ceterùm, quia oportet in templo extitisse locum seu loca quædam ad perpetuam vel temporalem quarumdam virginum mulierumque religiosarum habitationem; earum scilicet, quæ vel antequam nascerentur, à parentibus Deo deuotæ fuerant, & posteà ablactatæ ad templum adducebantur, vt ibidem educarentur, quemadmodum legimus 1. Reg cap. 1. vers. 24. factum fuisse de Samuele; & apud Nicephorum Ecclesiasticæ Historiæ lib.2. cap.3. de beatissima Virgine: vel se ipsas adulta iam ætate deuouerant, vt Anna Prophetissa ab obitu viri sui; Luc. cap.2. vers.36. & 37. & aliæ adhuc virgines, quæ conclusæ appellantur 2. Machab. cap.3. vers.19. de quibus omnibus vide Petrum Canisium lib. 1. de Maria Deipara cap. 12. & Cardinalem Baronium in Apparatu ad suos Annales. Si quis quærat, vbi nam esset iste locus, id est, in quanam templi parte habitarent dictæ mulieres; dicimus, id non adhuc apud Auctores satis exploratum haberi: nam etsi Iosephus 6. de Bello cap.6. videatur eiusdem loci meminisse, vbi de secundo templi atrio agens, ait: *Necessariò namque proprius locus, religionis causa, mulieribus destinatus, muro secernebatur*. tamen non se explicat,

vtrùm

vtrùm de orationis, an de habitationis mulierum loco intelligat: & videtur ibi potiùs agere de loco, qui communiter mulieribus in illo atrio ad templum orandi gratia venientibus fuerat assignatus. Quare probare non possumus in hac parte Baronij opinionem, qui vbi suprà, putat feminas Deo dicatas habitasse in illis domunculis, siue cellis, quæ extrinsecus hærebant parietibus intimi templi, de quibus nos suprà num. 7. fecimus mentionem. Etenim hac opinione posita, oportuisset eas, quotiescumque ad locum orationis mulieribus destinatum ire voluissent, necessariò transire per atrium virorum, vt in subiecta vestigij templi delineatione intueri licet; quod tamen nullatenus admittendum videtur, Iosepho præsertim 6. de Bello cap. 6. de ipsis mulieribus attestante, quòd *nec suam portam interiecto muro transgredi licebat*. Considerandum igitur est, num fortè probabilius sit dicere, prædictas eiusmodi virginum mulierumque domunculas secus locum orationis ipsarum, tum in Septemtrionali, tum etiam in Meridiano latere fuisse fabricatas, ita vt dictæ virgines mulieresve ad locum orationis per portas laterales ingredi commodè ac secretò possent, quemadmodum in citata templi delineatione expressum est. Et item num hoc, aut tale quid (licet admodum obscurè) indicare voluerit Iosephus loco citato, vbi hæc subiungit: *Contra primam verò, secreta erat ex aliis regionibus vna porta Meridiana, & vna Septemtrionalis, quibus ad mulieres introibatur: per alias enim transire ad mulieres non licebat; sed nec suam portam interiecto muro transgredi licebat.* sic Iosephus. Et hæc de atrio secundo dicta sufficiant, si illud addiderimus, de hac potissimùm templi parte accipienda esse, quæcumque in Euangelio traduntur à Christo acta fuisse in templo; puta, quòd in eo fuerit præsentatus, quòd in eo docuerit, quòd inde vendentes & ementes eiecerit, & si quæ sunt eiusmodi alia: quandoquidem cùm ipse esset de tribu Iuda, & consequenter non posset esse Moysaicæ Legis Sacerdos, non videbatur ei licere, ab hoc atrio ad interiora vlteriùs progredi.

17. Extra secundum hoc atrium, de quo proximè actum est, circumextendebatur tertium, Iudæis legali aliqua immunditia laborantibus, & cunctis item Gentibus commune, muris vndique septum firmissimis, intra quos à tribus lateribus erant porticus duplices; à quarto autem, nempe Australi latere, triplices; quas paulò pòst ipsiusmet Iosephi verbis describemus: *Eratque memorata quadriporticus tota in circuitu, stadiorum quattuor; singulis lateribus inter duos angulos, per stadia singula patentibus*, vt ait Iosephus 15. Antiq. c. 14. qui etiam lib. 6. de Bello c. 6. dicit, quòd *omnes prædictas porticus, duplices columnæ sustinebant, quinis & vicenis cubitis altæ, de singulis saxis marmore candido; & laquearia cedrina protegebant, quorum naturalis magnificentia, quodque ligno rasili erant, aptéque cohærebant, operæpretium spectantibus exhibebat; nulloque aut pictoris aut sculptoris opere extrinsecus ornabatur. Latæ autem per triginta cubitos erant.* Hactenus de porticibus duplicibus in cõmuni: nam de ijs sigillatim agit idem Auctor 15. Antiq. c. 14. Et de Orientali quidem ait, quòd eam priores Reges adornauerant, & circa ipsam apposuerant spolia Barbarica, ab eisdem Deo dicata; quæ Herodes quoque ibidem iussit affigi, additis iis quæ ipse tulerat de Arabibus; & quòd in illius tractus meditullio sita erat templi porta. De Septemtrionali verò porticu nihil aliud dicit, nisi quòd in eius angulo erat Arx Antonia, cuius nos suprà num. 10. mentionem fecimus, & in qua postmodum reponi asseruarique consueuit stola Pontificia, quæ non promebatur, nisi Pontifice sacris operaturo. Hanc arcem accuratè describit ipse Iosephus 6. de Bello c. 6. Vbi etiam addit, quòd quà porticibus (subintellige, templi) iungebatur, vtrimque descensus habebat vnde custodes commeabant. Ex quo licet intelligere, quòd ibi erat porta, per quam de templo ad arcem transibant, descendentes & ascendentes per vallem intermediam, tum Sacerdotes, quando statis temporibus ferebant ac reportabant dictam stolam; tum etiam Romanorum posteà temporibus milites, quando festis diebus ibant ad templum, vt obseruarent, ne quid tunc populus noui committeret, vt tradit Iosephus loco proximè adducto. Vtrùm autem in hac parte Septemtrionali atrium hoc templi alias portas haberet, adhuc apud neminem reperire potui.

De tertio atrio, quod erat immundorum et gentium.

De quattuor templi lateribus et porticibus sigillatim.

Arx Antonia.

18. De Occidentali verò huius atrij latere, & item de Meridiano, in quo erat triplicata porticus paulò antè memorata, sic ad verbum scribit Iosephus cap. Antiq. citato: *Occidentalis autem porticus quattuor portas habebat: harum ab vna transitus erat in Regiam per vallem in medio interiectam: duæ ferebant in suburbia: postrema in vrbem, gradibus multis vsque ad imam vallem dispositis; & inde aliis sursum per accliue tendentibus: vrbs enim sita erat è regione templi, theatrali specie, toto Australi tractu in profundam vallem desinens. Quartum autem latus Meridianum, etiam ipsum habebat portam ab vtro-*

vtroque angulo æquè distantem; & triplicem porticum, basilicam longitudine ab Orientali valle ad Occidentalem pertinentem. nec enim vlteriùs poterat. Ibi spectaculum erat, si vllum aliud sub sole, memorabile. Nam cùm vallis in immensum dehisceret, ita vt caligarent despicientium oculi; desuper extructa erat prealta porticus; cuius tecto conscenso, si quis vtramque altitudinem coniunctam contemplaretur, absque vertigine id non poterat, visu deficiente ob nimiam profunditatem, priusquam ad imum pertingeret. In eius porticibus stabant paribus interuallis quattuor columnarum ordines, quorum quartus intertextum habebat lapideum parietem. crassitudo autem cuiusque columnæ, quantam possent tres homines consertis inter se complecti brachiis: longitudo viginti septem pedum, subiecta spira duplici. Numerus vniuersarum fuit, centum sexaginta duo, capitellis sculptis opere Corinthio, pulchris vsque ad miraculum. His quaternis ordinibus fiunt per interualla ternæ porticus, ita vt in vnoquoque latere duæ pariles, triginta pedum latitudinis, plus quinquaginta altitudinis, stadij longitudine, claudant inter se mediam, cuius latitudo sesquialtera, altitudo verò duplicata, tanto superabat vtramque. Earum lacunaria lignea, sculpturata figuris variis. Mediæ verò conuexitas altiùs surgebat; excitato super epistylia pariete lapideo politissimo, columnis insertis distincto, mirabili artificio commissuris oculos fallentibus. hucusque Iosephus. Quanta autem esset distantia ab hisce porticibus ad atrium secundum, quod pro solis Iudæis laicis vtriusque sexus destinatum erat, non plenè definiri potest; quandoquidem de hoc Iosephus vbi suprà nihil aliud dicit, nisi quòd interiùs non longo interstitio secundus ambitus paucis gradibus erat scansilis, nimirum in latere Orientali; vbi septo tantùm lapideo distinguebatur primum atrium à secundo, vt ibidem declaratur. Nam alioqui, licet totum atrium primum esset secundo humilius; non tamen eodem modo vbique: quia secundi atrij solum multò altius erat vbi manebant viri, quàm vbi mulieres. Quare si (vt tradit Iosephus 6. de Bello cap. 6.) ad secundum atrium (subaudi, tam à Septemtrionali quàm à Meridionali eius latere) quattuordecim gradibus ascendebatur; post quos spatium erat vsque ad murum, non trecentûm, vt Latina habent exemplaria; sed decem cubitis planum (vt ex textu Iosephi Græco benè colligit probatque Ribera lib. 1. de Templo cap. 22.) & hinc rursum alij quinque gradus, qui faciunt decem & nouem, ducebant ad portas, (subaudi, laterales loci viris assignati,) profectò oportet, quòd à primo atrio ad secundum vbi manere solebant feminæ, per quattuor tantùm gradus scanderetur: inde enim ad loca virorum quindecim gradibus, vt suprà num. 12. probatum est, ascendere oportebat.

DE QVATTVOR ATRIIS SEV PORTICIBVS TEMPLI.

19. Fuerunt igitur in templo Herodiano, vt diximus, tria atria, Primum, ab extrà introëuntibus omnibus commune. Secundum, pro solis Iudæis laicis. Tertium, pro Sacerdotibus. quamuis secundum subdiuideretur in duo, nempe alterum pro feminis, & pro maribus alterum: & proptereà Iosephus lib. 2. Contra Apionem, prope libri medietatem, ponit quattuor atria sub nomine quattuor porticuum; quia singula atria suas habebant porticus. Ponam hîc verba Iosephi, quæ faciliùs quod dictum est indicabunt. *Quattuor porticus* (ait de templi fabrica verba faciens) *circum se habuit: & earum suam quæq; secundùm Legem custodiam. In extimam porticum ingredi licuit omnibus etiam extraneis; tantùm menstruatæ feminæ intrare vetabantur. In secundam porticum intrabant Iudæi omnes, eorumq; coniuges, si erant ab omni pollutione mundæ. In tertiam, mares Iudæi mundi atque puri. In quartam, Sacerdotes vestitu Sacerdotali induti. In penetrale verò, soli Pontifices sua veste amicti.* sic Iosephus. Cui ex suprà dictis addere possumus, quòd ad primam porticum ascendebatur quidem (quia vt ait Iosephus 15. Antiq. cap. 14. posita erat ad radicem collis; & idem colligitur ex pluribus Euangelij locis, vbi de adeuntibus templum dicitur, quòd ascendebant in templum:) sed, vt arbitror, sensim, & non per gradus: nusquam enim legimus ante extimam templi portam gradus extitisse. A primo autem atrio ad secundum vbi manebant mulieres, per quattuor tantùm gradus scandebatur: hinc verò ad locum virorum, quindecim gradibus: & inde ad atrium Sacerdotum, duodecim. Quæ omnia ex Iosepho locis allegatis desumpta, clariùs in nostra templi Herodiani delineatione hîc ponenda, omnes intueri poterunt.

Ceterùm

TEMPLI HERODIANI EX IOSEPHI DESCRIPTIONE VESTIGIVM.

Meridies.

Oriens.

Septemtrio.

TVRRIS HERODIANA.

PORTICVS SALOMONIS.

ATRIVM GENTIVM ET IMMVNDORVM.

SPECIOSA.

MVLIERVM.

MAIOR.

VIRORVM.

ATRIVM LAICORVM.

EXEDRA

EXEDRA

EXEDRA

EXEDRA

EXEDRA

EXEDRA

ATRIVM SACERDOTVM.

ALTARE HOLOCAVSTI

VESTIBVLVM

SANCTA

SANCTA SANCTORVM

TVRRIS

ARCIS ANTONIÆ PARS.

Ceterùm Herodes, *inter alia templi opera etiam cryptam fecit subterraneam, ab Antonia ferentem ad Orientalem portam templi, cui turrim etiam imposuit, in eum vsum, vt occultè illuc posset ascendere, si quid per tumultum contra Regem vellet nouare populus.* sic Iosephus 15. Antiq. in fine libri.

AB ORBE CONDITO ANNVS 4033. — SEXTÆ MVNDI ÆTAT. ANNVS 587.

IVBILEVS VIGESIMVS NONVS.

1 ANNO regni Herodis decimosexto incidit annus Iubilei vigesimi noni: coincidit enim iste annus cum anno ab introitu Israëlis in terram Chanaan millesimo quadringentesimo quinquagesimo, vt patet in tabulis.

HERODES ATHLETICA CELEBRAT IN HONOREM CAESARIS CERTAMINA.

2. Eodem anno, vt paulò pòst probabitur, credimus Herodem, expletis theatri & amphitheatri fabricis, de quibus sub anno mundi 4030. num. 1. dictum est, celebrare cœpisse athletica certamina, quæ (vt tradit Iosephus 15. Antiq. cap. 11. vltra medium) in honorem Cæsaris, quinto quoque anno inchoato, ad similitudinem Græcarum Olympiadum, celebranda instituerat. Etenim non est probabile, quòd prædicta ædificia in hunc vsum inchoata, citiùs absoluere potuerit; præsertim ob calamitates à nobis sub anno mundi proximè allegato num. 2. relatas, quæ interim in Iudæam superuenerant: & præstereà, si eadem certamina quinto quoque anno inchoato celebranda erant; cùm ex sub anno mundi 4045. num. 1. dicendis constet, illa semel celebrata fuisse anno regni Herodis vigesimo octauo, (translatis scilicet eiusmodi certaminibus de Ierusalem in Cæsaream, tum occasione eius dedicationis, tum etiam quia Ierosolymis graues in populo, prætextu violatæ religionis, causabant seditiones, vt ex his quæ narrat Iosephus 15. Antiq. cap. 11. colligi potest;) vtique consequitur, ipsa etiam priùs celebrata fuisse, tum anno eiusdem regni vigesimo quarto, tum vigesimo, tum etiam decimosexto; ante autem hunc annum non potuerunt celebrari, quoniam Herodes necdum ad hos Gentilium ritus animum penitus deflexerat, nec adhuc prædictæ theatri atque amphitheatri fabricæ erant absolutæ. Itaque si hoc primùm anno Herodes hæc populo exhibuit certamina, quæ loco citato Iosephus accuratè describit: proculdubiò credimus, eodem itemmet anno accidisse, quæ idemmet Auctor ibidem narrat, de trophæis ad honorem Cæsaris in eodem theatro erectis; quæ cùm Iudæi valdè abominarentur, putantes esse contectas armis imagines Lege ipsorum vetitas; Herodes, vt eos omnino falli demonstraret, appostitium à trophæis ornatum ipsis inspectantibus detrahi iussit; & ostendens nudos stipites, eorum indignationem ex imaginum suspicione conceptam, in risum conuertit.

CONIVRATIO CONTRA HERODEM DETECTA ACRITER PLECTITVR.

3. Eodem item anno, non multò post prænarrata, arbitror factam detectamq; fuisse illam decem ciuium coniurationem, qui Regem in theatro interficere decreuerant. Quamobrem & ipsi iubente Rege per omnes cruciatus necati sunt; & cùm posteà eorum delator à quibusdam occisus, canibusque obiectus fuisset; ipsi quoque tandem post longas sæuasque inquisitiones deprehensi, cum totis familiis plexi fuerunt; plebe interim permanente interrita, ac parata Leges patrias defendere, ni maiore cohiberetur potentia. Quod animaduertens Rex, vt se muniret aduersus eiusmodi seditiones, ædificare cœpit alias arces & castella, ad tutelam regni per totam regionem opportunè disposita. Inprimis autem Samariam ab Ierosolymis itinere vnius diei distantem; & propterea eam tum ad vrbanos tumultus compescendos, tum etiam ad totam foris gentem in officio continendam valdè opportunam, reædificare aggressus est, ampliatamque firmissimis posteà mœnibus circumdedit, atque in eius medio fanum templumque pulcherrimum extruxit, Cæsarique dedicauit. Vrbem verò, veteri abrogato nomine, deinceps Sebasten appellari mandauit, plurimisque tum militum tum Gentium finitimarum in eam congregatis, & securitatem ex loci firmitate captans, mox illa pro arce vti voluit. Quæ omnia latè prosequitur Iosephus 15. Antiquit. cap. 11. prope finem, & item (quæ de Sebaste diximus) lib. 1. de Bello cap. 16. circa capitis initia.

HERODES CASTELLA ARCESQVE AEDIFICAT.

SAMARIAM INSTAVRAT ET MVNIT, AC SEBASTEN APPELLARI MANDAT.

AB ORBE CONDITO ANNVS 4034. — SEXTÆ MVNDI ÆTAT. ANNVS 588.

CAESAR VENIT IN SYRIAM.

1 ANNO regni Herodis decimoseptimo (vt exprefsè tradit Iosephus 15. Antiq. cap. 13. circa medium) Cæsar venit in Syriam. Oportet autem hunc regni Herodis annum non ab adepto Regis titulo, sed à consecuta regni possessione, Iose-

Iosephum putasse, quoniam idemmet Auctor lib. 1. de Bello cap. 15. in fine, de hoc eodem aduentu Cæsaris in Syriam verba faciens, ait, ipsum Cæsarem anno decimo iterùm rediisse in Syriam, apertè alludens ad proximè priùs ibidem ab ipso narrata de priori Cæsaris profectione in Syriam, quæ proculdubiò fuit paulò post Actiacam eius victoriam, quando scilicet ad bellum Alexandrinum pergens, ab Herode, qui ei Rhodum obuiàm venerat, per Syriam ac Iudæam omnibus regiæ liberalitatis ac magnificentiæ officiis perductus est; & insuper octingentis etiam talentis donatus, vt nos quoque sub anno mundi 4024. num. 4. retulimus. Igitur si Cæsar decennio post Actiacam victoriam iterùm venit in Syriam, oportet secundum hunc eius aduentum hoc vtique anno contigisse: nam, vt videre est in tabulis, iste annus post Actiacam pugnam decimus, incidit in annum regni Herodis decimumseptimum, non à declaratione eius in Regem, sed à captis Ierosolymis putatum. Et confirmatur, quia constat eumdem Augustum Cæsarem, anno Vrbis septingentesimo trigesimo tertio, qui licet in tabulis concurrat cum anno præcedente, potuit tamē aliqua saltem ex parte etiam concurrisse cum prædicto anno à capta ab Herode Ierosolyma decimoseptimo, constat, inquam, dicto Vrbis anno Augustum reuocasse Agrippam è Syria, vt scribit Dio Historiarum lib. 53. & 54. nimirum, quia ipsemet illuc proficisci disposuerat, vbi etiam mansit saltem integro triennio, quemadmodum ex Velleio Paterculo colligit Cardinalis Baronius in Apparatu ad suos Annales.

2. Igitur hoc anno Cæsar cùm venisset in Syriam, Herodem à Gadarensium accusationibus absoluit: & insuper eidem attribuit quamdam regionem, inter Galilæam & Trachonem positam, quæ propterea Trachonitis regio dicta est; fueratque cuiusdam Zenodori eiusdem Herodis inimici per idem tempus defuncti. Ac præterea Romanis Syriæ rectoribus mandauit, ne quid inconsulto Herode facerent. Qui etiam à Cæsare fratri suo Pheroræ Tetrarchiam impetrauit. Denique eò tum felicitatis prouectus est Herodes, vt duobus Romanorum potentissimis, Cæsari scilicet & Agrippæ, vsqueadeò acceptus esset, vt Cæsar post Agrippam nemini maiorem quàm Herodi honorem haberet, & Agrippa post Cæsarem nemini. Deducto deinde Cæsare ad mare, & in regnū reuersus, Herodes elegantissimum templum in honorem ipsius Cæsaris extruxit è marmore candido, in terra quæ fuerat præfati Zenodori prope Panium, vbi scatent fontes Iordanis fluuij. Tunc etiam remisit tertiam partem tributorum subditis regni sui, prætextu quidem, vt post sterilitatem se reficerent; re autem vera, vt placaret eorum animos talibus Regis operibus offensos; quæ videbantur planè ad religionis & bonorum morum perniciem tendere, vt omnium iactabatur sermonibus. Et nihilominùs, vt eiusmodi quoque seditionibus occurreret, & turbarum occasiones remoueret, grauissimis pœnis prohibuit per vrbem conuenticula & frequentiora conuiuia, dispositis etiam speculatoribus, qui tam in Vrbe quàm in itineribus quauis de causa inter se conuenientes obseruarent. Quin & ipsemet fertur plebeio amictu interdum noctu se vulgo immiscuisse, vt quid de se populus sentiret experiretur. Ceterùm, in omnes quotquot studia eius pertinaciter improbasse deprehendisset, inclementer animaduertere non negligebat; à reliqua verò multitudine etiam fidelitatis & officij iusiurandum exegit: atque ita maior pars metu cedebat & obsecundabat. Qui verò liberiùs stomachabantur, & se cogi indignabantur; eos quomodocumque poterat è medio tolli curabat. Hæc latiùs prosequitur 15. Antiq. cap. 13. Iosephus; & horum aliqua etiam breuiter tangit sub finem capitis 15. lib. 1. de Bello.

CAESAR HERODEM DITIONE AVGET.

HERODES CAESARI TEMPLVM EXTRVIT.

QVIBVS ARTIBVS POPVLOS A MVRMVRE COMPESCERET.

AB ORBE CONDITO ANNVS 4035. — SEXTÆ MVNDI ÆTAT. ANNVS 589.

1 ANNO regni sui decimooctauo (nimirum à captis Ierosolymis putādo, quemadmodum ex his quæ sub anno mundi 4045. num. 2. in fine dicemus, constare poterit) Herodes in loco condendæ vrbi opportunissimo, cui olim Stratonis turris nomen fuerat, in ora Phœnicij maris inter Ioppen & Doram sito, vrbem magnificè designauit; eamque muris cingere atque ædificiis sumptuosissimis, præsertim verò templo admodum insigni, & portu structura mirando, & palatiis regiis, necnon foro, theatro, & amphitheatro, & statuis, & turribus, aliisque fabricis marmoreis exornare cœpit, imposuitque vrbi nomen Cæsarea, quòd extructa esset in honorem Cæsaris; cui etiam templum in ea erectum, & colossum dedicauit non minorem quàm Iouis apud Olympiam, cuius ad exemplar factum est. Et vrbs quidem posteà decimo an-

CAESAREAM CONDERE COEPIT, ET INSIGNIBVS ORNARE AEDIFICIIS.

no poſtquam ædificari cœpta erat (vt tradit Ioſephus 16. Antiquit. cap. 9. in principio;) reliqua verò eiuſdem vrbis ædificia, duodecim annorum ſpatio ſunt abſoluta, vt videre eſt apud Ioſephum 15. Antiquit. cap. 13. & lib. 1. de Bello cap. 16. quibus in locis prædicta omnia traduntur; portus verò ſtructura, tamquam mirabilior, multò accuratiùs deſcribitur.

2. Intereà dum Cæſarea ædificaretur, nempe decem annorum ſubſequentium interuallo, Herodes ea egit quæ narrat Ioſephus in prioribus octo capitibus lib. 16. Antiq. Quæ quidem tametſi per ſua quæque tempora minimè digeſta, immò & confusè tradita reperiantur (vt ex conſequentibus, & præcipuè ex ſub anno mundi 4038. num. 2. dicendis patebit) nos tamen ea ſatis probabiliter infrà ſuis locis ac temporibus adnotabimus.

AB ORBE CONDITO ANNVS 4036. SEXTÆ MVNDI ÆTAT. ANNVS 590.

QVASDAM EXTRVIT ARCES.

1 ANNO poſtero credimus ipſum Herodem aliquas extruxiſſe arces, atque ex cognatorum ſuorum nominibus nuncupaſſe, illas nimirum in quibus poſteà excepit Agrippam, vt nos ſub anno mundi 4038. num. 1. ex Ioſepho dicemus.

CAESAR ROMAM REDIT R.P.C. POTESTATEM IN QVINQVENNIVM PROTRAHIT.

2. Eodem anno circiter deſinente oportet Auguſtum Cæſarem de Syria Romam rediiſſe; ac primò quidem, quia tunc pariter deſinebat decennium, in quod tantùm rerum & Reipub. conſtituendæ poteſtatem (vt ſub anno mundi 4027. num. 6. dictum eſt) ſuſceperat, credimus ipſum ante omnia eamdem poteſtatem adhuc in quinquennium à Senatu & petiiſſe & obtinuiſſe.

PRAEFICITVR MORIBVS ET FIT CENSOR IN QVINQVENNIVM, ET CONSVL PERPETVVS.

3. Eodem anno (vt paulò pòſt probabitur) ipſe Auguſtus Præfectus moribus à populo in quinquennium creatus eſt, ac Cenſoriam poteſtatem in idem tempus accepit, Conſularem in perpetuum, ita vt ſemper & vbique duodecim faſces ei præferrentur, ac inter Conſules aſſideret. ſic Onuphrius & Sigonius ex Dione. Dixi, Auguſtum moribus præfectum fuiſſe hoc anno, non autem anno præcedēti; vt putat Onuphrius; quia tunc ipſe Auguſtus non erat in Italia, quemadmodum ex his quæ ſub anno mūdi 4034. n. 2. diximus inferri poteſt; nec veriſimile eſt eidem abſenti talem tantamque auctoritatem fuiſſe conceſſam. Porrò idem Auguſtus ſtudioſè memoratam Præfecturam exercens, pro officij ſui munere Senatum duabus lectionibus ad ſexcentos redegit. Erant enim, vt tradit Suetonius in Octauio Auguſto, cap. 35. ſuper mille, & quidam indigniſſimi, & poſt necem Cæſaris per gratiam & præmium adlecti, quos Abortiuos vulgus vocabat. Item de ambitu damnatos Auguſtus Magiſtratibus in quinque annos prohibuit. Qui ſine vxoribus eſſent, iis mulctam indixit. Qui vxores ducerent ac filios alerent, ſumma præmia propoſuit; ac libertinas etiam ſine probro duci poſſe conſtituit. Hæc autem vel hoc eodem anno, vel (vt ex Dione refert Sigonius) ſequente anno acta creduntur.

AB ORBE CONDITO ANNVS 4037. SEXTÆ MVNDI ÆTAT. ANNVS 591.

ORTVS DEIPARAE VIRGINIS.

1 ANNO quarto Olympiadis centeſimæ nonageſimæ, Vrbis verò conditæ anno ſeptingenteſimo trigeſimo ſeptimo, qui erat regni Herodis à capta Ieroſolyma vigeſimus, C. Furnio & C. Iunio Silano Coſſ. natam eſſe beatiſſimam Dei Genitricem Mariam, tradit Cardinalis Baronius in Apparatu ad ſuos Annales, ex cuiuſdam epiſtolæ Euodij Antiochenſis Epiſcopi & Apoſtolorum ſucceſſoris fragmento, quod refert Nicephorus Calliſtus Hiſtoriarum lib. 2. cap. 3. in hæc verba: *Trimula cùm eſſet* (& loquitur ibi de Deipara Virgine) *in templum eſt præſentata, & ibi in Sanctis ſanctorum traduxit annos vndecim; deinde verò Sacerdotum manibus Ioſepho ad cuſtodiam eſt tradita; apud quem cùm menſes peregiſſet quattuor, ab Angelo Gabriele lætum illud accepit nuntium. Peperit autem mundi ipſius lucem, annum agens quindecimum, vigeſima quinta die menſis Decembris.* ſic Euodius. ex cuius poſtremis verbis infert Baronius, natalem ipſius beatiſſimæ Virginis in hunc annum incidiſſe, eamdemque ſententiam pluribus ibidem tum rationibus tum SS. Patrum auctoritatibus confirmat, vt penes ipſum videre quiſque poterit.

¶ 2. Sane beatiſſimam Virginem Mariam fuiſſe de tribu Iuda ac de ſtirpe Dauid, ſic oſtendi poteſt. Nam ſi certiſſimum eſt, filium eius Ieſum Chriſtum fuiſſe de Dauidis proge-

progenie, vt nos pluribus apertiſſimiſque ſacræ Scripturæ teſtimoniis infrà ſub anno mundi 4051. num. 16. euidentiſſimè oſtendemus: vtique (quemadmodum etiam ex illis Apoſtoli ad Rom. cap. 1. verſ. 3. verbis, *Qui factus eſt ei ex ſemine Dauid ſecundùm carnem*, infert S. Auguſtinus lib. 2. de Conſenſu Euangeliſtarum cap. 2.) neceſſe eſt ipſam quoque eius Genitricem de ſtirpe Dauidis genus conſanguinitatemque duxiſſe. Et ratio euidens eſt: *Etenim ſi Christus* (vt S. Leo Papa dicit in Epiſtola 13. quæ eſt ad Pulcheriam Auguſtam, ante medium) *conſubſtantialis Patri, conſubſtantialis eſſe dignatus eſt & matri*; & vt clariùs in Symbolo S. Athanaſij ſancta canit Eccleſia, idem Chriſtus *Deus eſt ex ſubſtantia Patris ante ſæcula genitus, & homo eſt ex ſubſtantia matris in ſæculo natus*: certè oportet quòd naſcendo, carnem ſuam non de nihilo, non aliunde, ſed de carne Virginis matris naturaliter traxerit; alioquin nec verè filius hominis diceretur, qui originem non haberet ex homine. Sic enim argumentatur venerabilis Beda lib. 4. cap. 49. ſuper Lucæ c. 11. Vnde neceſſariò conſequitur, quòd reverà non aliter quàm per maternam generationem, dicatur factus & natus ex ſemine Dauid ſecundùm carnem. Igitur manifeſtè patet, etiam ipſam beatiſſimam Virginem eius matrem de progenie Dauidis ex naturali propagatione prodiiſſe; & conſequenter, verè ac naturaliter fuiſſe de tribu Iuda, ſicuti & qui poſteà fuit vir eius, S. Ioſeph; quemadmodum probat S. Hieronymus lib. 1. in Matthæum; *quia*, inquit, *ex Lege eam cogebatur accipere vt propinquam; & quia ſimul cenſentur in Bethleem tamquam de vna eademq́; ſtirpe generati.* vt apertè colligitur ex illis Euangelij Luc. cap. 2. verſ. 5. verbis, *Vt profiteretur cum Maria deſponſata ſibi vxore.* Eadem enim cauſa cogebat Ioſephum & Mariam aſcendere in Bethleem, & ibi profiteri, & cenſeri: quia nimirum vterque erat non ſolùm de tribu Iuda, ſed etiam de ſtirpe Dauid; quemadmodum de Ioſeph teſtantur ibidem S. Lucas & S. Matthæus cap. 1. in genealogia Chriſti; & Angelus ibidem verſ. 20. dicens: *Ioſeph fili Dauid, noli timere*, &c. & de ipſa Maria non ſemel canit ſancta Mater Eccleſia in Officio eius Natiuitatis, dicens: *Natiuitas glorioſæ Virginis Mariæ ex ſemine Abrahæ, ortæ de tribu Iuda, clara ex ſtirpe Dauid.* Et hoc idem olim prophetauerat Iſaias in capitis 11. initio illis verbis: *Egredietur virga de radice Ieſſe*, &c. illum enim locum B. Hieronymus ibidem & multi alij graues & antiqui Patres (vt teſtatur Cardinalis Toletus ſuper cap. 3. Lucæ, Annot. 59. prope finem) exponunt de beatiſſima Virgine Maria.

QVOD FVERIT DE TRIBV IVDA, ET DE FAMILIA DAVID.

3. Quomodo autem de Dauide prodierit Deipara, docet S. Io. Damaſcenus lib. 4. Fidei orthodoxæ cap. 15. dicens, quòd Leui, qui in genealogia Saluatoris Luc. cap. 3. verſ. 24. ponitur, genuit Melchi, & Pantherem; Panther autem Melchi frater, genuit Barpantherem (quod interpretatur, filius Pantheris;) Barpanther autem, Ioachim; Ioachim denique genuit ſanctam Dei Genitricem. Sed hîc notandum valdè eſt, quòd non ſolùm apud ſanctum Damaſcenum loco citato, ſed etiam apud alios quoque Auctores, nempe Euſebium lib. 1. Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ cap. 6. vbi refert Africanum de genealogia Domini fuſiùs diſſerentem; & item apud S. Ambroſium ſuper Luc. cap. 3. & S. Gregorium Nazianzenum in Carminibus de Genealogia Chriſti, & S. Auguſtinum lib. 2. Retractationum cap. 7. ex eodem Africano ibi etiam allegato, errorem neſcio quo modo irrepſiſſe, vbi pro Mathat, legunt Melchi; quemadmodum benè aduertit etiam Cardinalis Toletus ſuper Lucæ cap. 3. Annot. 56. & ex ipſomet Euangelij textu colligitur: non enim ibi S. Lucas ait, quòd Melchi fuerit filius Leui; ſed contrà, quòd Leui fuit filius Melchi; & quòd Mathat fuit filius Leui. Fuit ergo Panther frater Mathat, non autem Melchi, vt per errorem ſupponunt citati Auctores vnus poſt alterum, re minùs accuratè diſcuſſa. Prætereà fallitur etiam Damaſcenus ibidem, vbi poſt pauca ſubindicat, Pantherem (Melchi, vt falsò ipſe credit, fratrem) fuiſſe de ſtirpe Nathan, non autem Salomonis: nam ſi hoc eſſet, vtique ſequeretur, Mariam Ieſu matrem non verè ac naturaliter prodiiſſe de Dauid, ſed legaliter tantùm; contra loca Scripturæ ſacræ paulò antè adducta: quandoquidem iam ſub anno mundi 2987. num. 5. probauimus, ipſum Nathan naturaliter fuiſſe filium Vriæ, legaliter verò, ſeu per adoptionem, Dauidis: quod etiam ſub anno mundi 4051. num. 13. in genealogia Saluatoris dicendum erit. Oportet ergo Pantherem proauum beatiſſimæ Virginis, fuiſſe fratrem legalem Mathat filij Leui, & fratrem naturalem Mathan filij Eleazari, qui per naturales generationes à S. Matthæo recenſitas, prodierat ab ipſo Dauide; & cōſequenter, ipſum Pantherem ab eodem Dauide non per Nathan (vt putauit Damaſcenus, & videtur etiam ſeſiſſe Cardinalis Toletus ſuper Lucæ cap. 3. Annot. 58. & 59.) ſed per lineam Salomonis prodiiſſe. Neque obſtat, quòd Ierem. cap. 22. in fine, de Iechonia prædictum fuerit: *Nec erit de ſemine eius vir qui ſedeat ſuper ſolium Dauid.* de

QVOMODO DE DAVIDE PRODIERIT

Chriſto

Christo autem Luc.cap.1.vers.32.dicatur: *Et dabit illi Dominus Deus sedem Dauid patris eius.* ex quibus locis inuicem collatis videtur consequi, quòd Christus & eius sanctissima Mater de ipsius Iechoniæ semine prodire non potuerint. Non, inquam, hoc obstat: quia certum est quòd ille locus Ieremiæ intelligendus est de regno temporali, vt planè indicant verba quæ ibidem subiunguntur: *Et potestatem* (subaudi, regiam) *habeat vltrà in Israel.*. Illud enim *vltrà* relationem habet ad anteactum tempus, & ad regnandi genus quod præcesserat. Et est ac si dixisset: De ipsius Iechoniæ semine nullum proditurum, qui deinceps temporaliter regnaret in Israel, sicuti ipse maioresque eius fecerant. Et hoc euentus ipse comprobauit: quandoquidem ipse Iechonias fuit vltimus de stirpe sua qui regnauerit in Israel. Et sic impleta fuit hæc Ieremiæ Prophetia. Locus autem S. Lucæ adductus, apertissimè loquitur nòn de regno temporali, sed de æterno; de quo etiam ipse Dominus aliquando dixit: *Regnum meum non est de hoc mundo.* nam illicò S. Euangelista seipsum declarans, prosequitur dicens: *Et regnabit in domo Iacob in æternum, & regni eius non erit finis.* Quare à diuersis non fit illatio.

CVR EIVS PROGENIES A SANCTIS EVANGELISTIS NON FVERIT TRADITA.

4. Sed hîc dicet aliquis, Cur non etiam SS. Euangelistæ aliquid de ipsius Deiparæ progenitoribus protulerunt? non enim nouum videri poterat, feminæ genealogiam texere: nam & Auctor libri Iudith cap.8.vers.1. genus dictæ Iudith à Ruben filio Iacob deductum recensuit. Respondemus, Sanctos Euangelistas Iesu Christi gesta, nō etiam eius Matris, narranda suscepisse; & ideò pauca admodum de ipsa attigisse: genealogiam autem Christi, de more, per maiores illius qui eiusdem pater putabatur, deduxisse: superfluum verò existimasse, seorsum quoque paternam Matris eius prosapiam tradere; quòd apud tunc viuentes Iudæos notum esset, proauum Mariæ fuisse fratrem naturalem Mathan aui Ioseph viri eius: vnde ex notata viri genealogia, simul quoque apud Iudæos (vt dixi) manifestabatur vxoris prosapia, quæ de eodem stipite prodierat: & hoc est, quod tamquam notorium supponere visus est S. Hieronymus Matthæi cap.1. vbi inter causas, cur Iesus non de simplici virgine, sed de desponsata concipi voluerit, hanc etiam ponit, inquiens: *Vt per generationem Ioseph, origo Mariæ monstraretur.* clarè insinuans, vtriusque coniugis maiores ex vna eademque stirpe fuisse genitos. Apud posteros autem & Christianos, sufficere poterant loca Scripturæ sacræ paulò superiùs allegata, ad probandum vtrumque coniugem eiusdem fuisse cognationis & familiæ. Ad quod insinuandum, meritò sanè sancta Mater Ecclesia, non solùm in festo Natiuitatis, sed etiam Conceptionis beatissimæ Virginis Mariæ, tam in Officio diuino quàm in Missa legere consueuit illud sancti Matthæi Euangelium, in quo genealogia Christi ducitur ab Abraham per Dauid ad Ioseph virum Mariæ, de qua natus est Iesus; vt scilicet vel hoc ipso indicaret, eamdem genealogiam quodammodò non minùs ad ipsam beatissimam Virginem, quàm ad eius virum pertinere, & vtrumque coniugem duxisse genus suum ab illis duobus sanctis viris, Dauide scilicet & Abrahamo, quibus facta fuerat repromissio de Saluatore mundi ex eorum semine nasciturо.

DE MATERNA DEIPARAE GENEALOGIA.

5. De materna autem ipsius Deiparæ genealogia sancti Euangelistæ pauca admodùm & subobscurè attigerunt, tamquam tunc temporis valdè nota, & quia posteris eadem enucleatiùs tradere necessarium non videbatur. Nos verò de hac ex aliis probatis Auctoribus, ad elucidationem eorum quæ breuiter in Euangelio tanguntur, aliquid hîc afferre conabimur. Quoniam ergo S Damascenus loco eius suprà citato non solùm testatur Deiparæ patrem fuisse Ioachim, de quo numero proximo dictum est; verùm etiam asserit matrem illius fuisse Annam; quod & affirmat S. Epiphanius Hæres.79.contra Collyridianos, & quotquot Catholici de eiusdem Deiparæ parentibus scripserunt; & palàm recipit protestaturque sancta Mater Ecclesia, in Officio eiusdem sanctæ Annæ, quòd die vigesima sexta Iulij ex Breuiario Romano recitari solet: si quis

DE SANCTA ANNA.

quærat de eadem Anna, quænam ipsa fuerit, & de qua tribu: Dicimus, id potissimùm haberi ex S. Hippolyto Martyre, relato apud Nicephorum Ecclesiasticæ Historiæ lib.2. cap.3. in hæc verba: *Tres fuere sorores Bethleemiticæ, filiæ Mathan Sacerdotis & Mariæ coniugis eius, sub Cleopatra & Casoparis Persæ regno, ante Herodis Antipatri filij regnum; primæ, Mariæ; secundæ, Sobæ; tertiæ, Annæ nomen erat. Nupsit prima in Bethleem Maria, & peperit Salomen obstetricem. Nupsit quoque secunda itidem in Bethleem Soba, & genuit Elisabeth. Nupsit postremò & tertia, Anna, in terra Galilæa, & protulit Mariam Dei Genitricem, ex qua nobis natus est Christus.* sic Hippolytus. Ex quo patet, prædictum Mathan diuersum omnino esse ab eo, cuius meminit S. Matthæus in genealogia Saluatoris: siquidem ille dicitur fuisse Sacerdos, hic autem de tribu Iuda. Cur verò memoratus Hippolytus hoc loco Cleopatræ & Casoparis meminerit, cùm neuter ad Iudæos perti-

MATHAN DVO; ALTER PATERNVS, ALTER MATERNVS CHRISTI PROAVVS.

pertinuisse videatur; iam sub anno mundi 4015.num.9.explicatum est. Sanè Hippolyto consentit Germanus Episcopus Constantinopolitanus, à Cardinale Baronio in Apparatu ad suos Annales relatus,dicens, eam,hoc est Annam, ex genere Sacerdotali natam, de tribu Aaronitica,radice Prophetica & Regia. Ex quibus (si vera sunt, vt credimus) inferre oportet, Annæ patrem fuisse quidem de tribu Leui, matrem verò de tribu Iuda,& stirpe regia. Quare ad id quod S.Ioannes Damascenus in Oratione 2.de Natiuitate beatæ Mariæ prope finem,ad ipsam S.Annam dicebat, *Quàm beata domus Dauid,de qua prodiisti!* vtique debemus subintelligere,ex linea materna. Quamquam item credimus,verè etiam dici posse,eamdem Annam quodammodò ex linea paterna de domo Dauidis prodiisse;quia pater eius Mathan ducebat originem ab ipso Nathan, quem & fuisse Sacerdotem,& filium Dauidis,aliàs ostendimus; filium, inquam, non naturalem,sed adoptiuum.Scitè igitur B. Damascenus S. Annam,non de tribu Iuda, sed de domo Dauid prodiisse ait; nimirum quia Nathan caput familiæ Mathan patris S.Annæ,licet non esset de tribu Iuda, adoptatus tamen fuerat in domo & familia Dauidis. Eadem & non alia (vt arbitror) de causa sanctus Epiphanius in lib. de Vita Prophetarum dicit,Zachariam patrem sancti Ioannis Baptistæ & fuisse Sacerdotem, & de familia,hoc est de prosapia Dauidis; nimirum, quòd ab ipso Dauide per lineam Nathan prodierit. Ex his ergo manifestè consequitur, illam huius Annæ historiam,in qua dicebatur,quòd Anna Virginis Dei Genitricis mater erat filia Gaziri, ex tribu Iuda in Bethleem oppido Iudææ nata, esse apocrypham, & pro maiore parte erroneam, meritoque de Breuiario Romano in postrema eius recognitione expunctam. Fuit ergo Anna,vt diximus,ex patre de tribu Leui, matre verò de tribu Iuda; & pariter vir eius Ioachim de tribu Iuda. Quo fit, vt beatissima Virgo, quæ vera Christi mater fuit,etiam ipsa ex vtraque tribu & familia,nimirum Sacerdotali & Regia, seu Leuitica & Iudaica propagata fuerit, sicuti & filius eius IESVS. De quo tamen, quomodo etiam ex Leuitica tribu originem ducere potuerit, cùm tam eius beatissima Mater quàm pater putatiuus fuerint de tribu Iuda, nos infrà sub anno mundi 4051.num.17. & 18. explicabimus.

6. Quoniam autem hîc obiter incidimus in mentionem dicti Mathan Sacerdotis, MATHANI qui fuit proauus maternus Iesu Christi secundùm carnem; & certum est in sacro Euan- POSTERI- gelio quosdam memorari,qui eiusdem Christi fratres, & nonnullas quæ ipsius sorores TAS. nuncupantur; & item ex eodem Euangelio constat, S.Ioannem Baptistam ex parte matris consanguineum fuisse Christi: operæpretium duximus hîc subnectere arborem posteritatis dicti Mathan,quatenus deseruire potest ad ritè intelligenda prædicta, & his similia,quæ infrà suis locis ex Euangelico textu referenda erunt, ad eamdem Christi cognationem pertinentia.

Mathan Sacerdos,& Maria de tribu Iuda vxor eius,genuerunt tres filias, videlicet:

Mariam, quæ nupsit Cleophæ, viro de tribu Iuda, vt paulò pòst probabitur: ex quo genuit	Sobe, quæ ex alio Sacerdote genuit	& Annam, quæ de Ioachim viro tribus Iudæ genuit
alteram Mariam,quę Ioan. cap. 19. vers. 25. dicitur Maria Cleophæ, & soror (subaudi, consobrina) beatissimæ Virginis. Et hæc ex Alphæo viro suo (vt sub anno mũdi 4082. n.7.probabitur) genuit	Elisabeth,quæ propterea Luc.1. v. 5. dicitur, de filiabus Aaron; & ex Zacharia pariter Sacerdote genuit	beatissimam Virginem Mariam, quæ de Spiritu sancto genuit
Iacobum minorem, & Ioseph, & Simonem, & Iudam; qui dicuntur fratres,	sanctum Ioannem Baptistam.	IESVM Christum filium Dei, & Saluatorem mundi.

hoc est consobrini,ipsius Domini; & sorores eius,Mariam & Salome (sic enim eas nominat S.Epiphanius,vt sub anno mundi proximè notato dicemus) quæ Salome posteà ex Zebedæo viro suo genuit Iacobum & Ioannem: siquidem hæc Salome creditur esse illa

illa cuius meminit S. Marcus c. 15. v. 40. & cap. 16. v. 1. quam S. Matthæus cap. 27. v. 56. tacito nomine dicit Matrem filiorũ Zebedæi, vt ſuper loca Euangeliſtarum citata placet Theophylacto. Ex dictis ergo ſequitur, mulierem illam, quam ſanctus Ioannes loco proximè adducto vocat Mariam Cleophæ, non fuiſſe vxorem ipſius Cleophæ (quemadmodum ſupponit Cardinalis Baronius in Annalibus ſub anno Chriſti 68. titulo De Iudæ Epiſtola; & fuſiùs probare nititur in ſuo Apparatu) ſed filiam, vt (licet non ſine aliqua heſitatione) tradit S. Hieronymus contra Heluidium. Cuius ſententiam magis probat Cardinalis Toletus in Ioan. cap. 2. Annot. 18. in fine: alioquin idem Euangeliſta Ioannes ibidem non appellaſſet eam ſororem, id eſt conſobrinam matris Chriſti; ſed amitam, hoc eſt ſororem Annæ matris ipſius Deiparæ Virginis, vel fratriam, id eſt, vxorem fratris mariti eiuſdem Deiparæ: ſi tamen verum eſſet, quod quidam, vt infrà dicemus, putarunt, dictum Cleophen fuiſſe fratrem Ioſephi ſponſi beatiſſimæ Virginis. vnde Euthymius ſuper Ioan. cap. 19. putat quòd dicta Maria ſit ſoror ratione fraternitatis virorum. Sed quòd hæc quæ vocatur Maria Cleophæ, fuerit filia, non autem vxor ipſius Cleophæ, duabus quoque aliis argumentationibus confirmari poteſt. Prima eſt, quia quam S. Ioannes cap. citato verſ. 25. vocat Mariam Cleophæ, ſancti Matthæus cap. 27. verſ. 56. & Marcus cap. 15. verſ. 40. appellant Mariam Iacobi minoris & Ioſeph matrem, quam nos ſuprà diximus, & infrà etiam ſub anno mundi 4082. num. 7. comprobabimus fuiſſe filiam Cleophæ & vxorem Alphæi. Neque huic poſitioni obſtat oppoſitio Baronij dicentis, quòd ſancti Matthæus & Marcus loquuntur de mulieribus à longè ſtantibus, Ioannes autem de illis quæ ſtabant iuxta crucem Ieſu: quia longè probabilius videtur, dictos Euangeliſtas de eiſdemmet mulieribus eſſe locutos, quæ aliquando quidem propè, aliquando verò de longè ſteterunt, pro temporis varietate, quemadmodum nos infrà ſub anno mundi 4082. num. 27. declarabimus. Altera argumẽtatio, quæ ab ipſa temporum ratione deſumi poteſt, talis eſt: Anno Dominicæ paſſionis, Iacobus Alphæi ſexaginta ſex erat annorum, vt ſub anno mũdi 4018. num. 2. probauimus; ergo mater eius Maria filia Cleophæ octoginta & ampliùs annorum tunc eſſe poterat; ergo mater iſtius Mariæ, nimirum vxor Cleophæ, ſi tum erat ſuperſtes, ferè centum fuiſſet annorum; ergo multò probabilius videtur, quòd filia ipſius Cleophæ, quàm quòd vxor eius ad montem vbi Chriſtus in cruce pendebat, venire atque aſcendere potuerit. Quod verò attinet ad prædictum Cleophen, vtique oportet ipſum triginta octo circiter annis poſt genitam Mariam, vt infrà ſub anno mundi 4040. num. 9. apparebit, genuiſſe etiam Simeonem illum, qui (quemadmodum ex Hegeſippo antiquiſſimo Scriptore tradit Euſebius lib. 3. Eccleſiaſticæ Hiſtoriæ cap. 32. & refertur in Breuiario Romano ſub die 18. Februarij) fuit filius Cleophæ, & poſt Iacobum minorem ex ſorore nepotem ſuum, Ieroſolymorum rexit Eccleſiam; & denique cùm eſſet annos centum viginti natus, ſub Traiano Imperatore comprehenſus & crucifixus fuit, non ſolùm vt Chriſtianus, ſed etiam eò quòd eſſet Chriſti propinquus, & de ſtirpe Dauidis, quam idẽ Traianus curabat omnino extinguere, quoniam ex ea proditurum Meſſiam, hoc eſt, Regem quemdam Iudæorũ, qui vniuerſo orbi dominaturus ferebatur intellexerat. Et hinc patet, quòd Cleophe pater dicti Simeonis erat de tribu Iuda, vt ſuprà dictum eſt. Quod & adhuc magis credi oporteret, ſi verum eſſet, quod eodem Euſebio libro citato cap. 11. referente teſtatur Hegeſippus, videlicet, dictum Cleophen fuiſſe fratrem Ioſephi ſponſi beatiſſimæ Virginis Mariæ, quem ex Euangelio conſtat fuiſſe de tribu Iuda. Porrò ſi Cleophe fuit frater Ioſephi, & ſi (quemadmodum ſub anno mundi 4050. num. 4. dicemus) ipſe Ioſeph, quando Dei Genitricem deſponſauit, erat annorum circiter octo & triginta; vtique oportet Ioſephum fuiſſe iuniorem ipſo Cleophe annis circiter triginta octo. Nam ſi, vt dictum eſt; vxor ipſius Cleophæ, paſſionis Chriſti tempore poterat eſſe centum ferè annorum, proculdubiò fit admodum veriſimile, quòd maritus eius, ſi tunc viueret, ageret annum circiter centeſimum decimum. Iunge annis triginta octo ante Ioſephi ortum decurſis, alios triginta octo vitæ ipſius Ioſephi quando facta eſt dicta deſponſatio, & annos triginta quattuor vitæ Chriſti, & dictam ſummam inuenies annorum centum decem.

SIMEONIS FILII CLEOPHAE ORTVS, EPISCOPATVS, ET PASSIO.

HERODES CELEBRAT ATHLETICA CERTAMINA IN HONOREM CAESARIS.

7. Eodem anno circiter inchoante, (quemadmodum ex his quæ ſub anno mundi 4033. num. 1. dicta ſunt, deduci poteſt) oportet Herodem ſecundò celebraſſe Ieroſolymis quinquennalia certamina, ab ipſo in honorem Cæſaris inſtituta: iſte enim eſt annus quintus à prima eorumdem celebratione anno mundi proximè citato peracta.

8. Eodem

8. Eodem item circiter tempore, vt credimus, Herodes, extructa iam magna ex parte Cæsarea vrbe, vt primùm cognouit Cæsarem de Syria Asiaque Romam rediisse incolumem, (quod non nisi per hæc circiter tempora contigisse, inferri potest ex his quæ nos sub anno mundi 4034. num. 1. in fine diximus) misit Romam, filios suos ex Mariamme genitos, Alexandrum & Aristobulum, vt ibidem liberalibus disciplinis (quemadmodum ex Iosepho 16. Antiq. cap. 1. & lib. 1. de Bello cap. 17. colligitur) imbuerentur, inprimis verò, vt salutarent Cæsarem; qui excepit adolescentes summa humanitate, facta eis potestate, si vellent, hospitandi in propria sua Regia; sed illi iuxta instructionem, vt creditur, à patre habitam, gratiis Cæsari actis, maluerunt Pollionis hospitio vti, qui erat summus Herodis amicus. Vide Iosephum 15. Antiq. cap. 13. MITTIT ROMAM FILIOS.

AB ORBE CONDITO ANNVS 4038. — SEXTÆ MVNDI ÆTAT. ANNVS 592.

1 ANNO regni sui vigesimo primo, cùm audisset Herodes M. Agrippam sui amicissimum, eodemmet anno Vrbis septingentesimo trigesimo octauo, vt scribit Dio cap. 54. ex Italia in Asiam denuò à Cæsare missum; protinus ad eum inuisendum, atque inuitandum vt ad se in Iudæam diuertere dignaretur, properauit: quo impetrato, nihil prætermisit quod illi voluptatem adferre posse crederet; excipiens eum in recèns conditas vrbes, & ostendens ædificia; ad hæc omne genus deliciarum & magnificentiæ, tam ipsi quàm amicis eius exhibens apud Sebasten, & Cæsariensem portum, à se iam magna ex parte erectum; & in extructis à se arcibus, Alexandrio, Herodio, Hircania: in vrbem quoque Ierosolymitanam eum perduxit, occurrentibus populariter omnibus amictu & cultu festiuo, cum faustis acclamationibus. Agrippa autem, Deo hecatombe immolata, populo epulum præbuit; & quamuis libenter ibi diutiùs fuisset commoratus, appetente tamen hieme, tempestatum metu, maturiùs abnauigauit in Ioniam, vnà cum amicis, maximis honoratus muneribus. Ex Iosepho 16. Antiq. cap. 2. AGRIPPAM INVITAT, ET HONORIFICENTISSIME EXCIPIT.

2. Sciendum verò est, quòd prædicta ipse Iosephus post reditum Herodis Româ cum filiis Alexandro & Aristobulo, & post vxores eisdem iam traditas, narrat; cùm tamen id videatur non posse admitti: nam si post non solùm cœptam, sed iam satis prouectam Cæsareæ vrbis ædificationem, Rex decreuit prædictos filios suos Romam mittere ad salutandum Cæsarem; & vt posteà ibidem liberalibus studiis operam darent, quemadmodum idem tradit Iosephus 15. Antiq. cap. 13. non procul ab initio; vtique non priùs eos mittere debuit, quàm sciret, aut verisimiliter crederet, Cæsarem de Asia Romam rediisse, vt sub anno mundi 4037. num. 6. dictum est; & ratio dictat, quòd eosdem Romæ triennio saltem in eisdem studiis (vt olim Daniel & socij in Babylone, Daniel. cap. 1. vers. 5.) erudiendos reliquerit, antequam ad eos domum reducendos ipse proficisceretur, ac eis vxores tradere curaret: atqui vt sub anno mundi proximè allegato probatum est, eodem anno quo Cæsar Romam rediit, M. Agrippa iterùm venit in Asiam, ad quem salutandum atque inuitandum protinus cucurrisse Herodem, dubitare nemo debet: ergo necesse est, quòd Herodes longè priùs reduxerit Agrippam de Asia in Iudæam, quàm filios suos Româ. Nemo igitur miretur, si nos in hisce Herodis rebus recensendis non sequimur ordinem, quo hæc eadem ab ipso Iosepho sunt tradita.

AB ORBE CONDITO ANNVS 4039. — SEXTÆ MVNDI ÆTAT. ANNVS 593.

1 ANNO proximo, nimirum exacta domi hieme, vt notat Iosephus loco proximè citando, Herodes ineunte vere ad eumdem Agrippam Bosphorum cum exercitu perrexit, eumque ad Synopem vrbem Ponticam offendit, atque opportunissimo tempore eidem præstò fuit, laborum socius, & consiliorum particeps. Confectis deinde Ponticis negotiis, per Paphlagoniam, Cappadociam, ac maiorem Phrygiam, terrestri itinere simul Ephesum peruenerunt, & inde rursus Samum traiecerunt nauibus. Quo toto in itinere per singulas vrbes, in multos multa Herodes beneficia contulit; alios pecunia, alios fauore apud Agrippam adiuuans: nam & iratum Ilienfibus reconciliauit; & pro Chiis tum ad reparandam ipsorum porticum, tum debitam Cæsaris procuratoribus pecuniam liberaliter persoluit, immunitate impetrata; AD AGRIPPAM CVM EXERCITV PROPERAT IN PONTO.

& aliis item, quacumque in re singulis opus esset, affuit. Iudæis quoque per Asiam degentibus, ne ampliùs ab indigenis prohiberentur secundùm propria ipsorum instituta ac patrias Leges viuere, ab Agrippa obtinuit. Denique ab eodem Agrippa digressus, rediit in patriam, vbi quartam tributorum superioris anni partem subditis suis benignè relaxauit; qua Regis munificentia deliniti, eidem læti fausta comprecari cœperunt. Quæ omnia latiùs videre est apud Iosephum 16. Antiq. cap. 3. 4. & 5. per totum.

AB ORBE CONDITO ANNVS 4040. SEXTÆ MVNDI ÆTAT. ANNVS 593.

DEIPARA TRIMVLA PRAESENTATVR IN TEMPLO, IBIQVE EDVCATVR.

1 ANNO regni Herodis à Ierosolyma capta vigesimo tertio, oportet beatam Virginem Mariam, expleto vitæ suæ triennio, ductam fuisse ad templum; vbi deinceps mansit vndecim annis continuis, vt probant Euodij verba à nobis sub anno mundi 4037. num. 1. adducta. Ex quibus fit manifestum, ipsam non secùs ac olim Samuel, à parentibus antequam nasceretur fuisse Deo deuotam, & propterea non octogesimo ab ortu eius die in templo præsentatam, sed post eius ablactationem coram Deo Sacerdotibus in templo traditam, nimirum opera, vt creditur, Zachariæ Sacerdotis & cognati eius; ibidemque relictam, vt in Dei seruitio cum aliis eiusmodi puellis educaretur, donec adueniret tempus quo nuptui, vt de aliis fieri consueuerat, tradenda foret.

HERODES NAVIGAT IN ITALIAM, ET REDVCIT DOMVM FILIOS.

2. Eodem, vt arbitror, anno, qui erat quartus ex quo miserat Romam filios, Herodes nauigauit in Italiam salutatum Cæsarem; à quo humanissimè tractatus, filios domum reducendos recepit, satis iam liberalibus disciplinis instructos. Qui posteaquam reducti sunt in patriam, statim magnis ab vniuersa multitudine studiis excepti sunt, quòd essent tum statura, tum multis animi ornamentis conspicui, & regium quid vel ipsa specie præseferrent. Quæ res mouerunt ad inuidiam Salomem sororem Regis, ceterosque quorum calumniis Mariamme oppressa fuerat, metuentes ne materni interitus ipsi vltores fierent: quamobrem exinde illos quoque calumniis appetere cœperunt, & artificiosè paternum erga ipsos odium concitare. Quibus tamen non obstantibus, Rex, qui eos diligebat, in eo etiam quo par erat honore eosdem habuit; & quòd iam essent adulti, vxores eis coniunxit; Aristobulo Salomes filiam Bernicem; Alexandro Archelai Cappadocum Regis filiam Glaphyram: Iosephus 16. Antiq. cap. 1. & 2. & lib. 1. de Bello cap. 17.

CAESAR R. P. C. POTESTATEM ADHVC PROTRAHIT.

3. Eodem anno, qui erat Vrbis conditæ septingentesimus quadragesimus, vt videre est in tabulis, Cæsar Augustus Reipub. constituendæ potestatem in aliud quinquennium accepit, cùm iam primum decennium & proximum quinquennium transacta essent: Onuphrius in Fastis.

FIT PONTIFEX MAXIMVS.

4. Eodem item anno, mortuo M. Lepido Pontifice maximo, Augustus Cæsar in eius locum Pontifex maximus factus est: Onuphrius ibidem. Quæ autem in eo munere gesserit, vide breuiter relata apud Suetonium in Octauio cap. 31.

SIMEON FILIVS CLEOPHAE NASCITVR.

5. Eodem quoque circiter anno, necesse est de illo Cleopha, qui (vt sub anno mundi 4037. num. 5. probauimus) creditur fuisse frater Iosephi patris putatiui ipsius Christi, natum esse Simeonem illum, qui teste Eusebio Historiæ Ecclesiasticæ lib. 3. cap. 32. consobrinus Domini dicebatur, & (quemadmodum sub anno mundi proximè citato diximus) posteà successit nepoti suo Iacobo minori in Ierosolymæ Episcopatum. Nam si, vt ibidem probatum est, idem Simeon cruci affixus & mortuus est anno ætatis suæ centesimo vigesimo, qui fuit imperij Traiani decimus, vt testantur Eusebius in Chronicis, & Cardinalis Baronius Tomo suorum Annalium 2. vtique ab hoc de quo nunc agimus mundi anno 4040. ad dictum Traiani annum decimum, inueniuntur memorati centum viginti anni vitæ ipsius Simeonis. Quod sic probatur. Nam ab hoc mundi anno ad ortum Christi, quem suo loco probabimus natum esse anno mundi 4051. computantur anni vndecim, annus autem Traiani decimus, vt videre est apud Baronium vbi suprà, fuit à Christo nato centesimus nonus; cui numero si addantur prædicti anni vndecim, fiet summa dictorum annorum centum viginti. Oportet ergo dictum Simeonem natum esse post annos vigintiduos ex quo soror eius Maria de Alphæo viro suo genuerat Iacobum minorem ipsius Simeonis nepotem, quemadmodum ex his quæ de ortu eiusdem Iacobi sub anno mundi 4018. num. 2. diximus, liquidò inferri potest; & consequenter (vt sub anno mundi 4037. num. 5.

hic probandum suppositimus) annis circiter triginta octo post ortum eiusdem Mariæ: poterat enim ipsa esse annorum circiter sexdecim, quando genuit dictum Iacobum, qui videtur fuisse eius primogenitus, quoniam primo loco inter fratres suos recensetur apud sacros Euangelistas, Matth. cap. 13. vers. 55. & Marc. cap. 6. vers. 3.

AB ORBE CONDITO ANNVS 4041. | SEXTAE MVNDI AETAT. ANNVS 595.

1 ANNO regni sui à Ierosolyma capta vigesimo quarto, Herodes post annos nouem cum dimidio ex quo cœperat Ierosolymitani templi fabricam; illa (eo modo quo sub anno mundi 4032. num. 5. declaratum est) expleta; sollemnem eius instaurationis seu renouationis dedicationem celebrauit, trecentis bobus Deo mactatis, præter innumeras alias victimas, quas ciues pro suis vnusquisque facultatibus immolari curarunt. Et quoniam eodem pariter tempore incidit anniuersaria natalis regni sui dies, quam Rex magna hilaritate colere solitus erat; conduplicata populi lætitia, simul vtraque sollemnitas celebrata est: Iosephus in fine libri Antiq. 15. CELEBRAT TEMPLI IEROSOLYMITANI DEDICATIONEM, ET NATALIS REGNI SVI DIEM.

2. Intereà domesticum diffidium inter Regis sororem & Mariammæ filios, indies magis magisque augebatur, ac tandem hoc eodem anno (vt ex proximè dicendis apparebit) vsqueadeò execreuit, vt cùm iam Rex multa de nimia Aristobuli Alexandrique animositate atque arrogantia audisset, decreuerit omnimodis eorum ferociam comprimere; ac propterea alium ex Doride, antequam Rex esset, susceptũ filium nomine Antipatrum, qui etiamnum priuatam vitã agebat, ad se accersitum, aliis præponere modis omnibus cœperit, & honoribus indies maioribus euehere; atque ad magis deprimendos Mariammæ filios, etiam Antipatri matrem iam pridem repudiatam, ad filij preces in Regiam reduxerit: & cùm iterùm nauigare vellet Rex ad salutandum Agrippam, (qui post decennalem administrationem anno Vrbis septingentesimo trigesimo primo acceptam, licet interim triennali ipsius Cæsaris præsentia quodammodò interruptam, demum hoc anno Vrbis septingentesimo quadragesimo primo, vt ex Dione lib. 54. colligi potest, ex Asia discedebat) solum ex filiis Antipatrum Herodes secum duxerit, eumque cum multis muneribus eidem Agrippæ tradiderit Romam perducendum, atque in Cæsaris amicitiam introducendum: Iosephus 16. Antiq. cap. 6. & lib. 1. de Bello cap. 17. Puto autem hanc Herodis profectionem sub finem huius anni accidisse. AD DEPRIMENDOS MARIAMMAE FILIOS EXALTAT ANTIPATRVM.

AB ORBE CONDITO ANNVS 4042. | SEXTÆ MVNDI ÆTAT. ANNVS 596.

1 ANNO itaque proximo Antipater, prædictæ peregrinationis occasione, Illustris Romæ factus est, paternis litteris commendatus amicis omnibus. Et cùm eò honoris prouectus esset, vt iam primatum inter regios liberos consecutus videretur; vnum molestè ferebat, quòd non aderat fratribus, neque poterat eos continuis vexare calumniis; & verebatur ne patris animus mutatus, æquiorem se præberet erga Mariammæ filios. Hæc assiduè cogitans, non desistebat à proposito; & absens quoque per litteras exacerbabat patrem in eos, quasi de incolumitate eius sollicitus; sed reuerà, ad speratam regni successionem malis artibus viam sibi præmuniens, donec ad tantam iram Herodem perduxit, vt inimicus esset adolescentibus: Iosephus 16. Antiq. cap. 7. ANTIPATER EXALTATVS VEXAT FRATRES CALVMNIIS APVD PATREM.

AB ORBE CONDITO ANNVS 4043. | SEXTÆ MVNDI ÆTAT. ANNVS 597.

1 ANNO postero, vt reor, Herodes filiis Alexandro atque Aristobulo valdè infensus, ac crebris Antipatri filij litteris fautorumque eius impulsibus contra illos incitatus, cogitabat in eos acriter animaduertere; sed veritus ne quid per iram ageret temerè, decreuit denuò Romam nauigare, illosque accusare coram Cæsare; ne propter indignationem videretur parum pius erga filios. Itaque vbi Romam cum Alexandro & Aristobulo peruenit, non inuentum ibi Cæsarem, Aquileiam vsque persecutus est; & cùm venisset in colloquium, rogassetq; vt de infortunio suo vellet cognoscere; adductos coràm filios insolentiæ tentatique veneficij magna vehe- HERODES DVCIT ACCVSATQVE FILIOS APVD CAESAREM, ET EIVS OPERA RECONCILIATI REDEVNT IN IVDAEAM.

vehementia accusauit. Quibus auditis, toti in fletus effusi sunt filij; & tamquam nullius tantæ impietatis conscij, hærebant ancipites; quòd neque decorum esset contra patrem liberè dicere, neque tutum causam suam deserere: verumtamen ne viderentur perturbante conscientia defensionem sui expedire non posse, alter illorum longa oratione aggressus est obiecta diluere; atque adeò cordatè patris accusationi respondit, vt iam videretur Rex ipse excusationis egere, qui sine vllis certis argumentis criminationem tam grandem aggressus fuisset. Denique Cæsar aliquantisper deliberabundus, pronuntiauit vel hoc ipso iuuenes peccasse, quòd non tales se parenti præstitissent, vt nulla posset in eo hærere suspicio: Herodem autem hortatus est vt suspicari desineret, & reconciliaretur filiis; posse illos in posterum mederi offensis prioribus, & reintegrare mutuum amorem pristinum, si ad abolendas suspiciones veteres vtrimque diligentiùs coleretur pietas. Quibus dictis, Cæsar iuuenibus innuit; & iis iam ad preces patri accidere parantibus, prior flentes pater vnum post alium complexus est; & post actas Cæsari gratias, vnà discesserunt, & cum eis Antipater, simulans se gratulari reuersis in gratiam. Deinde magnis Cæsari datis ab eoque acceptis muneribus, Rex cum filiis Iudæam repetit; nauigantes autem cùm appulissent Eleusam Ciliciæ oppidum, offendunt ibi Archelaum Cappadocum Regem, qui excepto perhumaniter Herode, multùm gauisus est ob reconciliatos filios, & quòd Alexander eius gener refellisset obiecta crimina; datisque vicissim regiis muneribus, digressi sunt, sub finem, vt arbitror, huius anni. Quæ omnia multò latiùs tradita inuenies apud Iosephum 16. Antiq. cap. 7. & 8.

AB ORBE CONDITO ANNVS 4044. — SEXTÆ MVNDI ÆTAT. ANNVS 598.

HERODIS AD POPVLVM ORATIO.

1 ANNO insequente, vt credimus, Herodes posteaquam in Iudæam cum filiis reuersus est, quadam die aduocata in templum concione, quid in ea peregrinatione egisset, exposuit: denarrataque Cæsaris humanitate, & aliis rebus quas illos quoque scire referre iudicabat; extremam orationem vertit ad filios, aulicosque; & ceteram multitudinem, ad concordiamque adhortatus est omnes, pronuntians filios post se regnaturos, primùm Antipatrum, deinde ex Mariamme natos Alexandrum & Aristobulum. Interim debere omnes se vnum respicere, & pro Rege habere atque domino, non obstante senectute, quæ ad regendum propter longam experientiam magis esset idonea, præsertim non deficientibus aliis facultatibus, quibus & subditi in officio continerentur, & liberi: milites quoque cum suis ducibus, si se vnum respiciant, felicem vitam acturos absque vllis perturbationibus. His peroratis, dimisit concionem: & quibusdam quidem rectè visus est dixisse, quibusdam verò seciùs: iniecta enim æmulatione inter filios, res omnino ad aliquam spectare mutationem videbantur: Iosephus 16. Antiq. cap. 8. in fine, & fusiùs 1. de Bello cap. 17.

DECLARAT REGNI SVCCESSORES.

CAESAREAE ABSOLVTIONEM VRGET, ET EIVS DEDICATIONEM PARAT.

2. In reliquo verò huius anni tempore, credimus Herodem in hæc tria potissimùm incubuisse; nimirùm, in procuranda totis viribus Cæsareæ vrbis absolutione, & vt vbique promulgaretur eiusdem vrbis dedicatio, sequente anno inchoato sollemnissimè celebranda; & denique in apparatu eius vndique conuehendo ac congregando: quandoquidem, vt narrat Iosephus 16. Antiq. cap. 9. exciti sunt artifices, musici, athletæ gymnicorum certaminum, & magnus gladiatorum ac ferarum comparatus est numerus, & quidquid huius generis in pretio est tam Romæ quàm apud gentes ceteras; præter multa alia pretiosa, quæ in hoc contulit etiam ipsa vxor Cæsaris Iulia.

AB ORBE CONDITO ANNVS 4045. — SEXTÆ MVNDI ÆTAT. ANNVS 599.

EIVSDEM DEDICATIONEM SPLENDIDISSIME CELEBRAT.

1 ANNO regni Herodis à capta Ierosolyma, vt num. 2. probabitur, vigesimo octauo, Olympiade centesima nonagesima secunda, quemadmodum notat Iosephus 16. Antiq. cap. 9. in principio, & 1. de Bello cap. 16. circa medium; id est, anno eiusdem Olympiadis quarto, vt videre est in tabulis, idem Herodes vrbis Cæsareæ, decem annorum interuallo à se ædificatæ, dedicationem splendidissimè, variis nimirum certaminibus, ludisque, ac spectaculis, & conuiuiis, regio sumptu ac magnificentissimo apparatu in honorem Cæsaris celebrauit, vt accuratè tradit Iosephus

phus cap. Antiq. citato; vbi etiam addit, quòd idem certamen Cæsari consecratum Rex denuò sanciuit per singula deinceps quinquennia fore instaurandum.

¶ 2. Diximus hunc vigesimum octauum regni Herodis annum, non à Consulatu Caluini & Pollionis, in quo ipse Herodes Romæ declaratus fuerat Rex; sed à Consulatu Agrippæ & Galli, sub quo captis Ierosolymis regni possessionem adeptus fuerat, esse numerandum: quia tametsi reverà vterque Consulatus in vnam eamdemque inciderit Olympiadem, nimirum centesimam octogesimam quintam, vt nos sub anno mundi 4015. num. 5. probauimus; & consequenter, annus prædictæ dedicationis, ab vtrouis prædictorum Consulatuum supputatus, semper incidat in Olympiadem nonagesimam secundam; vt videre est in tabulis: verumtamen quia Iosephus 14. Antiq. cap. 26. apertè secutus est supputationem ponentium Caluini & Pollionis Consulatum Olympiade centesima octogesima quarta; proculdubiò, iuxta ipsius computum, prædictus annus regni Herodis vigesimus octauus à prædicto Pollionis Consulatu putatus, nullo modo competere potest in Olympiadem centesimam nonagesimam secundam. Oportet ergo quòd Iosephus necessariò eumdem annum regni Herodis vigesimum octauum, non à Caluini & Pollionis, sed ab Agrippæ & Galli Consulatu putauerit; hunc enim Consulatum idem Iosephus sub finem eiusdem libri 14. Antiq. ponit in Olympiade centesima octogesima quinta; cui si addantur septem Olympiades, quæ continent prædictos viginti octo regni Herodis annos, fiunt centum nonaginta duæ Olympiades. Igitur dictus regni Herodis annus, sine dubio secundùm Iosephum putandus est à captis Ierosolymis, vt suprà num. 1. dictum est. Vnde patet, immeritò redargui ipsum Iosephum à Pererio lib. 11. in Danielem in fine Quæstionis 5. quæ est De tempore ortus Domini nostri Iesu Christi, vbi ait, non satis sibi constare Iosephum, dum lib. 16. Antiq. cap. 9. dicit, regni Herodis annum vigesimum octauum incidisse in Olympiadem centesimam nonagesimam secundam: nam (subdit Pererius) si primus regni eius annus (subintellige, in quo declaratus fuerat Rex) fuit quartus Olympiadis centesimæ octogesimæ quartæ, non vigesimus octauus, sed vigesimus nonus regni eius annus concurrit cum initio Olympiadis centesimæ nonagesimæ secundæ. Sed non aduertit ibi Pererius, Iosephum loco Antiq. proximè allegato putasse annos regni Herodis, non ex quo creatus fuerat Rex, sed à capta Ierosolyma, vt iam ostensum est. Et hinc etiam perspicuè infertur, annum quoque regni Herodis decimumoctauum, in quo Iosephus 15. Antiq. cap. 13. dicit eamdem Cæsaream cœptam fuisse ædificari, pariter esse numerandum à Consulatu Agrippæ & Galli, id est à captis ab Herode Ierosolymis. quod nos sub anno mundi 4035. num. 1. hîc probandum proposueramus. DEFENDITVR A PERERIO IOSEPHVS.

☞ 9. Eodem anno, qui fuit septimus ante Christi natiuitatem, vt videre est in tabulis, oportet cœptam esse infirmitatem languidi illius, qui posteà anno vitæ Christi trigesimo secundo ab eodem Christo mirabiliter curatus fuit ad Probaticam piscinam, cùm iam triginta & octo annos haberet in infirmitate sua, vt narrat S. Ioannes in Euangelij sui cap. 5. vers. 5. LANGVIDI EVANGELICI NATIVITAS.

AB ORBE CONDITO ANNVS 4046. — SEXTÆ MVNDI ÆTAT. ANNVS 600.

1 ANNO proximo, qui erat annus Vrbis septingentesimus quadragesimus sextus, vt patet in tabulis, C. Marcio Censorino & C. Asinio Gallo Coss. Augustus Cæsar Romæ anni emendationem (cuius nos sub anno mundi 4008. num. 2. mentionem fecimus) à Iulio Cæsare factam, denuoque Sacerdotum negligentia conturbatam atque confusam, restitui curauit. *Nam*, vt ait Macrobius 1. Saturnal. cap. 14. *cùm oporteret diem qui ex quadrantibus constit, quarto quoque anno confecto antequam quintus inciperet, intercalare; illi quarto non peracto, sed incipiente, intercalabant. Hic error sex & triginta annis pertransiit; quibus annis intercalati sunt dies duodecim, cùm debuissent intercalari solummodò nouem. Sed hunc quoque errorem correxit Augustus, qui annos duodecim sine intercalari die transigi iussit, vt illi tres dies, qui per annos triginta sex vitio Sacerdotalis festinationis excreuerant, sequentibus annis duodecim, nullo die intercalato, deuorarentur. Post hæc, vnum diem, secundùm ordinationem Iulij Cæsaris quinto quoque incipiente anno intercalare iussit. Et omnem hunc ordinem æreæ tabulæ ad æternam custodiam incisione mandauit.* hæc Macrobius. Cuius dictum de sex & triginta annis perdurantis errati, debet accipi non ab anno Iulianæ correctionis, qui fuit, vt suprà dictum AVGVSTVS ANNVM CORRIGIT.

dictum est, Vrbis septingentesimus octauus, sed ab anno promulgatæ correctionis, nimirum septingentesimo nono; ab hoc enim ad septingentesimum quadragesimum sextum, medij sunt anni triginta sex.

CAESAR R.P.C. POTESTATEM SIBI PROROGARI CVRAT.

2. Eodem anno idem Imperator Cæsar Augustus primo decennio & duobus quinquenniis expletis, Reipub. constituendæ potestatem sibi quartò in aliud decennium prorogari curauit, & ex S. C. accepit, vt ex Dione probat Onuphrius in suis Fastorum Commentariis.

MENSIS SEXTILIS, CVR ET QVANDO DICTVS FVERIT AVGVSTVS.

3. Eodem tempore, videlicet iisdem Coss. vt ait Censorinus, mensis qui Sextilis anteà appellabatur, quòd esset sextus à Martio, vnde annum exordiri voluerat Romulus, deinceps in honorem Augusti Augustus dictus est ex Senatus consulto; quod refert Macrobius lib. 1. Saturnal. cap. 12. in hæc verba: *Cùm Imperator Cæsar Augustus mense Sextili & primum Consulatum inierit, & triumphos tres in Vrbem intulerit, & ex ianiculo legiones deductæ secutæque sint eius auspicia ac fidem, & Ægyptus hoc mense in potestatem Populi Romani redacta sit, finísque hoc mense bellis ciuilibus impositus sit, atque ob has causas hic mensis huic Imperio felicissimus sit ac fuerit, placere Senatui, vt mensis Augustus appelletur. Idem Plebiscitum factum ob eamdem rem, Sex. Pacuuio Tribuno plebem rogante.* hæc ex Macrobio.

HERODES GRANDIA EXTRVIT ÆDIFICIA, ET EX COGNATORVM NOMINIBVS NVNCVPAT.

4. Per hæc eadem tempora Herodes, post ædificatam Cæsaream, festosque dies in eius dedicatione celebratos, vrbes, oppida, castellaque, & alia ædificia pulcherrima in suo regno extruxit, atque ex cognatorum nominibus appellauit. huiusmodi sunt Antipatra vrbs, quam sic ab Antipatro patre suo denominauit; & Cypron castellum, ex propriæ matris nomine; & turris quædam, propugnaculum Ierosolymæ munitissimum, ex primogeniti fratris nomine Phasaëlum dicta; & vrbs pariter in eiusdem defuncti fratris monumentum Phasaëlides nuncupata: Iosephus 16. Antiq. cap. 9. & lib. 1. de Bello cap. 16. Quibus in locis multa item differit de Herodis beneficentia ac liberalitate in extraneos, & crudelitate in suos, & de huius rei causa.

AB ORBE CONDITO ANNVS 4047. — SEXTÆ MVNDI ÆTAT. ANNVS 601.

AVGVSTI ET TIBERII EXPEDITIO CONTRA GALLOS.

ANNO insequente Augustus exercitum duxit aduersus Gallos, atque eius ductu auspiciisque Gentes Alpinas omnes, quæ à mari supero ad inferum pertinebant, sub imperium Pop. Romani redegit. Nam licet ipse in prouincia manserit; misso tamen Tiberio trans Rhenum, Barbaros ad conditiones compulit; quibus repudiatis, magnis eos cladibus, quamquam non incruenta victoria, confecit. & hac de causa idem Tiberius, iubente Augusto, posteà Romæ triumphauit. Hæc & eiusmodi alia de Augusto & Tiberio tradit in suo Fastorum Commentario Sigonius ex Dione.

ABSOLVIT ALIAS IN CAESAREA FABRICAS.

2. Eodem anno, qui erat regni Herodis trigesimus, vt iam sæpè dictum est à captis Ierosolymis putatus, & à cœpta Cæsareæ ædificatione duodecimus, ipse Herodes nec labori nec sumptibus parcens, absoluit mirabiles quasdam fabricas, quas in eadem vrbe extruere cœperat. sic enim tradit Iosephus 15. Antiq. cap. 13. non valdè procul ab initio capitis. Quænam verò fuerint hæ fabricæ, vide ibidem, & 1. de Bello cap. 16. quamquam easdem nos quoque breuiter sub anno mundi 4035. num. 1. recensuimus.

DAVIDIS SEPVLCHRVM SPOLIAT.

3. Per hæc eadem tempora, Herodes multum pecuniarum domi forisque profundens, audito quòd olim Hircanus (nimirum Simonis Machabæi filius) recluso Dauidis sepulchro, tria millia talentorum argenti (vt nos sub anno mundi 3921. num. 1. retulimus) extulisset, superesseque multò plura; assumptis secum amicorum fidissimis, clàm noctu apertum sepulchrum ingreditur, depositas tamen pecunias non inuenit, sed mundi pretiosi & aureorum ornamentorum vim magnam inde sustulit. Iosephus 16. Antiq. cap. 11. vbi putat hanc fuisse causam, quòd exinde domus Herodis in deterius labi cœperit; ita vt ipse totos ferè reliquos regni vitæque suæ annos in sedandis perpetuis familiæ suæ dissidiis, non sine magno animi sui mœrore, ac propriæ vitæ periculo, occupatus fuerit; & hac de causa Romam denuò nauigare, ingrauescente licet iam ætate, coactus sit, & multa insuper in suos crudeliter patrare. Quæ omnia sine vlla temporum notatione scribit Iosephus 16. Antiq. à cap. 11. vsque ad cap. 10. sequentis libri, & 1. de Bello cap. 17. vsque ad finem eiusdem libri. Sed vtrùm horum Herodis infortuniorum causa fuerit prædicta Dauidis sepulchri violatio, affirmare non ausim. Nam quidquid sit, certò maiora Herodem peccata commisisse, dubium non est; & si ob idem facinus Io. Hircanum castigatum nusquam legimus, non est quòd tantopere vltum Herodem

IOSEPHI DICTVM REFELLITVR.

Herodem tam facilè pronuntiare debeamus, præsertim cùm, ipsomet Iosepho teste, certum sit, memorata familiæ Herodis dissidia multò antè cœpta esse, non sine maximis eiusdem Herodis perturbationibus; tametsi verum quoque sit, ea deinceps semper in peius processisse, vt videre est apud Iosephum locis citatis.

AB ORBE CONDITO ANNVS 4048. — SEXTÆ MVNDI ÆTAT. ANNVS 602.

1 ANNO Vrbis conditæ septingentesimo quadragesimo octauo, C. Cæsar Augusti filius adoptiuus Syriæ totique Orienti præficitur, cui ad bellum Armenicum proficiscenti, cùm adhuc esset adolescentulus, quippe qui necdum vigesimum annum ageret, pro rectore datus fuit P. Sulpitius Quirinus, qui iam aliquot annis anteà fuerat Syriæ Præses, & propterea tamquam de rebus illarum prouinciarum satis instructus, benè poterat præfatum adolescentulum in eiusmodi negotiis dirigere: ipso autem in prouincia defuncto, præfatus Quirinus per aliquot posteà annos remansit Syriæ Præses, vt probat Cardinalis Baronius in Apparatu ad suos Annales, ex Cornelio Tacito, & aliis. Sanè hunc Quirinum Græci Cyrinum appellabant, propterea S. Lucas, qui in Græcia suum scripsit Euangelium, cap. 2. vers. 2. vocat eum Cyrinum.

C. CAESAR AVGVSTI F. ADOPTIVVS TOTI ORIENTI PRAEFICITVR.

QVIRINVS, QVI ET CYRINVS, SYRIAE PRAESES.

2. Eodem anno in Iudæa nihil aliud actum inuenimus, nisi quæ narrat Iosephus 16. Antiq. cap. 11. 12. & 13. & lib. 1. de Bello cap. 17. de variis inter Regiæ Herodis aulicos, ac præcipuè eiusdem Regis filios, Antipatrum, & ex Mariamme natos Alexandrum & Aristobulum, dissensionibus valdè auctis; itemque de calumniis & insidiis inter ipsos, & aduersus ipsum Regem structis: pro quibus sedandis; necesse habuit Archelaus Cappadocum Rex, vtpote qui erat dicti Alexandri socer, venire in Iudæam ad Herodem, & ipse Herodes Romam non multò pòst ad Cæsarem proficisci, Alexandrum accusaturus, & eidem Antipatrum commendaturus. Quæ omnia hîc accuratiùs intexere superfluum visum est. quemadmodum & illud ibidem relatum, quòd intra tempus absentiæ ipsius Herodis, incolæ Trachonitidis regionis, quam Zenodoro ademptam Cæsar (vt sub anno mundi 4034. num. 2. dictum est) Herodi attribuerat, sparso rumore de eiusdem Herodis interitu, ab ipso defecerant, sed ab eius Ducibus perdomiti, quadraginta ex eis latronum Principes in Arabiam transfugerint, vbi recepti à quodam Syllæo, qui ibidem Principatum affectabat, de quodam loco satis munito excurrentes, latrociniis infestabant Iudæam totamque Cœlesyriam.

OB DISSIDIA DOMESTICA VALDE AVCTA, HERODES ROMAM PROFICISCITVR AD CAESAREM.

AB ORBE CONDITO ANNVS 4049. — SEXTÆ MVNDI ÆTAT. ANNVS 603.

1 ANNO proximo in Iudæa credimus accidisse ea quæ scribit Iosephus 16. Antiq. cap. 13. vsque ad finem libri, & lib. 1. de Bello, à medio cap. 17. vsque ad eius finem, de reditu Herodis ab Italia, de expeditione eius in Arabiam aduersus præfatos latrones, de memorato Syllæo apud Cæsarem accusante Herodem, quòd extra regni sui fines exercitum ducere ausus esset, de Cæsare ob hoc Herodi valdè irato, litterisque minaciter eidem scriptis, & eiusdem Legatis primò non admissis, mox infecto negotio remissis, & quomodo tandem per Nicolaum Damascenum placatus Herodi Cæsar fuit, & Syllæus posteà tandem ab eodem Cæsare capitis damnatus. Item de Alexandro & fratre Aristobulo Regi delatis, quòd clàm ei necem struerent; & quòd propterea in carcerem coniecti, & mox etiam in vincula; dein Cæsare permittente, eiusque Præsidibus ad Berytum conuocatis, damnati, ac demum iussu patris in Sebasten ducti, ibidem strangulati fuerint; & eorum corpora in Alexandrium castellum recondita.

HERODIS GESTA POST EIVS REDITVM DE ITALIA.

MARIAMMAE FILII A PATRE NECATI.

AB ORBE CONDITO ANNVS 4050. — SEXTÆ MVNDI ÆTAT. ANNVS 604.

1 ANNO regni Herodis pænultimo, oportet acta esse ferè omnia quæ scribit Iosephus in septem prioribus libri 17. Antiq. capitibus, & parte octaui; item libro 1. de Bello cap. 18. 19. & 20. nimirum de Antipatro Regis filio; qui sublatis fratribus, & metu æmulorum liberatus, cùm iam sine controuersia successionem regni speraret, duplici cœpit timore sollicitari; nempe quòd populariter inuisus esset omnibus,

ANTIPATRI TECHNAE ADVERSVS FRATRVM FILIOS, ET PATREM.

nibus,ac præsertim militibus, à quibus pendebat Regum securitas: cui quidem malo maximis occurrere studebat largitionibus,tametsi frustrà: nam quò plura donabat, eò magis inuisus erat cunctis; quòd opes non tam munificentia largiri, quàm metu consumere videretur. Sed illud magis ipsum angebat,quòd videret crescentem sobolem peremptorum; ac præter spem,orbos pueros à Rege curari. Vt autem vidit,regias eisdem ab Herode vxores desponsari,diriguit;nec posteà vmquam cessauit sollicitare Regem,donec eum induxit,vt interrupta pupillorum spe,aliter,& potiùs ad sui commodum tales affinitates iungeret. Nec contentus regiis pueris aduersari,clandestinas quoque quasdam conspirationes cum regiis mulieribus,nempe cum propria matre,& cum sorore, ac vxore Pheroræ,excitare cœpit ad perniciem Regis: verùm posteà veritus,ne detectæ paternum contra se odium concitarent; procurauit à patre Romam mitti. Quod vt factum est,ecce moritur Pherora Regis frater, veneno, vt Herodi delatum est,sublatus. Qua de re dum Rex diligenter inquirit, deprehendit venenum illud ab Antipatro Pheroræ traditum,quo se absente,ac per hoc minimè suspecto, patrem tolleret.His atque aliis de Antipatro auditis,& benè cognita eius malitia; primò quidem Doridem eius matrem in tam malitiosis conatibus deprehēsam, spoliatam multorum talentorum ornamentis, eiicit è Regia. Insuper propriam vxorem Pontificis filiam, quòd secretorum Antipatri particeps cuncta dissimulasset,accusatam,à se reiicit;filium eius è testamento delet; & Simonem Regis socerum Pontificatu priuat, suffecto in eius locum Matthia Theophili F.Ierosolymita: mox ipsum quoque Antipatrum, domum quantocyùs vt redire curet,litteris humaniter ad eum scriptis, prudenter hortatur. Quæ omnia locis allegatis latiùs tradita reperiuntur.

EIVSDEM FRAVDES A PATRE DETECTAE.

S. IOANNIS BAPTISTAE NATIVITAS PRAENVNTIATVR.

2. Eodem anno, circa initia,vt arbitror,Octobris,nimirum sexto ante Dominicam Incarnationem mense(quemadmodum apertè ex Euangelio Lucæ cap. 1.v.26. & 36. colligitur,& nos sub anno mundi 4051.num.4.declarabimus) prenuntiata fuit ab Angelo Gabriele natiuitas S.Ioannis Baptistæ patri eius Zachariæ,quando orans in templo offerebat ministrabatque incensum coram Domino, quemadmodum accuratè describit idem Euangelista cap.citato vers.5.vsque ad 26. Sanè ex illis Angeli verbis ab eodem S.Luca relatis, *Ne timeas Zacharia, quoniam exaudita est deprecatio tua*, &c. dubitari potest,num ipse Zacharias tunc pro populo tantùm orasset; an etiam, diuino quodam actus Spiritu,pro se,vt scilicet de vxore sua prolem suscipere posset. Nō enim inconuenit Sacerdoti dum orat pro populo,pro se quoque deprecari, ac publicis supplicationibus etiam priuatas adiungere.Et quidem ex his quæ Angelus ibidem subiungit, *Et vxor tua Elisabeth pariet tibi filium*, & quæ sequuntur. videtur insinuari, quòd pro obtinendo filio deprecatus esset. Verumtamen, quia ipse Zacharias illicò respondens Angelo,dixit, *Vnde hoc sciam? ego enim sum senex, & vxor mea processit in diebus suis*; videtur potiùs indicari,ipsum saltem tunc temporis nihil minùs quàm de prole suscipienda cogitasse; & consequenter, quòd Angelus de oratione, quam Zacharias tamquam Sacerdos, pro populi salute fecerat, dixerit: *Exaudita est deprecatio tua.* Neque obstat,quòd continuò addiderit, eidem præter omnem eius expectationem filium,quem fortè aliàs à Domino postulauerat, nasciturum. Solet namque Deus pro sua sapientia aliquando petita differre, vt eadem posteà congruo det tempore; interdum verò pro sua benignitate ac liberalitate seruorum suorum vota præuenire, atque ea vltrò indulgere,quæ & quando vel ipsi petere non auderent; vt patet de Ezechia, cui Dominus non modò quam implorabat sanitatem impertiuit,verùm etiam quindecim vitæ annos,& mirabilem illam de hostibus liberationem, quæ non petierat, adiecit. Et hæc secunda prædictorum Angeli verborum intelligentia Sacro textui magis consentanea videtur,& doctrinæ veterum SS. Patrum,Chrysostomi, Hieronymi, Ambrosij, Augustini, & aliorum, quos citat Cardinalis Toletus super Lucæ cap.1. Annotat. 19. qui tenent,Zachariam rogasse Dominum vt citò mitteret Christum, à quo sciebat remissionem peccatorum & populi salutem fore operandam. Et hanc putant esse Zachariæ deprecationem,quam à Domino exauditam fuisse testatus est Angelus. qui ad maiorem dicti sui confirmationem, & in signum Messiæ citò venturi, protinus addidit, quòd Elisabeth paritura erat filium,filium inquam,ab ipso Zacharia aliàs quidem exoptatum, & fortè etiam multis precibus expetitum; nunc autem ob ingrauescentem parentum ætatem insperatum atque inexpectatum, qui *præcedet ante illum*, hoc est Christum, *in spiritu & virtute Eliæ parare Domino plebem perfectam.* sic Angelus. Sed & hoc idem posteà ipse Zacharias in suo Cantico manifestauit, quando conuersus ad puerum iam natum,dixit: *Et tu puer, Propheta Altissimi vocaberis: præibis enim ante faciem*

ciem Domini parare vias eius. Igitur Angelica prænuntiatio Præcursoris proximè nasci- turi, fuit indubitatum exauditæ orationis Zachariæ testimonium, quòd scilicet ad eius preces decreuisset Deus diu expectatum tempore perbreui mittere Messiam. Ceterùm, prædictum Zachariam non fuisse summum Sacerdotem, sed vnum de secundi ordinis Sacerdotibus, iam sub anno mundi 2544. num. 68. probatum est; & hìc alia item ratione, ex ipsa Pontificum successione deducenda, confirmari potest. Nam si ipsam diligentiùs attendere voluerimus; vtique inueniemus hoc tempore non Zachariam, sed Matthiam Theophili filium fuisse Pontificem, vt ex collatione eorum quæ suprà num. 1. diximus, cum his quæ sub anno mundi 4051. num. 8. dicemus, colligi poterit. Et certum est, in totò Pontificum, qui Herode regnante extiterunt, catalogo, qui ibidem num. 9. ponendus erit, nullum reperiri Zachariam. Vtrùm autem iste Zacharias fuerit saltem Princeps Sacerdotum vicis suæ, nimirum Abiæ, nec probari omnino nec reprobari potest.

ZACHARIAM NON FVISSE PONTIFICEM.

3. Circa initia, vt arbitror, mensis Decembris eiusdem anni, nimirum quarto ante Dominicam Annuntiationem mense, beatissima Virgo Maria, cùm iam triennio post eius ortum ducta in templum, ibidem mansisset annis vndecim integris cum aliis virginibus educata; diuina dispensatione desponsata ac tradita fuit S. Iosepho, vt testatur Euodius Antiochensis Episcopus, à nobis sub anno mundi 4037. num. 1. relatus. Agebat igitur annum vitæ decimumquartum beatissima Virgo quando desponsata fuit, vt etiam patet in tabulis. Oportet autem ipsam tunc perpetuæ virginitatis votum, quod (vt multi sentiunt) multò ante dictam desponsationem Deo fecerat, mox etiam paulò ante actum eiusdem desponsationis pari cum sponsi sui consensu confirmasse: nam certum est, quòd quando ipsa Angelo nuntianti sibi Dominicam conceptionem, respondit, *Quomodo fiet istud, quoniam virum non cognosco?* iam erat desponsata Iosepho; & tamen apertè asseruit, se voto obligatam esse non cognoscendi virum. Ex his namque verbis, Toleto super Lucæ cap. 1. Annot. 94. attestante, SS. Augustinus libro de sancta Virginitate cap. 4. & Gregorius Nyssenus Orat. de Christi Natiuit. & Bernardinus Homil. 4. in *Missus est*, & post ipsos alij, deducunt, Mariam votum habuisse virginitatis, quo se Deo obstrinxerat. sic enim conueniens est causa interrogationis: *Quomodo fiet istud, quoniam virum non cognosco?* Et addit S. Augustinus, quòd etiamsi omnia hæc verba non protulisset beata Virgo, sed sola illa dixisset, *Quomodo fiet istud?* indicabat se votum habere virginitatis, nec copulam illi liberam fuisse. Si enim hoc non esset, non erat cur modum inquireret. Ex dictis ergo manifestè colligitur, quòd ad eiusdem voti confirmationem, etiam sui sponsi consensus accesserat; alioquin ipsa vel sponsalibus illis liberum præbere assensum minimè potuisset, vel posteà non tam asseueranter & absolutè pronuntiasset se teneri non cognoscere virum. Nisi fortè verum sit, quod ex SS. Gregorio Nysseno vbi suprà, & Bonauentura Meditationum Vitæ Christi cap. 3. & aliis Patribus tradit Suarez in 3. Part. S. Thom. Tom. 2. quæst. 28. art. 4. disput. 6. sect. 2. nimirùm, beatissimam Virginem ante desponsationem diuina reuelatione didicisse, Iosephum ab ea numquam coniugale debitum petiturum; sed magis cum ipsa in idem propositum seruandæ virginitatis consensurum.

DEIPARA VIRGO DESPONSATVR IOSEPHO.

4. Sed hìc aliquis fortè curiosiùs exquiret, cur beatissima Virgo tali se voto obstringere in animum induxerit, tunc præsertim, quando nullum adhuc tale alicuius sanctæ feminæ (vt multi Sancti affirmant) exemplum præcesserat; immò etiam, quando communiter apud Hebræos, abstinere à liberorum propagatione, probro dari consueuerat tam viris quàm mulieribus. Ad hoc breuiter quidem & verè responderi potest, id speciali diuina inspiratione factum fuisse. Nam (vt optimè docet Toletus super Luc. c. 1. Annot. 57.) dubitandum non est, eam quæ Mater Dei futura erat, sicut ex priuilegio omni caruit peccato, ita in omnibus suis actionibus directam & gubernatam esse à Spiritu sancto; & maximè in his quæ ad huius mysterij celebrationem spectabant. Verumtamen quomodo, & qua de causa, quáve occasione hæc ei inspiratio aduenerit; quoniam neque sacra Scriptura, neque sacri Doctores, quos ego viderim, exprimunt; certò scire ac definire non possumus. Et nihilominùs, si piè licet opinari, videtur non ineptè dici posse, Dei sapientiam quæ disponit omnia suauiter, & homines per media cuique conuenientia instruit mouetque, vt verbi gratia Magos per stellam quam præstolabantur, & Ezechiam per horologium quo delectabatur, & alios similiter; aptè etiam disposuisse, vt humillima Virgo acta zelo conseruandæ humilitatis, cuius erat studiosissima, dictum votum emiserit; & consequenter, quòd ipsa eius humilitas ansam ei præbuerit vouendi perpetuam virginitatem eo modo quo inferiùs declarabitur. Ad quod

quod ostendendum, tria præmittere oportet. Primò, non irrationabiliter supponi posse, ipsam quando dictum votum vouit, probabiliter, & diuina quadam permissione putasse, Messiam (quemadmodum ab aliis quoque tunc communiter credebatur) naturaliter ex coniugali copula concipiendum, ac nasciturum: siquidem antequam de Dominicæ Incarnationis mysterio ac modo edocta ab Angelo esset, nihil aliud humano more cogitare poterat. Nec obstat, quòd aiunt, ipsam vidisse Prophetiam Isaiæ cap.7. vers.14. *Ecce virgo concipiet*, &c. quia probari non potest quòd eam viderit ante dicti voti emissionem, quam credibile est contigisse anno circiter vno aut altero ante contracta cum Iosepho sponsalia, quando scilicet per ætatem incipiebat apta esse coniugio. Nam & quando posteà respondit Angelo: *Quomodo fiet istud, quoniam virum non cognosco?* videtur aut nondum vidisse, vel (quod credibilius est) non meminisse memoratæ Prophetiæ. Vnde S. Augustinus Sermone 2. de Annuntiatione, inducit Angelum prædictis Mariæ verbis sic respondentem: *Recole Maria in libro Isaiæ Prophetæ virginem, quam parituram legisti, & gaude atque exulta, quia tu esse meruisti. Tu ibi præfigurata es virgo. Tu ecce concipies in vtero, non de viro, sed de Spiritu sancto.* Et post pauca subiungit, Virginem respondisse Angelo: *Ecce ancilla Domini*, &c. Si ergo patet, Virginem etiam post primum Angeli sermonem cogitasse ac meminisse de naturali modo conceptionis Messiæ; quanto magis potuit id fecisse multò antè, videlicet quando votum virginitatis emisit? Sed demus Mariam ante salutationem Angelicam vidisse memoratam Isaiæ Prophetiam: certè non sequitur esse necessariò supponendum, quòd eam tunc plenè intellexerit; tum quia non erat adeò clara, vt facilè posset intelligi, præsertim à simplici puella: quandoquidem neque illius temporis Rabbini, qui Sacras litteras interpretari & alios docere profitebantur, eam benè intellexerant; cuius rei signum est, quòd nihilominùs communiter putabant Messiam naturali modo fore gignendum. Hanc obiectionem de memorato Isaiæ loco mouet, & pressiùs quidem, sed eodem ferè modo dissoluit Toletus loco eius proximè allegato Annot.93. dicens: *Nec obstat Isaiam prædixisse, virginem concepturam & parituram. Præterquam enim quòd textus hic non erat ab omnibus planè intellectus, nondum beata Virgo perfectè intellexerat id in se esse implendum: paulatim enim & per incrementa illuminabatur à Deo in hoc mysterio, vt eius fides exerceretur, & liberum arbitrium, à quo pendebat consensus, maturiùs deliberaret.* hæc Toletus: qui ibidē Annot. sequente ait, quòd *beata Virgo, quando dixit Angelo, Quoniam virum non cognosco, nondum perceperat se salua virginitate concepturā. Si enim*, inquit, *id assecuta fuisset, non adiecisset hanc causam. At quia dubia erat, & ignorabat modum, idcircò interrogauit, causam dubitationis proferens; quia scilicet copulæ vacare ei fas non erat.* Quæ Toleti doctrina prorsus conuenit cum ea quam tradit S. Bernardus, qui loco eius citato sentit, beatam Virginem intellexisse mysterium conceptionis, ignorasse tamen modum, an salua virginitate (quod posse Deum facere credebat) an alio modo Deo placeret id perfici. Patet igitur, Mariam non certò ac perfectè nouisse modum quo Messias erat concipiendus, nisi quando illum didicit ab Angelo dicente sibi: *Spiritus sanctus superueniet in te*, &c. Nam si plenè priùs vel ex memorata Isaiæ Prophetia, vel aliter id intellexisset, non opus fuisset interrogare Angelum, *Quomodo fiet istud?* immò id quod sequitur, *Quoniam virum non cognosco*, videtur quodammodò indicare id quod diximus, ipsam potiùs cogitasse Messiam naturaliter, vt alij, fore concipiendum. A qua opinione vt eam Angelus remoueret, subiunxit: *Spiritus sanctus superueniet in te*, &c. Neque mirum videri debet, quòd beatissima Virgo priùs ignorauerit, quod posteà ab Angelo didicit. Nam si, quando iam ad perfectam ætatem deuenerat, non intellexit illa filij sui verba, *Nesciebatis, quia in his quæ Patris mei sunt, oportet me esse?* vt apertè testatur S. Lucas cap.2. vers.49. quis non videt etiam fieri potuisse, vt quando adhuc erat puella, non intellexerit verba Spiritus sancti per Isaiam prolata? non enim perfectè omnia ab initio nouit, vt ex Toleto probatum est; sed eius scientia cum ætate crescebat, & congruis temporibus diuinis illuminationibus augebatur. Scimus etiam, Deum solere quædam hominibus non simul & semel manifestare; sed sensim & per partes, & per tempora, quemadmodum nos sub anno mundi 2138. n. 3. ostendimus exemplo Abrahami; cui cùm Deus non semel promisisset filium, numquam tamen, nisi post multos annos, aperuit ei quòd illum de Sara iam senescente esset suscepturus, neque quòd ipsum Isaac nominare deberet; neque quòd in ipso Isaac vocandum esset semen eius, hoc est, per successionem ipsius Isaac proditurum esset semen illud de quo aliàs eidem Abrahamo prædixerat, *In semine tuo benedicentur omnes gentes.* Ita etiam dicere possumus, Deum priùs aliquo modo per Isaiam indicasse, quòd Messias nasciturus

turus erat de Virgine: post multa verò tempora per Angelum declarasse, & quæ esset ista Virgo, & quomodo illum esset conceptura, nimirum non de viro, sed de Spiritu sancto. Sit ergo hæc prima præmissio, quòd cùm beata Virgo ante Angelicam annuntiationem, vt probatum est, non cognouerit modum quo concipiendus esset Messias, probabiliter credi posse, quòd ipsa quoque, vt communis tunc erat opinio, putaret ipsum naturaliter fore concipiendum. Et hoc non sine diuina permissione, vt inferiùs dicemus. Secunda præmissio erit, satis esse credibile, quòd iam appropinquante aduentu Messiæ, aliquantò antequàm venerit, percrebrescere cœperit, saltem apud aliquos religiosiores, frequens admodum sermocinatio, & quasi certa quædam eius proxima expectatio. Nam & per aliquot menses antè prophetauerat Zacharias, & breui venturum Messiam indicauerat illis verbis: *Quia visitauit & fecit redemptionem plebis suæ*. Dicens enim, Messiam visitasse ac redemisse, proculdubiò insinuare voluit, quòd citò id erat facturus, iuxta vulgatum illud: *De proximo accingendus habetur pro accincto.* Et post pauca subiungens de filio suo Ioanne tunc proximè nato: *Et tu puer, Propheta Altissimi vocaberis: praibis enim ante faciem Domini parare vias eius*. vtique confirmauit quod paulò antè dixerat, nempe Messiam citò tunc esse venturum. Verisimile quoque est, quòd ex quo Simeon, quadriennio saltem antè, vt creditur, acceperat responsum à Spiritu sancto, non visurum se mortem, nisi videret Christum Domini; vel ipse aliis id communicauerit; vel quòd aliis quoque Sanctis tale quid fuerit reuelatum. non enim omnia scripta sunt: tametsi & hoc idem aliquo modo innuatur Lucæ cap. 2. vers. 38. vbi traditur, quòd Anna Prophetissa loquebatur de Iesu omnibus qui expectabant redemptionem Israel. Tertia demum præmissio sit, Non videri inconueniens arbitrari, quòd aliqui vel aliquæ ex his qui Mariam benè nouerant, videntes admirabiles ac singulares eius virtutes, quas ipsa omnino celare non poterat, & scientes ipsam esse de domo Dauid, de qua proditurum Messiam nemo dubitabat; facilè suspicari cœpissent, num fortè ipsa à Deo eligenda foret in matrem ipsius Messiæ: & interdum de hac re inter cognatos & notos, vt fit, aliqua verba proferrent. His stantibus, fit satis credibile, quòd hæc & eiusmodi præsentiens Maria, & præ mirabili humilitate sua non sustinens tam præclaram haberi de se existimationem (quippe quæ tali honore se prorsus indignam reputaret) cogitauerit quo modo posset de corde suo atque de aliorum opinione huiuscemodi cogitationes sermonesque propellere; non quòd non esset parata in omnem Dei voluntatem, sed vt, quantum in se erat, suæ admodum dilectæ consuleret humilitati, faceretque quod sibi tunc magis conuenire iudicabat; & propterea enixè Dominum rogauerit, vt sibi quid facto opus esset, ostenderet. Qui protinus suppeditauit ei consilium bonum, atque tum ad eius humilitatem fouendam ampliusque illustrandam, tum etiam ad ipsam præparandam ad id quod de ipsa disposuerat, valdè opportunum, vt scilicet perpetuæ virginitatis votum voueret, quo seipsam (licet non sine aliqua, vt tactum est, nota) omni naturalis honestæque prolis spe priuaret, sicque & mentem suam ab hisce molestiis expediret, & procedente tempore, alios quoque videntes ipsam sine prole, certiores faceret (quod eius humilitas summopere exoptabat) se non esse tanti meriti, quanti ab ipsis putabatur. Sed contrà accidit, Deo omnia mirabiliter disponente, vt quod illa ad tantam dignitatem humiliter, vt par erat, declinandam vouerat, id ad eamdem consequendam, præter eius expectationem, ipsam disposuerit. Decebat enim Messiam Deum pariter & hominem nonnisi de simplici ac purissima virgine mirabiliter concipi ac nasci. Apposite ergo eadem beatissima Virgo posteà cecinit: *Quia respexit humilitatem ancillæ suæ*. Quam virtutem ceterarum fundamentum ab hac primaria veræ humilitatis magistra didicerunt deinde alij qui subsecuti sunt Sancti, nihil magis curantes, quàm altiores mundi gradus aspernari, fugere honores, abnuere dignitates. In promptu sunt exempla sanctorum Ambrosij, Gregorij Thaumaturgi, Gregorij Magni, & aliorum, qui (vt in eorum Vitis legitur) quò ardentiùs oblatas dignitates ex propriæ indignitatis cognitione recusarunt, eò magis earum digni à Deo facti sunt. Itaque si hæc & huiusmodi tam admiranda Christianæ humilitatis exempla in Sanctis visa esse omnes fatentur; quis eadem quoque priùs in suprema omnium Sanctorum Regina multò perfectiùs extitisse, & omnino inter eius laudes ponenda esse dubitabit?

5. Redeamus ad virginitatis votum à Deipara emissum. Et quidem quòd ipsa illud perfectissimè semper obseruauerit, & consequenter, quòd perpetuò permanserit virgo purissima, nempe, ante partum, in partu, & post partum, est propositio de Fide; ita vt assertio opposita, impia sit atque hæretica. Nam quando salutata fuit ab Angelo, tametsi

MARIA CHRISTI MATER, VIRGO FVIT ANTE CONCEPTIONEM.

tametsi iam desponsata esset Iosepho, erat tamen virgo, vt expressè testatur S. Lucas cap. 1. vers. 26. dicens: *Missus est Angelus Gabriel à Deo in ciuitatem Galilææ, cui nomen Nazareth, ad virginem desponsatam viro, cui nomen erat Ioseph de domo Dauid, & nomen virginis Maria.* Ecce quomodo bis dicitur virgo antequam conciperet. Quòd autem in ipsa conceptione & vsque ad partum virgo permanserit, planè indicant & idem Euangelista vers. 35. eiusdem capitis, referens verba Mariæ dicentis ipsi Angelo: *Quomodo fiet istud, quoniam virum non cognosco?* & subsequenter verba Angeli respondentis: *Spiritus sanctus superueniet in te, & virtus Altissimi obumbrabit tibi.* & præterea illud Matth. cap. 1. vers. 18. *Inuenta est in vtero habens de Spiritu sancto.* & vers. 20. *Quod in ea natum est, de Spiritu sancto est.* & denique in fine eiusdem capitis, de Ioseph dicitur: *Et accepit eam coniugem, & non cognoscebat eam donec peperit filium suum primogenitum.* Idem confirmari potest ex pluribus veteris Testamenti locis, in quibus, variis modis & similitudinibus & figuris præostensa fuit Deiparæ integritas & virginitas. Nam Leuitici cap. 12. vbi traditur Lex puerperij, non dicitur absolutè, *Mulier, si pepererit masculum,* sed consultò additur illa particula, *Si suscepto semine pepererit,* &c. proculdubiò (vt sancti notant Doctores) ad insinuandum futuram aliquando mulierem, quæ sine vlla seminis susceptione paritura erat masculum, & à dicta Lege excipienda. hæc autem fuit beata Christi mater Maria. Et in Psalm. 21. in persona Christi dicitur: *Ego autem sum vermis, & non homo.* quoniam sicut vermis non ex naturali propagatione, sed de sola pura terra seu carne producitur; ita & Christus de sola & pura virgine ortus est. Vel (vt S. Ambrosius super eodem Psalm. explicat) *Legimus,* ait, *de manna vermiculos procreatos. digna planè & iusta comparatio: siquidem de manna vermiculus gignitur; & Dominus Christus de virgine procreatur. Quin potiùs ipsam Mariam, manna dixerim; quia est subtilis, & splendida, suauis, & virgo, quæ veluti cælitus veniens, cunctis Ecclesiarum populis cibum dulciorem melle defluxit,* &c. Item in Psalm. 131. habemus: *De fructu ventris tui ponam super sedem tuam. vbi appositè dictum est, De ventre, & non, De femore: quia Christus de vtero feminæ tantùm, non etiam de viri femore, quod in Scripturis sacris, semen indicare solet, nasciturus erat.* Sunt qui idem colligunt ex Prouerb. cap. 30. vers. 18. & 19. vbi dicit Sapiens: *Tria sunt difficilia mihi, & quartum penitus ignoro: Viam aquilæ in cælo, viam colubri super petram, viam nauis in medio mari, & viam viri in adolescentula.* id est, *in virgine,* vt habet Chaldaica Paraphrasis. sic enim legendum putant multi probati Auctores; quoniam (inquiunt) in Hebræo est vocabulum *Almah,* quod (vt testatur S. Hieronymus super Isaiæ cap. 7.) non solùm significat adolescentulam virginem, sed etiam absconditam, id est, à virorum aspectibus remotam, & à parentibus valdè custoditam. Itaque dictum Sapientis sic intelligunt, ac si dicere voluisset: Se quidem difficile admodum scire posse viam aquilæ, & viam colubri, & viam nauis; sed penitus ignorare viam viri in virgine, hoc est, quomodo Christus in clausum Virginis vterum ingressus, & inde egressus sit. Præterea Cantic. cap. 2. vers. 1. legimus Dominum dicentem: *Ego flos campi, & lilium conuallium.* quæ verba S. Bernardus Serm. 2. in Aduentu exponens, ait: *Flos campi, & non horti. Campus enim sine omni humano floret adminiculo, non seminatus ab aliquo, non defossus sarculo, non impinguatus fimo. sic omnino, sic Virginis aluus floruit; sic inuiolata, integra, & casta Mariæ viscera, tamquam pascua, æterni viroris florem protulere, cuius pulchritudo non videat corruptionem, cuius gloria in æternum non marcescat.* hæc S. Bernardus. Isaias etiam cap. 7. vers. 14. tamquam quid mirabile prænuntians, *Ecce,* inquit, *virgo concipiet, & pariet filium, & vocabitur nomen eius Emmanuel,* &c. vbi verè legendum esse, *virgo,* non autem, vt quidam Hebræi perperàm putauerunt, *puella,* vel *iuuencula,* iam nos sub anno mundi 3295. num. 1. probauimus, & de hac re nulla remanet dubitatio, si attendamus S. Matthæum cap. 1. vers. 21. & 22. asserentem, memorata Isaiæ verba prænuntiata fuisse de matre Christi Maria, quam verè fuisse virginem, ex aliis Scripturæ sacræ locis iam ostensum est, & insuper ostendemus. Idem quoque Isaias cap. 19. vers. 1. dicit: *Ecce Dominus ascendet super nubem leuem,* id est (vt exponunt multi sancti Doctores) beatam Mariam nullo humano semine prægrauatam. Et c. 53. vers. 2. de eodem Domino ait: *Et ascendet sicut virgultum coram eo, & sicut radix de terra sitienti.* Quia sicut virgultum seu ramus ex sola arbore absque alterius seminis commistione oritur; ita Christus ex sola sine viri semine Maria natus est, cuius vterus rectè sitienti terræ assimilatur, quia nullo humano semine fœdatus humectatusque est. Legimus etiam Ierem. cap. 31. vers. 22. *Quia creauit Dominus nouum super terram, femina circumdabit virum.* vbi ideò dicitur nouum quid fuisse creatum, quia Redem-

ptoris

IN CONCEPTIONE, ET VSQVE AD PARTVM.

ptoris conceptio in Maria non vsitato, sed nouo atque admirabili modo, id est, sine vl-
lo viri congressu, & sine vlla virginalis vteri apertione à Deo omnium creatore facta
est. Altissimi huius mysterij multæ etiam in veteri Testamento figuræ præcesserant: ni-
mirum primò in Adam, qui de terra virginea solius Dei opera formatus est, vt tradit
S. Ambrosius Serm. 37. Deinde in Melchisedech, qui (vt patet ad Hebræos c.7.vers.3.)
in Sacro eloquio introducitur tamquam sine patre & sine matre, & assimilatus est Filio
Dei; nempe, quia fuit figura Christi, qui, vt Deus, sine matre, & vt homo, sine patre fu-
turus erat. Item in Aaronis virga, quæ mirabiliter floruit, quemadmodum & ipsa vir-
go mirabiliter genuit. Præterea in Lege, quæ non hominis ministerio, sed digito Dei
scripta fuit. Et in pane illo, quo alitus est in deserto populus, qui non humanis operibus
in terra satus, vsitatóve more paratus fuit, sed mirabiliter è cælo delapsus. Insuper in illo
Gedeonis vellere, quod cælesti rore largiter imbutũ fuit, iuxta illud quod in Psal.71.di-
citur: *Descendet sicut pluuia in vellus.* & illud Isaiæ c.45.vers.8. *Rorate cæli desuper, & nu-
bes pluant iustum.* id est Christum, qui non ab homine, sed è cælo descendit in vterum
virginis. In rubo quoque, qui ardebat & non comburebatur, propter quod sancta ca-
nit Ecclesia in Officio beatissimæ Virginis: *Rubum quem viderat Moyses incombustum,
conseruatam agnouimus tuam laudabilem virginitatem.* sicuti enim rubus diuinitus ac-
census fuit sine vlla eius combustione; ita & virgo cælitus impleta est sine vllo virgini-
tatis suæ detrimento. Dicunt etiam quòd omnes illæ mulieres steriles, quæ singulari
Dei gratia conceperunt, quodammodò adumbrarunt mirabilem Virginis conceptio-
nem: siquidem in illis quoque Dei omnipotentia demonstrata est, quemadmodum
insinuauit Angelus, quando adducto Elisabethæ sterilis exemplo, subiunxit: *Quia non
est impossibile apud Deum omne verbum.* Et hæc pauca de ineffabilis mysterij huius fi-
guris, hîc retulisse sat sit.

6. Quòd verò etiam in ipsomet partu Maria incorrupta permanserit virgo, colligi
potest ex Psal.21.vers.10. vbi dicitur: *Tu es qui extraxisti me de ventre.* Quem locum
ponderans S. Augustinus Tom.2.epist.120. quæ est ad Honoratum, ait: *Quid est, Tu ex-
traxisti me de ventre, si ad ipsum Iesum de virgine procreatum refertur? Quasi alios Deus
non extrahat, in cuius prouidentia est omnis ordo nascendi? An inde significare voluit par-
tum virginis seruata virginitatis integritate mirabili, cùm ait: Tu extraxisti me de ventre
matris meæ. vt quod illic mirabiliter factum est, cùm Deus fecisse dicatur, nemini incredibile
videatur.* Idem elici potest ex Dan.c.2.vers.34.& 45. vbi lapis ille, qui signabat Chri-
stum, dicitur abscissus de monte sine manibus. Quod vtique præmonstrabat, Chri-
stũ sine vlla humana operatione, de Maria Virgine, quæ ob eminentẽ suam perfectio-
nem montis nomine designatur, id est, de ventre eius mirabiliter fuisse abscissum &
extractum. Et hoc idem nobis apertiùs declarauit Ezechiel c.44. dicens: *Porta hæc* (&
loquitur ibi de vtero Virginis, vt infrà probabimus), *clausa erit, & non aperietur, quia
Dominus Deus ingressus est per eam.* ac si dicere voluisset, quòd sicut per hanc portam
clausam mirabiliter ingressus est Christus in sua conceptione, ita etiam mirabiliter, per
eamdem clausam, in partu egredietur. Denique idem confirmari potest ex proximè ci-
tatis Isaiæ c.7. verbis: *Ecce virgo concipiet & pariet filiũ*, &c. Ex quibus verbis manifestè
apparet, eamdemmet tam in conceptione quàm in partu appellari, vereq; fuisse virgi-
nem: non enim concepturam tantummodò virginem, sed & parituram virginem di-
xit. Neque verò hîc recipienda est falsa illa atque omnino erronea quorumdam hære-
ticorum expositio, qui perperàm ausi sunt dicere, prædicta Isaiæ verba accipienda esse
in sensu diuiso; ita vt quæ priùs fuerat virgo, dicatur postmodum à viro cognita, filium
paritura. Nam hoc stare non potest; quia posita hac expositione de partu, necessariò
ponenda quoque esset de conceptione; quod Prophetæ verbis congruere nullo modo
potest; tum quia ipse prædicit, proponitque pro signo valdè mirabili, quòd virgo sit
conceptura & paritura filium. Atqui (vt benè ait S. Hieronymus super citato Isaiæ ca-
pite) si quæ priùs fuerat virgo, posteà de viro concipiat & pariat, quale signum hoc erit?
tum etiam (quod magis vrget) quia hoc vaticinio vsus est S. Matthæus, vel potiùs An-
gelus Domini, ad probandum, Mariam non de viro, sed de Spiritu sancto concepisse.
Sunt enim qui putant, dictum Angelum narrasse Iosepho omnia illa quę refert S. Mat-
thæus c.1.vers.20. vsque ad 24. inter quæ sunt hæc: *Quod enim in ea natum est, de Spiri-
tu sancto est.* & post pauca: *Hoc autem totum factum est, vt adimpleretur quod dictum est
per Prophetam dicentẽ: Ecce virgo in vtero habebit, & pariet filium*, &c. Si ergo S. Euange-
lista, vel potiùs Angelus Domini testatur Mariam fuisse virginem & concepisse de
Spiritu sancto, iuxta Isaiæ vaticinium; & hac de causa S. Ecclesia in Missali Romano,
Ddd vbi-

vbicumque ponit Euangelium, *Missus est*, in quo agitur de Christi conceptione (videlicet in Festo Annuntiationis, & in Feria 4. Quatuor Temporũ Decembris, & in Missa votiua beatæ Mariæ in Aduentu dicenda) semper ponit etiam pro Epistola memoratum Isaiæ vaticinium; ergo dictum vaticinium nullo pacto accipi potest in sensu diuiso suprà exposito. ergo firmissimè tenendum est, Mariam, vt prædixerat Isaias, verè fuisse virginem non solùm quando concepit, sed etiam quando peperit Dominum Iesum Christum: siquidem (vt ait Theodotus loco paulò pòst citando) *quando Deus de virgine prodiit, virgo virginitatis integritate retenta, effecta est mater: nam incorruptionis largitor, corruptionem non inducit; nihilq; incorruptionis Auctor corrumpit.* Ergo oportet ipsum Dominum Iesum Christum exisse de vtero matris modo quodam ineffabili, & à nobis incomprehensibili, sine vlla virginei claustri dilatatione, immutatione, aut iniuria, eo scilicet modo, quo posteà de clauso prodiit sepulchro, & ianuis clausis intrauit ad discipulos simpliciter penetrando corpora interiacentia, non secùs ac lumen Solis penetrat vitrum. Et hoc est quod Proclus Cyzicenus prope finem Homil. de Natiuitate Domini, quæ habetur in Concilij Ephesini tom. seu lib. 6. c. 7. eleganter expressit, dicens: *Ita ex vtero egressus est, sicut per aurem ingressus; ita natus, sicut conceptus: qui impatibiliter fuerat illapsus, ineffabiliter est elapsus.* sic ille, qui aptè dixit, *per aurem ingressus*, iuxta illud quod in Hymno Natiuit. Domini ad Laudes de Maria canitur: *Verbo concepit filium.* Neque verò alicui durus hic sermo videri poterit, si statim recolere non neglexerit id quod sapientissimè monet S. Augustinus epistola 3. quæ est ad Volusianum tom. 2. vbi de admirabili Virginis conceptione & partu verba faciens, post multa alia diuinæ solius omnipotentiæ opera ad veritatem altissimi huius mysterij comprobandam præclarè admodum priùs adducta, tandem concludit, dicens: *Hîc si ratio quæritur, non erit mirabile; si exemplum poscitur, non erit singulare. Demus Deum aliquid posse, quod nos fateamur inuestigare non posse. In talibus rebus tota ratio facti, est potentia facientis.* sic iste S. Doctor. Cuius sententiam aliis verbis expressit Theodotus Ancyræ Episcopus in Concilij Ephesini tom. seu lib. 6. c. 10. relatus, inquiens: *Si diuinorum miraculorum modus à nobis posset comprehendi, miraculum non esset, sed res secundùm naturam. Quòd si opus patratum miraculum fuerit, facti rationem miraculorum Auctori relinque.*

7. Restat probare, quòd etiam post partũ beatissima Christi Mater virgo semper permanserit. Quod planè ostendit illud Cantic. c. 4. vers. 12. *Hortus conclusus, fons signatus. Conclusus & signatus* (inquit S. Bernardus) *propter perpetuam virginitatem, quam claustrum pudoris seruat in Virgine.* Huc accedit, quòd S. Ecclesia in Officio & in Missa eiusdem beatissimæ Virginis, & in Versiculo post Antiphonam, *Alma Redemptoris mater*, quotidie à Natiuitate Domini ad Purificationem Mariæ publicè canit: *Post partum virgo inuiolata permansisti.* & in 2. Responsorio Feriæ 4. hebdomadæ primæ Aduentus, veluti exponens illud Ezechielis c. 44. *Porta hæc erit clausa*; subiungit, *Demonstrans Virginem, quia post partum permansit virgo.* Ad cuius rei confirmationem SS. Patres sacrique Theologi aliquot admodum conuenientes adducunt rationes, quas hîc breuiter referre non grauabor. Et primò, quia sicuti Christus erat vnigenitus Patris, ita decuit vt esset etiam vnigenitus Matris. Deinde, quia conuenientissimum fuit, sanctum virginitatis consilium non à Christo solùm, sed etiam ab eius sanctissima Matre perfectissimè obseruari; vt sicut ille viris, ita hæc feminis esset vsquequaque perfectum virginitatis exemplum. Item, quia indecentissimum fuisset, vterum illum, qui fuerat Spiritus sancti sacrarium, posteà humano semine fœdari; & incontinentis atque ingrati animi signum videri potuisset, diuinitus conseruatam virginitatem prodere, & thalamum immaculatæ conceptionis Christi polluere. Sed quia hæc & eiusmodi inconuenientia à purissimæ Virginis mente longissimè abfuisse omnino credendum est; propterea horret animus vel minimum quid suspicari, quòd ipsa, quæ passim in S. Ecclesia, & in omnibus ferè Ecclesiasticis libris, Virgo virginum appellatur, dilectissimam suam quam libens volensque Deo vouerat virginitatem, vllo modo vmquam deserere voluerit cogitaueritve, præsertim cùm id sine peccato fieri potuisse non videatur; ipsam verò vllo modo vmquam peccasse, opinari nedum asserere, nefas sit. Sed neque credibile est, quòd S. Ioseph, qui (vt ait S. Matthæus c. 1. vers. 19. & deinceps) erat vir iustus, & plenè de mysterio Dominicæ Incarnationis ab Angelo edoctus, sponsam suam sanctissimam attingere vmquam ausus fuerit. Denique, quòd ipsa genitrix Christi Maria post partum, in partu, & ante partum intemerata virgo semper fuerit, manifestè asseruit Ezechiel c. 44. vers. 2. illis verbis: *Hæc dixit Dominus ad me: Porta hæc clausa erit: non aperietur, & vir non transibit per eam, quoniam Dominus Deus Israel ingressus est per eam, eritque*

clausa Principi. Quæ verba cõmuniter SS. Doctores interpretantur de beatissima Chri-
sti Matre;& præsertim S. Augustinus in Serm. 14. de Natali Domini, qui habetur to-
mo 10. vbi, *Quid est*, inquit, *porta in domo Domini clausa? nisi quòd Maria semper erit in-*
tacta. Et quid est: Homo non transibit per eam? nisi quòd Ioseph non cognouit eam. Et quid est
quòd Dominus solus intrat & egreditur per eam? nisi quia Spiritussanctus impraegnauit eam.
Vel clariùs dic: Quia solus Christus Dominus in conceptione intrauit,& in Natiuitate
sua exiuit per eam. *Et quid est: Clausa erit in æternum?* (ita enim legit S. Augustinus) *nisi*
quia Maria, virgo fuit ante partum, in partu, & post partum. sic ille. Vel vt habet editio
Vulgata: *Erit clausa Principi.* id est, ad honorem & reuerentiam Principis Iesu Christi,
qui transiuit per eam. Vel etiam, erit clausa ipsi Principi, qui sine vlla vteri eius apertio-
ne intrauit & exiuit per eam. Porrò hæc conclusio certissima est, & (vt ab initio dice-
bamus) de Fide, tamquam ex Scripturis sacris desumpta,& communi omnium SS. Pa-
trum ac Theologorum & Conciliorum, quotquot de Verbi Incarnatione agunt, sen-
tentia, & denique totius Ecclesiæ Catholicæ consensu firmata, quæ in Officio Purifi-
cationis B. Mariæ, in octauo Responsorio, de Iesu ait: *Quem virgo concepit, virgo pepe-*
rit, virgo post partum, quem genuit, adorauit. Et aliàs sæpissimè in diuinis Officiis, Ma-
riam appellat semper Virginem. Neque prædictis obstat, quòd Matthæi cap. 1. vers. 18.
dicitur: *Cùm esset desponsata Maria Ioseph, antequam conuenirent, inuenta est in vtero ha-*
bens. & in fine eiusdem capitis: *Ioseph non cognouit eam donec peperit Filium suum primo-*
genitum. & Matth. cap. 13. vers. 55. & Marci c. 6. vers. 3. nominatim recensentur quat-
tuor fratres Domini. Ad has enim, & si quæ sunt eiusmodi aliæ obiectiones, cumula-
tissimè respondent S. Thom. par. 3. quæst. 28. art. 3. & alij Doctores ipsum secuti: nimi-
rum, illud *antequam conuenirent*, non arguere quòd posteà conuenerint, sed potiùs op-
positum: sicuti enim si quis diceret: Antequam audirem Missam, iter feci, non indica-
ret, quòd posteà Missam audierit; sed quòd sine auditione Missæ iter fecerit. ita illud:
Antequam conuenirent, inuenta est, &c. idem significat ac si dictum esset: Sine vlla præ-
cedenti copula carnali, inuenta est in vtero habens. Simili modo illud *donec*, licet ali-
quando significet, vsque ad certum tempus, & non vltrà, quemadmodum ad Galat.
cap. 3. vers. 19. dicitur: *Lex propter transgressiones posita est, donec veniret semen cui pro-*
miserat, &c. Interdum tamen in Sacro eloquio significare etiam solet, non solùm singu-
lariter vsque ad tempus, quod ibi videtur præfiniri, sed vlteriùs quoque vniuersaliter
vsque in infinitum, vt in Psal. 109. *Dixit Dominus Domino meo*, (id est Deus Pater Deo
& homini Christo filio eius) *Sede à dextris meis, donec ponam inimicos tuos scabellum pe-*
dum tuorum. Non enim vult dicere, quòd Christus tantummodò vsque ad hostium
subiugationem, sed signanter vsque ad illam, & insuper etiam vsque in sempiternum
sessurus erat ad dexteram Dei Patris. Et in Psal. 122. vers. 2. *Oculi nostri ad Dominum*
Deum nostrum donec misereatur nostri. Non indicat, quòd post consecutam misericor-
diam non eleuandi sint ampliùs oculi ad Dominum, cùm id etiam deinceps & semper
sit faciendum. Item Genes. cap. 8. vers. 7. vbi legimus: *Dimisit* (subaudi Noë) *coruum,*
qui egrediebatur, & non reuertebatur donec siccarentur aquæ. non arguit Sacer textus,
quòd post siccatas aquas reuersus sit coruus ad Arcam; immò quòd posteà reuersus
non sit, credere debemus, cùm nulla deinceps redeundi causa subesset. Sic illud, *Donec*
peperit filium, &c. significat & quòd speciatim ante partum non cognouit eam, & mul-
tò minùs post partum, quando certum est, ipsam non ampliùs peperisse. Præterea quòd
Christus dicatur primogenitus, non consequitur, quòd alios posteà habuerit fratres,
sed solùm quòd nullum habuerit fratrem ante se natum: nam constat in Scripturis sa-
cris, primogeniti appellatione comprehendi etiam vnigenitos. Quod inde patet, quia
primogeniti dicebantur qui primùm erumpebant è vulua; & hos omnes ac singulos
Lex Numer. c. 18. vers. 15. & 16. præcipiebat pretio siclorum argenti quinque esse re-
dimendos post vnum mensem (subaudi à natiuitate) quando adhuc omnino incertum
erat, num alij filij postmodum ex ijsdem parentibus forent nasciturі; & consequenter
num illi primogeniti essent etiam aliquando dicendi vnigeniti nec ne. Denique ad il-
lud de fratribus Domini in Euangelio nominatis, dicimus eos nequaquam de beatissi-
ma Christi Matre esse natos. Quomodo autem, & qua de causa dicti sint fratres Do-
mini, nos sub anno mundi 4082. num. 7. commodiùs declarabimus.

8. Sed quid dicemus de ætate Iosephi eius sponsi? Equidem non ignoramus, S. Epi-
phanium Hæres. 78. existimasse ipsum Ioseph prouectæ tunc admodum fuisse ætatis,
& octogesimum fortè annum excessisse. cui adstipulari videtur vetus & communis
pictorum consuetudo pingendi ipsum valdè senem; & Cardinalis Baronius in Anna-
libus

DE IOSEPHI AETATE, QVANDO DVXIT BEATISSIMAM VIRGINEM.

libus sub anno Christi 12. quamquam non audeat Epiphanij dictum astruere, tamquam quodammodò dubitatiuè prolatum; in ea tamen inhæret sententia, quòd tunc temporis Ioseph iam esset valdè grandæuus, tametsi putet eumdem etiam valdè fuisse robustum; ita vt de ipso pariter dici potuisset, quod de Aser legimus Deuter. cap. 33. vers. 25. *Sicut dies iuuentutis tuæ, ita & senectus tua.* De qua tamen re nihil certi videtur posse adferri. Contrà verò Cardinalis Toletus super Luc. cap. 1. Annotat. 59. oppositum probabilius putat. Et firmis sanè mouetur rationibus; præsertim verò, quòd prima positio causis desponsationis beatissimæ Virginis, quæ à sanctis Patribus adduci solent, & ipsemet ibidem Annotat. 55. retulerat atque explicauerat, admodum repugnare videatur. Nam posito, Iosephum fuisse valde senem; quòd simul etiam valdè robustus, & ad labores ac domestica ministeria gignendosque liberos aptus fuerit; res est de rarò contingentibus, nec gratis ac sine probato testimonio proferenda. Deinde proculdubiò sequerentur inconuenientia, quæ recenset loco citato Toletus dicens, quòd *nec bonæ Virginis apud homines opinioni consultum fuisset; quippe quæ ex tam prouecto sene concepisse, haud facilè ab omnibus credi posset. vnde & ab incredulis Iudæis calumniari Christus potuisset, quòd non esset de semine Dauid; & consequenter nec verus Messias in Lege promissus. Nec etiam sic partus eius celabatur diabolo. Prætereà ministeriis ad quæ electus fuerat S. Ioseph, nimirum vt beatæ Virgini & ipsi pariter Christo, in his quæ ad corporalem vitam spectant, deseruiret prouideretq́, tam prouecta ætas inepta videbatur; cùm ipse alieno potiùs obsequio indigeret, quàm aliis posset exhibere. Denique, hoc non parum excellentiæ virtutis & castitatis dicti Ioseph detraheret: quandoquidem (vt ait S. Basilius Oratione 8. de Temperantia & incontinentia) temperantia quæ est in senectute, non tam temperantia, quàm libidinis & incontinentiæ quædam est imbecillitas. Non igitur Iosephum ita grandæuum credimus, sed eius fuisse ætatis, quæ omnem falsam vitiosæ copulæ suspicionem impediret, & in qua facultas suppeditandi ministeria & obsequia filio matriq́ necessaria plurimùm vigeret: Nec est quòd quisquam suspicari aut obijcere audeat, propter periculum incontinentiæ, senem fuisse electum. Id enim affirmare, esset diuinæ gratiæ iniuriam inferre: nam qui eum ad tantam elegit dignitatem, eam potuit illi gratiam impartiri, & verè impartitus est, vt puritatem omnimodam consequeretur. Plus namque potest gratia quàm ætas; castiorq́ euadet quem gratia adiuuat, etiam in viridi ætate, quàm quem ætas longa, sine gratia, corporis viribus extenuat. Etenim S. Augustinus lib. 14. de Ciuit. c. 16. rectè dicit, Aliquando deficiente corpore, animi libido non deest. Contrà verò dicere possumus, Gratia Dei iuuante, etiam corpore vigente, & animi & corporis puritatem adesse. Quòd autem à pictoribus Ioseph in ætate senili depingi consueuerit, ad repræsentandam nobis eius castitatem factum est.* hactenus ex Toleto. Cuius sententiæ nos multò libentiùs subscribentes, satis probabiliter coniectare possumus, ipsum Ioseph fuisse annorum circiter triginta & octo, quando sibi sanctissimam Virginem desponsauit; quemadmodum iam sub anno mundi 3461. num. 1. dictum est.

NVM SPONSVS BEATISSIMAE VIRGINIS SEMPER FVERIT VIRGO.

9. Sequitur videndum, num idem Ioseph, quemadmodum & sponsa eius, virgo fuerit. Et quidem S. Epiphanius loco præcedenti numero citato non dubitauit asserere, ipsum tunc fuisse viduum; & iam ex defuncta priori vxore filios suscepisse, qui fratres Domini in Euangelio nuncupantur. Sed quia hæc opinio neque vlla efficaci ratione, neque firmo comprobari testimonio potest, & qui fratres Domini dicuntur, cuiusnam filij fuerint, nos sub anno mundi 4082. num. 7. dicemus: propterea credimus sentiendum potiùs esse cum SS. Hieronymo & Augustino, quorum alter aduersus Heluidium, alter Sermone 18. de Tempore, tenent, Iosephum fuisse virginem, ac deinceps quoque perpetuam pari cum sponsa consensu virginitatem seruasse. Id enim non istorum tantùm, sed & ipsiusmet S. Epiphanij doctrina suadere potest, qui ibidem tradit, Dominum passionis suæ tempore ideò Ioanni Euangelistæ beatam Virginem commendasse, quia ille virgo erat, & decebat virginem virgini commendare. Ex qua ratione (quæ adfertur etiam à B. Hieronymo lib. 1. Contra Iouinianum, & à S. Ambrosio lib. 1. de Institutione virginum cap. 7.) Cardinalis Toletus vbi suprà sic arguit: *Si ergo,* inquit, *Virgo commendata est Ioanni propter eius virginitatem, profectò non minùs decebat virgini virginem tradi in matrimonium; immò magis congruum id videbatur. nam Ioanni data est in matrem, qui titulus aufert omnem inhonestatis suspicionem; at Iosepho data est in sponsam, qui titulus copulæ coniecturam admittit; maximè cùm matrimonij tempore, beata Virgo fuerit adolescens, non autem tempore passionis. Vt igitur castitas omnino comprobaretur, virgini virgo tradenda erat. Et ita tenendum est.* sic Toletus. Qui etiam super Ioan. cap. 2. Annotat. 18. eamdem sententiam, quòd scilicet Ioseph semper virgo fuerit, confirmat etiam auctoritate S. Bernardi Homil. 2. super *Missus est*, & Bedæ in Ioan. cap. 2.

cap.2.& asserit hanc esse communem nunc inter Catholicos opinionem, eamque veram ac legitimam.

¶ 10. Ceterùm, quia ad Incarnationem Natiuitatemque Redemptoris, ipso donante pariter ac fauente, iam proximè accessimus; poterat fortè satis videri hactenus nos de Sacris Annalibus egisse, & hîc meritò terminus nostris hisce laboribus debuisse constitui: nam quæ reliqua sunt ad Sextæ mundi ætatis finem, ab omnibus ferè sacri Euangelij Expositoribus, præsertim verò ab iis, qui eamdem Euangelij historiam, ad ordinem quoque temporum reducere conati sunt, magnis voluminibus eruditissimè tractata fuerunt; inter quos præcipui habentur Cornelius Iansenius in suis Concordiæ Euangelicæ Commentariis, & Cardinalis Baronius in primo suorum Annalium Ecclesiasticorum Tomo, & nouissimè Franciscus Lucas Brugensis in Quattuor Euangelia. Verumenimuerò, tum ne nostrum hunc de Sexta mundi ætate Tractatum imperfectum mancúmve relinqueremus; tum quia in eo pauca quædam occurrent, in quibus nonnihil ab aliis dissentire cogimur; operæpretium duximus, ea quæ deinceps remanent vsque ad obitum Christi, hebdomadarumque Danielis expletionem; non modò summatim, more nostro; sed etiam multò breuiùs compendiosiusque percurrere; eos verò qui plura eademque latiùs explicata videre desiderant, ad memoratos Auctores libenter remittere.

CVR VLTRA DOMINICAM INCARNATIONEM AVCTOR PROGREDI VOLVERIT.

AB ORBE CONDITO ANNVS 4051. — SEXTÆ MVNDI ÆTAT. ANNVS 605.

☞ 1 ANNO sacro Hebræorum proximo circiter inchoante, mense à S. Ioan. Baptistæ conceptione sexto, vt S. Lucas Euang. cap. 1. vers. 26. attestatur; nimirum die vigesima quinta Martij, quemadmodum sancta obseruat Ecclesia, beatissima Dei Genitrix Virgo iam desponsata Iosepho, lætissimum de sua Saluatoris ineffabili conceptione, eiusque pariter admirabili natiuitate, nuntium cælitus accepit; vt idem sanctus ibidem narrat Euangelista. Et hîc obiter notandum est, non defuisse qui crediderunt, eamdem B. Virginem ea hora qua Christum concepit; suæ prædestinationis, & super omnes Angelorum choros exaltationis certam indubitatamque reuelationem diuinitus accepisse. Quæ opinio eò probabilior videtur, quod etiam ex Cantico ipsiusmet beatissimæ Virginis, quod paucis pòst diebus in domo Zachariæ cecinit, haud obscurè elici & confirmari posse videatur. siquidem illa verba: *Fecit potentiam in brachio suo: Dispersit superbos mente cordis sui. Deposuit potentes de sede, & exaltauit humiles.* Hæc, inquam, verba, quæ proculdubiò principaliter de ruina Angelorum sunt accipienda; quid aliud indicant, nisi quòd quemadmodum olim Deus potentissimum superbissimumque Luciferum cum suis sequacibus de altissima illa qua donatus fuerat cælesti sede (erat enim super omnes alios creatos spiritus eminentissimus) deposuerat, & ad inferna depresserat; ita humillimam Virginem vtique super omnes Angelorum choros, atque adeò super omnem puram creaturam exaltauit; hoc est, exaltãdam fore eidem manifestauit, quando de ipsa carnem assumere dignatus est. Quod sanè mysterium proclamare videtur sancta mater Ecclesia in Responsorio, quod ex Breuiario Romano, pòst secundam Matutini Lectionem, in festo omnium Sanctorum canit in hæc verba: *Beata es virgo Maria, Dei genitrix, quæ credidisti Domino; perfecta sunt in te quæ dicta sunt tibi: ecce exaltata es super choros Angelorum.* Est enim ac si dicere voluisset: Ecce iam impleta est illa tua super omnes Angelorum choros exaltatio, quam diuinitus præcognouisti quando credidisti Domino tibi per Angelum denũtianti Dominicam conceptionem. Dixi Dominicam annuntiationem accidisse die 25. Martij, & consequenter in Æquinoctio Verno. quæ assertio confirmari etiam potest auctoritate SS. Augustini Serm. 18. de Natiuit. Domini, & lib. 83. Quæstionum, quæst. 56. & Ioan. Chrysostomi Homil. de Natiuit. S. Io. Baptistæ ex Luc. cap. 1. & Athanasij quæst. 17. ad Antiochum, & Bedæ super Luc. c. 1. & Ruperti lib. 3. de Diuinis Officiis cap. 19. & aliorum; & Concilij Florentini, vbi in Decreto Eugenij IV. prope finem præscribitur Armenis, vt eo die celebrent festum Dominicæ Annuntiationis. Io. Lucidus in lib. de Vero Passionis die cap. 12. affirmat, eodem die quo conceptus est Christus, incidisse Neomeniam seu Nouilunium primi mensis Hebræorum qui dicitur Nisan. Quod num ita sit, Astrologis discutiendum relinquo: nam S. Io. Chrysostomus sub finem citatæ Homiliæ putat fuisse Lunam 15. hoc est, Plenilunium, quando Christus conceptus fuit, sicuti & posteà quando est mortuus. Sanè si Lucidi positio

DE DOMINICA ANNVNTIATIONE.

sitio vera est, vtique possumus cum ipso dicere, Christum conuenientissimè conceptum fuisse in die coniunctionis Lunæ cum Sole, quoniam ipse verus Sol iustitiæ tunc
QVA FERIA. Lunæ, hoc est Mariæ Virgini coniunctus est per carnis assumptionem. Qua verò hebdomadæ Feria eadem Annuntiatio facta fuerit, non conuenit inter Auctores. Multi enim eam ponunt in Feria sexta; Quia, inquiunt, conueniens fuit, vt ea Feria, qua creatus fuerat primus Adam, eadem quoque crearetur secundus, quem postea constat eadem die hominem in primo Adamo perditum redemisse: sed tales conuenientiæ non admodum vrgeri debent; quoniam fieri potest, vt aliis de causis aliter factum fuerit. vnde, his non obstantibus, S. Augustinus Serm. 18. proximè citato dicit, Christum fuisse conceptum die Dominico, eo scilicet die, quo posteà resurrexit à mortuis. Quare de
QVA HORA. hac re nihil certi affirmare possumus. De hora autem memorati diei in quam inciderit Angelica salutatio & Verbi incarnatio, varia pariter est Doctorum opinio: nam alij eam summo manè, alij serò, alij media nocte factam existimant. Et postremam hanc sententiam, post Petrum Messiam lib. 2. Siluæ cap. 32. nonnulli alij graues Auctores tenuerunt: nec leuibus sanè fundamentis niti videntur, nimirum primò, quia Sapien. cap. 18. vers. 14. legimus: *Cùm enim quietum silentium contineret omnia, & nox in suo cursu medium iter haberet, omnipotens sermo tuus de cælo à regalibus sedibus durus debellator in mediam exterminij terram prosiliuit.* Deinde, quia verisimile est, inquiunt, Christum ea noctis hora fuisse conceptum, qua postmodum est natus, videlicet, in media nocte, vt sic nouem præcisè mensibus in vtero mansisse comperiatur; quod ad conceptionis perfectionem pertinere existimant. Et denique, quoniam videtur verisimile B. Virginem in secretiori loco domus suæ maiorem noctis partem in diuina contemplatione transigere consueuisse; & propterea putant tempus illud, propter quietem, silentium, & secretum noctis, fuisse aptissimum vt in eo mysterium hoc fieret. Sed, vt verum fatear, mihi non videtur tempestiua opportunáve illa hora, ad eiusmodi apparitionem Virgini faciendam; quoniam fit admodum credibile, eam honestatis gratia solitam fuisse ante matrimonium cum Iosepho contractú, noctu non extra solitum cubiculum commorari, sed neque in eo sine vna aut altera comite diutiùs permanere. vnde si sola ab Angelo inuenta fuit (vt cum S. Ambrosio lib. 2. in Lucam sancta tenet Ecclesia) multò probabilius est, & Virgini conuenientius, vt non noctu, sed interdiu illa salutatio facta fuerit; præsertim cùm certissimum sit, eam non tempore nocturno tantùm, sed diurno quoque orationi ac diuinæ contemplationi certis potissimùm horis vacare consueuisse. Nec obstant Sapientiæ verba in contrarium adducta; quia sicut benè possunt diuinæ Incarnationi, ita & Natiuitati accommodari; nimirum, respectu termini à quo, Incarnationi, (siquidem dicimus tunc Deum de cælo venisse;) & respectu termini ad quem, Natiuitati: tunc enim, & non priùs, Deus in terris visus est. Et scimus, S. Ecclesiam eadem verba non Incarnationi, sed Natiuitati accommodasse in Antiphona quæ ad Magnificat Dominicæ infra octauam Natiuitatis in Breuiario Romano, verbis licet nonnihil mutatis, eumdem tamen sensum exprimentibus ponitur. Et experientia ipsa docet, nihil referre ad conceptionis conceptíve perfectionem, quòd partus sequatur paucis horis ante vel post noni mensis expletionem. Nec illi nouem menses punctuatim & Mathematicè sumi debent, sed moraliter. Itaque conuenientius videtur dicere, Dominicam Incarnationem non media nocte, sed vel summo manè, vel sub finem diei fuisse factam, vt habent aliæ duæ opiniones. Et quidem illa quæ ponit eam primo diluculo, quam tenuerunt Albertus Magnus super *Missus est*, & sanctus Antoninus Summæ Theologicæ Part. 4. tit. 15. cap. 9. §. 4. nulla alia videtur ratione fulciri, nisi quòd eo tempore humana mens ad diuina percipienda aptior esse videatur, & quòd tunc præcipuè beatissima Virgo diuinis contemplationibus vacare solita fuisse credatur; & item, quòd ea circiter hora olim manna, quod Christum figurabat, è cælo descendisse legatur Exod. cap. 16. vers. 13. verumtamen, quia non est necesse quòd figuræ adamussim per omnia respondeant figurato; & quia beatissima Virgo propter diuinæ gratiæ plenitudinem, omnibus horis atque momentis aptissima erat ad diuina quæque percipienda; &, vt diximus, non manè tantùm, sed aliis quoq; temporibus orationi vacabat plus minúsve, non ratione temporis, sed prout à Spiritu sancto agebatur: propterea potius dicendum videtur, quòd Incarnatio Saluatoris facta sit ad vesperam, nocte scilicet illicò superueniente; tum quia illa hora huic mysterio conuenientior videbatur, quandoquidem Christo de cælesti luce ad has inferiores tenebras venienti, quasi nox superuenire dici poterat; tum quia huius opinionis fuit etiam sanctus Bonauentura, qui non sine diuino instinctu (vt ob eius sanctitatem credere par est) firmi-

firmiter tenens, B. Virginem sub finem diei ab Angelo annuntiatam, Deum pariter & hominem concepisse, curauit (quemadmodum in eius Vita describitur) cùm esset Generalis sui Ordinis Rector, vt in omnibus Ecclesiis sibi subiectis, eadem hora vespertina quotidie daretur sono campanæ signum, quo audito cuncti eius Fratres genuflexi recitarent Salutationem Angelicam in honorem sanctissimi huius mysterij, & inducerent sæculares ad idem faciendum. Qui mos (quod nemo inficiatur) exinde receptus dicitur in tota sancta Dei Ecclesia, ipso summo Pontifice consentiente & approbante. Ex quo facto vtique satis firmum videtur desumi posse argumentum, quòd dicta hora Annuntiatio Angelica & Christi conceptio verè factæ fuerint: siquidem credibile est, quòd Spiritus sanctus, qui nec falli nec fallere potest, & cuius nutu Dei Ecclesia gubernatur & regitur, vt comprobaret à se inspiratum fuisse S. Doctorem ad sic sentiendum, & ad ea quæ diximus præstanda, posteà eamdem Ecclesiam & summum Pontificem induxerit ad illius doctrinam sanctamque institutionem probandam ac recipiendam. Quare, cùm nihil aliud cogat nos aliter sentire, proculdubiò videtur, in rebus præsertim alioquin valdè obscuris, eiusmodi sanctis manifestationibus ab Ecclesia receptis, maiorem fidem esse adhibendam, quàm quibúsvis aliis humanis rationibus. Nec refert quòd deinde, nescio quo modo, introducta fuerit consuetudo dandi quoque dictum signum summo manè, & multis in locis etiam in meridie; & quòd tribus hisce temporibus à multis, præsertim verò à plebe, idem mysterium Angelica Salutatione coli soleat; quia id fit, non quòd de certa hora non constet, neque quòd non esset alia hora commodior dandi omnibus eiusmodi signum, neque quòd intentio Ecclesiæ sit, vt semper tribus illis horis Christi adoretur Incarnatiò (siquidem, vt diximus, meridianum signum non vbique semper, sed alicubi Feria sexta tantùm dari solet, idque non ad conceptionem, sed ad passionem Christi deuotè recolendam. Cur ergo, dicet aliquis, pluribus in locis ter in die prædictum signum dari consueuit? Non alia, vt arbitror, de causa, nisi quia plerique peritiores constanter credunt, ex prædictis signis matutinũ dari ad honorem Dominicæ Resurrectionis, quam eo circiter tempore contigisse certissimum est. Meridianum verò, ad piè recolendam Domini passionem ac mortem, quæ per idem tempus facta est. Serotinum autem, ad venerandam, vt diximus, sacratissimam æterni Verbi Incarnationem, quam tunc contigisse, ex supradictis existimant. Et ideò non semper eodem modo orare solent; sed summo manè, loco illorum versuum qui ad signum vespertinum dicuntur, *Angelus Domini*, &c. dicũt: *Regina cæli lætare, alleluia: Quia quem meruisti portare, alleluia. Aue Maria*, &c. *Resurrexit sicut dixit, alleluia, Ora pro nobis Deum, alleluia. Aue Maria*, &c. *Gaude & lætare virgo Maria, alleluia: Quia surrexit Dominus verè, alleluia. Aue Maria*, &c. *Deus, qui per resurrectionem filij tui Domini nostri Iesu Christi mundum lætificare dignatus es; præsta quæsumus, vt per eius genitricem virginem Mariam, perpetuæ capiamus gaudia vitæ. Per eumdem Dominum nostrum*, &c. In meridie autem, inter trinam Salutationem Angelicam, eodem modo distributiuè recitant hos vel eiusmodi versus, videlicet, ante primam, *Videte si est dolor similis sicut dolor meus.* ante secundam, *Verè languores nostros ipse portauit.* ante tertiam, *Christus pro peccatis nostris passus & mortuus est. Respice quæsumus Domine, super hanc familiam tuam, pro qua Dominus noster Iesus Christus non dubitauit manibus tradi nocentium, & crucis subire tormentum. Qui tecum viuit & regnat*, &c. Denique in sero dicunt solitos versus: *Angelus Domini*, &c. alternatim cum tribus Salutationibus Angelicis, & Oratione, *Gratiam tuam, quæsumus Domine, benignus infunde*, &c.

2. Itaque, vt ad rem redeamus, die 25. huius de quo nunc agimus anni, hora diei postrema propè completa, cùm illa temporis plenitudo aduenisset, in qua diuini consilij inscrutabilis altitudo ab ęterno disposuerat, vnigenitum sempiternumq; Dei Filium, pro salute hominum, hominem fieri, vt sacratissima sua passione ac morte pro cunctis reatibus humanis diuinæ iustitiæ grauiter offensæ plenè satisfacere posset, diuinamque pariter imaginem ac similitudinem in homine, inuidia diaboli deturpatam ac pænè deperditam, suomet tam mirabili humilitatis exemplo ac cælesti prædicatione reparare; delegissetque propterea virginem, omnium quæ tum essent, aut vmquam fuerant, erúntve, sanctissimam, quæ vera mater Dei diceretur foretque: misit ad eam Archangelum Gabrielem, vnum de primatibus aulæ cælestis spiritibus, qui ei diuina hæc aperiret consilia, nuntiaretque mysteria. Cui cùm Virgo consensum humillima sui in Deum resignatione præbuisset illis verbis: *Ecce ancilla Domini, fiat mihi secundùm verbum tuum*; protinus in castissimo semperque intacto eiusdem Virginis vtero, ex purissimis eius sanguinibus, cooperante mirabiliter ineffabili Spiritus sancti virtute, forma-

formauit Deus humanum fetum, virileque corpusculum per omnia elegantissimum ac perfectissimum; atque eodem pariter tempore summus ille omnium Opifex, qui quotidie tot animarum humanarum millia creare corporibusque infundere non desinit, tunc vnam omnium præstantissimam, omniumque donorum & gratiarum naturalium ac supernaturalium plenitudine cumulatissimè refertam ac supereffluentem produxit, dictoque corpusculo indidit; necnon in eodem humano animatoque conceptu simul & semel diuinam humanamque naturam hypostaticè (vt Theologorum more loquar) siue personaliter, vinculo prorsus indissolubili, vsqueadeò copulauit, vt (quod omnem humanum Angelicumque superat captum) vna eademq; vnigeniti coæternique Filij Dei persona, simul Deus & homo verè diceretur, & esset: *ita vt* (quemadmodum optimè tradit S. Leo Papa in Sermone 7. de Natiuitate Domini) *in vtraque natura, diuina scilicet & humana, idem sit Dei Filius nostra suscipiens, & propria non amittens: in homine hominem renouans, in se incommutabilis perseuerans. Deitas enim, quæ illi cum Patre communis est, nullum detrimentum omnipotentiæ subiit, nec Dei formam serui forma violauit: quia summa & sempiterna essentia, quæ se ad humani generis inclinauit salutem, nos quidem in suam gloriam transtulit, sed quod erat, esse non destitit. Vnde cùm Vnigenitus Dei minorem se Patre confitetur, cui se dicit æqualem; veritatem in se formæ vtriusque demonstrat; vt & humanam probet imparilitas, & diuinam declaret æqualitas.* hæc ille. Licet ergo Deus, vt dictum est, nostra susceperit, siue (vt dicitur in Symbolo S. Athanasij) in se humanitatem nostram assumpserit; siue (vt ait Theodotus in Concilij Ephesini tom. seu lib. 6. cap. 10. adductus) humanæ naturæ incommoda susceperit, propriam tamen naturam non demutauit. Sed cùm dicimus, Deum incarnatum, seu Deum assumpsisse humanitatem vel hominem, vel habitasse in homine, nemo miretur; nemo hominem domicilium Deo indignum censeat; nemo dicat in corde suo: Nónne magis decebat, vt cælum ipse incoleret? Nam, vt apposite aduersus talia cogitantem disputat proximè citatus Auctor: *Dic quæso*, inquit, *vtrum sublimius, cælúmne an homo? Non mihi iam elementorum splendorem attendas, non coloris elegantia rerum naturas diiudices, non coruscantis solis radios obstupeas; non te moueat, quòd ego, iuxta diuinum Iob, pelle & carne indutus sum; sed intelligentis animæ excellentiam consideres, venustamq; humani corporis constitutionem contueare. Vnum hoc animal ceteris omnibus animantibus dominari ac imperare posse demirere. Manus sortitus est mentis intelligentiæ ancillatrices, quibus tamquã communibus quibusdã organis, omne artificij genus exercere potest. Solum hoc animal inter cetera omnia liberum conditum est. Solum enim hominem sui arbitrij, suæq; voluntatis dominum constituit Deus. Nónne cernis solem naturali quadam vi adactum volui? Nónne constantem semperq; sibi similem illius conuersionem aduertis? cur autem eodem semper modo circumagitur? Quia iudicium non habet. Tu autem productus es liber, facis quod lubet, necessitatem, quæ te vi impellat, nullam pateris. liberum est animi tui iudicium. Sol famulatur necessitati, homo sententiam sortitus est liberam. Iam dic obsecro, vter præstantior est, seruus ne an dominus? necessitatis iugo subiectus, an ab omni necessitate immunis? Nihil igitur mirum, nihil incredibile, nihil nouum, si in homine habitauit Deus, quem ad suam imaginem formatum beneuolè mox complexus est: suum namque erga hominem consilium in ipso statim creaturæ primordio declarauit.* hæc citatus Auctor, qui post pauca subinfert: *Est ergo pranobile animal homo, licet passionibus posteà debellatus magna ignominia mulctatus sit. Non enim iam prolapsum & conquassatum spectare oportet; sed illustri illa Dei imagine ac similitudine ante Legis transgressionem ornatum. Cur ergo primæuæ institutionis illius oblitus, honoremq; quo initio cumulatus fuerat, nullius esse ratus, prolapsum deprimis? cur consauciatum aspernaris? cur clementissimum Deum propria imagine assumpta pristinam dignitatem munificentissimè cumulatissimeq; illi denuò restituisse non perpendis? Nihil proinde ab illius benignitate alienum admissum est. Neque enim turpe est clementi domino, si in serui vtilitatem, in quibusdam seruilibus cum seruo communicet: siquidem boni fama per huiusmodi non offenditur, sed qualis nam sit, per id genus officia deprehenditur. Nec est quòd multùm hac de causa mireris: si enim dignum Deo habitaculum te ipsum constitueris, in te quoque habitatum descendet, etiamsi non ad eum modum, quo in Christum. In Christo namq; omnis Diuinitatis plenitudo corporaliter inhabitat. Sed, oh rei miraculum! tota Diuinitatis plenitudo in vno habitat corporaliter, & nihilo tamen seciùs reliqua omnia adimplet; & ita implet, vt vniuersam creaturam excedat. Totus existit in vno, & à nulla interim creatura separatur. Neque quod hîc dicitur, tibi impossibile videatur. Etenim ego quoque verbum nunc profero, & hoc ipsum verbum totum est in vno, & totum rursus in omnibus. Totum hoc verbum hausit vnus, neque ab vlla audientium multitudine ita circum-*

CVR HOMO NON SIT DOMICILIVM DEO INDIGNVM.

circumscribitur, quin singuli hauriant totum. Si itaque res ortui occasuiq; obnoxia tota existit in vno, & tota nihilominùs comperitur in omnibus; quid mirum si Deus totus in cælo, & totus rursum inuenitur in omnibus? hactenus ille. Nos autem ad Christum in vtero Virginis manentem accedamus.

3. Neque verò idem Saluator noster, vt ceteri homines, veluti animal quoddam rationis expers, densissimis ignorantiæ tenebris mersus manebat in vtero Virginis, sed omnem habens cognitionem, non secùs ac quando posteà vir factus est; quemadmodum colligitur ex B. Augustino lib. 2. de Peccatorum meritis & remissione, cap. 29. & fusiùs præclareque admodum tradit S. Bernardus Homil. 2. super *Missus est*; exponens Propheticum illud Ieremiæ dictum cap. 31. vers. 22. *Nouum creauit Dominus super terram, femina circumdabit virum.* Idem colligunt alij ex illis Isaiæ cap. 11. vers. 1. verbis: *Et egredietur virga de radice Iesse, & flos de radice eius ascendet. Et requiescet super eum Spiritus Domini: Spiritus sapientiæ & intellectus, Spiritus consilij & fortitudinis, Spiritus scientiæ & pietatis, & replebit eum Spiritus timoris Domini.* siquidem, vt exponit S. Hieronymus, virga de posteris Iesse patris Dauid, proculdubiò fuit beatissima Virgo Maria; quæ produxit florem, hoc est Christum, qui dicit Cant. cap. 2. vers. 1. *Ego flos campi.* Et quia idem Christus in Psalm. 131. vers. 11. appellatur etiam fructus, *De fructu ventris tui ponam super sedem tuam*; ideò, inquiunt, possumus conuenienter accipere, ipsum dici florem in sua conceptione, & fructum in sua natiuitate. Si ergo super hunc florem, id est super Christum conceptum requieuit Spiritus sapientiæ & intellectus, &c. profectò consequitur, quòd ipse Christus, etiam in vtero Virginis manens, fuerit plenus sapientia aliisque memoratis donis. Quare quòd totos illos nouem menses, quatenus homo, in continuis apud Deum orationibus transegerit, dubitare non debemus; tum gratias Deo immensas agens, quòd se secumque humanum genus ad tantam altitudinem euexisset; tum ipsi Deo commendans opus nostræ redemptionis, quod perficere intendebat. Nam cùm idem verus Deus verusque homo, secundùm hominem agnouisset maximum hoc Dei beneficium in primo suæ productionis instanti; non vt olim infelix Lucifer in superbiam elatus, rapinam arbitratus est esse se æqualem Deo; sed probè intelligens Deum se solum ex vniuersis creaturis sibimet æqualem fecisse, vt genus humanum passione morteque sua ab interitu vindicaret; accepissetq; in eodem primo suæ conceptionis instanti, ab æterno Patre suo præceptum ponendi animam suam, & iterùm sumendi eam, vt dicitur Ioan. cap. 10. vers. 18. hoc est, moriendi & resurgendi pro nostra omniumque salute. *Tunc*, inquit, *dixi: Ecce venio: in capite libri* (subaudi, vitæ, seu viuentium) *scriptum est de me, vt faciam voluntatem tuam: Deus meus volui, & legem tuam in medio cordis mei:* Psalm. 39. vers. 7. & 8. & vt idem Psaltes in Psalm. 18. vers. 6. ait: *Exultauit vt gigas ad currendam* hanc *viam*; & quemadmodum docet Apostolus ad Philip. cap. 2. vers. 7. *semetipsum exinaniuit, formam serui accipiens.* Atque ita post tam longas ergastuli illius angustias libentissimè toleratas, deinceps obedientiam vsque ad mortem, mortem autem crucis, itemque humilitatem obedientiæ matrem, necnon etiam paupertatem, præcipuum humilitatis incentiuum, in ortu obituque, ac in omni vita sua miro quodam modo tenuit; ac si non naturalis Dei Filius, sed homo obscurus, vel etiam, vt ipsemet per Prophetam prædixerat, vilissimus vermis, & non homo extitisset. Sic originem illam omnium malorum superbiam destruens, eius quoque illecebram rerum omnium abundantiam, simulque huius sæculi voluptates, aspernandas esse, suo nos priùs exemplo, mox etiam prædicatione docuit. Igitur in venerabili Saluatoris conceptione, quædam omnino supra naturam, quædam verò naturaliter & iuxta humanam consuetudinem acta sunt. Nam quòd Christus in vtero Virginis, non vt ceteri fetus, ex commixtione seminis viri ac mulieris, ab hoc (vt aiunt Physici) corpus, ab illo autem figuram accipientes, factus sit; sed ex virgineo semine corpus, & ab eo qui dat virili semini vim figurandi fetum, hoc est immediatè à Deo, figuram acceperit; siue quod idem est, de Spiritu sancto (quemadmodum in Symbolo docet palamque sancta Catholica profitetur Ecclesia) fuerit conceptus: & item, quòd non quadraginta circiter diebus, vt communiter ceteri, sed statim ac beatissima Virgo verba illa pronuntiauit: *Ecce ancilla Domini*, &c. formatus ac perfectè organizatus in eius vtero sit sacratissimus ille fetus, eique pariter anima humana Diuinitasque indissolubiliter vnita fuerint: & denique quòd quantumuis indies fetus naturaliter augeretur, venterque Virginis intumesceret, nullatenus tamen eam grauaret. Hæc certè & si quæ sunt eiusmodi alia, omnem superant naturæ facultatem, & à sola Dei omnipotentia proficisci fierique potuisse, certis-

DE MANSIONE DOMINI IN VTERO VIRGINIS.

certissimum est. Itaque nemini mirum videri debet, quòd Deus, qui (vt diximus) semini virili dat vim formandi fetum in vtero mulieris, ipsemet propria virtute, & sine vllo semine fetum formauerit in vtero virginis: quandoquidem suprema illa causa causarum, quæ dat virtutem omnibus secundariis causis producendi ordinariè suos effectus, benè potest supplere vices earum, & eosdem effectus ipsa sine illis, quando vult, mirabiliter producere. Sic ab initio mundi Deus antequam Solem pluuiasque crearet, quæ sunt secundaria plantarum efficiens causa, herbas aliasque omnis generis plantas oriri fecit in terra, vt nos sub die mundi 4. num. 2. diximus. Et certum est, quòd prima cunctarum specierum animalia non per propagationem, vt postmodum cetera, sed solo diuinæ voluntatis imperio sunt facta. Qui ergo primum Adamum sine patre & sine matre de terra formauit, vtique potuit eadem facilitate & secundum sine patre ac virili semine de beatissimæ Virginis sanguinibus procreare. Quòd autem idem fetus ex ipso matris semine, & ex purissimis eius sanguinibus in vtero materno, ad modum ceterorum fetuum coaluerit, & quòd duabus membranis eidem vtero ex parte annexis, tamquam pullus in ouo contectus manserit; & quòd vt solent plantæ à terra per radices, sic ipse nouem mensium spatio à matre vitales spiritus nutrimentumque attraxerit per duas venas totidemque arterias inuicem copulatas, quæ ab vno quidem ipsorum capite in plurima ac tenuia vasa distinguebantur, atque dictis membranis ac secundinis vteroque materno iungebantur; ab altero autem capite per dicti fetus vmbilicum ingredientes partim ad iecur, partim ad cor ipsius distendebantur: hæc proculdubiò, & his similia, naturaliter facta esse, nemo est qui neget. & propterea etiam negari nullo modo potest, quin ipse Iesus fuerit verus ac naturalis filius dictæ beatissimæ Virginis. Congruum ergo fuit, vt ad fetum Christi, qui Deus pariter & homo erat, formandum, diuina pariter & humana, vt dictum est, operatio concurreret.

DE VISITATIONE BEATISSIMAE VIRGINIS FACTA AD ELISABETH

4. Eodem tempore, nimirum Saluatore concepto, beatissima Virgo, non cum Iosepho sponso, vt aliqui perperàm arbitrati sunt, (alioquin ex Elisabethæ vaticinio ipse didicisset sponsam suam iam de Spiritu sancto concepisse, nec opus fuisset, vt post Mariæ reditum de hac re in somnis ab Angelo edoceretur) sed, vt credibile est, de eiusdem sponsi sui licentia, & cum vna aut altera comite, honestatis gratia, abiit in montana in ciuitatem Iuda, hoc est in Hebron, vel in vnam aliam ex ciuitatibus tribus Iudæ sacerdotalibus Iosue cap. 21. vers. 13. vsque ad 17. recensitis, ad visendam salutandamque cognatam suam prægnantem Elisabeth Zachariæ Sacerdotis ibidem morantis vxorem. *Factum est autem* (inquit S. Lucas cap. 1. vers. 41.) *vt audiuit salutationem Mariæ Elisabeth, exultauit infans in vtero eius, quasi salutās* (vt ait S. Augustinus Serm. 13. de Temp. cap. 3.) *ex vtero in vtero Saluatorem*. Cuius exultationis causa fuit, quòd fortè tunc primùm ipse Ioannes sanctificatus in vtero matris fuerit, atque in eodem instanti Christum verum Deum & hominem, suumque sanctificatorem præsentem agnouerit, ab eoque simul rationis vsum acceperit, quem deinceps perpetuò retinuit. vnde dubitare non possumus, quin exinde plurimos fidei, spei, charitatis, aliosque religionis actus exercere consueuerit, præsertim toto illo tempore, quo ibidem mansit beatissima Virgo Deo plena; nimirum ipsius Christi eiusque sanctissimæ Matris præsentia ad eos frequentiùs ac feruentiùs exercendos excitatus atque adiutus. Porrò Elisabeth exultantem in vtero suo fetum sentiens, & prophetico acta Spiritu, ipsa quoque eidem Virgini prædixit, proculdubiò implenda fore quæ dicta ei fuerant à Domino. Quod audiens Virgo Deo plena, confestim cecinit præclarum illud Canticum, cuius initium est: *Magnificat anima mea Dominum*, & quæ sequuntur: ibique posteà mansit tribus ferè mensibus, nimirum in oratione ac humilibus cognatæ suæ obsequiis iugiter occupata: & mox reuersa est in domum suam, vt narrat sanctus Lucas cap. 1. vers. 39. vsque ad 57.

QVAMDIV IBI MANSERIT.

¶ 5. An verò ante vel post natum S. Ioannem redierit, controuersum est inter Doctores tum veteres, tum etiam recentiores. Nec desunt rationes hinc inde satis probabiles. Et prior quidem opinio videtur Euangelicæ narrationi magis congruere, quæ apertè priùs ponit reditum beatissimæ Virginis, quàm natiuitatem sancti Ioannis. Nec satisfacit cum alterius opinionis sectatoribus dicere, Scripturam sacram in rebus describendis non semper seruasse ordinem temporum: quoniam tametsi id verum sit, (interdum enim præpostere aliqua narrat per figuram quam vocant recapitulationis) attamen non videtur hîc dicendum eam anticipasse narrare reuersionem Mariæ; quia id ex nullo alio Scripturæ sacræ loco probari potest; & quando nihil aliud obstat, semper

per debemus ſupponere, Scripturam ſeruaſſe temporis ordinem; alioquin omnia confundi poſſent. Prætereà ſi menſe ſexto (ſubaudi, deſinente, vt paulò pòſt probabitur) à conceptione S. Ioannis, vt ait S. Lucas, Maria perrexit in domum Zachariæ, & ibi manſit quaſi tribus menſibus, id eſt aliquid minus (ſic enim illud *quaſi* in communiori ac magis vſitata ſignificatione accipi ſolet, & hìc accipiendum videtur, vbi nihil aliud eſt quod cogat nos aliter illud interpretari) vtique videtur conſequi, eam ibidem non manſiſſe vſque ad S. Ioannis natiuitatem, quam proculdubiò credendum eſt non fuiſſe immaturam, ſed debito tempore factam, videlicet, nouem ab eius conceptione decurſis menſibus: præſertim cùm probabile ſit, quòd, vt multi ſitiunt, beatiſſima Virgo poſt Angelicam Annuntiationem non diſtulerit ire ad cognatam ſuam, ſed protinus feſtinauerit iter illud ſuſcipere. Quod etiam planè indicant illa S. Euangeliſtæ verba: *Exurgens Maria, abiit cum feſtinatione*, &c. Dixi Ieſum conceptum fuiſſe menſe à Ioannis conceptione ſexto tunc deſinente; quia ſi à die 25. Martij, in qua (vt S. Eccleſia tenet) conceptus fuit Dominus, ad natiuitatem S. Ioannis, quæ contigit die 24. Iunij, interſunt menſes tres ferè pleni; certè oportet à conceptione Ioannis ad conceptionem Chriſti interceſſiſſe menſes ſex integros; & quod illa S. Euangeliſtæ verba; *Et hic menſis eſt ſextus*, neceſſariò exponenda ſint de menſe ſexto completo, vel ſaltem tunc deſinente. Igitur ſi beatiſſima Virgo non manſit tres menſes plenos in domo Zachariæ, videtur non potuiſſe ibidem eſſe quando natus eſt S. Ioannes. Hanc eamdē ſententiam quidam non ineptè confirmant, adducentes cauſam ſatis probabilem, cur beatiſſima Virgo non manſerit in domo Eliſabethæ tempore partus eius; nimirum, quia, vt erat prudentiſſima, & diuino afflata Spiritu, benè nouerat, quòd tunc temporis plurimę aliæ mulieres & viri ad eam domum confluere dedebant, vt congratularentur parentibus de puero nato, quemadmodum poſteà reipſa eueniſſe ex Euangelio habemus Lucæ cap. 1. verſ. 58. ipſa verò ſanctæ ſolitudinis deſiderio, & ſublimiſſimæ cuiuſdam ſpiritualis pudicitiæ ac puritatis ſtudio; & ne à diuinis colloquiis, & oratione ac contemplatione, aliiſque ſpiritualibus exercitiis, quibus iugiter vacare conſueuerat, impediretur, maluit bona propinquorum ſuorum venia aliquanto priùs diſcedere, & redire ad domum ſponſi ſui; præſertim cùm videret cognatæ operam ſuam non eſſe neceſſariam. Ex alia verò parte, cùm certum ſit (vt aiunt Terræ ſanctæ Deſcriptores) à Nazareth ad Hebron, ſeu ad ciuitates Hebroni proximas, eſſe iter quattuor circiter dierum; & probabilius videatur, Mariam protinus quidem, ſed moraliter intelligendo, id eſt poſt duos aut tres ab eius Annuntiatione dies, abiiſſe; vt etiam non obſcurè indicat Sacer textus, dicens: *Exurgens Maria in diebus illis abiit in montana cum feſtinatione*, &c. Nam quod dicitur, *in diebus illis*, indicat, ipſam non ſtatim, ſed poſt aliquot dies abiiſſe. Quod verò ſequitur, *cum feſtinatione*, oſtendit, dies illos intermedios non fuiſſe plures, ſed admodum paucos. Illud enim *cum feſtinatione*, videtur magis debere referri ad ipſam itineris ſuſceptionem, quàm ad progreſſum; ita vt intra paucos quidem dies abire feſtinauerit: & tamen in via non inceſſu admodum concito (nam & aſcenſus montium, & viæ aſperitas, & aborſus periculum, præſertim circa ſuæ grauiditatis initia, id non patiebantur) ſed modeſto & graui, vt talem decebat virginem, iter illud confecerit. Vel ſi mauis illud *cum feſtinatione*, ad ipſam profectionem referre; poteſt rectè intelligi, ac ſi dictum eſſet, ſine vlla minùs neceſſaria vſpiam contracta mora. & ſic intelligendo, non videtur niſi ſexto vel ſeptimo die menſis, à conceptione Ioannis, ſeptimi, ad domum Eliſabethæ peruenire potuiſſe. Quod ſi verum eſt, vtique potuit beatiſſima Virgo manere in domo Zachariæ minus tribus menſibus, & tamen vidiſſe Ioannem ſub finem menſis noni iam natum; & poſteà eodem vel poſtero die, ad vitandam turbam concurrentium vicinorum & cognatorum, receſſiſſe. Et hæc opinio videtur probabilior. Nec obſtat dicere, quòd Scriptura ſacra priùs narrauerit receſſum Mariæ, & deinde cœperit narrare Ioannis natiuitatem; quia id fieri potuit, vt compleret priùs hiſtoriam Viſitationis Mariæ, quàm inciperet agere de natiuitate Ioannis. Vel dicendum eſt, quòd ex prædicto tempore, in quo probauimus Mariam perueniſſe in domum Zachariæ, poſſumus neceſſariò inferre, Scripturam ſacram hoc loco, ſicut & in aliis multis, non obſeruaſſe temporis ordinem. Ad confirmandam quoque hanc poſitionem, quòd ſcilicet Maria ante ſuum diſceſſum viderit Ioannem iam natum, faciunt conuenientiæ illæ & rationes non contemnendæ, quas adducit Cardinalis Toletus ſuper Luc. cap. 1. Annot. 134.

6. Quomodo autem Eliſabeth Luc. cap. 1. verſ. 5. dicatur fuiſſe de filiabus Aaron, & verſ. 36. vocetur cognata Mariæ, (quam fuiſſe de tribu Iuda, nos ſub anno mundi 4037.

QVOMODO BEATISSIMA VIRGO ET S. ELISABETH ESSENT COGNATAE.

di 4037. num. 2. satis superque probauimus) colligere possumus ex Hippolyto Martyre; cuius verba apud Nicephorum registrata, nos sub anno mundi proximè adducto num. 4. retulimus. Ex quibus fit manifestum, Annam beatæ Virginis matrem, & Sobe, quæ fuit mater ipsius Elisabeth, fuisse sorores, & Mathan Sacerdotis filias. Erant ergo beata Virgo & Elisabeth consobrinæ, nempe ex duabus sororibus natæ; quarum altera virò de tribu Leuitica, altera verò Ioachimo, qui erat de tribu Iuda, nuptui tradita fuerat; quo fit, vt Iesus & Ioannes secundi essent consobrini, de duabus primis consobrinis geniti; & nihilominùs Iesus & Maria essent de tribu Iuda, Ioannes verò & Elisabeth de tribu Sacerdotali & Leuitica.

S. PRAECVRSORIS ORTVS.

7. Eodem circiter tempore, nimirum die vigesima quarta Iunij, credimus natum esse sanctum Domini Præcursorem Ioannem Baptistam, cuius sanctam natiuitatem accuratè describit S. Lucas cap. 1. vers. 56. vsque ad finem capitis; & non multò postquam rediit B. Virgo Maria de domo Zachariæ ad domum sponsi sui Ioseph, intumescente nimirum iam ipsius Virginis vtero; contigit molesta illa eiusdem Iosephi dubitatio & hæsitatio de sponsa à se clàm dimittenda. Sed eam animi perturbationem ab eo penitus Angelica apparitio propulsauit, per quam certior factus est, Mariam de sancto Spiritu concepisse, & parituram mundi Saluatorem; ac propterea ei nomen IESVS esse imponendum: sic enim narrat S. Matthæus cap. 1. vers. 18. vsque ad finem. At verò Ioseph diuinæ reuelationi obsequentissimus, non quidem tunc primùm accepit Mariam coniugem, iam enim erat vir eius quando de ea dimittenda cogitauerat, vt testatur S. Matthæus cap. 1. vers. 19. Sed quam sibi priùs desponsauerat, & in coniugem acceperat, modò in domum suam & in communem viuendi societatem accepit, vel (vt ait S. Ioan. Chrysostomus Homil. 4. in cap. 1. Matth.) quam mente dimiserat, quando scilicet de diuortio deliberabat, modò retinere, & habere apud se voluit tamquam veram ac legitimam suam coniugem, non permixto corporis sexu, siquidem (vt ait idem S. Euangelista cap. citato v. 25.) non cognoscebat eam: sed custodito mentis affectu, quemadmodum optimè tradit S. Augustinus lib. 2. de Consensu Euangelistarum cap. 1. Et nihilominùs ipse Ioseph, vt diximus, reuerà erat verus ac legitimus Mariæ maritus, vt patet ex cap. Matth. adducto, vbi bis dicitur Mariæ vir, & latiùs probant S. Augustinus loco eius proximè citato, & lib. 1. de Nuptiis & concupiscentia cap. 11. & lib. 23. contra Faustum cap. 8. & S. Hieronymus non longè ab initio libri Aduersus Heluidium, vbi pluribus sacræ Scripturæ exemplis probat, sponsarum seu desponsatarum vocabulo, vxores siue nuptas designari. Et denique certum est, quòd matrimonium non copula, sed mutuus consensus facit (intellige explicitus, id est sufficienter vtrimque notificatus.) Quare oportet eumdem S. Hieronymum lib. 1. Commentariorum suorum in cap. 2. Matth. vbi de S. Ioseph dicit, *Quasi nutritius, non maritus*. non accepisse vocabulum mariti in sua propria & essentiali significatione; sed prout vulgò dici solet maritus, qui cum aliqua matrimonium non solùm contraxit, verùm etiam consummauit. & eodem modo in cap. 1. Matthæi, oportet eumdem S. Doctorem accepisse vocabulum nuptiarum, pro nuptiis copula consummatis: vbi exponens illa verba, *Virum Mariæ, de qua natus est Iesus*, dicit: *Cùm virum audieris, suspicio tibi non subeat nuptiarum*, subaudi, consummatarum; *sed recordare consuetudinis Scripturarum, quòd sponsi* post contractas & necdum consummatas nuptias, *vocentur viri; & sponsæ* similiter post contractas & nondum consummatas nuptias, *vocentur vxores*. Ita sanè exponenda sunt dicta S. Doctoris verba, ne sibi ipsi & aliis videatur aduersari.

IOSEPH QVANDO VOLVIT OCCVLTE DIMITTERE SPONSAM, AB ANGELO PROHIBITVS

8. Per idem tempus oportet Roma rediisse Ierosolymam Antipatrum Herodis filium, de quo sub anno præcedenti num. 1. agere cœperamus. Sanè hunc Rex, protinus ac ad se salutandum ingressus est, acriter obiurgatum, à se repulit; & sequenti die coram Varo Syriæ Præside, ibidem opportunè ad hoc aduocato, accusauit; ac parricidij per veneficia clàm intentati conuictum, in vincula tradidit; ac de his omnibus Cæsarem per Legatos ac litteras certiorem fecit. Cuius responsum dum expectat, nimirum, vt arbitror, mense huius anni sexto, idem Rex graui diuturnoque morbo corripitur; quo post aliquot menses admodum ingrauescente, tandem sub finem huius anni mortuus est, vt infrà num. 37. dicemus: interim testamento quod priùs condiderat bis correcto, nempe semel initio morbi, quando Antipatri nomine ab eo penitus expuncto, Regem post se scripsit Antipam; & iterùm morti appropinquans, quando pro Antipa heredem regni reliquit Archelaum: Iosephus 17. Antiq. cap. 7. & 8. & lib. 1. de Bello cap. 20.

HERODES ANTIPATRVM FILIVM IN VINCVLA CONIICIT.

9. Eo-

9. Eodem anno circa initia mensis septimi, vt ex paulò pòst dicendis patebit, oportet accidisse quæ scribit Iosephus 17.Antiq.cap.8. & 1.de Bello cap.21. de aquila aurea (quod erat præcipuum militare Romanorum insigne) ab Herode aliàs super maximam templi portam collocata; quam hisce temporibus duo Sophistæ cum discipulis suis, quadam die cùm rumor exisset Regem obiisse, meridiano tempore cunctis qui tum in templo aderant inspectantibus, funibus detrahere ac securibus confringere aggressi sunt. Quamobrem à Duce militum comprehensi, & ad Regem perducti, protinus ipso iubente in vincula coniecti, & in Ierichuntem castellum missi, ibidem post plures dies extremo tandem damnati supplicio, viui flammis exusti fuerunt, vt latiùs locis citatis descriptum inuenitur. Sed priùs eadem de causa Matthias, qui tum erat summus Sacerdos, tamquam facinoris particeps, vel saltem consilij conscius, de Pontificatu statim ab ipso Rege depositus fuit; subrogato in eius locum regiæ vxoris fratre Ioazaro Simonis Boëthi filio: tametsi inter hos duos, Matthiam videlicet & Ioazarum, fortè accidit, alium Pontificem ad vnam diem substitui. Nam sequente die, in quam sollemne incidebat ieiunium, quod solum in die expiationis à Deo mandatum fuerat; & propterea per antonomasiam illa Ieiunij dies nuncupabatur; cùm præfatus Matthias tamquam Pontifex teneretur ingredi in Sancta sanctorum, vt mandauerat Dominus Leuitici cap. 16. & præcedente nocte per somnium sibi visus esset cum propria vxore congredi; quòd hac de causa ad rem diuinam faciendam non esset idoneus, pro eo Iosephus Ellemi filius cognatus eius Pontificali munere functus est; quemadmodum tradit Iosephus cap. Antiq. proximè adducto. Ex quibus perspicuè infertur, prædicta accidisse intra decem primos septimi mensis dies, vt dictum est: nam festum Expiationis die decima eiusdem mensis celebrari debebat, vt ex capite Leuitici citato vers. 29. manifestum est.

FLAMMIS COMBVRIT SOPHISTAS OB AQVILAM AVREAM DE TEMPLO DETRACTAM.

MATTHIAM DE PONTIFICATV DEPONIT, ET SVBROGAT IOAZARVM.

10. Cùm igitur ex eodem Iosepho 17. Antiq.cap.15. habeamus, prædictum Ioazarum ab Archelao Herodis successore de Pontificatu fuisse depositum; consequitur, ipsum esset postremum ex iis qui ab Herode constituti sunt. Quo regnante, certū est, octo successiuè Pontifices extitisse, singulos ab ipso Rege datos, & pro libito mutatos, atque quandoque mortuis, vt plurimùm verò adhuc superuiuentibus subrogatos. Hi sunt, Primò Ananelus, de quo sub anno mundi 4019.num.2.diximus. Deinde Aristobulus, 4020. num. 1. Mox iterùm Ananelus, 4021. num. 1. Posteà Iesus Fabeti filius, de quo ibi & anno 4031. num. 2. Subinde verò Simon Boëthi filius, vt videre est ibidem. Et post ipsum Matthias Theophili F. cuius anno 4050.num. 1. meminimus. Denique, vt dictum est, prædicti Iosephus & Ioazarus.

QVI HERODE REGNANTE FVERINT PONTIFICES.

11. Aliquantò post memoratos Sophistas eorumque discipulos interemptos, decimo nimirum, vt arbitror, huius anni mense circiter ineunte; cœpit Regi morbus fieri grauior, pœnam impietatis exigente Numine, vt ait Iosephus 17. Antiq.cap.8. lib. 1. de Bello cap. vltimo, quibus in locis varios assiduosq; eiusdem Regis languores accuratè describit; & addit, quòd nihilominùs ipse Rex se ab his incolumem euasurū sperabat, Medicis accersendis ac medicamentis vndique conquirendis semper intentus.

HERODIS MORBVS FIT GRAVIOR.

12. Eodem anno, qui erat Olympiadis centesimæ nonagesimæ quartæ secundus, ab Vrbe verò condita septingentesimus quinquagesimus primus, L.Cornelio Lentulo & M.Valerio Messallino Coss. vt latè probat Cardinalis Baronius in Apparatu ad suos Annales, currente anno Imperij Cæsaris Augusti à nece Iulij Cæsaris quadragesimo secundo; ab extorto autem primo eius Consulatu, & inito cum Antonio & Lepido Triumuiratu, anno quadragesimo primo; à pugna verò Actiaca, hoc est ab ipsa eiusdem Augusti Monarchia, quam Antonio & Cleopatra ad Actium deuictis inuasit, anno vigesimo nono; & ex quo eamdem Monarchiam seu Imperium Romanum de Senatus Populique Romani voluntate siue consensu retinere cœperat, anno vigesimo quinto, in Bethleem Iudæ natus est Dominus noster IESVS Christus circiter exacta media nocte diei vigesimæ quintæ Decembris, quæ in primam Sabbati, quam nos diem Dominicam appellamus, eo anno creditur incidisse, vt sentit Cardinalis Baronius in calce Apparatus ad suos Annales, & multis quoque tum sanctorum Patrum auctoritatibus, tum rationibus confirmat Hieronymus Guadalupensis super Lucæ cap. 2. natus inquam est in diebus Herodis Regis, vt testatur S. Euangelista Matthæus cap.2. vers. 1. (Herodis nimirum Ascalonitæ) tribus ferè mensibus ante exitum anni eius regni vitæque postremi, qui erat trigesimus septimus ex quo Romæ creatus fuerat Iudæorum Rex, & trigesimus quartus posteaquam Ierosolyma capta in sui regni possessionem deuenerat; quemadmodum colligi potest ex his quæ sub annis mundi 3981.num.1. & 4015.

NATIVITAS D.N. IESV CHRISTI.

& 4015. num. 4. vsque ad 8. latè disseruimus, & item ex his quæ infrà num. 37. dicemus, manifestum fiet, & videri quoque poterit in tabulis. Contigit etiam hæc Saluatoris natiuitas eomet tempore, quo post exitum edicti Cæsaris Augusti vt describeretur vniuersus orbis, hæc descriptio prima facta est à Præside Syriæ Quirino, siue Cyrino, vt scribit S. Lucas cap. 2. vers. 1. & 2. Quæ descriptio longè diuersa est ab ea cuius meminit Iosephus 18. Antiq. cap. 3. siquidem illa non fuit prima facta à Quirino, sed secunda, vel tertia; nec facta fuit in diebus Herodis Ascalonitæ, sed anno ab eius obitu decimo aut vndecimo, nimirum post Archelaum eius filium à Cæsare relegatum, vt ibidem dicitur.

¶ 13. Sed ad aliquam pro modulo nostro altissimi huius mysterij, nempe Incarnationis & Natiuitatis Domini intelligentiam, libet hîc præmittere præclara quędam ad ipsum pertinentia, ex Homilia Theodoti Ancyræ Episcopi accepta, quæ habetur in Concilij Ephesini tom. seu lib. 6. cap. 10. vbi primò describens hoc mysterium, ait: *ipsum esse Dei inter homines manifestationem; aduentum illius, qui numquam abest; allapsum eius, qui omnia implet; intuitū eius, qui omnia videt.* Porrò, quod ait: *Dei inter homines manifestationem*, siue *apparitionem* (corporalem intellige) optimè congruit cum illis Apostoli verbis ad Titum cap. 3. vers. 4. *Apparuit benignitas & humanitas Saluatoris nostri Dei.* Quæ verba ideò apposite sancta Ecclesia ponit in Officio & Missa eiusdem Natiuitatis Domini. Deinde citatus Episcopus volens huius aduentus Dei causam adducere, post pauca subdit, quòd *Dei ignoratio non omnino nullam habet excusationem. Ipse enim ob naturæ suæ diuinitatem, humana cogitatione apprehendi non potest. Nec enim mortalium animus sat idoneus est, vt illum possit intueri: siquidem diuina natura humanæ mentis captum effugit, & sublimior est quàm quæ nostro sensu attingi queat. Itaque quia propter naturæ excellentiam, diuina illa notitia destituebamur; ne malum hoc diutiùs nos premeret, inuisibilis visibilem naturam assumpsit; qui nulli patebat tactui, corpus accepit palpabile; inspectabilis Deus, aspectabilis efficitur; Dei Verbum contrectatur, ne Dei cognitio humanum sensum excedens, hominem in posterum lateret; vnigenitus Dei Filius cum seruis suis cognationem contrahit.* Et post multa, ad hoc idem rediens, subiungit: *Deus in mundum venit, non de loco in locum commigrans, sed naturam meam assumens, & inuisibilem naturam, visibilem quodammodò reddens, & (vt dixi) obtutibus nostris patere volens, cùm suapte natura sit inuisibilis. Ex partu enim sortitus est initium non Deitatis, sed aspectabilitatis. Nam cùm Deus esset, voluit homo fieri propter suam in nos clementiam, quò nos Creatorem & Iudicem perinde ac cognatum deinceps complecteremur. Et quia propriarum actionum commendatione & laude destituebamur, per ipsum fiduciam conciperemus. Etenim cùm ad tribunal abstrahuntur qui propriarum virtutum præsidiis confidenter niti non possunt, fit interdum, vt cognatorum suorum meritis qualemcumque confidentiam sibi aucupentur.* Item, quibusdam interpositis, posteaquam sensilibus aliquot exemplis probauit, miracula non esse humana ratione expendenda, sed simpliciter credenda, quippe quæ humano intellectu inuestigari non possunt; protinus ad memoratum mysterium tamquam omnium miraculorum maximum rediens, prosequitur dicens: *Quapropter ne ampliùs ad humanæ naturæ infirmitatem respicias; neque dixeris: Quomodo humana natura Deum potuit capere? Quomodo Deus homo est factus? Quomodo Deus Verbum in carne visibili apparuit? sed id quod factum est, simpliciter crede; facti autem modum & rationem, factoris scientiæ relinque. Quòd si exemplo aliquo propositam quæstionem exactiùs cognoscere libuerit, equidem ostendam qua ratione incorporeum corporescat; & inuisibile visibile fiat; & secundùm se impalpabile contrectabile euadat, propria natura non demutata, sed sensibili tantùm sensilive schemate sumpto.* Et post pauca quædam, pergit propositum declarare exemplum, inquiens: *Verbum igitur hoc quod proferimus, & quo in mutuis colloquiis vti consueuimus, verbum est incorporeum, nullo neque visu neque tactu percipi natum; atqui simulatq; verbum hoc litteras induit, elementaq; suscepit, mox visibile palpabileq; factum, tam visu hauritur, quàm tactu deprehenditur. Pone enim quempiam cum aliquo verba facientem, verba ipsa effusa nemo vtique cernere, neque manibus contrectare potest. Quòd si verò quæ dicebantur, calamo & charta exceperis, iam statim quod priùs videre nequibas, videbis; & quam sermonis formam anteà contrectare non poteras, eam per chartam & characteres iam contrectabis. Quid ita? quia verbum anteà incorporeum, corpus chartaceum, elementorumq; figuras induit. Cùm ergo exemplum iam adductum dilucidum sit, teq; de proposita quæstione nonnihil informauerit; agedum ostendamus quo pacto vnigenitus Dei Filius Deus Verbum incorporeæ naturæ perinde atque Pater, ante omnia sæcula naturaliter existens, humana natura sibi adscita, tandem per Virginem ortus sit, non suæ Diuinitatis initium (ex Patre enim natus est Vnigenitus) sed suæ*

ADVENTVS DOMINI DESCRIPTIO

CAVSA.

VERBI INCARNATIO SENSIBILI DECLARATVR EXEMPLO.

suæ tantùm humanitatis exordium hinc sumens: At quanam, inquis, ratione, cùm Vnigenitus natus sit ex Patre, rursum nascitur ex Virgine? Ex Patre natus est secundùm Diuinitatis naturam; ex Virgine nascitur secundùm carnis dispensationem: hinc vt Deus, isthinc nascitur vt homo. Nam & tuum quoque verbum quædam mentis tuæ proles est: at posteaquam verbum istud quod mens tua peperit, elementis & litteris volueris exprimere, & in charta efformare, manu litteras describis, & certa quadam ratione verbum tuum per manum denuò eniteris, non quòd tum esse sui exordium sumat, cùm per manum exaratur; aut quòd tunc demum quando manus litteras effingit, existere incipiat (iam antè enim ex mente natum erat) sed quòd tunc tandem verbum per manum vt cerni queat, accipiat. Cùm ergo exemplum hoc euidens existat, expressamq́ imaginem gerat; agedum similitudinem hanc ipsi prototypo aptemus. Hic itaque cernis mentem, ibi Patrem. hic verbum ex mente productum agnoscis, hic manum per litteras verbum parientem conspicaris; ibi Verbum per corpus virgineum generatum. non quòd ea suo partu aliquod Diuinitati initium subministrauerit, absit; sed quòd Deum humanatum humanis aspectibus conspicuum visibilemq́ reddiderit. Quia enim id factus est quod ego, necessariò meam naturam indutus, natus est sicut ego. Hæc citatus Auctor, qui (quod attinet ad exemplum propositum) videtur dicere voluisse, quòd sicuti verbum humanum in mente oritur, & nec visu nec tactu percipi potest, cùm sit quid spirituale; & tamen si litteris in charta formetur, statim fit visibile & contrectabile; & tunc quodam modo rursus generatum ac renatum videtur; ita Verbum diuinum, cùm sit eiusdem naturæ cuius est Pater, & consequenter purissimus ac simplicissimus spiritus, qui corporeis oculis cerni, manibúsve palpari nullo modo potest; quando per Incarnationis mysterium vnitum est homini, factum est visibile & palpabile, & nouo quodam modo denuò natum. Quamquam autem verbum nostrum, quod est quid accidentale ac pertransiens, longè diuersum sit à Verbo diuino, quod est consubstantiale & coæternum Patri: tamen in hoc saltem aptè currit similitudo, quòd sicuti nostrum in mente nostra primùm sine vlla patibilitate producitur, & mox iterùm alio modo quando in charta describitur; & primo quidem est inuisibile, secundo autem etiam tangibile; ita Verbum diuinum, & à Patre sine vlla patibilitate ab æterno generatum est, & natura sua à nobis videri tangique non potest; & nihilominus quando incarnatum, & (si sic loqui licet) in carne quodammodò descriptum fuit, factum est visibile & contrectabile, & noua natiuitate generatum.

14. Sanè hæc Christi natiuitas fuit valdè mirabilis; quoniam, vt omnes Catholici sentiunt, ipse Christus, sine vllo prorsus matris dolore aut incommodo, de clauso Virginis vtero mirabiliter exiuit; quin potiùs cum ingenti eius gaudio spirituali, vt etiam probant Ecclesiastici Doctores ex Propheticis illis Isaiæ cap. 35. vers. 2. verbis: *Germinans germinabit sicut lilium, & exultabit lætabunda & laudans.* Ratio autem tantæ huius lætitiæ fuit, quia ex ipsa Deus homo natus erat in mundo. Vtrùm autem iste partus, more ceterorum, fuerit cruentus, & cum tunicis ac secundinis; an verò sine vllis puerperij sordibus, cōtrouersum est; & de hoc disputant Scholastici super Part. 3. B. Thom. quæst. 35. art. 6. & item nonnulli Expositores Euangelij super Lucæ cap. 2. Ex quibus aliqui sentiunt, Christum de virgine quidem integra natum; cetera verò in eius natiuitate, similia fuisse his quæ in aliis naturaliter fieri ac videri solent. Neque verò quemquam de hoc debere scandalizari, sed magis omnes cum S. Hieronymo loco proximè citando dicere: *Quantò sunt humiliora quæ pro nobis pati Christus voluit, tanto plus illi debere nos fateri par est.* & cum S. Gregorio Homil. 6. in Euangelia: *Tantò Deus ab hominibus digniùs honorandus est, quantò pro hominibus & indigna suscepit.* siquidem (vt ait Theodotus Ancyræ Episcopus in Concilij Ephesini tom. seu lib. 6. cap. 10. relatus) *Deus nihil ignominiosum ducit, quod humanam salutem conciliare potest.* Adducuntur autem isti ad sic sentiendum, propter auctoritatem S. Hieronymi, qui in lib. Contra Heluidium, de beatissima Virgine verba faciens, ait: *Iunge, si libet, & alias naturæ contumelias, nouem mensibus vterum insolescentem, fastidia, partum, sanguinem, pannos, ipse sibi describatur infans tegmine membrorum solito conuolutus,* &c. quæ verba exponit Cardinalis Toletus super Lucæ cap. 2. Annotat. 35. Item propter illa eiusdem S. Doctoris in Epistola 22. ad Eustochium de Custodia virginitatis, prope finem, vbi de Iesu loquēs hæc subdit: *Nouem mensibus in vtero, vt nascatur, expectat, fastidia sustinet, cruentus egreditur,* &c. Alij verò sine vllis partus inquinamentis nasci Filium Dei decuisse arbitrantur; ac propterea in ipso Virginis partu nulla obstetricis aut alterius mulieris obsequia, nullum balneum siue lauacrum interuenisse, aut his & eiusmodi opus fuisse asserunt. Pro hac sententia Hieronymus Guadalupensis super Lucæ cap. 2. adducit Patres in

NATIVITAS CHRISTI SINE MATRIS DOLORE.

AN FVERIT CRVENTA.

Trullo congregatos, can. 29. quorum, inquit, canones à ducentis viginti Patribus editi perhibentur, & in septima Synodo, actione 5. can. 11. videntur fuisse probati; &, vt Surius aduertit, aliquot etiam Summi Pontifices videntur eorumdem canonum auctoritate vsi. Et prætereà in eamdem secundam sententiam citat S. Epiphanium lib. 3. Contra hæres. in fine, S. Gregorium Nazianzenum in Tragœdia *Christus patiens*, columna 10. & 11. S. Cyprianum in Serm. de Natiuitate Christi, S. Augustinum lib. 29. Contra Faustum cap. 3. & 4. & lib. de Quinque hæresibus, cap. 5. & B. Thomam parte 3. quæst. 35. art. 6. ad 3. & alios. Tertiæ cuiusdam opinionis, & quodammodò inter has mediæ, videtur fuisse Caietanus, qui super loco S. Thomæ proximè citato, putat, in Christi Natiuitate interuenisse omnia quæ non ex peccato, sed ex natura sunt, quæque in statu innocentiæ extitissent: verumtamen Angelorum ministerio prouisum fuisse, vt nulla fuerit ablutio necessaria, quò manus virgineæ ab eiusmodi sordibus mundæ seruarentur, & mens ipsius ad tanti gaudij fructus magis esset vnita. Quidquid sit de hisce opinionibus; mihi magis placet secunda, tot sanctorum Patrum auctoritate roborata. Quoniam, tametsi certum sit, Christum multa pro nobis indigna pertulisse: ex quo tamen ipsum non naturaliter, sed mirandum in modum de virginis vtero prodiisse omnes fatentur, videtur quoque multò conuenientius ac decentius esse arbitrari, quòd vnico miraculo, eoque perfectissimo, ipse de integra Virgine, sine membranis ac secundinis, & sine vllo sanguine ac sordibus exierit; ita vt non opus fuerit matri vmbilicum filio alligare, & à tunicis ac secundinis abscindere, neque infantem lauare, neque quidquam aliud facere, quàm quod in Euangelio traditur; nempe illũ pannis inuoluere, & in præsepio reclinare. Credimus enim totum illum sanguinem, qui ad vterum pro alendo fetu priùs defluere solitus erat, statim fetu egresso, naturaliter ad vbera recurrisse, ibique in lac pro eiusdem infantis nutritione fuisse conuersum: ipsas verò secundinas, tunicasque, ac naturales puerperij sordes, mirabiliter esse consumptas, vel paulatim attenuatas ac resolutas, insensibiliter euanuisse; vt non opus sit suspicari, illas, quæ ex diuino contactu sanctificationem contraxerant, posteà minùs honesto loco, vt fit, fuisse proiectas; aut quærere quidnam de illis actum fuerit. Et sic sine noui miraculi introductione, aut miraculorum multiplicatione, quæsito responderi posse putamus. Sed & hìc admirabilem Dei prouidentiam intueri possumus, qui ex quo mirabiliter, vt dictum est, de virgine nasci decreuerat, voluit id fieri non in propria & omnino humana domo, sed veluti in via, & in stabulo, seu in quodam pænè solitario specu, animalium irrationabilium potiùs quàm hominum habitationi destinato; vt hac ratione simul & profundissimam humilitatem suam, duramque paupertatem nostra causa vltrò susceptam ostenderet; & pariter vt modum illum ineffabilem, quem diximus, suæ natiuitatis, non solùm obstetricibus, aliisque eiusmodi mulieribus, quæ ad parturientes accurrere solent, verùm etiam vniuerso pænè mundo occultaret, donec tempus opportunum adueniret, mirabilia hæc & alia Diuinitatis suæ opera palàm faciendi ad æternam suam gloriam, nostramque salutem. Nam quòd, tamquam de progenie Dauidis prodiens, in Bethleem nasci voluerit, iam per Michæam Prophetam cap. 5. vers. 2. longè antè fuerat prænuntiatum. Quòd autem non in loco stabili, sed veluti in itinere, & in stabulo, & media nocte, mediaque hieme, nimirum tempore admodum frigido ac tenebroso natus sit; vtique indicabat miserrimum illius temporis statum densissimis ignorantiæ tenebris & sordibus, hoc est iniquitate plenum; & item illius sui aduentus conditionem ac finem. Conditionem, quia hìc in illa forma non valdè diu permanere intẽdebat, sed potiùs veluti (quemadmodum dicitur Actor. cap. 10. vers. 38.) pertransire benefaciendo, & sanando oppressos à diabolo. Finem, vt opportunè homines obscuratum habentes intellectum, cælesti sua doctrina illuminaret, & comparatos iumentis, factosque similes illis, de stercore erigeret, atque ad veri Dei cognitionem, verumque Dei cultum perduceret, & eos, in quibus ob iniquitatis abundantiam charitas refrixerat, feruentissimo suæ charitatis igne, quem ipse venit mittere in terram, perfectissimisque vitæ suæ exemplis ad Deum ardentiùs amandum accenderet atque inflammaret.

DIVINAE PROMISSIONES ET PROPHETIAE DE CHRISTO IMPLETAE.

15. Ceterùm, quando conceptus natusque nobis est Saluator mundi de Virgine Maria, tunc impletæ sunt diuinæ promissiones olim factæ, iuramentoque firmatæ Abrahamo & semini eius; quarum expressa fit mentio in Canticis eiusdem beatissimæ Virginis, & Zachariæ Sacerdotis, Lucæ cap. 1. vers. 55. & 73. & item omnes Prophetiæ, quæ de aduentu Domini in Sacro eloquio habentur: qualis est illa Isaiæ cap. 7. vers. 14. *Ecce virgo concipiet, & pariet filium*, &c. & illa eiusdem, cap. 9. vers. 6. *Paruulus enim natus est*

tus est nobis, & filius datus est nobis, & factus est principatus super humerum eius; & vocabitur nomen eius Admirabilis, Consiliarius, Deus, Fortis, Pater futuri sæculi, Princeps pacis. & quæ ibidem sequuntur vsque ad vers.9. & illa item Baruch cap.3. in fine: *Post hæc in terris visus est, & cum hominibus conuersatus est.* & illa Aggæi cap.2.vers.8. *Et veniet desideratus cunctis Gentibus.* Hæc & eiusmodi alia Prophetarum vaticinia, non solùm quòd Messias, hoc est, Christus esset venturus; sed etiam ipsius Diuinitatem pariter atque humanitatem liquidò testatam reliquerunt. Nam in eo quòd Isaias dixit, virginem concepturam ac parituram filium, qui more aliorum paruulorum cibis tenerioribus ac dulcioribus, cuiusmodi sunt butyrum & mel, aliquando ali deberet, & Emmanuel vocari; proculdubiò Christum hominem Deumque fore prænũtiauit. Non enim nasci, aut corporeo nutriri cibo poterat, nisi homo; neque à virgine mirabiliter concipi, & partu in lucem edi, & Emmanuel (quod interpretatur, *Nobiscum Deus*) vocari, nisi etiam verè fuisset Deus. Deus, inquam, nobiscum, hoc est, in nostra carne, in qua se visurum Deum præuiderat olim S. Iob cap.19.vers.26. dicens: *Et in carne mea videbo Deum Saluatorem meum.* & loquitur ibi de visione corporali. sequitur enim: *Quem visurus sum ego ipse, & oculi mei conspecturi sunt.* De hac visione Dei Saluatoris nostri, hoc est, Christi, qui verè Saluator noster est, prophetauit posteà etiam Baruch in fine capitis 3. per verba temporis præteriti, vt interdum solent Prophetæ, ad demonstrandam maiorem rei mox futuræ certitudinem, dicens: *Post hæc in terris visus est, & cum hominibus conuersatus est.* subaudi, ante eius mortem in carne mortali, & post eius resurrectionem in carne immortali. Nam quod attinet ad illam Dei Saluatoris visionem, cuius meminit Iob, certum est quòd non nisi de Christo in carne immortali accipienda est; quando scilicet in die vniuersalis resurrectionis & iudicij à cunctis hominibus corporaliter videbitur: tunc enim ipsi in carne sua videbunt illum quem Isaias vocauit Emmanuelem, hoc est Deum in carne nostra, non quidem corruptibili, sed gloriosa & immortali. Ad hoc Emmanuelis nomen videtur etiam alludere voluisse idem Isaias cap.62.vers.2. vbi de Christo venturo verba faciens, dicebat: *Et vocabitur tibi nomen nouum, quod os Domini nominabit.* Quod autem aliud nomen fuit in hoc mundo tam nouum atque inauditum, quàm *Nobiscum Deus?* tali namque nomine indicabatur admirabis Verbi Dei incarnatio, quæ vtique ante ipsum Domini aduentum noua res erat ac pænè inaudita; quia nonnisi admodum subobscurè & veluti per ænigmata sanctis Patribus olim fuerat præostensa; posteà verò, tempore diuinitus præstituto facta est, *quando scilicet* (vt ait S. Leo Papa Epistola 13. quæ est ad Pulcheriam Augustam) *superuenit Spiritus sanctus in Virginem, & virtus Altissimi obumbrauit ei, vt & intra intemerata viscera, ædificante sibi Sapientia domum, Verbum caro fieret, & forma Dei ac forma serui in vnam conueniente personam, Creator temporum nasceretur in tempore,* &c. Idem significare voluit idemmet Isaias cap.9.vers.6. vbi Christum appellat paruulum natum, & filium datum nobis, & admirabilem, & fortem, & Deum, &c. Quæ & eiusmodi alia Prophetæ verba, iam olim ante Christi aduentum, diuino afflatus Spiritu, optimè exposuerat Rabbenu Haccados, id est, Magister noster Sanctus, qui Antiochorum in Syria regnantium temporibus floruit, ac propterea diuersus fuit ab alio eiusdem nominis, qui Seuero & Antonino Imperatoribus vixisse traditur. Is, inquam, in lib. cui titulus est *Gaze Razeya*, id est, *Reuelator arcanorum*, (vt referunt Ludouicus Molina in suis Commentariis 1.Part.S.Thom.quæst.27.art.1.disput.2. & ante ipsum Ludouicus Granatensis in sua Introductione ad Symbolum Part.4. tract.2. Dialogo 2. qui est de Christi Diuinitate) ita scriptum reliquit: *Quia Messias Deus & homo futurus est, vocatum est nomen eius Emmanuel, hoc est, Nobiscum Deus, nempe in corpore & carne nostra, quemadmodum testatur Iob in cap.19. Ex carne mea videbo Deum. Excogitauit enim mirabile consilium animas à dæmone eripiendi, quæ propter Adæ peccatum damnatæ erant, neque possunt vllo modo esse saluæ, nisi Rex Messias mortem acerbissimam multaq; subeat tormenta. Ob eam causam dictus est vir. Et quia ipsius est fortitudo, Deus fortis vocatur. Et quia est æternus, Pater sempiternus dicitur. Item quia in diebus eius pax multiplicabitur, Princeps pacis appellatur. Et quia ipse festinabit vt auferat animarum spolia, vocatur Expeditus spoliator, & Festinus prædator. Quia autem eas saluas faciet, & ad Paradisum adducet, vocatur Iesus, hoc est, Saluator.* hucusque citatus Rabbinus. Porrò Christum Deum pariter & hominem futurum, tradiderunt etiam alij Prophetæ, nempe Baruch loco citato, vbi priùs dicit: *Hic est Deus noster, & non æstimabitur alius aduersus eum. Hic adinuenit omnem viam disciplinæ, & tradidit illam Iacob puero suo, & Israel dilecto suo.* & dein statim subiungit: *Post hæc in terris visus est,* &c. Et Michæas, qui cap.5.vers.2. vocat Christum,

IN CHRISTI NATIVITATE DIVINITAS EIVS ET HVMANITAS QVO MODO DECLARANTVR.

ſtum, Dominatorem in Iſrael, & illicò addit: *Et egreſſus eius ab initio, à diebus æternitatis.* per hoc manifeſtè declarans generationem eius æternam. Ieremias quoque c.23. verſ.6. poſteaquam appellauit Chriſtum germen Dauidis, quòd ſecundùm humanitatem prodire debebat de ſtirpe Dauidis; de eodem proſequitur dicens: *Et hoc eſt nomen, quod vocabunt eum: Dominus, Iuſtus noſter.* vbi quidam optimè notant, ibi per Dominum ſignificari Deum. Nam licet in Sacro eloquio *Dominus* ſæpè pro temporali domino accipi conſueuerit: attamen certiſſimum eſt, quòd etiam interdum pro Deo accipitur; vt in Pſalm.19.verſ.1. *Dixit Dominus Domino meo,* &c. & alibi ſæpiſſimè. Quòd autem ſpeciatim loco Ieremiæ adducto ſic accipiendus ſit, probant ex textu Hebraico, qui ibidem pro *Domino* habet *Iedoa*, quo vocabulo Deum ſignificari, nemo eſt qui ambigat. Scimus item, Dauidem in Pſal. proximè allegato loqui de Chriſto, quemadmodum ipſemet Chriſtus docuit Matthæi cap.22.verſ.43. & tamē quem ſciebat fore filium, hoc eſt poſterum ſuum ſecundùm carnem, appellat Dominum, nimirum ratione Diuinitatis, quam ibidem exprimit illis Dei Patris ad Chriſtum verbis: *Sede à dextris meis.* quæ proculdubiò æqualitatem Verbi cum Patre ſignificant. Et illis item: *Ex vtero* (hoc eſt, ex mea eſſentia) *ante Luciferum* (id eſt ab æterno ante omnem creaturam) *genui te.* Et in Pſal.2.verſ.6. idem Dauid inducit Chriſtum primò aſſerentem, ſe conſtitutum à Deo Regem ſuper Sion montem ſanctum eius. deinde dicentem: *Dominus dixit ad me: Filius meus es tu, ego hodie genui te: Poſtula à me, & dabo tibi Gentes hereditatem tuam, & poſſeſſionem tuam terminos terræ.* Certum eſt enim, quòd poſtulare Gentes in hereditatem, & in poſſeſſionem terminos terræ, & regnare in monte Sion, conuenit Chriſto quatenus homo erat. Eſſe autem naturalem filium Dei, licet Chriſto conueniat etiam quatenus homo eſt (vt ex his quæ tradit S.Thom. Part.3.quæſt.23.art.4. colligi poteſt) attamen non ei conueniret, niſi etiam Deus eſſet. Præterea eſſe genitum hodie, hoc eſt, in illa Dei æternitate, in qua non eſt præteritum nec futurum, ſed omnia præſentia Deo ſunt, vtique ſoli Verbo æterno competere poteſt. His adde quòd in Pſal.96.verſ.8. vbi Propheta introducit Primogenitum in orbem terræ, dicit: *Et adorent eum omnes Angeli Dei.* Et in Pſal.44. verſ.7. *Thronus tuus,* inquit, *Deus in ſæculum ſæculi.* Ex quibus aliiſque ſimilibus Sacris textibus ab ipſo citatis Apoſtolus ad Hebr.cap.1.verſ.5. vbique ad finem capitis probat Chriſtum eſſe Deum, & Angelis tanto maiorem, quanto filius maior eſt cunctis ſeruis ſuis. Plura alia Scripturæ ſacræ teſtimonia ad hæc quæ diximus confirmanda poſſent adduci; ſed hæc pauca hîc adduxiſſe ſufficiat. Nō enim noſtri inſtituti eſt, hæc & eiuſmodi latiùs proſequi. Meritò igitur Chriſtus, vt humana eius pro nobis vltrò aſſumpta humilitas, & diuina pariter, qua naturaliter pollebat, celſitudo & ſublimitas oſtēderetur, & in ſtabulo naſci, & præ parentum paupertate, in præſepio reclinari voluit; & ſimul ipſam natiuitatem ſuam mirabiliter ab Angelo paſtoribus nuntiari, & ab ipſis cæleſtis militiæ ſpiritibus ſummis laudibus celebrari; ſeque infantulum à vicinis paſtoribus deuotè admodum requiri ac viſitari, mox etiam à Magis de longè monitu nouæ Stellæ venientibus humiliter adorari, myſticiſque muneribus donari, quemadmodum tradunt SS. Euangeliſtæ Matthæus cap. 2. verſ. 1. vſque ad 13. & Lucas cap. 2. verſ. 6. vſque ad 17. Et hoc eſt quod indicare voluit S. Auguſtinus Serm. 30. de Tempore, dicens: *Simul ſuam celſitudinem humilitatemq́, commendans, qui in cælo ſignis ſidereis monſtrabatur magnus, in anguſto diuerſorio quæſitus, inuentus eſt inualidus, infantilibus in membris natus, infantilibuſq́, pannis inuolutus.* Sed neque ab hominibus ſolùm, verùm etiam ab Angelis, Deus homo factus, in ſuis cunalibus adoratus fuit, vt apertiſſimè aſſerit ſanctus Bonauentura in Opuſculo cui titulus eſt, *Meditationes vitæ Chriſti*, cap. 7. idemque confirmat illis Apoſtoli ad Hebr. verſ.6. verbis: *Et cùm iterùm introducit Primogenitum in orbem terræ, dicit: Et adorent eum omnes Angeli eius.* Quem S. Doctorem poſteà ſecuti ſunt alij, inter quos Suarez ſuper 3. Parte S. Thomæ quæſt. 37. diſput. 22. ſect. 1. exponens citatum Apoſtoli locum, ait: *Semel Chriſtus præceptus eſt adorari ab Angelis, cùm primùm illis per fidem propoſitus eſt*, nimirum, *quando* (vt idem Auctor paulò ſuperiùs dixerat) *à principio creationis ipſorum, Chriſtum fide cognouerunt, & à principio eorum beatitudinis, ipſum in Verbo intuiti ſunt: & iterùm, cùm reipſa fuit incarnatus.* Scio non deeſſe alios Auctores graues, qui putant dicta Apoſtoli verba deſumpta eſſe ex Pſalm. 96. quem non de primo, ſed de ſecundo Chriſti aduentu ſcriptum dicunt. Sed non videtur neceſſarium eſſe hoc ſupponere; tum quia in eo Pſalmo Dauid non dicit, Deum dixiſſe Angelis vt adorarent Chriſtum; ſed magis ipſe Dauid videtur hortari eos vt adorent Dominum. Dicit enim: *Adorate eum omnes Angeli eius.*

eius. quemadmodum in Psalm. 148. eosdem hortabatur, vt laudarent eumdem Dominum, dicens: *Laudate eum omnes Angeli eius.* Tum quia benè potuit Apostolus ex aliquo alio Sacro probatóve Auctore, cuius scripta nunc non extent, dictum illud desumpsisse; sicuti etiam creditur fecisse S. Iudas Apostolus in sua Catholica, vbi memorat altercationem illam S. Michaëlis Archangeli cum diabolo de corpore Moysi, quæ nusquam priùs in Sacris qui nunc habentur libris scripta reperitur. Et iam nos sub anno mundi 2583. num. 12. probauimus, multos Sacrorum seu antiquorum Prophetarum libros temporum iniuria esse deperditos. Ceterùm, quæ hactenus Christum in natiuitate sua ad humanam suam humilitatem, pariterque diuinam celsitudinem demonstrandam fecisse diximus, & item quæ posteà ipse Christus in tota vita sua gessit, docuit, passus est, & miracula quæ patrauit, omnia, inquam, hæc ideò scripta sunt, vt (quod ad salutem nostram necessarium erat) crederemus, ipsum pariter esse Deum & hominem. Deum ante sæcula genitum, hominem in sæculo natum. Deum, quia in principio Deus erat Verbum; hominem, quia Verbum caro factum est, & habitauit in nobis. Vt inquam corde crederemus, & ore confiteremur, quòd Christus Deus est nostra suscipiens, & propria non amittens; in homine hominem renouans, & in se ipso incommutabilis perseuerans. Homo, vt pro homine pati; Deus, vt plenè posset pro homine satisfacere. *Etenim* (quemadmodum rectè docet S. Augustinus Tractatu 28. in Ioan.) *Christus semper hoc egit dictis & factis suis, vt Deus crederetur & homo. Deus qui nos fecit, homo qui nos quæsiuit: Deus cum Patre semper, homo nobiscum ex tempore. Non enim quæreret quod fecerat, nisi ipse quod fecerat fieri voluisset. Verùm hoc mementote, & de cordibus vestris nolite dimittere, sic esse Christum hominem factum, vt non desineret Deus esse. Manens Deus accepit hominem, qui fecit hominem.* sic iste Sanctus. Meritò igitur infert S. Leo Papa Serm. 7. de Domini Natiuitate, paris esse periculi, si illi, hoc est Christo, aut nostræ naturæ veritas, aut paternæ gloriæ negetur æqualitas. Et in Homil. de Transfiguratione Domini: *Ad hoc,* inquit, *discipulos suos doctrinæ monitis, & operum miraculis imbuebat, vt idem Christus, & Vnigenitus Dei, & hominis filius crederetur. Nam vnum horum sine altero non proderat ad salutem. Et æqualis erat periculi, Dominum Iesum Christum, aut Deum tantummodò sine homine; aut sine Deo solum hominem credidisse; cùm vtrumq; esset pariter confitendum: quia sicut Deo vera humanitas, ita homini inerat vera diuinitas.* Et S. Hilarius in Matth. Can. 16. *Hæc enim,* ait, *confessionis tenenda ratio est, vt sicut Dei Filium, ita & Filium hominis meminerimus; quia alterum sine altero nihil spei tribuit ad salutem.* hæc ille.

16. Verùm si quis hîc quærat, cur Deus, vt hominem de potestate diaboli redimeret, homò fieri voluerit, cùm id innumeris pænè aliis modis præstare potuisset; dicimus: Quia id maximè conueniens fuit. Probat enim S. Augustinus lib. 13. de Trinit. cap. 10. non longè à principio, non alium sanandæ nostræ miseriæ conuenientiorem modum fuisse nec esse oportuisse. Sed quoniam nimis longum esset omnes huius conuenientiæ incarnati Verbi rationes à sanctis Doctoribus adductas hîc referre, & instituti nostri ratio non patitur nos in eiusmodi diutiùs immorari; qui plura in hoc genere desiderat, consulat S. Thomam Par. 3. quæst. 1. & S. Anselmum, qui duobus integris libris, *Cur Deus homo*, prænotatis, hoc argumentum egregiè tractat; & Ludouicum Granatensem, qui hoc idem breuiùs ac dilucidiùs tradit in sua ad Symbolum Introductione, Par. 3. Dialogo 1. & 2. Sed fortè quis vlteriùs interrogabit: Cur (ex quo Deus homo fieri voluit) ipse, qui cùm esset omnipotens, & nullo negotio posset sibi quodnam mallet humanæ vitæ genus deligere, cur, inquam, non sublimem quemdam statum opibus ac deliciis affluentem, sæcularique fastu ac splendore conspicuum elegerit, sed qualem sancti Euangelistæ descripserunt, videlicet adeò pauperem, obscurum, humilem & abiectum, vt pro splendida domo, stabulum, pro molli culcitra, fœnum, pro infantili cuna, præsepium habere voluerit? Quid enim hæc cum Filio Dei? cum Domino Angelorum? cum Rege Iudæorum? & cum totius mundi Redemptore? Ad hoc vt respondeamus, illud ante omnia supponendum est, quod nemo sanæ mentis inficiari vmquam poterit, nimirum, summam Dei Sapientiam neque errare neque falli vllo modo posse, aut vmquam potuisse. Ac propterea certissimè tenendum esse, Christum Dei virtutem & Dei Sapientiam non aliter nequé aliud quàm quod fecit, facere debuisse; præsertim cùm omnium consensu constet, ipsum venisse in hunc mundum vt curaret infirmitates nostras. Optimè ergo sapientissimus animarum Medicus nouerat id quod posteà ab eo didicit protulitque Apostolus 1. ad Timoth. cap. 6. vers. 10. dicens: *Radix omnium malorum est cupiditas.*

CVR DEVS HOMO.

CVR HOMO ADEO PAVPER ET HVMILIS.

Benè item nouerat Redemptor noster, primarias ac veluti originales omnium peccatorum causas proculdubiò esse illas tres, quæ 1. Ioan. cap. 2. vers. 16. breuiter perstringuntur illis verbis: *Omne quod est in mundo, concupiscentia carnis est, & concupiscentia oculorum, & superbia vitæ.* Ac si dicere voluisset: Omnia peccata quæ in mundo fiunt, ad hæc tria capita reducuntur; vel potiùs ab hisce tribus veluti vnius trunci ramis (qui nimirum rami in homine à proprio & inordinato sui ipsius amore, tamquam à stipite in radice vitiato prodeunt) indies propagari ac multiplicari solent. Porrò in eo quòd diximus, *Concupiscentia oculorum*, auaritiam intelligere debemus, iuxta illud Ecclesiastæ cap. 5. vers. 10. *Quid prodest possessori, nisi quòd cernit diuitias oculis suis.* Nouerat ergo qui omnia nouit, initium omnis peccati esse superbiam, & auaritiam inducere homines in tentationem & in laqueos diaboli, & carnis voluptates eneruare, vel etiam extinguere Spiritum: atque hæc omnia eousque auertere homines à Deo, & ab eius dilectione & obedientia, vt facilè eos trahant ad eius contemptum aliasque innumeras transgressiones. Quid igitur? Nónne ad spiritualem hominis reformationem in id omnino incumbendum erat, vt memoratæ corruptelæ omnium malorū causæ tollerentur? certè id negare nemo poterit. Et hoc vtique erat, quod opportuno tempore sua prædicatione moliri intendebat Dominus Iesus. Verùm quia non ignorabat, magis mouere ac persuadere exempla solere quàm verba; & decere ipsum priùs facere, ac posteà docere; & tamquam pia nutrix videbat inhabilitatem paruuli ad sumendam medicinam infirmitati suæ accommodatam, voluit eam ipse priùs sumere, vt posteà nobis lac medicatum præberet; atque hoc pacto eius imitationem nobis faciliorem redderet; possetque mox (quemadmodum olim Gedeon) dicere, *Quod me facere videritis, hoc facite,* Iudic. cap. 7. vers. 17. Appositè igitur illum sibi vitæ statum, quem diximus, Præceptor assumpsit, quò nos priùs instrueret exemplo quàm verbo; doceretque carnem, vitæ asperitatibus domare, ne aduersus rationis imperium sese erigat; corpus castigare, ne aliquando reprobi efficiamur; humiliare animas nostras coram Deo & hominibus, ne inaniter extollamur, simusque inanis gloriæ cupidi; & denique voluntariam paupertatem, fidam veræ humilitatis custodem studiosè sectari, ne fortè mentes nostras diuitiarum spinis lacerari, & bonum verbi Dei semen in nobis suffocari contingat. Hæc & eiusmodi alia quæ S. Bernardus Serm. 3. in Natiuitate Domini fusiùs prosequitur, Dominus noster vix in hoc mundo natus, de præsepis cathedra sine verbis docere cœpit: & hæc eadem posteà, vir factus, prædicare, instare opportunè importunè, arguendo, obsecrando, increpando non destitit in omni patientia & doctrina, *Et* (quemadmodum dicebat S. Gregorius Homil. 32. in Euangelia) *cælestis Medicus singulis quibusque vitiis obuiantia adhibuit medicamenta. Nam sicut arte medicinæ, calida frigidis, frigida calidis curantur; ita Dominus noster contraria opposuit medicamenta peccatis, vt lubricis continentiam, tenacibus largitatem, iracundis mansuetudinem, elatis præciperet humilitatem.* Quæ omnia nihil aut parùm profuissent, nisi quæ nobis facienda proposuit, ipse priùs misericorditer præstare atque exercere haud indignum iudicasset. Ecce quomodo sanctissimè ac prudentissimè Dominus Iesus illud vitæ genus in terris elegit, quod maximè omnium proposito sibi scopo, id est, nostræ saluti conuenientissimum erat. Sed hæc aliis latiùs explicanda relinquamus, & pium Lectorem harum rerum cupidum ad Auctores paulò antè citatos, qui hæc piè, doctè, atque eleganter admodum tractant, remittamus, vt nos interim ad vlteriora progredi possimus.

DE DIVINA ET HVMANA CHRISTI ORIGINE.

17. Sanè diuinam Iesu Christi originem S. Ioannes, cælesti afflatus Spiritu, in sui Euangelij initio breuiter exposuit, dicens: *In principio erat Verbum*, & quæ sequuntur vsq; ad v. 14. vbi humanæ item assumptæ naturæ protinus meminit illis verbis: *Et Verbum caro factum est, & habitauit in nobis,* &c. Humanam verò eius genealogiam duo tantùm ex aliis Euangelistis fusiùs descripserunt, SS. scilicet Matthæus cap. 1. vers. 1. vsq; ad 18. & Lucas c. 3. vers. 23. vsque ad finem capitis. Qui in hoc vtique conueniunt, quòd vterque eam deriuat non ad Mariam matrem Iesu, sed ad Ioseph virum illius, qui putabatur pater eiusdem Iesu; seruata nimirum (vt ait S. Hieronymus circa initia Commentariorum suorum in Matthæum) consuetudine Scripturarum, quæ natorum genealogias per paternam, non autem maternam ipsorum lineam deducere solent. vnde S. Ambrosius super Lucæ cap. 3. *Noli,* inquit, *mirari, quòd Ioseph origo descripta est. Etenim secundùm carnem natus, vsum debet sequi carnis: & qui in sæculum venit, sæculi debuit more describi.* Cur verò seorsùm etiam ipsius Mariæ, quæ non putatiua tantùm, sed vera quoque mater Iesu fuit, progeniem nullus ipsorum recensuerit; iam nos sub anno mundi

DE HVMANA CHRISTI GENEALOGIA.

mundi 4037. num. 3. diximus. Differunt autem memorati Euangelistæ, non sine mysterio, in nonnullis: nam S. Matthæus incipit ab Abraham & Dauid; *quia*, vt S. Hieronymus loco proximè citato docet, *ad hos tantùm de Christo repromissio facta est. Ad Abraham: In semine, inquit, tuo benedicentur omnes gentes; quod est Christus. Ad Dauid: De fructu ventris tui ponam super sedem tuam.* Descendit verò dictus Euangelista vsque ad Ioseph virum Mariæ, *de qua*, inquit, *natus est Iesus, qui vocatur Christus.* sanctus autem Lucas econuersò ab eodem Ioseph gradatim ascendit vsque ad Adamum, & Deum à quo factus est Adam: fortasse, vt per hoc quoque nobis insinuarent, quòd qui ex diuina promissione Abrahamo primùm, deinde etiam Dauidi facta, *descendit primùm in inferiores partes terræ, ipse est & qui ascendit super omnes cælos, vt impleret omnia,* quemadmodum dicitur ad Ephes. cap. 4. vers. 9. & 10. Et hoc idem est, quod ipsemet Iesus dicebat Ioan. cap. 16. vers. 28. *Exiui à Patre, & veni in mundum; & iterùm relinquo mundum, & vado ad Patrem.* Vel meliùs & clariùs (vt ait S. Augustinus lib. 83. Quæstionum, quæst. 61.) *Matthæus Euangelista, significans generationē eius, nempe Christi, quæ est secundùm carnem, ab Abraham suscipiens, qui pater est populi fidelis, & successionem prolis deorsum versus enumerans, peruenit ad Dauid, in quo regni stabilimentum manifestissimum apparet: atque inde per Salomonem natum de illa in qua pater eius peccauerat, stirpem regiam prosecutus, vsque ad generationem Domini perduxit. Lucas verò alius Euangelista, quoniam & ipse generationē Domini quæ secundùm carnem est, sed in Sacerdotali persona explicandam suscepit, ad quam personam pertinet mundatio & abolitio peccatorū, non à principio libri, sicut Matthæus; sed ab illo loco vbi baptizatus est Iesus, vbi peccatorū nostrorum mundationē præfigurauit, incipit parentum eius originē gradatim prosequi, neq; deorsum versus, sicuti ille qui eum ad susceptionem peccatorum, tamquā descendentem ostendebat; sed sursum versus, tamquā is qui eum post abolitionem peccatorum, tamquam ascendentē insinuabat.*

18. Item S. Lucas nullas creditur præteriisse generationes: sanctus verò Matthæus, dicens Ioram genuisse Oziam, tres Reges medios prætermisit; videlicet, Ochoziam, Ioam, & Amasiam; nimirum (vt ait S. Hieronymus lib. 3. in Matthæum) quia Euangelistæ propositum erat tres tesseradecades in diuerso temporum statu ponere; & Ioram generi se miscuerat impiissimæ Iezabelis; idcircò vsque ad tertiam generationem, eius memoria tollitur, ne in sanctæ natiuitatis ordine poneretur. Prætereà S. Matthæus à Dauide ad prædictum Ioseph virum Mariæ, deducit progenies per lineam Salomonis & Regum tribus Iudæ: sanctus verò Lucas per lineam Nathan, qui fuit frater vterinus Salomonis ex Bethsabee eorū matre; vt nos sub anno mundi 2987. num. 5. probauimus: & propterea S. Matthæus naturales dumtaxat enumerat generationes, vt planè indicat verbum illud per singulas repetitum, *N. genuit N.* sanctus verò Lucas coactus est aliquoties diuertere ad legales: neque solùm ad eas, quæ à Lege de fratris semine suscitando Deuter. cap. 25. vers. 5. lata proueniebant; sed etiam ex cōmuni adoptionis lege, quæ pariter in vsu erat apud Hebræos, vt patet Genes. cap. 48. vers. 5. Et idcircò sanctus Lucas vtitur verbo illo tam legalibus quàm naturalibus generationibus communi, *N. qui fuit* (subaudi, filius). *N.* alioqui non potuisset à Ioseph viro Mariæ ascendens peruenire ad Nathan, vt nos sub anno mundi & numero proximè notatis ostendimus; vbi etiam demonstrauimus, eumdem Nathan fuisse filium Dauidis, non naturalem, sed adoptiuum. Sed & (si verum est, quod nos sub anno mundi proximè allegato num. 6. & pariter sub anno 2993. num. 2. etiam ex Sacro textu colligi posse ostendimus, videlicet, Vriam patrem naturalem dicti Nathan fuisse de genere Sacerdotali) profectò inferri potest, diuino factum esse consilio, vt genealogiam Christi S. Matthæus per lineam Salomonis & Regiam descripserit; sanctus verò Lucas per lineam Nathan & Sacerdotalem; nempe vt etiam per hoc indicarent, Christum pariter fuisse Regem & Sacerdotem: illud ad regendum nos, istud ad expiandos, quemadmodum dicit S. Augustinus lib. 1. de Consensu Euangelistarum cap. 3. Tametsi constet, quòd regnum eius non erat de hoc mundo, id est simile regnis huius mundi; vt ipsemet Dominus testatur Ioan. cap. 18. vers. 36. & quòd erat quidem Sacerdos, non temporalis, neque secundùm ordinem Leuiticum ex semine Aaron; sed æternus, & secundùm ordinem Melchisedech, quemadmodum olim prophetauerat Dauid in Psalm. 109. vers. 4. *Tu es Sacerdos in æternum secundùm ordinem Melchisedech.* & posteà latiùs explicauit Apostolus ad Hebr. cap. 7. per totum. Porrò Christum fuisse simul Regem & Sacerdotem, vt ait S. Gregorius Homil. 20. in Euangelia, etiam S. Lucas cap. 3. indicauit; vbi prædicationis eius tempora designans, memorat sub quibus Regibus ac Sacerdotibus ea cœpta fuerit.

19. Quòd

QVOD CHRISTVS DE REGIA ET DE SACERDOTALI STIRPE PRODIERIT.

19. Quòd autem Christus ex Regia pariter ac Sacerdotali, nimirum Aaronica stirpe prodierit, confirmant S. Ambrosius super cap. Luc. citato, & S. Hilarius Matthæi cap. 1. & alij, sed egregiè omnium S. Augustinus lib. 83. Quæstionum, quæst. 61. cuius sententiam hîc ad verbum referendam duximus: *A Dauid, inquit, in duas familias, Regiam & Sacerdotalem, origo illa distributa est: quarum duarum familiarum, sicut dictum est, Regiam descendens Matthæus, Sacerdotalem ascendens Lucas secutus est: vt Dominus noster Iesus Christus, Rex & Sacerdos noster, & cognationem duceret de stirpe Sacerdotali, & non esset tamen de tribu Sacerdotali, hoc est de tribu Leui; sed esset de tribu Iuda, hoc est, de tribu Dauid, ex qua tribu nemo intendit altari. Ideò & filius Dauid maximè dicitur secundùm carnem: quia & Lucas ascendens, & Matthæus descendens in Dauid sibi obuiàm facti sunt. Oportebat enim, vt euacuaturus sacrificia, quæ secundùm ordinem Aaron in Leuitico Sacerdotio fiebant, non esset de tribu Leui; ne ad ipsam tribum, & ad ipsum Sacerdotium, quod temporaliter vmbra erat futuri, pertinere videretur mundatio peccatorum, quam Dominus oblatione holocausti sui, quod in veteri Sacerdotio figurabatur, impleuit; & holocausti eius imaginem, ad memoriam passionis suæ in Ecclesia celebrandam dedit, vt esset Sacerdos in æternum, non secundùm ordinem Aaron; sed secundùm ordinem Melchisedech.* hæc S. Augustinus loco citato: qui etiam lib. 2. de Consensu Euangelistarum cap. 2. *Firmissimè,* inquit, *tenendum est, carnem Christi ex vtroque genere propagatam, Regum scilicet & Sacerdotum, in quibus personis apud illum populum Hebræorum etiam mystica vnctio figurabatur, id est, Chrisma, vnde Christi nomen elucet, tantò antè etiam ista euidentissima significatione prænuntiatum.* Ex quibus duobus S. Augustini locis manifestè apparet, & cur Christus de Regia pariter ac Sacerdotali stirpe prodire voluerit; & quòd de stirpe quidem Regia verè ac naturaliter prodiit, de Sacerdotali autem non nisi legaliter; & cur non econuersò factum fuerit.

QVOMODO DE STIRPE SACERDOTALI.

20. Quomodo autem prodierit Dominus de stirpe Sacerdotali legaliter, B. Augustinus quæst. 61. paulò antè citata, declarat dicens, quòd *origo Sacerdotalis, per vnum ex filiis Dauid, sicuti assolet, de tribu Sacerdotali matrimonium sortientem, effecerat, vt Maria de vtraque tribu, id est, de Regia & Sacerdotali cognationem duceret.* Quòd autem hîc S. Augustinus indeterminatè pronuntiat de vno ex filiis Dauid, Cardinalis Toletus super Luc. cap. 3. in fine Annotat. 58. signanter de Nathan asserit; quòd scilicet ipse duxerit vxorem de tribu Sacerdotali; *& sic*, inquit, *ex Regia & Sacerdotali tribu Dominus originem habuit.* At S. Hilarius initio Commentariorum suorum in Matthæum, societatem tribus Regiæ & Sacerdotalis non ex coniugio alicuius filiorum Dauidis, sed ipsius Dauid, initam fuisse tradit. Sed quia nusquam legimus, Dauidem duxisse coniugem de stirpe Aaronis; & constat, sanctum Lucam non ad vllum alium Dauidis filium quàm ad Nathan, Christi genealogiam ducere: propterea dictum S. Hilarij non aliter videtur posse intelligi, nisi dixerimus, societatem dictarum duarum tribuum tunc fuisse initam, quando Dauid duxit Bethsabee vxorem, & matrem dicti Nathan; non quia ipsa esset de tribu Sacerdotali (id enim probari non potest) neque quia Dauid de ipsa genuerit ipsum Nathan; quoniam certum est Nathan de Vria, non de Dauide naturaliter fuisse generatum: sed quia per dictum coniugium & adoptionem filiorum Bethsabee iam de Vria, hoc est de stirpe Sacerdotali genitorum, ipse Dauid sociauit in domo sua vtramque tribum, Sacerdotalem scilicet & Regiam. Nam ratione dicti coniugij & adoptionis, Nathan qui verè erat de tribu Sacerdotali, nimirum filius naturalis Vriæ Sacerdotis, vt suprà num. 15. dictum est, & paulò pòst dicetur; verè item dici poterat esse de tribu Regia, quia erat filius adoptiuus Regis Dauid, & frater vterinus Regis Salomonis filij naturalis eiusdem Dauid. Quòd verò adoptatus, de adoptantis tribu dici ac reputari soleret, apparet ex his quæ nos sub anno mundi 2827. num. 1. diximus. Et hæc S. Hilarij sententia, modo superiùs exposito accepta, nobis magis placet quàm aliorum; tum quia sic vtique verum esse ostenditur, quomodo (vt aiunt Doctores) genus Christi legaliter à S. Luca ductum per Nathan ad Dauid, fuerit Sacerdotale, naturaliter autem à S. Matthæo ductum per Salomonem ad eumdem Dauidem, sit Regium: tum etiam, quia gratis dici videtur, quòd Nathan duxerit vxorem de familia Sacerdotali: & scimus quòd genus filiorum non ex maternis progenitoribus, sed ex paternis deduci denominarique consueuerat. Cùm itaque nusquam Scriptura sacra vel minimum quid innuat de Nathan filio Dauid, quòd vxorem duxerit de filiabus Aaron; & ex 2. Regum in fine cap. 8. non obscurè elici possit, eumdem Nathan verè fuisse Sacerdotem, quemadmodum nos sub annis mundi 2987. numero 6. & 2993. numero 1. declarauimus; quis dubitet,

multò probabilius hoc poni posse, quàm illud? præsertim cùm nemo sit qui non videat, nimis latam, impropriam, atq; inusitatã videri eiusmodi denominationem, si solùm ratione vxoris Nathan filij legalis Dauid, Iesus etiam de tribu Leui prodiisse diceretur.

21. Conuenienter quoque, sicuti suprà num. 11. dictum est, alter Euangelista naturales dumtaxat Christi generationes est prosecutus; alter verò etiam legales, vt nimirum (quemadmodum putat Titus Bosterus à Cardinale Toleto super Lucæ cap. 3. Annotat. 56. relatus) hac ratione planum fieret, Iosephum ex vtroque parente, naturali scilicet & legali, ad Dauidem & ad Iudam genus suum referre; & quia Iudæi tamquam Lege obstricti, legales parentes agnoscebant; contrà verò Græci & Pagani, quibus nihil cum Lege Moysaica commune erat, naturales tantùm progenitores spectabant: proptereà SS. Euangelistæ, diuino afflati Spiritu, Iosephum ex vtroque parente ad Dauidem reduxerunt, vt sic tam Iudæis quàm Gentilibus omnem prorsus offensionis aut hæsitationis ansam adimerent. Non igitur mirum videri debet, si propter hanc diuersam rationem recensendi progenitores Christi à sacris Euangelistis diuino consilio initam, tanta quoque inter eos in ipsis generationibus describendis diuersitas inueniatur: non quidem in his quæ ab Abrahamo ad Dauidem fluxerunt, in quibus optimè SS. Matthæus Lucasque conueniunt; neque in his quæ inter Abraham & Adam intercesserant (has enim Lucas solus commemorat) sed in his quæ à Ioseph viro Mariæ ad Dauidem, siue ab ipso Dauide ad eumdem Ioseph deducuntur. quandoquidem in his describendis adeò inter se memorati Euangelistæ in nominibus & in numero personarum, & ordine procedendi variant differuntque, vt non immeritò omnes antiqui Patres (quemadmodum testatur Cardinalis Toletus super Lucæ c. 3. Annot. 60.) indubiè putauerint, quos Lucas refert, fuisse non tantùm nomine, sed etiam reipsa diuersos ab his qui à Matthæo recensentur. Quorum opinio (tametsi quidam recentiores aliter senserint, multa ex proprio capite confingentes quæ probari non possunt) longè videtur probabilior; tum quia, cùm omnia ferè ipsorum nomina perspicuè diuersa sint, non est verisimile quòd omnes fuerint binomines; (siquidem id paucis admodum contingere solebat:) tum etiam quia, si reipsa fuissent eædem personæ, etiam in numero conuenirent. & tamen non ita est: nam S. Matthæus à Dauide ad Christum ponit tantùm viginti octo generationes; quibus si addantur tres inter Ioram & Oziam iusta de causa, vt aliàs ostendimus, prætermissæ, erunt in summa triginta & vna: sanctus verò Lucas easdem multò plures facit, nimirum duas & quadraginta. quod nemini mirum videri debet: siquidem in diuersis generationibus sæpenumerò contigit, intra idem temporis interuallum quosdam magis, quosdam verò minùs multiplicare. Igitur oportet quòd personæ seorsum ab vnoquoque Euangelista recensitæ, fuerint inter se diuersæ, saltem ferè omnes. Dixi, *ferè omnes:* quia non desunt qui putant, eas quas vterque Euangelista eodem prorsus appellat nomine, puta Salathielem & Zorobabelem; vel admodum simili, vt sunt Mathan & Mathat, non fuisse inter se diuersos, sed omnino eosdem. quod tamen credere necessarium non est; præsertim cùm facilè potuerint plurimi iisdemmet nominibus appellari, quemadmodum in aliis sacræ Scripturæ locis inuenimus, & in hac ipsa Christi genealogia à S. Luca descripta, in qua duos legimus vocatos Leui, & totidem Mathathias, & præter sponsum beatissimæ Virginis, tres Ioseph nuncupatos; & nos sub anno mundi 3322. num. 5. aliquot patrum & filiorum exempla protulimus, quorum nomina (respectiuè vt aiunt) aliis patribus filiisque fuerunt communia. Verumtamen, quia omnino probare non possumus, quòd prædicti Salathiel & Zorobabel ab vtroq; Euangelista memorati, fuerint iidem vel diuersi; & quòd Mathan apud Matthæum fuerit vel non fuerit is, quem Lucas vocat Mathat; proptereà de his num. sequenti, non absolutè, sed sub conditione loquendum erit.

IOSEPH EX VTROQVE PARENTE, NATVRALI ET LEGALI, A DAVIDE ORIGINEM DVXIT.

22. Cùm igitur dictum sit, genealogiam Christi à S. Matthæo per lineam regiam, à sancto autem Luca per Sacerdotalem esse deductam; si quis percontetur, An quemadmodum constat S. Matthæum à Dauid vsque ad Ioseph descendendo, numquam à linea Regia discessisse; ita certum sit, sanctum quoque Lucam, ab eodem Ioseph siue Heli vsque ad Nathan ascendendó, à linea Sacerdotali numquam declinasse; dicimus, id non omnino exploratum haberi; aliis affirmantibus, aliis verò negantibus. Et quidem si vera est opinio recentiorum, quòd scilicet Salathiel & Zorobabel recensiti à S. Luca, diuersi sint ab illis eiusdem nominis quos refert S. Matthæus; vtique nihil prohibet etiam credere, quòd qui à S. Matthæo vocatur Mathan, fuerit diuersus ab eo quem S. Lucas appellat Mathat; & quòd idem S. Lucas ab Heli vsque ad Nathan per genera-

AN S. LVCAS LEGALES DVMTAXAT CHRISTI GENERATIONES RECENSVERIT.

generationes Sacerdotales semper ascenderit. Sin autem magis placet sententia Euthymij & aliorum, quòd videlicet fuerint ijdem: profectò oportet cum eodem Auctore & aliis affirmare, Salathielem fuisse filium legalem, hoc est adoptiuum Neri, qui erat de tribu Sacerdotali; & naturalem Iechoniæ, qui erat de tribu Regia; & ita S. Lucam interdum ad Regalem quoque stirpem, per legales nimirum suas generationes accessisse; & supponere, quòd quemadmodum olim Dauid post mortem Vriæ, ducta Bethsabee in vxorem, adoptauerat sibi Nathan aliosque ab eadem Bethsabee Vriæ primo eius viro iam genitos: ita mortuo Iechonia patre Salathielis naturali, quòd Neri, qui erat de stirpe Nathan, duxerit matrem Salathielis ab Iechonia relictam, adoptaueritque Salathielem sibi in filium; & sic Salathiel secundùm Matthæum fuerit verus ac naturalis filius Iechoniæ; secundùm verò Lucam, filius adoptiuus dicti Neri. Scio Siluestrum Steier Leoualtam in suis Libris de Genealogia Saluatoris, oppositum asserere, ac sæpiùs supponere non dubitasse, videlicet, Salathielem fuisse filium naturalem Neri, legalem verò Iechoniæ; sed hoc nullatenus admittendum est, quia constat omnes generationes à Matthæo in Christi genealogia recensitas fuisse naturales, & nullam earum legalem; alioquin ex his constare non posset, Ioseph virum Mariæ verè ac naturaliter de Dauidis semine & progenie prodiisse: quod tamen ibidem sanctus Euangelista probare intendit. Nec obstat locus Ieremiæ cap. 22. in fine, vbi Iechonias appellatur sterilis; quia non propriè de naturali generatione accipiendus est, sed per translationem, quemadmodum nos sub anno mundi 3472. n. 2. declarauimus. Nam & ibi plurimos etiam alios eius filios naturales nominatim ex ipsamet Scriptura sacra recensuimus. De Zorobabel autem, qui vtroque Euangelista attestante fuit filius Salathielis, & secundùm Matthæum dicitur genuisse Abiud, secundùm verò Lucam, Resa: dici posset, ambos naturaliter quidem ab ipso Zorobabele fuisse genitos; sed Abiud ante Salathielis adoptionem factam à Neri, Resam autem post; & propterea, Abiud & posteros eius positos esse à S. Matthæo in linea Regali à Salomone deducta; Resam verò & eius descendentes recenseri à S. Luca in linea Sacerdotali, quæ ducitur à Nathan; & hoc saltem vsque ad Mathat. qui, si fuit idem cum eo quem S. Matthæus vocat Mathan; oportet ipsum fuisse filium naturalem Eleazaris, qui erat de prosapia Salomonis; & idem sentiendum est de Panthere eius fratre, qui fuit proauus beatissimæ Virginis Mariæ, vt sub anno mundi 4037. num. 3. probatum est: vtrumque autem, Mathan scilicet & Pantherem, fuisse filios adoptiuos Leui (hunc enim S. Lucas facit patrem, subintellige adoptiuum seu legalem, ipsius Mathat, & consequenter dicti Pantheris.) Item, si Mathat idem fuit qui & Mathan; oportet quòd iste genuerit duos filios, nempe Iacob, secundùm Matthæum, & Heli, secundùm Lucam, fuerintque Iacob & Heli fratres naturales. Sin autem (quod magis credimus) fuerunt diuersi, oportet quòd Mathan, cùm de vxore sua Estha genuisset Iacobum, mortuus sit, & quòd posteà Mathat duxerit eamdem Estham vxorem, genueritque ex ea filium nomine Heli, fuerintque Iacob & Heli fratres vterini de diuersis patribus nati, quemadmodum dilucidè admodum narrant Iulius Africanus apud Eusebium, & S. Gregorius Nazianzenus locis proximè citandis, & Euthymius cap. 6. in Lucam: tametsi per errorem pro Mathat posuerint Melchi, vt sub anno mundi 4037. n. 3. ostensum est. Oportet item quòd mortuo Heli sine liberis, Iacob obediens Legi latæ Deuter. cap. 25. vers. 5. 6. & 7. duxerit vxorem Heli fratris defuncti, genueritque ex ea filium nomine Ioseph: & sic Ioseph, qui posteà fuit vir Genitricis Dei Mariæ, fuerit filius naturalis dicti Iacob, legalis verò Heli, vt post Iulium Africanum ab Eusebio lib. 1. Ecclesiasticæ Historiæ cap. 7. relatum, sentiunt SS. Gregorius Nazianzenus in suis Carminibus de Genealogia Christi, Hieronymus in Matthæi cap. 1. & Augustinus Retractationum lib. 2. cap. 7. & 12. licet priùs aliter tenuisset. Idem quoque senserunt alij multi, quos refert Melchior Canus Locorum Theologicorum lib. 11. c. 3. & eorumdem opinionem cap. 5. tuetur contra Osiandrum hæreticum. Ex dictis ergo infertur, memoratam Doctorum sententiam, quòd scilicet S. Lucas recensuerit Christi generationes per lineam Sacerdotalem, omnimodis esse veram; si omnes quos dictus Euangelista à Ioseph vsque ad Nathan enumerat, fuerunt diuersi ab iis, etiam eiusdem nominis, qui à S. Matthæo inter eumdem Ioseph & Salomonem memorantur. Si verò ipsorum aliqui, nimirum Salathiel & Zorobabel, Mathan & Mathat, pro eisdem reputantur, vtique oportet dictam sententiam non absolutè de omnibus esse accipiendam; sed tantùm, vt in pluribus, siue ferè in omnibus esse veram. Et hoc non videtur incredibile: nam si certum est, eumdem Euangelistam in principio dictæ genealogiæ, à Ioseph qui erat de tribu

Iuda

Iuda ac Regia, per generationes legales transiſſe ad eos qui erant de tribu Leui ac familia Sacerdotali; & in fine econuersò, de Nathan, qui erat de familia Sacerdotali, tranſitum feciſſe ad Dauid de tribu Iuda Regiaque exiſtentem: cur non probabile item ſit, ab eodem Euangeliſta, etiam in generationibus intermediis, quandoque prout res expoſtulare videbatur, alios eiuſmodi tranſitus fuiſſe factos? Et hæc de Chriſti genealogia ſint dicta.

23. Ex qua licet perſpicuè admodum appareat, Ieſum Chriſtum ſecundùm hominem fuiſſe de tribu Iuda, & de ſtirpe Dauidis; id tamen etiam apertiſſimè comprobant plura alia ſacræ Scripturæ teſtimonia: atq; illud in primis eiuſdem Dauidis in Pſal. 131. verſ. 11. *Iurauit Dominus Dauid veritatem, & non fruſtrabitur eum: De fructu ventris tui ponam ſuper ſedem tuam.* quod & confirmauit Angelus Domini, Luc. cap. 1. verſ. 32. Mariæ dicens: *Et dabit illi Dominus Deus ſedem Dauid patris eius.* Et hoc idem poſteà fuiſſe impletum, non obſcurè indicauit ſanctus Zacharias in ſuo Cantico, quod habetur in eodem Luc. cap. v. 60. vbi ait: *Erexit nobis cornu ſalutis in domo Dauid pueri ſui.* Huc ſpectat etiam vaticinium illud Ierem. cap. 33. verſ. 15. in hæc verba: *In diebus illis, & in tempore illo germinare faciam Dauid germen iuſtitiæ: & faciet iudicium & iuſtitiam in terra.* Quòd enim pro germine Dauidis ibi Meſſias ſit intelligendus, perſpicuè docent quæ ibidem ſubſequuntur: *In diebus illis ſaluabitur Iuda, & Ieruſalem habitabit confidenter: & hoc eſt nomen quòd vocabunt eum, Dominus iuſtus noſter.* Verùm id de quo nunc agimus, multò clariùs deinde tradidit S. Matthæus initio ſui Euangelij, dicens: *Liber generationis Ieſu Chriſti filij Dauid,* & S. Paulus Apoſtolus Actorum cap. 13. verſ. 23. vbi de Dauide verba faciens, hæc ſubintulit: *Huius Deus ex ſemine, ſecundùm promiſsionem* (ſubaudi, factam ipſi Dauidi in Pſal. proximè citato) *eduxit Iſrael Saluatorem Ieſum.* & 2. ad Timoth. cap. 2. verſ. 8. dicebat: *Memor eſto Dominum Ieſum Chriſtum reſurrexiſſe à mortuis ex ſemine Dauid ſecundùm Euangelium meum.* & ad Rom. cap. 1. verſ. 3. *Qui factus eſt ei,* inquit, *ex ſemine Dauid ſecundùm carnem.* & denique ipſemet Chriſtus Apocalyp. cap. vlt. verſ. 16. de ſe ipſo per Ioannem ait: *Ego ſum radix, & genus Dauid.* id eſt, ego quatenus homo, de radice ac genere Dauidis prodiui. Quin & Iudæi quoque ipſi inter ſe diſceptantes (Ioannis cap. 7. verſ. 41. & 42.) dicebant: *Numquid à Galilæa venit Chriſtus? Nonne Scriptura dicit: Quia ex ſemine Dauid, & de Bethleem caſtello, vbi erat Dauid, venit Chriſtus?* & Phariſæi ab eodem Ieſu interrogati de Chriſto, cuius filius eſſet; protinus, & ſine vlla hæſitatione reſponderunt; Dauid: vt patet Matthæi cap. 22. verſ. 42. Marc. cap. 12. verſ. 35. & Luc. cap. 20. verſ. 41. Sed &, ſi ſacri Euangelij paginas quis diligenter euoluat, multa alia ad confirmationem eorum quæ dicta ſunt, inueniet, nempe apud S. Marcum cap. 10. verſ. 47. & 48. & apud S. Lucam c. 18. verſ. 38. cæcum illum clamantem coram Ieſu & dicentem: *Fili Dauid miſerere mei.* & apud S. Matthæum cap. 9. v. 27. & cap. 20. verſ. 30. & 31. duos illos cæcos pariter dicentes: *Miſerere noſtri fili Dauid.* & cap. 15. verſ. 22. mulierem Chananæam dicentem: *Miſerere mei Domine fili Dauid.* & cap. 21. verſ. 9. turbas quæ præcedebant & quæ ſequebantur Dominum. & item ibidem verſ. 15. pueros conclamantes: *Hoſanna filio Dauid.* nimirum, non humano ac puerili, ſed diuino actos Spiritu; quemadmodum declarant verba quæ ibidem Principibus Sacerdotum & Scribis reſpondit Ieſus, dicens: *Numquam legiſtis, quia ex ore infantium & lactentium perfeciſti laudem?* Itaq; quid poteſt eſſe hac veritate clarius? quæ non ſolùm à Prophetis & Angelis, & ab ipſo Domino manifeſtata eſt; ſed etiam communiter trita & vulgata erat apud omnes cuiuſcumque ſexus & ætatis homines, viros ac mulieres, pueros & ſenes, doctos & indoctos? Quomodo autem ipſe Chriſtus de progenie Dauidis prodierit, accuratè admodum tradunt SS. Euangeliſtæ Matthæus & Lucas in genealogia Saluatoris; primus initio ſui Euangelij vſque ad verſ. 18. ſecundus verò cap. 3. verſ. 23. & ſequentibus.

IESVM FVISSE DE TRIBV IVDA, ET STIRPE DAVID.

24. Vnum adhuc ad Chriſti genealogiam ſpectans, reſtat dicendum, videlicet, quòd ipſum non de Iudæis tantùm, ſed etiam de Gentibus prodiiſſe, dici quodammodò poteſt; quandoquidem certum eſt, Matthæi cap. 1. verſ. 5. in genealogia Saluatoris duas poni mulieres non Iſraëliticas, ſed alienigenas, nempe, Rahab meretricem, quæ erat Chananæa habitans in Iericho, vt habemus Ioſue cap. 2. verſ. 1. de qua Salmon poſteà genuit Booz proauum Dauidis; & Ruth, quæ erat Moabitis, de qua idem Booz genuit Obed auum eiuſdem Dauidis, & cuius hiſtoria non ſine diuino conſilio in Sacris voluminibus traditur ſpeciali libro, cui titulus eſt *Ruth.* Ad hanc mulierem videtur alludere voluiſſe Iſaias cap. 16. verſ. 1. vbi de Meſſia mittendo vaticinans, exclamabat: *Emitte agnum Domine dominatorem terræ de petra deſerti ad montem filiæ Sion.* ſiquidem

CHRISTVM NON DE IVDAEIS TANTVM, SED ETIAM DE GENTIBVS PRODIISSE.

ibi per Petram deserti, S.Hieronymus Ruth intelligendam putat; quòd ipsa, vt diximus, esset de terra Moab, quæ erat pars Arabiæ Petrææ, non multùm distans ab Arabia Deserta. Quoniam autē certum est, Salomonem in ædificatione templi, nō Iudæorum opera tantùm vti voluisse; sed etiam Gentium, puta Tyriorum, qui erant Phœnices; & Proselytarum, qui erant ex variis nationibus oriundi; & ipsemet Hiram primarius dictæ fabricæ architectus, ex Tyrio patre natus erat, vt sub anno mundi 3020.num.17. dictum est; conueniens admodum videtur, vt sicut templum Salomonis, quod typum gessit corporis Christi, non à solis Iudæis, sed etiam à Gentibus ædificatū fuit; ita ipsum quoque templum corporis Christi, de quo dicebat Dominus Ioan.cap.2.vers.19. *Soluite templum hoc, & in tribus diebus excitabo illud.* & Apostolus ad Coloss.cap.2.vers.9. *In ipso habitat omnis plenitudo diuinitatis corporaliter*, etiam à Gentilibus aliquo modo originem duceret: vt qui non pro Iudæorum salute solùm, sed & Gentium venerat, ab vtroq; populo progenitus quodammodò diceretur. Diuina item prouidentia factum credimus, quòd hæ duæ potissimùm mulieres è tota Gentilitate electæ fuerint, quæ ad Dominicam genealogiam continuandam interuenirent; quia ipsæ in multis Ecclesiam ex Gentibus colligendam præfigurarunt: tametsi Rahab magis Gentium conuersionem ad Christi fidem; Ruth verò potiùs fidelium vocationem ad perfectioris vitæ statum præsignasse videantur. Nam sicuti Ruth oblita populum suum, & domum patris sui, sequi maluit socrum suam, quæ ex eo quòd dicebatur Noëmi, hoc est, pulchra, significabat purioris vitæ pulchritudinem; & quia inclinauit aurem suam monitis eius, ideoque à Booz concupita, meruit fieri proauia Regis Dauid, & in sacra Christi genealogia recenseri: ita multi in sancta Ecclesia sunt, qui cum Regio Propheta audientes quæ in ipsis per sanctas inspirationes internasque vocationes loquitur Dominus Deus, & oblitis atque à se abiectis sæculi vanitatibus, tantam coram Domino inueniunt gratiam, vt eidem in vnitate spiritus iungi, aliosque docendo orandoque lucrari, atque hoc pacto inter Christi progenitores connumerari mereantur, iuxta illud Matth.cap.12. in fine: *Quicumque fecerit voluntatem Patris mei qui in cælis est, ipse meus frater, & soror, & mater est. Nam*, vt ibidem ait S.Gregorius, *quasi parit Dominum, qui eum cordi audientis infundit, & mater eius prædicando efficitur, si per eius vocem amor Domini in proximi mente generatur.* Et sicuti Rahab, quæ priùs erat meretrix, relicto pariter idolorum cultu & infami illa professione, excipiensque nuntios siue exploratores à Iosue missos, fassa est Deum Iudæorum esse verum Deum in cælo sursum, & in terra deorsum (vt apertè traditur Iosue cap.2.vers.11.) meruitque signo coccinei funiculi ab illo communi ciuitatis interitu liberari, & cum victoribus viuere non ipsa solùm, sed & omnes qui de domo sua tunc non exierunt: ita Gentilitas, quæ priùs cum idolis fornicata fuerat, posteà excipiens Prædicatores & conscientiarum exploratores à Christo missos, confessa est ipsum Christum non hominem tantùm esse, verùm etiam Deum cęli & terræ, ac per signum sanctæ crucis eius Sanguine purpuratæ, liberata est ab æternæ damnationis sententia, & ad æternam vitam consequendam prouecta cum omnibus iis qui in domo sua, hoc est in sancta Ecclesia iugiter permanere, & ab ea egredi nullatenus volunt. Nam quemadmodùm sola domus Rahab in tota illa ciuitate saluata est; ita in toto orbe terrarum in sola Dei Ecclesia Catholica saluari homines possunt. Meritò igitur de Rahab dicebat Apostolus ad Hebr.cap.11.vers.31. *Fide Rahab meretrix non periit cum incredulis, excipiens exploratores in pace.* & S.Iacobus in sua Catholica cap.2. vers.25. *Similiter & Rahab meretrix, nōnne ex operibus iustificata est, suscipiens nuntios, & alia via eiiciens?* Ad quid, obsecro, hæc de ista muliere? nisi vt ostenderent, sanctam Ecclesiam in ipsa figuratam, ea fide formata quæ per charitatem operatur, à Deo iustificari & sanctificari? Meritò item de eadem muliere S. Chrysostomus Homil.5. de Pœnitentia, dicebat: *Erat* (subaudi, Rahab) *in fornice veluti in volutabro confusa margarita, aurum in luto abiectum, flos spinis circumfusus. Per fidem verò viuam, margarita è volutabro, aurum è luto, flos è spinis emersit.* sic ille. Fortassis etiam vt insinuaret mysterium illud, quod in Ecclesia Gentium quomodo impletum fuerit, indicasse videtur Apostolus 1.ad Corinth.cap.6.vers.11. vbi post descriptas abominationes, in quibus Gentes ante susceptam fidem ac religionem Christianam sese fœdare consueuerant, continuò subiungit, dicens: *Et hæc quidam fuistis, sed abluti estis, sed sanctificati estis, sed iustificati estis in nomine Domini nostri Iesu Christi.* hactenus de genealogia Domini. Redeamus ad Historiam.

RAHAB ET RVTH CVR SOLAE DE GENTIBVS IN CHRISTI GENEALOGIA POSITAE.

DOMINVS CIRCVMCIDITVR.

☞ 25. Die octauo ab eius natiuitate, Dominus noster Iesus Christus, in eamet spelunca in qua natus erat (quemadmodum asserit sanctus Epiphanius Hæres. 20. contra Herodia-

Herodianos cap. De præsentia Christi) circumcisus fuit; primamque pretiosissimi Sanguinis sui, quo redimendi eramus, arrham vltrò nobis exhibuit; & vt parentes eius ab Angelo præmoniti fuerant, IESVS est appellatus, Lucæ cap. 2. vers. 11. Quòd autem olim non in Synagogis (vt nunc fit apud Iudæos) sed propriis in domibus circumcisio fieret; multis ac validis probat argumentis Cardinalis Toletus super Lucæ cap. 1. Annot. 137. Fallitur ergo S. Hilarius, qui super Psal. 107. putat Iesum fuisse circumcisum in Templo. Quod stare non potest; quia parturientes, per Legem Leuitici c. 12. latam, tenebantur manere in sanguine purificationis suæ; & non nisi post 40. dies, si masculum pepererant, vel 80. si feminam, ire ad Templum pro ipsarũ purificatione & paruulorum præsentatione; & consequenter, non poterant infantes octauo die deferri ad ipsum Templum, vt ibi circumciderentur: nam cùm circumcisio necessariò facienda esset octauo die, vtique à Iudæis extra Iudæam & longè admodum à Templo habitantibus, statuto die fieri minimè potuisset, si ad Templum circumcidendos portare necesse fuisset.

26. A quo autem Christi circumcisio facta fuerit, Scriptura non meminit. Petrus Besseus, Concionum suarum Tomo 1. in festo Circumcisionis, probare nititur, Iesum à beatissima Virgine Matre sua fuisse circumcisum; & pro se citat S. Hieronymum in libro de Vera circumcisione; & S. Bernardum in lib. de Planctu seu Lamentatione Virginis. deinde etiã rationibus idem confirmare conatur, dicens, quòd in Lege veteri non erat certus circumcisionis locus, nec minister statutus; sed quilibet & vbique poterat pueros circumcidere. non enim (inquit) hoc vspiam legitur fuisse reseruatum Sacerdotibus & Leuitis tantùm, ceteris exclusis; sed promiscuè omnibus & vbicumque (vt probat Abulensis super Iosue cap. 5.) id præstare licebat; ita vt mulieres quoque interdum id muneris sibi arrogarent. legimus namque Exod. cap. 4. vers. 25. Sephoram Moysi vxorem, veritam ne Angelus occideret virum suum, eò quòd duceret secum ad filios Israel filium incircumcisum, illicò circumcidisse eum. Et 1. Machab. cap. 1. vers. 63. Antiochum Regem iussisse trucidari mulieres quæ filios suos circumcidebãt. Ex quibus omnibus infert allegatus Auctor, verisimile esse, immò rationi consonum, credere Iesum à sacratissima matre sua fuisse circumcisum; tum quòd illa nollet ab aliis filium Dei tangi & attrectari; tum verò etiam quòd minori cum dolore id se facturam putaret, vtpote quæ manus teneriores & molliores haberet. Sed mihi magis videtur probabile, & rationi consentaneum, quòd quemadmodum de S. Ioan. Baptista legimus Lucæ cap. 1. vers. 59. *Et factum est in die octauo venerunt circumcidere puerum:* ita in die octauo natiuitatis Domini, qui post sex tantum menses subsecutus est, venerint, qui huic officio præerant, circumcidere Iesum. Nam etsi in Lege nullus inueniatur huic muneri præfectus, nec locus statutus, & consequenter videatur cuilibet, vt dictum est, & vbique licuisse illud præstare: nihilominùs id intelligendum est, in casu necessitatis tantùm, sicut nunc fit de Baptismo, qui tamen extra dictum casum habet suos proprios & ordinarios ministros, & loca determinata in singulis oppidis, vbi, & à quibus ministrari debet. Nam (vt etiam probat Toletus super Lucæ cap. 1. Annotat. 137.) ex loco eiusdem Lucæ proximè adducto manifestè infertur, extitisse proprios circumcisionis ministros, quos à Principibus Sacerdotum in singulis ciuitatibus & villis deputatos fuisse credendum est, qui admoniti de ortu alicuius pueri, ad domũ eius octauo die cum cultello lapideo venirent, vt eum circumciderent. Et ideò credendum quoque est, B. Virginem, tamquam ordinationum Sacerdotalium, aliorumque superiorum (de quibus posteà Dominus dixit: *Quæ dicunt facite)* obseruantissimam, filij sui circumcisionem ab vno ex ordinariis eius ministris fieri voluisse; præsertim cùm nulla tunc aliter faciendi necessitas cogeret. Et recta ratio non suadet, quòd ipsa nollet Filium Dei ab aliis tangi & circumcidi, quem sciebat à peccatoribus debere crucifigi. Nec maior minórve manuum teneritudo aut mollities, sed potiùs muneris exercendi peritia vsu comparata, minuere augeréve poterat infantis dolorem, qui non ex contrectatione, sed potissimùm ex incisione oriebatur. & certum est, non reperiri quòd vlla mulier circumciderit filium, nisi in casu necessitatis, vt patet in exemplis de Sephora, & matribus Antiochinæ persecutionis tempore adductis. Nec obstant SS. Hieronymi & Bernardi auctoritates libris citatis allegatæ; quia non constat libros illos verè à dictis SS. Patribus fuisse conscriptos, & propterea rectè non inter alios ipsorum proprios, sed seorsum inter alios ipsis tributos computari solent.

27. Die decimotertio ab eiusdem Christi ortu, vt est communior Doctorum sententia, Iesus à Magis ab Oriente aduenientibus propter nouæ illius stellæ apparitionem, cuius ADORATVR A MAGIS.

cuius ortum ante annos mille quadringentos sexaginta octo, vt colligitur ex tabulis, prænuntiauerat Balaam ariolus Numer. cap. 24. vers. 17. humiliter adoratus fuit, & mysticis muneribus largè donatus. Huius rei historiam accuratè describit S. Matthæus cap. 2. vers. 1. vsque ad 13. eamdemque latè admodum explicant omnes eiusdem loci Expositores. Quin etiam ad hanc Magorum adorationem, tamquam ad initium quoddam conuersionis Gentium ad fidem cultumque ipsius Christi, disertè olim alluserat Isaias Propheta cap. 60. presertim verò vers. 3. illis verbis: *Et ambulabunt Gentes in lumine tuo, & Reges in splendore ortus tui.* & vers. 6. *Inundatio camelorum operiet te, dromedarij Madian & Epha: omnes de Saba venient, aurum & thus deferentes, & laudem Domino annuntiantes.* & ante Isaiam Regius Psaltes in Psalm. 71. *Reges,* inquit, *Tharsis, & insulæ munera offerent, Reges Arabum & Saba, dona adducent.* Ex quibus locis aliisque coniecturis, multi tum sanctorum veterumque Patrum, tùm etiam recentiorum Doctorum, non sanè improbabiliter tenuerunt, eosdem Magos, nedum Sapientes (id enim Magorum nomen apertè indicat) sed etiam fuisse Reges, vel saltem Regulos, videlicet vnumquemque vnius saltem vrbis dominum: quemadmodum constat olim singulas Chananæorum ciuitates proprios habuisse Reges, vt apertè colligi potest Iosue cap. 12. vers. 9. vsque ad finem capitis. vt propterea haud mirum videri debeat, si Magi ab Herode Rege magno non honorificentiùs legantur excepti. Porrò quòd iidem Magi Reges fuerint, opinio fuit plurimorum Auctorum, quos recenset Melchior Canus Locorum Theologicorum lib. 11. cap. 3. argumento 4.

MAGOS FVISSE REGVLOS

MAGORVM ADVENTVS QVANDO.

¶ 28. Diximus Magos venisse die decimotertio ab ortu Saluatoris ad veneranda eius incunabula, quod probat antiqua traditio, de qua attestatur Melchior Canus libro proximè adducto cap. 5. ad 5. & S. Ecclesiæ ritus, qui Epiphaniæ Festum die decimotertio à Christi Natiuitate celebrare solet. Cui etiam adstipulatur communior Doctorum veterum ac recentiorum opinio, quę habet, Magos adorasse puerum Iesum, priusquam in templo à parentibus de more præsentatus fuisset. Et hoc idem aliis quoque rationibus ex ipso sacri Euangelij textu petitis confirmari potest: nam quod legimus Matthæi cap. 2. *Cùm ergo natus esset Iesus in Bethleem Iudæ, ecce Magi ab Oriente venerunt.* proculdubiò illud *ecce* ibi insinuat, quòd iam tunc recèns natus esset Iesus, non autem biennio antè, vt putarunt S. Epiphanius Hæresi 51. & nonnulli alij. Deinde, ex eodem quoque S. Matthæi capite certum est, quòd Magi inuenerunt puerum cum Maria matre eius in Bethleem; ergo ante diem purificationis Mariæ: nam post ipsam, ex Luc. cap. 2. vers. 39. constat, quòd *vt perfecerunt omnia secundùm Legem Domini, reuersi sunt in Galilæam in ciuitatem suam Nazareth.* Et deinde nusquam legimus eos redisse in Bethleem; neque verisimile est credere, quòd illuc redierint: ad quid enim eò illos reuerti, quò primùm coacti venerant, non vt morarentur, sed dumtaxat vt profiterentur in ciuitatem Dauid: quamuis posteà occasione partus Mariæ, oportuerit eos ibi moram trahere, donec iuxta Legem Leuit. cap. 12. vers. 3. puerperæ dies purificationis implerentur, intra quos certum est venisse Magos cum muneribus, adorasseque puerum Iesum. Quòd si quis prædictis opponat ipsum S. Epiphanium vbi suprà dicentem, quòd parentes Christi primo & secundo eius anno impleto, venerunt de Nazareth in Bethleem memoriæ gratia eorum quæ illic facta fuerant; & quòd tunc contigit etiam eò venisse Magos, & inuenisse adorasseque puerum Iesum. Respondemus, id gratis dici; & nullo modo potuisse parentes Christi post vnum & alterum eius annum redire de Nazareth in Bethleem, adhuc viuente Herode; quem constat tribus circiter mensibus post Christum natum obiisse; vt nos infrà num. 35. vsque ad 43. fusiùs ostendemus: & consequenter oportet S. Iosephum ferè statim ac post præsentationem in templo factam, peruenerunt in Nazareth, admonitum fuisse ab Angelo, vt cum Iesu & matre eius fugeret in Ægyptum, eò quòd Herodes vellet quærere puerum ad perdendum eum. Neque verò quòd in die purificationis parentes ipsius Iesu non agnum, sed par turturum aut columbarum obtulerint, indicat eos nondum accepisse à Magis thesauros; quia non propterea in tali oblatione debuerunt humilem proprij status conditionem excedere: & fortè, sic à sancto Spiritu edocti, munera à Magis accepta, pro peregrinatione Ægyptiaca reseruare maluerunt. Non item obstat quòd Herodes occiderit infantes *à bimatu, & infra, secundùm tempus quod exquisierat à Magis.* Nam illud, *secundùm tempus quod exquisierat à Magis,* referri debet, non ad illud *à bimatu,* sed ad illud, *infra;* ita vt sit sensus, Herodes iussit occidi omnes, qui intra postremum quod crudele illud facinus præcesserat biennium nati erant; præter illos quos post primum apparitionis stellæ tempus à Magis exquisitum, & militibus ab Herode enun-

enuntiatum, ortus comperirissent: de his enim nulla erat occasio metuendi; quia prima stellæ apparitio indicabat iam natum esse Messiam, quem Magi appellabant Regem Iudæorum: de iis verò qui biennio antè nati erant, poterat aliquo modo dubitari; quoniam interdum contigit infantulos paucorum dierum corpore adeò esse magno, vt à bimulis vix discerni valeant. Itaque quemadmodum Herodis malitia, quo cautiùs sibi suisque consuleret, non contenta fuit occidere pueros in Bethleem vbi Christum nasciturum Prophetæ vaticinio didicerat; sed etiam in omnibus finibus eius: ita non solùm recèns ante apparitionem stellæ natos, verùm etiam bimos dicta de causa necare voluit. Sed neque tempus tredecim dierum potuit non sufficere Magis, vt de Oriente venirent, quemadmodum quidam suspicati sunt; quia Oriens in sacris Scripturis interdum accipitur pro regionibus etiam non valdè remotis, modò Orientales sint illis, vbi sunt qui loquuntur, vt patet Genes. cap. 13. vers. 11. vbi de Lot dicitur, quòd *elegit sibi regionem circa Iordanem, & recessit ab Oriente.* & Num. cap. 23. vers. 7. Balaam dicebat: *De Aram adduxit me Balac Rex Moabitarum, de montibus Orientis.* Vnde si de eisdem montibus tamquam dicti Balaami successores, (vt probabilius videtur, & sentiunt SS. Ioan. Chrysostomus Homil. 1. ex cap. Matthæi 2. in Epiphania, & Hieronymus in cap. Matth. 2. & Ambrosius lib. 2. in Luc. cap. De aduentu Magorum, & alij) venerunt Magi; vtique etiam multò minori tempore potuerunt peruenire in Ierusalem: si autem de aliquantò remotioribus terris; inde item satis commodè dromedariorum vsu, quorum illæ regiones refertæ perhibentur, intra memoratos dies venire potuerunt: siquidem dromedarij, teste Aristotele lib. 9. de Historia animalium cap. vlt. velociùs currere solent quàm equi Nisæi. Verumtamen mihi probabilior videtur opinio SS. Chrysostomi, Hieronymi, & Ambrosij proximè relata, quòd scilicet Magi venerint de partibus Mesopotamiæ proximis; illis nimirum, quæ finitimæ erant Arabibus, & Sabæis, & Chaldæis; & quòd hac de causa quidam appellent eos Arabes, quidam Sabæos, quidam verò Chaldæos siue Persas. Chaldæi enim, qui & Babylonij, aliquando etiam in sacris Scripturis Persarum nomine significantur, vt patet 2. Machab. cap. 1. vers. 12. 13. & 19. VNDE MAGI VENERINT.

29. Venerunt ergo (vt diximus) Magi in Bethleem die decimotertio à natiuitate Domini; & tamen non videtur necessarium ponere, quòd totos illos tredecim dies in eo itinere consumpserint; quia non est probabile, quòd statim, visa stella, de Oriente discesserint; sed potiùs, quòd ea visa, confestim singuli de ciuitatibus suis, quæ ab inuicem non remotæ admodum fuisse creduntur, alicubi simul conuenerint, & de illa stellæ apparitione inter se differentes, intellexerint proculdubiò esse illam, quam olim prænuntiauerat Balaam, in ortu Regis Iudæorum, hoc est Messiæ, fore nascituram: & propterea communi consensu decreuerint, condixerintque statuta die pariter ad ipsum adorandum properare; interimque munera & ad iter faciendum necessaria præparari curauerint. Hæc autem videntur non minùs quàm duorum vel trium dierum interuallo peragi potuisse. Quod si verum est, vtique consequitur, eos non nisi tertia vel quarta dictæ apparitionis die de Oriente Iudæam versus proficisci cœpisse, & decem circiter diebus iter illud confecisse.

30. Ceterùm stella, quæ apparuit Magis, vt omnes vnanimiter fatentur, non fuit vna de celestibus à Deo in ipso mundi exordio creatis, sed corpus quoddam lucidum simile his quæ Græci Cometas, Latini Stellas cincinnatas seu crinitas vocant, quod in media aëris regione, ex aërea elemētarive materia, Deus in ortu Christi mirabiliter produxit, vt hoc speciali signo Gentibus natiuitas eius innotesceret; & post hunc vsum in præexistentem materiam resolutum est. Quare quod ab aliquibus SS. Patribus dicitur, hanc stellam fuisse ipso Sole splendidiorem, vel hyperbolicè (si de naturali splendore accipiatur) vel de spirituali illuminatione debet intelligi; quia nimirum per ipsam complacuit diuinæ bonitati Magorum mentes illuminare ad cognoscendum in homine Deum, & eorum voluntates ad ipsum inquirendum atque adorandum inflammare. Sed hîc quæri potest de loco in quo facta sit ista stellæ apparitio; an super ea plaga Orientis visa fuerit in qua Magi habitabant; an verò ipsi in Oriente existentes, eam veluti super Iudææ terras pendentem, de lōgè aspexerint; (vtroque enim modo in Oriente conspici potuit.) Ad hoc respondentes dicimus, nobis probabilius videri quod posteriùs dictum est. Si enim stella illa indicabat Regem Iudæorum in Iudæa esse natum, ratio dictat, quòd potiùs in Iudæa apparuerit, quàm in quauis alia mundi regione. & hoc etiam magis congruit cum Prophetiæ Balaami verbis, quæ sic habent: *Orietur stella ex Iacob.* id est, super terram quæ data fuit filiis Iacob. Sed si hoc verum est, vt credimus,

STELLA QVALIS FVERIT.

VBI APPARVERIT.

mus,quæri adhuc poteſt, Num Magi ab Oriente videntes ſtellam ſuper Bethleem fulgentẽ in Iudæam venerint habentes illam ſemper ante oculos,& tamquam viæ terminum oſtendentem: an verò ea ſemel viſa,& de Rege nato nihil amplius dubitantes, ſine ipſa profecti ſint in Iudæam. Et hoc magis credendum eſt; quia ſi ſemper vidiſſent ſtellam ſuper loco natiuitatis Chriſti permanentem; vtique numquam ad Ieruſalem diuertiſſent,ſed recto itinere in Bethleem perexiſſent. Dicere enim,quòd ſtella ſe ſubtraxerit ab oculis eorum; gratis dici videtur. Verùm quia multi ſupponunt dictam ſtellam non in Iudæa,ſed in Oriente primùm apparuiſſe,inſurgit aliud dubium, videlicet, An Magos ab Oriente in Iudæam venientes ſtella perduxerit eo modo quo poſteà eoſdem anteibat ducebatque ab Ieruſalem in Bethleem: An verò ipſi Magi viſa ſtella in Oriente,ſtatim intellexerint,natum eſſe in Iudæa Regem illum,de quo olim,vt dictum eſt,prophetauerat Balaam; & diuino acti Spiritu,ad illum adorandum properauerint; ac ſine vllo ductu ſtellæ venerint in terram Iuda; putanteſque Regem in regia ciuitate eſſe natum,recta via peruenerint in Ieruſalem,dicentes: *Vbi eſt qui natus eſt Rex Iudæorum? vidimus enim ſtellã eius in Oriente,& venimus adorare eum.* Et quidem licet vtraq; ſententia ſuos habeat ſectatores,& prior multò plures & grauiores; nobis tamen poſterior (quæ fuit Caietani ſuper Matthæi cap.2. & Ianſenij cap.9.ſuæ Concordiæ Euangelicæ,& aliorum) magis videtur conſona Textui ſacro,qui Matth.cap.2. verſ.2. ait: *Vidimus enim ſtellam eius in Oriente.* & verſ.9. idem repetit, dicens: *Et ecce ſtella quam viderant in Oriente.* & non dicit: *vidimus*, vel, *quam viderant venientes de Oriente.* Cùm ergo vtrobique ſtella hæc dicatur viſa in Oriente,& nuſquam innuatur, quòd viſa fuerit in via qua veniebant ab Oriente in Ieruſalem;ſed tantummodò in ea qua poſteà ibant de Ieruſalem in Bethleem; proculdubiò datur intelligi, quòd ſine ſtella duce Magi venerint de Oriente in Iudæam. Et ratio quoque ipſa huic opinioni adſtipulatur: ſiquidem quando ſtella à Magis in Oriente commorantibus viſa, indicauit eis natum eſſe in Iudæa Regem,non videtur opus fuiſſe, vt etiam monſtraret eis viam eundi in Iudæam. erat enim communiter ſatis nota & trita. Ab Ieruſalem autem in Bethleem proficiſcentibus apparuit Magis ſtella,non tantùm vt eorum viam dirigeret(nam etiam ſine ſtella facilè in Bethleem peruenire potuiſſent) quàm vt noua hac apparitione comprobaret veritatem Prophetici ſermonis,quem de loco ortus Chriſti audierant in Ieruſalem; & item vt eos de ſua inquiſitione anxios, aſpectu ſuo lætificaret; & præterea vt præcedens eos vſquequò ſtaret ſupra vbi erat puer,eoſdem quoque ab alia moleſtia,nimirum ab inueſtigatione domus in qua eſſet Ieſus,liberaret,& de inuecto quem quærebant Rege certiores faceret. Denique quæri poteſt, num ſtella hæc viſa fuerit etiam à Iudæis. Ad hoc conſtanter conuenienterque dici poſſe credimus, quòd ſi loquamur de prima eius apparitione,neceſſariò aſſerere debemus,eam à Iudæis non fuiſſe viſam; aut ſi viſa fuit,non fuiſſe cognitam. Certum namque eſt ex ſacro Euangelij textu,Herodem non ab alio quàm à Magis didiciſſe tempus apparitionis ſtellæ. Quod quidem euenire potuit,vel quia Iudæi ſpectandorum ſiderum arte non pollerent, vel potiùs quia Dei prouidentia factum ſit,vt Magi tantùm eam viderint & cognouerint, quia ipſi ſpecialiter dictam artem profitebantur, & ex maiorum ſuorum doctrina ac traditione eamdem ſtellam expectabant, eiuſque apparitionem aſſidua obſeruatione præſtolari conſueuerant; & quia conſtat eos ſpeciatim per dictam ſtellam, tamquam per externum ſignum ipſorum profeſſioni valdè accommodatum,interiùs verò per diuinæ gratiæ fideique ſplendorem ad incunabula Saluatoris adoranda fuiſſe à Deo vocatos atque perductos. Nam,vt benè ait S.Leo Papa in Serm.1.de Epiphania, *Dedit aſpicientibus intellectum,qui præſtitit ſignum; & quod fecit intelligi,fecit inquiri; & ſe inueniendum obtulit requiſitus.* Si verò loquamur de ſecunda eiuſdem ſtellæ apparitione, putamus etiam tunc,diuina prouidentia,à Magis tantùm & ab iis qui cum eis erant, ipſam fuiſſe viſam & cognitam;non autem à Iudæis, niſi fortè à paucis quibuſdam valdè pijs. Alioquin ſi communiter omnes eam vidiſſent cognouiſſentque; vtiq; magna in populo illo ſubſecuta commotio fuiſſet,& talis quæ forſitan neque ab ipſo Herode omnino compeſci potuiſſet. Nam ſi ſola relatio apparitionis dictæ ſtellæ a Magis facta,in cauſa fuit vt turbatus ſit Herodes & omnis Ieroſolyma cum illo: quid putamus feciſſent Iudæi,ſi ipſimet eam veluti in Bethleem proficiſcentem vidiſſent? Certè ipſa omnes in ſui admirationem rapuiſſet, & protinus in tota Iudæa eius fama percrebuiſſet, & plurimi poſt Magos concurriſſent, vt quantocyùs de nato Meſſia diligentiùs inquirere & certiores reddi poſſent. Nec opus fuiſſet Herodi expectare tamdiu reditum Magorum,& non niſi poſt Præſentationem Saluatoris in templo peractam, aduer-

aduertere & conqueri quòd illusus esset à Magis: iam enim à Iudæis ipsis audire potuisset inuentum esse Messiam. Igitur, vt dicebamus, non Iudæi, sed Magi stellam viderunt: *Quia* (vt benè dicebat S. Leo Papa in Serm. 2. de Epiphania) *Verbum caro factum sit susceptionis nostræ temperauit exordia, vt natus Iesus & credentibus manifestus, & persequentibus esset occultus.* Ceterùm, vt ad Magos redeamus, facilè crediderim, eos post Saluatoris adorationem toto reliquo illo die quo in Bethleem peruenerant, & nocte illa pariter insequente, in ea vrbe moratos esse. sic enim videtur posse colligi ex Matthæi cap. 2. vers. 12. vbi dicitur: *Et responso accepto in somnis ne redirent ad Herodem, per aliam viam reuersi sunt in regionem suam.* siquidem illud *in somnis* planè indicat eos ea nocte in Bethleem permansisse. Est autem hîc aduertendum, quòd S. Hieronymus exponens hæc S. Euangelistæ verba, ait: *Qui munera obtulerunt Domino, consequenter responsum accipiunt non per Angelum, sed per ipsum Dominum, vt meritorum Iosephi priuilegium demonstraretur.* Quæ verba non sunt accipienda in eo sensu, quem prima fronte præseferunt; videlicet, quòd Ioseph responsum acceperit per Angelũ, Magi verò per ipsum Dominum; alioquin non posset ibi S. Doctor inferre, merita Iosephi fuisse maiora meritis Magorum; sed potiùs sequeretur oppositum. Nam cùm, omnium consensu, honorabilius sit, responsum habuisse immediatè à Domino, quàm per ministerium serui; consequenter merita Magorum viderentur fuisse prælata meritis Iosephi, contra expressam intentionem S. Doctoris, qui statim ex præmissis subinfert: *Vt meritorum Ioseph priuilegium demonstraretur.* Oportet igitur priora eius verba ita accipere, ac si significare voluisset, Iosephum tãquam maioris meriti virum, nobiliori modo accepisse responsum à Domino, nimirum per Angelicam apparitionem sibi in somnis factam: Magos verò ab eodem quidem Domino, sed per aliud medium minùs honorificum, & commune aliis hominibus inferioris meriti; nempe per simplicem aliquam visionem nocturnam; non quidem obscuram & interprete indigentem, quemadmodum fuerat illa septem vaccarum pinguium & totidem gracilium; & item septem spicarum pulcherrimarum & aliarum valdè tenuium, per quam olim ostendit Dominus Pharaoni septem annos fertilitatis, & totidem sterilitatis subsecuturos: & Nabuchodonosoro per visum statuæ grandis membra ex variis metallis conflata habentis, regna quæ post ipsum surrectura erant; sed his multò clariorem, puta, per quamdam ostensionem singulis Magis seorsum eadem nocte factam magni cuiusdam impedimenti in via qua venerant positi; ex cuius somnij collatione inter ipsos manè habita, facilè intellexerunt, Deum nolle eos ampliùs per eamdem viam redire. Sed hæc de verborum S. Hieronymi intelligentia hîc obiter sint dicta. Nunc sacram prosequamur historiam.

31. Die post Christum natum quadragesimo, videlicet, postquam impleti sunt dies purificationis Mariæ secundùm Legem Moysi, ipsa cum viro suo Ioseph portauit Iesum in Ierusalem, vt (quemadmodum latè describit S. Lucas cap. 2. vers. 22. vsque ad 39.) vno eodemque contextu, duas Leges olim per Moysen latas adimplerent. Alteram Exod. cap. 13. vers. 12. vsque ad 15. & Numer. cap. 18. v. 16. de primogenitis masculis coram Domino offerendis, ac pretio, nimirum siclis argenti quinque, vt ibidem exprimitur, redimendis. Alteram Leuit. 12. per totum, de enixarum purificatione, ritu ibidem descripto peragenda. Priorem tangit sanctus Euangelista illis verbis: *Tulerunt illum in Ierusalem, vt sisterent eum Domino, sicut scriptum est in Lege Domini: Quia omne masculinum adaperiens vuluam, sanctum* (hoc est, sanctificatum) *Domino vocabitur.* subaudi, per oblationem in templo, & redemptionem eius pretio Lege statuto factam. Posteriorem memorat, subiungens: *Et vt darent hostiam secundùm quod dictum est in Lege Domini par turturum, aut duos pullos columbarum.* Istæ enim duæ Leges hoc eodem tempore obseruari consueuerant: quia quod loco Numer. citato dicitur de primogenitorum redemptione post vnum mensem facienda, ita Iudæi intelligebant, vt non ante, nec præcisè statim post, sed non multò post vnum mensẽ fieret: ac propterea occasione purificationis maternæ, filij quoque præsentatio & redemptio fieri solebat. Et quidem certum est, Deiparam Virginem talibus Legibus non fuisse comprehẽsam, quòd non suscepto semine, sed de Spiritu sancto concepisset; & non de aperto, sed de clauso eius vtero Iesus, quemadmodum posteà de clauso obsignatoque sepulchro mirabiliter prodiisset. Hoc enim & ipse Legislator nõ ignorauerat, qui propterea creditur legalia verba ita componere studuisse, vt planè Dei Genitricem ab ea obligatione exciperent. Nam, vt rectè sanctus Bernardus Serm. 3. de Purificatione, ait: *Putásne quia dicturus Moyses, mulierem quæ peperisset filium, immundam esse, non timuerit super matre Domini blasphemiæ crimen incurrere, & idcirco præmiserit: Suscepto semi-*

DE PVRIFICATIONE BEATISSIMAE VIRGINIS.

ne? Alioquin nisi parituram præuidisset sine semine virginem, quæ necessitas erat de suscepto semine fieri mentionem? Hic iste Sanctus. cui nos addere possumus, eumdem Moysen hoc idem præuidisse Exod. c. 13. v. 12. vsque ad 15. vbi præcipiens, primogenita consecranda esse Domino, & pretio esse redimenda; non contentus fuit illa primitiuorum ac primogenitorum vocabulis exprimere, sed adhuc magis se explicans, non semel adiecit: *Omne quod aperit vuluam.* Quibus verbis sanctus etiam Euangelista loco eius citato vti voluit. Ad quid hoc? nisi vt sic manifestè exciperent Saluatorem. qui licet primogenitus esset, non tamen de aperto, sed de clauso Virginis vtero, vt dictum est, exiit. Patet itaq; quòd dictæ Leges non obligabant Matrem Domini, neq; filium eius. & consequenter, quòd sicut ipse quem Pater sanctificauit & misit in mundū, nulla egebat Legali sanctificatione; ita nec ipsa, quæ semper purissima fuit, vlla purificatione. Verumtamen tamquam Legis obseruantissima, & quia sciebat filium suum venisse, non vt Legem solueret, sed (quemadmodum ipsemet posteà Matthæi c. 5. v. 17. testatus est) vt eam adimpleret; subaudi, quoadvsque eam vigere conueniens esset. ac propterea, licet ipse omnino sine peccato esset, nihilominùs peccator videri, & circumcisionem, quæ tunc peccati originalis remedium erat, non recusauerat: sic ipsa quoque ad exemplum filij sui, non Legis necessitate, sed voluntariè, Legem purificationis suæ, & redemptionis filij ad vnguē obseruare curauit. Idque admodum rationabiliter, ne scilicet scandalum paterentur, qui eam non aliter quā aliæ mulieres peperisse putabant. Et insuper vt iis qui deinde scirent ipsam tali remedio non eguisse, imitandum relinqueret sanctæ humilitatis exemplum; doceretque quò quis sanctior est, eò implendæ omnis iustitiæ studiosiorem esse debere. Ceterùm, quia sanctus Lucas illis verbis, *Et vt darent hostiam*, &c. planè insinuat, parentes Christi non agnum, sed parturturum aut duos pullos columbarum obtulisse, quæ erat oblatio pauperum. hinc apparet eos verè fuisse pauperes, & voluntariam paupertatem, quam sibi Dominus delegerat, & omnibus cunctorum huius mundi Regum opibus prætulerat, ipsos quoque tali oblatione palàm etiam profiteri voluisse. Sed hîc aduertendum est, quòd dicta oblatio non pro filij præsentatione, sed pro matris purificatione facta fuit, vt manifestè colligitur ex cap. Leuit. citato, & planè indicant illa verba ibidem bis repetita: *Orabitq; pro ea Sacerdos, & sic mundabitur à profluuio sanguinis sui.* Nec obstat quòd paulò superiùs dicitur, *Cumq; impleti fuerint dies purificationis suæ, pro filio siue pro filia, deferet agnum,* &c. quia illud, *pro filio siue pro filia,* non debet referri ad verba sequentia, id est ad illud, *deferet agnum,* &c. vt putauit sanctus Augustinus; sed ad præcedentia, videlicet ad expletos dies purificationis pro filio (qui erant quadraginta) vel pro filia (qui erant octoginta) vt apertiùs indicatur in lectione Hebraica. Et ita etiam exponunt Abulensis super cap. Leuit. citato quæst. 23. & Card. Toletus super Lucæ c. 2. Annot. 37. vbi etiam optimè respondet argumentis sancti Augustini.

IESVS IN TEMPLO PRAESENTATVR.

32. Eodem tempore, vt diximus, puer Iesus præsentatus fuit in Templo; ac more aliorum primogenitorum, prout præceperat Dominus Exod. c. 13. vers. 13. pretio siclorum quinque, Numer. c. 18. vers. 16. Lege taxato, redemptus est, qui pretio proprij Sanguinis redempturus venerat humanum genus. Cùm autem Simeon venerabilis senex, & (quemadmodum rationibus, aliquotq; grauissimorum Patrum auctoritatibus probat Cardinalis Toletus super Luc. cap. 2. Annotatione 40.) Sacerdos, tum venisset in templum, ac sanctissimum illum infantulum, quem esse Christum Domini benè nouerat, in vlnas suas reuerenter accepisset; & Spiritu sancto plenus, Canticum suum quod incipit, *Nunc dimittis seruum tuum Domine*, &c. deuotissimè cecinisset; cœpit de ipso ac de matre eius grandia quædam vaticinari. Sed & Anna Prophetissa, octoginta iam quattuor annos nata, eadem hora superueniens, confitebatur Domino, ac magnificè admodum de hoc infantulo loquebatur omnibus qui expectabant redemptionem Israel; quemadmodum videre est apud S. Lucam c. 2. vers. 25. vsque ad 40. vbi etiam subiungitur: *Et vt perfecerunt omnia secundùm Legem Domini, reuersi sunt in Galilæam in ciuitatem suam Nazareth.* Quæ verba licet S. Augustinus lib. 2. de Consensu Euangelistarum cap. 5. satis probabiliter putet impleta fuisse post fugam reditumque de Ægypto, & hæc à S. Luca fuisse prætcrita: & sic quòd consequenter post prædicta in templo peracta, primò Ioseph ab Angelo in somnis admonitus, clàm de Ierusalem cum puero & matre eius in Ægyptum aufugerit; & inde mox, monitu pariter Angelico, cum eisdem rediens secesserit in partes Galilææ, & veniens habitauerit in ciuitate quæ vocatur Nazareth, vt tradit S. Matthæus cap. 2. vers. 13. vsque ad finem. Attamen, ne sine necessitate à Sacro Lucæ textu paulò antè citato recedere videamur, Euthymij potiùs sententiam hoc loco sequendam putamus, qui putat Iesum immediatè post

QVANDO IESVS IN GALILAEAM ET IN AEGYPTVM FVERIT DEPORTATVS.

expleta

expleta legalia, à parentibus suis de Ierusalem primò in Nazareth fuisse deportatum, & ibi Iosephum ab Angelo admonitum, tulisse eos inde in Ægyptum: id enim apertè indicat adductus sancti Lucæ textus dicens, quòd *vt perfecerunt omnia secundùm Legem Domini, reuersi sunt in Galilæam*. Itaque

33. Non multò postquam de Ierusalem venerunt in Nazareth, Ioseph diuinitus per Angelum in somnis edoctus, fore vt Herodes quæreret puerum ad perdendum eum, confestim nocte consurgens, cum ipso puero eiusque matre secessit in Ægyptum: Matthæi cap. 2. vers. 13. & 14. Quò cùm peruenisset, illicò concidisse omnia idola & simulacra Ægypti, iuxta vetus illud Ieremiæ vaticinium, cuius nos sub anno mundi 3447. num. 14. mentionem fecimus, scribit S. Epiphanius in Vita ipsius Ieremiæ. Et hoc idem videtur ante ipsum Ieremiam prophetasse etiam Isaias cap. 19. vers. 1. dicens: *Ecce Dominus ascendet super nubem leuem, & ingredietur Aegyptum, & commouebuntur simulacra Aegypti à facie eius*, &c. hanc enim Prophetiam referri debere ad tempora Saluatoris, quando scilicet Herodem fugiens delatus est in Ægyptum, tradunt B. Chrysostomus in Matthæi cap. 2. & Rabanus in Ecclesiastici cap. 24. & per *nubem leuem* intelligunt vel Virginem matrem, vel ipsum corpus humanum quod ex Virgine assumpserat, nulla virilis commistionis corruptione prægrauatum. Scire autem quo anno reportatus fuerit Iesus de Ægypto in terram Israël (de qua re magna dissensio est inter Auctores, aliis plures, aliis pauciores annos Iesum in Ægypto mansisse affirmantibus) pendet ex resolutione alterius difficultatis, quam nos fusiùs infrà num. 37. vsque ad 45. tractabimus, videlicet, quonam Christi anno Herodes obierit. Constat enim ex Matth. cap. 2. vers. 19. non nisi defuncto Herode, Iosephum ab Angelo monitum fuisse, vt cum Iesu & matre eius rediret in terram Israel.

SIMVLACRA AEGYPTI, ADVENIENTE DOMINO CONCIDISSE.

34. Intereà Herodes, qui iam anteà statim ac de Rege nato à Magis, & de loco natiuitatis Christi à Scribis audierat; ab eisdem Magis accuratè didicerat tempus apparitionis stellæ, idque clàm, ne Iudæi, quibus se infensum esse non ignorabat, tali signo intelligerent quando natus esset quem ipsi expectabant Messias, resque priùs diuulgaretur, quàm ipse eum posset, vt decreuerat, de medio tollere: quique propterea fretus Magorum sinceritate ac simplicitate, quam inter loquendum iam satis apertè perspexerat; ratusque se per illos, & maiori fidelitate quàm per quemquam suorum, & sine vlla insidiarum suspicione, de rei veritate posse cumulatè edoceri; callidè Magos tantummodò in Bethleem direxerat, mandans vt interrogarent diligenter de puero, nempe quando, in qua domo, de quibus parentibus esset natus; an eum verè, quibúsve signis atque argumentis crederent esse Messiam; & hæc omnia atque his similia eidem fideliter renuntiarent; & denique, qui post discessum Magorum variis acerbissimisque doloribus ac languoribus plus solitò vexatus ac distractus, de ipsorum iuxta condictum reditu cogitare nequiuerat, vel si cogitauerat, diuina permissione crediderat, eos quem quærebant puerum inuenire minimè potuisse, ac proptereà rubore suffusos, ad se redire ausos non fuisse; sed clàm per aliam viam ad regiones suas properasse: mox vt audiuit per vrbem denuò circumferri sermones de nato Messia, propter recèns palàm in templo audita Simeonis & Annæ Prophetidis vaticinia; statim se Rex illusum à Magis recolés, & magnis suspicionibus vehementer agitatus ac tortus, vt erat regni in familia sua retinendi zelantissimus; ne fortè ab ipso iam proximè nato Messia, quem omnes communiter in Iudæa regnaturum expectabant, illud posteà aliquando vsurpari contingeret; omnimodis prospicere ac prouidere deliberat, & (proh dolor) grauissimum atque inauditum facinus non solùm excogitare, sed & perpetrare non dubitat. Tanta est, tamque arctè insita in animis mundanorum hominum dira regnandi libido; vt eius rei gratia nihil non audendum, nullum ius diuinum humanúmve non violandum putent. Itaque mittens impius Rex milites sibi fidentiores in Bethleem Iudæ, vbi natum esse Messiam à Scribis intellexerat, iubet in ea vrbe & in omnibus finibus eius confestim & sine vlla miseratione interfici cunctos infantes à bimatu & infra, secundùm tempus quod exquisierat à Magis, vt scribit S. Matthæus cap. 2. vers. 16. id est omnes natos biennio ante diem vigesimum quintum Decembris tunc proximè præteriti: cùm enim eadem die nouam stellam, in signum iam nati Messiæ conspici cœpisse à Magis didicisset; certè nihil sibi suisque ab iis qui posteà nati essent timendum putabat. Voluit autem à bimatu paruulos occidi, vt securiùs periculo prospiceret; veritus ne fortè (quod non videbatur improbabile) Messias ille corpore adeò formoso ac magno natus esset, vt bimulus facilè credi posset. Impiissimæ huius infantulorum intra bimatum interfectionis, quæ à S. Matthæo cap. citato v. 16. vsque

HERODIS CALLIDITAS QVOMODO PER MAGORVM SIMPLICITATEM DELVSA.

OCCIDI MANDAT INFANTVLOS IN BETHLEEM.

vſque ad 19. patenter deſcribitur, Macrobius quoque obiter meminit lib. 2. Saturnaliuм cap. 4. vbi addit, inter alios proprium item ipſius Herodis filium fuiſſe occiſum. Quod num verum ſit, aſſerere non poſſumus.

35. Hoc eodem tempore quo infantes occiſi ſunt, & Herodes animo erat ſuſpicione nati Regis admodum exagitatus, credibile eſt ipſum audiſſe etiam quæ non multò anteà, occaſione conceptionis ac natiuitatis S. Ioannis Baptiſtæ, acciderant, ac iam vbique euulgata fuerant, nimirum de patre eius Zacharia, qui in templo miniſtrans, viſione Angelica dignatus, præ timore eius atque hæſitatione in credendo his quæ ab Angelo didicerat, loquela cælitus illicò priuatus fuerat; eamque nonniſi decimo pòſt menſe, in ipſa nati filij circumciſione, mirabiliter recuperauerat. & item quæ de ipſo Ioanne infantulo palàm dicebantur, videlicet: *Quis putas puer iſte erit? etenim manus Domini erat cum illo.* & his ſimilia, Luc cap. 1. verſ. 66. Et proptereà veritus (inquiunt) Herodes, ne is forſitan eſſet Chriſtus, mandauit etiam ipſum occidi; tametſi non ignoraret, eumdem neque in Bethleem, neque in finibus eius, ſed in montanis Iudææ à Bethleem longè diſſitis, eſſe natum. Verumtamen diuina prouidentia factum eſt, vt priùs res ad aures parentum infantuli perueniret; qui protinus ipſum ad deſerta inuiaque loca deportari, ibidemque clàm ali ac educari curarunt. Vtrùm autem tunc illic iugiter permanſerit vſque ad tempora prædicationis ſuæ, an verò defuncto Herode ad paternam domum denuò fuerit reportatus, & poſteà cùm eſſet ferè ſeptennis, ipſe vltrò deſertum petierit, non omnino exploratum habemus: tametſi hoc quod poſterius dictum eſt, probabilius videatur; id enim indicare videtur Hymnus quem ſancta Mater Eccleſia quotannis publicè in feſto Natiuitatis eiuſdem Sancti canit dicens:

Antra deſerti teneris ſub annis,
Ciuium turmas fugiens, petiſti,
Ne leui ſaltem maculare vitam
Famine poſſes.

Quidquid ſit, conſtat S. Ioannem totam ferè ſuam vitam in deſerto ab omni hominum conſortio ſeparatam traduxiſſe, vſq; ad annum ætatis ſuæ trigeſimum primum, qui fuit Imperij Tiberij Cæſaris annus decimusquintus, in quo ipſe Ioannes ſuo Præcurſoris officio fungi cœpit, vt nos ſub anno mundi 4081. num. 1. dicemus.

ETIAM IOANNEM IN MONTANIS IVDAEAE, QVEM TAMEN INVENIRE NON VALVIT.

36. Per hæc eadem circiter tempora, Herodes de Medicorum conſilio vltra Iordanem profectus eſt, vt ibidem calidis aquis, quæ in Aſphaltitem lacum influunt, vteretur; vbi cùm quadam die Medicorum conſilio fouendus in refertum oleo calidiori ſolium immiſſus eſſet, ita corpus eius diſſolutum eſt, vt pænè tunc animam agere viſus ſit; verumtamen familiarium comploratione paulò pòſt excitatus, & nullam ampliùs ſibi ſpem ſalutis ſupereſſe intelligens; Ducibus, & amicis, ac militibus dona diſtribui iuſſit, mox Ierichuntem reuerſus, & atra bile correptus, immane quoddam facinus excogitauit: collectos namque minaci edicto ad ſe ex omni Iudæa nobiles, & in Circo qui dicebatur Hippodromus concluſos, mandat Salomæ ſorori ſuæ & Alexæ viro eius, vt ſtatim ac ipſe ſpiritum efflaſſet, illos à militibus omnes necari curarent, quò omnis Iudæa de morte ſua, non (quemadmodum verebatur) feſtos dies, ſed luctum per cunctas domos, vel inuita ageret. Accidit autem dum hæc mandata Rex cognatis daret, ſuperueniſſe Româ litteras à Legatis quos ad Cæſarem miſerat; quibus aliquantiſper recreatus eſt, audiens quòd Cæſar Acmen Iuliæ vxoris ſuæ ancillam, propter locatâ Antipatro operam, occidiſſet; & quòd ſibi de Antipatro filio liberè ſtatuendi poteſtatem feciſſet. Sed non multò pòſt, doloribus rurſum acriter tortus ac victus, etiam in ſe ipſo crudelior factus, mortem præuenire ſtatuit. Itaque cùm malum cultellumque poſtulaſſet (ſolebat enim & anteà per ſe decorticatum, paulatim incidendo comedere) circumſpiciens, ne quis propè eſſet qui eum poſſet impedire, tamquam ſe percuſſurus dexteram ſuſtulit: ſed eam Achiabus nepos protinus accurrens, ictumque præueniens, ſublato clamore continuit. Quo audito, ſtatim luctus vlulatuſque maximus cum trepidatione ac tumultu occupauit Palatium, quaſi iam Rex expiraſſet. Hunc ſtrepitum de carcere ſentiens Antipater, cuſtodes largis promiſſionibus ſollicitat vt ſe ſoluant ac dimittant: at eorum princeps non modò ne fieret obſtitit, ſed etiam Regi cuncta velociter nuntiauit; qui continuò excandeſcens, miſſiſque ſatellitibus illum interfecit, & corpus obſcurè in Hircanio ſepeliri mandauit. Mox denuò corrigit teſtamentum, & Archelaum natu maximum regni ſucceſſorem, Antipam verò Tetrarcham inſtituit.

AQVIS CALIDIS CVRARI TENTAT.

CRVDELE FACINVS EXCOGITAT, ET IMPLERI MANDAT.

SEIPSVM INTERFICERE TENTAT.

ANTIPATRVM INTERFICIT.

TESTAMENTVM CORRIGIT.

¶ 37. Quoniam autem hoc eodem anno Herodem obiiſſe, quinque nimirum diebus poſt

post Antipatri interitum exactis, tradit Iosephus locis proximè citatis, idque aliis Auctoribus aduersari videtur; necessarium est hîc de anno obitus eiusdem Herodis aliquantò fusiùs disserere: sunt enim de hoc variæ opiniones. Siquidem Nicephorus Ecclesiasticæ Historiæ lib.1. cap.14. videtur ponere obitum Herodis anno Christi tertio accidisse: S. Epiphanius Panarij lib.1. cap.21. anno quarto: Sulpitius Sacræ Historiæ lib. 2. ponens Christi ortum in anno regni Herodis trigesimo tertio, videtur innuere, ipsum Herodem obiisse anno eiusdem Christi quinto: Eusebius in Chronicis, & Beda in Libello de Sex ætatibus mundi, ponunt Herodis interitum in anno Christi sexto: Cardinalis Baronius in octauo. Sed quoniam alij sine vlla probatione sententias suas proferunt inter se diuersas, ideoque eadem facilitate qua prolatæ sunt, reiici quoque possunt; videamus, obsecro, quænam impulerint Baronium ad sic sentiendum. Sunt autem hæc, vt videre est in Apparatu ad suos Annales; ibi namque perpendens duo loca Iosephi, nimirum 14. Antiq. cap. 17. vbi dicitur, quòd Herodes non excedebat annum vitæ decimumquintum, quando commendata ei est Galilæa à patre suo Antipatro, quem Iulius Cæsar, confecto bello Alexandrino, totius Iudææ procuratorem fecerat. Item 17. Antiq. cap. 8. vbi legimus, Herodem propè septuaginta annis vixisse; quod etiam idem Auctor repetit 1. de Bello cap. vlt. Ex his colligit Cardinalis Baronius, Herodem anno post Christum natum octauo è vita migrasse. Cui si quis opponat eumdem Iosephum 17. Antiq. cap. 10. non longè ab initio capitis, & 1. de Bello cap. vlt. dicentem, quòd Herodes triginta septem annis regnauit, ex quo Romæ Iudææ Rex fuerat declaratus, Caluino & Pollione Coss. annis verò triginta quattuor à captis Ierosolymis, Agrippa & Gallo Coss. Ad hæc dupliciter respondet Baronius. Primò, quòd si hoc verum esset, sequeretur, Herodem vita functum esse ante Christi natiuitatem, contra Euangelicam veritatem apertè attestantem Matthæi cap. 2. vers. 1. Christum natum esse in diebus Herodis Regis. Deinde addit, Iosephum in his quæ sunt temporis, sæpè hallucinari, & præsertim in annis regni Herodis dimetiendis. Et prætereà subiungit, occasionem Iosepho errandi hanc extitisse, quòd cùm ipsius temporibus in confesso esset apud omnes, Herodem regnasse annis tantùm septem & triginta; rursumque certum esset, eumdem sub Consulatu Caluini & Pollionis primum Regis titulum obtinuisse; existimauit inde eos fore dinumerandos: non aduertens, eosdem putari debere ab Actiaca pugna, quando scilicet idem Herodes regnum rursùs ab Augusto impetrauit, eodem Augusto tertiùm & Messalla Coss. anno Vrbis septingentesimo vigesimo tertio, qui fuit Olympiadis centesimæ octogesimæ septimæ annus secundus. Et hoc nouum suum assertum ipse talibus nititur comprobare rationibus. Nam Herodes, inquit Baronius, regnùm quod ab Antonio acceperat, eiusdem Antonij partes contra Augustum fouendo iam demeruerat: & quia Augustus ex S.C. Acta Antonij, tamquam perduellis, irrita esse censuerat; non licuit ampliùs Herodi annos regni sui ab eo tempore putare, quo illud ab Antonio habuerat, sed ab illo, quo illud ei ab Augusto restitutum seu denuò collatum fuerat. Et subdit, credibile admodum esse quòd Herodes libentissimè id fecerit. Quid enim, ait, non in Augusti gratiam Herodes egisset, qui quidquid haberet, eidem acceptum ferens, templa, ciuitates, theatra, vt idem testatur Iosephus, nomini eius dicare non desinebat? Hæc sunt argumenta Cardinalis Baronij, ex quibus deducit, vt sibi videtur, negare non posse, quin Herodes ad octauum Christi annum peruenerit.

DE TEMPORE OBITVS EIVS.

BARONII OPINIO, ET RATIONES.

38. Verumtamen his non obstantibus, si mihi licet dicere quod sentio, puto multò tutius esse, sequi in hac parte Iosephum Auctorem valdè grauem, non semel asserentem, regni Herodis annos à Consulatu Caluini & Pollionis deductos, non plures quàm septem & triginta extitisse; & consequenter, ipsum non octauo, sed primo Christi anno de hac vita migrasse: id namque ipse Iosephus multò meliùs scire potuit quàm quiuis alius; fuit enim natione Iudæus, & Historiarum Iudaicarum peritissimus, & ipsius Herodis tempori valdè propinquus, atque in gestis eius studiosiùs perquirendis ac describendis, omnium diligentissimus: habuit item ad manus libros Nicolai Damasceni Scriptoris egregij sæpiùs ab ipso citati, qui fuit Herodis contemporaneus & familiarissimus, eidemque superstes, ac multa de eo scripsit: à quo probabile est, Iosephum tum ea quæ tradit de annis regni Herodis, tum alia ferè omnia quæ de eodem litteris mandauit, desumpsisse. Quare rationi valdè consonum videtur, maiorem ei hac in re quàm aliis fidem esse adhibendam. Et quidem, si ab Actiaca pugna primus annus regni Herodis, & reliqui deinceps sigillatim in publicis monumentis, vt affirmat Baronius, annotari cœpissent; mirum valdè esset, quòd rem tam nouam, & tunc temporis adeò per-

IOSEPHI OPINIO CVR POTIOR.

peruulgatam, ignorare potuissent tres rerum Iudaicarum peritissimi; nimirum Iosephus, & ante ipsum Philo, qui fuit Herodis temporibus proximior; & ante Philonem prædictus Nicolaus, qui eodemmet tempore quo regnabat Herodes, suos scribebat Historiarum libros; & non minùs Iudæorum quàm Romanorum res callebat. Vel si eos id non latuit, qui fieri potest, vt rem adeò notabilem omnino prætererint? nec vspiam quis eorum Herodis regni annos ab Actiaca pugna putauerit? aut quòd nullus alius ex antiquis Scriptoribus, immò neque ex recentioribus, præter vnum Baronium, de hac re quidquam meminerit? Sed esto, occulta quadam de causa id euenerit, saltem non omnino oppositum scripsisset replicassetq; Iosephus locis præcedente numero citatis, vbi duo tantum initia regni Herodis memorat; alterum ab adepto regni titulo, alterum à consecuta regni possessione; singulaque propriis Consulum Olympiadumque notis signat; atque à primo ad obitum Regis, numerat annos triginta septem, ab altero autem, triginta quattuor.

39. Neque verò prædictis locis tantùm Iosephus apertè indicat, triginta septem regni Herodis annos non esse ab Actiaca pugna dinumerandos; verùm etiam id apertius tradit 18. Antiq. cap. 3. in eius principio, vbi ait, Censum à Quirino post confiscatas Archelai facultates peractum, incidisse in annum ab Actiaca pugna trigesimum septimum. Cui subscribit Dio lib. 5. & 6. Historiarum Romanarum dicens, Archelaum (quem ipse vocat Herodem Palæstinum) anno Vrbis septingentesimo quinquagesimo nono fuisse trans Alpes relegatum. Quod si, vt credimus, verum est; vtique nullatenus fieri potest, quòd Herodis anni vmquam sic, vt dictum est, ab Actiaca pugna putati fuerint: alioqui sequeretur contra non Iosephi solùm, sed communiorem quoque aliorum Auctorum sententiam, dictum Herodem non triginta septem, sed viginti septem, aut ad summum viginti octo dumtaxat annos regnasse. Nam quando memorata bonorum Archelai confiscatio facta est, iam Herodes eius pater decennio ferè prius obierat. Huc accedit, quòd Herodes sub Consulatu Caluini & Pollionis, non ab Antonio, sed ab ipso Senatu Romano Rex creatus fuerat; neque Antonij dumtaxat ope, sed ipsius quoque Augusti fauore, vt scriptum reliquit Iosephus 14. Antiquit. cap. 26. Quare nihil obstare posse videbatur rescissio actorum Antonij, quò minùs posset Herodes regni sui annos à prædicto Consulatu dinumerare, etiam post deuictum ab Augusto Antonium. Et licet probabile sit, Herodem, si aduertisset gratum fore Augusto, facilè ac libenter hoc quoque in eius gratiam facere paratum fuisse; nimirum, vt deinceps regni sui annos ab Actiaca pugna dinumerandos sanciret: attamen quòd re ipsa id fecerit, aut quòd tale quid Augusto, vel etiam Herodi, ne in mentem quidem venerit, nullatenùs constat, sed nec probari potest. Vnde non debet pro certo affirmari, in re præsertim adeò antiqua & obscura, quod à nemine priùs proditum inuenitur, immò quod omnibus pæne Scriptoribus aduersatur.

IOSEPHVS DEFENDITVR.

40. Neque verò etiam illud omnino admittendum putamus, quod addit Baronius, videlicet, Iosephum in his quæ sunt temporis, sæpiùs hallucinari, esseque valdè leuem atque inconstantem, & asseclas suos in inextricabiles inducere Labyrinthos. Nam, tametsi vtique non inficior, in eius scriptis aliquot eiusmodi lapsus posse deprehendi; (non enim is sum, qui in verba Iosephi iurasse profitear:) quis tamen in hoc Auctore miretur, quod multis quoque aliis grauissimis Scriptoribus accidere interdum solet? Enimuerò temporum ratio res adeò lubrica est, vt ferè nemo sit, cui non aliquando vel obliuione, vel inaduertentia aliqua, labi contingat, vt propterea in hoc potissimum genere verissimum illud sit quod vulgò dicitur: *Quandoque bonus dormitat Homerus*. Quid igitur? ergóne adeò frequenter ac passim in ratione temporum labitur Iosephus, vt facile tutoque quis ab ipso in huiusmodi discedere possit debeátve? Minimè gentium. Quin potiùs crediderim, ipsum multoties ab erroribus illi impositis posse defendi; & plura eius loca, quæ inter se pugnare videntur, conciliari. Credimus item verum esse, quod nos alias, & alij quoque obseruarunt, nimirum, potuisse siue librariorum errore, vt fit, siue Typographorum incuria, aliquod vitium in Iosephi codices alicubi, præsertim verò in annorum numeris, interdum irrepere: quin potiùs verum esse, quod de hoc Auctore scribit Melchior Canus libro Locorum Theologicorum 11. cap. 5. ad 9. prope finem dictæ Responsionis: *Sed in numeris*, inquit, *Iosephi libri menda habent innumera; quæ ego menda viro diligentissimo atque grauissimo, assignare nec volo nec debeo*. sic ille. Quòd si quis eiusmodi errata Auctori, non Antiquario adscribat, proculdubiò necesse erit alia eius loca dissonantia reperiri: si autem (quod maximè decet) vitium illud codicis esse, non Auctoris, ex collatione aliorum eius locorum,

corum, aut aliàs, deprehendere atque emendare studuerit; reliqua forsitan plana & consona inueniet. Hoc vt exemplo fiat clarum, & ne longiùs à proposito vagemur, afferamus, obsecro, in medium vnum Iosephi locum; illum inquam, qui, vt arbitror, dedit ansam Baronio asperiùs inuehendi contra hunc Auctorem. est autem qui habetur 14. Antiq. cap. 17. vbi dicit, quòd *Herodes non excesserat decimumquintum ætatis annum, quando ei admodum adolescenti à patre credita fuit Præfectura Galilææ.* Siue (vt alia versio habet) *omnino iuuenis quindecim annorum tunc erat*, &c. Qui quidem locus, vt verum fatear, mihi profectò semper non improbabiliter suspectus fuit, ne iampridem in textu Græco corruptus fuerit; & pro *vigesimo quinto*, scriptorum vitio factum sit, vt dicat *decimumquintum*. Et ratio est, quia satis videbatur, ad ostendendam Herodis virtutem, dicere eidem nondum excedenti vigesimum quintum vitæ annum, Galilææ prouinciam fuisse commendatam: contrà verò vix credibile est, quòd annum decimumquintum agens, iam idoneus esset ad tale tantumque munus obeundum. & adhuc minùs credibile videtur, quòd in tam immatura ætate tot deinceps bella feliciter gesserit, quæ ab eodem Iosepho successiuè describuntur, donec tandem Iudææ regnum, nihil ad se suósve pertinens, à Romanis obtinuit. Et præterea, quia sequeretur, Herodem anno ætatis suæ circiter vigesimo secundo (vt numero proximo probabitur) declaratum fuisse Regem. Et si reverà priuatæ conditionis adolescens, annum agens vigesimum secundum, bellicis artibus & industria regiam dignitatem consecutus esset; id profectò tamquam ipsius Herodis præcipuum quoddam & valdè mirandum virtutis specimen, inter reliquas eius laudes nequaquam recensere prætermisisset Iosephus.

IOSEPHI LOCVS CORRIGENDVS.

41. Denique, quod magis vrget, nisi præcitatus Iosephi locus, vt dictum est, corrigatur, plura alia eiusdem loca nullo pacto vera esse poterunt. Etenim clarum est, commendatam Herodi fuisse Galilæam Q. Fufio Caleno & P. Vatinio Coss. vt ipsemet Baronius admittit; quorum Consulatus incidit in annum Vrbis septingentesimum septimum, vt sub anno mundi 4007. num. 2. diximus. Et item certum est, Herodem vixisse vsque ad septuagesimum ætatis suæ annum, vt testatur Iosephus 17. Antiquit. cap. 8. & clariùs quoque explicat 1. de Bello in capitis vltimi initio, ita de Herode scribens: *Morbus autē ingrauescebat, quòd eum senectus pariter ac mœror vrgeret, & annos iam septuaginta natus esset.* Igitur si anno Vrbis septingentesimo septimo Herodes agebat annum vitæ decimumquintum, & peruenit vsque ad septuagesimum; hæc necessariò consequuntur inconuenientia: Primò, quòd idem Herodes à prædicto Vrbis anno superuixerit quinquaginta quinque annis, & consequenter peruenerit vsque ad septingentesimum sexagesimum secundum Vrbis annum, hoc est vsque ad annum vitæ Christi duodecimum; quod nemo vmquam, quod sciam, asserere ausus est. Item oporteret, quòd quando posteà anno Vrbis septingentesimo decimoquarto, Caluino & Pollione Coss. Herodes creatus est Rex, ipse tunc esset annorum dumtaxat viginti duorum; quod non esse verisimile, iam numero præcedenti ostensum est. Ad hæc, inferre necessarium esset, eumdem Herodem regnasse annos saltem quadraginta septem ab obtenta regia dignitate, & quadraginta quattuor à pulso Antigono (quod nemo pariter vmquam posuit) & proinde falsa omnino esse quæ non semel asseruit Iosephus locis suprà num. 37. citatis, videlicet, Herodem triginta septem dumtaxat annos in regno exegisse à Regis titulo consecuto, & triginta quattuor à regni possessione adepta. Huc accedit, quòd omnino abroganda esset fides his quæ tradit Iosephus 17. Antiq. cap. vlt. de Archelao Herodis filio & successore, quòd scilicet decennio post obitum patris relegatus ab Augusto fuerit in Galliam; id enim ex supradictis oporteret contigisse anno Vrbis circiter septingentesimo septuagesimo secundo. Verùm, si Augustus obiit anno Vrbis septingentesimo sexagesimo sexto (vt nos sub anno mundi 4066. num. 1. ostendemus) quî fieri potest, vt Augustus, qui sexennio vel saltem quinquennio antè mortem oppetierat, relegauerit Archelaum? Neque enim arguendus est Iosephus, quòd aliquando dixerit Archelaum fuisse accusatum & in exilium actum anno sui Principatus nono, aliquando autem decimo; quia vtrumque stare potest, si nono expleto, decimo autem iam inchoato accipiamus. Neque item refert, quòd Eusebius in Chronicis posuerit Archelai relegationem anno Augusti postremo: ex quo namque posuerat obitum Herodis sub anno sexto Christi, necessariò ponere debuit Archelai depositionem sub anno decimoquinto eiusdem Christi; qui annus ex parte concurrit cum postremo Augusti, eratque à morte Herodis decimus iam inchoatus. At Cardinalis Baronius, qui ponit Herodis obitum anno Christi octauo, non debuit potuitve ponere relegationem

nem Archelai anno Augusti vltimo, nisi supponendo, vt certè supponit, Iosephum et iam errasse 17. Antiq. cap. vlt. & 2. de Bello cap. 6. vbi ait, Archelaum regnasse nouem seu decem annis in Iudæa; cùm iuxta ipsius Baronij computum, septem circiter dumtaxat annis Archelaum præfuisse Iudæis oporteat. Denique necessarium quoque erit asserere, eumdem Iosephum, & cum eo Dionem locis suprà num. 39. citatis, errasse, vbi aiunt, Archelaum Herodis Ascalonitæ filium, anno ab Actiaca pugna trigesimo septimo in Galliam, confiscata eius hereditate, fuisse relegatum. nam sequeretur, Herodem, iuxta Iosephi computum, non peruenisse ad sexagesimum vitæ annum, vt supputari potest in tabulis. Ecce quot inconuenientia ex vnius textus corruptione consequuntur.

42. Itaque nisi prædictus Iosephi locus eo modo quo suprà num. 40. dictum est, corrigatur; multa proculdubiò in eodem Auctore cordatus Lector inueniet, quæ nullatenus inter se cohærere poterunt: illo autem emendato, omnia hucusque à nobis recensita protinus consona fiunt, quemadmodum in nostris tabulis experiri quisque poterit. Et quidem, si vno Iosephi textu correcto, possumus tot alia eius loca, alioqui inter se pugnantia, conciliare; mihi profectò longè consultius videtur id esse agendum, quàm ita facile suspicari, vetustissimum grauissimumque Auctorem omnia pænè tempora confudisse: præsertim cùm ipse vnico tantùm loco, & ibi quodammodò obiter, dixerit, Herodem non excessisse decimumquintum vitæ annum, quando Galilææ præfectus est: qui etiam locus facillimè vnius tantùm numeri mutatione, librariorum, vt sæpe accidit, incuria potuit deprauari: contrà verò, quòd Herodes ad septuagesimum ætatis annum peruenerit, & quòd à Consulatu Caluini & Pollionis per annos tantùm triginta septem regnauerit, idem Auctor non semel scripsisse contentus fuerit; sed de industria, vel etiam Dei prouidentia, bis singula hæc expresserit, vt vel sic omnem de hac re dubitationem tolleret.

RESPONSIO AD ALIVD BARONII ARGVMENTVM.

43. Sequitur alterum Cardinalis Baronij argumentum, quo suam validiùs putat confirmasse sententiam. *Nam si*, inquit, *sequamur Iosephum dicentem, quòd Herodes creatus fuit Rex Olympiade centesima octogesima quarta, Caluino & Pollione Coss. & quòd inde regnauit annis dumtaxat septem & triginta: sequeretur, ipsum vita functum esse ante ortum Christi, contra veritatem Euangelicam.* Enimuerò hoc est, quod omnium huius generis Scriptorum hactenus admodum torsit ingenia; & cunctos, vt arbitror, tandem impulit, vt vim huius argumentationis possent eludere, à Iosepho in annis regni Herodis supputandis omnino recedere. Sed nos ad hoc argumentum iam satis superque sub anno mundi 4015. num. 5. 6. & 7. respondimus, vbi diffusè admodum de hac re contra eumdem Baronium disputauimus; ac, vt arbitror, euidenter ostendimus, quomodo dictum Iosephi cum Euangelio probè consentiat, & tandem demonstrauimus, quòd regni Herodis anni, siue reuocentur ad calculum Fastorum in Tabulis Capitolinis contentum, quem secutus videtur Iosephus; siue ad Varronianum, quem nos, & ipse item sequitur Baronius; semper inueniemus, Herodem obiisse aliquot post menses à Christi Natiuitate. Siquidem anno regni Herodis trigesimo septimo desinente, ætatis autem septuagesimo propè iam inchoato, Christus natus est die vigesima quinta Decembris, ipse autem Herodes defunctus est circa initia Martij proximè tum insequentis: propè enim erat Pascha Iudæorum, quandò mortuus est, vt manifestè colligitur ex his quæ Iosephus 17. Antiq. cap. 11. describit accidisse post obitum Herodis. Igitur supponamus tamquam verissimum, quòd

17 HERODES MORITVR.

44. Eodem anno Christi primo iam per duos saltem menses inchoato, appropinquante, vt dictum est, festo Paschatis, Herodes morbo extinctus est, sub finem anni ab adepto Regis titulo trigesimi septimi, ab accepta verò plena regni possessione trigesimi quarti, vt iam sæpius repetitum fuit; & tunc iam ingressus erat annum ætatis septuagesimum. quod adeò manifestè habemus ex Iosepho, vt nullus remaneat ambigendi locus: nam 17. Antiq. cap. 8. ait, quòd cùm ægrotaret Herodes, iam ad septuagesimum vitæ annum accedebat; libro autem 1. de Bello cap. vlt. dicit, quòd iam septuaginta annos natus erat. Ex quibus Iosephi locis non obscurè datur intelligi, Herodem intra postremos sexagesimi noni anni menses grauiùs ægrotare cœpisse, & post ingressum annum septuagesimum, è vita excessisse. Vnde luce meridiana clariùs apparet, decipi Baronium, qui in suis Annalibus sub anno Christi octauo asserit, Herodem obiisse anno ætatis suæ sexagesimo septimo. & subdit, ita exponendum esse Iosephum 17. Antiq cap. 8. vbi indefinitè ait, quòd quando ægrotare cœperat Herodes, iam ad septuagesimum ætatis annum accedebat. ne (inquit Baronius) sibi ipsi

Auctor contrarius videatur, qui aliàs dixit, eumdem Herodem annum vitæ decimumquintum egisse, quandò à patre suo Galilææ Præfecturam accepit. Sed profectò prædictus Iosephi locus non ita exponendus videtur, quasi dicere voluerit, quòd Herodes morti proximus sexagesimum septimum ætatis annum ageret; sed quòd ipse septuagesimo vitæ anno ita appropinquabat, vt paulò pòst cœperit annum ingredi septuagesimum: sic enim se ipsum idemmet Auctor videtur exponere, si duo eius loca proximè adducta inter se conferantur. Causa autem cur Baronius expositionem illam à mente Iosephi, ni fallor, prorsus alienam excogitare coactus sit, non tam videtur fuisse, vt Iosephum Iosepho conciliaret, quem inconstantem non semel appellat; quàm vt propriam de numerandis triginta septem Herodis regni annis ab Actiaca pugna opinionem tueretur: quæ nihilominùs opinio, præter alia multa inconuenientia superiùs recensita, etiam hoc supponat necesse est; nempe, quòd Herodes non ad septuagesimum vitę annum peruenerit, contra expressum Iosephi testimonium; sed tantummodò sexaginta septem vixerit annis; quod Baronius non aliunde quàm ex prædicta sua positione, à nobis hactenus multis rationibus refutata, deducere potuisse videtur. Sed iam tempus est, vt redeamus ad illud vnde diuertimus.

45. Post obitum Herodis vsque ad Archelaum Ethnarcham à Cæsare constitutum, quænam tum Romæ, tum in Iudæa Ierosolymisque facta fuerint, ad institutum nostrum pertinentia, narrat satis diffusè Iosephus 17. Antiq. cap. 10. vsque ad 14. & sub finem libri 1. de Bello vsque ad libri 2. cap. 5. Nos verò eadem hîc breuiter perstringemus. Sunt autem hæc: Diuulgata Regis morte, & lectis eiusdem litteris ad milites in Amphitheatro Ierichuntino congregatos, confestim omnes cateruatim cum suis Ducibus ad Archelaum lætis acclamationibus atque ominationibus accurrere, eidemque quam patri præstiterant, fidem atque operam polliceri cœperunt. Mox Regis funere splendidissimè celebrato, & Herodium vsque per octo stadia, sollemni admodum pompa perducto, ibidemque vt mandauerat sepulto, Archelaus post septem dies paterni luctus, funebri epulo multitudini præbito, ascendit in templum; & de solio aureo excepit faustas populi gratulationes, multa singulis pollicitus, vbi à Cæsare stabilitus foret in Imperio. Verumtamen, cùm non multò pòst exorta esset ingens quædam seditio populi exposcentis festinam de iis qui Sophistas eorumque discipulos, ob direptam aquilam auream, necari curauerant, vltionem; nec aliter tumultum sedare potuisset Archelaus, de summa rerum se periclitari veritus, ni plebis impetum retunderet; priusquam cetera turba quæ ad festum Paschatis confluebat, eiusdem furoris contagio inficeretur; immisso in eos exercitu, ad tria millia interfecit; reliquos verò fugauit. Deinde ad Cæsarem proficisci voluit cum magna cognatorum suorum caterua, qui se illi adiunxerant, specie quidem quasi pro impetranda ei regia dignitate collaboraturi; reverà autem potiùs vt obsisterent, eumque de cæde in templo proximè perpetrata accusarent. Vbi verò Cæsaream ventum est, Sabinum Cæsaris in Syria procuratorem offenderunt in Iudæam properantem, ad Herodis pecuniam asseruandam: qui tamen, licet in gratiam Vari Præsidis ibidem tum fortè existentis, desistere pollicitus esset, donec aliud Cæsar statueret: nihilominùs, post discessum Archelai & Vari, Ierosolymam profectus, regiam occupauit, & arces quoque, licet frustrà, obtinere tentauit.

[GESTA POST HERODIS OBITVM IN IVDAEA.]

AB ORBE CONDITO ANNVS 4052. | SEXTÆ MVNDI ÆTAT. ANNVS 606.

1 CONTIGIT etiam circa initia, vt arbitror, anni insequentis, Antipam Archelai fratrem spe affectandi sibi regnum, Romam petere; quò vbi peruenit, omnes cognati regij ad ipsum ab Archelao defecerunt, malentes sub Antipa esse, si tamen eis quodammodò in libertatem sub Romano tantùm Præside (quod maximè cupiebant) degere posse non succederet. Itaque vbi res coram Cæsare agitari cœpta est, Antipater Salomæ filius longa oratione accusauit Archelaum: quem tametsi continuò Nicolaus Damascenus acerrimè defendit, Cæsar nihilominùs sententiam distulit. Intereà Ierosolymis, Sabino populum vexante, facta est inter Iudæos & Sabinianos ingens pugna, & hinc inde strages magna, incensa etiam templi parte. Sed & in aliis Iudææ vrbibus & oppidis plures ac magni tumultus excitati sunt. Nam & quidam ab Herodianis pariter ac Romanis deficientes, Iudææ regnum sibi vsurpare tenta-

[IN VRBE ROMA.]

[IEROSOLYMIS, ET IN ALIIS IVDAEAE VRBIBVS.]

tentarunt. Quibus auditis, Varus Syriæ Præses cum vniuerso exercitu, & auxiliariis Ethnarcharum copiis venire coactus est in Iudæam, tum vt Sabino Ierosolymis obsesso suppetias ferret, tum etiam, vt alios quoque in tota pænè Iudæa exortos tumultus compesceret. Quod vt factum est, ipse tandem captis seditionum auctoribus, eisdemque ad cęterorum terrorem in cruces actis, rebusque compositis reuersus est Antiochiam. Quo circiter tempore, eiusdem Vari permissu, quinquaginta Iudæorum Legati Romam profecti sunt, postulantes à Cæsare, vt Iudæis liceret propriis Legibus viuere, & non ampliùs esse sub Regibus; sed Romanis tantùm parere potestatibus. Quod vt faciliùs impetrarent, coram Cæsare perorantes acriter admodum inuehere cœperunt in Herodis iam defuncti gesta, tamquam omnino tyrannica, vel etiam quodammodò ferina potiùs quàm humana; addentes, non immeritò vereri se successorum eius mores, vtpote à patre minimè degenerantes: ac propterea summopere exoptare, immediatè sub Romano degere Imperio. Quibus cùm à Nicolao Regibus patrocinante, graui oratione responsum fuisset; Cæsar, dimisso concilio, & intra se deliberans quid facto opus esset, tandem paucos post dies Archelaum non Regem, sed dimidiæ tantùm paterni regni partis Ethnarcham declarauit; regnum quoque pollicitus, si se tali honore dignum redderet. Non igitur quemquam fallat modus loquendi quo vtitur sanctus Matthæus cap. 2. vers. 22. vbi refert, Iosephum audisse, quòd Archelaus regnaret in Iudæa pro Herode patre eius: quia ibi regnandi vocabulum non strictè, sed latè admodum sumitur: sicuti etiam apud Marcum cap. 6. à vers. 14. vsque ad 27. Regis vocabulum sæpiùs pro Tetrarcha vsurpatur: nam ille idem, quem ibi Marcus vocat Regem, apud Matthæum cap. 14. vers. 1. & Luc. cap. 3. vers. 1. dicitur, vt reverà erat, Tetrarcha Galilææ. quod hìc obiter adnotatum volumus. De cetero, Cæsar Herodis testamentum confirmauit, & omnia in eo contenta executioni demandari decreuit. Et cuncta hæc, quæ Iosephus locis præcedenti numero citatis fusiùs prosequitur, intra vnum aut alterum ab Herodis obitu annum acta esse, satis probabiliter credi potest.

ARCHELAUS NON REX, SED ETHNARCHA A CAESARE DECLARATUR.

§ 2. Ex hisce turbulentissimis seditionibus publicisque calamitatibus, quæ statim, defuncto Herode, in Iudæa exortæ sunt; adiectis pariter intestinis inter filios cognatosque Regis dissensionibus, quæ proculdubiò in causa fuerunt, vt Cæsar Archelaum Herodis filium ac successorem declarare Regem recusauerit; colligere possumus, non sine diuino hæc euenisse consilio; sed vt, in signum iam nati Messiæ, tunc primùm inciperet adimpleri famosa illa Iacobi quondam Patriarchæ Prophetia, quæ Genes. cap. 49. vers. 10. refertur in hæc verba: *Non auferetur sceptrum de Iuda, & dux de femore eius, donec veniat qui mittendus est, & ipse erit expectatio Gentium.* Nam si veræ sunt duæ illæ propositiones, quas sub anno mundi 4018. num. 4. vsque ad 14. pluribus ac validis probauimus argumentis; nimirum Machabæos non fuisse de tribu Iuda, sed Leui, & Herodem non fuisse Idumæum genere, sed Iudæum, hoc est de tribu Iuda: vtique videtur prædicta Prophetia ad hæc præcipuè tempora pertinere; possumusque eam simpliciter & ad litteram, sine vlla verborum sensuumve extorsione ita exponere, ac si sanctus ille senex morti proximus filiis suis dicere voluisset: Tametsi futuris temporibus in populo ex vobis ipsis propagando, qui ex meo nomine Israëliticus nuncupabitur, suprema regiaque potestas temporalis ad alias quoque tribus pro temporum varietate peruentura sit: quia tamen illustriùs ac diutiùs in tribu Iuda quàm in quauis alia permanebit, scitote quòd ab ea penitus auferri non poterit regnum, Rexque de eius genere, quin semper remaneat certa spes iterùm aliquando ipsum recuperandi, donec prius veniat qui mittendus est; videlicet verus qui promissus est Messias; ille, inquam, qui non temporaliter, vt huius mundi Reges, sed spiritualiter; & non super Israëlem tantùm, sed & super vniuersas Gentes in æternum regnabit, & quodammodò continuabit regnum eiusdem Iudaici populi angustum & temporale, cum spirituali & vniuersali & æterno. Huic expositioni adstipulatur diuina promissio, quam posteà Dauidi factum legimus 2. Reg. cap. 7. vers. 12. vbi eidem à Domino dicitur: *Cùmque completi fuerint dies tui, & dormieris cum patribus tuis, suscitabo semen tuum post te, quod egredietur de vtero tuo, & firmabo regnum eius.* & post pauca: *Et stabiliam thronum regni eius vsque in sempiternum.* & iterùm paucis interpositis: *Et regnum tuum vsque in æternum ante faciem tuam, & thronus tuus erit firmus iugiter.* quæ verba ad litteram non nisi de Messia dici potuisse videntur. Ceterum, nos interpretati sumus illa memoratæ Prophetiæ verba, *Non auferetur sceptrum de Iuda*, ac si dictum esset: Non omnino poterit deficere regia pote-

PROPHETIA IACOB INCIPIT IMPLERI.

potestas de tribu Iuda, ita vt numquam amplius recuperetur: quia alioqui constaret de opposito. Nam certum est, quòd ex quo semel Principatus ad virum de tribu Iuda, id est ad Othonielem deuenit, non perpetuò & continuata successione in viros eiusdem tribus remansit, sed ad alios quoque aliarum tribuum pertransiit; & tamen vsque ad Messiæ tempora, semper aliquoties ad ipsos Iudæ posteros rediit; puta: quando Abesan constitutus est totius populi supremus Iudex; & iterùm quando super Iudam primò, deinde super alias quoque tribus Israel regnare cœperunt Dauid & Salomon; & posteri eius super duas tribus, vsque ad transmigrationem Babylonis; & post reditum de captiuitate Babylonica, licet per plures annorum centurias Principatus penes summos Sacerdotes & Machabæos fuerit; attamen ab ipsis denuò rediit Principatus sceptrumque totius regni Israel ad virum tribus Iudæ, videlicet ad Herodem, vt dictum est; sub cuius regni finem natus est Christus, verus qui tunc expectabatur Messias.

3. Nato autem Christo, cœpit sensim auferri penitus sceptrum illud à viris Iuda, & impleri memorata Iacobi Prophetia. Etenim paulò post Herodis mortem, quamuis pro eius patre regnasse dicatur Archelaus, ab Augusto Iudææ Ethnarcha constitutus: numquam tamen valuit ab eo regiam dignitatem obtinere; vt videre est apud Iosephum 17. Antiq. cap. 13. & lib. 2. de Bello c. 4. & nos suprà num. 1. retulimus: quin potiùs tandem idem Archelaus, vt infrà suo loco dicemus, ab eodem Augusto in Galliam relegatus fuit; & Iudæa sub Romanorum imperium ac regimen pleniùs redacta est toto reliquo vitæ Christi tempore, & deinceps vsque ad Claudium Cæsarem ita permansit, non habens Regem nisi Cæsarem; quo tempore Iacobi vaticiniũ omnino iam videbatur impletum. Nam etsi posteà idem Claudius, teste Iosepho 19. Antiq. cap. 4. etiam Iudææ regnum dederit Herodi Agrippæ, qui (vt idem 18. Antiq. cap. 7. vbi de Herodis progenie agit, & clariùs cap. 9. & lib. 19. cap. 4. tradit) fuit Herodis Ascalonitæ ex Aristobulo filio nepos; quique deinde in Iudæa occidit Iacobum fratrem Ioannis gladio, & Petrum misit in carcerem, volens post Pascha producere eum populo, quemadmodum legimus Actorum cap. 12. vers. 1. vsque ad 24. Attamen per breue admodum tempus, diuina dispensatione, interruptum fuit memoratæ Prophetiæ implementum: siquidem idem Agrippa, qui quadriennio antè super Tetrarchia Philippi eius patrui iam defuncti, & item in parte Galilææ regnauerat, post triennium ex quo demum Iudææ regnum obtinuerat, interiit; vt scriptum reliquit Iosephus non valdè procul à fine lib. 19. Antiq. & 2. de Bello cap. 10. nimirum percussus ab Angelo, eò quòd diuinos honores sibi à populo exhibitos in ipsum Deum non retulisset, quemadmodum loco Actorum adducto traditur. Contigit ergo regni Iudæorum sceptro, quod lucernæ accensæ oleo deficiente solet accidere; quæ tunc tamquam vltimo conatu emisso, tantisper clariùs fulgere conspicitur, quando extinctioni proxima est. Ita namque dictum regnum tunc magis in Agrippa Rege ad modicum tempus reflorescere visum est, quando illo mortuo illud omnino statim desiit. Exinde enim denuò Iudæa Romanos Præsides habere cœpit; & tunc ita ab ea ablatus est Rex Dúxve de semine Iudæ, vt numquam posteà fuerit restitutus. Nam neque filius prædicti Agrippæ, qui ad differentiam patris, Agrippa iunior dictus est, & cuius sæpè Actorum cap. 25. & 26. fit mentio, neque quisquam alius deinceps Iudæus in Iudæa absolutè regnauit: tametsi idem Claudius Cæsar, (Deo cuncta suauiter disponente) post Agrippæ senioris mortem, Herodi eius fratri ac Dynastæ, seu Regi Chalcidis, quamdam concesserit in templum & sacrum ærarium potestatem, & ius eligendi Pontifices; quod ius etiam posteris vsque ad belli Iudaici exitũ mansit, vt scribit Iosephus 20. Antiq. in fine capitis 1. vt propterea mirum non sit, si Agrippa iunior (cui Claudius octauo Imperij sui anno, vt ait Iosephus citati libri cap. 5. audita prædicti Herodis morte, Chalcidis Principatum donauit) posteà ab eodem Auctore eiusdem libri cap. 6. 7. & 8. dicitur aliquoties elegisse, ac pro suo arbitrio mutasse summos Pontifices, licet numquam Rex fuerit Iudæorum. Certissimum verò est, quòd posteaquam rebellarunt à Romanorum subiectione Iudæi, & Ierosolyma (quæ à tempore Dauidis ad tribum Iuda pertinere cœperat, ac regni Iudaici caput sedesque fuerat) à Tito demum capta atque euersa est, ipsum pariter regnum, à regione Iudæorum, & regia potestas ac Principatus à semine seu posteris Iudæ omnino excidit, ipsis Iudæis partim variè interfectis, partim per diuersas orbis regiones miserrimè dispersis, atque in perpetuam seruitutem redactis; quemadmodum olim prophetauerat Daniel cap. 9. vers. 26. hisce verbis: *Et post hebdomadas sexaginta duas occidetur Christus; & non erit eius populus qui*

QVANDO PENITVS VIDEBATVR IMPLETA.

QVANDO PENITVS FVERIT IMPLETA.

qui eum negaturus est: & ciuitatem & sanctuarium dissipabit populus cum Duce venturo: & finis eius vastitas; & post finem belli statuta desolatio. & quibusdam interpositis subdit: *Et vsque ad consummationem & finem perseuerabit desolatio.* hactenus Daniel. cuius verba latiùs sub anno mundi 3516. num. 6. vsque ad 13. exposuimus. Quòd si quis hanc Danielis Prophetiam benè perpenderit, & cum memorato Iacobi vaticinio accuratè contulerit, & insuper rei exitum, ex his quæ post prædicta ad hæc vsque tempora, per mille sexcentos & ampliùs annos iusto Dei iudicio iugiter passi sunt ac patiuntur Iudæi, comprobauerit: proculdubiò apertissimè intelliget, tunc demum prorsus atque irreuocabiliter Iudæos sceptrum perdidisse, quando mortuus est Agrippa senior, nec eis vllam ampliùs spem esse relictam, denuò vnquam illud recuperandi, confusis nimirum nunc inter se ipsorum tribubus: ac proinde frustrà eos etiamnunc suum expectare Messiam.

CVR NON STATIM NATO DOMINO IMPLETA EST IACOBI PROPHETIA.

4. Neque verò quis miretur, quòd adducta Iacobi Prophetia, non statim ac venit qui mittendus erat, sed longo pòst tempore, & quodammodò per partes prorsus impleta fuerit: idem namque nonnullis quoque aliis Prophetiis, vt scilicet sensim & pluribus vicibus implerentur, interdum euenisse certum est. In promptu sunt exempla duo satis clara, quæ hic adferre contentus ero. Prædixerat anno quarto regni Ioakim Regis Iuda Ieremias, vt ipsemet testatur Prophetiæ suæ cap. 25. & nos sub anno mundi 3429. num. 7. retulimus, Dominum translaturum Iudæos in Babylonem, & relicturum terram eorum desertam atque inhabitatam per annos septuaginta: & tamen hæc translatio non vno eodemque tempore simul tota facta est, sed per partes, vt ipsemet Ieremias tradit c. vlt. vers. 28. vsque ad 31. & nos sub annis mundi 3435. num. 7. & 3447. num. 1. & 3451. n. 4. ostendimus. Item anno regni Sedeciæ quarto, quemadmodum sub anno mundi 3439. num. 7. dictum est, idem Ieremias cap. 29. prædixerat reductionem dicti populi de Babylone in Ierusalem & in terram Iuda tunc esse faciendam, cùm impleri cœpissent septuaginta captiuitatis anni ibidem memorati; illi nimirum, quos idem Propheta cap. 25. superiùs notato, à Ierosolymorum desolatione putandos non obscurè indicauerat: & nihilominùs constat, eamdem reductionem non vnico posteà contextu, sed pluribus interpolatisque vicibus fuisse præstitam; nimirum partim sub Cyro, qui primus dictam captiuitatem soluere cœpit; partim sub Artaxerxe Longimano, qui anno regni sui septimo Esdram Scribam cum maxima exulum multitudine remisit in Ierusalem; & mox iterùm anno regni sui vigesimo alios quoque cum Nehemia redire permisit.

CONFIRMANTVR SVPERIVS DICTA DE IACOBI PROPHETIA IMPLETA.

5. Hæc de prædictæ Iacobi Prophetiæ intelligentia hìc quodammodò obiter attexere libuit; quoniam ceteræ illius expositiones, quas à variis Auctoribus collectas Pererius in libro de Benedictionibus duodecim Patriarcharum, Prophetia 3. refert, singulæ ab ipso ibidem optimè, vt arbitror, confutatæ sunt, & postrema, quam idem Auctor ex propria sententia profert, nimirum quòd illud Iacobi vaticinium intelligi debeat in vniuersum de ipsa Gente Iudaica, quæ duodecim in tribus erat diuisa: non videtur, ni fallor, verum ac legitimum Prophetæ sensum posse assequi, quemadmodum ex paulò pòst dicendis fiet planum. Sed priùs, obsecro, videat prudens Lector, quæ apud citatum Auctorem traduntur, tum pro singulis septem prioribus expositionibus refellendis; tum pro octaua, quæ ipsius est, comprobanda ac stabilienda, & sic, vt opinor, multò melius de his quæ nos hìc diximus, dicturique sumus, diiudicare poterit. Et quidem, si eiusdem Prophetiæ verba accuratiùs expendantur; non videtur per *Iuda* posse intelligi vniuersus populus Israeliticus duodecim tribubus distinctus: quandoquidem, etiamsi demus (quod tamen necessariò dandum non videtur) Patriarcham Iacob præuidisse, vt Pererius putat, posteritatem suam aliquando Iudaici populi nomine nuncupandam; non tamen ibi intendebat prædicere, quæ vniuersæ posteritati suæ communiter essent euentura, sed quæ speciatim tribui Iudæ, de qua tunc signanter loquebatur; quemadmodum sigillatim de aliis fecerat, facturusque erat, vt patet expendenti singulas eius prædictiones in citato Genes. cap. recensitas. Deinde, si verba quæ memoratam Prophetiam immediatè præcedunt, & quæ pariter subsequuntur, ad particularem illam Iudæ tribum pertinent; vtique intermedia quoque (vt ipsemet Pererius fateri cogitur) ad eamdem pertinere debent; ergo verbum illud *Iuda* non de toto populo Israelitico, sed speciatim de Iudaico tantùm, accipiendum est. Neque obstat, quòd nonnulli ex sanctis Patribus videantur pro *Iuda* intelligere voluisse vniuersum populum Iudaicum siue Israeliticum; quia id factum credimus, quoniam ipsi (quemadmodum sub anno mundi 4018. num. 9. diximus) simpliciter vnus

post alium secuti Iosephum, crediderunt Herodem non fuisse Iudæum, sed alienigenam; & consequenter, sceptrum Iudaicum non immediatè à Duce siue Rege stirpis Iudæ, sed à Machabæis, qui erant de tribu Leui, transisse ad alienigenas; nempe primò ad Herodem, posteà ad Romanos. Vnde coacti sunt latiori quodam modo interpretari verbum illud *Iuda*, quò sic meliùs dictum Propheticum rei mox subsecutæ adaptare possent. Quòd si eis in mentem venisset, priùs Iosephi sententiam accuratiùs discutere, cognouissentque ipsum Herodem verè Iudæum fuisse, & ab ipso primùm Iudæ sceptrum transisse ad Romanos alienigenas, proculdubiò, vt arbitror, multò libentiùs pro *Iuda* accepissent, non ipsum genus Israeliticum, sed signanter & propriè Iudaicum, vt ipsa Prophetiæ verba apertissimè indicant, & idem fortè, ni fallor, fecisset ipsemet Pererius. Nemo est enim qui non videat, hunc sensum posteriorem longè magis Textui sacro congruere quàm priorem; quemadmodum ex numero quoque sequenti dicendis, clariùs patere poterit.

6. Credimus item, quòd idem sanctus Patriarcha illis verbis, *Non auferetur sceptrum de Iuda*, & quæ sequuntur, non voluerit significare futuram in tribu Iuda perpetuam, aut quasi perpetuam regni continuationem vsque ad Messiæ aduentum; siquidem hanc non modò in tribu Iuda, sed nec in tota gente Israelitica extitisse, probare possumus; quin potiùs manifestè constat de opposito, propter varias eiusdem populi captiuitates temporibus Iudicum, & præsertim post Regum tempora, Babylonicam; qua durante, nullus Hebræus liberum super reliquos dominium habuit. Sed & post ipsam multo tempore, scimus Iudæos ita deinceps Regibus Persarum fuisse subiectos, vt ne templum quidem sine illorum licentia extruere possent, aut ciuitatem instaurare. Posteà verò quis nesciat quoties tum ab Ægypti, tum à Syriæ Regibus fuerint subiugati, & grauissima seruitute pressi? Nullo igitur modo dici potest Israeliticum populum semper, aut ferè semper vsque ad Messiam habuisse Gentis suæ Reges aut Principes supremam in populo auctoritatem tenentes: (id namque est, quod sceptri Ducisque vocabulis prænuntiatum fuerat.) Huc accedit, quòd neque eiusdem Patriarchæ intentio fuit, ibidem prædicere vniuersam continuatamque totius futuri temporis successionem sceptri seu Principatus in populo Israelitico aut Iudaico; sed tantummodò commemorare, quæ in nouissimis diebus posteritati suæ ventura erant, vt ipsemet se explicat in ipsius Genes. capitis 49. initio, vbi de eiusmodi prædictionibus agere incipit. Et vbi deuenit ad Iudam, inter alia quæ eius tribui postremis circiter temporibus euentura præuidebat, memoratum protulit vaticinium, dicens: *Non auferetur sceptrum de Iuda*, &c. vnde etiam videtur posse colligi, illud in sensu proximè explicando esse accipiendum. Quid igitur hæc huius vaticinij indicant verba? Certè nil aliud, vt arbitror, quàm ac si dictum esset: Numquam penitus ac omnimodè desinet esse regia temporalisque potestas in tribu Iuda; subaudi, sine certa spe illam denuò recuperandi; nisi post aduentum Messiæ: tunc enim, & non priùs, omnino atque irreuocabiliter deficiet. hoc autem quomodo re ipsa euenerit, iam suprà num. 3. & 4. expositum fuit; vt propterea nulla adsit necessitas comminiscendi causas, quantumuis probabiles, cur Iacob maluerit dicere, *Non auferetur sceptrum de Iuda*, quàm *de Israel.* præsertim cùm ad maiorem suæ mentis declarationem idem Patriarcha ibidem subiunxerit, *& Dux de femore eius.* per quod vtique demonstrat, se non loqui de sceptro seu corona regni, aut regno, in terra tantùm tribus Iudæ, vt putat Pererius; sed etiam in persona eiusdem tribus mansuro; neque hoc disiunctiuè sumpto, ita vt sufficeret regnum aliquando quidem in persona Iudaicæ tribus permansisse, aliquando autem in ipsa dumtaxat tribu, hoc est in terra aut vrbe tribus Iudæ, licet Rex aut Dux de tribu illa non esset; sed copulatiuè, vt dixi; ita vt sensus sit: quòd auferendum non esset sceptrum à persona pariter ac terra tribus Iudæ, quemadmodum planè indicat dictio illa copulatiua *&*. Quare non consonat prædictæ Prophetiæ verbis, dicere, quòd licet regia potestas aliquamdiu manserit penes summos Pontifices, qui erant de tribu Leuitica; ipsum tamen sceptrum & imperium, seu, vt dicitur, corona regni, fuit in tribu Iuda, hoc est in Ierusalem: sed oportet supponere, dictum sceptrum, saltem interpolatis vicibus, mansisse non solùm in terra Iuda, sed etiam in personis eiusdem tribus, vsque ad Messiæ aduentum; & consequenter, post Christum natum cœpisse impleri hoc vaticinium, & omnino auferri sceptrum de Iuda, quando mortuus est Herodes Ascalonita; & posteà id omnimodis esse impletum in obitu Herodis Agrippæ senioris, Ascalonitæ nepotis, quemadmodum iam satis superque declaratum est.

EXPONITVR DICTA IACOBI PROPHETIA.

7. Eodem anno oportet natum esse Saulum, qui postea S. Paulus Apostolus dictus est. Nam si (vt Card. Baronius sub anno Christi 36. ex S. Io. Chrysostomo & ex Epistola ad Philemonem probat) ipse Saulus conuersus est ad Christianismum eodem anno Christi trigesimo sexto, annum vitæ agens trigesimum quintum; vtique necessariò sequitur, ipsum fuisse vnico dumtaxat anno iuniorem Christo, & consequenter hoc secundo Christi anno natum. Natus est autem non in Gischala Iudææ oppido, vt quidam fabulati sunt; sed in Tarso Ciliciæ metropoli, quò maiores eius, Iudæam nescio quando aut qua de causa deserentes, transmigrasse necesse est. Nam reverà ipse erat Iudæus, vt ipsemet testatur Actorum cap. 21. vers. 39. dicens: *Ego homo sum quidem Iudæus, à Tarso Ciliciæ non ignotæ ciuitatis municeps.* & clarius cap. sequenti vers. 3. *Ego sum* (inquit) *vir Iudæus, natus in Tarso Ciliciæ, nutritus autem in ista ciuitate* (subaudi Ierosolyma, in qua tunc loquebatur) *secus pedes Gamaliel eruditus iuxta veritatem paternæ Legis.* & ad Philippenses cap. 3. vers. 5. de se ipso ait: *Circumcisus octauo die, ex genere Israel, de tribu Beniamin, Hebræus ex Hebræis, secundùm Legem Pharisæus.* hæc ipse. Quoniam autem Tarsus ciuilitate Romana ab Imperatoribus Iulio Cæsare & Octauiano Augusto donata fuerat, eò quòd in bellis ciuilibus admodum eis fauisset, vt benè probat Baronius sub anno Christi 58. ideò ipsemet Paulus Actorum cap. citato vers. 25. & sequentibus, non semel protestatur se natum esse ciuem Romanum. Ex quibus omnibus apparet, quando sanctus iste Apostolus, & vbi sit natus, vbi postea nutritus, à quo eruditus, quando ad fidem conuersus, & quomodo verè Iudæus de tribu Beniamin, & simul etiam ciuis Romanus fuerit.

AB ORBE CONDITO ANNVS 4053. — SEXTÆ MVNDI ÆTAT. ANNVS 607.

☞ 1 ANNO Principatus sui, siue, quod idem est, ab obitu patris tertio circiter incipiente, credibile est Archelaum Româ cum Ethnarchæ titulo in Iudæam rediisse, quemadmodum ex his quæ sub anno præcedenti num. 1. & 3. dicta sunt, satis probabiliter inferri potest: non enim videntur tam longæ nauigationes, de Iudæa in Italiam, & iterùm de Italia in Iudæam, & item tam difficilia negotia locis citatis recensita, citiùs integro saltem biennio, in Romana præsertim atque Imperiali curia, expediri potuisse. Quæ autem postea idem Archelaus in Iudæa egerit, quousq; demum Cæsari accusatus, & ab eodẽ perpetuo exilio Viennam in Galliam relegatus est, breuiter tangit Iosephus 17. Antiq. cap. 15. & inter alia memorat, quòd Ioazaro Boëthi F. Pontificatum abrogauit, insimulato quòd seditiosis consensisset; eamque dignitatem in Eleazarum prædicti Boëthi fratrem collocauit. Et paulò pòst addit, quòd nec Eleazarus diu Sacerdotio potitus est, subrogato in viuentis locum Iesu filio Siæ. Quinetiam oportet eumdem Archelaum denuò postea dedisse Pontificatum prædicto Ioazaro: siquidem ipse, post Archelai relegationem, de Pontificatu à Quirino Syriæ Præside depositus legitur apud ipsummet Iosephum 18. Antiquit. cap. 3. vt infrà suo loco dicetur.

QVAE ARCHELAVS IN IVDAEAM REVERSVS EGERIT.

AB ORBE CONDITO ANNVS 4054. — SEXTÆ MVNDI ÆTAT. ANNVS 608.

1 ANNO proximo, die septima Ianuarij, vt infrà probabitur, id est anno vitæ Christi quarto per dies tredecim iam inchoato, & Principatus Archelai anno tertio ad finem appropinquante, vt ex sub anno mundi 4051. num. 32. dictis liquidò inferri potest, credimus cum Nicephoro Ecclesiasticæ Historiæ cap. 14. ipsum Christum ab Ægypto fuisse in Iudæam primùm, mox in Galilæam reportatum, quemadmodum narrat S. Euangelista Matthæus cap. 2. vers. 19. vsque ad finem capitis. & tunc impletum esse vaticinium illud, quod olim ab Osee Propheta fuerat pronuntiatum, & cap. Prophetiæ eius 11. vers. 1. traditum his verbis: *Ex Aegypto vocaui filium meum.* Diximus hoc factum fuisse anno Christi quarto proximè ante inchoato; quia tametsi sub anno mundi proximè adducto num. 37. & 44. diximus, Herodem obiisse anno Christi primò: & ex textu Euangelico, Herodis obitus videatur eodem anno quo contigit, Iosepho denuntiatus: attamen, quia idem Sacer textus vbi ait, quòd defuncto Herode Angelus admonuit Iosephum vt rediret, protinus adiecit: *Defuncti sunt enim qui quærebant animam pueri.* Ex quo inferri potest, quòd quando hæc denuntia-

CHRISTVS QVANDO AB AEGYPTO REPORTATVS.

tio facta est, non Herodes solùm erat defunctus, sed & multi alij ex Iudæis, qui vt pri-
mùm cum Herode audierant natum esse Messiam, cum eodem pariter turbati, pue-
rum ad necem quæsierant. & item, quia in eodem Sacro textu dicitur, Iosephum in
suo reditu audiuisse, quòd in Iudæa regnaret Archelaus pro Herode patre suo; vn-
de apparet iam tunc ipsum Archelaum Româ in Iudæam esse reuersum. Et denique,
quia probabile est, ipsum Iosephum non rediisse cum Iesu & Maria matre eius in Iu-
dæam eo tempore quo ipsa cædibus ac seditionibus plena erat; sed post easdem operâ
Vari, vt sub anno mundi 4052. num. 1. dictum est, iam sedatas: propterea cogimur
dicere, hoc potiùs anno Dominum de Ægypto fuisse reductum.

2. Credimus autem id accidisse, vt diximus, die septimo mensis Ianuarij; quoniam, vt notat etiam Cardinalis Baronius, non modò Martyrologium Romanum, sed & Beda, & Vsuardus, & Ado, & alij, ponunt prædictum reditum in eodem die; qui idcircò olim in sancta Ecclesia valdè memorabilis fuisse perhibetur. Quare oportet Angelum Domini consultò distulisse multo tempore denuntiare Iosepho obitum Herodis, tum vt expectaret interitum quoq; aliorum Christi persecutorum, quos præuidebat interim morituros; ac sic posteà posset vniuersaliter dicere Iosepho: *Mortui sunt enim qui quærebant animam pueri*; tum vt redeuntes cum sacro pignore Iosephus & Maria, inuenirent iam omnino pacatas Iudææ regiones. & fortè etiam diuina prouidentia non præcedenti æstate, sed hieme subsequente monitum fuisse Iosephum vt rediret; ne ob maximos illarum regionum calores, aridissimasque solitudines, per quas de Ægypto in Iudæam transire necessarium erat, ipsius infantuli adhuc tenelli, necnon & matris eius sanitas in discrimen poneretur. Cùm igitur Iesus, post eius in templo præsentationem, quadragesimo die ab eiusdem ortu peractam, delatus fuerit primò in Galilæam, posteà verò inde in Ægyptum, sicuti sub anno mundi 4051. num. 32. & 33. dictum est; vtique ex iam dictis consequitur, eumdem Iesum annis dumtaxat tribus incompletis, id est vno dumtaxat circiter mense deficiente, in Ægypto permansisse: & consequenter, decipi eos qui plures huic mansioni annos attribuunt; quod fortè ob non rectam supputandi annos regni Herodis rationem ab illis initam, prouenire potuit.

IESVS QVOT ANNIS IN AEGYPTO PERMANSERIT.

3. Eodem anno de Zebedæo & Salome eius vxore (quam credimus fuisse sororem Iacobi minoris, vt sub anno mūdi 4037. num. 5. dictum est) oportet natum esse filium nomine Ioannem, illum inquam, qui posteà Christi Apostolus fuit & Euangelista: si tamen verum est, vt nobis videtur, quod tradit venerabilis Beda lib. de Sex mundi ætatibus, nimirum eumdem Ioannem vixisse annis nonaginta octo. Nam (vt ait S. Hieronymus lib. 1. Aduersus Iouinianum, circa medium; & item lib. de Scriptoribus Ecclesiasticis, in verbo *Ioannes*, & refertur in Breuiario Romano sub die 27. Decembris), S. Ioannes obiit anno post Christum passum sexagesimo octauo, currente anno Imperij Traiani secundo, quemadmodum scribit Card. Baronius Tomo suorum Annalium secundo. Certum est autem, quòd ab hoc de quo nunc agimus anno mundi 4054. ad obitum Christi, qui, vt infrà dicemus, contigit anno mundi 4084. inueniuntur anni triginta; quibus si addas annos sexaginta octo post eiusdem Christi obitum decursos, efficies prædictam summam annorum nonaginta octo vitæ ipsius S. Ioannis. Dixi, *si vera est opinio Bedæ Presbyteri*; quia non me latet, Baronium loco eius proximè adducto existimasse dictum Bedam nonnihil dissentire à B. Hieronymo, qui loco contra Iouinianum citato, dum dicit S. Ioannem, quando facta fuit Apostolorum electio, ideò non fuisse ceteris Apostolis loco Petri prælatum, quia tunc adolescens ac pænè puer erat, videtur inferre, ipsum nō tam diu vixisse. & propterea putat Baronius, annos vitæ eiusdem S. Ioannis fuisse tantummodò nonaginta tres. verumtamen (vt liberè dicam quod sentio) non facilè adduci possum, vt putem venerabilem Bedam Scriptorem grauissimum ac valdè in sancta Ecclesia probatum, ausum fuisse annos vitæ dicti Apostoli vel ex proprio capite, vel ex leuioribus coniecturis tam certò definire; sed potiùs determinatum illum annorum numerum à se prolatum, vel ex probatissimo aliquo Scriptore antiquo, vel ex immemorabili aliqua probataque traditione accepisse. Quinetiam facilè crediderim, eumdem Auctorem putasse, dictum annorum numerum S. Hieronymi dictis nullatenus aduersari: alioquin non est credendum, quòd tam absolutè illud pronuntiasset; præsertim cùm certum sit, S. Hieronymum neque loco allegato, neque aliàs vnquam, quod ego viderim, expresse tradidisse, quoto ætatis suæ anno S. Ioannes ex hac vita migrauerit; & Bedæ assertio, cum his quæ S. Hieronymus de eodē S. Ioanne scripta reliquit, stare posse videatur. Etenim sanctus Doctor, vbi Apostolum pænè puerum appellasse videtur; certè quòd *pueri* nomen pro *adolescentis* vocabulo vsur-

S. IOANNES EVANGELISTA, QVANDO NATVS, ET QVAMDIV VIXERIT.

pauerit,

pauerit, vel ex eiusmet verbis conuinci potest. Quis enim vmquam credat, tantum virum dicere voluisse, quòd Christus inter Apostolos suos, quos primarios Euangelij prædicatores, & tamquam ceterorum discipulorum suorum magistros, ac Gentium doctores cõstituit, etiam puerum cooptare opportunum duxerit? Neque verò est quòd quis miretur, hunc sanctum Ecclesiæ Doctorem aliquando alteram ætatis humanæ distinctionem, nempe pueritiam pro adolescentia vsurpasse: quandoquidem Scripturam quoque sacram idipsum quandoque facere consueuisse, nos aliquot exemplis non semel, videlicet sub annis mundi 2163. num. 4. & 3018. num. 1. & 3309. num. 2. indicauimus. Si ergo S. Ioannes quando ad Apostolatum vocatus fuit, reuerà non erat puer, sed adolescens; certè non minùs credibile est quòd tunc esset annorum viginti sex, & posteà trigesimum saltem annum ageret quando Christus fuit crucifixus, quemadmodum ex Bedæ sententia consequitur; quàm quòd fuerit viginti duorum annorũ quando inter Apostolos connumerari cœpit, & deinde viginti quinque quando mortuus est Christus, vt sentit Baronius. siquidem ita dici potest soletque adolescens, qui est vigintisex, sicuti qui viginti duorum est annorum; (adolescentia enim communiter ab anno decimoquarto ad trigesimum extendi solet.) Quare illa tam pauci temporis differentia, quæ nimirum intra ipsius adolescentiæ terminos continetur, non videtur iure posse dissensionem ponere inter memorata Classicorum Auctorum dicta. Itaque cùm nihil cogat nos aliter sentire; multò satius esse putamus credere, SS. Hieronymum & venerabilem Bedam potiùs in hoc concordes quàm discordes fuisse; tametsi quod alter implicitè, alter explicitè tradiderit. Verumenimuerò, quia præcisus annorum numerus totius vitæ S. Ioannis non tam euidenter demonstrari potest, vt ex duabus recitatis opinionibus vnusquisque quam maluerit sequi posse non videatur: illud tantummodò hîc notandum restat, quòd cui sententia Baronij magis placuerit, is ortum sancti Ioannis, quem nos sub hoc anno ponimus, in annum Christi nonum transferre debebit.

AB ORBE CONDITO ANNVS 4056. — SEXTÆ MVNDI ÆTAT. ANNVS 610.

AVGVSTVS IN ALIVD DECENNIVM PROROGAT IMPERIVM.

I. ANNO Vrbis conditæ septingentesimo quadragesimo sexto, C. Marcio Censorino & C. Asinio Gallo Coss. Augustus Cæsar Reipub. constituendæ potestatem quintò in aliud decennium ex S.C. accepit, quemadmodum ex Dione tradit Onuphrius in suis Fastorum Commentariis anno Vrbis prænotato.

AB ORBE CONDITO ANNVS 4060. — SEXTÆ MVNDI ÆTAT. ANNVS 614.

ARCHELAVS EXVL IN GALLIAM PERPETVO RELEGATVR.

☞ I. ANNO à pugna Actiaca trigesimo septimo, vt scribit Iosephus 18. Antiq. cap. 3. in ipso capitis initio, & post ipsum Dio Historiarum Romanorum lib. 5. & 6. qui erat annus Principatus Archelai nonus, vt idem Iosephus tradit 2. de Bello cap. 6. (subintellige, desinens) vel decimus, vt ait 17. Antiq. cap. vlt. (nimirum, incipiens) Cæsar Archelaum à Primatibus Iudæorum pariter ac Samaritanorum grauiter accusatum ad se accersiuit, & Viennam in Galliam perpetuò damnatum exilio relegauit; misitque Quirinum virum Consularem in Syriam, vt iura populis redderet, & censum ageret, ac Ierosolymis Archelai domum diuenderet, facultatesque eius Imperiali fisco adiudicaret. Venit etiam cum eodem Quirino Coponius eques Romanus, & turmæ equitum Præfectus, penes quem posteà esset totius Iudææ rerum administratio: hanc enim ei Cæsar potestatem demandauerat, vt testatur Iosephus 2. de Bello cap. 7. in ipso capitis initio; qui de prædictis Quirino & Coponio etiam meminit 18. Antiq. cap. 1. & 3. vbi addit, quòd idem Quirinus Ioazarum Pontificem ea dignitate priuauit, & Ananum Sethi F. ei substituit. & hic est qui Lucæ cap. 3. vers. 2. & Ioan. cap. 18. vers. 13. & Actorum cap. 4. vers. 6. dicitur Annas. Quare oportet (sicut etiam notauit Cardinalis Baronius in Apparatu) vel Iosephum vbi suprà esse hallucinatum, & pro aliquo alio posuisse Quirinum; vel, quod magis reor, dictum Quirinum iam secundò aut tertiò in Syriam Præsidem fuisse missum, aliumque ibidem tunc censum egisse: nam primam census descriptionem in Syria ab eodem Quirino factam, nos sub anno mundi 4051. num. 8. diximus esse illam, quæ contigit in ortu Saluatoris, & describitur Luc. cap. 2. vers. 2.

COPONIVS IVDAEAE PRAESES.

2. Quæ

2. Quæ autem Coponio Iudæam gubernante acta sint, vide Iosephum loco de Bello proximè citato, & 18.Antiq.cap. 1. vbi meminit de quodam Simone Galilæo, propriæ sectæ ab aliis diuersæ Sophista; & de Iuda Gaulanita, qui adiuncto sibi Pharisæo Sadduco, sollicitabat populum ad defectionem, ne Romanis tributa penderet. Quæ seditio non tunc solùm turbauit rempublicam, sed futurarum quoque cladium seminarium fuit.

AB ORBE CONDITO ANNVS 4061. — SEXTÆ MVNDI ÆTAT. ANNVS 615.

1. ANNO post circiter inchoante, sub eodem etiam Coponio, in festo Azymorum sparsa fuisse à Samaritanis ossa humana per totum templum, tradit idem Iosephus 18.Antiq.cap.3. Vbi quoniam aliorum item duorum Iudææ Præsidum meminit, nempe, M.Ambiuij & Annij Rufi, qui post Coponium sibi inuicem in Iudæorum regimine, vsque ad initia Imperij Tiberij Cæsaris, successerunt, spatio scilicet annorum circiter sex; neque notat quoto quisque tempore res administrauerit: satis probabiliter inferre possumus, hosce tres Præsides integro saltem biennio singulos in prouincia permansisse.

AB ORBE CONDITO ANNVS 4062. — SEXTAE MVNDI AETAT. ANNVS 616.

1 ANNO ætatis suæ duodecimo, puer Iesus cum parentibus suis ascendit Ierosolymam, ad diem sollemnem Paschæ de more illius populi celebrandum; & illis peracto Festo redeuntibus, ac non aduertentibus, ipse remansit in Ierusalem: & post triduum ab eis inuentus est in templo sedens in medio Doctorum, audiens illos de Lege & Prophetis disserentes, & interrogans eos, cunctis stupentibus super prudentia & & responsis eius. Vt autem vidit eum mater, & dixit: *Fili, quid fecisti nobis sic? ecce pater tuus & ego dolentes quærebamus te*; confestim relictis Doctoribus, respondit: *Quid est quòd me quærebatis? Nesciebatis, quia in his quæ Patris mei sunt, oportet me esse?* & his dictis *descendit cum eis, & venit Nazareth; & erat subditus illis*, quemadmodum benè narrat S.Lucas cap.sui Euangelij 2. vers.42. vsque ad finem capitis. Ex qua narratione apertè conuincitur, verum esse quod sacri docent Theologi, nimirum Christi operationes alias fuisse ceteris hominibus communes, alias ipsius, vt mundi Redemptor erat, proprias; quarum priores ad humanam potiùs eius naturam, posteriores verò ad diuinam magis spectare videbantur; & hæc sunt quæ ad æternam hominum salutem procurandam specialiùs ordinata erant. Et quidem quod ad has attinet, Christus nemini subditus fuit; vnde meritò humanis parentibus causantibus, cur ab eis se subtraxisset, vt ipsis insciis ad audiendos interrogandosque Doctores se conferret, respondit: *Nesciebatis, quia in his quæ Patris mei sunt, oportet me esse?* verum vtique Patrem suum ostendens esse solum Deum. Quò verò ad alias ceteris hominibus communes eius operationes, voluit subditus esse non solùm veræ matri suæ, sed etiam putatiuo patri Iosepho; & hoc non necessitate, sed voluntate; nobis relinquens exemplum, vt non solùm parentibus corporalibus, quemadmodum Lex præcipit, cui tamen ipse subiectus non erat; sed etiam spiritualibus, & in summa, cunctis maioribus subditi esse satageremus, iuxta illud quod vniuersaliter posteà explicauit Apostolus ad Rom. cap.13. vers.1. dicens: *Omnis anima potestatibus sublimioribus subdita sit.* & post pauca: *Qui resistit potestati, Dei ordinationi resistit*, &c.

PVER IESVS IN TEMPLO INVENTVS.

2. Itaque si quis quærat, quænam egerit Christus ab hoc vsque ad annum vitæ suæ trigesimum, in quo seipsum manifestare cœpit tamquam verum humani generis Redemptorem; dicimus, ex hoc quòd cum parentibus descendisse traditur, & subditus fuisse illis, colligi posse, ipsum nihil deinceps tamquam hominum Redemptor agere voluisse; sed in communibus hominum sui status actionibus tantummodò se exercuisse, donec præstitutum tempus adueniret palàm manifestandi hominibus ad quid ipse in hunc mundum venisset: & propterea S.Euangelista loco citato breuibus perstringens quid interim egerit Christus, nihil aliud memorandum duxit, nisi quòd *descendit cum eis* (nimirum parẽtibus) *& venit Nazareth; & erat subditus illis.* & post pauca, *Et Iesus*, inquit, *proficiebat sapientia, & ætate, & gratia, apud Deum & homines.* quia nimirum, licet æquè semper fuerit plenus sapientia & gratia, successiuè tamen, crescente ætate,

QVID IESVS A 12. AD 30. VITAE ANNVM EGERIT.

ætate, maiorem quoque exteriùs in humanis actibus, hoc est in verbis & operationibus suis, sapientiam & gratiam ostendebat; & ad proportionem augescentis ætatis, maioribus indies sapientiæ & gratiæ operibus incumbebat, quæ reuera tum coram hominibus, tum etiam coram Deo erant perfectiora, vt rectè exponit Cardinalis Toletus super loco Lucæ citato. Igitur, si verum est quod diximus, Iesum intra prædictum tempus nullum opus ad redemptionem nostram specialiter pertinens agere voluisse, cuiusmodi sunt, miracula facere, Discipulos conuocare, & quæ ad æternam salutem consequendam pertinent, publicè docere, & his similia; proculdubiò inferri potest, falsa omnino esse & conficta, quæ de infantia Saluatoris, ac de miraculis in ætate puerili ab eo factis, in apocryphis quibusdam libris tradita inueniuntur; quos sanè libros meritò sancta reprobat reiicitque Ecclesia, & contra ea quæ de miraculis Christi in ipsis asseruntur, latè disputat S. Ioan. Chrysostomus Homil. 20. in Ioannem.

LIBER DE INFANTIA SALVATORIS REIICIENDVS.

DE TEMPORE MORTIS IOSEPH.

3. Quoniam autem de Iosepho nulla ampliùs in Euangelico textu deinceps mentio reperitur, longè minùs probabilis fit opinio illorum qui putant eum etiam tempore passionis Christi fuisse superstitem, quàm eorum qui tenent ipsum intra hunc, de quo hîc agimus annum, & eum in quo Iesus cœpit opera humanæ redemptionis palàm exercere, mortuum esse. Nam alioquin mirum valdè videri posset, solam ad nuptias cum Iesu matrem, non etiam patrem putatiuum fuisse inuitatum, Ioan. cap. 2. vers. 1. & quòd, quando Christus prædicabat Matthæi cap. 12. vers. 46. non etiam Ioseph, sed tantùm Maria mater Iesu & eiusdem fratres dicantur stetisse foris quærentes loqui ei. Quis verò dubitet, ad Crucem Iesu, Ioan. cap. 19. vers. 25. non matrem eius dumtaxat, sed & ipsum Ioseph, si tunc superstes fuisset, omnimodis stare voluisse? Denique, cur non potiùs ipsi Iosepho quàm Ioanni Christus moriens matrem commendasset, cùm vterque virgo esset? Videtur igitur, Iosephum non solùm ante passionem, sed & ante prædicationem Christi de hac vita migrasse, quamuis quonam vitæ Christi anno obierit, & num valdè tunc senex esset quando ipse decessit, incertum sit. Nam quod Hæres. 78. suspicatur S. Epiphanius, eumdem Iosephum forsitan fuisse octogenarium, vel etiam aliquantò seniorem, quando ei desponsata fuit beatissima Virgo; non videtur probandum, propter ea quæ tradit Cardinalis Toletus super Luc. cap. 1. Annotat. 59. & nos sub anno mundi 4050. num. 4. diximus.

M. AMBIVIVS IVDAEAE PRAESES.

4. Eodem anno, Coponium Iudææ Præsidem Romam rediisse, accepto successore M. Ambiuio; ex his quæ sub anno mundi 4060. num. 2. dicta sunt, satis probabiliter inferre possumus. Huius Ambiuij tempore, Salome Herodis Ascalonitæ Regis soror è vita decedens, Iuliæ Augusti Cæsaris coniugi Iamniam cum sua Toparchia reliquit, & sitam in campo Phasaëlidem, Archelaidemque plurimis consitam palmetis, vt tradit Iosephus 18. Antiq. cap. 3. & lib. 2. de Bello cap. 8.

AB ORBE CONDITO ANNVS 4064. — SEXTÆ MVNDI ÆTAT. ANNVS 618.

ANNIVS RVFVS IVDAEAE PRAESES.

1 ANNO Imperij Cæsaris Augusti, nimirum à deuicto Antonio circiter quadragesimo secundo, vt ex sub anno mundi 4060. num. 2. dictis colligi potest, credimus eumdem Augustum, reuocato M. Ambiuio, misisse Annium Rufum in Iudæam Præsidem; quo posteà Præside idem Cæsar Augustus vita functus est, vt tradit Iosephus 18. Antiq. cap. 3.

AB ORBE CONDITO ANNVS 4066. — SEXTÆ MVNDI ÆTAT. ANNVS 620.

AVGVSTI CAESARIS OBITVS.

1 ANNO Vrbis conditæ septingentesimo sexagesimo sexto, Sex. Pompeio & Sex. Appuleio Coss. (quemadmodum ex Dione, Tacito, & Suetonio, tradunt Onuphrius & Sigonius in Fastis) die decimonono mensis Augusti, nimirum eodemmet die mensis quo olim primum inuaserat Consulatum, Octauianus Cæsar Augustus Nolæ mortuus est, annos natus septuaginta quinque, menses decem, & dies viginti sex, hoc est annos ferè septuaginta sex; cùm imperasset à primo eius Consulatu annos quinquaginta sex, ex quibus, primos circiter duodecim, partim cum Antonio & Lepido, durante scilicet eorum Triumuiratu; partim cum Antonio tantùm: deinde verò eodem Antonio ad Actium deuicto, solus annos quadraginta quattuor, demptis diebus tredecim. Vnde patet, in multis decipi Iosephum, qui 18. Antiquitatum

VITAE PRINCIPATVSQVE EIVS ANNI.

quitatum cap. 3. ait, eumdem Augustum vixisse annos septuaginta septem, imperasse autem annos quinquaginta septem, & amplius menses sex, dies duos, connumeratis, inquit, quattuordecim annis quibus Antonius fuit ei Imperij socius. Incidit ergo Augusti obitus in annum vitæ Christi decimumsextum, vt patet in tabulis, nimirum in mensem dicti anni octauum propè explendum: siquidem à die vigesimo quinto Decembris, in quo natus est Christus, ad decimumnonum mensis Augusti, in quo Cæsarem obiisse diximus, intersunt menses septem, & dies ferè viginti quinque. Quare Tertullianus in libro Aduersus Iudæos cap. 8. vbi ait, Augustum superuixisse, ex quo natus est Christus, annos quindecim; & post annos quadraginta tres, ex quo Antonium & Cleopatram ad Actium superauerat, obiisse; de annis integris loqui accipiendus est: nam alioqui propiùs vero dixisset, eumdem Augustum à Christo nato annis ferè sexdecim fuisse superstitem; & anno ab Actiaca victoria quadragesimo quarto pænè expleto è vita migrasse. Huius Imperatoris, qui fuit omnium maximus, & præsertim in re bellica felicissimus, res gestas scripserunt Plutarchus & Suetonius in Augusto, & ferè omnes alij rerum Romanarum Scriptores. Earumdem verò præclariores distinctè quidem, sed breui compendio perstrinxerunt Genebrardus lib. 2. suæ Chronologiæ, vbi agere incipit de quarta Monarchia Romanorum; & Eutropius libr. 7. non procul ab initio.

QVO ANNO VITAE CHRISTI OBIERIT.

2. Eodem tempore quo obiit Augustus, Tiberius Nero Augusti priuignus, & Iuliæ Augusti vxoris filius, qui post obitum Caij & Lucij, quos Iulia iunior, quæ fuit ipsius Augusti filia, Agrippæ genuerat, ab eodem Augusto in filium adoptatus fuerat, Romanum Imperium regendum suscepit, vt tradunt Iosephus loco citato, & item Cornelius Tacitus, Suetonius Tranquillus, Dio, & alij. Libet hîc Taciti verba adferre, qui lib. 1. ita scribit: *Vixdum ingressus Illyricum Tiberius, properis Liuiæ matris litteris accitur; neque satis compertum est, spirantem adhuc Augustum apud vrbem Nolam, an exanimem repererit: acribus namque custodiis domum & vias sepserat Liuia: lætiq; interdum nuntij vulgabantur, donec prouisis quæ tempus monebat, simul excessisse Augustum, & rerum potiri Neronem, fama eadem tulit.* sic Tacitus. Igitur oportet primum Imperij Tiberij Cæsaris annum, pro maiore parte cum Christi anno insequente, hoc est decimoseptimo, concurrisse, quod & in tabulis adnotabimus.

TIBERIVS NERO IMPERAT.

3. Eodem anno, vt patet in eisdem tabulis, oportet cœpisse infirmari mulierem illam curuam, quam posteà mirabiliter sanauit Christus anno vitæ suæ trigesimo tertio, quemadmodum nos infrà suo loco dicemus, cùm illa haberet spiritum infirmitatis iam annis decem & octo, vt dicitur Luc. cap. 13. vers. 11.

MVLIERIS CVRVAE INFIRMITAS.

AB ORBE CONDITO ANNVS 4067. SEXTÆ MVNDI ÆTAT. ANNVS 621.

1 ANNO proximo, qui, vt dictum est, erat Imperij Tiberij Cæsaris tertij Romanorum Imperatoris annus primus, venit in Iudæam quintus Iudæorum Præses Valerius Gratus, à prædicto Tiberio missus in Anci seu Annij Rufi locum: Iosephus 18. Antiq. cap. 3. qui ibidem supponere videtur, Quirinum fuisse primum Iudææ Præsidem, post expulsum Archelaum, alioqui prædictus Gratus non quintus, sed quartus fuisset Iudæorum Præses. Atqui reuerà Quirinus non propriè Iudæorum, sed totius Syriæ Præses fuit, quemadmodum idem Iosephus testatur libri citati cap. 1. Quia tamen ab Augusto missus in Syriam, priùs, vt arbitror, venit in Iudæam, vt (quemadmodum ei præceperat Imperator) Archelai facultates Fisco Imperiali applicaret, & Iudæam in prouinciam redigeret, eamq; Coponio regendam assignaret: quia inquam ad hæc præstanda oportuit eumdem Quirinum ibidem aliquantisper commorari, propterea, vt arbitror, Iosephus, computato etiam inter Iudææ Præsides ipso Quirino, ponit inter eos quinto loco Valerium Gratum, de quo ibidem prosequitur dicens; *Hic adempto* Annæ siue *Anano Sacerdotio, Ismaëlem Fabi F. iussit esse Pontificem. quo paulò pòst deiecto, in Eleazarum Anani Pontificis filium eum honorem transtulit.*

VALERIVS GRATVS IVDAEAE PRAESES.

QVIRINVS AN FVERIT IVDAEAE PRAESES.

AB ORBE CONDITO ANNVS 4068. SEXTÆ MVNDI ÆTAT. ANNVS 622.

1 ANNO proximo, Valerius Gratus Iudææ Præses summum Pontificatum ab Eleazaro sublatum Simoni Camithi F. detulit, quemadmodum tradit Iosephus 18. Antiq. cap. 3.

SIMON CAMITHI F. FIT PONTIFEX.

AB ORBE CONDITO ANNVS 4069. SEXTÆ MVNDI ÆTAT. ANNVS 623.

IOSEPHVS, QVI ET CAIPHAS, PONTIFEX.

1 ANNO insequente, idem qui suprà Iudææ Præses præfato Simoni imperauit vt Pontificatum cederet Iosepho, cui cognomen erat Caiphas; & hic erat sub quo posteà passus est Christus. & cuius socer erat Ananus aliàs Pontifex, qui & Annas; quemadmodum apertè ait S. Ioan. cap. 18. vers. 13. Fuerunt igitur ab obitu Herodis ad Christum passum, iuxta Iosephi historiam, nouem Pontifices; quorum series ista est. Primò, Ioazarus Simonis Boëthi F. ab Herode in Pontificatu relictus. deinde Eleazarus, prædicti Ioazari frater: mox Iesus Siæ F. & post ipsum denuò Ioazarus ab Archelao substituti sunt; quorum nos sub anno mundi 4053. num. 1. mentionem fecimus. posteà Ananus, qui & Annas; de quo sub anno mundi 4060. num. 1. dictum est. post hunc Ismaël Fabi F. & subinde Eleazar, prædicti Annæ siue Anani F. de quibus sub anno mundi 4067. num. 1. meminimus. dein Simon Camithi F. de quo sub anno præcedente. denique præfatus Caiphas. Dixi nouem tantùm Ierosolymis extitisse Pontifices, iuxta Iosephi historiam, ab obitu Herodis ad Christi passionem: quia ipse Iosephus inter prædictum Caipham à Grato Præside Pontificem constitutum, & Ionathan Annæ F. cui post Pilati discessum Vitellius Syriæ Præses Pontificatum detulit, nullum alium intermedium ponit; vnde videtur indicare, ipsum Caipham etiam toto Pilati tempore Pontificatum tenuisse. At verò Eusebius Ecclesiasticæ Historiæ lib. 1. cap. 12. dicit, quòd anno quintodecimo Imperij Tiberij Cæsaris, quando S. Ioannes Baptista prædicare cœpit, summus Pontifex erat Annas; sub finem autem dictæ prædicationis, Caiphas; & propterea ait ambos à S. Luca cap. 3. vers. 2. fuisse commemoratos: siquidem tunc Pontificatus ad nutum Præsidum Romanorum erat amouibilis, atque ipsorum arbitrio conferri consueuerat. Et hoc magis consonat cum textu Euangelico, asserente, prædictum S. Ioannem prædicasse sub Principibus Sacerdotum Anna & Caipha. Quemadmodum enim olim Prophetæ in suarum Prophetiarum initiis plures quandoque ponebant Iudæ Reges, sub quibus successiuè ipsi prophetauerant: ita & S. Euangelista, intendens loqui de prædicatione S. Præcursoris, præmittere voluit, sub quibus Pontificibus successiuè prædicauerit. Hoc si verum est, vt credimus, oportet Pilatum transtulisse Sacerdotium à Caipha ad Annam, & mox iterùm ab Anna ad Caipham, quod Iosephus silentio inuoluit: & consequenter, à defuncto Herode ad Christi passionem, & aliquantò etiam post ipsam, non nouem tantùm, sed decem extitisse Pontifices. Nam qui maluerit in hoc sequi Iosephum, cogetur sentire vel cum Sigonio de Repub. Hebræorum lib. 5. sub finem capitis 2. asserente, S. Lucam loco citato, nomine Principum Sacerdotum, complecti voluisse tum Pontifices, tum etiam Pontificios; illos scilicet qui priùs fuerant Pontifices, qualis tunc erat Annas; vel cum Cardinale Baronio, qui sub anno Christi 31. ait, Annam ibi appellari Principem Sacerdotum, non quia tunc esset Pontifex, sed quòd esset Collegij Synedrim nuncupati, Princeps siue Præfectus. Et tamen neutra istorum expositio videtur satis consona Sacro textui, cuius verba apertè indicant, vtrumque, nempe Annam & Caipham, fuisse Principes Sacerdotum eiusdem generis, & officio ac dignitate pares; non quidem ambo eodemmet tempore, sed vnus post alterum, durante nimirum eiusdem S. Ioannis prædicatione. Nam si Annas non verè Pontifex; sed Pontificius, aut prædicti dumtaxat Collegij Princeps fuisset, & per consequens, ipsi Caiphæ Pontifici subditus ac subordinatus; certè non priori loco à S. Euangelista, sine vlla Principatus distinctione fuisset recensitus. Vt ne illud quoque omittam, quòd non videtur certò probari posse, Annam fuisse prædicti Collegij Principem: quandoquidem, quod præcitatus Auctor etiam sub anno Christi 34. ait, ad prædictum Collegium pertinuisse, de Propheta & de doctrina cognoscere ac iudicare; ideoque Christum, quando captus fuit, ad Annam primùm fuisse perductum, atque ab eo priùs, pro officij sui munere, de doctrina sua interrogatum; non satis firmo niti videtur fundamento: quoniam illammet interrogationem non ab Anna, sed à Caipha Pontifice factam, ex ipsomet Sacro textu colligunt, pluribusque demonstrant, tum Iansenius in sua Concordia Euangelica cap. 138. tum etiam Cardinalis Toletus super Ioan. cap. 18.

PONTIFICES AB OBITV HERODIS AD CHRISTVM PASSVM.

S. LVCAE TEXTVS EXPONITVR.

2. Quoniam autem hactenus sparsim pro locorum opportunitate recensuimus nomina omnium, qui ab Aarone vsque ad Christi necem Pontifices fuerunt; nunc vt non-

nonnullis id non immeritò expetentibus morem geram, non grauabor integrum hîc ponere Catalogum cunctorum Aaronici ordinis Pontificum vsque ad memoratum Christi obitum. Fuit ergo

1. Aaron veteris Legis Pontifex, qui iubente Deo per Moysen consecratus fuit: Exod.cap.29. & Leuitic. cap. 8. Nam licet & ipse Moyses fuerit Sacerdos, vt patet in Psal. 98. vers.6. non tamen ab hominibus, neque per hominem; sed immediatè à Deo Pontifex simul & Princeps Hebraici populi fuerat constitutus.
2. Eleazar Aaronis filius maior: Deuteron. cap. 10. vers.6.
3. Phinees Eleazari F. Iudic.cap.2.v.28.
4. Abisuë Phinees F. vt est apud Iosephum 5.Antiq.in fine.
5. Bocci Abisuë F. ibidem.
6. Ozi Bocci F. ibidem.
7. Heli primus de stirpe Ithamar, qui fuerat alter Aaronis F. ibidem.
8. Achitob nepos dicti Heli, vt probatum est sub anno mundi 2940.num.2.
9. Achiam Achitobi F. 1.Reg. cap. 14. vers.3.& 18.
10. Achimelech frater dicti Achiam: 1.Reg.cap.21.vers.1.
11. Abiathar Achimelechi F. 1. Regum cap.23.vers.6.
12. Sadoc de stirpe Eleazari primi Aaronis filij: 2.Paralip.cap.vlt.v.22.

Vide quæ sub anno mundi 3020. num. 16. ex Iosepho 10.Antiq.cap.11. diximus, & inuenies, quòd post Sadocum, omnes qui sequuntur vsque ad Iosue filium Iosedec, sibi inuicem in summum Sacerdotium successere, videlicet:

13. Achimaas Sadoci F.
14. Azarias dicti Achimaas frater.
15. Ioramus.
16. Issus.
17. Axioramus.
18. Phidæas.
19. Sudeas.
20. Iulus.
21. Iothamus.
22. Vrias.
23. Nerias.
24. Odeas.
25. Saldumus.
26. Helcias.
27. Sareas.
28. Iosadocus, qui captiuus Babylonem ductus est.
29. Iosue Iosadoci F. 1.Esdr. cap.3. v. 2. & 2.Esdr.cap.12.vers.10.
30. Ioacim dicti Iosue F. ibidem.
31. Eliasib dicti Ioacim F. ibidem.
32. Ioiada dicti Eliasib F. ibidem.
33. Ionathan ipsius Ioaiadæ F. ibidem.
34. Iedoa, qui & Iaddus, ipsius Ionathan F. ibidem.
35. Onias ipsius Iaddi F.

Vide sub anno mundi 3730. num.3. vbi ex Iosepho memorantur etiam qui sequuntur vsque ad Iasonem, nempe:

36. Simon cognomento Iustus.
37. Eleazar dicti Simonis frater.
38. Manasses dicti Eleazari patruus.
39. Onias II. Simonis Iusti F.
40. Simon Oniæ II. F.
41. Onias III.dicti Simonis F.
42. Iason, qui dictum Oniam fratrem Sacerdotio spoliauit: 2.Machab.cap.4. vers.7. vsque ad 11.
43. Menelaus, qui licet non esset de genere Sacerdotali, Iasonem tamen de Pontificatu deiecit, & sibi eam dignitatem deferri curauit, cap.citato.
44. Lysimachus, qui Menelao fratri à Rege suffectus fuit: ibidem.
45. Idem Menelaus; si tamen fratri Lysimacho ob sacrilegia interfecto successit, vt sub anno mundi 3730.nu.4. retulimus. Nam oppositum probatur anno mundi 3892.num.1.
46. Alcimus, qui (quòd tempore commistionis vltrò se inquinasset) meritò ius Sacerdotij amisit.
47. Mathathias, qui aduersus idololatras fortiter dimicans, Pontificatum sibi & posteris suis demandari promeruit: ibid.& anno mundi 3887.num.11.
48. Iudas Machabæus Mathathiæ F. anno mundi 3889.num.1.
49. Alcimus secundò per vim à Rege Pontifex factus: 2.Machab.c.14.v.3.
50. Ionathas Iudæ frater: 1. Machab. cap.10.vers.20.
51. Simon Ionathæ frater: 1.Mach.c.14. vers.27.
52. Ioannes Hircanus Simonis F. 1. Machab.cap.vlt.in fine.
53. Aristobulus Hircani F. qui simul etiam fuit de Machabæorum gente Rex primus.
54. Alexander Ianneus dicti Aristobuli frater: M.A. 3963.num.3.
55. Hircanus dicti Alexandri F. mundi anno 3979. num.2.
56. Aristobulus dicti Hircani frater: mundi anno 3988.num.1.
57. Iterùm Hircanus à Pompeio factus Pontifex: M.A.3991.num.2.
58. Antigonus Aristobuli F. in Iudææ re-

gnum à Parthis reductus, qui Hircano mutilato, non regnum tantùm sed & Pontificatum administrasse creditur, donec à Romanis captus est.

59. Ananelus ab Herode Pontifex constitutus: M.A. 4051.num.9.

60. Aristobulus Herodis cognatus: ibid.

61. iterùm Ananelus: ibidem.

62. Iesus Fabeti F. ibidem.

63. Simon Boëthi F. ibid.

64. Matthias Theophili F. ibid.

65. Iosephus Ellemi F. qui tamen non verè Pontifex fuit, sed casu semel tantùm Pontificis vicem gessit: ibid.

66. Ioazarus Simonis Boëthi F. ibid.n. 8.

67. Eleazar dicti Ioazari frater: Mundi an.4069.num.1.

68. Iesus Siæ F. ibidem.

69. iterùm Ioazarus: ibidem.

70. Ananus, qui & Annas, socer Caiphæ: ibid.

71. Ismael Fabi F. ibidem.

72. Eleazar Anani F. ibidem.

73. Simon Camithi F. ibid.

74. Iosephus, qui & Caiphas: ibid.

75. iterùm Annas: ibidem.

76. iterùm Caiphas, sub quo Christus passus est: ibidem.

Aduertendum verò est, quòd tametsi numerauimus septuaginta sex Pontifices ab initio antiquæ Legis ad Christum passum, computando Menelaum secundò post Lysimachum fratrem, & item Iosephum Ellemi F. nihilominùs quia de Menelao non omnino certum est quòd bis fuerit Pontifex; & iam diximus, dictum Iosephum non verè creatum fuisse Pontificem, sed semel dumtaxat pro Pontifice legitimè impedito sacra fecisse: propterea restat, certiùs dici posse, non septuaginta sex, sed septuaginta quattuor intra dictum tempus extitisse Pontifices.

AB ORBE CONDITO ANNVS 4071. — SEXTÆ MVNDI ÆTAT. ANNVS 625.

ORTVS FILIAE ARCHISYNAGOGI.

1 ANNO vitæ Christi vigesimo primo circiter inchoante, contigit natiuitas illius filiæ Iairis Archisynagogi, quæ posteà cùm esset ferè annorum duodecim, vt exprimit S. Lucas cap. 8. vers. 42. mortua est, & à Christo circa initia anni vitæ suæ trigesimi secundi suscitata, quemadmodum infrà sub anno mundi 4082. num. 2. dicemus. Et eodem circiter anno oportet ægrotare cœpisse hæmorrhoissam illam, quæ anno infirmitatis suæ pariter duodecimo sanata fuit à fluxu sanguinis ab eodem Domino nostro Iesu Christo, dum iret ad suscitandum dicti Archisynagogi filiam.

AB ORBE CONDITO ANNVS 4077. — SEXTÆ MVNDI ÆTAT. ANNVS 631.

FABRICA TEMPLI IEROSOLYMITANI INTERMITTITVR.

1 ANNO vitæ Christi vigesimo septimo circiter desinente, necessarium videtur aliqua de causa nobis hactenus incognita intermissam fuisse Ierosolymitani templi fabricam; quemadmodum ex his quæ nos sub anno mundi 4032.n. 6. disseruimus, colligi potest.

AB ORBE CONDITO ANNVS 4078. — SEXTÆ MVNDI ÆTAT. ANNVS 632.

PILATVS PRAESES IN IVDAEAM MITTITVR.

1 ANNO Imperij sui duodecimo, Tiberius Cæsar, reuocato Valerio Grato, misit Pontium Pilatum in Iudæam Præsidem. Hoc ex Iosepho colligi potest, qui 18. Antiq. cap. 3. ait, dictum Gratum (quem constat anno Tiberij primo venisse in Iudæam) exactis in prouincia annis vndecim, accepto successore Pilato, Romam rediisse. & cap. eiusdem libri 5. in fine tradit, eumdem Pilatum, exactis in Iudæa annis decem, coactum fuisse Romam proficisci, vt ad crimina sibi per Iudæos obiecta, coram Cęsare responderet; quò priusquam perueniret, vita excessisse Tiberium. quem idem Auctor eiusdem libri cap. 8. circa medium dicit, duobus supra viginti annis Imperium tenuisse, & duos in vniuersum misisse Iudæis gubernatores, Gratum scilicet, & successorem eius Pilatum. Ex quibus omnibus colligitur, eumdem Pilatum, anno, vt diximus, Tiberij duodecimo ad regendam Iudæam fuisse transmissum. Porrò Pilatum intra tres primos Præfecturæ annos tulisse Pontificatum à Caipha, & dedisse illum Annæ, & posteà rursus non multò ante S. Ioannis Baptistæ necem, eamdem dignitatem ab Anna ad Caipham transtulisse, colligi potest ex Eusebio Historiæ Ecclesiasticæ lib. 1. cap. 12. & ex his quæ nos sub anno mundi 4069. num. 2. diximus.

ANNAS IVDAEORVM FIT PONTIFEX.

AB ORBE CONDITO ANNVS 4081.

SEXTÆ MVNDI ÆTAT. ANNVS 635.

1 ANNO quintodecimo Imperij Tiberij Cæsaris, vt S.Lucas cap.3.verſ.1. peculiariter adnotauit, S.Io.Baptiſta, qui iam ab ineunte ætate diuino instinctu in deſertum ſeceſſerat, ibique hactenus ab omni humana conuerſatione ſegregatus, ſeſe in cæleſtis beatitudinis contemplatione, & aſſidua pariter corporis afflictatione, admodumque exemplari pœnitentia exercuerat; veſte nimirum valdè aſpera, hoc eſt de pilis camelorum contexta, indutus, & zona pellicea cinctus, & locuſtis dumtaxat ac melle ſilueſtri alitus; à Deo (vt dicitur Ioan.cap.1.verſ.6.) miſſus eſt baptizare, & prędicare, & teſtificari de Chriſto quòd iam aduenisset, quin & ipſummet digito præſentem demonſtrare; & denique vt viam Domino præpararet, quemadmodum olim Iſaias cap.40.verſ.3. & deinde Malach.cap.3.verſ.1. ac demum Zacharias pater eius, Luc.cap.1.verſ.76. prophetauerant, & ipſe item Dominus poſteà Matthæi c.11. verſ.10. ac Luc.cap.7.verſ.27. atteſtatus eſt. Atque hæc omnia quæ ſui muneris erat, vt S.Præcurſor opportuniùs præſtare inciperet, venit in omnem regionem Iordanis prædicans, non verbis ſolùm, ſed vel ipſo pariter aſpectu, baptiſmum pœnitentiæ in remiſſionem peccatorum. Cuius prædicationem geſtaque proſequuntur SS.Matthæus cap.3.verſ.1.vſque ad 13. Marc.cap.1.verſ.1.vſque ad 9. Lucas cap.7.v.18. vſq; ad 30. & Ioan.cap.1.v.6.vſque ad 9.& verſ.19. vſque ad 38. Porrò hanc Præcurſoris Domini prædicationem intra quattuor circiter priores dicti anni menſes cœpiſſe, ex his quæ infrà num.5.dicentur, facilè inferri poterit. S. PRAECVRSORIS PRAEDICATIO.

2. Eodem quoque annò, vt ex Euangeliſtarum locis numero præcedente notatis liquidò colligitur, Dominus noſter Ieſus Chriſtus, cùm tunc annum ætatis ſuæ trigeſimum primum per tredecim dies (quemadmodũ paulò pòſt probabitur) iam inchoaſſet, venit & ipſe de Galilæa in Iudæam ad Ioannem, & ab eo, licet priùs renuente, voluit baptizari: quo baptizato, & orante, ecce apertum eſt cælum, deſcenditque Spiritus ſanctus corporali ſpecie ſicut columba in ipſum, & audita eſt vox de cælo dicens: *Hic eſt Filius meus dilectus in quo mihi complacui.* De hoc Chriſti baptiſmo, & cæleſti teſtimonio, quòd ipſe eſſet Filius Dei dilectus, omnes quattuor Euangeliſtæ atteſtari voluerunt, Matthæus cap.3.verſ.13.vſque ad finem capitis, Marcus c.1.verſ.9. vſque ad 12. Lucas cap.3.verſ.21.& 22. & Ioannes cap.1.verſ.32.vſque ad 35. DE CHRISTI BAPTISMO.

3. Diximus hæc acta eſſe anno Chriſti trigeſimo primo iam per dies tredecim inchoato, propter rationem quam numero ſequente adducemus. Nam alioqui non ignoramus, ex verbis Lucæ non facilè conuinci poſſe, num incipiente, an deſinente, vel potiùs iam tunc expleto anno vitæ ſuæ trigeſimo Chriſtus baptizatus fuerit; ait enim S.Lucas cap.citato v.23. *Et ipſe Ieſus erat incipiens quaſi annorum triginta.* Quæ verba triplicem poſſunt habere ſenſum; videlicet, vel quòd tunc quaſi inciperet ingredi annum vitæ trigeſimum, vel quòd propè inciperet eum explere, vel quòd tunc inciperet eſſe annorum triginta completorum, quia paucis antè diebus trigeſimum ætatis annum iam impleuiſſet. Nemini igitur mirum videatur, ſi de tempore quo baptizatus eſt Chriſtus, variæ extiterunt Doctorum etiam antiquorum opiniones: nonnullis opinantibus id contigiſſe circa initia anni trigeſimi ipſius Chriſti; ſic Origenes Hom.2.in Ezech.& S.Hieronymus c.1.in Ezech.& alij: quibuſdam verò ſub finem dicti anni trigeſimi, id eſt circa menſem ipſius decimum, vt S.Epiphanius in Panario, Hæreſ.51.& idem videtur ſenſiſſe S.Irenæus lib.2. cap.39. aliis autem exiſtimantibus, Chriſtum ad baptiſma veniſſe non multò poſt iam expletum trigeſimum vitæ annum; ita tenet S.Ignatius in Epiſtola ad Trallianos, iuxta recentiorem eius tranſlationem, quæ habetur in Tom.2. Bibliothecæ ſanctæ Sixti Senenſis; & S.Chryſoſtomus Homil.10.in Matthæum, & Euthymius cap.3.in Matthæum, & ferè omnes alij Patres. Et hæc poſtrema opinio magis congruere videtur cum Sacro textu, qui non dicit: Erat quaſi incipiens inchoare, aut explere trigeſimum annum; ſed dicit: *Erat incipiens quaſi* (ſubaudi, eſſe) *annorum triginta.* quoniam paulò antè eos compleuerat, & proptereà verè dici poterat, quòd quaſi tunc incipiebat eſſe triginta annorum completorum. De hiſce opinionibus nouiſſimè multa diſputant Pererius lib.11. in Danielem quæſt. 6. & Cardinalis Baronius in Annalibus, ſub anno Tiberij Cæſaris 15. & in Apparatu, vbi agit de anno quo natus eſt Chriſtus. qui duo tamen inter ſe de opinione deligenda non conueniunt. Ceterùm, primam opinionem apertè refellit ipſa ratio tempo- S. LVCAE TEXTVS EXPLICATVR.

Hhh 3 rum:

rum: nam si Tiberius imperare cœpit anno Christi decimosexto, nimirum octauo dicti anni mense tunc propè explendo, vt sub anno mundi 4066. num. 1. diximus; profectò necesse est, quòd initia anni decimiseptimi ipsius Christi concurrant cum mense quinto anni primi ipsius Tiberij; & consequenter quòd initia anni trigesimi primi ipsius Christi coinciderint cum mense quinto anni decimiquinti ipsius Tiberij: non ergo potuit Christus circa initia anni ætatis suæ trigesimi baptisma suscipere currente anno Tiberij decimoquinto. Sed & alia item ratione hanc & secundam quoque opinionem nos numero sequente confutabimus.

QVO DIE AC MENSE CHRISTVS FVERIT BAPTIZATVS.

4. De die autem & mense quo baptizatus est Iesus, videtur conuenire inter omnes ferè Patres, vno excepto S. Epiphanio, quòd scilicet fuerit dies sexta Ianuarij, in qua dies Epiphaniæ celebrari solet, vt probat Cardinalis Baronius vbi suprà, ex Eusebio & B. Hieronymo attestantibus de antiqua huius rei Patrum traditione: & hoc idem profiteri S.R. Ecclesiam, idem Auctor confirmat ex Rituali antiquo, qui *Ordo Romanus* inscribitur. Hoc si verum est, vt credimus, proculdubiò ex memoratis tribus opinionibus duas priores omnino ruere necesse est: etenim mensis Ianuarius anni Tiberij Cæsaris decimiquinti, nullatenus potuit incidisse in annum trigesimum vitæ Iesu Christi. Quod sic probatur. Nam negari non potest, quòd quemadmodum annus vltimus Augusti Cæsaris (vt ex sub anno mundi proximè adducto num. 1. dictis consequitur) concurrit partim quidem cum anno decimoquinto vitæ Christi, sed pro maiori parte cum decimosexto; ita annus Tiberij decimusquintus concurrit ex parte quidem cum trigesimo, sed pro maiore parte cum trigesimo primo vitæ Christi: constat enim, annum Tiberij primum auspicandum esse à die decimanona mensis Augusti, nempe ab eo die quo mortuus est Augustus Cæsar, vt sub anno mundi 4066. nu. 2. ex Tacito, Suetonio, & Dione ostensum est; & ex eisdem probant Onuphrius & Sigonius in suis Fastorum Commentariis. Igitur oportet decimumquintum Tiberij annum tantummodò à die decimonono mensis Augusti ad vigesimum quintum mensis Decembris in quo natus est Christus, concurrisse cum anno trigesimo eiusdem Christi; & consequenter, mensem Ianuarium anni decimiquinti ipsius Tiberij, necessariò incidisse in annum trigesimum primum Christi proximè iam inchoatum. Quare manifestum fit, quòd si Christus baptisma suscepit in mense Ianuario anni decimiquinti ipsius Tiberij; non potuit id incidisse incipiente anno trigesimo vitæ Christi, vt prima habet opinio; neque desinente, vt secunda; sed trigesimo anno iam expleto, nimirum, trigesimo primo iam per tredecim dies inchoato, quemadmodum nos à principio, id est suprà num. 2. diximus; & tenent etiam tertiæ opinionis sectatores, quamuis non hac ducti ratione, quam nos valdè efficacem putamus.

TRIA COROLLARIA.

5. Ex hac huius difficultatis resolutione tria inferri possunt. Primò, prædicationem ac baptisma Io. Baptistæ, quæ dicuntur cœpisse anno Tiberij Cæsaris decimoquinto, intra primos quattuor eiusdem anni menses necessariò fuisse inchoata, vt suprà num. 1. dictum est; quinto enim dicti anni circiter mense, post multos alios, baptizatus est Christus. Deinde, reiiciendam esse illorum sententiam, qui probare nituntur Christum passum occisumque fuisse anno ætatis suæ trigesimo tertio; quia sequeretur, à primo eius miraculo facto ad nuptias, ad ipsius obitum, intercessisse tria tantùm Paschata; cùm tamen ex ipsa Ioannis Euangelij serie constet, intercurrisse quattuor, vt nos suis locis adnotabimus. Denique, non posse admitti opinionem eorum qui putant, à Christo baptizato ad aquæ in vinum conuersæ miraculum, interfluxisse annum vnum integrum, de qua nos infrà n. 9. mentionem faciemus, quoniam oporteret ponere, obitum Christi contigisse anno vitæ eius trigesimo quinto, quod longè abest à communiore & saniore Doctorum sententia. Est tamen hìc aduertendum, quòd si conuinci posset, Octauiani obitum (vt nonnulli supponunt) in mensem octauum anni Christi non decimisexti, sed decimiquinti incidisse, vtique etiam dici posset, eumdem Christum anno vitæ suæ trigesimo iam per dies tredecim inchoato baptizatum fuisse, & à die sui baptismatis ad primum eius miraculum in nuptiis factum, præcisè annum integrum intercessisse; & consequenter, tria illa miracula, quæ die sexto Ianuarij sancta celebrat Ecclesia, omnia eodem die, sed non eodem anno facta fuisse. Verumtamen, si vera sunt, vt credimus, quæ Cardinalis Baronius tradit in Apparatu ad suos Annales, nempe, quòd Auctores, qui ponunt Christi Natiuitatem anno Imperij Octauiani quadragesimo primo, numerant Imperij annos à primo eius Consulatu: qui verò eamdem Natiuitatem ponunt anno eiusdem Imperij quadragesimo secundo, deducunt eos à nece Iulij Cæsaris, quæ præcedente anno contigerat: profectò consequi-

sequitur, communi omnium consensu verum esse quod nos sub anno mundi 4051. num. 12. asseruimus, videlicet, Christum natum esse anno Vrbis (iuxta Varronianam supputationem quam sequimur) septingentesimo quinquagesimo primo, Lentulo & Messallino Coss. Iste enim annus fuit à nece Iulij Cæsaris quadragesimus secundus, & à primo Octauiani Consulatu quadragesimus primus, vt etiam nostris patet in tabulis. Et quoniam certum est, ipsum Octauianum iniisse primum Consulatum die decimanona mensis Augusti, eodemmet die, quo deinde post annos quinquaginta sex mortuus est, anno scilicet Vrbis septingentesimo sexagesimo sexto, Pompeio & Appuleio Coss. & certum quoque est, Christum natum esse die vigesimaquinta Decembris: hinc manifestè colligitur, quòd annus Christi primus pro maiore parte, hoc est, per priores ferè octo menses concurrit cum dicto Octauiani anno quadragesimo primo à primo eius Consulatu putato, & desinit desinente circiter mense quarto anni quadragesimi secundi. Itaque si hoc verum est, vtique oportet, quòd etiam mense quarto circiter desinente anni Octauiani quinquagesimi sexti, qui fuit vitæ Imperiique eius vltimus, expletus sit annus Christi decimusquintus, & quòd primo anno Tiberij (qui statim successit Octauiano) sub finem mensis quarti, Christus impleuerit annum vitæ decimumsextum; & anno eiusdem Tiberij decimoquinto mense quarto, hoc est, die 25. Decembris idem Christus expleuerit annum trigesimum. Si ergo (vt ferè omnes admittunt) die sexta Ianuarij proximè insequentis, currente eodem anno Tiberij decimoquinto, Christus baptizatus fuit, proculdubiò necesse est, quòd tunc ipse iam per dies tredecim inchoasset annum non trigesimum, vt aliqui putant, sed trigesimum primum, vt nos suprà supposuimus, & in tabulis digessimus.

☞ 6. Eodem die sexto Ianuarij anni ætatis suæ trigesimi primi, Christus post susceptum baptisma, auditamque de cælo vocem de diuina sua filiatione testificantem, statim (vt notat S. Marcus Euangelista loco proximè citando) diuino actus Spiritu secessit in desertum, vbi habitans cum bestiis, eas multò erga se mansuetiores, quàm posteà homines inuenit; vt non immeritò potuisset illud Poëtæ homini exprobrare, IESVS IEIVNAT IN DESERTO.

Mitius inueni, quàm te, genus omne ferarum.

Ibi ergo cùm ieiunasset, ab omni prorsus cibo ac potu abstinens, quadraginta diebus & quadraginta noctibus, cœpissetque die decimosexto Februarij eiusdem anni valdè admodum esurire; hac arrepta occasione diabolus, cupiens experiri num ipse esset Christus in Lege promissus, ter ipsum acribus tentationibus aggressus est. Fuit autem prima tentatio ibidem in deserto, qua prætendebat explorare num is verè esset Filius Dei; & si non esset, inducere illum ad aliquod gulæ peccatum. Altera tentatio fuit supra pinnaculum templi, vt quod in prima non potuerat, eliceret in secunda; nimirũ, vtrùm verus ipse Dei Filius esset, necne. Tertia, in excelsi cuiusdam montis cacumine; qua in tentatione diabolus putans Iesum esse purum hominem, quòd iam bis prouocatus, nihil ad testificandam diuinam suam filiationem mirabile facere voluisset aut valuisset, propterea eidem vniuersi dominationem, si tamen se cadens adoraret, promittit; ratus posse eum per superbiæ tentationem in profundum malorum, quemadmodum olim Adamum, detrahere. Verumtamen longè diuersum res finem sortita est: nam post singulas tentationes singulis sacræ Scripturæ testimoniis, hoc est gladio Spiritus, quod est verbum Dei, prudenter admodum redargutas, tentatore profligato accesserunt ad Iesum Angeli, & ministrabant ei, vtique victui necessaria. Quæ omnia tradunt SS. Euangelistæ Matthæus cap. 4. vers. 1. vsque ad 12. Marc. cap. 1. vers. 12. & 13. & Lucas cap. 4. vers. 1. vsque ad 14. TENTATVR A DIABOLO.

7. Die eiusdem anni decimosexto Februarij paulò antè memorato (vt ex num. 8. & 9. dicendis deduci potest) Ioanne circa Iordanem perseuerante in sua prædicatione, & sui baptismatis administratione, venerunt ad eum missi à Iudæis Sacerdotes & Leuitæ de secta Pharisæorum, vt sciscitarentur ab eo, num ipse esset Christus: qui apertè ac disertis verbis & negauit se esse Christum, & insuper, nactus hanc tam opportunam occasionem, luculentissimũ de Christo iam in terris viso, ac inter homines conuersante, testimonium perhibuit dicens: *Medius autem vestrûm stetit* (nimirum, quando inuentus est in medio Doctorum in templo, & aliàs sæpè) *quem vos nescitis. Ipse est qui post me venturus est* (subintellige, vt manifestetur in Israel) *qui ante me factus est; cuius ego non sum dignus vt soluam eius corigiam calceamenti*, & cetera quæ latiùs prosequitur S. Euangelista Ioannes cap. 1. vers. 19. vsque ad 29. S. IOANNES NEGAT SE ESSE CHRISTVM, ET TESTIMONIVM PROFERT DE CHRISTO.

8. Altera die (vt notat S. Euangelista iam citatus) hoc est, postridie eius diei in quo præcedens de Christo testimonium Ioannes perhibuerat, vidit idem Ioannes Iesum ad

S. IOANNES IESVM INDICE PRODIT.

ad se (vtique de deserto) venientem; & indice ipsum prodens, *Ecce*, inquit, *Agnus Dei, ecce qui tollit peccatum mundi.* perspicuè huiuscemodi figurata locutione insinuans, ipsum esse qui venerat, vt tamquam agnus innocentissimus in ara crucis pro redemptione mundi Deo in holocaustum oblatus, peccata mundi passione ac morte sua expiaret; & exinde cœpit manifestiùs testificari de Christo, quòd ipse verus esset Filius Dei: & sequente die etiam proprios sensim inducere discipulos, vt se relicto, ei potiùs adhærere studerent. Itaque Andreas Ioannis discipulus, primus cum socio secutus Dominum, & cum eo aliquantulùm commoratus, vsqueadeò cælesti eius doctrina est delectatus, vt statim ac fratrem suum Simonem inuenit, ei denuntiauerit se inuenisse Messiam, & eumdem ad ipsum adduxerit: quem Iesus intuens, voluit deinceps vocari Petrum; cuius rei causam idem posteà Iesus exposuit Matthæi cap. 16. vers. 18. dicens: *Et ego dico tibi, quia tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam.* Idem quod de Andrea diximus, contigit Philippo; qui in crastinum vocatus à Domino in Galilæam redeunte, ad eumdem quoque Iesum quantocyùs Nathanaëlem amicum suum perducere curauit, vt videre est apud Ioan. cap. 1. vers. 29. vsquè ad finem capitis, vbi hæc latiùs traduntur. Sanè prædictos, & fortè etiam alios, Christo successiuè pariter adhærentes, (tametsi non firmiter in eum crediderint, donec posteà viderunt primum eius miraculum factum ad nuptias, de quo num. proximo agemus) aliquoties tamen ipsum audire, & sequi, atque ab eodem erudiri solitos fuisse, colligitur; tùm quia appellabant eum Rabbi, quod interpretatur Magister, vt legimus Ioan. cap. 1. vers. 38. tum quia idem Ioannes cap. 2. vers. 2. apertè testatur, inuitatum fuisse ad nuptias Iesum cum discipulis suis; & vers. 11. ait: *Et crediderunt in eum discipuli eius.* inter quos credibile est extitisse etiam prænominatos, licet certum sit, Petrum & Andream interdum ad piscationem redire consueuisse, & non omnino sequi Christum ac iugiter ei adhærere cœpisse, nisi quando posteà ad mare Tiberiadis vocati, statim relictis retibus secuti sunt eum; vt infrà suo loco dicetur.

AQVAM IN VINVM CONVERTIT.

9. Die tertia (vt notat S. Ioannes loco proximè allegando) nimirum, siue posteaquam venerat Iesus in Galilæam, siue à vocatione Philippi, præcedente numero memorata, inuitatus fuit ad nuptias Iesus cùm matre ac discipulis suis, vbi deficiente vino, conuertit ad preces matris aquam in vinum, inopiæ sponsi pariter consulens, & saluti discipulorum suorum: qui viso hoc tam grandi miraculo, quod fuit primum coram eis factum, crediderunt in eum, hoc est magis confirmati sunt in fide, quòd ipse verus esset Messias olim à Deo promissus. Huius facti historiam accuratè recitat Ioannes cap. 2. vers. 1. vsque ad 12. Verùm quod ad tempus attinet rei gestæ, non omnium eadem fuit sententia: multi enim crediderunt hæc acta fuisse post annum integrum à Christi baptismate, nimirum die Ianuarij sexto, non eiusdem sed sequentis anni; de quorum opinione, quæ iam satis vulgata & à pluribus recepta est, plura Pererius lib. 11. in Daniel. quæst. 7. & Cardinalis Toletus in Ioan. cap. 2. Annotat. 15. pauciora, disseruerunt, quorum primus, licet tandem protestari videatur, se facilè in eam consensurum, ac docere quomodo argumenta in contrarium ab ipso adducta solui possint; alter verò, non esse improbabilem fateatur: non tamen eam, præsertim Toletus, omnino probasse videntur. Nos autem, tum propter rationes ab ipsis, & item à Cardinale Baronio sub anno Christi 31. adductas, tum verò maximè ob illas quas nos suprà num. 3. & 4. & 5. attulimus, prædictam opinionem nullatenus recipiendam putamus; sed primùm miraculum ad nuptias eodemmet anno, quo Christus baptizatus fuerat, factum credimus; non quidem die sexto Ianuarij; quia in eo, vt dictum est, Christus in Iudæa baptizari voluit; sed, vt arbitror, sub finem Februarij, non longè ante festum Paschatis, quod tum appropinquare incipiebat. Etenim (quemadmodum ibidem citatus subiungit Euangelista) post patratum hoc miraculum, descendit Iesus Capharnaum ipse & mater eius, & fratres eius, & discipuli eius; & ibi manserunt non multis diebus; quia nimirum propè erat Pascha Iudæorum, in quo oportebat eos ascendere Ierosolymam, vt consequenter dicemus. Neque prædictis reluctari putanda sunt verba illa, quæ in quadam Antiphona festi Epiphaniæ sancta canit Ecclesia, dicens: *Hodie stella Magos duxit ad præsepium: hodie vinum ex aqua factum est ad nuptias: hodie in Iordane à Ioanne Christus baptizari voluit.* Ex quibus apparet, tria hæc eodem die, licet non eodem anno, facta esse. Non, inquam, hæc obstant; quoniam

HODIE, MVLTIPLICITER ACCIPI POTEST.

sancta Ecclesia ibi per illud *hodie*, vel intelligit tempus gratiæ, in quo facta sunt hæc miracula; sicut per illud quod ponitur in Oratione Dominicali, *da nobis hodie*, accipi potest totum tempus huius nostræ peregrinationis seu vitæ temporalis; & per illud

quod

quod habemus in Psalm. 2. vers. 7. & ad Hebr. cap. 1. vers. 5. *Ego hodie genui te.* significatur tota diuinæ æternitatis duratio, in qua Deus Pater æternus Deum Filium sibi coæternum genuit generatque. Vel si per *hodie* mauult accipere diem illum in quo eadem verba canit; illud vtique referri debet (quemadmodum etiam placet Cardinali Baronio) non ad illorum miraculorum operationem, sed ad celebrationem quæ eo die ab Ecclesia peragitur; ita vt sit sensus: Hodie talis ac talis miraculi memoria recolitur. Constat enim, ipsam Ecclesiam non semper diuina mysteria eo die quo acta sunt recolere ac celebrare solere, vt patet de institutione sanctissimi Sacramenti, & de aliquot Sanctorum festiuitatibus, quas iustis de causis in alios dies transtulit: & tamen in Communi Virginum Lectione 4. eodem loquendi modo vtitur, dicens: *Quoniam hodie natalis est Virginis.* Quæ verba, quemadmodum & illa quæ ex Communi Confessoris Pontificis, & item ex Communi vnius Martyris subiungemus, dicerentur etiam in Festo, (si occurreret) vt dictum est, translato. Similiter in Communi Confessoris Pontificis Lectione 6. hæc habentur: *In hac die, quam nobis beati patris nostri N. huius ad Paradisum transitus exultabilem reddidit.* quorum verborum sensus ferè in idem coincidere debet cum eo, qui ibidem Lectione 4. magis explicatus fuerat, illis verbis: *Ad sancti ac beatissimi patris nostri N. cuius hodie festa celebramus,* &c. Et adhuc clariùs in Communi vnius Martyris Lectione 4. vbi legimus: *Triumphalis beati Martyris N. dies hodie nobis anniuersaria celebritate recurrit.* Itaq; in eodem sensu accipienda est etiam illa de qua nunc agimus Epiphaniæ Antiphona, quæ sic habet: *Tribus miraculis ornatum diem sanctum colimus,* &c. nimirum quia hodie tria hæc pariter commemoramus; videlicet, quòd stella Magos duxit ad præsepium, & quòd vinum ex aqua factum est ad nuptias, & quòd in Iordane à Ioanne Christus baptizari voluit. Causa autem cur tria hæc eodem die Ecclesia commemoret, non est quòd eo die omnia patrata fuerint; alioquin eadem sancta mater Ecclesia non posuisset infra Octauam eiusdem Festiuitatis Homiliam illam sancti Maximi, in qua perspicuè asseritur, nesciri quid potissimùm in eo factum sit die. Sed ideò, vt arbitror, tria illa pariter recolit mysteria, quoniam singula ad Christi Epiphaniam, hoc est manifestationem, quæ ipso die celebratur, potissimùm & apertè admodum pertinent. Etenim noua stella manifestauit Christi natiuitatem primò Magis, hoc est, Gentilibus; & deinde per ipsos Iudæis. Et ad Iordanem paterna vox disertis verbis declarauit, Christum verè esse filium Dei naturalem. vbi & Spiritus sanctus descendens & manens super eum in columbæ specie, eumdem esse mundi Redemptorem & Sanctificatorem indicauit, iuxta illud Ioan. cap. 1. vers. 33. *Sed qui misit me baptizare in aqua, ille mihi dixit: Super quem videris Spiritum descendentem & manentem super eum, hic est qui baptizat.* hoc est, qui mundum à peccatis mundat. Denique illa versio aquæ in vinum ad nuptias, aperuit ipsum esse, qui expectabatur, Messiam. Tali namque miraculo (inquit Ioan. cap. 2. vers. 11.) *Iesus manifestauit gloriam suam, & crediderunt in eum discipuli eius.*

EPIPHANIAE ANTIPHONA, TRIBVS MIRACVLIS, ETC. EXPONITVR.

IN EIVS FESTO CVR TRIA MYSTERIA CELEBRENTVR.

☞ 10. Igitur paulò ante diem festum Paschæ, qui celebrari consueuerat à vespera diei decimæquartæ mensis Nisan, per octo dies continuos; qui mensis ferè semper, saltem ex parte, nostro respondet Martio; ascendit Iesus Ierosolymam (vt accuratè describit Ioan. cap. 2. vers. 13. vsque ad finem capitis) & ingressus in templum, eiecit inde prima vice vendentes & ementes. Quærentibus autem ab eo Iudæis aliquod huiusce potestatis siue auctoritatis signum, respondit: *Soluite templum hoc, & in triduo excitabo illud.* quo responso, licet subobscurè, prædixit fore vt templum sui corporis, quod ab ipsis aliquando erat dissoluendum, tertia die resurgeret, in signum ipsis & cunctis gentibus, quòd ipse esset is qui habebat potestatem purgandi ac mundandi Ecclesiam suam; *vt*, quemadmodum dicitur ad Ephes. cap. 5. vers. 27. *exhiberet ipse sibi eam gloriosam, non habentem maculam aut rugam aut aliquid huiusmodi; sed vt sit sancta & immaculata.* Fecit deinde Iesus in eadem sollemnitate multa signa, propter quæ multi crediderunt in nomine eius, id est, ipsum esse verum Messiam & Christum à Deo promissum: sed ipse qui omnium corda nouerat, & ipsorum inconstantiam: non credebat semetipsum eis. Creditur ergo Iesus citò se subduxisse ab eis, siue quia sciret multos iam contra se odia immortalia concepisse, propter mensas ipsorum subuersas & æs effusum; siue quia diuina sua virtute dignosceret, non esse tunc opportunum tempus ibidem amplius commorandi, aut euangelizandi, aut miracula faciendi. Porrò ex his qui crediderant in Iesum, visis nimirum signis ab eo factis, fuit vir Nicodemus nomine, & secta Pharisæus, & vnus de Principibus seu Primatibus Iudæorum, qui venit ad Iesum nocte, & ab eo de fidei mysteriis eruditus est; vt fusiùs narrat Ioan. cap. 3. vers.

EIICIT DE TEMPLO PRIMA VICE VENDENTES ET EMENTES.

NICODEMVS VENIT AD IESVM NOCTE.

verſ. 1. vſque ad 22. Ceterùm illud Paſcha cuius hîc mentionem fecimus, & de quo meminit idem Ioan. cap. 2. verſ. 13. fuiſſe primum quod incidit poſt ſuſceptum à Chriſto baptiſma, & pariter poſt miraculum ab eo factum ad nuptias, pro indubitato ſupponendum eſt, iuxta communiorem ſanioremque Doctorum ſententiam; tum quia de nullo alio priori mentio vlla reperitur, neque apud eumdem Ioannem, neque apud alios Euangeliſtas; tum etiam quia alioqui inextricabilia dubia difficultateſque admodum moleſtæ in horum temporum ratione dimetienda orirentur.

PRIMVM PASCHA POST CHRISTI BAPTISMA.

11. Poſt hæc, quæ Ieroſolymis acta fuiſſe creduntur, venit Ieſus & diſcipuli eius in Iudæam terram, hoc eſt in aliam Iudææ partem, ſeu de metropoli in ipſum Iudææ territorium: ſolet enim quandoque Ieruſalem diſtingui à Iudæa, vt patet Matthæi cap. 4. verſ. 25. & Marc. cap. 1. verſ. 5. & Luc. cap. 5. verſ. 17. & cap. 6. verſ. 17. & cùm cœpiſſet (non per ſe ipſum, ſed per diſcipulos ſuos, vt dicitur Ioan. cap. 4. verſ. 2.) baptizare, ortaque eſſet inter Chriſti & Ioannis diſcipulos de purificatione diſceptatio, ſingulis Magiſtri ſui baptiſma alteri præferre contendentibus; ac tandem res ad Ioannem à ſuis zelo quodam actis perlata eſſet; hanc nactus occaſionem, cœpit Ioannes egregia denuò teſtimonia palàm perhibere de Ieſu, quæ latiùs explicat Euangeliſta Ioannes cap. 3. verſ. 22. vſque ad finem capitis. Oportet autem Chriſtum manſiſſe in Iudæa vſque ad exactum circiter menſem Nouembris, vt num. ſequente probabitur, id eſt, propè vſque ad finem anni vitæ ſuæ trigeſimi primi, & vſque ad annum Imperij Tiberij Cæſaris decimumſextum iam per quattuor ferè menſes inchoatum: conſtat enim, annos Tiberij à die decimanona Auguſti, annos verò Chriſti à vigeſima quinta Decembris eſſe auſpicandos. Sanè intra prædictum tempus, Herodes Galilææ Rex, qui & Antipas, Herodis Aſcalonitæ filius, cui Galilæam pater teſtamento reliquerat, vt tradit Ioſephus 17. Antiq. cap. 10. & Cæſar illud confirmauerat, vt in eodem lib. cap. 13 idem Ioſephus teſtatur; hic, inquam, Herodes, qui latiore quodam modo dicitur Rex, quemadmodum & de Archelao eius fratre nos ſub anno mundi 4052. num. 1. oſtendimus, ad inſtantiam adulteræ Herodiadis concubinæ ſuæ, S. Ioannem Baptiſtam, cuius ſalutiferas illa correptiones ferre non poterat, coniecit in carcerem, vt colligitur Matthæi cap. 4. verſ. 12. & Marc. cap. 1. verſ. 14. De cauſa autem huius facinoris etiam dicemus infrà ſub anno mundi 4083. num. 1. vbi de morte eiuſdem Ioannis agendum erit: eadem enim de cauſa vir ſanctus & in carcerem miſſus, & poſteà occiſus fuit.

S. IOANNES ITERVM TESTIMONIA PERHIBET DE IESV.

IN CARCEREM CONIICITVR.

12. Circa initia Decembris (vt colligitur Ioan. cap. 4. verſ. 35. vbi dicitur, quòd adhuc quattuor menſes reſtabant vſque ad meſſem, quæ in Iudæa communiter fieri ſolebat in menſe ſecundo, qui noſtro ſaltem ex parte reſpondebat Aprili, vt nos ſub anno mundi 2584. num. 1. oſtendimus, & aliàs ſuppoſuimus) cùm audiſſet Ieſus quòd traditus eſſet Ioannes in carcerem, & cognouiſſet quòd Ieroſolymis Phariſæi, ſtatim ac audierunt quòd ipſe Ieſus baptizaret, & iam plures haberet diſcipulos quàm anteà Ioannes habuiſſet, perturbari cœperant; vt eius odij & inuidiæ fomitem amputaret, & paſſionem ſuam in ſtatutum tempus reſeruaret, reliquit tūc Iudæam, & abiit iterùm in Galilæam: Ioan. cap. 4. verſ. 1. vſque ad 4. & hic reditus Chriſti in Galilæam idem eſt cum eo, cuius meminerunt ceteri Euangeliſtæ, Matthæus cap. 4. verſ. 12. Marcus cap. 1. v. 14. & Lucas cap. 4. v. 14. Vnde quæ deinceps ab ipſo Chriſto in Galilæa geſta dicentur, præſertim ex quo domicilium de ciuitate Nazareth in Capharnaum tranſtulit, ad trigeſimum ſecundum ætatis eius annum pertinere videntur.

IESVS DE IVDAEA MIGRAT IN GALILAEAM

13. Porrò in dicta Chriſti profectione de Iudæa in Galilæam, cùm oporteret eum tranſire per Samariam inter memoratas prouincias poſitam, veniſſetque in ciuitatem nomine Sichar, quæ olim Sichem, poſteà verò Neapolis dicta eſt, de qua nos plura ſub anno mundi 2114. num. 3. diximus; & fatigatus ab itinere ſediſſet ad fontem, ſiue ad putei parietem; ibi mulierem Samaritanam, quæ venerat hauriendam aquam, paulatim in fide erudiens, eò tandem cognitionis ac feruoris perduxit, vt relicta hydria, ſtatim ad prædicandam Samaritanis Chriſti fidem illa properauerit, eoſdemque ad Chriſtum perduxerit, quemadmodum latè deſcribit Ioannes cap. 4. verſ. 4. vſque ad 43. Itaque Ieſus biduo in Samaria moratus, cùm ibi multos conuertiſſet, perrexit in Galilæam; & diuertere noluit in ciuitatem ſuam Nazareth, probè ſciens ciuium ſuorum incredulitatem; & propterea communi vſus Prouerbio, quòd ſcilicet nemo Propheta acceptus ſit in patria ſua, eam reliquit, & ad alia Galilææ loca pergens, honorificè ab incolis excipiebatur, præſertim verò ab iis, qui in præcedenti feſto Paſchæ Ieroſolymam venerant; videranteque ſigna ab eo ibidem facta.

SAMARITANAM CONVERTIT.

Cùm

Cùm autem venisset in Cana, vbi priùs de aqua vinum fecerat, à quodam Regulo requisitus enixeque rogatus, sanauit absentem filium eius, qui infirmabatur Capharnaum. & hoc fuit secundum Christi signum in Cana Galilææ patratum, vt notat S. Ioan. cap. 4. vbi rem gestam à vers. 43. ad finem capitis accuratè describit. Translato deinde domicilio de Nazareth, habitare cœpit cum suis in Capharnaum, posita in finibus Zabulon & Nephthalim, secus stagnum Genezareth, quod paulò antè mare Tiberiadis in honorem Tiberij Cæsaris ab Herode Galilææ Rege appellatum fuerat. de quo mari siue lacu vide plura apud Iosephum lib. 3. de Bello cap. 18. Sanè Iesus in Capharnaum prædicabat Euangelium, dicens quoniam impletum est tempus, & appropinquauit regnum Dei; pœnitentiam agite, & credite Euangelio; vt adimpleretur quod dictum est per Isaiam Prophetam cap. 9. vers. 1. *Terra Zabulon, & terra Nephthalim, via maris trans Iordanem Galilææ gentium; populus, qui sedebat in tenebris, vidit lucem magnam; & sedentibus in regione vmbræ mortis, lux orta est eis*; Matthæi cap. 4. vers. 12. vsque ad 17. & Marc. cap. 1. vers. 14. & 15. & tunc, iuxta ea quæ præcedente numero diximus, creditur Christus expleuisse annum vitæ trigesimum primum.

ABSENTEM REGVLI FILIVM SANAT.

TRANSFERT DOMICILIVM DE NAZARETH IN CAPHARNAVM.

AB ORBE CONDITO ANNVS 4082.	SEXTÆ MVNDI ÆTAT. ANNVS 636.

1 ANNO ætatis suæ trigesimo secundo circiter incipiente, ambulans quadam die Iesus iuxta mare Galilææ, vocauit de naui Petrum & Andream, & item duos filios Zebedæi, Iacobum & Ioannem; vt breuiter narrant Matthæus cap. 4. vers. 18. vsque ad 23. & Marcus cap. 1. vers. 16. vsque ad 21. Sed rem latiùs explicat Lucas cap. 5. vers. 1. vsque ad 12. narrans quæ eamdem vocationem præcesserant; nimirum, quòd irruentibus turbis vt audirent verbum Dei, Iesus vidit duas naues, alteram Zebedæi, & Petri alteram, quam ingressus, docebat de nauicula paululùm à terra reducta turbas; quibus posteà relictis, iussit Petrum ducere in altum, & laxare retia; & statim facta ingenti piscium captura, stupentibus cunctis præ miraculi magnitudine, præsertim quòd tota præcedente nocte laborantes nihil ceperant; iidem Petrus & Andreas, & duo filij Zebedæi vocati, vt dictum est, à Domino, relictis omnibus secuti sunt Iesum; qui cum his ingressus Capharnaum, Sabbatis docebat in Synagoga populum, vbi & dæmoniacum curauit, cunctis stupentibus super doctrina & potestate eius. Mox veniens in domum Simonis Petri, sanauit socrum eius magnis laborantem febribus. Cùm verò sol occidisset, super infirmos variis languoribus oppressos, qui ad se afferebantur, manus imponens, curabat eos, & à dæmonibus obsessos liberabat. Diluculo autem surgens, ibat in desertum locum, ibique orabat; sed inuentus primùm à Petro suisque, deinde etiam à turbis eum requirentibus, & volentibus secum retinere; ipse respondit, debere se & aliis ciuitatibus euangelizare regnum Dei: *Ideò enim*, inquit, *missus sum:* Marc. cap. 1. vers. 21. vsque ad 39. Luc. cap. 4. vers. 32. vsque ad finem capitis, & Matthæi cap. 8. vers. 14. vsque ad 18. Itaque iussit discipulos præire, ac parare nauiculas vt transfretarent; ipse verò interim cum turbis eum ad mare comitantibus ambulans, vni ex Scribis offerenti se ad sui sequelam, proposuit incommoda Euangelicæ paupertatis, dicens: *Vulpes foueas habent, & volucres cæli nidos; filius autem hominis non habet vbi reclinet caput suum.* Cùm autem alium ad se sequendum vocasset, illeque inducias pro patre priùs sepeliendo humiliter petiisset, non permisit ipsum ob id ab ea tam nobili vocatione retardari, sed nec alteri quoque volenti eum sequi concessit vt priùs domum rediret, ac bonis suis renuntiaret: Matth. cap. 8. vers. 18. vsque ad 23. & Luc. cap. 9. vers. 57. vsque ad finem capitis.

VOCAT DE NAVI PETRVM ET ANDREAM, IACOBVM ET IOANNEM.

DAEMONIACVM CVRAT, ET SOCRVM PETRI SANAT, ET ALIOS PLVRES.

SE SEQVI VOLENTIBVS QVAE RESPONSA DEDERIT.

2. Conscensa deinde naui Iesus cum discipulis suis vt iret trans fretum; cùm iam serò factum esset, ipse somno se dedit: quo dormiente, ecce grauis admodum exoritur tempestas: discipuli verò eius cùm essent in summo periculo, excitauerunt eum, rogantes vt eis subueniret; qui increpata ipsorum diffidentia, protinus solo iussu tempestatem ita sedauit, vt illicò facta sit in mari tranquillitas magna. Pertransito autem mari, appulerunt ad regionem Gerasenorum, vbi legiones dæmonum de duobus dæmoniacis valdè sæuis eiectas, in bis mille porcos ingredi permisit, qui confestim sese in mare præcipites dederunt, quamobrem ab incolis rogatus, rursum vnde venerat in Galilæam transfretauit: Matth. cap. 8. vers. 23. vsque ad finem capitis, & Marc. cap. 4. vers. 37. vsque ad capitis sequentis vers. 21. & Luc. cap. 8. vers. 22. vsque ad 40. Vt verò rediit Iesus in ciuitatem suam, nempe Capharnaum, ad quam domicilium transtulerat,

TEMPESTATEM SEDAT.

DAEMONES MITTIT IN PORCOS.

PARALYTICVM PER TEGVLAS ANTE SE DEMISSVM SANAT. tulerat; ibi quadam die in domo prædicans, sanauit paralyticum per tegulas præ turba coram se demissum, concessa ei primùm remissione peccatorum, & confutata postmodum Pharisaica murmuratione. Mox rursum ad mare rediens, in transitu Matthæum de telonio vocauit; qui statim secutus est eum, & fecit ei conuiuium magnum in domo sua, vbi Iesus Pharisæis se calumniantibus quòd cum publicanis & peccatoribus manducaret, sapienter admodum respondit; ac deinde eisdem, necnon & Ioannis Baptistæ discipulis pariter sciscitantibus, rationem reddidit cur discipuli sui non ieiunarent. Post hæc autem, curata solo tactu fimbriæ vestimenti sui hæmorrhoissa, etiam Archisynagogi filiam iam mortuam suscitauit. Denique, duobus cæcis post se clamantibus lucem restituit; & dæmoniacum mutum sibi oblatum à dæmonio liberauit. Quæ singula latiùs extensa videri poterunt apud sacros Euangelistas, nimirum Matthæi cap. 9. vers. 1. vsque ad 35. Marc. cap. 2. vers. 1. vsque ad 23. & cap. 5. vers. 22. vsque ad finem capitis, & Luc. cap. 5. vers. 17. vsque ad finem, & cap. 8. vers. 41. vsque ad finem capitis. Et hæc omnia acta esse oportet intra tres primos menses huius anni vitæ Christi trigesimi secundi, nempe à die vigesima quinta Decembris, à qua initium sumunt anni vitæ Christi, vsque ad Pascha eiusdem anni, quod est secundum in Euangelio notatum, Ioan. cap. 5. vers. 1. vt ex proximè dicendis fiet planum.

MATTH. E TELONIO VOCAT.

CVRAT HAEMORRHOISSAM, ET ARCHISYNAGOGI FILIAM SVSCITAT.

DVOS CAECOS ILLVMINAT, ET DAEMONIACVM MVTVM SANAT.

SECVNDVM PASCHA POST CHRISTI BAPTISMVM.

3. Igitur *post hæc*, inquit Ioannes, *erat festus dies Iudæorum, & ascendit Iesus Ierosolymam*, &c. Verùm hîc neminem moueat, quòd Euangelista loco citato non expressè dicat fuisse Pascha, sed diem festum Iudæorum; quia proculdubiò nomine *diei festi*, hîc nullum aliud intelligere potuit, nisi festum Paschæ; non solùm quòd hoc per antonomasiam propriè dicatur Festum Iudæorum; sed etiam propter rationem horum temporum à nobis hactenus ex Euangelio deductam; & quia nomen Festi simpliciter pro festo Paschatis solet ab Euangelistis vsurpari, vt Matthæi cap. 26. vers. 5. *Non in die festo, ne fortè tumultus fieret in populo.* & loquitur ibi de Paschate, quod biduo pòst futurum, paulò antè dixerat. Item Luc. cap. 2. vers. 42. *Secundùm consuetudinem diei festi.* & Ioan. cap. 13. vers. 29. *Eme ea quæ opus sunt nobis ad diem festum.* Et denique, quia hoc idem quoque aliis rationibus probant & pro certo supponunt, Iansenius in sua Concordia Euangelica cap. 36. & Pererius in Danielem lib. 11. quæst. 7. & Cardinalis Toletus in Ioan. cap. 5. & Cardinalis Baronius sub anno Christi 32. & Scaliger lib. 6. de Emendatione temporum in cap. De vero anno & die passionis Dominicæ; & postremò Suarez super 3. Parte sancti Thomæ quæst. 40. art. 4. disputat. 30. sect. 3. vbi rationes & argumenta quæ citati Auctores adducunt, diligenter recapitulat & confirmat; & eamdem opinionem ceteris ab ipso relatis veriorem esse existimat. Ex quibus omnibus adeò res fit clara, vt non sit opus hîc ad huius rei comprobationem aliud addere. In hoc ergo Paschate, quod fuit à baptismo Domini secundum, Dominus (vt etiam affirmat S. Irenæus lib. 2. cap. 10.) Ierosolymis ad Probaticam piscinam sanauit languidum, triginta & octo annos habentem in infirmitate sua; & quia iusserat eum tollere grabatum suum, tametsi is esset dies Sabbati, propterea indignati Iudæi eum calumniari non cessabant. Quamobrem multa coram eis disseruit de sua cum Patre operatione & potestate, cuncta confirmans testimonio eiusdem Patris, & Ioannis Baptistæ ad quem ipsi miserant, & operum mirabilium quæ faciebat; & denique ipsius Moysi quem sequi profitebantur, & sacrarum Scripturarum; vt latiùs videre est in toto Ioannis cap. citato.

IESVS SANAT LANGVIDVM AD PROBATICAM PISCINAM IACENTEM.

DISCIPVLI SPICAS CARPVNT.

4. Per idem tempus, aut non multò pòst, rediens Iesus, vt sequentia indicant, de Iudæa in Galilæam, transibat per sata. contigit autem in itinere discipulos esurientes vellere in Sabbato spicas, & inter manus confricare, atque comedere, quod vel viderunt, vel posteà audierunt Pharisæi; qui iniquo zelo, vel per se vel per alios, non cessabant obseruare cuncta opera Christi & discipulorum eius. Hac ergo de causa valdè offensi, cùm interrogassent Iesum cur discipuli eius id fecissent, & consequenter, cur eos ipse illicita facere permisisset; facilè huiuscemodi calumniam redarguit, tum Dauidis exemplo, tum aliis rationibus, vt videre est Matthæi cap. 12. v. 1. vsq. ad 9. & Marc. c. 2. v. 23. vsque ad finem capitis, & Luc. cap. 6. vers. 1. vsq. ad 6. qui insuper addit, prædictam spicarum vellicationem contigisse non simpliciter in Sabbato, sed in Sabbato secundò primo: quod fortassis sic dicebatur, siue quia, vt placuit Theophylacto, immediatè sequeretur post aliquod aliud Festum celeberrimum, puta post octauum diem Azymorum, aut post primum Pentecostes; siue potiùs, vt sentit B. Chrysostomus, quòd cum aliquo eiusmodi Festo simul concurreret; ideoque inter alios septimos dies communes magnus esset dies ille Sabbati, quemadmodum Ioan. cap. 19. vers. 31. dicitur de illo

A PHARISAEIS ARGVVNTVR.

A CHRISTO DEFENDVNTVR.

SABBATVM SECVNDO PRIMVM.

lo Sabbato, qui concurrebat cum secundo Azymorum die: nam quidquid sit, illud *secundò primo* videtur additum ad ostendendam maiorem diei illius festiuitatem, & consequenter, ad aggrauandam Pharisæorum accusationem, quam nihilominus Christi responsio penitus euacuauit, vt ibidem legenti patere potest. Sunt non solùm ex antiquis, sed etiam ex modernis Scriptoribus, inter quos est Scaliger vbi suprà, qui ex hac spicarum à Christi discipulis vellicatarum historia, quam tempore messis vel circiter contigisse nemo dubitare potest, colligunt nouum Pascha, quod ipsi tertium faciunt; & proinde hinc elicere nituntur, non quattuor tantùm, sed quinque Paschata à Christi baptismate ad eius obitum intercessisse. Sed hos meritò redarguunt præcitati Auctores, sanè graues, Iansenius, Pererius, Toletus, & Baronius, ponentes quattuor dumtaxat Paschata, & supponentes, memoratam historiam non ad tertium, sed ad secundum Pascha pertinuisse. Post hæc ingressus alia die Sabbati Iesus in Synagogam, vt comprobaret licitum esse in Sabbato curare, ipsismet Scribis ac Pharisæis inspectantibus, dexteram hominis aridam sanitati restituit. Videns autem eorum incapacitatem, & quòd magis ad iram prouocari viderentur, & sciens quòd iam cum Herodianis consulerent quomodo eum perderent; declinauit ab eis, veniens ad mare. Ex quo patet, quòd, vt suprà dictum est, in Galilæam redierat; & ne comprimeretur à turbis, quæ non ex Galilæa tantùm, sed etiam ab omnibus circumuicinis regionibus ad se confluebant, & irruebant vt illum tangerent, & sanarentur ab infirmitatibus suis, intrauit in nauiculam, & omnes malè habentes curauit, & ab arreptitiis dæmonia eiiciens, eadem acriter compescebat ne eum manifestarent: Matthæi capit. 12. versic. 9. vsque ad 22. Marci capit. 3. versic. 1. vsque ad 13. & Lucæ capit. 6. versic. 6. vsque ad 12.

DEXTERAM HOMINIS ARIDAM IESVS SANAT.

5. Exiit deinde Dominus quadam die, ac relictis turbis ascendit in montem vt oraret; & cùm pernoctasset in oratione Dei, in crastinum vocatis ad se discipulis qui sequebantur eum, elegit ex ipsis duodecim, quos & Apostolos nominauit, vt posteà mitteret eos prædicare, quemadmodum sub anno mundi proximo num. 1. dicetur. Quibus electis, descendit de summitate montis, & stetit in loco campestri & ad concionandum apto; vbi coram discipulis suis & turba copiosa hominum, qui conuenerant de omni Iudæa, & Ierusalem, & maritima, & Tyri, & Sidonis, vt audirent eum, & sanarentur à languoribus suis, & à spiritibus immundis liberarentur: post impartitas solo tactu cunctis sanitates, longiorem habuit sermonem; ac primò quidem agere cœpit de vera hominis beatitudine, & quibus in rebus illa sit posita, aut quibus modis eamdem homines consequi valeant; & econuersò, quænam sint quæ ad perpetuam ducunt infelicitatem. Deinde conuersus ad discipulos suos, dixit: *Vos estis lux mundi, vos estis sal terræ.* in ipsis qui tum aderant, omnes qui aliis scientia & auctoritate præeminent, figurata hac elocutione erudiens, vt quales se esse oporteat intelligant. Mox in vniuersum de iustitia ac perfectione Christiana disserẽs, docuit quomodo hæc superare debeat Pharisaicam. Item de eleemosyna, oratione, & ieiunio, qualiter hæc præstanda sint, vt ad salutem consequendam prosint. De auaritia fugienda, de thesauris in cælo procurandis, de intentionis rectitudine habenda, de nimia rerum temporalium solicitudine proiicienda, de proximo temerè non iudicando, de docendi munere sine solida doctrina ac virtute non suscipiendo, de diuinis mysteriis & Sacramentis temerè aut imprudenter nõ communicandis. Hortatus est insuper omnes, vt in orationibus petitiones suas Deo instanter admodum porrigere satagant; vt proximis ex charitate, non autem sola spe retributionis benefacere studeant; vt per angustam mandatorum Dei portam intrare contendant; vt Pseudoprophetas, & omnes qui se in errorem inducere possint, præcognoscere pariter ac deuitare curent; & denique, vt verbum Dei non solùm audire, sed etiam, quod longè præstat, solicitè custodire non negligant. Hæc & eiusmodi alia fusiùs tradita habentur apud Matthæum cap. 5. 6. & 7. per totum; quædam verò etiam apud Lucam cap. 6. v. 12. vsq; ad finem capitis; nam Marcus cap. 3. v. 13. vsque ad 20. solùm meminit de duodecim Apostolorum electione.

PERNOCTAT IN ORATIONE, ET ELIGIT DVODECIM APOSTOLOS.

DE SERMONE DOMINI IN MONTE.

6. Expleto sermone cùm descendisset Iesus de monte leprosum suppliciter mundari deprecantem curauit, præcipiens vt Sacerdoti se præsentaret, & munus ex Lege debitum offerret: Matthæi cap. 8. vers. 1. vsque ad 5. Marc. cap. 1. vers. 40. ad finem capitis, & Luc. cap. 5. vers. 12. vsque ad 17. Deinde cùm venisset Capharnaum, commendata fide Centurionis pro seruo paralytico rogantis, voti compotem dimisit: Matthæi cap. 8. vers. 5. vsque ad 14. Luc. cap. 7. vers. 1. vsque ad 11. Posteà ad ciuitatem Naim profectus, ibi viduæ filium suscitauit: Luc. ibidem vers. 11. vsque ad 18. Audiens autem

LEPROSVM IESVS CVRAT,

ET SERVVM CENTVRIONIS.

VIDVAE FILIVM SVSCITAT.

S. IOANNES DE CARCERE MITTIT DISCIPVLOS SVOS AD IESVM.

tem Ioannes in vinculis opera Christi tam præclara atque mirabilia, opportunam hanc nactus occasionem, misit duos de discipulis suis ad sciscitandum ab eo, num ipse esset qui expectabatur Messias. Ipse verò sanctus vir, non vt de hac re certior fieret, qui aliàs toties de ipso Iesu testimonium perhibuerat; sed vt saluti discipulorum suorum consuleret, eos ad Christum legauit; in quorum conspectu cùm multa fecisset Iesus signa, nihil aliud respondit, nisi vt renuntiarent Ioanni quæ ipsi audierant & viderant miracula ab eo fieri; ac si tacitus innueret, vt ea conferrent cum iis quæ de futuro Messia olim prædixerat Isaias cap. 35. vers. 5. & cap. 61. vers. 1. si vellent de proposita interrogatione pleniùs edoceri. Quibus dimissis, cœpit Iesus coram turbis mirum in modum commendare Ioannem, mox acriùs inuehi in Pharisæos, exprobrareque incredulitatem ciuitatibus illis in quibus tot tantaque miracula ediderat: dein Deo Patri laudem dare, quòd alta humilibus mysteria reuelare voluerit; & deniq; hortari omnes ad suam ipsius humilitatem propensiùs imitandam: Matthæi cap. 11. per totum, Luc. cap. 7. vers. 17. vsque ad 35. vbi continuò subiungit de Iesu, qui post prædicta, à Simone Pharisæo exceptus conuiuio, Mariæ Magdalenæ sollemniter admodum pœnitenti peccata dimisit, eamdemque ob singulares doloris pariter ac amoris significationes erga se ostensas, eidem Pharisæo tamquam minùs humili ac frigidè Deum amanti prætulit. Reuersus deinde aliquando Iesus cum discipulis suis post varias locorum circuitiones ad domicilium quod sibi in Capharnaum elegerat, statim à turbis ad ipsum vndique concurrentibus vsqueadeò detineri importunè cœpit, vt ne cibum quidem sumere posset: cognati verò eius audientes quanto cum spiritus feruore loqueretur ad turbas, volebant tenere eum, putantes quòd in furorem versus esset. At verò turbæ, vt viderunt quòd oblatum sibi dæmoniacum cæcum & mutum illicò curasset, admiratæ dicebant: Numquid iste filius Dauid? Pharisæi autem & Scribæ qui ab Ierosolymis descenderant, calumniantes Iesum, detrahebant ei dicentes, quòd in Beelzebub principe dæmoniorum eiiceret dæmonia; quos cùm ipse pluribus confutasset, acriùs inuehi cœpit contra alios quærentes fieri ab eo signum de cælo. Audiens verò quædam mulier disserentem Dominum, exclamauit, beatum esse ventrem qui genuisset, & vbera quæ lactassent tantum virum. cui Dominus, *Beati*, inquit, *qui audiunt verbum Dei, & custodiunt illud.* Denique cuidam nuntianti, quòd mater eius ac fratres foris starent cupientes loqui ei, respondit Iesus, eos esse fratres suos ac matrem, qui faciunt voluntatem æterni Patris sui: Matthæi cap. 12. vers. 22. vsque ad finem capitis, Marc. cap. 3. vers. 20. vsque ad finem, Lucæ cap. 8. v. 19. vsque ad 22. & latiùs cap. 11. vers. 14. vsque ad 37.

IESVS CORAM TVRBIS IOANNEM COMMENDAT.

MAGDALENAM A PECCATIS ABSOLVIT.

COGNATI EIVS PVTANT IESVM IN FVROREM VERSVM.

DE FRATRIBVS ET SORORIBVS DOMINI.

¶ 7. Sanè si quis quærat, quinam & quot essent fratres Domini; facile erit respondere ex Matthæi cap. 13. vers. 55. & Marc. cap. 6. vers. 3. quibus in locis apertè ac nominatim recensentur quattuor eius fratres, Iacobus, Ioseph, Iudas, & Simon; & ibidem etiam memorantur sorores eorum, quarum tamen numerus nominaque reticentur: sed Nicephorus Ecclesiasticæ Historiæ lib. 2. cap. 3. & S. Epiphanius in Ancorato, duas fuisse aiunt, licet de earum nominibus non conueniant; nam primus eas Esther & Thamar, alter verò Mariam & Salomem vocat. Verumtamen, cuiusnam isti fuerint filij, & cur fratres Domini dicantur, non omnium eadem fuit sententia. Nam vt omittamus hæreticos putantes Dei Genitricem Mariam tantummodò vsque ad Christi partum fuisse virginem, deinceps autem de Iosepho alios concepisse ac peperisse filios, eos nimirum qui fratres Domini in Euangelio sunt appellati; contra quos scripserunt Ildephonsus Episcopus Toletanus, & B. Hieronymus aduersus Heluidium; & quorum argumenta eorumdemque solutiones breuiter commemorat Cardinalis Toletus in Ioan. cap. 2. Annotat. 18. certè Hippolytus Portuensis Episcopus, apud Nicephorum loco proximè adducto relatus, & Origenes super Matthæi cap. 13. Eusebius lib. 2. Historiæ Ecclesiasticæ c. 2. S. Hilarius can. 1. in Matthæum, S. Ambrosius lib. de Institutione virginum cap. 6. & super Epist. ad Galat. c. 1. S. Epiphanius Hæres. 28. 78. & in Ancorato, & alij, tenent, fratres Domini fuisse filios Iosephi, non tamen de Genitrice Dei Maria (cuius perpetuam virginitatem olim ab Ecclesia declaratam, Catholici omnes vno ore confitentur) sed ex priore ipsius Iosephi vxore susceptos, post cuius obitum, putant Iosephum viduum desponsasse sibi beatissimam Virginem. Verùm hanc opinionem prorsus euertunt quæ nos sub anno mundi 4050. num. 5. diximus, probantes ipsum quoq; Ioseph perpetuam, & ante & post Mariæ desponsationem, coluisse virginitatem. Idem quoque probat apertè locus Matthæi cap. 27. v. 56. & clariùs Marc. cap. 15. vers. 40. vbi legimus, ad crucem Christi extitisse mulieres de longè aspicientes, inter quas commemoratur Maria Iacobi minoris & Ioseph mater. Igitur

mater horum, qui ab eodem Euangelista cap.6.vers.3.appellatur fratres Domini,tempore passionis Dominicæ adhuc erat superstes. Dicere autem, Iosephum duas eodem tempore vxores habuisse,nempe matrem dicti Iacobi, & beatissimam Virginem; absurdum est, & (vt Baronij verbis vtar) piorum omnium auribus molestissimum, quod vel cogitare animus horret. Non ergo fratres Domini potuerunt esse filij Ioseph ex alia eius vxore prius defuncta,vt præfati putant Auctores. Itaque, si qui dicuntur fratres Domini,neque Iosephi, neque sponsæ eius Mariæ filij naturales esse potuerunt; vtique oportet eosdem fuisse fratres Domini, non natura, sed cognatione; nimirum quia erant consobrini ipsius Domini,siue ex Cleopha Iosephi fratre geniti, vt quidam existimant; siue,quod magis reor,ex illa sorore consobrina beatissimæ Virginis, quæ Ioan.cap.19.vers.25.appellatur Maria Cleophæ,ex Alphæo eius viro procreati,quemadmodum ex sub anno mundi 4037.num.5.declaratis,constare potest. Certissimum namque est,vt alias demonstrauimus,huiusmodi consanguineos ritu Hebraico fratres communiter nuncupari consueuisse. Quòd verò prædictus Iacobus minor, cognomento Iustus, qui & ad Galat. cap.1.vers.19. more Hebraico dicitur frater, hoc est consobrinus Domini,& Apostolus; tum ipse,tum etiam alij naturales eius fratres, essent filij Alphæi,patet ex Matthæi cap.10.vers.3. Marc.cap.3.vers.18. Luc.cap.6.v.15. & Actorum cap.1.vers.13. quibus in locis semper dictus Iacobus vocatur Alphæi,subaudi, filius;sicuti alter Iacobus,qui pariter in Scripturis sacris dicitur Zebedæi,quia erat filius eius. Sed hîc dicet fortasse aliquis: Esto quòd Iacobus minor fuerit Alphæi filius: probandum modò esset,quòd alij tres prænominati, scilicet Ioseph, seu (vt quidam volunt) Iose,Simeon,& Iudas fuerint fratres germani ipsius Iacobi, & ex eodem Alphæo geniti: nam de Ioseph quidem manifestum est, quia Matthæi cap. 27. v. 56. & Marc.cap.15.vers.40.constat, quòd eadem Maria (subaudi, vxor Alphæi) erat mater Iacobi & Ioseph: sed de aliis dubium est. Nam quia locis citatis sacri Euangelistæ nullam faciunt mentionem Simonis & Iudæ, Baronius in Apparatu ad suos Annales inde colligit,Iacobum quidem & Ioseph fuisse germanos, & Alphæi filios; Simonem autem & Iudam nequaquam: ideò namque locis citatis fuisse prætermissos, quòd ex aliis parentibus orti essent. Qui verò fuerint horum parentes,ibi non explicat, sed inferiùs se dicturum pollicetur. verumtamen vbi nam posteà id dixerit,ego hactenus reperire non potui. Sed neque ex locis Euangelistarum allegatis arbitror omnino colligi posse,quòd Simon & Iudas non fuerint germani fratres Iacobi & Ioseph; sed quòd fortè non fuerint vterini, nimirum, non ex illa, sed ex alia matre geniti. Fuisse autem prædictos quattuor omnes verè inter se fratres germanos ac naturales, sic ostendi potest. Nam de primis duobus iam ex Euangelio probatum est: de Iuda verò etiam patet; siquidem Actorum cap.1.v.13. vocatur Iudas Iacobi,hoc est frater Iacobi, quemadmodum ipsemet Iudas in principio suæ Catholicæ testatur,dicens: *Iudas Iesu Christi seruus, frater autem Iacobi* (intellige,minoris,vt ibi omnes tradunt Expositores) frater, inquam,vt ibidem ait Glossa interlinearis,natura,fide, doctrina, & vita. quod & confirmat Hugo Cardinalis ibidem inquiens: *Frater non tantùm natura, sed gratia simul & vita spirituali, & doctrina.* Et certè quando Scriptura sacra dicit, *Iudas frater Iacobi*; non minùs videtur intelligenda esse de fratre naturali,quàm cùm dicit, *Andreas frater Petri*, & *Iacobus Zebedæi frater Ioannis.* De Simone autem idem quoque sentiendum ac supponendum videtur,quòd scilicet & ipse fuerit frater Iacobi minoris, & Ioseph,& Iudæ; tum quia SS.Euangelistæ Matthæus cap.13.vers.55. & Marcus cap.6. vers.3. eodem modo & sine vlla differentia eum pariter cum tribus aliis Alphæi (vt ostensum est) filiis inter Domini fratres recensent,ita vt dubitandum non sit, quin etiam Simon,sicut & reliqui duo,fuerit frater Iacobi, quemadmodum rectè supponunt etiam citati Auctores, qui falsò putauerunt fratres Domini fuisse filios naturales Iosephi viri Mariæ,ex priore vxore; tum denique,quia nullibi constat de opposito. Ceterùm,ex quattuor memoratis Domini fratribus, certum est tres tantùm fuisse Apostolos,videlicet,Iacobum,Simonem,& Iudam. nam de Ioseph, tametsi inter ipsos fratres secundo loco recenseri solitus sit,nusquam tamen legimus quòd inter Apostolos fuerit computatus: quin potiùs creditur quòd fuerit ille Ioseph, qui (vt dicitur Actorum c.1. vers.23.) etiam vocabatur Barsabas,& cognominatus est Iustus, & post Ascensionem Domini ab vndecim Apostolis cum Matthia electus fuit, vt ex his duobus alter, Domino indicante,acciperet locum ministerij & Apostolatus, de quo præuaricatus erat Iudas Iscariotes, & sors (inquit Sacer textus) *cecidit super Matthiam.* quod diuino consilio factum putant,ne alioquin deinceps Ecclesiasticæ dignitates propinquioribus se- Iii 2 cun-

cundùm carnem magis conferri debere viderentur. Si quis autem instaret, prædictum Ioseph, etsi non fuerit vnus de duodecim, qui ad differentiam aliorum *magni & supra modum Apostoli* dicebantur (vt patet 2. ad Cor. cap. 11. vers. 5. & cap. 12. vers. 11.) fuisse tamen vnum de aliis, qui communiter etiam dicebantur *Apostoli*, quòd ipsi quoq; munus Apostolicum obirent, vt Paulus, Barnabas, Marcus, Lucas, & huiusmodi. Ex eo enim quòd dictus Ioseph nō solùm, vt dixi, cognominatus est Iustus, sed etiam (quemadmodum ex Papia S. Ioannis Apostoli discipulo scribit Eusebius lib. Hist. Ecclesiasticæ 3. cap. vlt. & refertur in Martyrologio Romano sub die 20. Iulij) quia venenum sine vlla sui corporis læsione ebibit, colligere licet, ipsum pro Christi fide multa passum esse, plurimumque laborasse. Itaque si quis propterea ipsum quoque Apostolum fuisse, dici posse contendat; dicimus, nobis quidem proculdubiò videri admodum credibile, quòd iste Ioseph in prædicanda & propaganda fide Catholica multùm insudauerit, sicut & multi alij primitiuæ Ecclesiæ Proceres, ac præsertim ipsius Domini Apostolorumque discipuli fecisse leguntur: verumtamen quòd vnquam vocatus fuerit Apostolus, neque in Scripturis sacris haberi, neque vllo veterum Scriptorum testimonio probari posse.

IACOBVS FRATER DOMINI VIDETVR FVISSE SACERDOS AARONICVS.

8. Reliquum est, de horum fratrum eorumque patris origine pauca quædam hîc subtexere. Videtur autem dictus Alphæus fuisse de genere Sacerdotali; alioqui non constaret quomodo Iacobo eius filio posteà licitum fuerit (vt tradit Eusebius lib. 2. Historiæ Ecclesiasticæ cap. 23. & in Breuiario Romano legitur) intrare in Sancta sanctorum: non enim satisfacit dicere, propter eximiam eius sanctitatem id ei fuisse concessum; quia quod solius summi Sacerdotis proprium erat, etiam alij Sacerdoti non summo, propter viri sanctitatem, concedi tolerabilius fortè videri potuisset, laico verò non item; quandoquidem laicis non modò in Sancta sanctorum, sed nec in Sancta, immò neque in Atrium Sacerdotum patebat ingressus. Hoc si verum est, aduersatur Hegesippo relato apud Eusebium lib. 3. Ecclesiasticæ Historiæ cap. 11. & 32. & Nicephoro lib. 3. cap. 2. & 9. qui putant fratres Domini fuisse filios Cleophæ, quem dicunt extitisse fratrem S. Ioseph sponsi beatissimæ Virginis; & consequenter ipsos faciunt de tribu Iuda. Verùm nobis multò probabilius videtur, dictos fratres fuisse, vt dictum est, filios Alphæi; appellari autem à citatis Auctoribus filios Cleophæ, quia (vt sub anno mundi 4051. num. 5. diximus) reuerà erant filii naturales filiæ dicti Cleophæ; & proptereà more Hebraico benè poterant etiam dici filij ipsius Cleophæ, iuxta ea quæ nos sub anno mundi 2049. num. 10. & 11. declarauimus. Sed nunc ad Historiam Euangelicam redeamus.

IESVS DOCET DE NAVICVLA TVRBAS, ET LOQVITVR IN PARABOLIS

☞ 9. Eodem die egressus domo Iesus sedebat secus mare Tiberiadis, & congregata ad eum turba, docebat; crescente verò turbarum concursu, coactus est ascendere in nauiculam, & vt aliàs fecerat, docere de nauicula turbas in littore stantes. Id autem faciebat in parabolis: quarum prima fuit Parabola seminantis, qua volebat indicare, quòd sicut semen pro varia terræ in quam cadit conditione, ita prædicatio Euangelica, pro diuersa audientium dispositione varios sortitur effectus. Altera fuit zizaniæ bono grano superseminatæ, quam paterfamilias vsque ad messem crescere sinit; significans malos bonis permixtos in sancta Ecclesia vsque ad consummationem sæculi permansuros. His subiunxit & tres alias parabolas, quibus intendebat præmonstrare, qua ratione prædicatio & doctrina Euangelica incrementum susceptura erat; nimirum eo modo quo semen, quod in terram iactum oritur, & mittit radices, ac sensim crescit die ac nocte; & sicuti granum sinapis, quod minutissimum est, & nihilominus producit plantam maiorem omnibus oleribus, ac instar arboris; & denique sicut modicum fermenti, quod magnam farinæ massam fermentat & auget. Cùm autem dimissis turbis domum rediisset, discipulis ipsum interrogantibus declarabat omnia. Quin etiam coram ipsis seorsum adiecit alias parabolas, nempe duas, quanti facienda esset doctrina Euangelica indicantes; videlicet illam quæ est de thesauro abscondito in agro, & alteram de inuenta pretiosa margarita; pro quibus comparandis vltrò vendit homo omnia quæ habet: & tertiam de sagena, bonos pariter ac malos de mari pisces educente; ne putarent omnes Deo lucrifaciendos, qui ad ipsorum prædicationem essent conuertendi: & denique quartam de Scriba, qui similis esse debet patrifamilias proferenti de thesauro suo noua & vetera; per hoc erudiens discipulos suos, vt posteà facti prædicatores Euangelici, non semper eadem & eodem modo omnibus, sed varia ac diuersimodè, pro audientium conditione & captu, de spiritualis doctrinæ thesauro proferre studerent: Matthæi cap. 13. vers. 1. vsque ad 53. Marc. cap. 4. v. 1. vsque ad 35.

ad 35. Luc.cap.8. vers. 4. vsque ad 16. & cap. 13. vers. 18. vsque ad 22. His expletis, abiit cum discipulis suis in patriam suam Nazareth, vbi fuerat educatus; & ingressus secundùm consuetudinem suam die Sabbati in Synagogam, traditum sibi librum Isaiæ Prophetæ cùm aperuisset, legissetque illa verba quæ habentur in principio capitis 61. *Spiritus Domini super me*, &c. cœpit ostendere, tunc temporis Prophetiam illam esse adimpletam; idque tanta euidentia, vt omnes mirarentur super doctrina eius, & dicerent: *Vnde huic sapientia hæc? nonne hic est faber, & fabri filius, cuius mater, & fratres, & sorores apud nos sunt?* & similia. Videns autem Iesus, quòd multi Nazaræorum scandalizarentur, tum ob cognatorum eius humilitatem, tum quia ipse tot signis alibi ostensis nulla faceret in patria sua; occurrens huic tacitæ obiectioni, cœpit priùs quidem quodammodò eos excusare, si non apud eos esset in honore; quandoquidem, inquit, hoc videtur omnibus esse commune, vt nemo Propheta acceptus sit in patria sua: deinde simul & incusare ipsorum incredulitatem, & se purgare exemplo Eliæ & Elisæi, qui & ob causas iam tactas, & Deo speciatim inspirante, non suis, licet in eadem necessitate existentibus, sed alienis mirabiliter succurrere maluerunt. Quæ audientes impij ciues, sæua indignatione succensi, conciuem suum de ciuitate eiiciunt; qui tamen à volentibus eum de montis supercilio præcipitem dare, inter ipsos liberè transiens, illæsus exiuit: Matthæi cap. 13. vers. 53. vsque ad finem capitis, Marc.cap.6.vers.1.vsque ad 7. & Luc. cap.4. vers. 16. vsque ad 31. Inde progrediens Iesus cum Apostolis, & aliquot mulieribus quæ ministrabant ei, circuibat omnes ciuitates & castella, docens in Synagogis eorum, & curans omnem languorem: Matthæi cap. 9. vers. 35. Marc. cap. 6. vers. 6. & Luc. cap. 8. vers. 1. vsque ad 4. Et hæc de his quæ Christus anno vitæ suæ trigesimo secundo egisse traditur, dicta sufficiant: nam quæ hinc restant vsque ad tertium ab eius suscepto baptismate Pascha, tam pauca sunt, vt probabile admodum sit, eadem intra tres ferè priores anni eius trigesimi tertij menses gesta esse; nimirum à vigesimo quinto Decembris die, vnde anni ipsius Christi auspicabantur, vsque ad proximè memoratum Pascha, de quo sub anno mundi proximo, numero 2. agemus.

PRAEDICAT IN NAZARETH.

A CIVIBVS SVIS EIICITVR.

AB ORBE CONDITO ANNVS 4083. — SEXTÆ MVNDI ÆTAT. ANNVS 637.

1 ANNO igitur ætatis suæ trigesimo tertio circiter ineunte, credimus quòd Iesus, cùm mentis oculo vidisset turbas esse veluti oues sine pastore, non habentes qui eas in viam salutis dirigeret, quin potiùs non deesse plures qui ab ea illas auerterent, & ipse omnes vt homo præsentia corporali erudire atque instituere non posset; misertus illarum, conuocauerit duodecim, quos vt anno præcedente num. 5. diximus, elegerat Apostolos, & impartita eis facultate miracula faciendi, præscriptisque quibusdam legibus ab ipsis in hac legatione obseruandis, miserit eos binos prædicare populis, vt omnes pœnitentiam agerent, quia appropinquauit regnum cælorum; & vt infirmos oleo inungentes curarent, mortuos suscitarent, leprosos mundarent, dæmonesque eiicerent. Qui egressi circuibant per castella, euangelizantes & curantes vbique: Matthæi cap. 9. vers. 26. vsque ad finem capitis sequentis, Marc. cap.6.vers.7.vsque ad 14.& Luc.cap.9.vers.1.vsque ad 7. Intereà, hoc est (vt ex Beda in Marc.cap.6. colligi potest) non multò ante tertium Pascha in Ioannis Euangelio notatum, sanctus Ioannes Baptista ab Herode Antipa Galilææ Tetrarcha, qui (vt sub anno mundi 4081. num. 11. dictum est) instante Herodiade adultera sua ipsum miserat in carcerem, eadem procurante, capite truncari iussus est; & corpus eius à discipulis eius in Sebaste, quæ priùs Samaria dicebatur, sepultum fuit, & vsque hodie cineres corporis eius Ianuæ; in cappella cathedralis Ecclesiæ magnificentissimè exornata; caput verò Romæ in Ecclesia S. Siluestri ad Campum Martium deuotissimè asseruari perhibentur. Cur autem carceri mancipatus, & quomodo tandem capite cæsus fuerit sanctus vir, narrant SS. Euangelistæ Matthæus cap. 14. vers. 1. vsque ad 13. & Marcus cap.6.vers.14.vsque ad 30.

MITTIT APOSTOLOS PRAEDICARE, ET CVRARE INFIRMOS.

S. IOAN. BAPTISTA AB HERODE NECATVR.

2. Ex quibus libet hîc, clarioris doctrinæ gratia, rem prout se habuit referre. Duxerat Herodes palàm, & magno cum bonorum omnium scandalo tenebat apud se Herodiadem Philippi fratris tum adhuc viuentis vxorem. Arguebat Herodem S. Ioannes illis verbis: *Non licet tibi habere vxorem fratris tui.* Ille verò, tametsi non ignoraret Herodiadem hac de causa valdè admodum commoueri & indignari; nihilominùs libenter quandoque eum audiebat, quandoque autem eumdem è medio tollere cogitabat;

CVR ET QVOMODO IOANNES OCCISVS.

bat; prout solent qui peccati occasionibus impliciti manent: interdum enim rationis ductum sequentes, quæ recta sunt cogitant cupiuntque; interdum verò inordinata cupiditate ac passione dominante, ad quælibet mala perpetranda procliues inueniuntur, semperque instabiles atque inconstantes sunt in omnibus viis suis. Sic Herodes aliquando, nempe cùm sedato erat animo, libenter audiebat Ioannem vitia sua corripientem, & timore quodam, quem reuerentialem appellant, erga illum afficiebatur; & custodiebat eum, ne scilicet ab Herodiade insidiis peti posset, sciens, vt ait S. Marcus cap. 6. vers. 20. ipsum esse virum probum & sanctum, ac iusta salutique consentanea loqui, atque ad id non nisi sancto diuini honoris salutisque animarum zelo impelli. Vnde in gratiam eius multa quidem alia faciebat, sed tamen numquam valuit à se scortum abdicare: quin potiùs eius querimoniis blanditiisque delinitus, voluit aliquando Ioannem occidere; sed *timuit populum, quia sicut Prophetam eum habebant*, vt testatur S. Matthæus cap. 14. vers. 5. Denique morositati insanæ illius mulieris cedens amasius Rex, sanctum virum iussit vinctum detrudi in carcerem. Atque cùm aduenisset lætus natalis sui dies, in conuiuio quod Proceribus regni sui splendidissimè exhibuerat, idem Rex (casúne id acciderit, an re inter adulteros clàm composita, incertum est) ecce eleganti filiæ Herodiadis saltatione mirum in modum delectatus, iurat se quidquid illa petierit largiturum. Quæ consulta priùs impia matre, *Volo*, inquit, *vt protinus des mihi in disco caput Ioannis Baptistæ.* Quibus auditis Rex, quod temerè iurauerat, impiè statim impleri curauit. Hoc tam crudele facinus egregiè, si quis alius, & eleganter admodum execratur S. Ambrosius non procul ab initio lib. 3. de Virginibus, ita scribens: *Quoniam beati Ioannis Baptistæ non strictim prætereunda est recordatio, interest, vt quis, & à quibus, & quam ob causam, quo modo, & quo tempore sit occisus, aduertere debeamus. Ab adulteris iustus occiditur, & à reis in iudicem capitalis sceleris pœna conuertitur. Deinde præmium saltatricis, mors est Prophetæ. Postremò (quod etiam omnes barbari horrere consueuerunt) inter epulas atque conuiuia consummandæ crudelitatis profertur edictum: & à conuiuio ad carcerem, de carcere ad conuiuium feralis flagitij circumfertur obsequium. Quanta in vno facinore sunt crimina! Quis non, cùm è conuiuio ad carcerem cursari videret, putaret Prophetam iussum esse dimitti? Quis, inquam, cùm audisset natalem esse Herodis, sollemne conuiuium, puellæ optionem eligendi quod vellet datam, missum ad Ioannem ob solutionem non arbitraretur? Quid crudelitati cum deliciis? quid cum funeribus voluptati? Rapitur ad pœnam Propheta conuiuiali tempore, conuiuiali præcepto, quo non cuperet vel absolui: perimitur gladio, caput eius affertur in disco. Hoc crudelitati ferculum debebatur, quo insatiata epulis feritas vesceretur. Intuere Rex acerbissime, tuo spectacula digna conuiuio. Porrige dextram, ne quid sæuitiæ tuæ desit, vt inter digitos tuos riui defluant sacri cruoris. Et quoniam non exsaturari epulis fames, non restingui poculis potuit inauditæ sæuitiæ sitis; bibe sanguinem scaturientibus adhuc venis exsecti capitis profluentem. Cerne oculos in ipsa morte sceleris tui testes, auersantes conspectum deliciarum. Clauduntur lumina non tam mortis necessitate quàm horrore luxuriæ. Os aureum illud exsangue, cuius sententiam ferre non poteras, conticescit, & adhuc timetur.* hucusque S. Doctor.

S. AMBROSII IN HERODIS FACINVS EXECRATIO.

IOSEPHVS DE CAVSA NECIS S. IOANNIS QVID SENSERIT.

3. De nece S. Ioannis Baptistæ meminit etiam Iosephus 18. Antiq. cap. 7. vbi causam carceris necisque tanti viri adducit, ab ea quam tradunt SS. Euangelistæ longè diuersam, nimirum *quia*, inquit, *verebatur Herodes ne tanta Prophetæ auctoritas defectionem aliquam pararet in populo.* Sed proculdubiò veriorem SS. Euangelistæ causam prodiderunt: Iosephus verò non veram, sed malitiosè tunc ab ipso Herode prætextam, atque à curialibus eius vulgatam, ne iustè se corripientem, iniustè Prophetam Rex occidisse putaretur. Nihil enim non faciunt mali Principes, vt praua sua opera communibus huiuscemodi rationibus ad sui status conseruationem spectantibus cohonestari curent. Sed numquid Deum iudicem fallere poterunt? Videant, obsecro, apud Iosephum 18. Antiq. cap. 7. & 9. infortunia, quæ præfatis Herodi ac Herodiadi; & apud Nicephorum Ecclesiasticæ Historiæ lib. 1. cap. 20. quæ eidem Herodiadi & eius filiæ saltatrici, posteà iusto Dei iudicio euenerunt; & intelligent, quàm vanum sit & futile, malè acta talibus consiliis ac prætextibus palliare. Post necatū Ioannem Baptistam, audiens Herodes mirabilia opera Christi, quæ priùs, vel quòd esset in bello contra Aretam Arabiæ Regem occupatus, vel aliis districtus negotiis, non audierat, aut tamquam incredulus his quæ de Christo dicebantur, audire neglexerat, vel etiam contempserat; tandem crescente quotidie fama Christi, & aliis de ipso opinantibus quòd ipse esset Elias, aliis quòd esset Propheta, aut vnus ex antiquis Prophetis; aliis quòd es-

set Ioannes à mortuis reuocatus; ipse Herodes istis adhærens, dicebat: *Quem ego decollaui Ioannem, hic surrexit à mortuis, & ideò virtutes operantur in eo:* Matthæi cap. 14. vers.1.& 2. Marc.cap.6.vers.14.vsque ad 17. Luc.cap.9.vers.7.vsque ad 10. Ex quibus videntur duo posse colligi. Alterum, quòd tanta esset apud multos, & etiam apud ipsum Herodem de Ioanne existimatio, vt eum à mortuis rediuiuum surrexisse putarent, & multa mirabilia operari. Alterum, quòd Christus post obitum Ioannis multa miracula perpetrauerit à SS. Euangelistis præterita. constat enim, eos non omnia quæ fecit Iesus recensuisse; vt etiam colligitur Ioan. cap.vlt.in fine. Non multò pòst, cùm rediissent ad Iesum Apostoli quos ad prædicandum miserat, narrassentque ei quæ fecerant ac docuerant, venissentque item ad Iesum discipuli Ioannis nuntiantes ei de nece ac sepultura Magistri sui; secessit ipse Iesus cum Apostolis suis trans mare Galilææ in desertum locum, subiitque in montem, & sedebat ibi cum discipulis suis. quod cùm cognouissent turbæ, confestim de cunctis ciuitatibus conuenientes, cucurrerunt illuc. Videns ergo Iesus turbam magnam, de more cœpit docere & loqui eis de regno Dei, & curare infirmos. Vespere autem facto, suadentibus Apostolis vt dimitteret turbas, maluit priùs eas etiam corporaliter reficere. Itaq; multiplicatis mirabiliter quinque panibus & duobus piscibus, qui ibidem fortè inuenti sunt, saturauit ex ipsis quinque millia hominum, præter paruulos & mulieres, sublatis insuper duodecim cophinis fragmentorum quæ superfuerant; cunctis inter se dicentibus: *Quia hic est verè Propheta, qui venturus est in mundum.* ille nimirum insignis Propheta & Messias, de quo Moyses Exod. cap.4.vers.13. dicebat: *Obsecro Domine, mitte quem missurus es.* & qui in sacris Scripturis, & præsertim Deuter.cap.18. vers.15. & 18. promissus fuerat illis verbis: *Prophetam de gente tua & de fratribus tuis sicut me, suscitabit tibi Dominus Deus tuus: ipsum audies.* Contigit autem hoc, appropinquante iam festo Paschatis, vt expresse tradit Ioan. cap.6. vers.4. Et hoc fuit Pascha tertium à Christi baptismate, de quo sub præcedente anno mundi dicebamus. Cùm itaque cognouisset Iesus, quòd turbæ propter tam grande miraculum in omnium oculis perpetratum, venturę erant vt ipsum vel inuitum Regem constituerent; iussit discipulos præcedere & transfretare; ipse autem paulò pòst dimissis turbis, fugit in montem solus orare. Interim verò discipuli tota ferè nocte in mari, valida admodum tempestate iactati, laborabant; quibus sub finem noctis, cùm essent in summo discrimine, præstò fuit Iesus, ambulans supra mare, quo viso, primò quidem valdè perterriti sunt, quòd ipsum phantasma esse putarent; mox ab eo confirmati sunt illis verbis: *Confidite, ego sum, nolite timere.* Denique postulanti Petro concessit, vt & ipse super vndas maris ambularet; sed præ timore iam mergi incipientem apprehendit, & vt primùm cum eo ascendit in nauim, illicò ventus cessauit. Cùm autem applicuissent in terram Genezareth, confestimque exisset fama de aduentu eius; confluebant ad eum vndique circumferentes ægros, ac deprecantes vt sineret illos vel fimbriam vestimenti sui tangere; & quotquot tangebant, salui fiebant. Altera verò die quæsitus, & in Capharnaum inuentus ab iis quos de quinque panibus in deserto mirabiliter saturauerat; cœpit hac occasione Iesus coram eis de pane cælesti fusiùs differere. Vt autem audierunt dicentem quòd ipse esset panis verus de cælo datus, & quòd nisi manducassent carnem suam, & bibissent sanguinem, non essent habituri vitam æternam; multi etiam ex discipulis eius dixerunt: *Durus est hic sermo, & quis potest eum capere?* illis itaque retrò abeuntibus, interrogati Apostoli, numquid & ipsi vellent abire. respondit Petrus: *Domine ad quem ibimus? verba vitæ æternæ habes*, &c. Hæc latiùs traduntur apud Ioan. cap. 6. per totum, & ex his plura quoque habentur Matthæi cap.14.vers.13.vsque ad finem capitis, & Marc. cap. 6. vers. 32. vsque ad finem. Et hæc quæ hactenus ab initio anni Christi trigesimi tertij recensuimus, ante festum Paschæ eiusdem anni acta esse dubium non est.

HERODIS DE CHRISTO OPINIO.

IESVS IN MONTE REFICIT TVRBAS QVINQVE PANIBVS ET DVOBVS PISCIBVS.

TERTIVM PASCHA A CHRISTI BAPTISMATE.

IESVS FVGIT A VOLENTIBVS EVM REGEM CONSTITVERE.

AMBVLANS SVPRA MARE, DISCIPVLIS PERICLITANTIBVS SVBVENIT.

PETRVM NE MERGERETVR EREXIT.

FIMBRIAM EIVS TANGENTES SALVI FIEBANT.

DISSERENS DE PANE CAELESTI, A MVLTIS DESERITVR.

5. An verò Iesus ad hanc Paschæ festiuitatem venerit, incertum est, quoniam id sancti Euangelistæ prætericrunt: quamquā non desunt qui probabiliter putant, ipsum, vt Legis mandata ad vnguem impleret, venire non omisisse, saltem occultè, & parum ibi esse moratum; quod aliquatenus videtur insinuasse Ioan.cap.7.vers.1.dicens: *Post hæc ambulabat Iesus in Galilæam; non enim volebat in Iudæam ambulare* (hoc est, palàm conuersari;) *quia quærebant eum Iudæi interficere.* Igitur post hæc, morante Iesu in Galilæa, cùm venissent ad eum ab Ierosolymis Pharisæi & quidam de Scribis, interrogabant eum, cur discipuli eius non lotis manibus manducarent. Qua occasione accepta, cœpit Iesus eos arguere, quòd in exterioribus ac leuioribus quibusdam cærimoniis ab hominibus institutis, essent supra modum diligentiores; de mandatis

ARGVVNTVR DISCIPVLI; QVOD NON LOTIS MANIBVS MANDVCARENT.

verò diuinis accuratè obseruandis, & de corde ab immundis cogitationibus mundando, nihil penitus curarent.

FILIAM CHANANAEAE A DAEMONIO VEXATAM IESVS CVRAT, ET ALIOS INFIRMOS.

Posteà secessit Iesus in partes Tyri & Sidonis, vbi filiam Chananææ à dæmonio vexatam liberauit: inde rediens ad mare Galilææ, curauit surdum & mutum: & post hæc, mutos, cæcos, & claudos, ac debiles, aliosque multos ad pedes eius à turbis proiectos.

SEPTEM PANIBVS 4000. HOMINVM PAVIT.

Et septem panibus saturauit quattuor millia hominum.

SIGNVM QVAERENTES REIICIT, LVCEM REDDIT CAECO, NON STATIM, SED PER PARTES.

Pharisæos deinde signum quærentes reiecit, eorumquè & Sadducæorum, quin etiam & Herodis siue Herodianorum, aut aliarum eiusmodi sectarum fermentum, hoc est doctrinam siue hypocrisim cauendam docuit. Mox veniens in Bethsaidam, lucem reddidit cæco, bis ei manum imponens, ita vt primò aliquantulùm videre inciperet, secundò autem perfectè visum receperit.

CAESAREA PHILIPPI.

Egressus posteà Iesus ditionem Herodis Galilææ Tetrarchæ, venit in Tetrarchiam Philippi eius fratris, prope Cæsaream eiusdem Tetrarchiæ metropolim, ad Iordanis fontes sitam, quæ olim Paneada, mox ab eodem Philippo ædificiis aucta, Cæsarea Philippi dicta est; ad differentiam alterius Cæsareæ, quam pater eius, vt tradit Iosephus 18. Antiq. cap. 3. in ora Mediterranei maris extruxerat; de qua plura nos sub anno mundi 2594. num. 15. diximus. At verò Cæsarea Philippi rursus posteà à iuniore Agrippa in honorē Neronis dicta est Neronida; quemadmodum idem Auctor scribit 20. Antiq. cap. 8.

PETRI CONFESSIO ET RETRIBVTIO.

Itaque cùm venisset Iesus in partes Cæsareæ Philippi, interrogassetque discipulos suos, quem ipsum homines esse existimarent; & illi dixissent, quòd quidam eum putabant esse Ioannem, alij Eliam, alij Ieremiam, aut vnum ex Prophetis; rursum ad eos ait Iesus: *Vos autem quem me esse dicitis?* Cui Petrus: *Tu es Christus filius Dei viui. Et ego*, inquit Iesus, *dico tibi, quia tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam.* promisitque dare illi claues regni cælorum.

IESVS PRIMO PASSIONEM SVAM PRAENVNTIAT, ET PETRVM INCREPAT.

Nec multò pòst Iesus palàm prædicens quæ Ierosolymis ipse passurus erat, eumdem Petrum, quòd illum à prænuntiata passione auocare nisus esset, acerbiùs increpauit; quòd quæ Dei sunt, non saperet. Ac subinde se sequi volentes, ad ferendam crucem & ad sui ipsius abnegationem iugiter amplexandam adhortabatur. Quæ ferè omnia successiuè tradunt Matthæus cap. 15. & 16. per totum, & Marcus cap. 7. & 8. & quædam Lucas cap. 9. vers. 18. vsque ad 28.

TRANSFIGVRAT SE IESVS.

DE MONTE THABOR.

6. Post dies sex, vt aiunt Matthæus & Marcus locis infrà citandis (subaudi, intermedios) id est, post dies ferè octo, vt ait Lucas (nimirum terminis computatis) quod idem est ac si dictum esset, octauo die ex quo passionem suam prædixerat, transfigurauit se Iesus coram Petro, Iacobo, & Ioanne, in monte Thabor, de quo plura beatus Hieronymus in libro de Locis Hebraicis, & Iosephus lib. 4. de Bello, sub nomine montis Itaburij, & Brocardus Part. 1. cap. 6. §. 9.

IOANNEM VENISSE IN SPIRITV ET VIRTVTE ELIAE.

Vt autem descenderunt de monte, interrogantibus discipulis quomodo intelligendum esset quod dicebant Pharisæi & Scribæ, oportere primùm venire Eliam quàm Messiam; respondit Iesus, Eliam iam venisse; insinuans illum esse Ioannem Baptistam, de quo per Angelum Zachariæ patri eius dictum fuerat Lucæ 1. vers. 17. *Ipse præibit ante ipsum in spiritu & virtute Eliæ.* Sequente verò die, ad preces cuiusdam patris, eiecit à filio eius dęmonium, quod non potuerant eiicere discipuli eius, quos incredulitatis redarguens, certiores reddit, si tantillum veræ fidei habuerint, posse eos illicò montes de loco ad locum transferre.

IESVS SECVNDO PASSIONEM SVAM PRAEDICIT, ET MVLTA DISCIPVLOS DOCET.

Prætergrediens deinde Galilæam, iterùm Iesus prædicit discipulis suis passionem suam pariter ac mortem, & resurrectionem. Vt autem venit Capharnaum, mandauit Petro, vt ad euitandum scandalum pergeret ad mare, & statere in ore piscis inueniendo, exactoribus tributum pro se & pro ipso persolueret. Sciens verò discipulos suos de primatu inter se contentionem habuisse, eosdem leniter reprehendit, ac Christianam docet humilitatem; & præterea non esse prohibendos malos in nomine Christi boni aliquid facere, puta dæmonia eiicere, aut quid simile. Deinde de scandalo studiosè cauendo longiùs disseruit; & item de fraterna correptione facienda, & de condonanda proximo offensa nobis illata. Vide de his Matthæum cap. 17. & 18. per totum, & Marc. cap. 9. per totum, & Luc. cap. 9. vers. 28. vsque ad 51.

AD SCENOPEGIAM IEROSOLYMIS CELEBRANDAM CLAM IRE DELIBERAT.

Appropinquante autem festo Scenopegiæ seu Tabernaculorum, inuitatus à fratribus, hoc est cognatis suis, Iesus, vt ad sollemnitatem pergeret, ac se miris operibus suis manifestaret mundo, modestè recusauit, probè intelligens non expedire vt palàm iret, ne exacerbare velle videretur Iudæos alioqui malè erga se affectos, & tunc præcipuè mali aliquid aduersum se moliri paratos. Proptereà hortatus est fratres suos vt ipsi potiùs irent in Ierusalem, quibus nihil periculi imminebat. Postquam autem ascenderunt fratres eius, & ipse ascendit veluti occultè: Ioan. cap. 7. vers. 2. vsque ad 11. Porrò in hoc itinere duo notata inuenimus. Alterum est, Iesum à Samaritanis non fuisse receptum in ciuitate eorum, quòd ad sollemnita-

tem

tem in templo Ierosolymitano celebrandam ipsum pergere suspicati essent (putabant enim Deum non in Ierosolymitano templo, sed in Samaritano monte, vbi olim fuerat templum à Sanaballat extructum, ac posteà à Ioan. Hircano (quemadmodum sub anno mundi 3926. num. 1. diximus) subuersum, esse adorandum, vt colligitur Ioan. c.4. vers. 20.) & hoc est quod narrat Luc. cap. 9. vers. 51. vsque ad 57. Alterum est, quòd in eodem itinere curauit decem leprosos, quorum vnus tantùm rediit ad debitas ei gratias rependendas: Luc. cap. 17. vers. 11. vsque ad 20.

A SAMARITANIS CVR NON RECEPTVS.

DECEM LEPROSOS CVRAT.

7. Eodem anno, in festo Scenopegiæ seu Tabernaculorum, quod per octo dies cõtinuos, videlicet à die decimoquinto mensis septimi vsq; ad vigesimum secundum celebrari consueuerat, vt præceptum fuerat Leuitici cap. 23. vers. 34. vsque ad finem capitis, & Numer. cap. 29. vers. 12. & deinceps, & Deuter. cap. 16. vers. 13. Iesus, cùm venisset quasi in occulto, vt præcedente numero dictum est, ad sollemnitatem; non nisi circa eius medietatem, hoc est quarto die, vt colligitur Ioan. cap. 7. vers. 14. manifestare se voluit, palàm docens in templo, cunctis admirantibus, & multis in eum credentibus. Quod vt cognouerunt Principes & Pharisæi, miserunt ministros vt illum comprehenderent; qui capti verbis Christi, non ausi sunt in illum manus mittere, vt latè describit Ioannes in toto cap. proximè citato. Ceterùm, ab hoc tempore vsque ad diem vigesimum quintum mensis noni, hæc quæ subiungemus, à Iesu acta leguntur. Et primò quidem, mulierem in adulterio inuentam absoluit; mox rursus docens in templo, lapidare eum volentes declinat; posteà cæco nato mirabiliter lucem impertit; denique de vero pastore ouibusque accuratè disserit. quæ omnia latiùs prosequitur Ioan. c. 8. 9. & 10. vsque ad vers. 22. Et ex dictis colligitur, Iesum aliquamdiu post memoratum festum mansisse in Ierusalem; ibi enim hactenus narrata contigisse creduntur. Post hæc, volens Iesus ad alia quoque loca lucem suæ prædicationis extendere, designauit & alios septuaginta duos, quos misit binos ante se, in omnem ciuitatem & locum quò erat ipse venturus; deditque illis potestatem super omnem virtutem inimici. qui cùm post aliquod tempus læti rediissent ad Iesum, dicentes quòd etiam dæmonia subiiciebantur eis: ille hortatus est eos vt magis gauderent, quòd nomina eorum scripta essent in cælis. Respondit posteà Iesus Legisperito se tentanti, & interroganti quid sibi faciendum esset vt vitam æternam consequi posset: eidemque de proximo sciscitanti, quisnam esset quem deberet diligere; proposuit parabolam de Samaritano, qui à latronibus sauciatum piè mederi curauerit. Dum autem iret Iesus per Iudæam, hospitio receptus in quoddam castellum à duabus sororibus, Mariam à querimonia Marthæ defendit. Requisitus post hæc in alio quodam loco ab vno ex discipulis suis, docuit eos orandi formam, quam propterea dicimus Orationem Dominicam; & insuper aliquot exemplis ac rationibus hortatus est eos ad preces postulationesque Deo assiduè instanterque porrigendas. Cùm autem quadam die à quodam Pharisæo ad prandium inuitatus, aduertisset Pharisæum offensum, quòd ipse Pharisaico more manus studiosè non abluisset; superstitiosam ac præposteram Pharisæorum religionem arguere cœpit, quòd in quibusdam externis rebus sanctitatem collocantes, interiora negligerent, in quibus ea potissimùm consistit: ac subinde conuersus ad Legisperitum occasione cuiusdam eius querimoniæ, vitia quoque illius ordinis hominum reprehendere non omisit. Item alia die vndique turbis circumseptus, docuit cauendam esse Pharisæorum hypocrisim, & non esse timendum ab his qui corpus tantùm, non etiam animam occidere possunt; sed ab eo vel maximè, qui habet potestatem mittere in gehennam. Occasione verò accepta à quodam de turba, qui pro diuidenda cum fratre suo hereditate ipsum tamquam arbitrum requisierat, eiusmodi petitione prudenter reiecta, disserere cœpit de vitanda auaritia, & abiicienda superflua diuitiarum solicitudine; docens, primò & ante omnia quærendum esse regnum Dei.

MINISTRI NON AVDENT COMPREHENDERE IESVM.

LXXII. DISCIPVLOS PRAEMITTIT ANTE SE IESVS, QVI PRAEDICATIONIS OFFICIO FVNGERENTVR.

PARABOLA DE SAMARITANO.

DE ORATIONE DOMINICA.

MVLTA DOCET IESVS.

8. Hortatus quoque est omnes ad indefessam vigilantiam, exemplo serui fidelis, qui expectat noctu dominum suum, donec domum redeat: & quædam subiunxit, quæ maximè possent ad eamdem vigilantiam excitare Prælatos & verbi Dei prædicatores, quorum opera ignis sancti Spiritus per vniuersum orbem in animis hominum accendendus erat: quamquam id plenè non præstandum fore, immò nec præstari posse significauit, nisi post passioné ac mortem suam, quam baptismi nomine insinuauit. Intereà quibusdam similitudinibus prouocare cœpit turbas ad cognoscendum tempus aduentus Redemptoris, & cum eo agendum de aliqua debitorum compositione, ne in extremo iudicij die ad redditionem vniuersi debiti compellantur. Proinde

audiens Dominus quosdam opportunè nuntiantes de quibusdam Galilæis nuper à Pilato occisis, prosequitur apertiùs hortari omnes ad pœnitentiam, ne & ipsi à Deo grauiùs puniri permittantur. Sanauit post hæc, docens in Synagoga, mulierem curuam, redarguitque Archisynagogum obmurmurantem quòd in Sabbato sanasset. Cùm autem per ciuitates & castella docens iret in Ierusalem, à quodam interrogatus, si pauci sint qui saluantur? cœpit instare, vt contendamus intrare per angustam portam. Et à Pharisæis admonitus quòd Herodes quæreret eum ad necem; respondit, se etiam adhuc modicum debere operari; subindicauitque se non in Herodis ditione, sed in Ierusalem moriturum, ac proptereà eiusdem vrbis interitum prædixit. ex quibus videtur posse inferri, hæc acta esse in Galilæa. Posteà cùm intrasset in domum cuiusdam Principis Pharisæorum Sabbato manducare, sanauit ibi hydropicum; idque nullatenus esse contra Sabbati religionem, pluribus argumentis ostendit. Mox tum inuitantem tum etiam inuitatos erudiens; hos ad humilitatem sectandam, debere nouissimum sibi locum deligere; illum verò; quos potiùs inuitare debeat, edocuit. Facta autem obiter à quodam de manducando pane in regno Dei, mentione; subintulit parabolam de homine, qui parata grandi cœna, vt vidit quòd inuitati sese excusarent, ad eam pauperes ipsorum loco vndequaque collectos introduxit; tacitè insinuans, ad cælelte conuiuium, Iudæis, qui primò inuitati fuerant, ob ipsorum superbiam relictis, Gentiles vndique conquirendos, & ad spirituales epulas congregandos. Aliàs verò cùm eum turbæ multæ sequerentur, hortabatur volentes se non gressibus tantùm corporis sequi, sed etiam mentis affectibus, ad ferendam post se crucem, & ad perfectam omnium rerum abrenuntiationem. Quæ omnia continuato ordine fusiùs prosequitur Lucas cap. 10. vers. 25. vsque ad finem capitis 14.

SANAT MVLIEREM CVRVAM, ET HYDROPICVM. PARABOLA DE INVITATIS AD COENAM.

9. Non multò ante exitum huius anni vitæ Christi trigesimi tertij, nimirum die vigesima quinta mensis noni (qui Hebraicè dicebatur Casleu, & iuxta ea quæ nos sub anno mundi 2544. num. 11. diximus, partim nostro respondebat Nouembri, partim verò Decembri) quando scilicet Iudæi celebrabant festum Encæniorum seu Purificationis aut Dedicationis templi & altaris: non illius primæ dedicationis, quæ olim à Salomone facta fuerat; neque secundæ, quæ temporibus Zorobabelis; neque postremæ, quam ante duos & quadraginta circiter annos, vt dinumerari potest in tabulis, Herodes fieri curauerat: sed tertiæ illius, quam Iudas Machabæus, post purgatum ab Antiochi contaminatione templum, cum magna populi lætitia celebrauerat, & quotannis deinceps celebrari instituerat; quemadmodum sub anno mundi 3890. n. 10. probatum est. In vna ergo huius festi Encæniorum die, cùm esset Iesus in templo in porticu Salomonis, instanter admodum à Iudæis interrogatus vt palàm diceret eis, si ipse erat Christus; cùm inter respondendum dixisset, *Ego & Pater vnum sumus*; sustulerunt lapides vt eum lapidarent; & volentes eum comprehendere, ipse exiuit de manibus eorum, & mansit aliquamdiu in finibus Iudææ trans Iordanem, vbi aliàs manserat Ioannes baptizans; & ibi de more docebat curabatque turbas ad ipsum conuenientes: Ioan. cap. 10. vers. 22. vsque ad finem capitis, & hæc sunt quæ Christus anno vitæ suæ trigesimo tertio egisse creditur.

IN FESTO ENCAENIORVM VOLEBANT IVDAEI LAPIDARE IESVM.

AB ORBE CONDITO ANNVS 4084. — SEXTÆ MVNDI ÆTAT. ANNVS 638.

1 ANNO vitæ eius trigesimo quarto, cùm conuenissent ad Iesum publicani & peccatores, offensique ob hoc Pharisæi & Scribæ murmurarent quòd Iesus peccatores reciperet, & manducaret cum eis, vt murmur eorum obtunderet, tres proposuit parabolas; nimirum primam de oue, alteram de drachma, ac tertiam de filio prodigo, priùs perditis, ac posteà inuentis; quibus quàm Deo Angelisque grata sit peccatorum conuersio demonstrauit: Luc. cap. 15. per totum, & cap. 16. vers. 1. vsque ad 18. Deinde quartam adiecit de iniquo dispensatore parabolam; qui cùm præuideret se dispensatione priuandum, prudenter sibi in ratiociniis reddendis consuluit; insinuans optimè animabus suis prospicere, qui de creditis sibi temporalibus bonis largas pauperibus eleemosynas tribuunt. Occasione posteà quorumdam Pharisæorum de diuortio sciscitantium num esset licitum; ita de matrimonij indissolubilitate disseruit, vt etiam quosdam ad cupiditatem seruandæ virginitatis aut castitatis impellere studuerit. Videns autem Iesus Pharisæos, audita parabola de villico seu dispensatore paulò antè commemorata, (quòd essent auari) ne à manifesta quidem

DE TRIBVS PARABOLIS. 4 PARABOLA, DE VILLICO INIQVO. DE MATRIMONII INDISSOLVBILITATE.

Domini

Domini irrisione se continere valuisse; vt eisdem terrorem incuteret, aliam eis parabolam vel potiùs historiam proposuit de Epulone diuitiis affluente, & erga Lazarum pauperem admodum inclemente & auaro; qui posteà in inferni tormentis positus, pro vnica aquæ gutta incassùm implorauit. Loquens deinde cum discipulis suis, docebat eos vitare scandala, fidem seruare, & de benefactis non se extollere; sed cùm omnia fecerint, seruos se inutiles reputare. Ad retundendam etiam quorumdam arrogantiam, qui nimiùm in se & in operibus suis confidentes aspernabantur ceteros, proposuit parabolam de superbo Pharisæo & humili publicano ad orationem se conferentibus, quorum hic descendit iustificatus in domum suam ab illo. Contigit autem adferri ad Iesum quosdam infantes vt illis manus imponeret; qui increpatis discipulis id prohibentibus, dixit: *Sinite paruulos venire ad me; talium est enim regnum Dei.* Mox adolescenti vitæ perfectioris auido cùm dixisset: *Vade, vende omnia quæ habes, & da pauperibus; & veni & sequere me*; illeque contristatus abiisset, differere cœpit de maxima diuitum difficultate introeundi in regnum Dei. Et Petro interroganti de mercede eorum qui relictis omnibus sequebantur eum respondens, promisit non Apostolis tantùm, sed & aliis omnibus, qui omnia relinquerent & ipsum sequerentur, centuplum in hac vita, & vitam æternam in altera. Et quoniam inter loquendum Dominus dixerat, quòd primi erunt nouissimi, & nouissimi primi; ad huius sententiæ explicationem subiunxit parabolam de patrefamilias conducente operarios in vineam suam, primo manè, hora tertia, sexta, nona, & vndecima. Vide de his omnibus Matthæum cap. 19. & 20. vsque ad vers. 17. Marc. cap. 10. vers. 1. vsque ad 31. & Luc. cap. 15. per totum, & cap. 16. vers. 1. vsque ad capitis sequentis vers. 11. & cap. 18. vers. 9. vsque ad 31.

DE EPVLONE.

DE SVPERBO PHARISAEO ET HVMILI PVBLICANO.

DE PARVVLIS ADMITTENDIS.

DE DIFFICVLTATE AC MERCEDE SEQVENTIVM IESVM.

QVOD PRIMI ERVNT NOVISSIMI, ET E CONVERSO.

2. Appropinquante autem tempore Paschatis, quemadmodum colligi potest ex Ioan. cap. 11. vers. 55. cùm esset Iesus non in Galilæa, vt quidam putant, sed adhuc moram traheret in finibus Iudææ trans Iordanem, vbi manserat Ioannes baptizans, quemadmodum exponit B. Augustinus Tractat. 49. in Ioan. & nos sub anno præcedente num. 7. diximus; miserunt sorores Lazari, Martha & Maria, qui nuntiaret ei de graui fratris infirmitate: *ille* verò, quemadmodum idem S. Doctor subiungit, *distulit sanare, vt posset resuscitare.* Itaque mortuo Lazaro veniens Iesus in castellum eius, quod duobus ferè passuum millibus ab Ierosolymis distabat, se verum esse vnicumque vitæ auctorem, stupendissimo illo suscitationis eiusdem Lazari quatriduani miraculo demonstrauit. Quamobrem Iudæi odio inuidiaque æstuantes, coacto concilio statuerunt illum interficere. Hac ergo de causa secessit Iesus cum discipulis suis iuxta desertum in ciuitatem nomine Ephrem; Ioan. cap. 12. per totum. Post aliquot verò dies iterùm ascendens Iesus Ierosolymam, prædixit iam tertiò passionem ac mortem suam duodecim Apostolis. Et filios Zebedæi primatum poscentes sapienter redarguit. Cùm autem appropinquaret Iericho, lumen cæco post se clamanti restituit. Et ingressus Iericho, à Zachæo publicanorum Principe admodum diuite alacriter excipitur; cui Iesus salutem promittit. Sciens verò Iesus quòd discipuli sui, quia non multùm tunc aberat à Ierusalem, existimabant confestim manifestatum iri regnum Dei: subiecit parabolam de viro nobili, qui proficisci volens in regionem longinquam ad accipiendum sibi regnum, dedit pecuniam suam seruis suis, vt interim negotiationi eam exponerent; & post reditum, singulos pro apportato lucro remunerauit; seruum verò ab opere torpentem damnauit. Egrediens autem Iesus cum turba multa de Iericho, lucem restituit duobus cæcis. Hæc latiùs vide apud Matthæum cap. 20. vers. 17. vsque ad finem capitis, & Marc. cap. 10. vers. 32. vsque ad finem, & Luc. cap. 18. vers. 31. vsque ad 29. capitis sequentis.

DE MIRA LAZARI SVSCITATIONE.

PRAEDICIT IESVS TERTIO PASSIONEM SVAM.

CAECVM ILLVMINAT.

3. Ante sex dies Paschæ, nimirum die Sabbati, appropinquans Iesus Ierosolymis venit Bethaniam, vbi ad cœnam exceptus, Martha ministrante, & Lazaro quem suscitauerat discumbente, Maria Magdalena ipsum valdè pretioso vnxit vnguento, eodemmet Iesu murmurationem discipulorum compescente. Porrò statim vt auditum est Ierosolymis quòd Iesus esset in Bethania, multi ex Iudæis ob loci vicinitatem concurrerunt illuc, non solùm vt viderent Iesum, sed etiam vt Lazarum intuerentur, quem à mortuis suscitauerat. Quod iniquè admodum ferentes Sacerdotum Principes, cogitauerunt ipsum quoque Lazarum interficere, cuius causa multi credebant in Iesum: Matth. cap. 26. vers. 6. vsque ad 14. Marc. cap. 14. vers. 3. vsque ad 10. Ioan. cap. 12. vers. 1. vsque ad 9.

MAGDALENA EFFVNDIT VAS VNGVENTI IN CAPVT IESV.

4. In crastinum, videlicet Feria prima, cùm venisset Bethphage, quæ erat Ierosolymis proximior, misit Iesus duos de discipulis suis, qui adduxerunt ei asinam & pullum eius,

IESVS GLORIOSE INGREDI PARAT IN IERVSALEM.

eius, super quam, vt adimpleretur Prophetia Zachariæ cap.9.verſ.9. ſedens, profectus eſt in Ieruſalem; turbis viam ſternentibus, & ipſum cum ramis palmarum partim præcedentibus, partim ſubſequentibus, fauſtaque illi acclamantibus, illis ſere vſi verbis quæ habentur in Pſal.117.verſ.26. *Benedictus qui venit in nomine Domini, hoſanna in excelſis.* Vt autem vidit ciuitatem Ieſus, flere cœpit ſuper eam, prædicens eius exterminium, quod poſteà eidem Romani intulerunt. Ingreſſo deinde cum tali pompa Ieroſolymam Ieſu, commota eſt vniuerſa ciuitas, cunctis ad ſpectaculum iſtud accurrentibus; Phariſæis verò interim præ inuidia & mœrore tabeſcentibus, ac inter ſe dicẽtibus: *Videtis quia nihil proficimus? ecce mundus totus poſt eum abiit.* Ingrediens autem templum Dominus, non inde expulit, vt olim Dauid expugnata arce Sion, ſed ſanauit cæcos & claudos ad ſe venientes. Et Phariſæis ac Scribis ſibi indignantibus, quòd pueros ei fauſta acclamantes non increparet, reſpondit, eoſdem id agere, quod olim prædixerat Dauid in Pſal.8. verſ.3. *Ex ore infantium & lactentium perfeciſti laudem.* Gentilibus verò ipſum videre cupientibus, ipſe prædixit mortem ac paſſionem ſuam; & voce de cælo mirabiliter delapſa coram ipſis clarificatus, non multò pòſt abſcondit ſe ab eis. Et cùm tanta ſigna feciſſet, non credebant in eum; vt ſermo Iſaiæ cap.53.v.1. impleretur: *Quis credidit auditui noſtro?* &c. quamquam multi de Principibus crediderint quidem in eum, ſed non auderent eum confiteri, ne à Synagoga eiicerentur. Veſpere autem exiens à ciuitate Ieſus, venit in Bethaniam, ibique manſit: Matthæi cap.21. verſ.1. vſq; ad 18. Marci cap.11.verſ.1.vſque ad 13. Lucæ cap.19.verſ.29.vſque ad 45. & Ioan. cap.12. verſ.12. vſque ad finem capitis.

DEPLORAT PRAENVNTIATQVE RVINAM CIVITATIS.

SANAT CAECOS ET CLAVDOS IN TEMPLO.

MALEDICIT FICVLNEAE.

5. Alia die, quæ, vt arbitror, erat quarta ante feſtum Paſchæ, & Feria ſecunda, Ieſus iterùm rediens in Ieruſalem, in exitu de Bethania maledixit ficulneæ non habenti fructum, quæ ſtatim arefacta eſt. quo facto præfigurare voluit Dominus, fore, vt Synagoga, quæ ſine fructu bonorum operum, foliis dumtaxat cærimoniarum abundabat, ipſo deſerente, etiam virorem illum externum breui amitteret. Veniens deinde Ieſus in templum, eiecit inde ſecundò ementes ac vendentes. Quod ægrè ferentes Phariſæi, quærebant eum perdere; ſed timebant turbam, quæ admirabatur ſuper doctrina eius. Serò autem redibat cum diſcipulis ſuis, ſubaudi, in Bethaniam: Matthæi cap.21. verſ.18.& 19. Marc.cap.11.verſ.12. vſque ad 20. Luc.cap.19.verſ.45. vſque ad finem capitis.

EIICIT SECVNDO VENDENTES ET EMENTES E TEMPLO.

6. Rurſus manè Feria tertia, nimirum triduo ante Paſcha, redeuntes cum Ieſu diſcipuli eius Ieroſolymam, cùm memoratam vidiſſent ficulneam omnino arefactam; eius occaſione interpellatus à Petro Dominus, hortatus eſt eos ne hæſitarent in fide; ſic enim poterunt quæcumque mirabilia facere, & omnia quæ in oratione à Deo petierint obtinere, ſi tamen ante orationem dimittant quidquid aduerſus proximum habuerint. Et cùm veniſſet in templum, vbi iam per aliquot dies quotidie docere ſolebat, acceſſerunt ad eum Principes Sacerdotum, & Scribæ, ac ſeniores, interrogantes in qua poteſtate ſeu auctoritate faceret, quæ videbant ab eo fieri, præſertim in templo; puta, publicè docere populum, inde vendentes & ementes eiicere, & nec ſinere quemquam vel vas per ipſum deferre; & huiuſmodi, quæ magis ad Sacerdotes pertinere videbantur. Huic quæſito ſe reſponſurum Ieſus promiſit, ſi tamen ipſi priùs alteri eius quæſito reſpondiſſent, quod fuit, Num baptiſma Ioannis eſſet è celo, an ab hominibus, id eſt, an Ioannes baptizaſſet auctoritate ſibi diuinitus tradita, an ab hominibus accepta? Quibus reſpondentibus, ſe neſcire: *Sed neque ego* (inquit Ieſus) *dico vobis in qua poteſtate hæc facio.* tacitè innuens, quòd ea qua Ioannes auctoritate, nimirum diuina, baptizauerat, eadem & ipſe prædicta opera faciebat. Cœpit deinde loqui eis per parabolas, propoſuitque primò illam de duobus filiis, quorum alter obedire patri priùs recuſans, mox pœnitentia ductus, mandata eius exequitur: alter verò contrà pollicitus ſe mandatum implere, poſteà non implet. per hæc inferens, ipſis præferendam eſſe publicanorum obedientiam, quippe qui priùs renuentes obedire Deo, poſteà ad prædicationem Ioannis conuerſi fuerint; ipſi verò nequaquam. Aliam quoque parabolam expoſuit eis, de vinea locata agricolis, qui ſeruos domini ad colligendos fructus venientes repulerunt, ac nouiſſimè etiam filium ipſius domini occiderunt; ſignificans quid erga ipſum Ieſum illi citò facturi eſſent. Item aliam de Rege qui fecit nuptias filio ſuo, & miſit ſemel atque iterùm ſeruos ſuos vocare inuitatos, quorum aliqui venire neglexerunt, alij inſuper prædictos ſeruos contumeliis affectos peremerunt. Rex autem iratus, perdidit homicidas illos, & ciuitatem ipſorum ſuccẽdit, & alios loco eorum ad nuptias vocauit; præmonſtrans hiſce ſimilitudinibus Synagogæ interitum, & vocationẽ Gen-

LOQVITVR IN PARABOLIS.

tium

tium ad Christi fidem. Post hæc soluit quæstionem de tributo Cæsari soluendo, callidè sibi à Pharisæis pariterque Herodianis propositam: & item difficultatem de resurrectione mortuorum, à Sadducæis sibi obiectam. Respondit præterea sapienter Legis Doctori eum interroganti, quodnam esset maximum in Lege mandatum. Mox ipse interrogans Pharisæos de Christo, cuius filius esset: illisque respondentibus, Dauid; obiecit: *Quomodo ergo Dauid vocat eum Dominum, dicens: Dixit Dominus Domino meo, Sede à dextris meis?* volens per hoc docere eos, quòd etsi Christus secundùm carnem erat filius, hoc est de semine seu stirpe Dauid; erat tamen etiam verè Filius Dei, & consequenter Dominus Dauidis. Sed illi siue ex malitia, siue potiùs ex ignorantia, non poterant ei respondere verbum; neque ausus quisquam fuit ex illa die eum ampliùs interrogare. Post hæc conuersus ad turbas & ad discipulos suos, monebat eos vt Scribas quidem & Pharisæos doctrinam Moysi explicantes audirent, sed non opera ipsorum imitarentur, quia, inquit, dicunt & non faciunt. Et multa alia eorum vitia percensens, docebat eadem esse vitanda. Cùm verò non multò pòst sedens obseruaret eos qui iactabant nummos in Gazophylacium, prætulit exiguam viduæ pauperis oblationem magnis diuitum muneribus. Egrediens posteà de templo, quibusdam eiusdem templi structuras magnificantibus respondens, prædixit illarum ac totius Ierosolymæ euersionem. In reditu autem Domini de Ierusalem in Bethaniam, siue post cœnam, de Bethania in montem oliuarum, vbi (quemadmodum testatur S. Lucas cap. 21. vers. 37. & cap. 22. vers. 39.) noctu morari consueuerat, cùm sederet in dicto monte Iesus contra templum, interrogatus seorsum à Petro, Iacobo, Ioanne, & Andrea, de tempore euersionis Ierusalem, & aduentus sui ad iudicandum (putabant enim vtrumque simul fore implendum) & de signis quæ hæc præcedere debebant; Dominus, qui sciebat hæc non pariter, sed longè diuersis temporibus euentura; separatim multa disseruit de his quæ Ierosolymorum desolationem præcessura erant; mox de signis postremi aduentus sui, & consummationis sæculi. Deinde multa item subintulit, docens quomodo ad tremendum extremi iudicij diem nos præparari conueniat: idque tum exemplis aptè propositis, tum etiam duabus parabolis appositè ad persuadendum recitatis; Altera de decem virginibus, quæ acceptis lampadibus exierunt obuiàm sponso & sponsæ, quarum quinque fatuæ oleo deficiente remanserunt exclusæ. Altera de homine, qui peregrè proficiscens, vocatis seruis, vni dedit quinque talenta, alij duo, alij vnum. post multum verò temporis venit, ac rationem ab eis reposcens, vnicuique pro merito retribuit. Denique etiam modum postremi iudicij faciendi aperuit. Quæ omnia distinctè tradunt, licet non singuli singula, SS. Matthæus cap. 21. vers. 23. vsque ad finem capitis 25. Marcus cap. 11. vers. 27. vsque ad finem capitis 13. & Lucas cap. 20. & 21. per totum; quamuis aliqua item ex his sparsim apud eumdem habeantur cap. 17. 18. & 19.

RESPONDET AD PROPOSITA SIBI QVAESITA.

PRAEDICIT TEMPLI ATQVE VRBIS INTERITVM

DE SIGNIS IEROSOLYMAE INTERITVS, ET EXTREMI IVDICII.

DE PRAEPARATIONE AD IDEM IVDICIVM.

7. Biduo ante festum Paschæ, nimirum Feria quarta, prædixit Iesus Discipulis suis, instare iam tempus, aliàs non semel ipsis prænuntiatæ passionis suæ. Et tunc, inquit Euangelista Matthæus, hoc est, eodem die, Principes Sacerdotum & seniores in atrio Caiphæ Pontificis congregati, consultare cœperunt non de occidendo Iesu, (id enim aliàs decreuerant, vt suprà num. 2. dictum est) sed quomodo eum dolo comprehendere possent & occidere. Quæ res dum in deliberatione versatur; quia passionis Christi præstitutum à Deo tempus aduenerat, vt faciliùs res impleretur, ecce Iudas, quem fortè diu anteà diabolus tentauerat, nunc pessimæ suggestioni consentiens, adit Magistratus, offertque se illum ipsis pactâ pecuniâ traditurum sine turbis. Quod & posteà præstitit, vt suo loco dicemus: Matthæi cap. 26. vers. 1. vsque ad 17. Marc. cap. 14. vers. 1. vsque ad 12. & Luc. cap. 22. vers. 1. vsque ad 7. Et hinc emanauit vetus illa fidelium consuetudo, quæ etiamnunc apud multos Religiosos, aliosque deuotos vtriusque sexus homines studiosè obseruatur, ieiunandi, vel saltem ab esu carnis abstinendi quaque Feria quarta, ob venditionem Christi eo die factam; siue (vt magis placet B. Augustino in Epistola 86. quæ est ad Casulanum) ob initum eodem die à Iudæis concilium de perdendo Iesu. Sanè pretium quo Iudas Dominum vendidit, triginta fuit argenteorum; quos constat inter Auctores, substantiuè pro speciali quodam numismatum genere esse accipiendos.

IVDAEI CONSVLTANT DE PERDENDO CHRISTO.

IVDAS IESVM VENDIT.

IEIVNIVM QVARTAE FERIAE VNDE EMANAVERIT.

8. Verùm, cuiusnam speciei ac valoris essent isti argentei, adeò controuersum est, vt non facilè quid sentiendum sit, determinari possit. Quamobrem operæpretium duximus hîc primò aliorum opiniones ponere, dein eas examinare, ac postremò nostram subiungere, vt vnusquisque de his iudicium ferre, & eam quæ sibi magis arriserit, recipere

DE ARGENTEI VALORE

cipere valeat. Quidam ergo (vt refert Iansenius in suæ Concordiæ Euangelicæ c.128.) putant hos argenteos significare denarios. Pendebat autem denarius drachmam vnam Atticam, vt ex Plinio, T. Liuio, Iulio Polluce, Plutarcho, & Cicerone fusiùs probat Andreas Alciatus in quodam suo Libello de Ponderibus & mensuris. vnde colligitur, eiusdem valoris olim fuisse denarium, cuius hodie est Iulius Romanus. Dicebatur namque denarius, quia decem asses æreos valebat, & quia decima pars erat aurei, seu scuti, vt nunc Romæ dicunt, monetæ, ad differentiam scuti ex auro, qui maioris est pretij. Ratio autem quæ hos adduxit, vt crederent dictos argenteos fuisse denarios, est, quoniam pro certo supponunt Iudam furari consueuisse decimum quemq; nummum ex his qui dabantur ei pro expensis Christo & discipulis eius faciendis; & propterea iacturam quam fecerat ex illa super caput Iesu effusione vnguenti valoris trecentorum denariorum, voluisse Christi venditione resarcire. Triginta enim denarij, decima pars sunt trecentorum. Alij, inter quos est Lyranus super Matthæi cap.26. crediderunt, vnumquemque dictorum argenteorum valuisse decem denarios, atque hoc pacto Iudam illis triginta argenteis totum dicti vnguenti pretium recuperasse, hoc est trecentos denarios. Tertia opinio, quæ fuit etiam Iansenij, putat triginta illos argenteos fuisse totidem siclos, quatenus scilicet hæc vox *Secel*, quæ Hebraicè significabat pondus semunciæ auri vel argenti (vt sub anno mundi 2179. num.3. diximus) etiam communiter accipiebatur pro numismate argenteo eiusdem ponderis. Et ratio Iansenij est, quia (inquit) familiare est Hebræis, argenteorum nomine, siclos accipere. Nam & indifferenter eos vocant, aliquando simpliciter siclos, aliquando simpliciter argenteos, aliquando iunctim siclos argenteos, vt patet 2.Reg.cap.18.vers.11. vbi Ioab cuidam militi dixit: *Et ego dedissem tibi decem argenti siclos.* & vers.12. ille respondit: *Si appenderes in manibus meis mille argenteos.* & ibi vtrobique textus Hebraicus habet *ceseph*, quæ vox argentum, siue argenteum substantiuè significat (caret enim lingua Hebraica vocabulis adiectiuis) Editio autem LXX. Interpretum vertit, *siclos argenti.* Iosephus verò 7. Antiquit.cap.9. eamdem historiam referens, habet *siclos.* vnde apparet, *argenteos* & *siclos*, & *siclos argenteos* apud Hebræos (vt diximus) pro vna eademque numismatum specie accipi consueuisse. Et hoc idem comprobari potest ex S.Hieronymo qui illa verba Isaiæ cap.7.vers.23. *Mille vites, mille argenteis.* ita exponit, vt singulæ vites singulis argenti siclis emendæ essent. Et illud Ierem.cap.32.vers.9. *Et appendi ei argentum septem stateres & decem argenteos*, sic interpretatur: *Et appendi argenti decem & septem siclos.* apertè indicans, *stateres*, & *argenteos*, & *siclos* fuisse nomina synonyma, id est, sub diuersis vocibus idem significantia. Et cum hac S.Hieronymi expositione concordat etiam versio LXX. Interpretum, quæ ibidem habet: *Et statui ei septem siclos & decem argenti.* id est, septemdecim siclos argenti. Neque verò hæc S.Doctoris & LXX. Interpretum expositio minùs recipienda est, quòd (vt putat Cardinalis Baronius loco eius inferiùs citando) sicli decem & septem non videantur fuisse satis pro iusto pretio agri à Ieremia coëmpti; quia tametsi ille ager tempore pacis longè plus valuisse dubio procul censendus sit, non tamen tunc temporis, quando tota Iudæorum regio ab exercitu Chaldæorum malè admodum diuexabatur. Rectè igitur ex his omnibus cum Iansenio videtur colligi posse, *argenteos* in sacris Scripturis solere pro *siclis* vsurpari. verumenimuerò idem Iansenius, licet cap.69. suæ Concordiæ Euangelicæ ostendisset, siclum pendisse valuisseque argenti semunciam, seu drachmas quattuor Atticas: nihilominùs cap.128. dubitat de prædicto sicli pondere & valore propter LXX. Interpretes, qui Genes.cap.20.vers.16. pro eo quod editio Vulgata habet, *Mille argenteos*, ipsi vertunt, *Mille didrachmas.* & cap.23.vers.15. vbi Vulgata legit, *Quadringentis siclis*, ipsi habent, *Quadringentis didrachmis.* & Exod.cap.30. vers.13.& 14. & Leuitic. cap.vlt. vers.25. & Numer.cap.3.vers.27.& 28. vbicumque Vulgata habet *siclum*, ipsi ponunt *didrachma.* est autem didrachma media pars sicli. Quibus aliisque similibus locis motus Iansenius, videtur in eam inclinare sententiam, quòd Christus triginta didrachmis venditus fuerit; *quemadmodum*, inquit, *præfert ille nummus, qui Parisiis exhibetur, de quo meminit Budæus lib.5. de Asse, ante medium, dicens: Scio hodie in æde D.Ioannis Lateranensis Parisiis ostendi argenteum vnum, qui ex illis triginta esse dictitatur, quos Iudas in templum abiecit, characterem diuersum à denario Romano habentem: habet enim effigiem hominis non lusçam eminente altera mala, vt Romana numismata; sed aduersam & integram, & à tergo flosculum, vtrimque nullo indice. Pondus, vt coniicere licet (non enim attrectatur, sed trans vitrum visitur) didrachmum esse potest, si satis commemini.* hæc ille. Alterum argenteum huic per omnia similem aiunt asseruari Romæ in Ecclesia S.Ioannis Decollati Florentinorum,

OPINIO QVORVMDAM.

LYRANI.

IANSENII.

tinorum; & tertium item eiusdem ponderis esse penes Dominum Remigium Florentinum, ipsemet testatur in Epistola ad Hieronymum Gerinum. Nos quoque alium prorsus eiusmodi vidimus, qui adhuc apud vnum ex nostris Patribus extat, & aurificis statera appensus, memorati ferè ponderis & valoris esse inuentus est. Et hi omnes, & si qui alij tales alibi habentur, communiter creduntur esse ex illis, qui à Iudæis dati fuerunt Iudæ vt proderet eis Iesum. Ex quibus omnibus confirmari posse videtur opinio Iansenij, quòd scilicet triginta argentei Iudæ dati, fuerint triginta didrachmata, quæ æquiualent sexaginta denariis seu Iuliis Romanis. Quarta sententia longè à prioribus diuersa, est Cardinalis Baronij in Appendice ad suos primi Tomi Annales, qui tenet, BARONII. singulos argenteos pendisse libram vnam, hoc est, vncias duodecim argenti; & sic oporteret triginta illos argenteos ad rationem octo denariorum pro qualibet vncia fecisse summam denariorum seu Iuliorum bis mille octingentorum octoginta. Mouetur autem Baronius ad sic sentiendum, primò, quia ex illis triginta argenteis emptus posteà fuit ager in sepulturam peregrinorum, quemadmodum ex Euangelio certum est. Atqui non videtur ager ille minoris comparari potuisse; quoniam, inquit, erat in Ierosolymæ suburbiis, quæ (auctore Iosepho) speciosissima ac pretiosissima habebantur; & inter ipsa suburbana, erat vrbi valdè propinquus. Item, quia cùm dicatur ager figuli, conijcere possumus ipsum fuisse argilla refertum pro vasis fictilibus conficiendis. & præterea, quia non fuit venditus tantummodò vsque ad annum proximi Iubilei, vt olim inter Iudæos, ex Lege Leuit. cap. 25. vers. 10. vsque ad 17. lata, fieri solebat; sed in perpetuum pro peregrinis sepeliendis. Ad hæc, quia creditur quòd ille ager fuerit satis amplus & spatiosus, vt scilicet in eo commodè infodi possent cadauera omnium peregrinorum, quorum (Iosepho teste) pænè infinitus erat numerus, quoniam ad celeberrimam illam Ierosolymæ ciuitatem, in qua sola erat templum Iudæorum, maxima sanè aduenarum multitudo religionis causa confluere solita erat; vt etiam colligi potest ex Actorum cap. 2. vers. 5. vbi dicitur, quòd *erant in Ierusalem habitantes Iudæi, viri religiosi ex omni natione, quæ sub cælo est*; & ibidem à vers. 9. vsque ad 12. plurima dictarum nationum nomina recensentur. Quæ omnia ita videntur augere illius agri pretium, vt iam credi posse non videatur, quòd triginta siclis argenti, vel etiam triginta aureis nummis emi potuerit; sed potiùs quòd longè maiori pretio, nimirum, vt diximus, triginta libris argenti fuerit coemptus. Ad cuius rei confirmationem adducit Baronius primò locum Zachariæ cap. 11. vers. 13. vbi hos triginta argenteos Propheta vocat *pretium decorum*. deinde doctrinam cuiusdam Eliæ Leuitæ Iudæi dicentis, quòd hæc vox *argenteus* si reperiatur in Pentateucho, significat *siclum*; si in Prophetis, *libram*; si in Hagiographis, *talentum*. vnde in casu nostro, quia S. Euangelista Matthæus refert hos argenteos ad Propheticam prædictionem, infert Baronius, pro vnoquoq; argenteo vnam argenti libram esse accipiendam. Et addit etiam ex S. Epiphanio, hoc nomen *argenteum* idem significare, quod apud Romanos *miliaresium*, quod erat donatiuum militare valoris centum & quattuor denariorum, hoc est decem circiter aureorum. vnde si tales fuissent triginta illi argentei, de quibus nunc agimus, oporteret eos fecisse summam trecentorum circiter aureorum.

9. Porrò ex quattuor hisce opinionibus, prima & secunda nullo solido fundamento, sed leuioribus dumtaxat coniecturis niti videntur, ideoque non facilè recipiendæ. REIICIVNTVR DVAE OPINIONES Tertia verò sententia, in eo saltem quod Iansenius, propter LXX. Interpretum editionem, admittere videtur, pretium venditionis Christi fuisse triginta didrachmata, nobis non placet; quia oportet LXX. Interpretes locis citatis vsurpasse *didrachma* pro *siclo*; alioquin falsum esset, quod iidem ibi tradunt, dicentes: *Dabunt quicumque transibunt ad visitationem dimidium didrachmatis*. cùm certissimum sit, quòd qui transibant ad visitationem, siue ad nomen, siue ad numerum, hoc est ad annum ætatis vigesimum in quo censeri incipiebant, tenebantur soluere dimidium siclum, id est, integrũ didrachma. Neque verò dicere possumus, LXX. Interpretes loqui de siclis communibus seu vulgaribus, quos aiunt dimidio minores fuisse siclis Sanctuarij, ac propterea pro siclo vertisse didrachma. Nam idem faciunt locis Exod. Leuit. & Numer. suprà citatis, in quibus Scriptura sacra manifestè loquitur de siclo Sanctuarij, vt ibidem apertè indicant tum illa verba, *Iuxta mensuram templi*; tum illa expressio ponderis seu valoris ipsius sicli toties repetita: *Siclus viginti obolos habet*. intellige Hebraicos, qui faciunt obolos Atticos vigintiquattuor. Hebraicus namque obolus erat maior quinta parte obolo Attico, vt tradit Didacus Couarruuias in Libro cui titulus est, *Veterum collatio numismatum*, cap. 2. num. 9. Obolus verò Atticus erat sexta pars drachmæ Atticæ, vt idem Di-

dacus ibidem num.8. ex multis Auctoribus confirmauerat. Si ergo sex oboli Attici faciebant drachmam vnam Atticam; vtique oboli vigintiquattuor Attici, qui æquipollebant obolis viginti Hebraicis, faciebant drachmas quattuor, hoc est semunciam. Igitur siclus Sanctuarij valebat quattuor argenti drachmas Atticas (quemadmodum disertis verbis tradunt Iosephus Antiq.lib.3.cap.9. & S.Hieronymus lib.1.in Ezechielem c.4.) non autem duas tantùm, vt videntur putasse LXX. Interpretes: quos ne cogamur dicere aduersari Hebraico textui & Vulgatæ editioni Latinæ, præstat opinari vsurpasse, vt diximus, vocabulum *didrachma* pro *siclo*. Quarta opinio, quæ est Baronij, ipsa quoq; nobis minùs arridet, immò nec omnino probanda videtur: quoniã non est verisimile, quòd tunc temporis in communi vsu cudi solerent argentei pondo vnius libræ, ac valoris decem ferè aureorum. Nam quidquid sit de illo numismate, quod specialiter certis temporibus ad donatiua militaria facienda cudebatur; non videtur probabile, quòd quæ data sunt Iudæ, fuerint ex illis; sed potiùs quòd essent ex his argenteis nummis, qui tunc Ierosolymis communiter expendi solebant. Neque item probabile est, quòd Iesus, qui sibi præferri Barabbam, & in ceteris omnibus passionis suæ actibus mira humilitatis documenta ostendere voluit, permittere voluerit se tanto pretio vendi. & magnitudo pretij quoquomodò videretur excusare seu diminuere peccatum Iudæ, quod tamen fuit maximum; & tanto maius, quanto minori pretio Dominum vendidit. Denique si vera esset opinio Baronij, perperàm permitterent Ecclesiarum Prælati in ædibus sacris decenter asseruari, publicæque deuotionis ergò ostendi argenteos illos numero præcedente memoratos: sunt enim ponderis tanto minoris, vt vel hoc ipso perspicuè rei falsitatem proderent. Sed neque difficile est respondere argumentis à Baronio in contrarium adductis. Nam ad id quod ait, ex hisce triginta argenteis coemptum fuisse agrum non ad tempus, sed in perpetuum pro aduenis in eo sepeliendis, qui ager (quòd valdè multi ex diuersis orbis terræ partibus ad augustissimum illud templum confluerent) sanè admodum amplus esse debuit, & consequenter magni pretij. Nos econuersò dicimus, Multò probabilius videri, quòd nec magni pretij, nec valdè amplus fuerit; quia tametsi esset proximus ciuitati, tamen verisimile est quòd fuerit arenosus, & sepeliendis cadaueribus quàm ferendis frugibus accommodatior. Non enim quòd appellaretur, *Ager figuli*, necessariò arguit, ipsum habuisse terram fictilem; sed magis quòd à figulo diu possessus fuerit. Neque emptus creditur in sepulturam omnium peregrinorum, sed tantummodò pauperum peregrinorum, vt planè colligitur ex S.Hieronymo, qui in libro de Locis Hebraicis in Actis, *Haceldama*, inquit, *ager sanguinis hodie quoque demonstratur in Aelia ad Australem plagam montis Sion, & hactenus iuxta Iudæorum consilium, mortuos ignobiles alios terra tegit, alios sub dio putrefacit.* hæc ille. Ratio quoque ipsa dictat esse credendum, quòd nobiles ac diuites nullo pacto vellent sua corpora in communi pauperum atque ignobilium arenario sepeliri, sed mallent sibi propria monumenta in locis honorabilioribus fabricari. Quare non oportet agrum illum fuisse tam amplum, cùm ad pauperculos tantùm promiscuè sepeliendos, vnius circiter iugeris agellus sufficere potuisse videatur. Sed esto, fuerit multò amplior & magni pretij; non tamen sequitur, quòd triginta illi argentei fuerint tanti valoris vt sentit Baronius: quia nihil obstat opinari, de thesauro templi suppletum fuisse quod ad iustum pretium illi minus erant. Nam ex illis verbis Actorum cap. 1. vers.18. *Et possedit agrum de mercede iniquitatis*, non necessariò inferri potest, totum illud pretium fuisse nequiter acquisitum: sufficit enim quòd notabilis eius portio, & illa præsertim quæ fuerat causa illius emptionis, ex iniqua pactione contracta fuerit. Sed quisnam sit legitimus sensus dictorum verborum, nos infrà num. 16. aperiemus. Ad locum Zachariæ adductum, dicimus cum Lyrano ibidem, Triginta argenteos dici *pretium decorum* ironicè, ad demonstrandum quàm fuerit indecorum & vile; sicuti cùm de nano & pygmæo dicimus, Ecce quàm magnus gigas. Ad illius Hebræi doctrinam respondere possumus; eam non esse præferendam Sacris textibus, qui etiam in libris Prophetarum, vbi Latinè legimus *argenteum*, Græcè non habent λίτραν, nec vllam aliam vocem Hebraicam, quæ significare possit libram; sed habẽt *secel*, hoc est, siclum, vt manifestè videri poterit tum 2.Reg.cap.18.vers.12. tum etiam Isaiæ cap.7. vers.23. & Ierem. cap.32.vers.9. quemadmodum num. præcedenti ex S. Hieronymo probatum est. & præterea ad memoratam doctrinam confirmandam, probandum esset, siclum temporibus Prophetarum pendisse libram vnam argenti. Atqui oppositum habemus Ezechielis cap.45.v.12. vbi apertè dicitur: *Siclus viginti obolos habet*, (intellige Hebraicos, vt paulò superiùs ostensum est.) Quare non facilè vni Rabbino credendum

RESPONDETVR ARGVMENTIS BARONII.

dum est, præsertim quando non solùm sine vlla probatione loquitur, verùm etiam Sacro eloquio aduersantia pronuntiare non veretur. Ad S. Epiphanium, dicere debemus, Non esse mirandum, quòd eius tempestate argentei nomen significaret speciale illud numisma, quod pro militari dono dari consueuerat; & quod esset valoris centum & quattuor denariorum; sed probari non potest, quòd tales argentei essent in vsu in communibus contractibus apud Hebræos & Christi temporibus; & quòd eiusmodi fuerint illi qui dati sunt Iudæ.

10. Itaque relictis hisce quattuor aliorum opinionibus, nobis multò probabilius dicendum videtur, illos triginta argenteos fuisse numismata tunc maximè apud Iudæos vsitata. & quia nullum tale inuenimus in Sacro eloquio sæpiùs memorari, quàm denarium & siclum, & ratio dictat non fuisse denarios; quia videtur nimis durum credere, quòd vel Iudas propter triginta denarios, qui vix faciunt tres aureos, voluerit tantum facinus patrare; vel quòd de tam modica summa dignum duxerint Pontifices in pleno Concilio tractare, quomodo deberet expendi & implicari, vel quòd ex ea agrum coëmi debere censuerint: propterea magis credendum putamus fuisse triginta siclos, quemadmodum cum Iansenio pluribus sacræ Scripturæ locis suprà num. 8. ostendimus. Siclos, inquam, non (vt ipse Iansenius sensisse visus est) didrachmata, vel siclos communes seu vulgares, sed Sanctuarij (de ipso enim Sanctuarij thesauro sumpti fuerunt) quorum singuli pendebant argenti semunciam, siue obolos viginti Hebraicos, Atticos verò vigintiquattuor, siue drachmas quattuor Atticas, quæ dicuntur æquiualere quattuor denariis seu Iuliis Romanis, vt sentiunt lateque probant Alciatus & Couarruuias locis citatis, & alij quotquot De ponderibus & numismatibus scripserunt. Idem confirmari potest ex Euangelio Matthæi cap. 17. vers. 24. & 26. vbi apertè indicatur, siclum valuisse duo didrachmata. Dicitur enim quòd Petrus, iacto in mari hamo, & (quemadmodum ei iniunxerat prædixeratque Iesus) inuento in ore piscis primò capti statere seu siclo (sunt enim hæc nomina synonyma, vt ex S. Hieronymo locis suprà num. 8. adductis probatum est, & ex eodem super Ezechielis cap. 4. comprobari potest) de illo statere seu siclo soluit binum didrachma, nempe alterum pro Christo, & pro se alterum. Ex quibus omnibus apertissimè colligitur, triginta illos argenteos Iudæ datos, fecisse summam drachmarum, seu denariorum, siue Iuliorum centum viginti. Quod quidem pretium & videtur fuisse admodum vile respectu personæ Christi, & non modicum pro agello in sepulturam peregrinorum comparando: præsertim cùm illis temporibus non tanta esset nummorum copia, quantam nunc esse videmus; vt vel hinc haud obscurè inferri potest, quòd tunc vnus denarius erat iusta merces diurna vnius operarij, quemadmodum patet Matthæi cap. 20. vers. 2. & 14. nunc autem duo denarij, & quandoque tres vix sufficiunt ad eiusmodi operam conducendam. Neque verò est, quod huic nostræ opinioni quis opponat, quòd illi argentei qui adhuc extant, & ex his esse creduntur quibus venditus fuit Iesus, singuli vnum tantùm didrachma pendere dicantur; quia non inconuenit, inter illos triginta siclos, plures quoque fuisse semisiclos, in illa triginta siclorum dinumeratione duplicatos. Et hæc sunt quæ de dictis triginta argenteis hîc habui dicenda. Prosequamur historiam.

AVCTORIS SENTENTIA.

☞ 11. Ante diem festum Paschæ, Ioan. cap. 13. vers. 1. nempe Feria quinta, quæ tunc fuit dies decima quarta mensis primi, qui dicebatur Nisan, (in cuius diei vespera immolandus erat agnus Paschalis, iuxta præceptum Domini datum Exod. cap. 12. v. 6.) misit Iesus duos de discipulis suis Petrum & Ioannem in Ierusalem, vt præpararent Pascha. Solebat autem idem dies nonnumquam etiam appellari primus Azymorum; quia ad vesperam illius diei incipiebant vesci azymis, vt cap. Exod. citato vers. 18. mandatum fuerat: propterea reliqui Euangelistæ, videlicet SS. Matthæus cap. 26. vers. 17. Marcus cap. 14. vers. 12. & Lucas cap. 22. vers. 7. secuti vulgarem loquendi consuetudinem, dixerunt id factum esse prima die Azymorum. Et ne putaremus eos significare voluisse diem decimamquintam, quæ tum inciderat in Feriam sextam, & quæ ipsa quoque dicebatur prima Azymorum; apertè declararunt se, Marcus subiungens, *quando Pascha immolabant*; & Lucas pariter addens, *in qua necesse erat occidi Pascha*, hoc est, agnum Paschalem; quod debuisse fieri ad vesperam diei decimæquartæ, iam probatum est.

MITTIT IESVS QVI PARENT PASCHA.

12. Itaque dicta die decimaquarta mensis primi, cùm Petrus & Ioannes, paratis omnibus quæ pro Phase celebrando opus erant, reuersi essent; venit Iesus ad vesperam, hoc est inclinante iam die, cum duodecim; & immolauerunt agnum Paschalem occidente iam sole, manducaueruntq; illum ritu consueto nocte illa, id est, post solis occasum.

MANDVCAT PASCHA CVM DISCIPVLIS SVIS.

ALIA EIUS IN COENACULO GESTA.

casum. Deinde surgens à cœna Iesus, discipulorum pedes lauit: neque hoc tantùm exemplo, sed breui quoque eos hortatione ad humilitatem mutuamque inter se charitatem sectandam inflammauit. Ad hæc tamquam verus ac summus Legislator, & pius pater, morti proximus, veteri antiquato, nouum æternumque suum condidit testamentum; in quo per institutionem sanctissimi Eucharistiæ Sacramenti, seipsum sub speciebus panis & vini, & ex consequenti sua omnia fidelibus dereliquit; necnon eodemmet tempore discipulos suos illis verbis, *Hoc facite in meam commemorationem*, Sacerdotes, & eiusdem Sacramenti conficiendi ac distribuendi idoneos ministros instituit, eisque Episcopalem in Ecclesia sua potestatem auctoritatemque impertiuit. Prædixit insuper se à Iuda tradendum. Et contentionem de primatu inter discipulos suos denuò exortam, benigna ad humilitatē hortatione compescuit. Subobscurè item insinuauit Apostolis, talem sibi instare persecutionem, vt meritò ipsi ad eius defensionem, deberent tunc proprias etiam tunicas vendere, & gladios emere, memores diuinæ prouidentiæ, quam experti fuerant quando sine humanis subsidiis à se missi sunt prædicare, & nihil defuit eis. verumtamen quia oportebat impleri omnia quæ de ipso eiusque passione scripta erant, propterea non opus esse gladiis eam impedire. Et hoc est quod videtur colligi posse ex illis (Luc. cap. 22. vers. 35. vsque ad 39.) verbis: *Quando misi vos sine sacculo*, &c. Denique habito ad eos longiore sermone, plurima ipsis tunc præcipuè necessaria salutis monita dedit, enixeque pro eisdem æterno Patre exorato, & hymno dicto, exiit inde cum eis: Matthæi cap. 26. vers. 17. vsque ad 36. Marc. cap. 14. vers. 12. vsque ad 32. Luc. cap. 22. vers. 7. vsque ad 39. Ioan. cap. 13. vsque ad 18. Possumus autem satis probabiliter coniicere, prædicta omnia quæ in sacro illo cœnaculo gesta sunt, vsque ad secundam circiter horam noctis perdurasse: nam si iam nox erat quando agnum typicum cōmederunt, vt præceptum fuerat Exod. c. 12. vers. 8. & item quando sanctissimum Eucharistiæ Sacramentum institutum fuit, quemadmodum expressè testatur Apostolus 1. ad Cor. cap. 11. vers. 23. dicens: *Quoniam Dominus Iesus in qua nocte tradebatur, accepit panem*; &c. proculdubiò tam multa quæ ibidem acta sunt, puta esus agni Paschalis, ablutio pedum, institutio sanctissimi Sacramenti, cœna ordinaria, & longior ille sermo à S. Ioanne descriptus, & eiusmodi alia, non ante secundam noctis horam perfici potuisse videntur. Dixi hæc acta fuisse non ad vesperam diei decimætertiæ primi mensis, vt crediderunt Græci; sed ad vesperam diei decimæquartæ eiusdem mensis, vt est communis Ecclesiæ Latinæ sententia, quam Franciscus Suarez in parte 3. S. Thom. quæst. 50. art. 6. disput. 40. sect. 2. fusissimè ac neruosè admodum confirmat multis sacri Euangelij textibus, & SS. Patrum auctoritatibus, ac ratione; & respondet obiectionibus, quæ in contrarium adduci possent. Quæ sententia si vera est, vt credimus, proculdubiò reiicienda est alia quoque Græcorum opinio, quæ ponit, Christum in pane fermentato, non autem azymo consecrasse; & consequenter, ita in sacrosancto Missæ Sacrificio à Sacerdotibus esse faciendum. Nam certissimum est quòd in dicta vespera diei decimæquartæ vi præcepti diuini, quod habetur Exod. cap. 12. vers. 18. Hebræi incipiebant vesci azymis; & sic faciebant vsque ad diem vigesimam primam eiusdem mensis; & intra illos septem dies non solùm edere panem fermentatum, sed nec in domibus suis illum habere permittebantur, vt patet loco Exodi citato vers. 19. Ergo non potuit Christus, diuinæ Legis obseruantissimus, in fermentato pane sanctissimum Eucharistiæ Sacramentum conficere, quod proculdubiò post esum agni typici instituit; & consequenter rectè Sacerdotes quoque fermentatum panem consecrare prohibentur.

DE COENACULO EXIENS QUAE IN VIA EGERIT.

13. Exacta igitur, vt credimus, secunda noctis hora, exiuit de cœnaculo Iesus cum discipulis suis, ac de more pergens trans torrentem Cedron in montem Oliueti, vbi iam per aliquot dies noctu manere consueuerat, vt suprà num. 6. probatum est; in via prædixit eis scandalum quod in eius passione ac morte passuri erant, & trinam Petri, qui præ ceteris confidentior videbatur, negationem; atque inter hæc simul quoque eos præmonuit de sua die tertio resurrectione, & quòd præcessurus eosdem erat in Galilæam.

QUAE IN PRAEDIO GETHSEMANI.

Cùm autem peruenisset ad prædium nomine Gethsemani, relictis ibi discipulis vt orarent; ipse, assumptis secum Petro, Iacobo, & Ioanne, cœpit pauere, & tædere, & mœstus esse; & auulsus ab eis quantum iactus est lapidis, positis genibus cecidit in faciem suam, quod olim prædixerat Ieremias Threnorum cap. 3. vers. 29. dicens: *Ponet in puluere os suum, si fortè sit spes.* Atque ita semel iterumque & tertiò orauit. Quid autem orauerit, indicat Euangelicus textus illis verbis: *Abba Pater, omnia tibi possibilia*

sunt,

sunt, transfer calicem hunc à me; sed non quod ego volo, sed quod tu. Quæ oratio similis est illi, quam paucis antè diebus fecerat in Ierusalem, quando, vt scribit sanctus Ioan. cap. 12. vers. 27. & 28. occasione quorumdam Gentilium, qui volebant videre eum, recolens Iesus in proximo esse tempus passionis suæ, turbauit semetipsum, dixitque, *Nunc anima mea turbata est. Et quid dicam? Pater, saluifica me ex hac hora.* Et protinus addidit: *Sed propterea* (id est vt pro mundi redemptione moriar) *veni in horam hanc. Pater, clarifica nomen tuum.* Illud enim, *Saluifica me*, idem est cum eo quod posteà in horto dixit: *Transfer calicem hunc à me.* Illud autem, *Clarifica nomen tuum*, vtiq; idem significat, ac si dictum esset: Fac me facere voluntatem tuam propter quam me misisti, nimirum, vt in hoc maximè clarificetur nomen & misericordia tua, quòd vt seruum redimeres, Filium tradere non recusasti. Vtrobique ergo eodem ferè modo orauit cum magna animi afflictione pius Dominus; sed in horto cum multò maiori & vehementius: nam vt ibi pro nobis magis non in affectu sensibili tantùm, sed etiam in sua naturali voluntate pateretur, proposuit sibi ante oculos mentis omnia tormenta quæ passurus erat; quæ quidem tamquam maximum quoddam pœnæ malum, naturalis eius volūtas summopere abhorrebat atque auersabatur. Vt autem hæc vehementia naturalis huius horroris, quo se intus opprimi permisit, etiam aliquo modo foris innotesceret, ne alioquin fortè quis ipsum diuina virtute ad illas passiones perferendas insensibilem redditum suspicari posset; vi interioris maximæ illius angustiæ, compulsus est foris erumpere in verba illa mœstitiæ plena, & rogare Patrem, quem sciebat non esse exauditurum, vt eum ab illis pœnis eriperet. Et hoc est quod Regius Propheta in spiritu longè antè præuidens, & ipsius Christi personam induens, in Psal. 21. vers. 2. dicebat: *Clamabo per diem, & non exaudies; & nocte, & non ad insipientiam mihi.* alludens, vt arbitror, Propheta ad memoratam Christi orationem primò Ierosolymis interdiu, mox in horto noctu factam. Non ergo insipientia, sed maxima Christi sapientia fuit, tunc petere à Patre quod se minimè impetraturum non ignorabat; cùm non aliter meliùs immensam illam naturalem ad tormenta perferenda, quam sentiebat renitentiam atque auersionem, & pariter ingentem quam nostri gratia de se ipso tulit victoriam, indicare posse videretur. Sanè illis verbis, *Pater, si vis, transfer calicem istum à me: verumtamen non mea voluntas, sed tua fiat*, duo petiuit Iesus inter se omnino contraria. Alterum, à passione & morte liberari. Alterum, vt iuxta Patris voluntatem, per crucem, & mortem, & resurrectionem suam redimeret genus humanum. Secunda petitione exclusit primam. Prima fuit actus naturalis eius voluntatis, quæ passionem mortemque renuebat eo modo quo naturaliter infirmus insuauitatem respuit medicinæ, & ferrum, & ignem. Secunda fuit actus deliberatæ voluntatis, quæ nihilominùs pro nostra salute pati decreuit, non secùs ac solent ægroti pro sanitate adipiscenda velle omnino sumere medicinam quantumuis gustui ingratissimam, & vri, & secari. Prior petitio fuit conditionalis, videlicet, si Patri placuisset. Posterior simpliciter & absolutè prolata & intenta. Prima à Patre non fuit exaudita, quemadmodum prophetatum fuerat in Psal. proximè citato: *Clamabo per diem, & non exaudies*, &c. & Thren. cap. 3. vers. 8. *Sed & cùm clamauero, & orauero, exclusit orationem meam.* nimirum quia non absolutè, vt dictum est, facta fuerat. Secundam verò petitionem absolutè & sine vlla conditione propositam, exaudiuit Deus, iuxta id quod Ioan. cap. 11. vers. 42. dicebat Iesus Patri: *Ego autem sciebam, quia semper me audis.* videlicet, quando absolutè aliquid peto. Porrò hanc Christi orationem credimus esse illam, cuius meminit Apostolus ad Hebr. cap. 5. vers. 7. dicens: *Qui in diebus carnis suæ preces supplicationesq; ad eū, qui posset illum saluum facere à morte, cum clamore valido & lacrymis offerens, exauditus est pro sua reuerentia.* Nam etsi non desint qui putant ibi Apostolum loqui de Christi oratione facta in cruce, vbi certum est ipsum orasse cum clamore valido, quando clamans voce magna ait: *Pater, in manus tuas commendo spiritum meum:* Luc. cap. 23. vers. 46. qua oratione aiunt ipsum petiisse liberari à morte, hoc est, post mortem celeri resurrectione ad vitam restitui: attamen videtur Apostoli verba etiam, & fortè magis posse pertinere ad orationem in horto habitam, in qua perspicuè Christus petiit à morte liberari; quod non legitur fecisse in cruce, vbi nec talis petitio videbatur opportuna. & admodum credibile est, ipsum præ nimia mœstitiæ vehementia, qua in horto opprimebatur, validè etiam ibi ad Patrem exclamasse illis verbis: *Pater, si possibile est*, &c. & ab aliquo saltem ex Apostolis tunc expergefacto auditam, ac posteà vulgatam fuisse hanc eius orationem. Ceterùm quod ait Apostolus, Christum fuisse exauditum, non debet intelligi de prima eius petitione, sed de secunda; vt planè indicat quod sequitur: *Pro sua reuerentia.* id est, propter

illam profundissimam reuerentiam & summissionem animi & corporis, quam ostendit erga Patrem, quando positis genibus, cadensque in faciem suam, rogauit fieri voluntatem Patris, & vt ei morem gereret, mortem & tot tantaque tormenta, quæ sensus ac naturalis eius voluntas valdè admodum renuebat horrebatque ad expianda mundi peccata, subire non recusauit, immò expetiuit, dicens: *Non mea voluntas, sed tua fiat.* Exauditus ergo fuit, non vt non moreretur; sed vt peracta generis humani redemptione, deuicta morte gloriosus resurgeret. Hoc enim est quod absolutè petiit & obtinuit, quia sciebat mortem pariter & resurrectionem suam necessaria fore ad salutem nostram, quam tantopere sitiebat. Et hæc est illa petitio & exauditio, quam multò anteà non semel prædixerat Dauid loquens in persona Christi, nimirum in Psalm.40. vers.11. *Tu autem Domine miserere mei, & resuscita me.* & item in Psalm. 3. vers. 5. *Voce mea ad Dominum clamaui, & exaudiuit me de monte sancto suo.* Vbi statim subiungit in quonam fuerit exauditus, inquiens: *Ego dormiui & soporatus sum, & exurrexi.* & in Psalm. 21. qui manifestè est de passione & resurrectione Christi, vers. 21. ait: *Et cùm clamarem ad eum, exaudiuit me.* & in Psalm. 27. qui pariter iuxta expositionem SS. Hieronymi & Augustini est de passione & resurrectione Domini, vers. 2. dicit: *Exaudi vocem deprecationis meæ dum oro ad te*, &c. vbi posteà vers. 8. subdit: *Benedictus Dominus, quoniam exaudiuit vocem deprecationis meæ.* & vers. 10. explicans hanc exauditionem, ait: *Et refloruit caro mea*, &c.

14. Accidit autem in hac Christi oratione facta in horto magnum quoddam & anteà inauditum prodigium; siquidem bonus Dominus cùm prolixiùs oraret, in maximam incidit agoniam: nam cùm horrenda quæ ei instabant tormenta, ipsomet permittente arctius imaginationi eius infixa, vehementissimum ei terrorem incuterent; illicò sanguis eius naturaliter ad cor pænè totus rapiebatur, ipsumque premebat, admodumque coarctabat, simulque reliqua membra veluti exanguia relinquebat. Cùm autem ipse Iesus se colligeret, & præ animi magnitudine ac patiendi ardore spiritum erigeret, confestim sanguis eius ad circumferentiam impulsus prorumpebat; rursumque timore correptus, ad interna ferebatur; sicque eiusmodi fluxu & refluxu sæpiùs repetito, cùm diu multumque pius Dominus magnis hisce conflictationibus agitaretur; tandem in eo conflictu, salutis nostræ desiderio præualente, tanto impetu sanguis eius ad exteriora delatus ac diffusus confluxit, vt vndique per cutis poros adinstar sudoris erumperet, atque in terram guttatim deflueret. Quomodo autem hæc, quæ seorsum ab Apostolis, & nullo præsente acta sunt, postmodum patefacta fuerint, nullibi scriptum reperi. Non tamen dubitare debemus, eadem posteà diuinitus reuelata fuisse vel Apostolis, vel beatissimæ Virgini, à qua sanctus Lucas, qui hæc scripsit, multa alia didicisse creditur, quæ alij Euangelistæ non scripserunt. Denique Dominus Iesus ab Angelo quoque confortatus, ad discipulos suos tertiò rediit; quibus à somno excitatis, obuiàm Iudæ processit: à quo fraudulento traditus osculo Iudæis, illi primò quidem diuino metu perculsi, retrorsum in terram ceciderunt; mox ipsomet Iesu vltrò permittente, eum tenuerunt. Quod non ferens Petrus, confestim euaginato gladio, ac percutiens, vni eorum auriculam dexteram amputauit: sed eam Iesus illicò sanam restituit; & graui oratione compresso Petri conatu, ac de Iudæis pariter conquestus, quòd tamquam ad latronem cum fustibus & armis comprehendendum, noctu ad se accurrissent, qui quotidie palàm versari soleret in templo: tandem à propriis discipulis derelictus, præterquam à Petro & Ioanne, qui eum de longè sequebantur, ductus est primò (nimirum, vt creditur, in transitu) ad Annam Caiphæ socerum; deinde ad ipsum Caipham Pontificem, vbi Scribæ ac seniores conuenerant: Matthæi cap. 26. vers. 30. vsque ad 59. Marc. cap. 14. vers. 27. vsque ad 55. Luc. cap. 22. vers. 31. vsque ad 55. Ioan. cap. 18. vers. 1. vsque ad 16. Porrò memoratam sui derelictionem prædixerat Dominus Matthæi cap. 26. vers. 31. & Marci cap. 14. vers. 27. illis verbis: *Omnes vos scandalum patiemini in me in ista nocte. Quia scriptum est* (nimirum Zachariæ cap. 13. vers. 7.) *Percutiam pastorem, & dispergentur oues.* Et clariùs idem prænuntiauerat Apostolis Iesus, Ioannis cap. 16. vers. 32. dicens: *Ecce venit hora, vt dispergamini vnusquisque in propria, & me solum relinquatis.* Quod & olim prophetauerat Dauid in fine Psalm. 87. vbi in persona Christi (totus enim ille Psalmus est de passione Saluatoris) dicit Patri: *Elongasti à me amicum & proximum, & notos meos à miseria.* Credi autem satis rationabiliter potest, tunc iam propè expletam fuisse sextam noctis horam, quando Iesus Caiphæ est præsentatus: nam in itinere de cœnaculo ad hortum, qui erat in monte Oliueti, ad quem lento gradu docensque processerat; & ab

DVCITVR AD ANNAM ET CAIPHAM PONTIFICEM.

horto ad Caipham, computata aliquantula mora in domo Annæ, vnius pænè horæ spatium transisse credibile est, & alias item horas circiter tres in horto, vt colligi potest ex illis verbis Matthæi cap. citato vers. 40. vbi post primam orationem dixit Petro: *Sic non potuistis vna hora vigilare mecum?* & ex eo quòd Lucas cap. adducto v. 43. Iesum ibi prolixiùs orasse commemorat. Vnde ad duas alias horas videtur protraxisse orationem.

15. Itaque à media nocte vsque manè, hoc est sex circiter horarum spatio (erat enim tunc tempus Æquinoctij Vernalis) multa passus est Iesus in domo Caiphæ. Primò namque coram Pontifice ab impio eius ministro grauiter in maxilla percussus fuit: deinde ibidem in concilio à multis falsis testibus perperàm accusatus: mox ab ipsomet Pontifice Caipha adiuratus, cùm se Christum esse confessus esset, tamquam blasphemus & reus mortis, communi omnium consensu iudicatus est: ac subinde, tum ab in concilio existentibus, tum ab eorum ministris, plurimis affectus iniuriis, sputis fœdatus, ac velata facie variè illusus, & multimodis cæsus fuit: denique in custodiam traditus, ab ipsis quoque custodibus toto illo noctis residuo multipliciter vexatus atque afflictus fuisse creditur; præter id quod à Petro pertulit, qui interim ter, ante secundum galli cantum, ipsum negauit: Matthæi cap. 26 vers. 59. vsque ad finem capitis, Marc. cap. 14. vers. 55. vsque ad finem, Luc. cap. 22. vers. 55. vsque ad 66. & Ioan. cap. 18. vers. 16. vsque ad 28. Ceterùm, quæ passus est Christus à Iudæis in domo Caiphæ, videtur longè antè in spiritu præuidisse, atque ex ore ipsius Christi deplorasse sanctus Iob cap. 16. vers. 9. vsque ad finem capitis, & præcipuè primis illis verbis: *Suscitatur falsiloquus aduersus faciem meam contradicens mihi. Collegit furorem suum in me, & comminans mihi infremuit contra me dentibus suis. Hostis meus terribilibus oculis me intuitus est.* (hucusque positus videtur numerus singularis pro plurali.) Sequitur: *Aperuerunt super me ora sua, & exprobrantes percusserunt maxillam meam, satiati sunt pœnis meis. Conclusit me Deus apud iniquum* (subaudi Caipham,) *& manibus impiorum* (hoc est eorum qui cum eo erant in concilio) *me tradidit.* reliqua videat, si placeat, pius Lector loco citato. Eadem paucis prænuntiarunt Ieremias Thren. cap. 3. vers. 30. dicens: *Dabit percutienti se maxillam, saturabitur opprobriis.* & Isaias cap. 50. vers. 6. ex persona Christi inquiens: *Corpus meum dedi percutientibus, & genas meas vellentibus: faciem meam non auerti ab increpantibus & conspuentibus in me.* Quæ omnia videtur Christus posteà iterùm passus à Gentibus, quando milites Pilati post flagella conuocauerunt ad eum in Prætorium vniuersam cohortem, & variis modis percutientes & exprobrantes illuserunt ei, vt habemus Matthæi cap. 27. vsque ad 31. & Marc. cap. 15. vers. 16. vsque ad 20.

QVAE PASSVS SIT IN DOMO CAIPHAE TOTA NOCTE.

16. Postera die, quæ fuit Feria sexta, & dies decimaquinta eiusdem primi mensis, & primus dies Azymorum, manè facto, confestim Caiphas congregato iterùm concilio, rursus interrogauit adiurauitque Iesum, vt diceret si ipse erat Christus filius Dei: quo ratificante quod præcedente nocte pronuntiauerat; omnes denuò ipsum vt blasphemum ac mortis reum condemnarunt. Verumtamen anxij erant de modo: nam ex vna parte videbant se tunc ab executione sententiæ impediri propter festa Paschalia, intra quæ etiam de Præsidis licentia non videbatur eis licitum esse occidere quemquam: (hac namque de causa, vt legimus Actorum cap. 12. vers. 4. etiam Herodes Agrippa Rex, cùm esset Iudæus, & in diebus Azymorum apprehendisset Petrum, iussit eum seruari in carcere, volens post Pascha producere eum populo.) Ex alia verò parte metuebant, ne si necem Christi post Pascha differrent, interim à populis ad sollemnitatem confluentibus, qui vt Prophetam eum habebant, aut vi raperetur, aut relaxari ac liberari omnino posceretur, efflagitaretur, postularetur. Dum ergo hæc inter se agitarent, probabile est non defuisse etiam, qui tunc maligna (vt olim prædixerat Ieremias cap. 11. vers. 9.) cogitantes consilia, Iesum veneno clàm interficiendum proponerent, dicentes: *Mittamus lignum in panem eius, & eradamus eum de terra viuentium, & nomen eius non memoretur ampliùs.* sed quia timebant sibi à populis & à Præside si facinus vulgaretur; & propter odium intestinum quo Iesum prosequebantur, non illum tantummodò occidere, verùm etiam turpissima morte condemnare, eiusque famam in populis omnino obscurare ac maculare cupiebant; callidè statuerunt, non quidem petere à Pilato facultatem ipsum interficiendi, ne ipsi contaminarentur, & scandalum populis iniicerent; sed tradere Iesum Præsidi, instantes vt ipse eum per ministros suos gentiles cruci quantocyùs affigi curaret. Horum malitiam benè detegit S. Augustinus super Psalm. 63. his verbis: *Non dicant Iudæi, Non occidimus Christum.*

QVAE SVMMO MANE.

Christum. Etenim propterea eum dederunt Iudici Pilato, vt quasi ipsi à morte eius viderentur immunes. Nam cùm dixisset eis Pilatus, Vos eum occidite: responderunt, Nobis non licet occidere quemquam. Iniquitatem facinoris sui in iudicem hominem refundere volebant: sed numquid Deum iudicem fallebant? sic ille. Huc quoque spectant quæ scribit S. Leo Papa in Sermone suo de Passione Domini 6. vbi post illa verba, *Vinctum Iesum Pilato Præsidi tradiderunt*, protinus subdit: *Principes enim Sacerdotum & seniores populi hoc consilio rem gerebant, vt ab actione sceleris sui viderentur immunes: subtrahentes opera manuum, & exercentes tela linguarum; nolentes interficere, & clamantes, Crucifige. Quid hac specie religionis iniustius? quid hac clementiæ simulatione crudelius? Qua Lege, Iudæi, quod vobis non licet facere, licet velle? Qua ratione, quod corpora polluit, corda non lædit? contaminari occisione eius metuitis, cuius super vos & super filios vestros fundi sanguinem postulastis? Si non totum facinus vestra impietas peragit, permittite Præsidem iudicare quod sentit. Sed vos etiam in ipsum graues atq; violenti, in idem declinare non sinitis, à quo ipsi mendaciter abstinetis. Peccauerit Pilatus faciendo quod noluit: in vestram tamen conscientiam confluit quidquid furor vester extorsit.* hæc & huiusmodi alia ibidem prosequitur S. Pontifex. Verùm illud quoque hoc diabolico suo consilio assequebantur Iudæi, seu eorum Pontifices, quòd hac ratione Iesum ipsis valdè infensum atrociori ac probrosiori mortis genere mulctabant, quàm si ipsi eum occidissent; qui blasphemos non patibulis affigere, sed lapidibus obruere solebant. Et hoc (inquit S. Ioannes Euangelista cap. 18. vers. 32.) factum est vt adimpleretur quod prædixerat Dominus significans qua morte esset moriturus; nimirum se *gentibus tradendum ad illudendum, & flagellandum, & crucifigendum.* Itaq; iussu Caiphæ Pontificis, vinctus Iesus ducitur ad Pilatum; ad què etiam non multò pòst venit idem Pontifex, & qui cum eo fuerant in concilio; vt accusarent eum. Qui tamen non introierunt in Prætorium, ne contaminarentur, ac tamquam immundi prohiberentur manducare Pascha. Et hìc *Paschæ* vocabulo non agnum Paschalem debemus accipere: siquidem illum hesterno iam vespere, iuxta Legis ritum, manducauerant; sed alias quasdam victimas, quæ hisce diebus Paschalibus erant immolandæ, & non nisi à mundis vesci poterant. Nam & has quoque victimas, Paschæ nomine in Scripturis sacris interdum significari consueuisse, multis eiusdem Scripturæ locis demonstrat Cardinalis Toletus in Ioan. cap. 13. Annotat. 3. & 4. Contigit autem eo tempore quo ducebatur Iesus ad Pilatum, Iudam proditorem iniqua pœnitentia ductum, proiecisse triginta argenteos, pretium scilicet proditionis, in templum; quibus posteà Iudæi emerunt agrum figuli in sepulturam peregrinorum: ipse autem Iudas de miseratione Domini desperans, vltrò collum laqueo inseruit, *& suspensus crepuit medius, & diffusa sunt omnia viscera eius*, vt expresse traditur Actorum cap. 1. vers. 18. Quod verò ibidem præmittitur, *Et possedit agrum de mercede iniquitatis*; vel tamquam ironicè dictum accipi debet, quemadmodum illud Genes. cap. 3. vers. 22. *Ecce Adam quasi vnus ex nobis factus est, sciens bonum & malum.* Vel possedit voluntate, non effectu: qui enim pœnitentia ductus retulit, proiecitque argenteos in templum; vtique non valuit ex illis agrum coëmere quem volebat.

DVCITVR IESVS AD PILATVM.

DE IVDAE PRODITORIS INTERITV.

17. Scio non defuisse aliquot ex Scriptoribus Græcis antiquis, qui putauerunt Iudam non suspendio interiisse, sed vel ramo arboris inclinato, vel fune casu abrupta, aut ab aliquo statim superueniente abscissa, de laqueo subtractum superuixisse, atq; agrum de mercede iniquitatis emptum possedisse; & posteà diuino iudicio in pœnam sui sceleris, grauissimis hydropisiæ aliisq; fœdissimis morbis correptũ, vsqueadeò intumuisse, vt vix progredi posset; & tãdem cùm quadam die, præ nimia corporis grauedine, orbitam citiùs declinare volens, & non valens, pronus in terram corruisset, à curru velociùs prætereunte oppressum disruptúque, viscera infeliciter vitamq; pariter effudisse. Huius Historiæ primus Auctor traditur fuisse Papias S. Ioannis Apostoli discipulus; cuius sententiam refert quidem, sed non probat Oecumenius in Expositione Actuum Apostolorum cap. eius 3. vbi inter alia etiam dicit, quòd *Iudas post multa tormenta & perpessas vltiones, cùm in suo prædio, vt aiunt, mortuus esset, prædium illud deinceps præ fœtore desertum permansit & inhabitatum vsque in præsentem diem; sed neque ad hoc vsque tempus locum illum præterire quisquam potest, nisi obturatis naribus.* sic ille. Eamdem opinionem, quòd scilicet Iudas non laqueo vita finierit, sed superuiuens emerit possederitque dictum agrum, secuti sunt Theophylactus in Matth. cap. 27. & Euthymius cap. 57. suæ Enarrationis in eiusdem Matthæi Euangelium. Verumtamen huic positioni valdè refragatur sacra Scriptura, quæ Matthæi cap. 27. vers. 5. de ipso Iuda ait: *Et proiectis argenteis in templo, recessit; & abiens laqueo se suspendit.* & Actorum cap. 1. vers. 18. de hoc suspen-

QVORVMDAM OPINIO.

REFELLITVR.

ſuſpendio dicit: *Et ſuſpenſus crepuit medius, & diffuſa ſunt omnia viſcera eius.* Si ergo Iudas, proiectis in templo argenteis abiens, laqueo ſe ſuſpendit; quî fieri poteſt vt ex illis agrum emerit? Et ſi laqueo ſuſpenſus crepuit medius diffuſis viſceribus, quomodo potuit ſuperuiuere, & agrum à ſe minimè coëmptum poſſidere? Certò itaque ſupponendum eſt cum Auctoribus infrà citãdis, quòd ipſe ſuſpendio interierit. Et quidem quod additur de eius viſcerum effuſione, credimus non eo modo quo quidam putarunt, accidiſſe; videlicet, quòd vel caſu rupto, vel alicuius opera abſciſſo funiculo, vel ramo arboris inclinato, Iudas in terram ceciderit, & ex magna illa corporis colliſione crepuerit, viſceraque effuderit; ſed quia poſt collum fune illaqueatum, quando ſe præcipitem deiecit, ex violenta illa grauique corporis concuſſione, inteſtina eius ad inguen magno impetu confluxerint, & rupta cartilagine quæ eadem continere ſolet, pelleque extrinſecus laxata, in magnum quemdam tumorem illicò inter femora exierint, ipſo interim Iuda exanimato & ſuſpenſo inter cælum & terram pendente. Igitur tum ex citatis Scripturæ ſacræ verbis, tum ex ſaniore Doctorum ſententia inferiùs referenda conſtare poterit, Iudam à ſuſpendio non ſuperuixiſſe, neque vllatenus agrum emere poſſidereque potuiſſe; ſed illa Actorum verba, *Et poſſedit agrum de mercede iniquitatis,* debere intelligi in ſenſu à nobis num. præcedente expoſito. Vnde non video quomodo Oecumenius ex Papia etiam verè potuerit aſſerere, dictum agrum, poſt Iudæ obitum, deſertum præ fœtore atque inhabitatum vſque ad ipſius tempora remanſiſſe; quia vel dictus Auctor ſupponit, quòd ille ager ſepulturæ peregrinorum deſeruierit; vel non. Si non; proculdubiò manifeſtè aduerſatur ſancto Euangelio contrarium aſſerenti; & item S. Hieronymo, qui in libro de Locis Hebraicis in Actis teſtatur, eumdem agrum ſua tempeſtate cadaueribus plenum fuiſſe. Si autem admittit, quòd ad ſepeliendos mortuos fuerit deſtinatus: ad quid, obſecro, in deteſtationem Iudæ, ſubiungit, quòd idem ager poſteà deſertus atque inhabitatus permanſit; & quòd nemo niſi obturatis naribus inde poterat pertranſire? Quis enim neſciat, neminem eſſe qui velit inter cadauera putreſcentia habitationem habere? & eiuſmodi loca, in regionibus præſertim calidioribus, iugiter malè olere conſueuiſſe; & non certò aſſeri poſſe, quòd ille fœtor poſt tot annos à Iudæ potiùs corpore, quàm ab aliis multis poſteà ibidem humatis exhalaret? Meritò igitur Papiæ, Theophylacti, atque Euthymij opinio ab aliis Græcis, & ab omnibus Latinis Doctoribus recepta non fuit: nam & Origenes Homil. 35. in Matth. non ſemel repetit verba illa Euangelij: *Iactatis in templo argenteis, laqueo ſe ſuſpendit.* & culpat ipſum Iudam, quòd non aduerterit, vt debuerat, non licere homini ſeipſum interimere; per hoc apertè indicans & ſupponens, Iudam laqueo ſeſe præfocaſſe. & ſanctus Gregorius Nyſſenus Homilia 14. in Cantica Canticorum ante medium, de Iuda dicit, quòd *ex pecuniis fructum alium nullum percepit niſi ſtrangulationem ſpontaneam, vitæ abruptionem, certum animæ interitum, monumentum ſceleratum, quod quidem æternum durabit.* & S. Ioan. Chryſoſtomus Homilia 31. in Matthæum ait: *Proiecta in templo pecunia abiit, & gulam laqueo fregit.* & S. Hieronymus in cap. 5. Amos non procul à fine, idem non obſcurè inſinuat; & in Commentariis Threnorum cap. 3. circa medium, clarè ait, quòd Achitophel & Iudas, ambo proditores, ſuſpendio perierunt. Idem ſenſiſſe videtur S. Auguſtinus Serm. 2. Feriæ 5. in Cœna Domini; & clariùs in Tractatu de Vtilitate Pœnitentiæ cap. 3. dicit, quòd Iudas deſperando ſe occidit, & laqueo ſuſpendens ſe ſuffocauit. De hoc facinore eumdem Iudam increpat S. Leo Papa in Serm. 3. de Paſſione Domini, & S. Anſelmus in Matthæi cap. 27. vbi exponens illa verba, *Et abiens laqueo ſe ſuſpendit,* ſic ait: *Hoc autem genus mortis elegit, vt probaret tali genere mortis ſe peroſum cæli & terræ.* Poſſent hîc & alij Doctores adduci; qui tenent, Iudam ſeipſum ſuſpendio interemiſſe: verùm ne longior ſim, hi poterunt ſufficere. Eſt autem aduertendum, eſſe aliquam inter citatos Auctores de tempore huius facinoris differentiam: nam S. Anſelmus putat id accidiſſe poſt Chriſti reſurrectionem, Origenes verò ante Chriſti mortem. Et hoc magis conſonat cum textu Euangelico Matthæi cap. 27. verſ. 3. vbi poſt illa verba, *Et tradiderunt eum Pontio Pilato,* ſtatim ſubiungitur: *Tunc videns Iudas quòd damnatus eſſet, retulit triginta argenteos Principibus Sacerdotum,* &c. & poſt pauca: *Et proiectis argenteis in templo, receſſit; & abiens laqueo ſe ſuſpendit.* Quæ omnia profectò ad illud *tunc* referenda videntur. Nam ſi quis dixerit, Iudam non potuiſſe in templo inuenire Principes Sacerdotum, qui tunc raptim concurrebant ad Prætorium, ſtudioſè curantes vt Pilatus Ieſum, quem ipſi morte dignum iudicauerant, extremo ſupplicio traderet: dicimus cum Ianſenio cap. 40. ſuæ Concordiæ Euangelicæ, non eſſe dubitandum, quin multi etiam ex ipſis tunc eſſent in templo ad ſacra Paſchalia

ſchalia ibidem facienda. Quamquam etiamſi nullus (quod tamen vix credibile eſt) in templo tunc remanſiſſet, non inconueniens videatur arbitrari, Iudam retuliſſe argenteos primò ipſis Principibus Sacerdotum, ſiue in via, qua tunc ad Pilatum properabant, ſiue vbicumque eos adinuenire contigerit. Quibus illos recipere recuſantibus, illis verbis, *Quid ad nos? tu videris*; ipſum protinus ad templum aduolaſſe, eoſdemque in templo proieciſſe. vbi poſteà à Principibus Sacerdotum collecti, non in corbonam, religionis ergò, fuerunt repoſiti; ſed ad emptionem agri in ſepulturam peregrinorum deſtinati.

18. Cùm igitur ad Pontifices, hoc eſt ad Pontificem Pontificioſque viros, & Principes claſſium Sacerdotalium olim à Dauide diſtinctarum, & reliquos qui Caipham Pontificem comitabantur (quòd ipſi religione prohiberentur in Prætorium introire) exiſſet Pilatus, accuſationeſque ipſorum audiſſet; & ipſum poſteà Ieſum interrogans, nullam in eo cauſam mortis comperiſſet: vt ſe Præſes à Iudæorum importunitate eximeret, audiens quòd Galilæus eſſet, miſit eum ad Herodem Antipam, qui tum fortè Ieroſolymis erat; à quo de multis interrogatus, cùm nullum prorſus ab eo reſponſum elicere potuiſſet, Herodes ſpreuit eum ipſe & qui cum eo erant; ac tamquam fatuum, veſte candida ludibrij cauſa indutum remiſit ad Pilatum. qui probè intelligens, quòd ſummi Sacerdotes per inuidiam tradidiſſent eum, modis omnibus nitebatur eum abſoluere. Ac primò quidem dicebat, neque à ſe, neque ab Herode quidquam morte dignum in eo eſſe inuentum. Deinde, vt vidit Principes Sacerdotum valdè reluctantes; cogitauit proponere populo (in cuius gratiam tenebatur in Paſchali ſollemnitate de duobus alterum quem mallent ex vinctis dimittere) ſi placeret eis potiùs donari Ieſum, an Barabbam, qui communi omnium opinione erat vir peſſimus, ſeditioſus, & homicida; ratus Ieſum magis liberari poſtulaturos. Sed vt audiuit turbas à Sacerdotibus ſubornatas & concitatas petiiſſe Barabbam; vt Pontificibus pariter ac populo aliqua ſaltem ex parte ſatisfaceret, decreuit Ieſum flagellis priùs cæſum, & ſpinis coronatum, ac per omnia malè mulctatum, dimittere. Verumenimuerò, illum ſua fefellit opinio: nam vbi Ieſum vſqueadeò crudeliter percuſſum ac laniatum palàm illis oſtendit, dicens, *Ecce homo*, ipſi tamquam canes guſtato iam feræ ſanguine, audaciores facti, inualuerunt, turbis pertinaciter nimis exclamantibus: *Crucifige, crucifige eum*; & Principibus Præſidi proteſtantibus, non eſſe è re Cæſaris, dimittere eum qui ſe Regem faceret. Quare his & eiuſmodi commotus ac ſibi metuens Pilatus, adduxit Ieſum foras in locum qui Græcè dicebatur Lithoſtrotos, Hebraicè autem Gabbatha, vt eum morti adiudicaret; & licet eius innocentiam iam ſæpiùs declaraſſet, illis verbis toties ab eo repetitis, *Quia in eo nullam inuenio cauſam*, nihilominùs, vt adhuc manifeſtiùs cunctis innoteſceret, quòd ipſe vel inuitus, & quodammodò ipſorum importunitate coactus, ad Chriſti condemnationem deueniret; antequam ſententiam mortis in eum ferret, lauit cunctis inſpectantibus manus ſuas, dicens: *Innocens ego ſum à ſanguine iuſti huius; vos videritis*: Matthæi cap. 27. verſ. 1. vſque ad 31. Marc. cap. 15. verſ. 1. vſque ad 20. Luc. cap. 22. v. 66. vſque ad 26. capitis ſequentis, & Ioan. cap. 18. verſ. 28. vſque ad 17. capitis 19.

MITTITVR AD HERODEM.

REMITTITVR AD PILATVM.

FLAGELLIS CAESVS ET SPINIS CORONATVS OSTENDITVR.

CRVCI ADIVDICATVR

19. Notandum verò hîc eſt, quod Ioan. cap. 19. verſ. 14. dicit, fuiſſe horam quaſi ſextam, quando Pilatus ſedit pro tribunali, vt condemnaret Ieſum; quod non de hora diei ſexta in horologiis notari ſolita videtur debere accipi, ſed de hora Eccleſiaſtica, quam vocabant orationis, quemadmodum paulò pòſt declarabimus; alioqui cùm Lucas cap. 23. verſ. 44. dicat, fuiſſe horam ferè ſextam quando tenebræ factæ ſunt ſuper vniuerſam terram, oporteret nimis magnam fuiſſe latitudinem illius *quaſi*, quod in textu Ioannis habetur. Nam & ipſa ſententiæ prolatio, & crucis præparatio, & iter à tribunali ad Caluariæ montem qui tum erat extra ciuitatem, & ipſa crucifixio, & mora illa, quæ à Ieſu crucifixo ad miraculoſam illam Solis eclipſim interceſſit, intra quam moram deriſus fuit Ieſus à populo, & à Principibus Sacerdotum, & à militibus, & ab vno ex latronibus blaſphematus, ab altero autem humiliter exoratus: certè non minùs vnius horæ interuallo omnia hæc exegiſſe videntur. Cùm igitur S. Ioannes dicat, fuiſſe horam quaſi ſextam quando Pilatus ſedit pro tribunali; ſanctus verò Lucas, Ieſum hora ferè ſexta latroni Paradiſum promiſiſſe, ſanctus autem Marcus c. 15. v. 25. aſſerat eumdem Ieſum hora tertia fuiſſe crucifixum: quomodo hæc Euangeliſtarum dicta inter ſe cohærere poſſent, ſi de horis diei communiter vſitatis loquerentur? Scio aliquos ita paſſionis Chriſti tēpora cum illius diei horis ordinare tentaſſe, vt diceret, Chriſtum hora diei tertia fuiſſe crucifixum, & hora diei quaſi ſexta factas eſſe tenebras vſque ad

QVA HORA SEDERIT PILATVS PRO TRIBVNALI

horam

horam nonam,& eadem hora diei nona Iesum expirasse; qui etiam nituntur conciliare dictum S.Ioannis cum dicto S.Marci, dicentes, illam horam quasi sextam, cuius meminit S. Ioannes, non fuisse horam diei, sed Parasceues sextam (inquit enim: *Erat autem Parasceue, hora quasi sexta.*) sextam, inquam, non post Parasceuen, quam incipere consueuisse hora diei nona probat ex Iosepho 16. Antiq. cap. 10. sed sextam ante ipsam Parasceuen; quæ hora sexta sic putata, concurrebat cum illa hora tertia quam expressit S.Marcus. Hîc libens volensque prætereo alios quosdam modos conciliandi memorata SS.Euangelistarum dicta, quos tradit S.Augustinus lib.3. de Consensu Euangelistarum c. 13. Tom.4. quòd ad sensus spirituales magis quàm ad litteralem pertinere videantur. Quod verò attinet ad paulò antè relata, arbitror ea omnino sustineri non posse; tum propter ea quæ nos infrà num.23. dicemus, vbi firmis grauibusq; argumentis probabimus, Christum non hora diei nona, quæ tunc, cùm esset tempus Æquinoctij, erat tertia post meridiem, sed paulò post ipsum meridiem obiisse; tum etiam quia illa verborum S.Ioannis expositio nimis dura & valdè extorta esse videtur. Nam licet verum sit, horam sextam ab initio dictæ Parasceues sursum ductam, coincidere cum hora diei tertia; attamen, quòd hoc talibus verbis significare voluerit S. Euangelista, non est admodum verisimile; quandoquidem si illud, *hora quasi sexta*, dictum fuisset in ordine ad Parasceuen, proculdubiò iuxta communem dicendi modum, magis indicaret, horam illam fuisse sextam post Parasceuen, quàm ante ipsam. Nec probabile est, S.Euangelistam locutione tam impropria atque inusitata denotare voluisse horam diei tertiam, cùm clariùs ac propriis verbis eam exprimere potuisset dicendo, *hora tertia.* Et, si aliqua de causa nobis incognita, memorato dicendi modo, licet improprio, vti maluisset, certè non opus fuisset addere particulam illam *quasi*, sed absolutè dicere debuisset, *hora sexta*, vt sic conueniret cum S.Marco, qui simpliciter ait, *Erat autem hora tertia:* nam reuerà, tota hora sexta, modò proximè exposito, coincidebat cum tota hora tertia, in qua iam inchoata Christus & sententiam mortis accepit, & prope finem eiusdem horæ cruci affixus fuit. Cur autem S.Ioannes dictam addiderit particulam; nos inferiùs explicabimus. Deniq; illud comma, quo in Sacro textu distinguuntur illa verba *Erat autem Parasceue Paschæ*, ab illis *hora quasi sexta*, videtur etiam distinguere Parasceuen ab illa hora quasi sexta, ita vt eadem hora non sit referenda ad dictam Parasceuen, sed aliquid aliud; & potiùs videtur insinuare, S.Euangelistam duo ibi dicere voluisse; Alterum, quòd quando Iudæi vrgebant Pilatum vt ferret contra Iesum mortis sententiam, erat dies Parasceue Paschæ, non ille in quo tenebantur præparare & immolare agnum Paschalem (id enim iam præcedente die præstiterant) sed erat dies in quo stata hora incipiebat Parasceue, hoc est, tempus Lege statutum præparationi ciborum pro sequenti Sabbato, quod incidebat intra dies Festi Paschalis, ideoque diceba-tur magnus dies ille Sabbati. Alterum, quòd tunc erat hora quasi sexta; quod quidem quomodo interpretari debeat, & quomodo cum dicto S.Marci conciliari possit, nos subsequenter exponemus. Dicendum ergo est, præfatos Euangelistas in re tam sacra, nempe Dominica passione describenda, non vulgaribus diei horis, sed Ecclesiasticis vti maluisse. Constat enim, quòd quando prædicti Euangelistæ post S.Matthæum historiã Euangelicam conscripserunt, iam tunc aliqualiter cœperant introduci in primitiua Ecclesia quattuor saltem horæ, quas nũc Canonicas appellamus; videlicet, Tertia, Sexta, Nona, & Vesperarum; quibus temporibus fideles orationi vacare assuescerent; & idcircò hæ tunc cõmuniter orationis horæ dicebantur. Et probabile item est, SS.Apostolos retinuisse quidem laudabilem illum orationis matutinæ ac vespertinæ vsum, qui etiam in veteri Lege vigebat, ad quas conuenire & orare solebat populus in templo, vt colligi potest Luc.cap.1.vers.10.& retentò vespertinæ horæ vocabulo, matutinam appellasse Tertiam, quòd tres priores diei vulgares horas complecteretur, quemadmodum vespertina tres postremas; & iis insuper adiecisse duas alias medias, nempe Sextam & Nonam; vt non obscurè videtur posse colligi ex libro Actorum, vbi cap.3. v.1. legimus, quòd *Petrus & Ioannes ascendebant in templum ad horam orationis nonam.* & cap.10. vers.9. quòd idem *Petrus ascendit in superiora, vt oraret circa horam sextam.* Videtur ergo, quòd quemadmodum olim ad vsus militares nox in quattuor partes, quas vigilias nuncupabant, distincta fuerat; ita & in primitiua Ecclesia, ante memoratas Euangelij descriptiones, ad vsum orationis, dies quem vocant artificialem, in quattuor tempora distributus fuerit; quorum singula ternas vulgares diei horas includerent, vt saltem quater in die Christi fideles congruis temporibus orationi vacare possent; tametsi posteà, diuino cultu magis augescente, eædem orationis horæ, tum diurnæ tum

tum nocturnæ, paulatim ad eum numerum formamque ac distributionem redactæ fuerint, quam modò in sancta Ecclesia videmus. Verùm quod attinet ad modum nuncupandi memoratas quattuor artificialis diei partes, illud dissidet inter Auctores, quòd aliqui eas appellant Primam, Tertiam, Sextam, & Nonam: aliqui verò Tertiam, Sextam, Nonam, & Vesperam, sumpta vniuscuiusque partis denominatione ab illa diei hora, cum qua singulæ terminabant. Et hanc secundam opinionem sequitur etiam Cardinalis Baronius sub anno Christi 34. vbi de hora Dominicæ Passionis agit; eamdemque confirmare nititur ex Actorum cap. 2. vers. 15. vbi sanctus Petrus demonstrat Apostolos non fuisse (vt putabant Hebræi) ebrios; quia, inquit, tunc erat hora diei tertia. quæ nimirum longè præcedebat horam prandij. Ex quo loco infert Baronius, horam diei tertiam terminasse primam diei partem. Quod etsi verum esse credimus, non tamen inde deduci posse putamus; quia Sacer ille textus nullam prorsus mentionem facit primæ partis diei, siue horæ orationis primæ; sed tantummodò horæ diei tertiæ. id enim satis erat ad probandum intentum, videlicet, non esse rationi consonum suspicari, quòd Apostoli tali hora diei essent ebrij. Nos autem cum eodem Baronio eamdem quidem secundam sententiam magis probandam censemus, non tamen propter argumentum ab ipso allatum, quod ad rem facere non videtur; sed tum propter rationes, quas infrà num. 23. adducemus, vbi de hora diei in qua Christus obierit, disputabimus; tum etiam quia SS. Euangelistæ in tota passionis Domini narratione nusquam mentionem faciunt horæ primæ, sed tantummodò horæ tertiæ, sextæ, nonæ, & vesperarum; & denique quia videtur necessariò dicendum, quòd nomina, quibus dictæ quattuor diei partes distinguebantur, desumpta fuerint non ab ea diei hora, à qua illæ diei partes incipiebant, sed ab illa in qua terminabant. Nam alioquin prima diei pars, Prima orationis hora; & secunda diei pars, Quarta orationis hora; & tertia diei pars, Septima orationis hora; & quarta diei pars, Decima orationis hora dici debuisset. Posito igitur (vt rationabilius videtur) quòd prima dictarum partium diei diceretur Tertia, altera verò Sexta, & quæ sequebatur, Nona; postrema autem, Vespera; dicimus, vtique credendum esse quòd, vt suprà dicebamus, præfati tres Euangelistæ (quorum Marcus non nisi anno circiter vndecimo, Lucas vigesimo quarto, & Ioannes sexagesimo quinto post Christi Resurrectionem suas Euangelij historias conscripsisse creduntur) acta passionis Christi per eiusmodi horas iam tum satis in Ecclesia receptas, diuino consilio distinguere voluerint; vt vel sic etiam orantes instruerent, debere eos hisce potissimùm temporibus piè recolere, & accuratiùs meditari quæ in eisdem Christus pro nobis pati dignatus est. Hæc si vera sunt, vt credimus, proculdubiò nulla remanet inter sacros Euangelistas de prædictis horis dissensio. Nam satis congruè potuit dicere sanctus Ioannes, quòd erat hora (subaudi, orationis) quasi sexta, quando lata est contra Dominum Iesum dura mortis sententia; quia tunc longè propinquius erat initium sextæ quàm tertiæ, de qua ex tribus vna circiter tantùm horologij hora explenda remanebat. Et pariter bene scripsit S. Marcus, quòd Iesus cruci affixus fuit hora tertia; nimirum, propè iam desinente. Et item S. Lucas verè dixit, quòd erat ferè hora sexta quando promisit Iesus latroni paradisum, cœperuntque extendi tenebræ super omnem terram; sexta, inquam, incipiens; quia paulò antè erat inchoata. Illud enim *quasi*, siue *ferè sexta*, importat quamdam vicinitatem, siue à parte ante, siue post; ideoque rectè accipi potest tam de proximè incipiente, vt facit sanctus Ioannes, quàm de proximè incepta, vt sanctus Lucas. Appositè autem hîc nemo SS. Euangelistarum memorat horam diei; sed omnes simpliciter & absolutè, horam tertiam, sextam, nonam, & vesperam, nec præter has quattuor vllam aliam; vt scilicet per hoc aliquatenus insinuarent, se de horis loqui in sensu iam à nobis exposito. Quo fit vt in eodem quoque sensu accipiendum sit illud, quod in Collecta Missæ Passionis Dominicæ sancta tradit Ecclesia; nempe, Dominum nostrum Iesum Christum hora (videlicet, orationis) sexta, subaudi, tunc circiter incipiente, crucis patibulum ascendisse. vt vel sic cum locis SS. Euangelistarum adductis omnino consentiat.

QVAE PASSVS SIT IESVS POST PILATI SENTENTIAM VSQVE AD EXALTATIONEM EIVS IN CRVCE.

20. Ex his itaque colligi potest, (si acta passionis Christi ad horas diei vsitatas & vulgares redigere libet,) Iesum hora diei tertia iam tunc inchoata, à Pilato fuisse condemnatum, & subinde à militibus chlamyde coccinea exutum, & propriis vestimentis indutum, graui cruce in humeros eius imposita, ad Caluariæ montem cum latronibus perduci cœpisse: vt planè indicant illa verba quæ de Iesu scribit S. Ioannes cap. 19. vers. 16. & 17. *Susceperunt autem Iesum, & eduxerunt, & baiulans sibi crucem, exiuit in eum qui dicitur Caluariæ, locum.* id est, exiuit de Prætorio portans crucem, vt iret in

Caluariæ

Caluariæ locum. paratus namque erat eam portare vsque ad dictum crucifixionis locum. Verumtamen qui eum ducebant, exeuntes (vt ait sanctus Matthæus cap. 27. vers. 32. subaudi, de ciuitate) videntes eum adeò crudeliter fuisse flagellatum, vt præ oneris magnitudine ac virium debilitate, vix posset vlteriùs progredi, non charitate moti, sed veriti ne fortè aut sub onere deficeret in via, aut non tam citò, vt optabant, iter illud conficere posset, obuium quemdam Simonem Cyrenensem venientem de villa apprehenderunt, imposueruntque illi crucem portare post Iesum, vt ait sanctus Lucas cap. 23. vers. 26. vel (vt aiunt SS. Matthæus vbi suprà, & Marcus cap. 15. vers. 21.) tunc angariauerunt dictum Simonem, vt tolleret crucem Iesu. Ex quibus omnibus manifestè conuincitur, quòd ipse Simon non adiuuit tantummodò Christum (vt quidam opinati sunt) sustinendo posteriorem crucis partem quæ per terram trahebatur, (sic enim vel quodammodò magis onerasset, vel certè quid minimum exonerasset ipsum Christum:) sed totam crucem quam Christus vsque ad exitum de ciuitate portauerat, posteà ipse Simon per reliquum illius viæ spatium solus portauit sequens Iesum sine ipsa præeuntem. Quam intelligentiam sequitur, & SS. Athanasij, Hieronymi & Augustini auctoritatibus comprobat Toletus super cap. Ioan. citato, Annot. 11. Iesus autem conuersus ad mulieres quæ sequebantur, & plangebant, & lamentabantur eum, dixit: *Filiæ Ierusalem nolite flere super me, sed super vos ipsas flete, & super filios vestros*, &c. Vbi verò ad supplicij locum peruenit Iesus, vinum non simpliciter myrrhatum ad corda tantisper exhilaranda, mœstitiamque subleuandam, damnatis tum dari solitum, sed felle mixtum sibi propinatum, cùm gustasset, noluit bibere; fortassis ne citiùs vi pessimæ illius admixtionis interiret. Exutus deinde ac nudatus Rex æternæ maiestatis, ac præ innata verecundia sua nimiùm confusus; dum cruci affigeretur, inter acerrimos illos artuum dolores dicebat: *Pater, dimitte illis, quia nesciunt quid faciunt.* Hæc autem non minùs dimidiæ horæ, vel etiam longiori interuallo facta esse videntur. Quare satis probabiliter coniicere possumus, Dominum Iesum

21. Eadem hora diei tertia iam desinente, crucis patibulo fuisse affixum & erectum, titulo, quem Pilatus scripserat litteris Hebraicis, Græcis, ac Latinis, eidem cruci imposito, vt ab omnibus pænè nationibus quæ tum venerant ad sollemnitatem, legi posset. Exinde verò vestimenta eius inter milites diuisa sunt, & super tunicam eius inconsutilem sors missa est; ipso interim Iesu inter duos latrones in cruce pendente, atque intus dolores acerbissimos, foris autem irrisiones improperiaque omnia à populo, à Principibus Sacerdotum & Scribis, ac militibus, & denique ab ipsismet qui cum eo crucifixi erant latronibus, mirabili patientia ac taciturnitate sustinente; propria quoque matre, & discipulo quem diligebat, cuncta inspectantibus; quorum miseratus angustias, alterum alteri inuicem commendauit, & latroni pœnitenti, ipsumque deprecanti paradisum repromisit, inchoatà nimirum hora diei quarta, cum qua pariter incipiebat hora orationis sexta. hæc latiùs vide apud Matthæum cap. 27. vers. 31. vsque ad 45. Marc. cap. 15. vers. 20. vsque ad 33. Luc. cap. 23. vers. 26. vsque ad 44. Ioan. cap. 19. vers. 16. vsque ad 28. Puto autem Domini tunicam dici inconsutilem, hoc est inconsutam; quòd non ex partibus inter se consutis, vt fit, compacta esset; sed desuper contexta per totum; id est tali opere fabricata, vt singulæ eius partes vnico contextu simul intextæ copulatæque viderentur, eo modo, vt arbitror, quo interulæ quædam & caligæ ex filo gossipino, laneóve, aut lineo, vel etiam serico, duobus quibusdam veluti stilis ferreis, continuato quodam inter digitos artificio, passim à mulieribus confici videmus: etenim eiusmodi vestes nullam patiuntur diuisionem, quia scissæ, ex seipsis paulatim dissoluuntur: propterea de Domini tunica dixerunt milites ad inuicem: *Non scindamus eam, sed sortiamur de illa cuius sit.* Et hæc quidem opinio confirmari potest, quoniam *dicta tunica* (vt ait Toletus super Ioan. cap. 19. Annot. 14.) *erat interius indumentum, loco subuculæ apud nos.* Et paulò pòst subdit, *Hanc tunicam fuisse laneam, omnes fatentur; & à beata Virgine contextam Euthymius asserit ex Patrum traditione haberi. Quæ omnia probabiliter dicuntur, & sine probabilitate negantur.* sic ille. Cuius dicta memoratæ opinioni nostræ admodum fauere videntur. Constat enim, nostra etiam intima indumenta, quibus hiberno præsertim tempore immediatè super linea subucula vtimur, esse lanea, & ordinariè à mulieribus, eo quo dictum est artificio fieri consueuisse. Nec desunt qui piè credunt, dictam tunicam Christo adhuc infantulo ab eius sanctissima Matre contextam, deinceps ad augmentum corporis ipsius Christi pariter in longitudine ac latitudine mirabiliter excreuisse; quemadmodum putant euenisse filiis Israel in deserto, quorum quidem vestimenta non solùm certum est per an-

POST DICTAM EXALTATIONEM.

nos quadraginta non fuisse attrita, vt traditur Deuter.cap. 29. vers. 5. sed & quòd sensim ad incrementi corporum proportionem augerentur, videtur sensisse Abulensis super dicto cap. quæst. 2.

DVRANTIBVS TENEBRIS.

22. Ab hora diei quarta circiter incipiente, à qua, vt diximus, exordium sumebat hora orationis sexta, tenebræ factæ sunt in vniuersa terra, vsque ad horam diei septimam incipientem, quæ dabat initium horæ orationis nonæ; trium scilicet horarum horologij interuallo: quod totum temporis spatium in acerrimis tolerandis doloribus Iesum transegisse, necnon in continuis ad Patrem pro salute mundi orationibus, modò mentalibus, modò etiam vocalibus, nemini dubium est. Creditur item (vt ait Hugo Cardinalis super loco ad Hebr. proximè adducendo) submissa, vt arbitror, voce paulatim & per vices recitasse versus, saltem plures, Psalmi 21. cuius initium est: *Deus Deus meus respice in me, quare me dereliquisti*, &c. vel fortè etiam aliquot versus Psalmi 27. cuius initium est: *Ad te Domine clamabo*, &c. vel Psalmi 87. qui incipit: *Domine Deus salutis meæ*, & quæ sequuntur, quemadmodum ex eorumdem Psalmorum lectione coniicere possumus.

POST DISCVSSAS TENEBRAS.

23. Hora diei septima iam incœpta, videlicet circa initia horæ orationis nonæ, discussæ sunt de vniuerso nostro hemisphærio tenebræ; & non multò pòst Iesus in maxima spiritus derelictione positus, exclamauit dicens: *Eloi, Eloi*, &c. hoc est, *Deus meus, Deus meus, vt quid dereliquisti me?* Posteà, cùm ex continua diuturnaque dolorum acerbitate siti maxima laboraret; simul & vt desiderium salutis animarum, quo intus ardebat intensissimo, omnibus pariter indicaret, dixit: *Sitio*. Et cùm spongiam aceto imbutam, eiusque ori à quodam admotam suxisset, subiunxit: *Consummatum est*. Postremò exclamans voce magna, *In manus tuas Domine commendo spiritum meum, expirauit*. Ex quibus colligi potest, Iesum post inchoatam horam diei septimam, orationis verò nonam, tenebrasque dissipatas, adhuc per quartam circiter horæ naturalis partem superuixisse, & consequenter non nisi aliquantò post meridiem (erat enim tunc Æquinoctij tempus) obiisse. Hæc verò sunt quæ me impulerunt, vt eos potiùs qui dicto tempore, quàm eos qui exacta iam tertia diei hora post meridiem, Iesum expirasse putant, sequi maluerim. Primò, quia si (vt suprà num. 19. probatum est) ad conciliandа SS. Euangelistarum dicta necessarium videtur supponere, eos non de horis diei, sed orationis quas vocant, Tertiam, Sextam, Nonam, & Vesperam esse locutos, & singulas has quattuor diei artificialis partes trium horarum spatium comprehendisse, atque ab ea diei hora in qua terminabant, esse denominatas. Si, inquam, hoc est, vtique consequitur, Dominum Iesum cruci fuisse adiudicatum hora diei tertia iam incœpta, & posteà crucifixum sub finem eiusdem horæ, quam sanctus Ioannes cap. 19. vers. 44. appellat horam (subaudi, orationis) quasi sextam; quia hæc immediatè subsequebatur horam orationis tertiam, de qua, quando Pilatus Christum condemnauit, plus quàm duæ ex tribus partibus iam elapsæ erant, & minus vna remanebat. Si ergo Dominus hora diei tertia circiter inchoata sententiam mortis accepit; & si eadem hora diei pariterque orationis tertia circiter desinente, cruci affixus fuit (vt tradit sanctus Marcus cap. 15. vers. 25. & colligitur etiam Luc. cap. 23. vers. 44. vbi ait, quòd erat hora, subintellige orationis, ferè sexta, videlicet non multò antè inchoata, quando Dominus promisit latroni Paradisum, & tenebræ factæ sunt in vniuersam terram) & prætereà si tribus tantùm circiter horologij horis, vt omnes admittunt, Dominus in cruce viuus pependit; proculdubiò oportet ipsum eadem hora orationis sexta expleta, vel nona iam propè antè inchoata, hoc est, paulò post meridiem, animam exhalasse. Secundò, quia certum est, sanctam Ecclesiam in Rubricis generalibus Missalis Romani cap. 15. statuisse tempus ordinarium celebrandi Missas ab aurora ad meridiem. Ergo signum est, eam tenere quòd Christus circa meridiem obierit: quandoquidem (vt supponit Nauarrus in suo Manuali cap. 25. num. 85.) ordinarius celebrandi sacrificij incruenti terminus desumi debet à termino oblationis factæ eiusdem sacrificij cruenti. vnde quia idem Nauarrus ibidem tenuit, Dominum hora diei nona, quæ erat tertia post meridiem, obiisse; ideò etiam credidit, Missam vsque ad illud tempus posse celebrari. Nos verò contra, cum Ioan. Andrea cap. 1. De celebratione Missarum, communiter recepto, & cum prædictis Romanæ Ecclesiæ Rubricis dicimus, non esse celebrandum sine debita dispensatione, nisi vsque ad horam diei sextam circiter exactam Æquinoctij tempore; vel vniuersaliter vsque ad meridiem; quia credimus, tunc Dominum expirasse. Tertiò, quia communis opinio est, Dominum mansisse mortuum per horas quadraginta integras; quoniam hoc temporis interuallum, constanti Medicorum

QVA DIEI HORA CHRISTVS OBIERIT.

dicorum sententia omnino sufficiens est ad conuincendum, quòd is qui tamdiu omni prorsus sensu caruerit, verè ac sine vlla dubitatione mortuus sit. Atqui si ponamus, Dominum Iesum non paulò post meridiem, sed exacta iam circiter tertia à meridie hora, vita excessisse, infirmabitur aliqua saltem ex parte allatum veræ eius mortis argumentum: non enim quadraginta, sed tantummodò triginta septem horæ ab illius obitu ad resurrectionem inuenientur. siquidem ferè tres horæ, quæ restabant Feriæ sextæ, & vigintiquattuor Sabbati subsequentis, & decem Dominicæ, faciunt horas triginta septem. Denique, non videtur hisce rationibus præponderare obiectio illa, quæ ab alterius opinionis sectatoribus adduci solet: nimirum, videri incredibile, quòd ea omnia quæ in eodem artificiali die, antequam Christus cruci affigeretur, in Euangelio acta narrantur, trium ferè horarum spatio expediri potuerint. Nam si attendamus quàm ardentia, ne dicam violenta, vel saltem importuna fuerint studia, sagacitates, diligentiæ, sollicitudines, & instantiæ Iudæorum in Christi nece procuranda; nemini sanè mirum videri debebit, quòd tam citò voti compotes esse valuerint; ipso præsertim Iesu (iuxta Prophetiam Isaiæ cap. 53. vers. 7. *Quasi agnus coram tondente se obmutescet, & non aperiet os suum*) non reluctante, non reclamante, non contradicente, sed potiùs illo suo admirabili silentio cuncta aduersum se dicta & facta quodammodò admittente, & in sua nece consentiente. *Oblatus est* enim *quia ipse voluit*, vt ibidem Isaias vaticinatus est. Nam si noluisset, vtique seclusa etiam diuina eius potentia, tamquam homo potuisset vel non multo negotio obiecta diluere, vel dilationem sententiæ petere, quò posset commodiùs causam suam iustificare (id enim facilè Pilatus concessisset, quippe qui sciret, *quòd per inuidiam tradidissent eum*; & non obscurè occasiones studiosè exquireret liberandi eum;) vel denique appellando Cæsarem, quemadmodum posteà fecit Apostolus Actorum cap. 25. vers. 11. His namque vel aliis eiusmodi modis iudicium illud sine vlla difficultate eludere potuisset. Sed nihil horum fecit pius Dominus, quia ardenter cupiebat non solùm mori pro nostra omniumque salute, verùm etiam quantocyùs perficere opus nostræ redemptionis sibi à Patre iniunctum, & à se vltrò libentissimeque susceptum. vnde & priùs Luc. cap. 12. vers. 50. loquens de baptismo suæ passionis, veluti moræ impatiens dixerat: *Quomodo coarctor vsque dum perficiatur?* Denique optimè nouerat, tunc aduenisse tempus à se Patreque suo passioni & morti suæ præstitutum; propterea sese gessit vt dictum est, & permisit se tam citò ad mortem condemnari & cruci affigi. Itaque cùm illum Iudæorum conuentum in domo Caiphæ factum fuisse summo manè sextæ Feriæ, hoc est ante Solis ortum, vel ex ipsismet sacris Euangelistis colligi posse videatur, ac præcipuè ex S. Marco, qui cap. 15. vers. 1. ait, *Et confestim, manè concilium facientes*, &c. quibus verbis non obscurè insinuare videtur, id factum fuisse statim ac elucescere dies cœpit: non modò non incredibile, quin potiùs admodum probabile fit, intra primam ab ortu Solis horam diei Christum & fuisse Pilato traditum, & missum ac remissum à Pilato ad Herodem, & ab Herode ad Pilatum; & propositum turbæ, num mallet sibi ipsum, an Barabbam dimitti. Secundam verò diei horam, post aliquot Pilati cum Iudæis disceptationes, totam in Christi flagellatione, coronatione ac illusionibus fuisse consumptam. Ineunte autem tertia diei hora, Christum iam flagellis cæsum ac spinis coronatum, fuisse ostensum populo, illis Pilati verbis: *Ecce homo.* Et non multò pòst, eodem populo ac Pontificibus acriter instantibus, à Pilato morti adiudicatum, ac sub finem eiusdem horæ crucifixum, & denique post tres alias diei horas & aliquid ampliùs (vt dictum est) expirasse.

24. Sed quoniam hactenus de Christi passionibus egimus, si quærat quis, cur ipse Christus, cùm esset etiam Deus, humanæ naturæ passiones in se transferre voluerit, respondet Theodotus Ancyræ Episcopus prope finem Homiliæ suæ de Natiuitate Domini, quæ in Concilij Ephesini tomo seu libro 6. cap. 10. registrata est, dicens: *Quia passiones per passionem amoliri, mortemq; morte abolere, ac similia tandem similibus voluit debellare. In se suscepit crucem, pertulit colaphos, permisit se colligari, vt huiusmodi perpeßiones Dei propriæ effectæ, victoriam aduersus paßiones nobis obtinerent. Neque enim diuina natura aliquam per isthæc incommoda & probra iniuriam patitur: quandoquidem nihil harum omnium paßionum per sui mutationem in se suscepit; verùm vim illis diuinam contra eiusmodi paßiones tribuit. Mors namque veluti ipsius Dei facta, mortem demolitur: siquidem mortem is oppetens, mortis tyrannidem aboleuit. Nam qui moriebatur, simul Deus & homo erat. Neque enim Iudæi purum tantùm hominem crucifixerunt, nec eam solùm naturam, quæ forinsecus cernebatur clauis confixerunt; sed in ipsum Deum qui in illa latitabat,*

bat, vnitæq́; naturæ perpeßiones sibi appropriabat, impij temerarijq́; extiterunt. Vt autem & hoc ipsum quoque magis perspicuum euadat, ad exemplum rursum in exordio propositum orationem detorqueamus. Fingamus itaque Regem quempiam eiusmodi sermonem depromere, qui libertatis vel aliorum regalium munerum quibus oportet impartiendorum decretum in se contineat, illudq́; decretum chartæ, quam Sacram vocant, insertum, litterisq́; expressum, ad hanc vel illam ciuitatem amandare; Sacram hanc porrò Latinè appellatam aliquis perfidus aut rebellis, aut ciuitatis alioqui, vel Regis inimicus intercipiat, interceptamq́; dilaceret; iam dic mihi, quid hîc laceratum est, chartáne sola, an etiam decretum Regium? Atqui si sola charta dilaniata dicatur, parua admodum ipsa laceratio poterit redimi, tenebiturq́; hac ratione violator aut nulli, aut sanè vix quinque obolorum mulctæ obnoxius. Eiusmodi autem, supremum supplicium dependit, pœnaq́; afficitur capitali; nec iniuria, vt qui non solùm chartam disruperit, sed Regium quoque decretum violauerit. Atqui Imperiale verbum secundùm se impaßibile taleq́; est, quod sua ipsius natura, neque manibus contrectari, neque discindi potest; & tamen hoc non obstante, & ipsum quoque discissum dicitur. Quid ita? quia chartæ & litterarum pasionem, tamquam propriam in se transfert. Cernis hinc quo pacto id quod nulli secundùm se pasioni obnoxium est, eo ipso pasioni subiiciatur, quod cum patibili natura communicationem sortiatur? Neque enim Regius sermo, quod ad propriam naturam attinet, dilaniatus est; & nihilo tamen minùs tam chartæ quàm elementorum pasionem rectè in se recepisse dicitur. Ne igitur iactet se Iudæus, tamquam qui purum hominem in crucem egerit: nam quod cernebatur, charta quidem erat; quod verò in charta abditum latitabat, verbum erat Regium, non lingua, sed natura productum: siquidem vnigenitus Dei Filius, Verbum dicitur; non prolatum, sed substantiale subsisténsque; neq; propria rursum natura patibile, sed illius quod cernebatur patiq́; poterat, pasiones veluti proprias in se transferens. Et quemadmodum verbum Regium simulatq́; litterarum naturam in se suscepit, chartæ pasionem sibi appropriat; ita vnigenitum Dei Verbum clauis confixi corporis perpeßiones proprias sibi æstimat. Quare vt is, qui Sacram regiam violauit, veluti qui ipsum Regis verbum discerpserit, vltimo afficitur supplicio; sic Iudæus quoque id quod forinsecus cernebatur crucifigens, perinde pœnas luit, ac si in ipsummet Dei Verbum impius extitisset. hactenus Auctor præcitatus. Nunc ad historiæ nostræ continuationem accedamus.

DE ANNO OBITVS CHRISTI.

25. Hoc igitur die, qui, vt suprà num. 16. dictum est, fuit decimusquintus primi mensis huius anni, qui erat vitæ Christi trigesimus quartus iam per tres ferè menses inchoatus: & item erat Olympiadis ducentesimæ secundæ annus tertius (vt ex Eusebio optimè probat Cardinalis Baronius sub hoc eodem Christi anno:) & Vrbis conditæ septingentesimus octogesimus quartus, Gn. Domitio Ahenobarbo & Vitellio Nepote, vel vt alij putant, Camillo Scriboniano Coss. currente anno Imperij Tiberij Cæsaris decimooctauo, vt etiam videre est in tabulis; IESVS Christus Dominus noster, cùm in publica Euangelij prædicatione tres postremos suos annos & totidem ferè menses insumpsisset, doctrinamque suam mira vitæ sanctitate & innumeris atque inauditis confirmasset miraculis, in ipso Paschate, seu prima die Azymorum, in conspectu infinitæ propemodum multitudinis hominum ex omnibus pænè mundi nationibus, qui partim Ierosolymis habitabant, vt colligitur Actorum cap. 2. vers. 6. partim illuc ad Pascha celebrandum conuenerant; pro totius humani generis salute passus & mortuus est, desinente annorum hebdomada septuagesima, iuxta Danielis Prophetiam à nobis sub anno mundi 3516. num. 6. vsque ad 13. expositam.

26. Nec refert, quòd ab anno regni Artaxerxis Longimani vigesimo (à quo sub anno mundi 3609. num. 4. probauimus numerandas esse prædictas Danieli reuelatas hebdomados) vsque ad hunc annum, non fluxerint quadringenti nonaginta anni, qui in hisce septuaginta hebdomadis continentur; quoniam ipsa Danielis Prophetia, vt in dicta eius expositione tetigimus, rectè potest ac debet accipi de annis Lunaribus, vt sentiunt Eusebius lib. 8. de Demonstratione Euangelica, Demonstr. 2. circa medium, & plures alij Auctores probatissimi, quos sub proximè allegato mundi anno numeroque recensuimus; & item ex modo loquendi in eadem Prophetia non obscurè insinuatur: inquit enim Angelus Daniel. cap. 9. vers. 24. *Septuaginta hebdomades abbreuiatæ sunt super populum tuum*, &c. quod verbum *abbreuiatæ*, licet idem possit significare, ac si dictum esset, Septuaginta hebdomades decisæ ac determinatæ sunt super populum tuum, &c. verumtamen multò conuenientiùs ac magis propriè debemus intelligere, illas reverà à Domino, pro sua diuina miseratione, fuisse abbreuiatas, hoc est, ex annis Lunaribus, quemadmodum dictum est, constitutas. Constat autem, quadringentos nonaginta annos Lunares æquipollere quadringentis

gentis septuaginta quinque annis Solaribus; quos certum est hoc tempore esse impletos, vt etiam videri potest in tabulis. Sed neque alicui mirum videri debet, quòd tempora primi aduentus Domini nostri Iesu Christi, in gratiam præsertim sanctorum Prophetarum, qui tanto desiderio illum præstolabantur, atque adeò ardenter ac sollicitè, vt quantocyùs descenderet, flagitabant, abbreuiata fuerint: quandoquidem scimus, dies quoque persecutionis Antichristi, & consequenter secundum eiusdem Christi aduentum propter electos fore breuiandos; quemadmodum pollicitus est Dominus Matthæi cap.24.vers.22.

27. Verùm vt ad Dominicæ passionis historiam redeamus: A tempore obitus Domini ad Solis occasum, sex ferè horarum interuallo hæc acta sunt. Primò, in ipsomet Dominico transitu & deinceps, multa mirabilia acciderunt, non in rebus tantùm sensu carentibus, sed etiam in hominibus, tam defunctis quàm viuentibus, ex vtroque populo, Gentili scilicet & Iudaico, vt ex dicendis patebit. Nam, quod attinet ad inanimata, (quemadmodum scribit S. Matthæus cap.27.vers.51. vsque ad 55.) *Velum templi scissum est in duas partes à summo vsque deorsum.* Cuius rei causa esse potest, quia pretiosissimum illud velum, quo tegebatur prospectus in Sancta sanctorum, iuxta Apostolum ad Hebræos cap.10.vers.20. vbi ait: *Per velamen, id est carnem suam*; videtur typum gessisse humanitatis Christi, qua tegebatur eius Diuinitas: vnde conueniens admodum fuit, vt quando per Christi mortem eius corpus scissum ac separatum ab anima fuit, & consequenter sacratissima eius humanitas in duas partes diuisa remansit; in totidem quoque partes scinderetur dictum velum, vt figura responderet figurato. Sequitur: *Et terra mota est, & petræ scissæ sunt, & monumenta aperta sunt; & multa corpora Sanctorum qui dormierant, surrexerunt, & exeuntes de monumentis post resurrectionem eius, venerunt in sanctam ciuitatem, & apparuerunt multis.* sic Matthæus. Qui proculdubiò (vt communior saniorque videtur esse Doctorum opinio) his verbis simul congessit, tum quæ tempore mortis Christi mirabilia facta sunt, tum quæ post eius resurrectionem proximè subsecuta. Nam terræmotum, & veli templi petrarumque scissionem, ac forte item monumentorum apertionem, in transitu Domini facta fuisse certum est: siquidem Matth.cap.27.vers.54.legimus, quòd *Centurio, & qui cum eo erant, viso terræmotu & his quæ fiebant, timuerunt valdè, dicentes: Verè Filius Dei erat iste.* Verùm quæ S. Euangelista ibidem subiungit, videlicet, quòd multorum corpora mortuorum resurrexerint, & exierint de monumentis, & venerint in sanctam ciuitatem, & apparuerint multis; pertinere magis videntur ad tempus Dominicæ resurrectionis: quandoquidem non est verisimile, quòd eo tempore quo Dominicum corpus exanime clausum manebat in sepulchrò, aliqua Sanctorum corpora iam rediuiua, ac de monumentis egressa, hoc morarentur in mundo. Et insuper sequeretur, animas ipsorum exisse de Limbo, priusquam anima Christi ad ipsum descendisset, ac ipsius claustra reserasset; quod sanè videtur inconueniens. Et denique ex ipsomet Sacro textu deduci potest, ipsos & post resurrectionem Christi resurrexisse, & exisse de monumentis, & venisse in Ierusalem, & apparuisse multis: nam certum est, illa verba, *post resurrectionem eius*, sine vlla ipsorum extorsione referri posse non ad subsequentia tantùm, sed etiam ad præcedentia; vt sit sensus, quòd multa corpora Sanctorum qui dormierant, surrexerunt post resurrectionem Christi, & exeuntes de monumentis, (quæ tum communiter fieri solebant extra vrbem, vt patet Luc.cap.7.v.12. de filio viduæ, qui ad sepulchrum efferebatur extra portam ciuitatis Naim) venerunt in sanctam ciuitatem, & apparuerunt multis. Alioquin, si ponamus eos resurrexisse quando mortuus est Christus, & non nisi post Christi resurrectionem eos venisse in sanctam ciuitatem, & apparuisse multis: quæri vtique meritò posset, vbi nam interim, donec scilicet Christus posteà resurrexit, ipsi manserint; an propriis viui in sepulchris, an alibi, & vbi, & cur hoc. De quibus certè videretur S. Euangelista aliquid tangere, vel saltem insinuare debuisse. Multò igitur conuenientiùs ista mortuorum resurrectio post Christi resurrectionem facta esse debet intelligi; præsertim propter illud quod Apostolus 1. ad Corinth.c.15. vers.20.ait: *Christus resurrexit à mortuis primitiæ dormientium.* Non enim dici potest primitiæ eorum qui denuò erant morituri: siquidem constat, Lazarum aliosque eiusmodi multos ante Christi mortem ac resurrectionem, & ab ipso Christo, & olim à sanctis Prophetis Elia & Elisæo, ad vitam fuisse reuocatos; sed fuit Christus primitiæ illorum dumtaxat, qui ad vitam immortalem surrexerunt. Nam licet verum sit quod ait S.Thom.Part.3.quæst.53.art.3. Christi resurrectionem fuisse causam resurrectionis omnium qui quomodocumque ad vitam reuocati fuerunt: tamen hæc doctrina

PORTENTA QVAE IN OBITV CHRISTI SVNT FACTA

non videtur expositioni prædictorum Apostoli verborum ritè satis posse adaptari; quia clarum est, primitias non esse causas ceterorum fructuum, sed tantummodò illis tempore priores: & propterea tali modo loquendi videtur Apostolus voluisse significare, non quòd Christus fuerit causa resurrectionis omnium mortuorum; sed quod verè fuerit primogenitus mortuorum, hoc est primus tempore qui ad vitam resurrexerit immortalem. Etenim dicere, eos qui tempore obitus Christi resurrexisse dicuntur, iterùm posteà fuisse mortuos, vt supponit S. Thomas, propter ea quæ ex B. Augustino ibidem ad 2. refert; non videtur omnino tutum: quoniam hisce obiectionibus optimè respondet Caietanus in citati art. Commentario; ad quem nos libenter, breuitatis studio, prudentem Lectorem remittimus. Et certè ex verbis S. Euangelistæ, qui non dicit, *omnia*, sed *multa corpora Sanctorum* post Domini resurrectionem surrexisse, & apparuisse multis; duo non obscurè videntur posse colligi: nempe, & illa corpora deinceps non fuisse ampliùs morti obnoxia; alioquin nimis onerosa eis fuisset illa resurrectio, si paulò pòst iterùm fuissent moritura: & singulari quodam priuilegio illis fuisse concessum, vt longè ante communem omnium resurrectionem, ipsa tunc post Dominum resurrexerint. Vnde non videtur curiosiùs inquirendum, quorumnam corpora illa fuerint; vel cur magis illa, & non alia, vel etiam omnia Sanctorum corpora tunc ad vitam fuerint reuocata; quoniam Domino hæc non placuit indicare. Sed neque mirum videri debet, quòd inter illa non extiterit corpus S. Ioan. Baptistæ, cuius cineres scimus Genuæ, & caput Romæ honorificè asseruari & coli, tametsi iste Sanctus ipsiusmet Christi testimonio declaratus fuerit maior inter natos mulierum; quia memoratum priuilegium potuit fuisse collatum, vel his tantùm qui diutiùs in Limbo permanserant, vel etiam aliquibus aliis minoris meriti ipso Ioanne, ex causa soli Deo cognita. Nam sicut non est inquirendum, cur Deus concesserit multis aliis tam veteris quàm noui Testamenti Sanctis multa signa facere, ipsi autem Ioanni, licet maioris meriti, ne vnum quidem, vt patet Ioan. cap. 10. vers. 41. ita superuacaneum est quærere, cur idem Deus eidem Ioanni non indulserit cum multis aliis resurgere ante finalis Iudicij diem; cùm certissimum sit, & nulla miracula fecisse, & non resurrexisse cum multis aliis, nihil derogare meritis eius; & nihil obstare, quin ei mox resurrecturo Deus daturus sit locum in cælo gloriosiorem quàm his qui ante ipsum surrexerunt. De cetero, memores esse debemus, iusta quidem esse iudicia Dei, sed inuestigabiles vias eius; vt dicitur ad Rom. cap. 11. vers. 33.

HOMINVM COMPVNCTIO POST CHRISTI TRANSITVM.

28. Quod verò attinet ad mirabilia quæ moriente Domino in hominibus visa sunt, illud celeberrimum est, quòd qui Iesum crucis tormenta patientissimè tolerantem impiè blasphemauerant; eodem spirante compuncti & conuersi, suum facinus deplorantes, glorificabant Iesum. Nam (vt aiunt SS. Matthæus cap. 27. v. 54. & Marc. cap. 15. vers. 39. & Luc. cap. 23. vers. 47. & 58.) & Centurio qui ex aduerso stabat cum ceteris militibus Iesum custodientibus, qui erant Gentiles, obstupefactus quòd tam grandi voce emissa Iesus expirasset; & adhuc magis ob prodigia continuò secuta, glorificauit Deum, dicens: *Verè iustus. Verè Filius Dei erat iste. Et omnis turba eorum*, subaudi, Iudæorum, *qui simul aderant ad spectaculum istud, viso terræmotu, & his quæ fiebant, timuerunt valdè, & reuertebantur percutientes pectora sua.* tamquam tacitè protestantes, iam ex tunc cœptum esse impleri quod prædixerat Dominus Ioan. cap. 12. vers. 32. *Et ego si exaltatus fuero à terra, omnia traham ad me ipsum.*

DE MVLIERIBVS AD CRVCEM CHRISTI COMMORANTIBVS.

29. *Stabant autem* (inquiunt Euangelistæ) *noti eius à longè, & mulieres quæ secutæ eum erant à Galilæa hæc videntes.* Inter quas ferè septem nominatim in sacro Euangelio recensitæ videntur; nempe beatissima Virgo Maria mater Iesu, & soror (subaudi, consobrina) eius, Maria Cleophæ, quæ erat vxor Alphæi, & Iacobi minoris ac Ioseph mater; & horum soror naturalis Salome, & mater Iacobi maioris ac Ioannis filiorum Zebedæi, & Maria Magdalene: Matthæi cap. 27. vers. 55. & 56. Marc. cap. 15. v. 40. & 41. Luc. cap. 23. vers. 49. & Ioan. cap. 19. vers. 25. Puto autem & cum istis fuisse Ioannam vxorem Chusæ procuratoris Herodis, & Susannam, à S. Luca cap. 8. vers. 3. commemoratas: nam idem Euangelista cap. 24. vers. 10. speciatim ponit dictam Ioannam inter eas mulieres, quæ de monumento Domini ad Apostolos redierunt. Neminem autem moueat, quòd SS. Euangelistæ Matthæi cap. 27. v. 55. & Marcus cap. 15. vers. 40. & Lucas cap. 23. vers. 49. scripserint, quòd mulieres & omnes noti Iesu stabant à longè; Ioannes verò cap. 19. vers. 25. dicat, quòd stabant iuxta crucem Iesu: quoniam vtrumque pro temporis varietate verum fuisse dubitandum non est; siue quia (vt ait Euthymius super Ioan. cap. 19.) primò, ob multitudinem concurrentium ad gran-

de illud spectaculum, starent à longè; posteà verò cessante concursu, propiùs accesserint ad crucem: siue econuersò, quia priùs amoris affectu vrgente ac veluti impellente accedere conati sint ad ipsam crucem; postmodum autem, Iesu in cruce iam defuncto, vt viderunt milites venientes qui crucifixorum crura frangerent, ipsæ aliquantò longiùs abscesserint. Et hoc quod posterius dictum est, multò probabilius videtur, & litteræ Euangelistarum magis consonum: nam priores Euangelistæ post descriptam Domini mortem, subiungūt, mulieres de longè stetisse. Ioannes verò statim, posteaquam narrauit Christum fuisse crucifixum, subdit, quòd Mater Iesu & aliæ mulieres stabant iuxta crucem Iesu. & certum est, quòd quando Iesus commendauit Matrem discipulo, & discipulum Matri, ipsi non procul erant à cruce; & tunc nondum cœperant fieri prodigiosæ illæ tenebræ super omnem terram, quas constat tribus circiter diei horis perdurasse; & consequenter oportet Christum non multò antè cruci fuisse affixum. Ceterùm prædictæ sanctæ mulieres, quæ Christo mortuo de longè stetisse dicuntur, præfigurabant deuotas quasdam animas, Domino benè notas, quæ præ cordis humilitate à longè stantes, hoc est à curis sæcularibus semotæ, iugiter contemplantur, non solùm quæ pro nostra omniumque salute passus est Dominus; verùm etiam mirabilia quæ sacratissima eius passio operata est in nobis, & in vniuerso mundo. Hæc est enim quæ spirituali quodam terræmotu vniuersum mundum concutiens commouit, quæ ignorantiæ rerum æternæ salutis tenebras ab hominum mentibus disiecit, quæ dæmonum simulacra arasque subuertit, & principem mundi huius diabolum de vsurpato fraudulenter sibi regno eiecit foras, quæ infernum spoliauit, vacuas cæli sedes impleuit, Synagogam strauit, Ecclesiam erexit, eique Regna & Imperia subegit; & denique, quæ peccatorum corda saxis duriora confregit, ac pœnitentiæ malleis contriuit, & quotidie de lupis agnos, hoc est de iniustis iustos facit. quod est opus ferè omnium diuinæ virtutis maximum.

☞ 39. Post mirabilia quæ in transitu Domini facta memorauimus, vt non remanerent in cruce corpora Sabbato, quoniam magnus & extraordinaria sollemnitate celebrandus erat ille Sabbati dies, qui in proxima vespere incipiebat; propterea venerunt Iudæi ad Pilatum, & ab eo obtinuerunt vt frangerentur crucifixorum crura quò citiùs expiraret, & de patibulis antequam aduesperasceret deponi possent, & sepulturæ mandari. Miserunt ergo milites ad Caluariæ locum, qui latrones quidem adhuc viuentes crurifragio quantocyùs spiritum exhalare compulerunt: ad Iesum autem cùm venissent, & vidissent eum iam mortuum, non fregerunt illi crura; sed vnus militum lancea latus eius aperuit, & continuò exiuit sanguis & aqua: Ioan. cap. 19. vers. 31. vsque ad 38. Quæ res, si naturaliter accipiatur, planè indicat, lanceam illam non solùm quam vocant cordis capsulam penetrasse, in qua (vt testantur Anatomistæ) aqua seu humor quidam aqueus in cadaueribus præsertim recentioribus reperiri solet; sed etiam ipsum cor transuerberasse. Etenim constat, dictam cordis capsulam, dum viuit homo, spiritibus vitalibus iugiter ex corde prodeuntibus esse repletam, qui extincto cordis calore in aquam protinus condensantur. Ex latere ergo Domini, cum dicta aqua etiam ea pars sanguinis effluxit quæ in eius corde remanserat, vt de vera ac reali eiusdem Domini morte nullus omnino relinqueretur ambigendi locus. & vt simul immensa eius charitas fidelibus suis etiam in hoc manifestaretur, quòd præter sanguinem quem adhuc viuens pro illis effuderat, reliquum item, qui solus in demortui corde remanserat, totum pro eisdem effundere non recusauerit, vt pretiosa magis & copiosa fieret nostra redemptio. Quamquam, quia non humorem aqueum, sed aquam de Dominico latere exisse S. Euangelista testatur, & Innocentius III. cap. *In quadam*, De celebratione Missarum, multis quoque aliis probat argumentis, errasse quosdam, existimantes non veram aquam, sed humorem phlegmaticum cum sanguine de puncto Domini latere manasse: propterea dicta aquæ manatio ad miraculum potiùs referri debet. Siquidem (vt sacri docent Doctores) dicta aqua regenerationis Sacramentum significabat, quod sine aqua vera ac naturali conferri non posse, & eam de latere Domini in cruce pendentis deriuasse; atque illud, sicut & cetera nouæ Legis Sacramenta, ab eius sacratissima passione virtutem sumpsisse, certissimum est. Nisi fortè præstet dicere, memoratum humorem aqueum tunc in veram naturalemque aquam virtute diuina fuisse resolutum. Quod certè eiusdem Innocentij doctrinæ ibidem traditæ nullatenus aduersatur; quin etiam bellè potest deseruire, tum ad demonstrandum, Christi corpus non phantasticum, vt quidam hæretici perperàm existimarunt; sed verum ac, vt ita dixerim, reale extitisse; tum etiam ad dictum Baptismi Sacramentum ostendendum. quæ duo ibidem

DE LATRONVM CRVRIFRAGIO.

DE APERTO CHRISTI LATERE.

dem præfatus Pontifex probare intendebat. & præterea item, ad comprobandum id quod nos superiùs dicebamus, videlicet, verè Christum in cruce animam exhalasse.

CHRISTI LATVS DEXTRVM NON LAEVVM PERFOSSVM.

¶ 51. De latere verò Christi lancea confosso, tametsi Franciscus Suarez super 3. Part. S. Thom. Tomo 2. quæst. 51. disput. 41. sect. 1. in dubium vocet, fueritne dextrum, an læuum, atque in posteriorem sententiam magis inclinare visus sit; tamen meo iudicio nihil obstat, quin etiam multò tutius videtur (in re præsertim quæ ex Sacris libris hauriri non potest) priorem sequi opinionem, quæ communis admodum vulgataque est, & vniuersaliter ex omnibus ferè Crucifixi figuris, siue pictura, siue sculptura, siue fusione, aliáve quauis arte fictis elicitur; in quibus omnibus dextrum Christi latus vulneratum ostéditur. Talis enim vsus, qui tum Romæ, tum in aliis Christianorum Ecclesiis vsqueadeò antiquus & vniuersalis est, vt de opposito constare posse non videatur, proculdubiò de antiqua traditione & Apostolica approbatione attestari, atque indubitatam fidem facere videtur. Huc accedit, quòd eamdem sententiam manifestè declarat sacra sindon, qua olim corpus Dominicum à Iosepho ab Arimathæa (vt sacri tradunt Euangelistæ) primò contectum inuolutumque fuerat, & quæ nunc Taurini apud Sabaudiæ Ducem magna religione asseruatur, nec ab incolis tantùm, sed etiam à peregrinis, certis præsertim temporibus illuc vndique confluentibus, mira deuotione visitur & colitur. In ipsa namque sindone, quæ vsque nunc vestigia corporis ac cicatricum Christi mirabiliter impressa retinet, perspicuè conspicitur signum prædicti vulneris in latere illius figuræ læuo, quod vtique ex aduerso correspondet lateri dextro corporis Christi, super quod ipsa sindon extensa aliquamdiu mansit. vnde fit euidens, ipsum vulnus reverà in ipso Dominici corporis latere dextro, non autem sinistro extitisse. Et quoniam iam non videtur fas esse de dicta sindone vllo modo dubitare, quam & deuotissima illa sancti Caroli Cardinalis & Archiepiscopi Mediolanensis pedes ad ipsam colendam suscepta feliciterque confecta peregrinatio, & copiosus, vt dixi, populorum deuotionis ergô ad eam venerandam concursus, iugiter cõfirmant, & non obscura miracula comprobarunt, & aliquot summorum Pontificum diplomata authenticá fecerunt; de quibus vide, si placet, multa apud Alphonsum Paleotum Bononiæ Archiepiscopum in libro de Sacræ sindonis explicatione, cap. 2. & eiusdem libri capitisque pręclaras Fratris Danielis Mallonij Elucidationes: propterea multò satius videtur, hinc potiùs satis firmum desumere argumentum, quòd Christus verè in latere dextro fuerit vulneratus, quàm propter leuiores quasdam coniecturas paulò pòst referendas ac refellendas de dictæ sindonis veritate vel minimum hæsitare, aliisve scrupulum iniicere. Nam si piis doctisque viris licuit ex longitudine vestigij vulneris in dicta sindone expressi, arguere longitudinem plagæ lateris Christi, quam faciunt vnciæ vnius adiecta quarta alterius parte; cur ex eodem vestigio non liceat colligere eiusdem plagæ situm? Enimuerò, tametsi lancea militis ita potuerit transuerberare cor Christi ex latere dextro, sicut ex læuo; quia cor, quamuis in eius parte aliquantulùm acuminata nonnihil ad læuam vergat, in media tamen pectoris parte naturaliter collocatum est: quo fit vt illud Cantic. cap. 4. vers. 9. *Vulnerasti cor meum*, &c. non magis vni quàm alteri sententiæ valeat patrocinari. Nihilominùs, quoniam ex Anatomicis obseruationibus certum est, ventriculum cordis dextrum latiorem esse, & plurimo crassioreque sanguine refertum; læuum autem pauciore ac subtiliore, quippe qui vitalibus spiritibus magis abundet; probabilius videtur, sanguinem qui ex Christi latere copiosiùs fluxit, potissimùm ex ventriculo cordis dextro latiùs aperto manasse; & consequenter, ipsum latus dextrum, non læuum fuisse sauciatum. Non ergo prædictis obstare debent possúntve coniecturæ, quæ partim ab ipso Suarez, partim ab aliis in contrarium adducuntur. Nam quod aiunt, Heuam ex Adami latere productam, gessisse typum Ecclesiæ de latere Christi ædificatæ, facilè admittimus. Ad id verò quod subiungunt, Sicuti Heua de latere Adami læuo, in quod vergit cor humanum, formata fuit, propter summum amorem qui esse debet inter maritum & vxorem; ita conueniens fuit, vt ex latere Christi læuo per dictum vulnus educeretur Ecclesia, vt figuratum figuræ responderet: dicimus, probari non posse, quòd illa Adami costa, de qua facta est mulier, magis de læuo eius latere, quàm de dextro sumpta fuerit: & (iuxta S. Thom. Part. 1. quæst. 92. art. 2. aliosq; Doctores Ecclesiasticos) sufficere ad significandum mutuum hunc coniugatorum amorem, quòd vterque sciret, vir, mulierem ex seipso, seu ex suo latere; mulier autem, se de viro sumptam esse; præsertim cùm illa costa, saltem in sua radice, non minùs potuerit esse cordi proxima, si de latere dextro sublata sit, quàm si de læuo. siquidem omnes costæ vtrimque exeunt à spina dorsi, cui ipsum cor annexum est. Quod autem quidam addunt,

Lateris nomine in Sacro eloquio læuum significari, iuxta illud Psal.90.vers.7. *Cadent à latere tuo mille, & decem millia à dextris tuis*; dicimus id non esse verum, nisi quando ei contraponitur dextrum, vt in exemplo adducto. Nam econuersò legimus 2.Regum cap.20.vers.10. quòd *Ioab percussit Amasa in latere*: & ibi oportet intelligere, dextro, non læuo; quia vers. præcedente dicitur, quòd ipse Ioab priùs *tenuit manu dextera mentum Amasæ.* ergo necesse est, quòd illicò altera percusserit eum in latere dextro: non enim videtur aliter facere potuisse. Quandocumque igitur Scriptura sacra meminit Lateris absolutè sine vlla dextri aut sinistri adiectione, quod sæpè accidit, puta cùm dicit: *Ex latere montis, templi, vrbis, regionis*, & huiusmodi; non semper intelligendum est de latere læuo; sed ex aliis circumstantiis discutere oportet, de quonam latere ibi Scriptura loquatur. Ceterùm, Saluatorem nostrum in latere dextro fuisse perfossum, tenent multi ex Patribus Græcis & Latinis, aliisque Ecclesiasticis Scriptoribus; quorum aliquot hîc recensere, eorumque loca notare, vt res fiat clarior, non grauabor. Certè S.Bernardus in Psal. *Qui habitat*, Serm.7. non procul à fine, sic absolutè pronuntiat: *Et quidem Dominus meus Iesus, post cetera inæstimabilis suæ erga me beneficia pietatis, etiam dextrum sibi propter me passus est latus fodi.* & sub finem Sermonis de Passione Domini, cupiens in se exprimi integram Crucifixi similitudinem: *Vulneret* (inquit) *cor meum viuus & efficax sermo tuus, penetrabilior omni lancea acutissima, pertingens vsque ad diuisionem animæ, & producens ex ea, tamquam de dextro latere meo, vice sanguinis & aquæ, amorem tuum Domine & fratrum tuorum.* Et S.Athanasius in libello de Passione imaginis Domini nostri Iesu Christi cap.2. narrat diligenter immane quoddam facinus quorumdam Hebræorum, qui amaro nimis ac maligno quodam odio aduersus Christum diabolicè incitati, quamdam eius imaginem eo prorsus modo illudere sunt aggressi, quo ipsum Christum à maioribus suis illusum fuisse acceperant. Itaque cùm illam cruci affixissent, ori eius acetum felle mixtum propinassent, caput spinea corona redimitum arundine percussissent; *tandem latus eius*, inquit, *dextrum valido lanceæ ictu transfixerunt; vnde mirabiliter aqua & sanguis effluere cœperunt.* Quid, obsecro, indicant illa antiquissimi pariterque sanctissimi huius Auctoris verba: *Latus eius dextrum?* nisi quòd Hebræi illi non minùs à maioribus suis acceperant, Christum in latere dextro fuisse perfossum, quàm fuisse crucifixum, felle & aceto potatum, spinis coronatum, & eiusmodi alia. Quis non hinc planè intelligit, de hac re, de qua nunc disputamus, olim antiquissimam atque certissimam etiam apud ipsosmet Hebræos traditionem extitisse? Porrò dictæ Imaginis olim à Iudæis crucifixæ memoriam recolere solet sancta Ecclesia quotannis die 9. Nouembris in consueta Martyrologij Romani Lectione. Transeamus ad alia Sanctorum testimonia. S.Gregorius Nazianzenus in Tragœdia, *Christus patiens* inscripta, sic ad verbum ait: *Adegit ille lanceam in dextrum latus;*
Sed mirus è fosso latere mistus latex
Sanguine, repentè effluxit, &c.

S.Isidorus in lib. de Passione Domini cap.48. idem colligit ex illis Ezechielis cap.47. vers.2. verbis: *Et ecce aquæ redundantes à latere dextro.* addit enim, *scilicet Christi.* Et ibidem Glossa interlinearis exponit, eas esse aquas Baptismi. quod & confirmare videtur S. Ecclesia, quæ in benedictione aquæ singulis diebus Dominicis facienda (vt habemus in Missali Romano prope finem) tempore Paschali cantat Antiphonam ex præcitati Prophetæ sententia quodammodò desumptam in hæc verba: *Vidi aquam egredientem de templo à latere dextro, & omnes ad quos peruenit aqua ista, salui facti sunt.* tamquam innuere volens, de latere Christi dextro manasse (vt loquuntur Patres) Baptisma, sicut & alia Sacramenta per quæ homines salutem consequuntur. Rupertus Abbas super 3.Reg. cap.10. exponens illa eiusdem libri verba, quæ habentur cap.6. vers.8. videlicet, *Ostium lateris medij in parte erat domus dextræ*, ait: *Ostium lateris templi, vulnus est in latere lanceato Dominici corporis.* sic ille. Hoc si verum est, quis non videt inde consequenter inferri, quòd si ostium erat in latere templi dextro (vt clariùs ibidem explicat editio LXX. Interpretum) oportet quoque vulnus fuisse in latere Christi dextro? præsertim cùm id ibidem disertis verbis affirmet Glossa ordinaria, dicens quòd locus ille propriè ad corpus Christi pertinet. *Ostium enim*, inquit, *lateris medij in parte erat domus dextræ; quia vnus militum lancea latus eius aperuit. Dextrum autem latus à milite apertum sancta credit Ecclesia.* sic Glossa loco Reg. citato. Idem sentiunt Innocentius Papa huius nominis III. Mysteriorum Missæ lib.2. cap.58. & Ludulphus de Vita Christi Part.2. cap.64. aliquantò vltra medium; & Ludouicus Blosius in Explicatione Passionis Domini cap.19. & S.Brigitta lib.7. suarum Reuelationum cap.15. & alij, quos, ne longior sim,

ſim, libens volenſque prætereo. Sed & illud hîc addere viſum eſt, quòd ad hoc quoque ſignificandum, olim in Miſſa calix ad dexteram oblatæ collocari ſolebat, vt teſtatur Auctor Micrologi, qui ante annos propè quingentos libellum ſcripſit de Eccleſiaſticis obſeruationibus. Is enim cap. 10. de calice & oblata verba faciens, ad verbum ſic ait: *Ita autem iuxta Romanum ordinē componenda ſunt, vt oblata in corporali poſita, calix ad dextrum latus oblatæ ponatur, quaſi Sanguinem Domini ſuſcepturus, quem de latere Dominico profluxiſſe credimus. Nam oblatam ſiue panem in verum Chriſti Corpus, ſicut & vinum in Sanguinem Dominicum conuerti non dubitamus.* ſic ille. Quòd ſi quis obiiciat, nunc ſecundùm Miſſalis Romani Rubricas aliter fieri; Reſpondere poſſumus, vtique potuiſſe S. Eccleſiam Romanam ordinare, vt deinceps calix neque ad oblatæ dexteram, neque ad ſiniſtram, ſed poſt ipſam collocaretur; ita vt ambo in medio altaris eſſent; ad hoc fortè (quemadmodum credibile eſt) vt ſic diſpoſita, maius aliquod aliud myſterium ſignificarent, puta quòd in vtroque, hoc eſt, tam in hoſtia quàm in calice conſecratis, totus ac integer eſſet Chriſtus; licet ex vi verborum conſecrationis, in hoſtia Corpus, & per concomitantiam Sanguis; in calice verò Sanguis, & per concomitantiam Corpus Chriſti ſit. Ceterùm, vtcumque res fuerit, ad poſitionem noſtram de latere Chriſti dextro lancea confoſſo firmandam, ſufficit, quòd in altari calix aliquando dicta de cauſa ad dextrum oblatæ latus ſiſti conſueuerit, numquam autem ad læuum. Denique ſi S. Franciſcus, quando ſtigmata Domini noſtri Ieſu Chriſti portabat in corpore ſuo, habebat dextrum latus quaſi lancea transfixum, & rubra cicatrice obductum, vt teſtatur S. Bonauentura in eius Legenda cap. 13. & ſi hoc modo item S. Franciſcus ferebat Crucifixi effigiem, non in tabulis lapideis ligneiſve manu artificis figuratam; ſed in carneis membris, digito Dei viui deſcriptam atque impreſſam, vt ibidem citatus Auctor poſt pauca ſubiungit: vtique oportet quòd etiam Chriſtus lancea fuerit in latere dextro confoſſus; alioquin illa non fuiſſet vera Crucifixi effigies, neque typus ritè architypo reſpondiſſet. Redeamus ad Hiſtoriam.

DE CHRISTI SEPVLTVRA. 32. Cùm autem iam ſerò eſſet factum, vt aiunt SS. Euangeliſtæ Matthæus & Marcus locis proximè citandis, nimirum inclinata iam die, quemadmodum ex infrà dicendis apparebit; Ioſeph nobilis Decurio ac diues, ab Arimathia ciuitate (quæ olim dicebatur Ramatha, eratque patria Samuelis, vt colligitur 1. Reg. cap. 7. in fine capitis, & ibidem tradit Abulenſis quæſt. 33.) venit introiuitque ad Pilatum, & petiit corpus Ieſu: Pilatus autem accerſito Centurione, vt cognouit ipſum iam eſſe mortuum, conceſſit illud Ioſepho; qui tali obtenta facultate, depoſuit de cruce corpus Ieſu, ac ſindone munda, quam tunc emerat, inuoluit, vt in ſuo monumento nouo ſepeliret. Cui ſuperueniens Nicodemus cum centum ferè libris miſturæ aloës & myrrhæ, ambo pariter condientes corpus Ieſu cum aromatibus, ſicut mos erat Iudæis ſepelire, lineis aptè colligatum poſuerunt in proximo dicti Ioſephi monumento nouo, in quo nondum quiſquam poſitus fuerat; & idem Ioſeph aduoluit ſaxum magnum ad oſtium monumenti. Subſecutæ autem mulieres, quæ cum Ieſu venerant de Galilæa, viderunt monumentum, & quemadmodum poſitum erat corpus eius; & reuertentes parauerunt aromata & vnguenta, vt tranſacto Sabbato, in quo ſecundùm Legem ceſſare ab omni opere oportebat, venientes vngerent Ieſum: Matthæi cap. 27. v. 57. vſq; ad 62. Marc. c. 15. verſ. 42. vſque ad finem capitis, Lucæ cap. 23. verſ. 50. vſque ad finem, & Ioan. cap. 19. verſ. 38. pariter vſque ad finem. Oportet autem omnia hæc acta eſſe ante ſolis occaſum; quia poſt ipſum ſtatim incipiebat Sabbati ſollemnitas, in qua nihil horum facere licuiſſet.

IVDAEI SIGNANT CHRISTI SEPVLCHRVM, ET CVSTODIRI CVRANT. 33. Altera die quæ eſt poſt Paraſceuen, id eſt in ipſomet die Sabbati quod poſt diem Dominicæ Paſſionis immediatè ſequebatur, Principes Sacerdotum & Phariſæi, recolentes ſe audiuiſſe, quòd Ieſus, cùm adhuc viueret, dixerat ſe triduo pòſt reſurrecturum; & veriti ne eius diſcipuli, ſublato furtim corpore, dicerent plebi, illum à mortuis reſurrexiſſe: impetrata à Pilato licentia, munierunt ſepulchrum, ſignantes lapidem cum cuſtodibus: Matthæi cap. 27. verſ. 62. vſque ad finem capitis.

MVLIERES PARANT VNGVENTA, VT VNGANT IESVM. 34. Cùm autem tranſiſſet Sabbatum, vt ait Marc. cap. 16. verſ. 1. hoc eſt in ſecunda veſpere eiuſdem Sabbati, quod eſt ac ſi dixiſſet, eadem die Sabbati poſt Solis occaſum, (tunc enim propriè dicebatur tranſiſſe Sabbatum, quia tunc non tenebantur vlteriùs ſabbatizare, iuxta illud Leuitici cap. 23. verſ. 32. *A veſpere ad veſperam celebrabitis Sabbata veſtra*) *Maria Magdalene, & Maria Iacobi, & Salome, emerunt aromata, vt* (ſubaudi, in craſtinum) *venientes vngerent Ieſum.* Quare neceſſarium videtur dicere, mulieres illas quæ (vt ſuprà num. 32. ex Lucæ cap. 23. verſ. 55. dictum eſt) ſubſecutæ fuerant

Ieſum

Iesum de Galilæa, & in die Parasceues de sepulchro redeuntes parauerant aromata & vnguenta, vel fuisse ab istis diuersas; (fieri enim potest vt aliquæ ex eiusmodi mulieribus eodemmet quo mortuus est Iesus die vnguenta comparauerint, aliæ verò post transactum Sabbatum:) vel si fuerunt eædem, ipsas posteà aduertisse, non satis esse quæ parauerant ante Sabbatum; & propterea, eo transacto, confestim alia emere & parare festinasse, vt manè diluculo ire possent ad sepulchrum, & corpus Iesu pro deuotione sua inungere. Vbi notandum est, quòd in eiusmodi piis mulierum conuentibus recensendis, sacri Euangelistæ expresè quidem tradunt inter ipsas extitisse etiam beatissimam Christi Matrem quando in cruce pendebat Iesus: at verò quando ad corpus eius in sepulchro inungendum ipsæ iuisse describuntur, nulla prorsus Matris Iesu mentio facta reperitur. Ex quo euidenter datur intelligi, ipsam beatissimam Virginem numquam vel minimùm titubasse in fide resurrectionis filij sui, & propterea non curasse ire cum aliis ad sepulchrum, ne cum eis visa esset quærere viuentem cum mortuis. Nam si statim ac surrexit Dominus, protinus ad lætificandam piissimam matrem accurrit, quemadmodum nos infrà num. 38. ostendemus; vtique necessariò consequitur, quòd ipsa eum iam rediuiuum viderat aut videbat, & gloriosa eius præsentia fruebatur in domo sua, quando aliæ mulieres mortuum quærebant in sepulchro.

35. Eadem nocte propè iam desinente, Maria Magdalene cum aliquot aliis mulieribus, nempe cum altera Maria, quæ Iacobi dicebatur, & cum Salome, Ioanna, ac ceteris quæ viuentem secutæ fuerant Dominum, diluculo cùm adhuc tenebræ essent (eo nimirum tempore, quo Dominum resurrexisse numero insequente dicemus) pergere cœperunt ad monumentum cum vnguentis & aromatibus, vt vngerent corpus Iesu. Et cùm euntes sollicitæ essent de lapidis impedimento inter se dicentes: *Quis reuoluet nobis lapidem ab ostio monumenti?* ecce terræmotus factus est magnus, descenditque Angelus Domini de cælo, & reuoluit lapidem, ac sedebat super eum; tantoque timore perterrefecit sepulchri custodes, vt illicò mortui concidisse viderentur, mox verò in se reuersi protinus inde aufugerint. Post hæc autem mulieres peruenerunt ad monumentum orto iam sole, inueneruntque reuolutum lapidem, & Angelum super eo sedētem: à quo cùm didicissent Christum resurrexisse, citò ab illo specu cum timore pariter & gaudio magno exierunt; statimque Maria Magdalene, relictis in eo monte sociabus, cum vna aut etiam altera ipsarum cucurrit nuntiare Petro & Ioanni quæ audierat & viderat: qui continuò ad sepulchrum properantes, cognouerunt vera esse quæ sibi nuntiata fuerant, & reuersi sunt. Quæ omnia hìc paucis perstrinximus, quoniam infrà num. 39. & 40. fusiùs explicanda erunt. Porrò quod attinet ad memoratum noctis tempus, quo mulieres ad sepulchrum Domini pergere sunt aggressæ, illud omnes Euangelistæ signanter adnotare non omiserunt, licet aliis atque aliis verbis. siquidem S. Lucas cap. 24. vers. 1. dicit eas venisse *vna Sabbati valdè diluculo:* sanctus verò Marcus cap. 16. v. 2. *valdè manè vna Sabbatorum*, quod vtique ad terminum à quo: nam quod statim subiungit, *orto iam sole*, ad terminum ad quem referendum est; ne paucis verbis & sibi ipsi, & aliis, ac præsertim S. Ioanni cōtraria asseruisse videatur, qui cap. 20. vers. 1. addit: *Cùm adhuc tenebræ essent.* At verò S. Matthæus cap. 28. vers. 1. multò obscuriùs, dixit id contigisse *vespere Sabbati, quæ lucescit in prima Sabbati.* Quæ verba proculdubiò idem significant, quod ceteri clariùs explicarunt. Nam ibi per vesperam intelligere debemus noctem, iuxta illud Genes. cap. 1. *Factum est vespere & manè dies vnus.* id est (vt nos sub prima Mundi die num. 5. exposuimus) ex nocte vna & die vno artificiali, dies vnus naturalis. Per illud autem, *Quæ lucescit in prima Sabbati*, duo perspicuè innuuntur, nempe, & quòd illa nox non erat ea quæ Sabbatum præcedebat, sed quæ subsequebatur; & quòd iam tunc propè desinebat: quandoquidem lucescere quodammodò incipiebat dies prima post Sabbatum, quam nos Dominicam appellamus. Cardinalis Baronius Tom. 1. suorum Annalium, sub anno Christi 34. vbi agit de tempore Dominicæ resurrectionis, putat S. Euangelistam ibi per vesperam intellexisse Veneris stellam, quæ manè ante auroram apparere solet. Quæ expositio quoad horam illius noctis indicandam, in idem incidit cum nostra. Verùm ego non facilè mihi persuadere possum, Scripturam sacram vocabulo *vespere*, matutinum illius stellæ ortum significare voluisse; cùm potiùs ea vox vespertinam eius apparitionem communiter indicare videatur. Nam (vt ait Plinius lib. 2. cap. 8.) *sidus Veneris ante matutinum exoriens, Luciferi nomen accipit, vt sol alter diem maturans; ab occasu verò refulgens, nominatur Vesper, vt prorogans lucem, vicémque Lunæ reddens.* Denique certum est, eamdem Scripturam Genes. cap. 1. sexies tali vocabulo noctem, vt dictum est, significasse;

gnificaſſe; & ſæpiſſimè alibi idem vocabulum pro poſtremo diei tempore, nullibi verò (quod ipſe obſeruauerim) pro dicto Luciferi ortu vſurpaſſe.

QVANDO CHRISTVS RESVRREXERIT.

36. Eadem ergo die, quæ ab Hebræis dicebatur vna, hoc eſt prima Sabbati, vel prima Sabbatorum; deinceps verò à Chriſtianis, in honorem Dominicæ reſurrectionis, dies Dominica dici cœpit: ſummo manè, ſeu valdè diluculo, vel etiam paulò ante, cùm adhuc tenebræ eſſent, credimus Chriſtum propria virtute à mortuis reſurrexiſſe, exiſſeque mirabiliter clauſo remanente ſepulchro, quemadmodum poſteà ad Apoſtolos clauſis introiſſe ianuis, &, quod mirabilius eſt, naſcens, & corpore nondum glorificatus, inuiolato Virginis vtero diuinitus prodiiſſe certum eſt. Vnde B. Gregorius Homil. 26. in Euang. *Quid ergo mirum eſt*, inquit, *ſi clauſis ianuis, poſt reſurrectionem ſuam, in æternum iam victurus intrauit, qui moriturus veniens, non aperto Virginis vtero exiit?* ſic S. Gregorius. Neque verò alicui imponat, quòd Matthæi cap. vlt. verſ. 2. ſcriptum ſit: *Et ecce terræmotus factus eſt magnus. Angelus enim Domini deſcendit de cælo; & accedens reuoluit lapidem, & ſedebat ſuper eum.* quia id poſt reſurrectionem Domini, & exitum eius de ſepulchro factum fuiſſe, omnium aſſertione certiſſimum eſt. *Nam* (vt benè ait ibidem Ianſenius) *deſcendit Angelus ac reuoluit lapidem, non vt egreſſuro Domino oſtium panderet, ſed vt Dominum iam inde egreſſum accedentibus oſtenderet.* ſic ille. Oportet autem in hoc ſanctiſſimo Dominicæ reſurrectionis myſterio plura mirabilia ſimul eſſe facta: nam præterquam quòd caro mortua toto præcedenti triduo ab omni prorſus fœtore ac putredine intus & extrà diuinitus præſeruata eſt, iuxta illud Pſal. 15. v. 10. *Non dabis ſanctum tuum videre corruptionem*; certè ſanguis quem Ieſus in Paſſione ſua & poſt mortem effuderat, mirabiliter collectus, ac venis, hepati, & cordi reſtitutus fuit, & anima corpori reunita; atque eidem corpori inſuper addita fuere, immortalitas, impaſſibilitas, agilitas, ſubtilitas, ſplendor, & ſi quæ ſunt aliæ glorioſi corporis dotes, omnes & ſingulæ in ſummo ac perfectiſſimo gradu. Porrò Ieſum die Dominico reſurrexiſſe, nemo in dubium vocat. Quòd autem primo eius diei diluculo, vel etiam paulò ante, vt dixi, reſurrexerit, videtur poſſe colligi tum ex illis verbis Regij Prophetæ in Pſalm. 56. verſ. 9. *Exurge gloria mea, exurge pſalterium & cithara: exurgam diluculo.* tum etiam ex Marc. cap. 16. verſ. 9. vbi ait: *Surgens autem manè, prima Sabbati, apparuit primò Mariæ Magdalenæ.* Nam licet non deſint, qui putent illa verba, *manè prima Sabbati*, non ad præcedentia, ſed ad ea quæ ſequuntur eſſe referenda, vt ſit ſenſus, Ieſum non ſurrexiſſe manè prima Sabbati; ſed cùm iam priùs ſurrexiſſet, poſteà manè prima Sabbati apparuiſſe Mariæ Magdalenæ: nihilominùs magis videtur veriſimile, S. Euangeliſtam hiſce verbis voluiſſe ſignare tempus Dominicæ reſurrectionis, quàm apparitionis factæ Mariæ Magdalenæ; tum quia in Sacro textu Romæ anno ſalutis 1593. quàm emendatiſſimè impreſſo, comma ponitur poſt ipſum *manè*, non autem ante; tum quia admodum expediebat aliquid de ipſo tempore Dominicæ reſurrectionis tangere, atque indicare iis quibus ipſa Domini Saluatoris reſurrectio credenda ponebatur. Nam alioqui cogeremur fateri, neminem ſanctorum Euangeliſtarum de re tanti momenti vllam prorſus feciſſe mentionem: quod mirum valdè videri poſſet. Et prætereà, quia quonam tempore apparuerit Ieſus Mariæ Magdalenæ, aliquo modo ex illa circumſtantia *primò*, ibidem poſita, colligi poteſt; & multò apertiùs ex Ioan. c. 20. vbi expreſsè traditur, quòd illa vidit Dominum, non quando venit prima vice diluculo cum aliis mulieribus ad ſepulchrum; ſed quando iterùm illuc rediit, poſt Petrum & Ioannem currentes ad ſepulchrum, & mox iiſdem de ſepulchro recedentibus, illa ibidem remanſit plorans: quod circa ſecundam diei horam accidiſſe probabile eſt. Sed fortè dicet aliquis: Si manè Dominus reſurrexit, cur ſancta Eccleſia in Sabbati ſancti ſollemnitate, non ſolùm in benedictione Cerei, verùm etiam in Miſſæ Collecta, Præfatione, & Canone, ſemper memorat noctem reſurrectionis? Dicimus, quòd nihilominùs eadem ſancta Eccleſia in die Dominica Reſurrectionis, tum in Miſſa, tum etiam in Officio ſæpiùs canit: *Hæc dies quam fecit Dominus*, &c. & in Miſſa Dominicæ in Albis ait: *In die reſurrectionis meæ præcedam vos in Galilæam.* Et vtrumque dici rectè poteſt: nam ſi paulò ante auroram Dominus reſurrexit, vtique oportet in nocte ipſum reſurrexiſſe. Et idem dici poteſt, ſi in aurora: quandoquidem totum auroræ tempus ad præcedentem noctem referri ſolet ab iis, qui diem, quem vocant artificialem, non ante ſolis apparitionem, ſed in ipſo eius ortu initium ſumere aiunt. Quo ſuppoſito, dies reſurrectionis, pro die naturali, qui diem noctemque complectitur, accipi debet. Quoniam verò auroræ tempus, iuxta communiorem hominum vſum, in conſequenti includitur die; vt primùm enim albeſcere incipit polus, communiter dicitur; Ecce iam dies eſt.

est. propterea neminem mouere debet, si tempus Dominicæ resurrectionis quandoque *diem*, quandoque verò *noctem*, sancta nuncupat Ecclesia; fortassis ad insinuandum, quòd in quodam veluti noctis dieique meditullio Dominus resurrexerit. Quod quidem meditullium Psalmista vocat *diluculo*; & Lucas, *valdè diluculo*, Marcus verò *manè, & valdè manè*; Ioannes autem, *manè cùm adhuc tenebræ essent*. Notare autem præcisè punctum & horam, hoc est ipsummet temporis momentum in quo Christus resurrexit, non erat necessarium, nec in Scripturis sacris vsitatum; vt nos aliàs non semel monuimus. Quamobrem illud quod in benedictione Cerei Paschalis sancta canit Ecclesia; *O nox, quæ sola meruit scire tempus & horã, in qua Christus ab inferis resurrexit*; procul dubiò de huiusmodi horis, hoc est tẽporum punctis ac momentis accipiendũ videtur. Igitur si, vt suprà num. 23. dictum est, Dominus noster obiit Feria sexta, hora diei septima aliqua iam ex parte inchoata, & die Dominico resurrexit hora circiter media ante solis ortum, vel paulò priùs; vtique consequitur, animam Christi mansisse à corpore separatam, non tribus diebus integris, sed per Synecdochen acceptis, nimirum per horas duas & quadraginta tantummodò inchoatas, quæ partem Feriæ sextæ, & totam diem Sabbati, & partem Dominicæ continebant. Nam tres circiter ex quattuor horæ septimæ partes, & aliæ quinque horæ quæ restabant Feriæ sextæ vsque ad solis occasum, & vigintiquattuor horæ Sabbati, & vndecim cum dimidia Dominicæ, faciunt horas quadraginta vnam & aliquid ampliùs. Quod temporis spatium communi Medicorum iudicio, abundè sufficit ad plenè probandum quòd quis verè mortuus sit. Nec obstat quod communiter dicitur, animam Christi mansisse quadraginta horis à corpore separatam; quia aliàs quoque vsurpari solet numerus perfectus pro imperfecto, vt quando fit mentio Septuaginta Interpretum, & Septuaginta Discipulorum Christi; cùm tamen tam isti quàm illi fuerint septuaginta duo, & mansiones in deserto factæ, sæpè dicuntur quadraginta, tametsi fuerint quadraginta duæ. Hæc est verissima & exactissima temporis horarũq; dormitionis Domini calculatio. Cui si quis opponat ipsummet Christum Matthæi cap. 12. vers. 40. dicentem: *Sic erit filius hominis in corde terræ tribus diebus, & tribus noctibus*; dicimus & hoc quoque verissimum esse, si & ipsum per Synecdochen accipiatur, & si metiri voluerimus diem naturalem, vt solent multæ nationes, & interdum etiam sacra Scriptura, nempe ita vt incipiat à media nocte (quando scilicet sol post descensum suum vsque ad nostros antipodes, rursus incipit eleuari & ascendere ad nostrum horizontem) & desinat in media nocte subsequente. Nam licet Christus ex illis tribus diebus & tribus noctibus, secundum diem naturalem integrum in corde terræ, hoc est in partibus prope centrum terræ existentibus transegerit; primum tamen & tertium non totos apud inferos transegit, sed partem ipsorum dumtaxat. Certum est enim, ipsum obiisse circa meridiem diei Veneris; ergo de illa die mansit mortuus per solam medietatem illius diei naturalis, quæ constabat ex reliqua medietate illius diei artificialis, & primà medietate noctis subsequentis. Similiter cùm certum sit, eumdem Christum surrexisse in aurora tertiæ diei, quæ fuit Dominica; vtique oportet ipsum de dicta die tertia moratum esse in inferioribus terræ partibus tantummodò durante media illa nocte à qua eadem dies tertia incipiebat, & aliquid, puta mediam horam vel paulò plus de die artificiali, qui eidem auroræ copulabatur; supposito, quòd ipsa aurora, vel maior eius pars, vt vulgari more fit, cum initio diei subsequentis computari soleat. Ecce quomodo dicti tres dies singuli aliquid de die & aliquid de nocte participarunt; & consequenter, rectè dici potuit per Synecdochen, Christum tribus diebus & tribus noctibus, hoc est, partem trium dierum & trium noctium mansisse in corde terræ. Sanè intra dictum tempus, idem Christus, hoc est, persona eius diuina, quæ vnita corpori mansit in sepulchro horis circiter triginta sex, (sepultum namque fuit corpus Christi hora diei artificialis vndecima circiter desinente) vnita animæ descendit ad inferos, videlicet ad quattuor quas dicunt Inferni partes in terræ penetralibus existentes; quarum prima, cæterisque altior Limbus sanctorum Patrum, siue Abrahæ sinus dicebatur. Ad quem locum post hanc vitam descendebant animæ iustorum, ibidemque sine vllo doloris sensu, beata redemptionis spe sustentati, quieta habitatione fruebantur, expectantes aduentum Christi, qui sua passione, morte, & resurrectione, cæli portas aperiret, eosque, vt posteà fecit, secum ad æterna Paradisi gaudia perduceret. vnde de Lazaro legimus Luc. cap. 16. vers. 22. quòd quando mortuus est, portatus fuit ab Angelis in sinum Abrahæ. Quamquam etiam aliquando sancta Ecclesia, ex quo Abraham nunc est in cælis, vsurpet sinum Abrahæ pro Paradiso cælesti, vt patet ex illa Antiphona, quæ

CHRISTVS MANSIT MORTVVS PER HORAS CIRCITER 42.

ET IN SEPVLCHRO HORIS CIRCITER 36.

quæ canitur in Officio S. Martini Episcopi, videlicet: *Martinus Abrahæ sinu lætus excipitur.* sequitur enim: *Martinus hic pauper & modicus, cælum diues ingreditur, hymnis cælestibus honoratur.* In Ordine etiam Commendationis animæ legimus: *Suscipiat te Christus qui vocauit te, & in sinum Abrahæ Angeli deducant te.* & ferè idem repetit Sacerdotale in Officio sepulturæ. Secunda inferni pars, quæ paruulorum Limbus dicitur, in quo iidem paruuli, qui ante expiationem peccati originalis decedunt, pœnæ quidem sensus expertes, sed diuina visione perpetuò priuati manent. Quamuis vtrùm omni prorsus molestia tum interna tum externa careant, an potiùs aliquo dolore interno, licet leuissimo, ex amissione beatitudinis æternæ afficiantur, non omnino inter sacros Theologos conueniat. Videat, qui volet, de hac re plura apud Cardinalem Bellarminum lib. 6. de Amissione gratiæ, à cap. 1. vsque ad 8. & specialiter cap. 6. Sane duo memorata inferni loca pro his facta sunt, qui tantummodò ad pœnam damni sustinendam sunt destinati, vel ad tempus, vt qui in primo; vel in perpetuum, vt qui in secundo morantur. Nam qui præter damni, etiam sensus pœnam patiuntur temporalem, ad tertium; qui verò ad æternam, ad quartum inferni locum descendunt. Et hæc est quadruplicis huius inferorum distinctionis ratio. Itaque tertia memoratarum inferni pars, illa est, quæ Purgatorium communiter appellatur, in quo ad tempus purgantur animæ, quæ in Dei quidem gratia de hac vita migrarunt, non tamen adhuc peccatorum suorum pœnitentia omnino peracta. Quarta demum & omnium infima, quæ magis propriè infernus seu infernus inferior in Psalm. 85. verf. 13. vocatur, parata est diabolo & angelis eius, & his item hominibus, qui diuinis mandatis inobedientes, in peccato mortifero mortui sunt, & propterea cum desertoribus angelis ad æterna tormenta damnari meruerunt. Verùm hîc aduertere oportet, quòd de memorato paruulorum Limbo, neque sanctus Thomas loco inferiùs citando, neque Catechismus Romanus vbi de Christi descensu ad inferos agit, quidquam meminerunt; siue quia, vt ait Caietanus super eodem sancti Thomæ loco, dicti paruuli inter damnatos comprehensi fuerint; siue meliùs, quia forsitan paruuli, qui ante aduentum Christi sine circumcisione, vel alio Sacramento eos à peccato originali tunc liberante, de hac vita migrabant, seorsum in aliqua parte Limbi SS. Patrum, ipsis paruulis speciatim deputata, manere solerent, donec Christus eductis omnibus de Limbo Patribus, totum illum locum, tum pro prædictis, tum pro aliis paruulis qui deinceps sine Baptismo mortem oppeterent, deputaret. Hoc enim ponere, admodum rationabile videtur; ne cogamur dicere, Limbum SS. Patrum aut post Christi resurrectionem illicò fuisse destructum, quod probari non potest; aut nunc omnino manere vacuum & nullius vsus; cùm certum sit, nihil eorũ quæ à Deo facta sunt, inane aut superuacaneum in mundo esse dicive posse. *Dei enim perfecta sunt opera*, Deuter. cap. 32. verf. 4. *Et his quæ fecit Deus non possumus quidquam addere, nec auferre*; Ecclesiastæ cap. 3. verf. 14. Itaque si hoc, quod postremò diximus, licet admittere; tria tantùm inferni loca cum ipso Catechismo nunc ponenda videntur. Porrò Christi animam Diuinitati vnitam ad hæc loca descendisse certissimum est, vt SS. Patres inde secum educeret; & his qui purgabantur, spem gloriæ daret, & damnatos incredulitatis argueret; vel etiam, vt viuorum atque mortuorum Dominum se esse ostenderet, & quasi caperet possessionem totius regni sui. Siquidem ad regnum eius pertinent etiam damnati & carcerati, tamquam qui iustè in vinculis ac tormentis ipsius iussu ac imperio ad tempus, vel in perpetuum detinentur. Vtrùm autem Christus per realem (vt ita dixerim) præsentiam solùm descenderit ad Limbum SS. Patrum, vt eos salutari sua præsentia lætificaret; per effectum verò ad alia inferni loca, vt docet sanctus Thomas Part. 3. quæst. 52. art. 2. an potiùs ad omnia inferni loca reipsa descenderit eo modo quo solet aliquando Rex inuisere carceres, vt aliquos liberet, quemadmodum probat Cardinalis Bellarminus lib. 4. de Christo cap. 16. tum ex illis Ecclesiastici cap. 24. verf. 45. verbis: *Penetrabo omnes inferiores partes terræ, & inspiciam omnes dormientes.* tum ex aliquot SS. Doctorum, Augustini, Fulgentij, Cyrilli Ierosolymitani, Ambrosij, & Eusebij Emisseni auctoritatibus, sacris Theologis discutiendum relinquamus; vt ad historiam nostram prosequendam paucisque absoluendam properemus. Illud hîc tantummodò prædictis adiicientes, quod idem Bellarminus in breui quadam Symboli Apostolici expositione Italicè ad vsum Parochorum conscripta, dicit, *credibile esse Christum de Limbo sanctorum Patrum sese ostendisse inferno, vt damnatos magis terreret ac reprehenderet; & Purgatorio, vt animas in eo existentes consolaretur; & quòd fortè eas vel omnes, vel plures inde tunc eduxerit.* Et notandum est, quòd citatus

citatus Auctor ibi loquitur alternatiuè: *plures, aut omnes.* quia sanctus Thom. Part. 3. quæst. 52. art. 8. tenet plures tantùm; sanctus verò Bonauentura & multi alij Theologi, quorum loca citat Gregorius de Valentia Tomo 4. disput. 2. puncto 3. tenent, omnes Dei electos, & consequenter omnes tùc in Purgatorio existentes inde à Christo fuisse eductos. Quam sententiam idem Gregorius ibidem multis rationibus & Scripturæ sacræ sanctorumque Patrum auctoritatibus confirmat. Et certè hoc magis congruere videtur supremæ tanti Principis liberalitati & magnificentiæ, & item tempori redemptionis mundi, & tantæ tamque vniuersalis omnium ad supernam patriam pertinentium lætitiæ. videmus enim, magnos Principes triumphali tēpore, singulari quodam priuilegio carceres aperire, vinctos soluere, & debita gratis remittere: & interdum summos quoque Pontifices plenariam verè pœnitentibus indulgentiam concedere.

37. Post resurrectionem exitumque Domini de sepulchro, statim, vel paulò pòst, terræmotus factus est magnus: descendens enim de cælo Angelus Domini reuoluit lapidem, nimirum ab ostio monumenti, & sedebat super eum: erat autem aspectus eius sicut fulgur, & vestimētum eius sicut nix; & exterriti custodes, facti sunt velut mortui; mox resumpto spiritu, fugerunt inde omnes, (neminem enim ipsorum ibi inuenerunt mulieres, quæ non multò pòst ad monumentum peruenerunt.) Porrò quidam de custodibus currentes ad Principes Sacerdotum, nuntiauerunt eis omnia quæ facta fuerāt. At illi erogata dictis custodibus pecunia multa, obtinuerunt vt dicerent, corpus Iesu ipsis dormientibus furtim noctu à discipulis eius fuisse sublatum: Matthæi cap. 28. v. 2. vsque ad 5. & vers. 11. vsque ad 16. Oportet ergo prædictum terræmotum, & Angeli descensum de cælo, factum esse inter tempus quo surrexit Dominus, & quo mulieres, de quibus infrà num. 39. agemus, peruenerunt ad sepulchrum; nimirum quando adhuc erant in via, & dicebant ad inuicem: *Quis reuoluet nobis lapidem ab ostio monumenti?* hoc namque indicant verba citati Euangelistæ vers. 1. & 2. & certum est, eas inuenisse iam reuolutum lapidem.

DE TERRAE MOTV ET CVSTODIBVS A SEPVLCHRO AVFVGIENTIBVS.

38. Est autem communis opinio, ex veteri traditione deducta, & ab omnibus recepta, quam puto esse verissimam; nempe, Dominum eadem hora qua resurrexit, apparuisse primò dilectissimæ Matri suæ. Quod certè videtur rationi valdè consentaneum: nam qui præcepit honorem habendum esse parentibus, id ipsum ante omnia exequi voluisse credendum est. Et illa quæ præ incomparabili amore plus ceteris omnibus de filij sui passione doluerat, & quæ sola de fide & spe salutiferæ resurrectionis eius ne vel minimum quidem vnquam hæsitauerat; meritò ac iure prima omnium debuit consolari. Nec mirum videri debet, quòd nihil prorsus de hac apparitione in sacro Euangelio scriptum reperiatur: quoniam solas illas sacri Euangelistæ apparitiones scriptis mandare operæpretium duxerunt, quæ vel incredulis factæ sunt, vel iis qui de ipsis testificari conuenienter possent. Clarum est autem, propriæ matris testimonium, in re præsertim tanti ponderis, non fuisse opportunum. Neque verò ei Iesum apparuisse credendum est, vt eam ab aliqua mentis perplexitate liberam faceret; sed vt ipsam desiderabili præsentia sua lætificaret. Notum quoque est, Iesum multa alia fecisse præter ea quæ scripta sunt, quemadmodum S. Ioannes in calce sui Euangelij testatum reliquit.

DE PRIMA CHRISTI APPARITIONE FACTA BEATISSIMAE MATRI SVAE.

39. Ceterùm, inter Christi apparitiones à sacris Euangelistis descriptas, prima fuit ea quæ facta est Mariæ Magdalenæ, vt asserit S. Marcus cap. 16. vers. 9. Hanc fusiùs describit S. Ioan. cap. 20. vers. 1. vsque ad 19. Verumtamen, vt apparitionum Domini historiæ series suo ordine dirigatur, sciendum est, quòd (vt suprà num. 35. diximus, & cognosci potest ex collectione eorum quæ tradunt SS. Euangelistæ, Matthęus, Marcus & Lucas, singuli cap. vltimo, & Ioannes cap. pænultimo; non enim singuli omnia, sed aliqua dumtaxat tetigerunt) eodem die & eadem circiter hora qua Dominus resurrexit, Maria Magdalene & aliquot aliæ mulieres, valdè manè, seu valdè diluculo, cùm adhuc tenebræ essent, & vix polus albescere inciperet, iuxta condictum simul conuenire cœperunt, (neque enim omnes in vna eademque domo habitasse creduntur) & pariter pergere ad sepulchrum, portantes quæ parauerant aromata & vnguenta, vt vngerent Iesum. Et vt fit in multitudine mulierum, dum aliæ alias adiuuant atque expectant, non peruenerunt ad monumentum nisi orto iam sole, id est, nisi quando iam sol supra horizontem erigi incipiebat, & radiis suis altiora terræ collustrare; quo tempore proculdubiò iam Dominus resurrexerat. Dicebant autem ad inuicem in via: *Quis reuoluet nobis lapidem ab ostio monumenti? erat quippe magnus valdè.* At verò ad ipsum appropinquantes, & prospicientes, viderunt reuolutum lapidem; & specum ingressæ, non inuene-

DE CHRISTI APPARITIONIBVS IN EVANGELIO REGISTRATIS.

inuenerunt corpus Iesu, sed viderunt Angelum sedentem super reuolutum lapidem, qui dixit eis: *Nolite timere vos: scio enim quòd Iesum qui crucifixus est quæritis: non est hîc: surrexit enim sicut dixit. Venite, & videte locum vbi positus erat Dominus:* Matth. cap. vltimo vers. 5. & 6. vel, vt ait Marcus cap. 16. vers. 5. *Viderunt iuuenem sedentem in dextris coopertum stola candida, & obstupuerunt, qui dixit eis: Nolite expauescere; Iesum quæritis Nazarenum, crucifixum; surrexit, non est hîc; ecce locus vbi posuerunt eum. Sed ite, dicite discipulis eius & Petro, quia præcedet vos in Galilæam; ibi eum videbitis, sicut dixit vobis.* At illæ tali visione perterritæ, exeuntes fugerunt de monumento; inuaserat enim eas timor & pauor. Et tunc Maria Magdalene cum vna, vt arbitror, aut altera tantùm, relictis ibi ceteris, statim rediit ad ciuitatem, & properauit nuntiare Petro & Ioanni, dicens: Tulerunt Dominum de monumento, & nescimus vbi posuerunt eum. Oportet etiam ipsam & sociam seu socias eius tunc pariter retulisse aliis ibidem existentibus de visione Angelorum seu Angeli, qui dixerat Iesum viuere, vt ex Lucæ cap. 24. vers. 22. vsque ad 25. necessariò inferri posse videtur. Puto autem interim reliquas mulieres quæ in monte remanserant, non procul à sepulchro recessisse; sed in alia eiusdem montis parte, sic vt erant obstupefactæ & veluti semimortuæ, aliquamdiu permansisse, nihil interim de his quæ ab Angelo audierant loqui audentes.

MAGDALENA PROPERAT NVNTIARE APOSTOLIS SVBLATVM ESSE CORPVS IESV DE SEPVLCHRO.

PETRVS ET IOANNES CVRRVNT AD SEPVLCHRVM.

40. Vt primùm autem Maria Magdalene peruenit ad Petrum & Ioannem, nuntiauitque sublatum esse Dominum; illi protinus festino admodum gradu simul ad sepulchrum pergentes, Ioannes quidem ad ipsum peruenit primus: at verò Petrus posteà primus in ipsum introiuit; & ambo viderunt vno in loco linteamina posita, in alio autem sudarium quod fuerat super caput eius, separatim inuolutum. Quibus visis abierunt ad semetipsos, & cùm nuntiassent aliis quæ viderant, duo ex discipulis statim abierunt vt irent in Emmaus. Oportet enim post reditum Petri & Ioannis de monumento, & antequam Maria Magdalene secundò venisset ad Apostolos, cum ipsis Apostolis illos quoque duos extitisse discipulos, qui posteà eodem die profecti sunt in Emmaus: nam in itinere dicebant Christo, quem peregrinum putabant: *Sed & mulieres quædam ex nostris terruerunt nos, quæ ante lucem fuerunt ad monumentum, & non inuento corpore eius, venerunt* (nempe Maria Magdalene cum vna vel altera ex eius sociabus) *dicentes, se etiam visionem Angelorum vidisse, qui dicunt eum viuere. Et abierunt quidam ex nostris ad monumentum,* (videlicet Petrus & Ioannes) *& ita inuenerunt, sicut mulieres dixerunt,* (hoc est, non esse ampliùs in monumento corpus Christi,) *ipsum verò non inuenerunt.* At Maria Magdalene, quæ post Petrum & Ioannem iterùm venerat ad monumentum, stabat foris plorans; & dum fleret, inclinauit se, & prospexit in monumentum; & vidit duos Angelos in albis sedentes, vnum ad caput, & vnum ad pedes, vbi positum fuerat corpus Iesu; qui dicunt ei: *Mulier quid ploras? Dicit eis: Quia tulerunt Dominum meum, & nescio vbi posuerunt eum.* Hæc cùm dixisset, retrorsum conuersa, vidit Iesum stantem, ac sciscitantem cur ploraret, & quid quæreret; ipsa verò putans quòd hortulanus esset, interrogauit eum de corpore Iesu. Cui Iesus statim manifestauit se, proprio eam nomine compellans, ac dicens: *Maria.* at illa protinus, vt consueuerat, accurrit ad amplexandos pedes eius. Verùm Iesus, sciens eam illicò credidisse, nec opus esse tactu ad fidei eius comprobationem: vel potiùs, probè intelligens quòd ipsa diutiùs tunc voluisset immorari ad pedes eius, dixit ei: *Noli me tangere, nondum enim ascendi ad Patrem meum.* ac si dixisset: Noli modò moram trahere in eiusmodi amplexibus, commodiori namque tempore & pleniori spiritu talia mihi obsequia spiritualiter præstare poteris cùm ascendero ad Patrem meum: sed, quod nunc attinet, vade citò ad fratres meos, hoc est ad Apostolos, & dic eis: *Ascendo ad Patrem meum, & Patrem vestrum,* &c. Venit illa annuntians discipulis: *Quia vidi Dominum, & hæc dixit mihi:* Ioan. cap. 20. vers. 2. vsque ad 19. Hæc igitur, vt diximus, fuit prima Christi apparitio ex his quæ in Euangelio registratæ habentur, quam circa horam diei secundam accidisse arbitramur.

MAGDALENA REDIT AD SEPVLCHRVM.

PRIMA DOMINI APPARITIO FACTA MARIAE MAGDALENAE.

41. Dum hæc agerentur, reliquæ mulieres seorsum à monumento, vt dictum est, non admodum distantes, mente adhuc consternatæ ac plenæ timoris morabantur. Et ecce duo viri (fortassis illimet qui paulò antè Mariæ Magdalenæ locuti fuerant) steterunt secus illas in veste fulgenti dicentes: *Quid quæritis viuentem cum mortuis? non est hîc, sed surrexit: recordamini qualiter locutus est vobis, cùm adhuc in Galilæa esset, dicens: Quia oportet filium hominis tradi in manus peccatorum, & crucifigi, & die tertia resurgere. Et recordatæ sunt verborum eius:* Lucæ cap. 24. vers. 4. vsq; ad 9. Et regressæ à monumento, hoc est à monte vbi erat monumentũ, cum timore & gaudio magno, cucurrerunt & ipsæ nũtiare discipulis quæ viderant & audierãt. Et ecce properantibus, occurrit

rit illis Iesus, dicens: *Auete. illæ autem accesserunt, & tenuerunt pedes eius, & adorauerunt eum. Tunc ait illis Iesus: Nolite timere. ite, nuntiate fratribus meis vt eant in Galilæam, ibi me videbunt:* Matthæi cap.28.vers.8.vsque ad 11. Cum dictis verò mulieribus Mariam Magdalenem tunc non extitisse, optimè probat Cardinalis Toletus super Ioannis 15. cap.20. Annotat.3. vnde consequitur, Dominum ipsi Magdalenæ semel tantùm, vt nos quoque credimus, non autem bis eodem die, vt aliqui putarunt, apparuisse. Et hæc fuit secunda Domini apparitio, eodem die non multò post primam facta. Oportet autem has mulieres peruenisse ad Apostolos, quando Maria Magdalene, quæ paulò antè ad eosdem venerat, narrare iam cœperat se vidisse Dominum. Et proptereà S. Lucas cap. citato vers. 9. veluti breuiter repetens simul omnes eiusmodi mulierum relationes, vbi ait, quòd ipsæ *à monumento regressæ nuntiauerunt hæc omnia illis vndecim, & ceteris omnibus,* protinus subiungit: *Erat autem Maria Magdalene, & Ioanna, & Maria Iacobi, & ceteræ quæ cum eis erant, quæ dicebant ad Apostolos hæc, & visa sunt ante illos sicut deliramentum verba ista: & non crediderunt illis.* Credimus autem, Dominum priùs apparuisse feminis quàm viris, & per illas primò annuntiasse Discipulis admirabilem suam resurrectionem: tum quia sicuti mulier prima ministrauerat diabolo ad viri damnationem, ita conueniens videbatur vt muliebre genus Christo ministraret ad salutem Discipulorum; vt & huiusmodi sexus olim plurimùm ignominiæ obnoxius, in honorem spesque bonas adduceretur. Et hoc est quod adnotauit Euthymius super Matth. cap. 68. dicens: *Mulieribus pro Apostolis vsus est ad Apostolos, honorans genus quod ex serpentis seductione infame factum fuerat. Et quia olim mulier viro facta est ministra mœroris, nunc mulieres fiant viris ministræ gaudij:* tum etiam quia ipsæ mulieres sollicitiores fuerant in quærendo Dominum, qui cùm non sit acceptator personarum, sinit se citiùs inueniri ab iis qui eum studiosiùs inquirunt. Vnde memoratus Auctor vbi suprà, ait: *Quæ ante omnes diluculo surrexerant, ante omnes vident Dominum, & hoc in mercedem sui studij suæq; festinationis referunt.*

SECVNDA DOMINI APPARITIO FACTA MVLIERIBVS IN VIA.

42. Eodem die necesse est Iesum apparuisse Petro, vt colligitur Luc. cap. vlt. vers. 34. vbi narrat, duos discipulos de Emmaus reuersos in Ierusalem, audisse ab vndecim Apostolis, *Quòd surrexit Dominus verè; & apparuit Simoni.* Huius quoque meminit Apostolus 1. ad Corinth. cap. 15. vers. 5. Et credibile est, hanc fuisse tertiam illius diei apparitionem, vt sentit sanctus Augustinus Tomo 4. lib. 3. de Consensu Euangelistarum cap. 25. Quamuis enim id ex Scriptura sacra conuinci non possit, probabilius tamen videtur, Dominum priùs Petro, cui specialiter resurrectionem suam per mulieres nuntiari curauerat, apparuisse, quàm duobus discipulis. Nam (vt ait Franciscus Suarez Tomo 2. super Part. 3. sancti Thomæ disput. 49. sect. 4.) conueniens fuit, vt inter viros primò Dominus appareret Petro, quia futurus erat caput omnium; & ne videretur neglectus propter peccatum negationis commissum, sed potiùs indicaretur quàm esset vtilis pœnitentia, quantaque fuerit Christi charitas & sollicitudo consolandi Discipulum ob dictum crimen magno mœrore confectum. Nam & propter has causas etiam Angelus loquens ad feminas, specialem fecit Petri mentionem, dicens: *Item, dicite discipulis eius & Petro,* &c. Quando autem & vbi ei Dominus apparuerit, Scriptura sacra non tradit. Videtur tamen satis probabiliter credi posse, quòd ipse Petrus, vt audiuit à Maria Magdalena aliisque mulieribus de sepulchro redeuntibus, ipsas reuerà vidisse adorasseque Dominum, ipse quoque ardenti incensus desiderio illum videndi, iterùm solus redierit ad monumentum, ibique vel prope ipsum ei Dominus apparuerit, & de remissione peccati certum reddiderit, lætumque ad alios Discipulos remiserit; vt qui mulieribus credere recusauerant, saltem ei fidem habere non indignum ducerent. Quod & factum est; nam posteaquam ipse coram eis contestatus est, se vidisse Dominum; illi deinde duobus Discipulis de Emmaus reuersis, dicebant: *Quòd surrexit Dominus, & apparuit Simoni.*

TERTIA DOMINI APPARITIO, FACTA PETRO.

43. Quarta ergo eiusdem diei apparitio credi potest fuisse, quæ contigit memoratis duobus discipulis euntibus in castellum nomine Emmaus, sub figura cuiusdam peregrini, qui eos primùm comiter interpellauit, tum de sermonibus quos inuicem habebant in via; tum de tristitia, quam in aspectu non obscurè præ se ferebant: mox eorum in credendo tarditatem leniter increpauit, & incipiens à Moyse & omnibus Prophetis, interpretabatur illis, in omnibus Scripturis quæ de ipso erant. Et denique ab ipsis inuitatus, & amabili quodam conatu exceptus hospitio, agnitus fuit in fractione panis, vt breuiter tangit Marcus, & fusiùs describit Lucas locis citatis. Quoniam autem sanctus Euangelista ait, quòd Emmaus distabat ab Ierusalem stadiis sexaginta, quæ

QVARTA DOMINI APPARITIO, FACTA DVOBVS DISCIPVLIS EVNTIBVS IN EMMAVS.

faciunt passuum milliaria septem cum dimidio, quæ tribus circiter horis confici commodè potuisse videntur; & quòd quando illi duo discipuli illuc peruenerunt, iam aduesperascebat, & inclinata erat dies; & quòd vt primùm cognouerunt Dominum in fractione panis, eadem hora reuersi sunt, hoc est, reuerti cœperunt in Ierusalem. Profectò ad hæc omnia rationabiliter componenda, necessariò videtur supponendum, quòd iidem duo discipuli, tametsi circa horam diei secundam (vt ex supradictis colligi potest) ab aliis discipulis recesserint; non tamen statim, sed non nisi post quædam ipsorum negotia in ciuitate expedita, & fortè etiam post prandium, nempe hora diei propè sexta egressi sint de Ierusalem, & hora circiter nona desinente peruenerint in Emmaus. Tunc enim per tres circiter à meridie horas inclinata iam erat dies, & consequenter aduesperascebat, id est aduesperascere quodammodò incipiebat. Puto igitur tunc eos, tamquam de via fessos anticipare voluisse tempus vespertinæ refectionis; & agnito in primo ferè ad mensam accubitu Domino, protinus ab ea surrexisse, & in reliquo trium ferè horarum spatio festinanter ad condiscipulos in Ierusalem cum gaudio rediisse.

QVINTA DOMINI APPARITIO, DECEM APOSTOLIS FACTA.

44. Quinta Domini apparitio est illa, quam narrant Lucas & Ioannes vbi suprà, factam coram decem Apostolis, cùm iam serò esset die illa vna Sabbatorum, id est ad vesperam prædictæ primæ diei post Sabbatum, quando venit Iesus ianuis clausis vbi erant discipuli congregati, & stetit in medio eorum, & dixit: *Pax vobis*, ostenditque eis manus & latus, & pedes pariter perforatos. Et quoniam conterriti existimabant se spiritum videre, præbuit se palpandum, & manducauit coram eis, vt ab eorum animis omnem de vera ac reali ipsius resurrectione propelleret dubitationem. Manducauit, inquam, verè, non autem specie tantùm, quemadmodum olim Angeli quos Abraham hospitio suscepit, Genes. cap. 18. vers. 9. & Raphaël Angelus, qui videbatur quidem manducare & bibere cum Tobia & aliis, sed reverà cibos illos corporeos non manducabat, sicuti posteà ipsemet affirmauit Tobiæ cap. 12. vers. 19. Et ratio huius diuersitatis est, quia (vt optimè docet S. Thom. Part. 3. quæst. 55. art. 6. ad 1.) Christus post resurrectionem suam habebat corpus humanum animatum & viuum, quod verè poterat comedere; Angeli autem assumere solebant corpora inanimata, quæ erant veræ comestionis omnino incapacia; & ideò licet comedere viderentur, verè tamen non comedebant, sed specie tenus, vt dictum est. Nec obstat, quòd corpora gloriosa, quale erat corpus Christi post resurrectionem, nutrimēto non indigeant corporeo ad sui conseruationem seu sustentationem, cùm sint immortalia & incorruptibilia, dicente de electis Domino: *In resurrectione erunt sicut Angeli Dei in cælo:* Matthæi cap. 22. vers. 30. & Marci cap. 12. vers. 25. & Lucæ cap. 20. vers. 36. & propterea non vtuntur cibo ac potu visibili, sed qualis ab hominibus videri non potest; quemadmodum dicebat Angelus loco Tobiæ citato: non, inquam, hæc obstant; quia, vt benè aiunt allegati à sancto Thoma vbi suprà D. Augustinus lib. 13. de Ciuit. cap. 22. *Non potestas, sed egestas edendi ac bibendi corporibus resurgentium aufertur.* & Beda cap. 97. in Lucam: *Christus manducauit potestate, non necessitate: aliter enim absorbet aquam terra sitiens, aliter solis radius cadens. illa indigentia; iste, potentia.* hæc ille. Cùm autem Dominus manducasset coram Discipulis suis, aperuit illis sensum vt intelligerent Scripturas; replicauitque eis quæ dixerat ante passionem suam, Matthæi capit. 26. vers. 54. videlicet, quòd oportuit impleri Scripturas, & Christum pati, & resurgere à mortuis die tertia, & opus erat prædicari in nomine eius pœnitentiam & remissionem peccatorum in omnes Gentes, &c. Luc. cap. 24. vers. 44. vsque ad 48. Et insuper addidit Dominus quæ traduntur Ioan. cap. 20. vers. 21. vsque ad 24. nimirum, *Sicut misit me Pater, & ego mitto vos*, subaudi, ad prædicanda quæ dixi. Quæ verba exponens S. Gregorius Homil. 26. in Euangelia, ait: *Sicut misit me Pater, id est, ea vos charitate diligo, cùm inter scandala persecutorum mitto, qua me charitate Pater diligit, quem venire ad tolerandas passiones fecit.* Denique insufflans Dominus dedit illis Spiritum sanctum, & potestatem remittendi peccata, vt ibidem subiungitur. Quoniam verò Ioannes statim prosequitur, dicens: *Thomas autem nō erat cum eis*, &c. Ex illo loco hæretici perperàm colligunt, ipsum Thomam non accepisse Spiritum sanctum, nec potestatem remittēdi peccata. Recolat prudens Lector quæ nos sub anno mundi 2545. n. 56. diximus, nimirum, eosdē hæreticos redargui meritò posse ac debere exemplis Eldad & Medad, qui licet non adessent quando eos Moyses in numerum septuaginta Seniorum adsciuit; non minùs tamen ipsi absentes, quam qui aderant, Spiritu diuino afflati prophetare cœperunt. Ceterùm quia ex S. Luca certum est, proximè memoratam apparitionem factam esse eo tempore, quo illi duo discipuli celeri admodum passu redierant de Emmaus, & inuenerant

vndecim

vndecim Apostolos congregatos, & alios cum eis, & loquebantur ad eos de his quæ accidérant sibi in via; & item certum est, vt scribit S. Ioannes, quòd Thomas non erat cum eis, quando hac vice venit Iesus: vtique necessarium fit credere, Thomam quidem fuisse ibi quando reuersi sunt hi duo de Emmaus (alioqui non fuissent vndecim Apostoli ab eis inuenti) & audisse quæ ab eisdem duobus discipulis dicebantur; sed non multò pòst exisse: vtpote qui præ incredulitate sua iam ampliùs sustinere non posset ibidem diutiùs immorari, & quas ipse putabat nugas eorum audire: ac post eius discessum (vt etiam tradit S. Augustinus lib. 3. de Consensu Euangelistarum cap. 25. ante medium) ceteris inchoatos sermones prosequentibus, & quibusdam ex ipsis (vt paulò pòst probabitur) adhuc non plenè credentibus, Dominum apparuisse decem, vt dictum est, Apostolis, & aliis discipulis ibidem congregatis. Qui posteà nuntiauerunt ipsi Thomæ dicentes: *Vidimus Dominum.* At ille respondit, inquiens: *Nisi videro in manibus eius fixuram clauorum, & mittam digitum meum in locum clauorum, & mittam manum meam in latus eius, non credam.* Dixi extitisse quosdam non plenè credentes his quæ à duobus discipulis ab Emmaus reuersis dicebantur; quia id apertè asserit S. Marcus cap. vltimo vers. 13. vbi de eisdem duobus discipulis verba faciens ait: *Et illi euntes nuntiauerunt ceteris, nec illis crediderunt.* id est, nec omnes, vel, nec plenè illis crediderunt. Nam de aliquibus necesse est fateri quòd crediderint, puta de Petro, cui iam apparuerat Dominus; & item de iis qui dicebant, *quòd surrexit Dominus verè, & apparuit Simoni:* Lucæ cap. vlt. vers. 34. Igitur quinque, quas hactenus ex sacro Euangelio memorauimus Domini apparitiones, in ipsomet Dominicæ Resurrectionis die factas esse, certissimum est: de reliquis verò aliis quinque, quas subsequenter recensebimus, tametsi dubium non sit, eas quoque intra quadraginta dies à resurrectione Domini ad eius ascensionem decursos contigisse; nihilominus, quibusnam diebus aut temporibus singulæ factæ fuerint, certò definiri non potest; præterquam de duabus, nempe ea quam hîc proximè subiungemus, de qua constat quòd octauo dictæ resurrectionis die facta est; & de alia, quam in ipso Dominicæ ascensionis die accidisse, nos infrà num. 50. dicemus.

45. Post dies octo, iterùm derepentè apparuit Iesus vbi ianuis clausis erant Apostoli congregati, & Thomas cum eis (quæ fuit sexta eius apparitio, in ordine ad hactenus ex Euangelio memoratas; & creditur esse illa, quam Apostolus 1. ad Corinth. cap. 15. v. 5. dicit factam fuisse vndecim, subaudi Apostolis.) Porrò Iesus cùm salutasset omnes illis verbis ab ipso vsitatis, *Pax vobis*; conuersus ad Thomam, mira eum dignatione & charitate hortatus est vt mitteret digitos suos in loca clauorum, & manum suam in latus eius; & desineret tandem esse incredulus, sed deinceps esset fidelis. Qui statim procidens coram eo, humiliter adorauit illum, dicens: *Dominus meus, & Deus meus.* Cui Iesus, *Quia vidisti me*, inquit, *Thoma, credidisti: beati qui non viderunt, & crediderunt.* SEXTA DOMINI MANIFESTATIO, FACTA VNDECIM APOSTOLIS.

¶ Quamquam autem de ipso Thoma in hac apparitione, & de aliis Apostolis in præcedente, nusquam in Euangelico textu expressum est, num cicatrices Domini actualiter tetigerint, & corpus eius palpauerint, nec ne; ac proinde, non improbabile videri potest, ipsos præ reuerentia non ausos esse id facere, quantumuis à Domino inuitati essent, vtpote quibus sufficere potuerit, admodum eis familiarem ac notam Magistri sui vocem audire, vultumque præsentem intueri: nihilominùs communior saniorque Doctorum sanctorumque Patrum sententia est, Apostolos & oblatas sibi à Domino manus latusque tetigisse, & carnem eius ipso quoque tactu explorasse ac probasse; alioquin illa vehemens de phantasmate dubitatio non videretur ab eorum cordibus omnino potuisse diuelli. Et hoc idem videtur etiam aliquatenus comprobari posse ex 1. Ioan. cap. 1. v. 1. vbi non ex propria tantùm, sed aliorum quoque Apostolorum persona attestatur, Dominum ab ipsis & visum, & manibus attrectatum, (subaudi, præsertim post eius resurrectionem:) id enim aptius videbatur ad ostendendum, quod ibidem ille sanctus Apostolus probare intendebat; nempe, Iesum Christum esse veram ac sempiternam vitam; quippe qui & se ipsum à mortuis potuit excitare, & nos pariter ad vitam perducere potèst æternam. Denique si mulieres post Domini resurrectionem, non iussæ, non inuitatæ, tenuerunt pedes eius (Matthæi cap. vlt. vers. 9.) quis non credat Apostolos quoque manibus tetigisse ac contrectasse eumdem Iesum, tunc præsertim, quando dixit eis; *Palpate, & videte; quia spiritus carnem & ossa non habet, sicut me videtis habere?* sed mirum non est, sacros Euangelistas haud expressisse quòd Apostoli Dominicas tetigerint cicatrices: quandoquidem constat, eos non omnia Christi Apostolorumque gesta scripsisse, sed de multis pauca; eaque ad salutem nostram cumulatè sufficere posse. Tametsi AN APOSTOLI VVLNERA DOMINI TETIGERINT.

possit

possit etiam dici, quòd SS. Euangelistæ Lucas & Ioannes satis apertè insinuauerint, corpus Christi post eius resurrectionem à Discipulis non solùm oculis visum, sed etiam manibus fuisse contrectatum. Nam primus cap. vlt. vers. 39. apertè narrat, Dominum dixisse Discipulis: *Palpate & videte*, &c. Et vtique credendum est, eos non minùs promptè hanc Domini iussionem tunc impleuisse, quàm cùm paulò pòst eisdem dixit: *Habetis hîc aliquid quod manducetur?* tunc enim statim obtulerunt ei partem piscis assi, & fauum mellis. Quod autem alter quoque Euangelista cap. 20. idipsum non obscurè indicauerit, proculdubiò fateri oportet, si vera est doctrina, quam super citato Ioannis capite tradit sanctus Augustinus, videlicet, verbum *videndi* generaliter pro quacumque sensatione vsurpari consueuisse; *Quoniam*, inquit, *generalis quodammodò sensus est visus. Nam & per alios quattuor sensus nominari solet; veluti cùm dicimus: Audi & vide quàm benè sonet: Olfac & vide, quàm benè oleat: Gusta & vide, quàm benè sapiat: Tange & vide, quàm benè caleat.* sic ille. Cuius dictum aliquot item sacræ Scripturæ exemplis comprobari potest. legimus enim Exod. cap. 20. vers. 18. quòd *cunctus populus videbat*, hoc est, audiebat, *voces*. & Marc. cap. 15. vers. 4. *vide*, hoc est, audi, *in quantis te accusant*. Simile videtur id quod ait sanctus Lucas cap. vlt. vers. 39. *Palpate & videte* (hoc est, palpando percipite) *quia spiritus carnem & ossa non habet, sicut me videtis* (hoc est, palpando sentitis) *habere*. Si, inquam, hæc doctrina vera est, (vt credimus) vtique etiam credere debemus, quòd quando sanctus Euangelista Ioannes cap. citato vers. 20. dixit, Dominum ostendisse Discipulis manus & latus, proculdubiò indicare voluit, ipsum Dominum eisdem Discipulis obtulisse tangendas manuum ac lateris cicatrices; ipsosque illicò id præstitisse quod Dominum velle intelligebant, nimirum, tetigisse manus eius ac latus. Et hoc item adhuc clariùs declarant illa Domini verba ad Thomam ab eodem Euangelista vers. 27. relata: *Infer digitum tuum huc, & vide* (hoc est, tactu explora) *manus meas*. Non enim digitis videre, sed tangere poterat. Quod & statim fecisse credibile est. Vnde in eodem quoque sensu accipienda videntur quæ ibidem subsequuntur: *Quia vidisti* (hoc est, tetigisti) *me, Thoma, credidisti: beati qui non viderunt* (hoc est, non tetigerunt) *& crediderunt*. Nam (vt testatur Cardinalis Toletus in Ioannis cap. 20. Annotat. 27.) legitima & communis sententia est, Thomam, non quia vidit Domini corpus, eiusque cicatrices, sed quia etiam tetigit, credidisse. Alioquin & ipse existimare potuisset se spiritum videre, sicut priùs alij fecerant Apostoli. Et hanc opinionem secuti sunt Tertullianus lib. de Anima c. 28. & lib. Aduersus Praxeam, & SS. Hilarius lib. 3. de Trinitate, Ambrosius in Psalm. 43. & 47. Cyrillus lib. 12. cap. 58. Gregorius Homil. 26. in Euangelia à Toleto vbi suprà citati, & Auctores moderni ferè omnes. Ad hanc quoque opinionem videtur alludere voluisse sancta Mater Ecclesia in Antiphona Breuiarij Romani, quam canit Feria quinta ad Magnificat infra Hebdomadam primam post Octauam Paschæ, vbi veluti in persona sancti Thomæ Apostoli ait: *Misi digitum meum in fixuras clauorum, & manum meam in latus eius, & dixi: Dominus meus, & Deus meus.*

VBI PRAEDICTAE APPARITIONES FACTAE FVERINT.

46. Et hæc quæ hactenus de apparitionibus Domini, (quarta dumtaxat excepta) & speciatim de ea quæ Thomæ facta fuit, narrauimus, Ierosolymis contigisse asserit Cardinalis Baronius, & ante ipsum tenuit sanctus Augustinus lib. 3. de Consensu Euangelistarum cap. 25. Quod ego pariter verissimum puto: ac propterea ingenuè fateor me non percipere quid significare velit S. Hieronymus in calce Commentariorum suorum in Matthæum, vbi cùm hæc dixisset: *Post resurrectionem Iesus in monte Galilææ conspicitur, ibiq; adoratur: licet quidam dubitent, & dubitatio eorum nostram augeat fidem*; protinus subiungit: *Tunc manifestiùs ostendit Thomæ & latus lancea vulneratum, & manus fixas demonstrat clauis.* sic ille. Nam si putat, tunc primùm Iesum ostendisse manifestiùs vulnera Thomæ, quàm anteà fecisset aliis Apostolis; obstat locus sancti Ioannis cap. 20. vers. 26. vbi ait, quòd quando hoc accidit, erant discipuli eius intus, & Thomas cum eis, & venit Iesus ianuis clausis, &c. Quibus circumstantiis manifestè indicatur, id factum fuisse in Ierusalem, non autem in monte Galilææ, vbi non videntur Apostoli ianuis clausis manere consueuisse propter metum Iudæorum; cùm ibi nihil esse videretur quod à Iudæis timere deberent. præterquam quòd in eo monte non eos in aliqua domo clausos vidisse Dominum, sed sub dio, & in lato quodam ac spatioso loco, præsentibus plus quàm quingentis fratribus, vt dicitur 1. ad Corinth. cap. 15. vers. 6. communis ferè omnium opinio est. Si autem putat S. Doctor, bis Dominum ostendisse vulnera Thomæ, nimirum primò Ierosolymis octauo suæ resurrectionis die, quando scilicet (vt dicitur Ioan. cap. citato) ad discipulos in vnum congregatos,

gregatos, ac præ timore Iudæorum clausas tenentes ianuas, mirabiliter intrauit; & postea iterum in monte Galilææ. Certum est, de hac secunda cicatricum ostensione eidem Thomæ facta, nihil penitus in Euangelio tactum fuisse. Quin potiùs ex eo oppositum videtur posse colligi: nam cùm certissimum sit, ipsum Thomam prima vice credidisse (dixit enim tunc ei Dominus: *Quia vidisti me, Thoma, credidisti*) superflua quodammodò videretur altera ipsi deinde specialis eorumdem vulnerum demonstratio. Et hæc dicta sint non animo contradicendi præsertim tanto Doctori, sed magis excitandi aliquem qui verum eius sensum aperire studeat.

47. Post hæc, nimirum transactis diebus Paschalibus, & paucis aliquot aliis, videlicet, post secundam Domini apparitionem Discipulis simul congregatis octauo resurrectionis die factam, vndecim Apostoli abierunt in Galilæam, quemadmodum per mulieres mandauerat eis Dominus; forsitan ne interim Ierosolymis mali aliquid paterentur à Iudæis. Cùm autem quadam die Petrus & Thomas, & filij Zebedæi, Iacobus & Ioannes, & Nathanaël, cum aliis duobus Discipulis, iuissent piscari ad mare Tiberiadis, & tota nocte nihil prendidissent; apparuit eis manè Iesus stans in littore, ac dicens vt mitterent in dexteram nauigij rete: quo facto, iam non valebant illud trahere, præ multitudine piscium quos ceperant. Et tunc agnitus est Iesus à Ioanne primùm, deinde à ceteris. Qui cùm descendissent in terram, inuenerunt prunas, & piscem superpositum, & panem: quæ fuit singularis quædam Christi erga Discipulos paterni dulcisque sui amoris ostensio; vt quorum animos subita illa insperataque tantorum piscium captura lætificauerat, corpora quoque totius noctis labore fessa, cibo diuinitus præparato recrearet. Itaque peramanter à Domino inuitati illis verbis: *Venite, prandete*, læti manducauerunt cum eo. Post prandium autem interrogauit Iesus Petrum ter, si eum diligeret: quo semper respondente, *Etiam Domine*, commendauit eidem Iesus agnos ouesque suas, id est vniuersam Ecclesiam: mox prædixit ei martyrium: postremò, sciscitante Petro de Ioanne, num & ipse martyr esset ex hac vita migraturus; respondit Iesus negatiuè, & simul ipsum Petrum tamquam de curiosa interrogatione reprehendit. Quæ omnia accuratiùs narrat S. Ioannes cap. vlt. vbi ait hanc fuisse tertiam apparitionem; tertiam, inquam, factam Discipulis suis, vt ibidem vers. 14. dicitur; id est, non coram vno aut altero, sed plùribus ex Discipulis suis simul existentibus: nam in ordine ceterarum, septima fuit, non tertia, vt ex suprà dictis manifestum est. SEPTIMA CHRISTI APPARITIO AD MARE GALILAEAE

48. Octaua Domini apparitio facta fuit in monte quodam Galilææ, vbi constituerat illis Iesus, hoc est, vt creditur, in monte Thabor: quò cùm peruenissent vndecim Apostoli, cum aliis multis (quos ad hoc specialiter inuitauerant, *videntes eum* (vt ait S. Matthæus in calce sui Euangelij) *adorauerunt*. Et hæc communiter creditur fuisse illa Domini manifestatio, de qua loquitur Apostolus 1. ad Corinth. cap. 15. vers. 6. dicens: *Deinde visus est plusquam quingentis fratribus simul, ex quibus multi manent vsque adhuc; quidam autem dormierunt*. Fuit ergo ista Domini manifestatio ceteris illustrior, tum propter multitudinem eorum quibus facta est; tum etiam quia non quodammodò inopinata, vt aliæ, sed priùs non semel prænuntiata ab ipso Domino fuerat, & ante eius passionem Matthæi cap. 27. vers. 32. & Marci cap. 14. vers. 28. & item post eius resurrectionem, per semetipsum & per Angelos mulieribus, & per mulieres Apostolis: Matthæi cap. 28. vers. 7. & 10. & Marci cap. 16. vers. 7. Vnde putant, ab Apostolis certum diem fuisse condictum, vt tum ipsi, tum alij ab ipsis inuitati, ad locum eisdem significatum conuenirent, ibique Dominum expectarent ac viderent. Porrò in hac sua manifestatione Dominus coram tam grandi hominum multitudine, accedens ad Discipulos suos, dixit eis: *Data est mihi omnis potestas in cælo & in terra. euntes ergo docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti, docentes eos seruare omnia quæcumque mandaui vobis; & ecce ego vobiscum sum omnibus diebus vsque ad consummationem sæculi.* sic S. Matthæus vbi suprà. OCTAVA DOMINI APPARITIO IN MONTE GALILAEAE

49. Nona Christi manifestatio videtur ea esse, cuius meminit Apostolus loco proximè adducto; vbi post præcedentem immediatè subiungit: *Deinde visus est Iacobo*. Quare de hac apparitione, quamuis sacri Euangelistæ nihil prorsus meminerint, dubitare non licet, Sacro id Apostoli textu attestante. Verumtamen, vbi & quando ea contigerit, incompertum habemus: nisi quòd ex citato Apostoli loco planè constat, eam post proximè memoratam plusquam quingentis viris simul factam contigisse: & consequenter, non posse esse illam quam refert B. Hieronymus in lib. de Scriptoribus NONA CHRISTI MANIFESTATIO, FACTA IACOBO.

Ecclesiasticis in Iacobo, cap.2. ex Euangelio Nazaræorum à se in Græcum & Latinum sermonem translato. Et ratio est, quia de illa ibidem dicitur, quòd iurauerat Iacobus se non comesturum panem ab illa hora qua biberat calicem Domini, donec videret eum resurgentem à mortuis. Atqui non est verisimile, quòd per tot dies atque hebdomades aut ipse sine cibo naturaliter viuere potuerit, aut quòd Dominus ei apparere tanto tempore distulerit, ac ipsum fame tam diu affligere voluerit: neque item (quod aliqui suspicantur) Dominum soli Iacobo bis apparuisse. Quare, quidquid de hac re senserit B.Hieronymus, quem certum est quædam interdum referre solitum esse, quæ tamen ipse non approbat, licet non reprobet: videtur prædicta de Iacobo historia non satis firmo niti fundamento; non solùm quia ex libro apocrypho, & ab Ecclesia minimè recepto, desumpta sit; sed etiam, quia si verum est quod communiter creditur, Apostolos tempore passionis Christi omnes aut à fide defecisse, aut saltem in ea admodum titubasse, iuxta id quod eis paulò antè prædixerat Dominus: *Omnes vos scandalum patiemini in me in ista nocte*, &c. & post eius mortem non modò de eius resurrectione hæsitasse, verùm etiam mulieribus attestantibus se illum viuentem vidisse, credere renuisse: (visa enim sunt ante illos sicut deliramentum verba illarum:) si, inquam, sola Christi Mater tunc à fidei firmitate dimoueri non potuit; non videtur verisimile, vel ipsum quoque Iacobum in fide resurrectionis Dominicæ vsqueadeò firmiter perstitisse, vt se ad non priùs comedendum tali sacramento adigere non dubitauerit; vel si non permansit, quòd temerè seipsum tali obligatione interimere attentasset. Nisi fortè quis dixerit (quod non inconuenit opinari) vtrumque fieri potuisse; & quòd Iacobus, putans se in fide firmiter permanere posse, voto non manducandi se obstrinxerit; & licet posteà nonnihil in fide cum aliis titubauerit, non tamen comedere voluerit donec cum aliis nouem Apostolis resuscitatum vidit cùm esset serò die prima Sabbati, quæ fuit tertia ab obitu Domini, vt suprà num.44. dictum est: & de hac apparitione posse intelligi ac verificari dictum S.Hieronymi: & item quòd deinde post plures dies iterùm soli Iacobo Dominus apparuerit, quemadmodum narrat Apostolus loco ad Corinth. prædllegato.

DECIMA CHRISTI APPARITIO 50. Decima, pariterque postrema Domini ante eius ascensionem apparitio, fuit illa quam Apostolus loco ad Corinth.iam sæpiùs adducto prosequitur, dicens: *Deinde Apostolis omnibus*. Qui modus loquendi videtur indicare aliquid plus quã in apparitione 6. fecerant illa verba: *Et post hoc vndecim*. vnde vocabulum *Apostolis* hîc non strictè, sed largè sumptum creditur, quatenus scilicet etiam Discipulos qui tunc aderant comprehendere poterat; alioquin clariùs dicere potuisset: Deinde, iterùm vndecim. tunc enim non erant plures. Et hæc expositio ex his quæ in calce huius numeri dicentur, comprobari poterit. Porrò hanc decimam Domini apparitionem credimus eamdem esse cum ea quæ describitur à S.Marco hisce verbis: *Nouissimè recumbentibus illis vndecim apparuit, & exprobrauit incredulitatem eorum & duritiam cordis: quia iis qui viderant eum resurrexisse, non crediderunt*, &c. ac deinde præcepit eis vt irent in vniuersum mundum, ac prædicarent Euangelium, promittens salutem credentibus, incredulis autem condemnationem: docuitque eos signa, quibus credentes ab incredulis discerni possent. Et post hæc protinus subiungit: *Et Dominus quidem Iesus postquam locutus est eis, assumptus est in cælum, & sedet à dextris Dei. Illi autem profecti prædicauerunt vbique Domino cooperante, & sermonem confirmante, sequentibus signis.* Ex quibus Marci verbis, ita vsq; ad Domini ascensionem continuatis, manifestè apparet, hanc fuisse postremam Domini manifestationem, nimirum factam discipulis suis quando ipse ascendit in cælũ. Neq; obstat prædictis, quòd S.Marcus non dixerit, Dominum omnibus Apostolis, sed vndecim apparuisse: quia quod S.Euangelista de aliis Discipulis non tetigit, id satis indicauit S.Paulus suo dicendi modo superiùs exposito. Quamuis autem Iansenius cum Euthymio putauerit, hanc Domini ostensionem à S.Marco descriptam, non esse postremam, sed primam coram discipulis suis factam: nos tamen libentiùs hîc sequimur B.Augustinum & alios cum ipso sentientes, & priorem opinionem profitentes. Nec me mouent, quæ pro solutione argumentorum B.Augustini adducit idem Iansenius in cap.suæ Concordiæ 147. Quia ad id quod ait, verisimile esse Dominum tunc exprobrasse incredulitatem Discipulis, quando ipsi paulò antè crediderant Mariæ Magdalenæ & aliis asserentibus se vidisse Dominum; non autem in die ascensionis, quando iam omnes ipsum resurrexisse credebant: dicimus, Dominum in die suæ ascensionis non exprobrasse Discipulis absolutè incredulitatem, quasi nec tunc etiam crederent;

rent; sed quòd ab initio non credidissent iis qui viderant eum resurrexisse, vt ibidem Sacer textus se explicat. Et id factum puto, vt per hoc inexcusabiles redderentur, qui posteà credere nollent ipsis Apostolis, & aliis qui ipsum à mortuis excitatum videre meruerant. Quòd verò citatus Auctor addit, pro *nouissimè* in Marci textu Græco haberi verbum, quod idem sonat ac si diceremus, *deinde*; & quodammodò notat Interpretem, quòd non benè transtulerit: respondemus, vtique magis fidendum editioni Vulgatæ Latinæ, quæ maioris est in sancta Ecclesia auctoritatis, quàm sit Græca; & hoc præsertim in Marci Euangelico textu, qui originaliter Latinè scriptus fuit, quemadmodum multis sanè probat Cardinalis Baronius sub anno post Christum natum quadragesimo quinto. Sed nec probamus hoc loco illam Iansenij expositionem, quòd scilicet sanctus Marcus pro *decem*, *vndecim* vsurpauerit; nec admittimus etiam, sanctum Lucam idem fecisse, vbi ait, duos discipulos in suo reditu de Emmaus inuenisse vndecim congregatos: siquidem reuerà non decem tantùm, sed vndecim Apostolos inuenerunt, licet paulò pòst inde Thomas discesserit, vt nos suprà numero 44. declarauimus. Et denique illa verba, *Et Dominus quidem Iesus postquam locutus est eis*, &c. nemini dubium est quin ad proximè præcedentia referri debeant, ad significandum, quòd post prædicta Dominus ascendit in cælum: non enim obstat quòd non dixerit, *Et postquam hæc locutus est eis*; sed absolutè, *Postquam locutus est eis*: quia per id sanctus Euangelista indicare voluit, Dominum non hæc tantùm, sed alia quoque dixisse Apostolis suis antequam ascenderet in cælum. Nihil igitur prohibet, quin hæc Domini apparitio à sancto Marco descripta, fuerit, vt diximus, non prima, sed postrema facta coram discipulis suis. quod etiam ex consequentibus fiet clarius: nam de hac eadem videtur meminisse sanctus Lucas capite vltimo, vbi post aliquantò longiorem narrationem eorum quæ fecit & locutus est Dominus in prima sua apparitione coram Apostolis suis; tandem versiculo quadragesimo nono videtur transire ad postremam, vbi Dominus ait, se missurum eis promissum Patris Spiritum; ac iubet eos morari in Ierusalem donec induantur virtute ex alto, & consequenter prosequitur sanctus Euangelista, narrans, qualiter Iesus eduxit eos foras in Bethaniam, & benedicens eis ferebatur in cælum, & ipsi adorantes, regressi sunt in Ierusalem cum gaudio, &c. Ex quibus verbis etiam apertissimè constat, hanc postremam Domini apparitionem factam fuisse non in Galilæa, sed in Ierusalem, nimirum in cœnaculo, vbi Apostoli simul cum aliis Discipulis manere consueuerant; & Dominum inde eos, hoc est, Apostolos & Discipulos ibidem inuentos, duxisse in Bethaniam in monte Oliueti existentem, vbi ipsis videntibus ascendit in cælum. Quibus optimè consonant, quæ idem sanctus Lucas scribit Actorum capite primo versic. 4. dicens: *Et conuescens, præcepit eis ab Ierosolymis ne discederent, sed expectarent promißionem Patris, quam audiſtis (inquit) per os meum.* & post pauca: *Et cùm hæc dixisset, videntibus illis eleuatus est, & nubes suscepit eum ab oculis eorum.* & paucis interpositis, nimirum versic. 12. de Apostolis ait: *Tunc reuersi sunt Ierosolymam à monte, qui vocatur Oliueti, qui est iuxta Ierusalem, Sabbati habens iter*, id est, vnius tantùm circiter milliarij; non enim longius iter die Sabbati conficere licitum erat. vnde illud Matthæi capite 24. versic. 20. *Orate vt non fiat fuga vestra hieme vel Sabbato.* Sanè Iosephus libro sexto de Bello capite 3. inter montem Oliueti & Ierusalem, vallem Cedron, & sex tantùm itineris stadia ponit. Porrò qui à monte Oliueti reuersi sunt in Ierusalem, creduntur fuisse non Apostoli tantùm, sed & Discipuli illi qui cum Apostolis viderant Dominum ascendentem in cælum, & qui deinceps vsque ad Pentecosten conuenire solebant in cœnaculum, perseuerantes in oratione cum ipsis Apostolis, & cum Maria matre Iesu & fratribus eius; ad quos quadam die cùm essent ibi congregati viri ferè centum viginti, locutus est Petrus de vno ex ipsis in munus Apostolatus loco Iudæ substituendo: Actorum cap. 1.

51. Hîc si omnes Christi apparitiones in Sacris libris memoratas persequi esset animus, proculdubiò prædictis attexere oporteret illam quæ facta est Apostolo Paulo tamquam abortiuo, vt ipsemet ad sui humiliationem ait 1. ad Corinthios, capite decimoquinto, versic. 8. vbi post alias Domini apparitiones, postremo loco memo-

CVR APPARITIO FACTA S. PAVLO PRAETERMITTATVR.

memorat eam quæ sibi quoque facta fuerat, quamque latè describit sanctus Lucas Actorum capite nono, & repetit capite vigesimo secundo & vigesimo sexto. Verùm hanc libenter missam facimus, quoniam secundo post Domini resurrectionem anno contigisse creditur, & instituti nostri ratio non patitur, vt hosce Annales vlteriùs protrahamus. Illud potiùs hîc prætereundum non est, quòd (quemadmodum optimè docet sanctus Thomas Parte 3. quæstione quinquagesima quinta in toto articulo 6.) licet argumenta seu signa quæ Iesus in memoratis apparitionibus ostendit coram Discipulis suis, singulatim considerata, non videantur fuisse sufficientia ad plenè demonstrandam veritatem suæ resurrectionis; omnia tamen simul accepta, ipsam omnino manifestant. Nam præter sacrarum Scripturarum testimonia quæ ipsam prænuntiauerunt, & Angelorum attestationes, qui Dominum verè à mortuis resurrexisse asseueranter pronuntiarunt, & ipsiusmet Christi, qui idipsum non modò prædixerat, verùm etiam posteà asseruit ac miraculis comprobauit; quæ profectò testimonia refelli non possunt; certè quando corpus suum Apostolis palpandum præbuit, & ipsis benè cognitam suam ostendit præsentiam & vulnerum cicatrices, satis euidenter demonstrauit se non phantasticum aliquod corpus assumpsisse, sed solidum, verum, humanum, viuum, neque alienum, sed proprium, atque illudmet idem numero, quod ante obitum habuerat, & consequenter, quod verè indubitanterque resurrexerat & viuebat. Et hoc est quod ipse contestabatur coram Discipulis suis Lucæ capite 24. versic. 39. dicens: *Palpate, & videte, quia ego ipse sum.* Quod & apertiùs confirmauit per operationes triplicis vitæ quæ in homine reperitur, videlicet, naturalis, quando cum Discipulis non semel, & coram eis, vt solent homines, manducauit & bibit. Sensibilis, loquendo, salutando, exprobrando incredulitatem eorum, & duritiam cordis, & ad interrogata respondendo, &c. Intellectiuæ, de sacris Scripturis differendo, tunc præsertim, quando incipiens à Moyse & omnibus Prophetis interpretabatur illis in omnibus Scripturis quæ de ipso erant: Lucæ capite 24. versic. 27. Insuper, quia ipse non homo purus tantùm post resurrectionem glorificatus, sed etiam erat Deus super omnia benedictus; alia quoque prædictis signa addere voluit Dominus, tum quæ humanitatis suæ gloriam patefacerent, vt quando clausis ingressus est ianuis, & quando euanuit ab oculis eorum (hæc enim pertinent ad conditionem corporis gloriosi, quod propter subtilitatis dotem, vbique penetrare, ac se visibile atque inuisibile præbere potest) tum quæ de sua Diuinitate indubitatam fidem facerent, vt sunt miracula quæ fecit in captura piscium; & quando propria virtute, multis præsentibus atque inspectantibus, ascendit in cælum: quod proprium ac peculiare erat eius solius qui descenderat de cælo, quemadmodum ipsemet dixerat Ioannis capite 3. versic. 13. *Nemo ascendit in cælum*, (subaudi, propria virtute) *nisi qui descendit de cælo Filius hominis, qui est in cælo.* Ecce quomodo hisce omnibus argumentis luce meridiana clariùs ostendit Iesus, quòd ipse post resurrectionem suam erat idemmet verus Deus & homo Christus, qui paulò antè crucifixus fuerat, & qui mortuus iacuerat in sepulchro.

DE DOMINICA ADSCENSIONE.

52. Igitur die post resurrectionem suam quadragesimo, Dominus, Apostolis suis iam satis benè instructis, & de his quæ deinceps eos facere oportebat edoctis, *videntibus illis eleuatus est, & nubes suscepit eum ab oculis eorum*, vt ait sanctus Lucas Actorum cap. 1. versic. 9 & vt tradit sanctus Marcus capite vltimo versic. 19. *Assumptus est in cælum, & sedet à dextris Dei.* Porrò ad verba Lucæ videtur alludere voluisse Regius Propheta, quando in Psalmo 103. versic. 3. dixit: *Qui ponis nubem ascensum tuum*, siue (vt ibidem interpretatur sanctus Hieronymus) *currum tuum.* quasi indicare volens, Christum nube quodam modo veluti curru sublatum videre potuisse. Ad id verò quod ait sanctus Marcus, eumdem Christum assumptum esse in cælum, & sedere à dextris Dei; vtique subintelligere debemus, ipsum fuisse assumptum cum ea gloria, quæ talem ac tantum decuit mundi Redemptorem, naturalemque atque vnigenitum Filium summi Dei. De hac eius gloria qua cælos conscendit, pauca quædam Regio Prophetæ diuinitus præmonstrata habemus in Psalmo 8. versic. 2. illis verbis: *Eleuata est magnificentia tua super cælos Deus.* & in Psalmo 23. versic. 7. vsque ad finem Psalmi: *Attollite*

lite portas, Principes, vestras, & eleuamini portæ æternales, & introibit Rex gloriæ. Quis est iste Rex gloriæ? Dominus fortis & potens, Dominus potens in prælio, &c. Quæ verba apposite admodum exposuit sanctus Gregorius Nyssenus in Oratione de Ascensione Domini: & item in toto Psalmo quadragesimo sexto, qui incipit, *Omnes gentes plaudite manibus*, &c. & in Psalmo sexagesimo septimo vers. 19. *Ascendisti in altum, cepisti captiuitatem, accepisti dona in hominibus*. quæ verba explicat Apostolus ad Ephesios capite 4. versic. 8. & sequentibus; vbi etiam quænam sint dona hæc data hominibus, fusiùs exprimit. Ad eamdem Dominicæ ascensionis gloriam pertinere videntur, quæ Daniel capite septimo versic. 13. vsque ad 15. se vidisse testatur, dicens: *Aspiciebam ergo in visione noctis, & ecce cum nubibus cæli quasi filius hominis veniebat, & vsque ad antiquum dierum peruenit; & in conspectu eius obtulerunt eum. Et dedit ei potestatem, & honorem, & regnum; & omnes populi, tribus, & linguæ ipsi seruient. Potestas eius, potestas æterna, quæ non auferetur; & regnum eius, quod non corrumpetur*. De summo autem illo honore qui eidem Domino sedenti à dextris Dei (hoc est, habenti altitudinem, & maiestatem, & gloriam æqualem Deo) tribuitur à cunctis illis curiæ cælestis incolis, possumus aliquid coniectare ex his quæ breuiter indicantur in secunda Ioannis Apostoli diuina visione, quæ describitur Apocalypsis cap. 4. & 5. in qua idem Sanctus testatur, se in Spiritu vidisse in circuitu Dominicæ sedis viginti quattuor seniores stolis albis indutos, & capita coronis aureis redimitos, hoc est, (vt explicant illius loci Expositores) primarios veteris ac noui Testamenti Sanctos; & quattuor animalia (quibus signanter denotari aiunt quattuor Euangelistas, & cum eis omnes sacri Euangelij prædicatores) iugiter dicentia: *Sanctus, Sanctus, Sanctus Dominus Deus omnipotens, qui erat, & qui est, & qui venturus est. Et cùm darent illa animalia gloriam, & honorem, & benedictionem sedenti super thronum, viuenti in sæcula sæculorum, procidebant viginti quattuor seniores ante sedentem in throno, & adorabant viuentem in sæcula sæculorum, & mittebant coronas suas ante thronum dicentes: Dignus es Domine Deus noster accipere gloriam, & honorem, & virtutem: quia tu creasti omnia, & propter voluntatem tuam erant, & creata sunt*. hæc ibi cap. 4. Sed & de iisdem animalibus ac senioribus, & item de cunctis Angelicis spiritibus cap. sequenti vers. 8. subiungitur: *Quattuor animalia, & viginti quattuor seniores ceciderunt coram Agno, habentes singuli citharas, & phialas aureas plenas odoramentorum, quæ sunt orationes Sanctorum; & cantabant canticum nouum, dicentes: Dignus es Domine accipere librum, & aperire signacula eius; quoniam occisus es, & redemisti nos Deo in Sanguine tuo ex omni tribu, & lingua, & populo, & natione; & fecisti nos Deo nostro regnum, & Sacerdotes, & regnabimus super terram. Et vidi, & audiui vocem Angelorum multorum in circuitu throni, & animalium, & seniorum; & erat numerus eorum millia millium, dicentium voce magna: Dignus est Agnus, qui occisus est, accipere virtutem, & diuinitatem, & sapientiam, & fortitudinem, & honorem, & gloriam, & benedictionem. Et omnem creaturam quæ in cælo est, & super terram, & sub terra, & quæ sunt in mari, & quæ in eo; omnes audiui dicentes: Sedenti in throno, & Agno, benedictio, & honor, & gloria, & potestas in sæcula sæculorum: & quattuor animalia dicebant: Amen. & viginti quattuor seniores ceciderunt in facies suas, & adorauerunt viuentem in sæcula sæculorum*. hucusque Sacer textus. Nos verò ex his paucis discamus reliqua ad æternam Christi gloriam pertinentia, quæ nec oculus vidit, nec auris audiuit, nec in cor hominis ascenderunt; & in hac vita non cessemus pro modulo nostro, quantum possumus, tantum laudare Redemptorem; vt in alia perfectiùs id cum sanctissimis illis beatæ patriæ spiritibus in æternum præstare mereamur.

53. Ceterùm, Dominus noster die decima à sua ascensione, quinquagesima verò à resurrectione, in qua complebantur dies Pentecostes (Actorum capit. 1. versic. 1.) hora diei tertia (ibidem vers. 15.) misit eis, vt pollicitus fuerat, Spiritum sanctum; quo repleti, cœperunt omni studio ac totis viribus prædicare ac disseminare doctrinam Euangelicam, quam à Domino acceperant, in Ierusalem primò, & in omni Iudæa & finitimis regionibus; mox verò etiam in vniuerso mundo, vt patet tum ex libro Actorum, tum etiam ex his quæ posteà grauissimi Ecclesiasticæ Historiæ Auctores prodiderunt, ac præcipuè nostro hoc sæculo Illustrissimus Cardinalis

dinalis Baronius, cuius est laus per omnes Dei Ecclesias. Ipse enim Historiam Ecclesiasticam maximè omnium illustrauit, & res gestas ab Apostolis & eorum successoribus, diligentissimè conquisitas, non solùm mira eruditione congessit, sed etiam ad ordinem temporum accommodauit, & vltra primum annorum à Christo nato millenarium felicissimè perduxit. Vtinam ad nostra hæc vsque tempora peruenisset, & omnia pænè ad Septimam mundi ætatem hactenus pertinentia, ab ipso luculentissimè tradita habere potuissemus! Quamobrem nos, qui à tanto viro longè absumus, ac eidem comparati, veluti locusta videri possumus, libenter hìc nostris hisce lucubrationibus, qualescumque sint, finem imponimus: illud solùm tamquam pro coronide addentes, quod ex dictis consequitur, nempe hanc Sextam, quam hìc terminamus, mundi ætatem, annis circiter sexcentis triginta octo perdurasse, vt etiam apparet in tabulis.

CAVSAE DISSENSIONIS DE NVMERO ANNORVM HVIVS MVNDI AETATIS.

54. Porrò causas dissensionis inter Auctores de huius mundi Ætatis duratione, & cur non omnes in eadem annorum summa conueniant, has assignari posse credimus. Et prima sit, Quia valdè inter se discrepant in ratione supputandi septuaginta Babylonicæ captiuitatis annos à Ieremia prænuntiatos, aliis eos auspicantibus ab anno decimotertio regni Iosiæ, aliis à quarto regni Ioakim, aliis à primo Iechoniæ, aliis ab vndecimo Sedeciæ: & item, aliis eosdem terminantibus in anno primo regni, aliis in primo Monarchiæ Cyri, & aliis in secundo regni Darij Hystaspis. Nos à capto Sedecia vsque ad initium regni Cyri in Babylone, qui fuit annus primus Monarchiæ eius, illos dinumerandos deducendosque censuimus; vt suis locis satis superque probatum est, & videtur expresse tradi 2. Paralipom. cap. vlt. vers. 21. vsque ad finem, & 1. Esdr. cap. 1. vers. 1. vsque ad 4. Altera causa esse potest, Quoniam Scriptores non omnes ab vno eodemque tempore numerari debere existimant septuaginta hebdomades annorum, olim Danieli cælitus reuelatas: quidam enim eas supputare incipiunt ab anno regni Sedeciæ quarto: alij à Babylonicæ captiuitatis vigesimo, inter quos fuit Hippolytus Martyr, vt refert B. Hieronymus super Danielis cap. 9. alij à primo anno Darij Medi, quando scilicet mysterium ipsarum Danieli reuelatum fuit: alij à primo anno Cyri: alij ab ædificatione secundi templi, anno sexto vel nono Darij Hystaspis absoluta: alij ab anno regni Artaxerxis cognomento Longimani secundo, alij à septimo. Et quemadmodum eas diuersimodè incipiunt, ita etiam non eodem modo terminant. Nos verò eas ab anno prædicti Longimani vigesimo inchoandas, & ad Christi passionem obitumque terminandas esse, pluribus rationibus sub anno mundi 3609. num. 4. docuimus. Possent hìc aliæ addi huius diuersitatis causæ, quas vltrò libenterque prætermittimus, quòd in annorum summa modicam satiè differentiam parere posse videantur.

DE NVMERO ANNORVM AB ORBE CONDITO AD CHRISTVM PASSVM.

55. Itaque si prædictos sexcentos triginta octo huius Sextæ mundi ætatis annos cum aliarum præcedentium mundi Ætatum annis subduxeris, resultabit ab ipso mundi exordio ad Christum passum, summa annorum quattuor millium octoginta quattuor, vt facilius videre est in tabulis. Valeant ergo & dispereant aniles fabulæ, vel potiùs expressa, quæ à quibusdam feruntur, mendacia, de miranda Zoroastri antiquitate, quem Astronomiæ inuentorem Ethnici faciunt, & sex annorum millibus ante obitum Platonis vixisse dictitant. Item de Indorum Regibus, quos à Libero patre ad Alexandrum Magnum, per annos ampliùs quàm sex mille quadringentos regnasse falsò produnt. Et (quod minùs ferendum est) de Ægyptiis, qui, vt antiquitatem gentis regnique sui ceteris anteponerent, innumera propemodum mundi sæcula fingentes, iactabant quater iam astra proprios absoluisse cursus, ex quo Ægyptiorum gens esse cœpisset; quod est dicere, Ægyptios per centum quadraginta quattuor mille annos floruisse: quandoquidem constat, cælum sidereum, seu octauam sphæram (vt aiunt Astrologi) non nisi triginta sex annorum millibus motum suum proprium conficere. Insuper Reges ipsorum ex diis originem duxisse, & annis plusquam septuaginta millibus ante postremum Ptolemæum successiuè in Ægypto regnasse. A tempore verò quo Ægyptij Astronomiam didicerunt, supra centum annorum millia fluxisse. Quamquam autem ex Plutarcho in Vita Numæ Pompilij, & Solino cap. 2. & Censorino, aliisque antiquissimis Scriptoribus certum sit, Ægyptios

DE VANIS MENDACIISQVE INDORVM, AEGYPTIORVM, ET CHALDAEORVM ANTIQVITATIBVS.

aliquando

aliquando annis quadrimeſtruis, & quandoque etiam trimeſtruis, interdum verò bimeſtruis, & nonnumquam meſtruis vti conſueuiſſe: verumtamen nec ſic quidem fieri poteſt, vt eorum ſucceſſio ad centum mille annos peruenire potuerit. Vnde multò minùs attendenda ſunt quæ de Chaldæis perhibentur; nimirum, quòd gloriabantur ſe Aſtronomicam habere ſcientiam, obſeruationibus atque experimentis iam quadringentorum ſeptuaginta millium annorum ſpatio comprobatam. Quæ omnia, & ſi quæ ſunt eiuſmodi alia, omnem omnino excedunt eruditorum hominum credulitatem, facileque falſiſſima eſſe deprehenduntur, non ſolùm ex his quæ ex Sacris libris omnes ſancti Patres Eccleſiaſticique Doctores apertiſſimè colligunt, ſed etiam ex his quæ omnes probati Chronographiæ Profeſſores, & qui de Epochis Æríſve temporum ſcripſere, prodiderunt; inter quos, qui mundum faciunt antiquiorem, ab eius exordio ad ipſius reparationem in Chriſti paſſione præſtitam, quinque, aut ſex, vel ad ſummum ſeptem mille annos, paucis quibuſdam adiectis, enumerant, vt videre eſt in Catalogo eorum, qui ſummas annorum ab orbe condito ad Chriſtum natum ſupputarunt, apud Sixtum Senenſem lib. 5. Bibliothecæ ſuæ ſanctæ, Annotatione 68. regiſtrato.



TABVLÆ

Computationis, & concurſus annorum Ærarum, Regum, & Procerum Sextæ Mundi ætatis.

	ANNI									
	Ab orbe cõdito.	A Diluuio.	Monarchiæ Aſſyriorũ & Chaldæorum.	Ab introitu Iſrael in terram Chanaan.	Ab initio Olympiadum	Vrbis conditæ.	Aere à Nabonaſſaro.	Prophetiæ Ieremiæ.	Vitæ Ezechielis.	Vitæ Iechoniæ.
Facta eſt deſolatio Ieroſolymæ & Templi an.	3447	1791	1432	864	170	147	142	41	37	30
Ieremias Propheta creditur obiiſſe in Ægypto. Poſt annos 2.	3448 2	1792 2	1433 2	865 2	171 2	148 2	143 2	42	38 2	31 2
Baruch Propheta proficiſcitur in Babylonem.	3450	1794	1435	867	173	150	145		40	33
Nabuzardan träsfert reliquias Iudæorum in Babylonem.	3451	1795	1436	868	174	151	146		41	34
Nabuchodonoſor Monarchæ nomen aſſequitur an.	3452	1796	1437	869	175	152	147		42	35
Vidit in ſomnis ſtatuam grandem futura prænuntiantem.	3453	1797	1438	870	176	153	148		43	36
Darius Medus naſcitur ante medietatem anni Poſt annos 2.	3454 2	1798 2	1439 2	871 2	177 2	154 2	149 2		44 2	37 2
Aſtyages in Media regnat an. Poſt annos 4.	3456 4	1800 4	1441 4	873 4	179 4	156 4	151 4		46 4	39 4
Ezechiel vidit in ſpiritu vrbis & Tẽpli inſtaurationem an.	3460	1804	1445	877	183	160	155		50	43
Iechonias creditur genuiſſe Salathielem an.	3461	1805	1446	878	184	161	156		51	44
Ezechiel prophetat contra Ægyptum incho. an. ſub cuius finem ducitur vlt. Iudæorum captiuitas in Babylonem.	3462	1806	1447	879	185	162	157		52	45
Primus dictæ captiuitatis an. in quo Nabuchodonoſor vidit ſomnium arboris magnæ ſuccisæ.	3463	1807	1448	880	186	163	158		Quot vero annis ſuperuixerit, incertũ eſt.	46
Nabuchodonoſor in furorem actus habitat cũ beſtiis an. Poſt annos 6.	3464 6	1808 6	1449 6	881 6	187 6	164 6	159 6			47 6
Recuperat ſenſum, & regnum an.	3470	1814	1455	887	193	170	165			53
Moritur in fine anni	3471	1815	1456	888	194	171	166			54
Euilmerodac regnat in Babylone, & ſubleuat Iechoniam. Poſt annos 4.	3472 4	1816 4	1457 4	889 4	195 4	172 4	167 4			55
Eſdras conturbatur ob proſperitates malorum, & afflictiones bonorum. Poſt annos 7.	3476 7	1820 7	1461 7	893 7	199 7	176 7	171 7			Quãdiu autem amplius vixerit, incertũ eſt.
Annus Iubilei decimioctaui. Poſt annos 10.	3483 10	1827 10	1468 10	900 10	206 10	183 10	178 10			
Aſtyages regno ſpoliatur ſub finem anni	3493	1837	1478	910	216	193	188			
Regnant Cyrus in Perſide, Darius in Media, & Nigliſar in Babylone, Euilmerodaco interempto. Poſt annos 4.	3494 4	1838 4	1479 4	911 4	217 4	194 4	189 4			
Mortuo Nigliſaro regnat Laboſardac in Babylone, & in fine eiuſdem anni moritur.	3498	1842	1483	915	221	198	193			
Baltaſſar regnat in Babylone inchoante anno Poſt annos 2.	3499 2	1843 2	1484 2	916 2	222 2	199 2	194 2			
Daniel vidit viſionem hirci & arietis anno Poſt annos 2.	3501 2	1845 2	1486 2	918 2	224 2	201 2	196 2			
Salathiel creditur genuiſſe Zorobabelem an. Poſt annos 13.	3503 13	1847 13	1488 13	920 13	226 13	203 13	198 13			
Moritur Baltaſſar inchoante anno, & regnat Darius, quo ſub finem anni mortuo, regnat Cyrus.	3516	1860	1501	933	239	216	211			

Vitæ

ANNI																					
Vitæ Danielis.	Regni Nabuchodonosor in Babylone.	A captiuitate Iechoniæ.	Prophetiæ Ezechielis.	A Templi desolatione.	Monarchiæ Nabuchodonosor.	Vitæ Darij Medi.	Regni Astyagis in Media.	Vitæ Salathielis.	Postremæ Iudę orũ captiuitatis.	Regni Euilmerodac in Babylone.	Regni Cyri in Perside.	Regni Darij in Media.	Regni Niglisar in Babylone.	Regni Labosardac in Babylone.	Regni Baltassar in Babylone.	Vitæ Zorobabelis	Regni Darij Medi in Babylone.	Sabbatici.	Iubileorum.	Olympiadis.	Annus.
22	19	12	8	1																	
23 2	20 2	13 2	9 2	2 2																43 43	2 3
25	22	15	11	4																	
26	23	16	12	5																44	1
27	24	17	13	6	1													124		44	2
28	25	18	14	7	2															44	3
29 2	26 2	19 2	15 2	8 2	3 2	1 2														44 45	4 1
31 4	28 4	21 4	17 4	10 4	5 4	3 4	1 4													45	3
35	32	25	21	14	9	7	5													46	3
36	33	26	22	15	10	8	6	1												46	4
37	34	27	23	16	11	9	7	2												47	1
38	35	28		17	12	10	8	3	1											47	2
39 6	36 6	29 6		18 6	13 6	11 6	9 6	4 6	2 6											47	3
45	42	35		24	19	17	15	10	8											49	1
46	43	36		25	20	18	16	11	9											49	2
47 4		37 4		26 4		19 4	17 4	12 4	10 4	1 4								127		49	3
51 7		41 7		30 7		23 7	21 7	16 7	14 7	5 7										50	3
58 10		48 10		37 10		30 10	28 10	23 10	21 10	12 10									18	52	2
68		58		47		40	38	33	31	22								130		54	4
69 4		59 4		48 4		41 4		34 4	32 4	23	1 4	1 4	1 4							55	1
73		63		52		45		38	36		5	5	5	1						56	1
74 2		64 2		53 2		46 2		39 2	37 2		6 2	6 2			1 2					56	2
76 2		66 2		55 2		48 2		41 2	39 2		8 2	8 2			3 2					56	4
78 13		68 13		57 13		50 13		43 si verò amplius superuixit, ignoramus.	41 13		10 13	10 13			5 13	1 13				57	2
91		81		70		63			54		23	23			18	14	1			60	3

	ANNI							
	Ab orbe cōdito.	A Diluuio.	Ab introitu Israel in terram Chanaan.	Ab initio Olympiadū.	Vrbis conditæ.	Aeræ à Nabonassaro.	Vitæ Danielis.	A Tēpli desolatione.
Concurrit pænè totus cum 1. Monarchiæ Cyri.	3517	1861	934	240	217	212	92	71
Iudæi in Ierusalem iaciunt fundamenta Templi.	3518	1862	935	241	218	213	93	72
Daniel didicit futuras Regnorum mutationes. Post annos 4.	3519 4	1863 4	936 4	242 4	219 4	214 4	94 Quādiu verò superuixerit Daniel, incertum est.	73 4
Cyrus Persarum 1. Monarcha moritur an.	3523	1867	940	246	223	218		77
Cambyses regnat in Perside an. Post annos 7.	3524 7	1868 7	941 7	247 7	224 7	219 7		78 7
Moritur mense 5. & Smerden magus in fine an.	3531	1875	948	254	231	226		85
Darius Hystaspis regnat in Perside an.	3532	1876	949	255	232	227		86
Annus Iubilei 19. Aggæus & Zacharias prophetant. Post annos 2.	3533 2	1877 2	950 2	256 2	233 2	228 2		87 2
Zacharias prophetat contenta in cap. eius 7. Post annos 2.	3535 2	1879 2	952 2	258 2	235 2	230 2		89 2
Templum quoad partes eius interiores perficitur an.	3537	1881	954	260	237	232		91
Iudæi faciunt Pascha & sollemnitatem Azymorum an. Post annos 2.	3538 2	1882 2	955 2	261 2	238 2	233 2		92 2
Templum cum atriis suis absoluitur an.	3540	1884	957	263	240	235		94
Fiunt sacrificia pro restitutione Templi an. Post annos 4.	3541 4	1885 4	958 4	264 4	241 4	236 4		95 4
Incipiunt anni Consulares apud Romanos. Post annos 6.	3545 6	1889 6	962 6	268 6	245 6	240 6		99 6
Contigit quædam Eclipsis à Ptolemæo obseruata. Post annos 2.	3551 2	1895 2	968 2	274 2	251 2	246 2		105 2
Romæ prima Dictatoris creatio an.	3553	1897	970	276	253	248		107
Zorobabel creditur genuisse Abiud an. Post annos 2.	3554 2	1898 2	971 2	277 2	254 2	249 2		108 2
Probabile est natum esse Esdram Sacerdotem an. Post annos 5.	3556 5	1900 5	973 5	279 5	256 5	251 5		110 5
Romæ prima Tribunorum plebis creatio an.	3561	1905	978	284	261	256		115
Clades Persarum Marathonia contigit an. Post annos 5.	3562 5	1906 5	979 5	285 5	262 5	257 5		116 5
Darius Hystaspis Rex Persarum moritur an.	3567	1911	984	290	267	262		121
Xerxes huius nominis I. regnat in Perside an. Post annos 4.	3568 4	1912 4	985 4	291 4	268 4	263 4		122 4
Cum ingenti exercitu transit in Græciam an. Post annos 4.	3572 4	1916 4	989 4	295 4	272 4	267 4		126 4
Turpiter fugatur à Græcia in Asiam an. Post annos 7.	3576 7	1920 7	993 7	299 7	276 7	271 7		130 7
Incidit annus Iubilei vigesimi.	3583	1927	1000	306	283	278		137
Xerxes mittit secundam expeditionem in Græciam an. Post annos 5.	3584 5	1928 5	1001 5	307 5	284 5	279 5		138 5
Xerxe occiso regnat Artabanus vsque ad finem anni	3589	1933	1006	312	289	284		143
Artaxerxes Longimanus regnat in Perside an. Post annos 5.	3590 5	1934 5	1007 5	313 5	290 5	285 5		144 5
Decreuit mittere Esdram in Iudæam an.	3595	1939	1012	318	295	290		149
Esdras cum Iudæorum multitudine venit In Iudæam an. Post annos 7.	3596 7	1940 7	1013 7	319 7	296 7	291 7		150 7
Romanum Imperium à Decemuiris administratur an. Post annos 2.	3603 2	1947 2	1020 2	326 2	303 2	298 2		157 2
Abiud creditur genuisse Eliacim an. Post annos 4.	605 4	1949 4	1022 4	328 4	305 4	300 4		159 4
Nehemias obtinet licentiam reædificandi Ierusalem sub fi an.	3609	1953	1026	332	309	304		163
Concurrit ferè totus cum 1. aduentus sui in Ierusalem, & pariter cum 1. Hebdomadarum Danielis.	3610	1954	1027	333	310	305		164

Postre-

ANNI

Postremę Iudæorum captiuitatis.	Vitæ Zorobabelis.	Monarchiæ Cyri.	Monarchiæ Persarum & Medorũ.	A soluta Iudæorum captiuitate.	Regni Cambysis in Perside.	Regni Darij Hystaspis in Perside.	Vitæ Abiud.	Vitæ Esdræ Sacerdotis & Scribæ.	Regni Xerxis I. in Perside.	Regni Artaxerxis Longimani in Perside.	Vitæ Eliacim.	Hebdomadarum Danielis.	Sabbatici.	Iubilęorũ.	Olympiadis.	Annus.
55	15	1	1	1												
56	16	2	2	2											60	4
57	17	3	3	3											61	1
4	4	4	4	4											61	2
61	21	7	7	7												
62	22	8	8	8	1										62	2
7	7		7	7	7										62	3
69	29		15	15	8											
70	30		16	16		1									64	2
	31		17	17		2									64	3
	2		2	2		2								19	64	4
	33		19	19		4										
	2		2	2		2							136		65	2
	35		21	21		6										
	36		22	22		7									65	4
	2		2	2		2									66	1
	38		24	24		9									66	3
	39		25	25		10									66	4
	4		4	4		4										
	43		29	29		14									67	4
	6		6	6		6										
	49		35	35		20									69	2
	2		2	2		2										
	51		37	37		22									69	4
	52		38	38		23	1								70	1
			2	2		2	2									
			40	40		25	3	1					139		70	3
			5	5		5	5	5								
			45	45		30	8	6							71	4
			46	46		31	9	7							72	1
			5	5		5	5	5								
			51	51		36	14	12							73	2
			52	52			15	13	1						73	3
			4	4			4	4	4							
			56	56			19	17	5						74	3
			4	4			4	4	4							
			60	60			23	21	9						75	3
			7	7			7	7	7							
			67	67			30	28	16					20	77	2
			68	68			31	29	17				143		77	3
			5	5			5	5	5							
			73	73			36	34	22						78	4
			74	74			37	35		1					79	1
			5	5			5	5		5						
			79	79			42	40		6					80	2
			80	80			43	41		7					80	3
			7	7			7	7		7						
			87	87			50	48		14					82	2
			2	2			2	2		2						
			89	89			52	50		16	1		146		82	4
			4	4				4		4	4					
			93	93				54		20	5				83	4
			94	94				55		21	6	1			84	1

	ANNI							
	Ab orbe cōdito.	A Diluuio.	Ab introitu Israel in terram Chanaan.	Ab initio Olympiadum	Vrbis conditę.	Aerę à Nabonasaro.	A Tēpli desolatione.	Monarchiæ Persarū ac Medorū
Censorum Magistratus Romæ primùm instituitur anno	3611	1955	1028	334	311	306	165	95
Post annos 5.	5	5	5	5	5	5	5	5
Credi potest librum 1. Esdræ fuisse compositum anno	3616	1960	1033	339	316	311	170	100
Post annos 5.	5	5	5	5	5	5	5	5
Nehemias reuertitur in Persidem anno	3621	1965	1038	344	321	316	175	105
Cœpit bellum Peloponnesiacum in Græcia anno	3622	1966	1039	345	322	317	176	106
Post annos 7.	7	7	7	7	7	7	7	7
Rediit Nehemias in Ierusalem, & Artaxerxes Rex moritur an.	3629	1973	1046	352	329	324	183	113
Regnant in Perside primò Xerxes II. mox Sogdianus anno	3630	1974	1047	353	330	325	184	114
Darius Nothus regnat in Perside anno	3631	1975	1048	354	331	326	185	115
Post annos 2.	2	2	2	2	2	2	2	2
Incidit annus Iubilei vigesimi primi	3633	1977	1050	356	333	328	187	117
Post annos 7.	7	7	7	7	7	7	7	7
Esdras Sacerdos & Scriba creditur obiisse anno	3640	1984	1057	363	340	335	194	124
Post annos 9.	9	9	9	9	9	9	9	9
Darius Nothus Rex Persarum moritur sub finem anni	3649	1993	1066	37[illegible]	349	344	203	133
Regnat in Perside Artaxerxes Mnemon anno	3650	1994	1067	373	350	345	204	134
Mardochæus in Perside vidit somnium Propheticum anno	3651	1995	1068	374	351	346	205	135
Assuerus Rex fecit grande conuiuium anno	3652	1996	1069	375	352	347	206	136
Post annos 4.	4	4	4	4	4	4	4	4
Eliacim genuit Azor, & Esther ducitur ad cubiculū Assueri, an.	3656	2000	1073	379	356	351	210	140
Post annos 5.	5	5	5	5	5	5	5	5
Aman sortitur tempus pro interficiendis Iudæis anno	3661	2005	1078	384	361	356	215	145
Post annos 2.	2	2	2	2	2	2	2	2
Quinta Romani regiminis mutatio facta est anno	3663	2007	1080	386	363	358	217	147
Roma à Gallis capta, & à Furio Camillo recuperata est anno	3664	2008	1081	387	364	359	218	148
Post annos 14.	14	14	14	14	14	14	14	14
Sexta Romani regiminis mutatio facta est anno	3678	2022	1095	401	378	373	232	162
Post annos 5.	5	5	5	5	5	5	5	5
Annus Iubilei 22. & septima Romani regiminis mutatio	368[illegible]	2027	1100	406	383	378	237	167
Pugna Leuctrica facta est anno	3684	2028	1101	407	384	379	238	168
Post annos 4.	4	4	4	4	4	4	4	4
Octaua Romani regiminis mutatio facta est anno	3688	2032	1105	411	388	383	242	172
Artaxerxes Mnemon moritur sub finem anni	3689	2033	1106	412	389	384	243	173
Regnat Artaxerxes Ochus in Perside anno	3690	2034	1107	413	390	385	244	174
Post annos 4.	4	4	4	4	4	4	4	4
Philippus Alexandri Magni pater regnat in Græcia anno	3694	2038	1111	417	394	389	248	178
Post annos 11.	11	11	11	11	11	11	11	11
Nona Romani regiminis mutatio facta est anno	3705	2049	1122	428	405	400	259	189
Post annos 2.	2	2	2	2	2	2	2	2
Azor creditur genuisse Sadochum anno	3707	2051	1124	430	407	402	261	191
Post annos 8.	8	8	8	8	8	8	8	8
Artaxerxes Ochus Persarum Rex moritur anno	3715	2059	1132	438	415	410	269	199
Arsas regnat in Perside anno	3716	2060	1133	439	416	411	270	200
Post annos 2.	2	2	2	2	2	2	2	2
Regnāt Darius vlt. in Perside, & Alexāder Magn. in Græcia, an	3718	2062	1135	441	418	413	272	202
Idem Alexander Duces Darij ad Granicum superat anno	3719	2063	1136	442	419	414	273	203
Dario ad Issum victo, familiam eius ducit captiuam, anno	3720	2064	1137	443	420	415	274	204
Damascum & Palæstinam subiugat anno	3721	2065	1138	444	421	416	275	205
Ægyptum sine vi obtinet anno	3722	2066	1139	445	422	417	276	206
Imperio Persarum Dario extincto potitur anno	3723	2067	1140	446	423	418	277	207

A so-

ANNI

A soluta Iudæorum captiuitate Babylonica	Vitæ Esdræ Sacerdotis & Scribæ.	Regni Artaxerxis Longimani.	Vitæ Eliacim.	Hebdomadarũ Danielis.	Regni Xerxis II. & Sogdiani in Perside.	Regni Darij Nothi in Perside.	Regni Artaxerxis Mnemonis in Perside.	Vitæ Azor	Regni Artaxerxis Ochi in Perside.	Regni Philippi patris Alex. Mag. in Macedon.	Vitæ Sadoc.	Regni Arsas in Perside.	Regni Darij vltimi in Perside.	Regni Alexandri Mag. in Græcia.	Sabbatici	Iubileorum.	Olympiadis.	Annus.
95 5	56 5	22 5	7 5	2 5													84	2
100 5	61 5	27 5	12 5	7 5													85	3
105	66	32	17	12													86	4
106 7	67 7	33 7	18 7	13 7													87	1
113	74	40	25	20													88	4
114	75		26	21	1												89	1
115 2	76 2		27 2	22 2		1 2											89	2
117 7	78 7		29 7	24 7		3 7									150	21	89	4
124 9	85		36 9	31 9		10 9									151		91	3
133			45	40		19											93	4
134			46	41			1										94	1
135			47	42			2										94	2
136 4			48 4	43 4			3 4										94	3
140 5			52	47 5			7 5	1 5									95	3
145 2				52 2			12 2	6 2							154		96	4
147				54			14	8									97	2
148 14				55 14			15 14	9 14									97	3
162 5				69 5			29 5	23 5									101	1
167				74			34	28								22	102	2
168 4				75 4			35 4	29 4									102	3
172				79			39	33									103	3
173				80			40	34							158		103	4
174 4				81 4				35 4	1 4								104	1
178 11				85 11				39 11	5 11	1 11							105	1
189 2				96 2				50 2	16 2	12 2							107	4
191 8				98 8				52	18 8	14 8	1 8						108	2
199				106					26	22	9						110	2
200 2				107 2						23 2	10 2	1 2					110	3
202				109						25	12	3	1	1			111	1
203				110							13		2	2			111	2
204				111							14		3	3			111	3
205				112							15		4	4			111	4
206				113							16		5	5			112	1
207				114							17		6	6			112	2

	ANNI									
	Ab orbe condito.	A Diluuio.	Ab introitu Israel in terram Chanaan	Ab initio Olympiadum	Vrbis conditę.	Aerę à Nabonasaro.	A Templi desolatione.	A soluta Babylonica Iudęorum captiuitate.	Hebdomadarum Danielis.	Vitæ Sadoc.
Extincta Persarum, instituit Monarchiam Græcorum anno	3724	2068	1141	447	424	419	278	208	115	18
Septemtrionales regiones subegit anno	3725	2069	1142	448	425	420	279	209	116	19
Contra Indos feliciter pugnat anno	3726	2070	1143	449	426	421	280	210	117	20
Ducit exercitum in Mediam, vbi multa egit anno	3727	2071	1144	450	427	422	281	211	118	21
Redit in Babylonem, vbi ad otia luxusque conuertitur anno	3728	2072	1145	51	428	423	282	212	119	22
A cunctis pænè populis Legatos ac munera suscipit anno	3729	2073	1146	452	429	424	283	213	120	23
Moritur; & Ptolemæus Lagi regnat in Ægypto anno Post annos 3.	3730 3	2074 3	1147 3	453 3	430 3	425 3	284 3	214 3	121 3	24 3
Incidit Iubileus vigesimus tertius anno Post annos 2.	3733 2	2077 2	1150 2	456 2	433 2	428 2	287 2	217 2	124 2	27 2
Regnat primò in Asia Antigonus anno Post annos 7.	3735 7	2079 7	1152 7	458 7	435 7	430 7	289 7	219 7	126 7	29 7
Regnat Seleucus in Syria sub finem anni	3742	2086	1159	465	442	437	296	226	133	36
Concurrit cum an. 1. Seleuci, & Æræ regni Græcorū Iudaicæ	3743	2087	1160	466	443	438	297	227	134	37
Incipit eadem Æra more Châldaico putata anno Post annos 8.	3744 8	2088 8	1161 8	467 8	444 8	439 8	298 8	228 8	135 8	38 8
Antigonus Rex Asiæ moritur in fine anni	3752	2096	1169	475	452	447	306	236	143	46
Regnat in Asia Demetrius huius nominis I. anno	3753	2097	1170	476	453	448	307	237	144	47
Seleucus ædificat Antiochiam aliasque vrbes anno Post annos 4.	3754 4	2098 4	1171 4	477 4	454 4	449 4	308 4	238 4	145 4	48 4
Sadoc creditur genuisse Achim anno Post annos 10.	3758 10	2102 10	1175 10	481 10	458 10	453 10	312 10	242 10	149 10	52
Ptolemæus Lagi dat regnum Philadelpho F. sub finem anni	3768	2112	1185	491	468	43	322	252	159	—
Concurrit cū 1. Philadelphi; & Ptolem. Lagi moritur sub fi. an.	3769	2113	1186	492	469	464	323	253	160	—
Demetrius cedit regnum Asiæ Seleuco Regi Syriæ anno Post annos 3.	3770 3	2114 3	1187 3	493 3	470 3	465 3	324 3	254 3	161 3	
Incipit bellum inter Romanos & Pyrrhum Epiri Regem an	3773	2117	1190	496	473	468	327	257	164	—
Seleucus Syriæ Asiæque Rex moritur anno	3774	2118	1191	497	474	469	328	258	165	—
Regnat in Asia Syriaque Antiochus I. qui & Soter, anno Post annos 4.	3775 4	2119 4	1192 4	498 4	475 4	470 4	329 4	259 4	166 4	—
Finis belli Romanorum cum Pyrrho Epiri Rege anno Post annos 2.	3779 2	2123 2	1196 2	502 2	479 2	474 2	333 2	263 2	170 2	—
Incidit obseruatio quædam Astronomica à Ptolemæo relata Post annos 2.	3781 2	2125 2	1198 2	504 2	481 2	476 2	335 2	265 2	172 2	—
Annus Iubilei vigesimi quarti Post annos 7.	3783 7	2127 7	1200 7	506 7	483 7	478 7	337 7	267 7	174 7	—
Initium belli Punici 1. & exitus Romanorum de Italia anno Post annos 3.	3790 3	2134 3	1207 3	513 3	490 3	485 3	344 3	274 3	181 3	—
Antioch. Soter moritur in fi. an. cui succedit Antioch Theos.	3793	2137	1210	516	493	488	347	277	184	—
Concurrit ferè totus cum anno 1. Antiochi Theos. Post annos 4.	3794 4	2138 4	1211 4	517 4	494 4	489 4	348 4	278 4	185 4	—
Natus est Eleazarus inter sanctos Machabæos recensitus anno Post annos 9.	3798 9	2142 9	1215 9	521 9	498 9	493 9	352 9	282 9	189 9	—
Philadelphus moritur, cui succedit Euergetes anno	3807	2151	1224	530	507	502	361	291	198	—
Primus an. Euergetis, & vltimus Theos, cui succedit Gallinicus	3808	2152	1225	531	508	503	362	292	199	—
Concurrit cum an. 1. Gallinici, & Achim genuit Eliud anno Post annos 3.	3809 3	2153 3	1226 3	532 3	509 3	504 3	363 3	293 3	200 3	—
Finis primi belli Punici contigit anno Post annos 5.	3812 5	2156 5	1229 5	535 5	512 5	507 5	366 5	296 5	203 5	—
Nascitur Antiochus Magnus inchoante anno Post annos 8.	3817 8	2161 8	1234 8	540 8	517 8	512 8	371 8	301 8	208 8	—
Alia obseruatio Astronomica apud Ptolemæum anno Post annos 3.	3825 3	2169 3	1242 3	548 3	525 3	520 3	379 3	309 3	216 3	—
Moritur Gallinicus, cui succedit Ceraunus in fine anni	3828	2172	1245	551	528	523	382	312	219	

ANNI

Monarchiæ Alex. Magni.	Regni Ptol. Lagi in Aegypto.	Ab obitu Alex. Magni.	Regni Antigoni in Asia.	Regni Seleuci I. in Syria.	Regni Græcorum more Iudaico	Regni Græcorum more Chaldaico.	Regni Demetrij in Asia.	Vitæ Achim	Regni Philadelphi in Aegypto	Secundùm Dionysium	Regni Antiochi I. in Asia.	Regni Antiochi Theos in Asia.	Vitæ Eleazari.	Regni Phile. Euergetis in Aegypto	Regni Seleuci Gallinici in Syria.	Vitæ Eliud.	Vitæ Antiochi Magni.	Sabbatici.	Iubileorum.	Olympiadis.	Annus.
1																		163		112	3
2																				112	4
3																				113	1
4																				113	2
5																				113	3
6																				113	4
7 / 3	1 / 3	1 / 3																		114	1
10 / 2	4 / 2	4 / 2																	23	114	4
12 / 7	6 / 7	6 / 7	1 / 7																	115	2
19	13	13	8																	117	1
20	14	14	9	1	1															117	2
21 / 8	1 / 8	15 / 8	10 / 8	2 / 8	2 / 8	1 / 8														117	3
29	23	23	18	10	10	9														119	3
30	24	2		11	11	10	1													119	4
31 / 4	25 / 4	2 / 4		12 / 4	12 / 4	11 / 4	2 / 4													120	1
35 / 10	29 / 10	29 / 10		16 / 10	16 / 10	15 / 10	6 / 10	1 / 10												121	1
45	39	39		26	26	25	16	11												123	3
46	40	40		27	27	26	17	12	1	1										123	4
47 / 3		41 / 3		28 / 3	28 / 3	27 / 3		13 / 3	2 / 3	2 / 3										124	1
50		44		31	31	30		16	5	5										124	4
51		45		32	32	31		17	6	6										125	1
52 / 4		46 / 4			33 / 4	32 / 4		18 / 4	7 / 4	7 / 4	1 / 4									125	2
56 / 2		50 / 2			37 / 2	36 / 2		22 / 2	11 / 2	11 / 2	5 / 2									126	2
58 / 2		52 / 2			39 / 2	38 / 2		24 / 2	13 / 2	13 / 2	7 / 2									126	4
60 / 7		54 / 7			41 / 7	40 / 7		26 / 7	15 / 7	15 / 7	9 / 7								24	127	2
67 / 3		61 / 3			48 / 3	47 / 3		33 / 3	22 / 3	22 / 3	16 / 3									129	1
70		64			51	50		36	25	25	19									129	4
71 / 4		65 / 4			52 / 4	51 / 4		37 / 4	26 / 4	26 / 4		1 / 4						173		130	1
75 / 9		69 / 9			56 / 9	55 / 9		41 / 9	30 / 9	30 / 9		5 / 9	1 / 9							131	1
84		78			65	64		50	39	39		14	10							133	2
85		79			66	65		51		40		15	11	1				175		133	3
86 / 3		80 / 3			67 / 3	66 / 3		52		41 / 3			12 / 3	2 / 3	1 / 3	1 / 3				133	4
89 / 5		83 / 5			70 / 5	69 / 5				44 / 5			15 / 5	5 / 5	4 / 5	4 / 5				134	3
94 / 8		88 / 8			75 / 8	74 / 8				49 / 8			20 / 8	10 / 8	9 / 8	9 / 8	1 / 8			135	4
102 / 3		96 / 3			83 / 3	82 / 3				57 / 3			28 / 3	18 / 3	17 / 3	17 / 3	9 / 3			137	4
105		99			86	85				60			31	21	20	20	12			138	3

ANNI

	Ab orbe cōdito.	A Diluuio.	Ab introitu Ifrael in terram Chanaan.	Ab initio Olympiadum	Vrbis conditæ.	Aere à Nabonaffaro	A Templi defolatione.	Abfoluta Babylonica captiuitate.	Hebdomadarū Danielis.	Monarchiæ Alexandri Magni.	Ab obitu Alexandri Magni.
Concurrit pænè totus cum an. 1. dicti Cerauni. Poft annos 2.	3829 2	2173 2	1246 2	552 2	529 2	524 2	383 2	313 2	220 2	106 2	100 2
Moritur Ceraunus fub fi. an. cui fuccedit Antiochus Magnus.	3831	2175	1248	554	531	526	385	315	222	108	102
Concurrit ferè totus cum an. 1. Antiochi Magni.	3832	2176	1249	555	532	527	386	316	223	109	103
An. Iubilei 25. moritur Euergetes, & reg. Philopator in Ægypt.	3833	2177	1250	556	533	528	387	317	224	110	104
Concurrit ferè totus cum an. 1. Ptolem. Philopatoris. Poft annos 2.	3834 2	2178 2	1251 2	557 2	534 2	529 2	388 2	318 2	225 2	111 2	105 2
Initium fecundi belli Punici an. Poft annos 14	3836 14	2180 14	1253 14	559 14	536 14	531 14	390 14	320 14	227 14	113 14	107 14
Moritur Philopator, cui fuccedit Ptolem. Epiphanes in Ægyp. Poft annos 3.	3850 3	2194 3	1267 3	573 3	550 3	545 3	404 3	334 3	241 3	127 3	121 3
Finis belli Punici II. & initium Philippici feu Macedonici. Poft annos 3.	3853 3	2197 3	1270 3	576 3	553 3	548 3	407 3	337 3	244 3	130 3	124 3
Antiochus Magnus callidè defpondet filiam Epiphani. Poft annos 3.	3856 3	2200 3	1273 3	579 3	556 3	551 3	410 3	340 3	247 3	133 3	127 3
Finis belli Macedonici feu Philippici, an.	3859	2203	1276	582	559	554	413	343	250	1;6	130
Eliud creditur genuiffe Eleazarum, an. Poft annos 2.	3860 2	2204 2	1277 2	583 2	560 2	555 2	414 2	344 2	251 2	137 2	131 2
Antiochus tradit filiam Epiphani, & bellat cum Romanis. Poft annos 5.	3862 5	2206 5	1279 5	585 5	562 5	557 5	416 5	346 5	253 5	139 5	133 5
Moritur Antiochus fub fi. an. cui fuccedit Seleucus Philop.	3867	2221	1284	590	567	562	421	351	258	144	138
Concurrit ferè totus cum an. 1. Seleuci Philopatoris. Poft annos 5.	3868 5	2212 5	1285 5	591 5	568 5	563 5	422 5	352 5	259 5	145 5	139 5
Moritur Ptol. Epiphanes; cui fuccedit Philometor fub fin. an.	3873	2217	1290	596	573	568	427	357	264	150	144
Concurrit pro maiori parte cum an. 1. Philometoris. Poft annos 2.	3874 2	2218 2	1291 2	597 2	574 2	569 2	428 2	358 2	265 2	151 2	145 2
Dofitheus tulit Epiftolam phurim in Ierufalem, an. Poft annos 3.	3876 3	2220 3	1293 3	599 3	576 3	571 3	430 3	360 3	267 3	153 3	147 3
Moritur Seleucus fub fi. an. & fuccedit Antioch. Epiphanes.	3879	2223	1296	602	579	574	433	363	270	156	150
Concurrit pro maiori parte cum 1. dicti Antiochi.	3880	2224	1297	603	580	575	434	364	271	157	151
Antiochus Epiphanes aggreditur Ægyptum an.	3881	2225	1298	604	581	576	435	365	272	158	152
Menelaus Iafonem Pontif. fpoliat. Initium belli Macedonici II	3882	2226	1299	605	582	577	436	366	273	159	153
Annus Iubilei vigefimi fexti.	3883	2227	1300	606	583	578	437	367	274	160	154
Portenta Ierofolymis vifa an.	3884	2228	1301	607	584	579	438	368	275	161	155
Antiochus 2. inuadit Ægyptum, & Ierofolymis templū fpoliat.	3885	2229	1302	608	585	580	439	369	276	162	156
Bellum Macedonicum II. à Romanis conficitur an.	3886	2230	1303	609	586	581	440	370	277	163	157
Antiochus Iudæos ad Idola compellit, & Eleazarum necat.	3887	2231	1304	610	587	582	441	371	278	164	158
Mathathias Machabæorum pater moritur an.	3888	2232	1305	611	588	583	442	372	279	165	159
Iudas Machabæus Dux Iudæorum pugnat pro eis feliciter.	3889	2233	1306	612	589	584	443	373	280	166	160
Deuicto Lyfia, purgat templum an.	3890	2234	1307	613	590	585	444	374	281	167	161
Moritur Antiochus, & regnat Eupator in Afia an.	3891	2235	1308	614	591	586	445	375	282	168	162
Iudas obfidet arcem; & incidit annus Sabbaticus.	3892	2236	1309	615	592	587	446	376	283	169	163
Demetrius Soter, occifo Eupatore, regnat in Afia an.	3893	2237	1310	616	593	588	447	377	284	170	164
Iudas in bello cadit, & fuccedit ei Ionathas frater an.	3894	2238	1311	617	594	589	448	378	285	171	165
Alcimus incipit deftruere murum templi an. Poft annos 2.	3895 2	2239 2	1312 2	618 2	595 2	590 2	449 2	379 2	286 2	172 2	166 2

Regni

Regni Græcorum more Iudaico	Regni Græcorum more Chaldaico	Vitæ Eleazari.	Regni Ptole. Euergetis in Aegypto.	Vitæ Eliud.	Vitæ Antiochi Magni.	Regni Seleuci Cerauni in Syria.	Regni Antiochi Magni in Asia.	Regni Ptole. Philopatoris in Aegypto.	Regni Ptole. Epiphanis in Aegypto.	Vitæ Eleazar filij Eliud.	Regni Seleuci Philopatoris in Asia.	Regni Ptole. Philometoris in Aegypto.	Regni Antiochi Epiphanis in Asia.	Ducatus Iudę Machabæi.	Regni Antiochi Eupatoris in Asia.	Regni Demetrij Soteris in Asia.	Ducatus Ionathæ in Iuda.	Sabbatici.	Iubileorum.	Olympiadis.	Annus.
87 2	86 2	32 2	22 2	21 2	13 2	1 2												178		138	4
89	88	34	24	23	15	3														139	2
90	89	35	25	24	16		1													139	3
91	90	36	26	25	17		2												25	139	4
92 2	91 2	37 2		26 2	18 2		3 2	1 2												140	1
94 14	93 14	39 14		28 14	20 14		5 14	3 14												140	3
108 3	107 3	53 3		42 3	34 3		19 3	17	1 3									181		144	1
111 3	110 3	56 3		45 3	37 3		22 3		4 3											144	4
114 3	113 3	59 3		48 3	40 3		25 3		7 3											145	3
117	116	62		51	43		28		10											146	2
118 2	117 2	63 2		52	44 2		29 2		11 2	1 2										146	3
120 5	119 5	65 5			46 5		31 5		13 5	3 5										147	1
125	124	70			51		36		18	8										148	2
126 5	125 5	71 5							19 5	9 5	1 5									148	3
131	130	76							24	14	6								26	149	4
132 2	131 2	77 2								15 2	7 2	1 2								150	1
134 3	133 3	79 3								17 3	9 3	3 3								150	3
137	136	82								20	12	6								151	2
138	137	83								21		7	1							151	3
139	138	84								22		8	2							151	4
140	139	85								23		9	3							152	1
141	140	86								24		10	4							152	2
142	141	87								25		11	5							152	3
143	142	88								26		12	6					186		152	4
144	143	89								27		13	7							153	1
145	144	90								28		14	8							153	2
146	145									29		15	9							153	3
147	146									30		16	10	1						153	4
148	147									31		17	11	2						154	1
149	148									32		18	12	3	1					154	2
150	149									33		19		4	2			187		154	3
151	150									34		20		5		1				154	4
152	151									35		21				2	1			155	1
153 2	152 2									36 2		22 2				3 2	2 2			155	2

ANNI

	Ab orbe condito.	A Diluuio.	Ab introitu Israel in terram Chanaan.	Ab initio Olympiadum.	Vrbis conditæ.	Æræ à Nabonassaro.	A Templi desolatione	A soluta Iudæorum Babylonica captiuitate	Hebdomadarũ Danielis.	Monarchiæ Alexandri Magni.	Ab obitu Alexandri Magni.	Regni Græcorũ more Iudaico.
Bacchides denuò exercitum ducit contra Ionathan an. Post annos 5.	3897 5	2241 5	1314 5	620 5	597 5	592 5	451 5	381 5	288 5	174 5	168 5	155 5
Alexander Antiochi F. occupat Ptolemaidem an.	3902	2246	1319	625	602	597	456	386	293	179	173	160
Occiso Demetrio, regnat in Asia anno	3903	2247	1320	626	603	598	457	387	294	180	174	161
Ducit Philometoris filiam vxorem. Initium 3. belli Punici. an. Post annos 2.	3904 2	2248 2	1321 2	627 2	604 2	599 2	458 2	388 2	295 2	181 2	175 2	162 2
Bellum Macedonicum III. gestum est à Romanis an.	3906	2250	1323	629	606	601	460	390	297	183	177	164
Demetr. III. tẽtat occupare regnũ paternũ. Carthago euertitur.	3907	2251	1324	630	607	602	461	391	298	184	178	165
Moritur Philometor occiso Alex. & Corinthus destruitur an.	3908	2252	1325	631	608	603	462	392	299	185	179	166
Regnant in Ægypto Euergetes II. & in Asia Demetrius III. an.	3909	2253	1326	632	609	604	463	393	300	186	180	167
Regnat quoque in Asia Antiochus Alexandri F. an.	3910	2254	1327	633	610	605	464	394	301	187	181	168
Tryphon capit Ionathan. Eleazar generat Mathan an.	3911	2255	1328	634	611	606	465	395	302	188	182	169
Simon Machabæus fit Dux Iudæorum an.	3912	2256	1329	635	612	607	466	396	303	189	183	170
Capit arcẽ. & Tryphõ occiso Antiocho regnat in Asia sub fi. an.	3913	2257	1330	636	613	608	467	397	304	190	184	171
Concurrit pro maiore parte cum 1. Tryphonis. Et sub finem anni nata est Alexandra, quæ mox fuit Iudæorum Regina	3914	2258	1331	637	614	609	468	398	305	191	185	172
Concurrit cum anno 1. vitæ eiusdem Alexandræ. Et sub finem anni Antiochus Demetrij frater fit Simonis amicus.	3915	2259	1332	638	615	610	469	399	306	192	186	173
Regnat pulso Tryphone & ipse Antiochus in Asia sub fin. an.	3916	2260	1333	639	616	611	470	400	307	193	187	174
Concurrit ferè totus cum anno 1. Antiochi Pij Post annos 2.	3917 2	2261 2	1334 2	640 2	617 2	612 2	471 2	401 2	308 2	194 2	188 2	175 2
Simon dolosè à Ptolemæo genero suo occiditur sub finem an.	3919	2263	1336	642	619	614	473	403	310	196	190	177
Ioan. Hircanus fit Princeps in Iudæa. Numantia euertitur an.	3920	2264	1337	643	620	615	474	404	311	197	191	178
Ab Antiocho Pio obsessus, cum eo pacem componit an. Post annos 3.	3921 3	2265 3	1338 3	644 3	621 3	616 3	475 3	405 3	312 3	198 3	192 3	179 3
Cum eodem Antiocho proficiscitur in Parthiam an.	3924	2268	1341	647	624	619	478	408	315	201	195	181
Moritur in Parthia Antiochus Pius an.	3925	2269	1342	648	625	620	479	409	316	202	196	183
Demetrius III. ab Arsace in suum Regnum dimittitur an. Post annos 3.	3926 3	2270 3	1343 3	649 3	626 3	621 3	480 3	410 3	317 3	203 3	197 3	184 3
Regnat in Syria Alexander Zebina. Et Demetrius occiditur an	3929	2273	1346	652	629	624	483	413	320	206	200	187
Demetrio succedunt, primò Seleucus, mox Grypus, filij. an.	3930	2274	1347	653	630	625	484	414	321	207	201	188
Iudæi scribunt fratribus in Ægypto degentibus an.	3931	2275	1348	654	631	626	485	415	322	208	202	189
Antiochus Grypus, occiso Zebina, regnat in Syria an.	3932	2276	1349	655	632	627	486	416	323	209	203	190
Annus Iubilei vigesimi septimi. Post annos 4.	3933 4	2277 4	1350 4	656 4	633 4	628 4	487 4	417 4	324 4	210 4	204 4	191 4
Moritur Euergetes II. & regnat Lathurus cum matre an. Post annos 3.	3937 3	2281 3	1354 3	660 3	637 3	632 3	491 3	421 3	328 3	214 3	208 3	195 3
Grypus cum Cyziceno feliciter pugnat an.	3940	2284	1357	663	640	635	494	424	331	217	211	198
Iterùm pugnant, & Grypo præualet Cyzicenus an.	3941	2285	1358	664	641	636	495	425	332	218	212	199
Regnat quoque in Azia Cyzicenus an.	3942	2286	1359	665	642	637	496	426	333	219	213	200
Iugurthinum bellum cœpit an. Post annos 4.	3943 4	2287 4	1360 4	666 4	643 4	638 4	497 4	427 4	334 4	220 4	214 4	201 4
Numidia à Romanis capta est an. Post annos 3.	3947 3	2291 3	1364 3	670 3	647 3	642 3	501 3	431 3	338 3	224 3	218 3	205 3
Io. Hircanus Dux Iudæorum moritur an.	3950	2294	1367	673	650	645	504	434	341	227	221	208
Aristobulus in Iudæa regnat; & moritur in fine anni	3951	2295	1368	674	651	646	505		342	228	222	209
Regnat in Iudæa Alexander Iannæus an.	3952	2296	1369	675	652	647	506		343	229	223	210
Cleopatra, pulso Lathuro F regnat in Ægypto an.	3953	2297	1370	676	653	648	507		344	230	224	211
Facit secum regnare Alexandrum F. an.	3954	2298	1371	677	654	649	508		345	231	225	212

ANNI

Regni Gregorij more Chaldaico	Vitæ Eleazari filij Eliud	Regni Ptolemei Philometoris in Ægypto.	Regni Demetrij Soteris in Asia.	Principatus Ionathæ in Iudæa.	Regni Alex. F. Antiochi in Asia.	Regni Ptol. Euergetis II. in Ægypto.	Regni Demetrij III. in Asia.	Regni Antiochi F. Alex. in Asia.	Vitæ Mathan.	Ducatus Simonis in Iudæa.	Regni Tryphonis in Asia.	Vitæ Alexandræ Iudæorum Reginæ.	Regni Antiochi Pij in Asia.	Principatus Ioan. Hyrcani in Iudæa.	Regni Demetrij III iterũ in Asia.	Regni Alex. Zebinæ in Syria	Regni Antiochi Grypi in Syria	Regni Ptolelathuri cum matre in Ægypto	Regni Antiochi Cyziceni in Syria	Regni Aristobuli in Iudæa.	Regni Alexandri Iannæi in Iudæa.	Regni Cleopatræ in Aegypto Alex. F.	Sabbatici	Iubileorum.	Olympiadis.	Annus.
154 5	38 5	24 5	5 5	4 5																					155	4
159	43	29	10	9																					157	1
160	44	30	11	10	1																				157	2
161 2	45 2	31 2		11 2	2 2																				157	3
163	47	33		13	4																				158	1
164	48	34		14	5																				158	2
165	49	35		15	6																				158	3
166	50			16		1	1																		158	4
167	51			17		2	2	1																	159	1
168	52			18		3	3	2	1																159	2
169						4	4	3	2																159	3
170						5	5	4	3	1													190		159	4
171						6	6		4	2	1														160	1
172						7			5	3	2	1													160	2
173						8			6	4	3	2													160	3
174 2						9 2			7 2	5 2		3 2	1 2												160	4
176						11			9	7		5	3												161	2
177						12			10			6	4	1									191		161	3
178 3						13 3			11 3			7 3	5 3	2 3											161	4
181						16			14			10	8	5											162	3
182						17			15			11	9	6											162	4
183 3						18 3			16 3			12 3		7 3	1 3										163	1
186						21			19			15		10	4	1									163	4
187						22			20			16		11		2	1								164	1
188						23			21			17		12		3	2								164	2
189						24			22			18		13		4	3								164	3
190 4						25 4			23 4			19 4		14 4			4 4							27	164	4
194 3						29			27 3			23 3		18 3			8 3	1 3							165	4
197									30			26		21			11	4							166	3
198									31			27		22			12	5					194		166	4
199									32			28		23			13	6	1						167	1
200 4									33 4			29 4		24 4			14 4	7 4	2 4						167	2
204 3									37 3			33 3		28 3			18 3	11 3	6 3						168	2
207									40			36		31			21	14	9						169	1
208									41			37					22	15	10	1					169	2
209									42			38					23	16	11		1				169	3
210									43			39					24	17	12		2	1			169	4
211									44			40					25		13		3	2			170	1

Ooo 3

Ab

	ANNI										
	Ab orbe condito.	A Diluuio.	Ab introitu Israel in terram Chanaan.	Ab initio Olympiadum.	Vrbis conditæ.	Æræ à Nabonassaro.	A Tēplide solatione	Hebdomadarum Danielis	Monarchiæ Alex. Magni.	Ab obitu Alex. Magni.	Regni Græcorū more Iudaico.
Iannæus metu Lathuri, Ptolemaidis obſidionem ſoluit.	3955	2299	1372	678	655	650	509	346	232	226	213
Ptolem. Lathurus, victo Iannæo Ptolemaidem expugnat.	3956	2300	1373	679	656	651	510	347	233	227	214
Cleopatra venit in Iudæam contra Lathurum F. anno	3957	2301	1374	680	657	652	511	348	234	228	215
Eumdē redire cogit in Cyprū.& Grypus Aſiæ Rex occiditur.	3958	2302	1375	681	658	653	512	349	235	229	216
Huic ſuccedit Seleucus F. qui Cyzicenum patruum necat.	3959	2303	1376	682	659	654	513	350	236	230	217
Cuius F. Antiochus Seleucum è tota Syria pellit.	3960	2304	1377	683	660	655	514	351	237	231	218
Seleuco & Antiocho mortuis, regnat Philippus III. frater.	3961	2305	1378	684	661	656	515	352	238	232	219
Cleopatra interficitur. Et Mathan gignit Iacob.	3962	2306	1379	695	662	657	516	353	239	233	220
Regnat iterùm in Ægypto Ptol. Lathurus, qui Demetrium Eucærum regnare facit in parte Syriæ anno	3963	2307	1380	686	663	658	517	354	240	234	221
Poſt annos 3.	3	3	3	3	3	3	3	3	3	3	3
Initium belli ciuilis inter Marium & Sullam.	3966	2310	1383	689	666	661	520	357	243	237	224
Iannæus contra ſuos dimicans, ab Eucæro ſuperatur.	3967	2311	1384	690	667	662	521	358	244	238	225
Philippus tota Syria potitur, & Anna Propheti ſſa naſcitur.	3968	2312	1385	691	668	663	522	359	245	239	226
Antiochus Dionyſius regnat in Damaſco.	3969	2313	1386	692	669	664	523	360	246	240	227
Occiditur. & ceſſat regnū Seleucidarū. Et Lathurus moritur.	3970	2314	1387	693	670	665	524	361	247	241	228
Ptole. Auletes regnat in Ægypto, & Tigranes in Syria.	3971	2315	1388	694	671	666	525	362	248	242	
Iannæus expeditionem ſuſcipit in Syriam anno	3972	2316	1389	695	672	667	526	363	249	243	
Poſt annos 2.	2	2	2	2	2	2	2	2	2	2	
Domum redit tertio expeditionis anno	3974	2318	1391	697	674	669	528	365	251	245	
Poſt annos 2.	2	2	2	2	2	2	2	2	2	2	
Ob temulentiam febri quartana corripitur	3976	2320	1393	699	676	671	530	367	253	247	
Poſt annos 2.	2	2	2	2	2	2	2	2	2	2	
Moritur ſub finem anni	3978	2322	1395	701	678	673	532	369	255	249	
Regnat Alexandra vxor eius in Iudæa anno	3979	2323	1396	702	679	674	533	370	256	260	
Poſt annos 3.	3	3	3	3	3	3	3	3	3	3	
Herodes Aſcalonita naſcitur ſub fin. an. Olympiadis. Quare an. inſequens	3982	2326	1399	705	682	677	536	373	259	253	
Concurrit pro maiori parte cū 1. vitę Herodis An. Iubilei 28.	3983	2327	1400	706	683	678	537	374	260	254	
Tigranes expugnata Ptolemaide, in Armeniam properat.	3984	2328	1401	707	684	679	538	375	261	255	
Lucullus cum Mithridate & Tigrane bellum gerit.	3985	2329	1402	708	685	680	539	376	262	256	
Poſt annos 2.	2	2	2	2	2	2	2	2	2	2	
Moritur Alexandra Iudæorum Regina anno	3987	2331	1404	710	687	682	541	378	264	258	
Ariſtobulus victo Hircano fratre regnat in Iudæa.	3988	2332	1405	711	688	683	542	379	265	259	
Aretas Arabum Rex pro Hircano venit contra Ariſtobulum.	3989	2333	1406	712	689	684	543	380	266	260	
Iidem fratres corā Pompeio diſceptāt. Et Ioachimus naſcitur.	3990	2334	1407	713	690	685	544	381	267	261	
Octauianus Cæſ. naſcitur. Et Pompeius occupat Ieroſolymā	3991	2335	1408	714	691	686	545	382	268	262	
Scaurus inuadit Arabiam an. 1. à Ieroſolyma capta.	3992	2336	1409	715	692	687	546	383	269	263	
Poſt annos 4.	4	4	4	4	4	4	4	4	4	4	
Alexander Ariſtobuli F. Iudæam, Cæſar Galliam inuadunt.	3996	2340	1413	719	696	691	550	387	273	267	
A Gabinio ſuperatus veniam obtinet an.	3997	2341	1414	720	697	692	551	388	274	268	
Ariſtobulus Iudæam inuadens, à Gabinio capitur.	3998	2342	1415	721	698	693	552	389	275	269	
Gabinius Ptolem. Auletem in regnum armis reducit.	3999	2343	1416	722	699	694	553	390	276	270	
M. Craſſus Meſopotamiā occupat, & Ptol. Auletes moritur.	4000	2344	1417	723	700	695	554	391	277	271	

Regni

ANNI

Regni Græcorũ more Chaldaico.	Vitæ Mathan.	Regni Antiochi Grypi in Syria	Regni Antiochi Cyziceni in Syria.	Regni Alexandri Iannæi in Iudæa.	Regni Cleopatræ in Ægypto cũ Alex. F.	Regni Seleuci F. Grypi in Syria	Regni Philippi in parte Syriæ.	Vitæ Iacob.	Regni Ptolemæi Lathuri II. in Ægypto	Regni Demetrij Eucæri in Syria	Vitæ Annæ Prophetissæ.	Regni Antiochi Dionysij in parte Syriæ.	Regni Ptol. Auletis in Ægypto.	Regni Tigranis in Syria	Regni Alexandræ in Iudæa.	Vitæ Herodis Ascalonitæ.	Regni Aristobuli in Iudæa.	Vitæ Ioachin.	Vitæ Octauiani Cæsaris.	A Ierosolyma per Pompeiũ capta.	Sabbatici.	Iubilæorum.	Olympiadis.	Annus.
212	45	26	14	4	3																			
213	46	27	15	5	4																196		170	2
214	47	28	16	6	5																		170	3
215	48	29	17	7	6																		170	4
216	49		18	8	7	1																	171	1
217	50			9	8	2																	171	2
218	51			10	9		1																171	3
219	52			11	10		2	1															171	4
220				12			3	2	1	1											197		172	1
3				3			3	3	3	3													172	2
223				15			6	5	4	4													173	1
224				16			7	6	5	5													173	2
225				17			8	7	6	6	1												173	3
226				18			9	8	7		2	1									198		173	4
227				19			10	9	8		3	2											174	1
				20				10			4		1	1									174	2
				21 2				11 2			5 2		2 2	2 2									174	3
				23 2				13 2			7 2		4 2	4 2									175	1
				25 2				15 2			9 2		6 2	6 2							199		175	3
				27				17			11		8	8									176	1
								18 3			12 3		9 3	9 3	1 3								176	2
								21			15		12	12	4								177	1
								22			16		13	13	5	1					200	28	177	2
								23			17		14	14	6	2							177	3
								24 2			18 2		15 2	15 2	7 2	3 2							177	4
								26			20		17	17	9	5							178	2
								27			21		18	18		6	1						178	3
								28			22		19			7	2						178	4
								29			23		20			8	3	1			201		179	1
								30			24		21			9	4	2	1				179	2
								31 4			25 4		22 4			10 4		3 4	2 4	1 4			179	3
								35			29		26			14		7	6	5			180	3
								36			30		27			15		8	7	6	202		180	4
								37			31		28			16		9	8	7			181	1
								38			32		29			17		10	9	8			181	2
								39			33		30			18		11	10	9			181	3

	ANNI									
	Ab orbe cōdito.	A Diluuio.	Ab introitu Israel in terram Chanaan.	Ab initio Olympiadum	Vrbis conditæ.	Aeræ à Nabonassaro.	A Templi desolatione.	Hebdomadarum Danielis.	Monarchiæ Alexandri Magni.	Ab obitu Alex. Magni.
Crassus in bello Parthico cadit. Et Cleop. regnat in Ægypto. Post annos 4.	4001 4	2345 4	1418 4	724 4	701 4	696 4	555 4	392 4	278 4	272 4
Cæsar Romam occupat. Et Ptol. Dionys. regnat in Ægypto.	4005	2349	1422	728	705	700	559	396	282	276
Pompeium vincit, qui in Ægypto occiditur.	4006	2350	1423	729	706	701	560	397	283	277
Herodes Galilææ præficitur an.	4007	2351	1424	730	707	702	561	398	284	278
Cæsar anni dies ad solis cursum redigit.	4008	2352	1425	731	708	703	562	399	285	279
Antipater mittit auxilia Cæsarianis contra Bassum.	4009	2353	1426	732	709	704	563	400	286	280
Cæsar à Cassio & Bruto interficitur an.	4010	2354	1427	733	710	705	564	401	287	281
Octauianus Cæsar primum Consulatum inuadit, & cum Antonio ac Lepido Triumuiratum init an	4011	2355	1428	734	711	706	565	402	288	282
Cassius & Brutus Philippis intereunt. Et S. Ioseph nascitur.	4012	2356	1429	735	712	707	566	403	289	283
Cleopatra Antonium amoribus suis implicat an.	4013	2357	1430	736	713	708	567	404	290	284
Antigonus Iudææ regnum occupat. Et Herodes Romæ Iudæorum Rex declaratur sub finem an. Olympici.	4014	2358	1431	737	714	709	568	405	291	285
Concurrit ferè totus cum 1. Herodis, in quo Vintidius Parthis fugatis venit in Iudæam.	4015	2359	1432	738	715	710	569	406	292	286
Vintidius Parthos vicit, eorumque Regem interfecit, an.	4016	2360	1433	739	716	711	570	407	293	287
Herodes recuperata Galilæa, obsidet Ierosolymam anno	4017	2361	1434	740	717	712	571	408	294	288
Eamdem cum Sosio expugnat. Et S. Iacobus minor nascitur	4018	2362	1435	741	718	713	572	409	295	289
Aristobulo adolescenti Pontificatum tradit.	4019	2363	1436	742	719	714	573	410	296	290
Eumdem callidè interfici curat.	4020	2364	1437	743	720	715	574	411	297	291
Ad causam dicendam vocatus, Antonium muneribus placat.	4021	2365	1438	744	721	716	575	412	298	292
Antonius Armeniam Romano Imperio subiugat.	4022	2366	1439	745	722	717	576	413	299	293
Octauianus Cæs. victo Antonio Romanū obtinet Imperium.	4023	2367	1440	746	723	718	577	414	300	294
Antonio & Cleopatra extinctis, subigit Ægyptum, deleto Græcorum Imperio.	4024	2368	1441	747	724	719	578	415		
Romæ tres triumphos egit.	4025	2369	1442	748	725	720	579	416		
Herodes Mariammem coniugem interficit.	4026	2370	1443	749	726	721	580	417		
Cæsari Senatus confirmat Imperium.	4027	2371	1444	750	727	722	581	418		
Herodes etiam amicos necari imperat.	4028	2372	1445	751	728	723	582	419		
Babæ filios annis iam duodecim latitantes interficit.	4029	2373	1446	752	729	724	583	420		
Theatrum & Amphitheatrum extruere incipit.	4030	2374	1447	753	730	725	584	421		
Regiam ædificat, & vxorem ducit an.	4031	2375	1448	754	731	726	585	422		
Templum Ierosolymitanum augustiùs erigere aggreditur.	4032	2376	1449	755	732	727	586	423		
Annus Iubilei vigesimi noni.	4033	2377	1450	756	733	728	587	424		
Octauianus Augustus venit in Syriam.	4034	2378	1451	757	734	729	588	425		
Herodes Cæsaream designat, & ædificare incipit.	4035	2379	1452	758	735	730	589	426		
Quasdā extruit arces, quas ex cognatorū nominibus appellat	4036	2380	1453	759	736	731	590	427		
Nascitur beatissima Dei genitrix Maria an.	4037	2381	1454	760	737	732	591	428		
Herodes ad inuisendum Agrippam proficiscitur.	4038	2382	1455	761	738	733	592	429		
Cum eodem multas Asiæ vrbes peragrat.	4039	2383	1456	762	739	734	593	430		
Beatissima Virgo ducitur in templum, ibique manet.	4040	2384	1457	763	740	735	594	431		
Herodes expleta templi fabrica, eius dedicationem celebrat.	4041	2385	1458	764	741	736	595	432		

Vitæ

ANNI

Vitæ Iacob.	Vitæ Annæ Prophetissæ.	Vitæ Herodis Ascalonitæ.	Vitæ Ioachimi.	Vitæ Octauiani Cæsaris.	A Ierosolyma per Pompeium capta.	Regni postremi Cleopatræ in Aegypto.	Regni Ptolemæi Dionysij in Aegypto.	Imperij Octauiani Cæs. à primo Consulatu.	Vitæ sancti Iosephi.	Regni Antigoni in Iudæa.	Regni Herodis ab adepto titulo Regni.	Regni Herodis ab adepto possessione Regni.	Vitæ S. Iacobi Minoris.	Imperij Octauiani Cæsaris à pugna Actiaca.	Imperij Octauiani Cæsaris à iuridica Imperij cō firm.	A cœpta Herodiani templi fabrica.	Vitæ beatissimæ Virginis Mariæ.	Sabbatici.	Iubileorum.	Olympiadis.	Annus.
40	34	19	12	11	10	1															
4	4	4	4	4	4	4														181	4
44	38	23	16	15	14	5	1													182	4
45	39	24	17	16	15	6	2													183	1
46	40	25	18	17	16	7														183	2
47	41	26	19	18	17	8														183	3
48	42	27	20	19	18	9														183	4
49	43	28	21	20	19	10														184	1
50	44	29	22	21	20	11		1										204		184	2
51	45	30	23	22	21	12		2	1											184	3
	46	31	24	23	22	13		3	2											184	4
	47	32	25	24	23	14		4	3	1										185	1
	48	33	26	25	24	15		5	4	2	1									185	2
	49	34	27	26	25	16		6	5	3	2									185	3
	50	35	28	27	26	17		7	6	4	3									185	4
	51	36	29	28	27	18		8	7	5	4	1	1					205		186	1
	52	37	30	29		19		9	8		5	2	2							186	2
	53	38	31	30		20		10	9		6	3	3							186	3
	54	39	32	31		21		11	10		7	4	4							186	4
	55	40	33	32		22		12	11		8	5	5							187	1
	56	41	34	33		23		13	12		9	6	6	1						187	2
	57	42	35	34		24		14	13		10	7	7	2						187	3
	58	43	36	35				15	14		11	8	8	3				206		187	4
	59	44	37	36				16	15		12	9	9	4						188	1
	60	45	38	37				17	16		13	10	10	5	1					188	2
	61	46	39	38				18	17		14	11	11	6	2					188	3
	62	47	40	39				19	18		15	12	12	7	3					188	4
	63	48	41	40				20	19		16	13	13	8	4					189	1
	64	49	42	41				21	20		17	14	14	9	5					189	2
	65	50	43	42				22	21		18	15	15	10	6	1		207		189	3
	66	51	44	43				23	22		19	16	16	11	7	2			29	189	4
	67	52	45	44				24	23		20	17	17	12	8	3				190	1
	68	53	46	45				25	24		21	18	18	13	9	4				190	2
	69	54	47	46				26	25		22	19	19	14	10	5				190	3
	70	55	48	47				27	26		23	20	20	15	11	6	1			190	4
	71	56		48				28	27		24	21	21	16	12	7	2			191	1
	72	57		49				29	28		25	22	22	17	13	8	3	208		191	2
	73	58		50				30	29		26	23	23	18	14	9	4			191	3
	74	59		51				31	30		27	24	24	19	15	10	5			191	4

	ANNI									
	Ab orbe cōdito.	A Diluuio.	Ab introitu Iſrael in terram Chanaan.	Ab initio Olympiadum	Vrbis conditæ.	Aere à Nabonaſſaro.	A Tēpli deſolatione.	Hebdomadarum Danielis.	Vitæ Annæ Prophetiſſę.	Vitæ Herodis Aſcalonitæ.
Antipater Herodis F. Romæ admodum honoratur.	4042	2386	1459	765	742	737	596	433	75	60
Herodes ad Cæſarem filios adducit & accuſat an.	4043	2387	1460	766	743	738	597	434	7	61
Domum reuerſus, concionem habet ad populum an.	4044	2388	1461	767	744	739	598	435	77	62
Cæſareæ à ſe ædificatæ dedicationem celebrat an.	4045	2389	1462	768	745	740	599	436	78	63
Auguſtus Cæſ. anni emendationem reſtitui curat an.	4046	2390	1463	769	746	741	600	437	79	64
Gentes Alpinas in poteſtatem redegit an.	4047	2391	1464	770	747	742	601	438	80	65
C. Cæſar Auguſti F. toti Orienti præficitur an.	4048	2392	1465	771	748	743	602	439	81	66
Herodes de Italia reuerſus, pugnat contra latrones.	4049	2393	1466	772	749	744	603	440	82	67
Prænuntiatur ortus S. Io. Bapt. & beatiſſ. Virgo deſponſatur.	4050	2394	1467	773	750	745	604	441	83	68
Naſcitur S. Io. Baptiſta. & poſt 6. menſ. D. N. Ieſus Chriſtus. & poſt 3. menſ. moritur Herodes, cui ſuccedit Archelaus.	4051	2395	1468	774	751	746	605	442	84	69
Antipas Archelai frater Romam petit.	4052	2396	1469	775	752	747	606	443		
Archelaus redit in Iudæam cum titulo Ethnarchæ.	4053	2397	1470	776	753	748	607	444		
Puer Ieſus de Ægypto reportatur an. Poſt annos 2.	4054 2	2398 2	1471 2	777 2	754 2	749 2	608 2	445 2		
Auguſtus R. C. poteſtatem in aliud decennium prorogat an. Poſt annos 4.	4056 4	2400 4	1473 4	779 4	756 4	751 4	610 4	447 4		
Archelaus in Galliam relegatur an.	4060	2404	1477	783	760	755	614	451		
Templum Ieroſolymitanum à Samaritanis polluitur an.	4061	2405	1478	784	761	756	615	452		
Puer Ieſus inuenitur in Templo an. Poſt annos 2.	4062 2	2406 2	1479 2	785 2	762 2	757 2	616 2	453 2		
Annius Rufus in Iudæam Præſes mittitur anno Poſt annos 2.	4064 2	2408 2	1481 2	787 2	764 2	759 2	618 2	455 2		
Auguſtus Cæſar moritur, cui ſuccedit Tiberius ſub fin. anni	4066	2410	1483	789	766	761	620	457		
Hic annus magis concurrit cum primo Tiberij	4067	2411	1484	790	767	762	621	458		
Valerius Gratus Pontificatum Simoni defert	4068	2412	1485	791	768	763	622	459		
Iubet Simonem cedere Pontificatum Ioſepho an. Poſt annos 2.	4069 2	2413 2	1486 2	792 2	769 2	764 2	623 2	460 2		
Naſcitur filia Archiſynagogi, & infirmatur Hęmorrhoiſſa an. Poſt annos 6.	4071 6	2415 6	1488 6	794 6	771 6	766 6	625 6	462 6		
Intermittitur Templi fabrica an.	4077	2421	1494	800	777	772	631	468		
Tiberius Cæſ. mittit Pontium Pilatum in Iudęam Præſidē an. Poſt annos 3.	4078 3	2422 3	1495 3	801 3	778 3	773 3	632 3	469 3		
Ieſus baptizatur, & ſuam exorditur prædicationem an.	4081	2425	1498	804	781	776	635	472		
Suſcitat filiā Archiſynagogi; & languidū curat ad Piſcinā an.	4082	2426	1499	805	782	777	636	473		
S. Ioannes Baptiſta necatur. Annus Iubilei trigeſimi	4083	2427	1500	806	783	778	637	474		
Chriſtus pro ſalute mundi patitur & moritur anno	4084	2428	1501	807	784	779	638	475		

Vitæ

ANNI

Vitæ Octauiani Cæsaris.	Imperij Octauiani Cæsar. à primo Cōsulatu.	Vitæ S. Ioseph.	Regni Herodis ab adepto regni titulo.	Regni Herodis ab adepto regni possessione	Vitæ S. Iacobi Minoris.	Imperii Octauiani Cæsaris à pugna Actiaca	Imperii Octauiani Cæsaris à iuridica eius cōfirmatione.	A cœpta Herodiani Templi fabrica.	Vitæ beatissimæ Virginis Mariæ.	Infirmitatis languidi Euangelici.	Vitæ S. Ioannis Baptistæ.	Vitæ Dñi nostri Iesu Christi.	Ethnarchiæ Archelai.	Mulieris curuæ à Christo sanatę.	Imperij Tiberij Cæsaris.	Vitæ F. Archisynagogi & infirmitatis Hæm.	Sabbatici.	Iubileorum.	Olympiadis.	Annus.
52	32	31	28	25	25	20	16	11	6										192	1
53	33	32	29	26	26	21	17	12	7										192	2
54	34	33	30	27	27	22	18	13	8										192	3
55	35	34	31	28	28	23	19	14	9	1									192	4
56	36	35	32	29	29	24	20	15	10	2							209		193	1
57	37	36	33	30	30	25	21	16	11	3									193	2
58	38	37	34	31	31	26	22	17	12	4									193	3
59	39	38	35	32	32	27	23	18	13	5									193	4
60	40	39	36	33	33	28	24	19	14	6									194	1
61	41	40	37	34	34	29	25	20	15	7	1	1	1						194	2
62	42	41			35	30	26	21	16	8	2	2	2						194	3
63	43	42			36	31	27	22	17	9	3	3	3				210		194	4
64 2	44 2	43 2			37 2	32 2	28 2	23 2	18 2	10 2	4 2	4 2	4 2						195	1
66 4	46 4	45 4			39 4	34 4	30 4	25 4	20 4	12 4	6 4	6 4	6 4						195	3
70	50	49			43	38	34	29	24	16	10	10	10				211		196	3
71	51	50			44	39	35	30	25	17	11	11							196	4
72 2	52 2	51 2			45 2	40 2	36 2	31 2	26 2	18 2	12 2	12 2							197	1
74 2	54 2	Quādiu autē S. Ioseph superuixerit, ignoratur.			47 2	42 2	38 2	33 2	28 2	20 2	14 2	14 2							197	3
76	56				49	44	40	35	30	22	16	16		1					198	1
					50			36	31	23	17	17		2	1		212		198	2
					51			37	32	24	18	18		3	2				198	3
					52 2			38 2	33 2	25 2	19 2	19 2		4 2	3 2				198	4
					54 6			40 6	35 6	27 6	21 6	21 6		6 6	5 6	1 6			199	2
					60			46	41	33	27	27		12	11	7			200	4
					61 3				42 3	34 3	28 3	28 3		13 3	12 3	8 3			201	1
					64				45	37	31	31		16	15	11	214		201	4
					65				46	38	32	32		17	16	12			202	1
					66				47		33	33		18	17			30	202	2
					67				48			34			18				202	3

56.Cete-

56. Ceterùm, quoniam veluti ſpatioſo vaſtoque nimis mari tandem emenſo, magniſque difficultatibus, tamquam fluctuum voluminibus, Deo benè iuuante ſuperatis, nauicula hæc noſtra iam quò tendebat, appulit; reſtat, vt ſummo bonorum omnium Auctori ac munificentiſſimo largitori, ſi non quas debemus, ſaltem quas poſſumus, gratiarum actiones exoluamus, & coram omnibus viuentibus benedicamus ei, qui fecit nobiſcum miſericordiam ſuam. *Etenim ſacramentum Regis abſcondere, bonum eſt; opera autem Dei reuelare & confiteri, honorificum eſt:* Tob. cap. 12. verſ. 6. Verùm, quis tibi dignè valeat pro tanto beneficio iura gratiarum ac laudum præconia rependere? quas tibi laudes fragilitas mea perſoluet? Accipe ſaltem, obſecro Domine, has quaſcumque viles, quaſcumque exiles, quaſcumque meritis tuis impares; & cùm ſuſceperis vota, imperfectum meum parcendo excuſa. Itaque ſummo Regi ſæculorum immortali & inuiſibili, Patri, & Filio, ac Spiritui ſancto, ſoli Deo, à quo bona cuncta procedunt, & ſine quo nihil boni non modò agere, ſed nec cogitare quidem poſſumus, omnis honor & gloria. Et tibi pariter Mediator Dei & hominum Ieſu Chriſte, Deus & homo: verus, inquam, Deus de Deo, naturalis ſcilicet æterni Dei Filius, verus itidem homo factus pro noſtra omniumque ſalute, qui hos qualeſcumque labores ad optatum finem perducere dignatus es, & vt opus longè viribus meis impar abſoluerem, copioſum munus gratiæ indigniſſimo huic ſeruulo tuo contuliſti. Verè tu Domine, (vt S. Auguſtini ex Serm. 5. Dedicationis Eccleſiæ verbis vtar) verè, inquam, Domine Deus, tu viſitaſti animum meum, mentem erexiſti, excitaſti affectum, ſubrogaſti auxilium, inſpiraſti necdum volenti vt vellem, adiuuiſti bonæ voluntatis conatus vt facerem. Sed quid aio, vt facerem? ipſe, qui operaris in tuis & velle & perficere pro bona voluntate, quidquid in toto hoc Opere boni eſt, ipſe cœpiſti, ipſe direxiſti, ipſe perfeciſti: tibi laus, tibi gloria, nunc & ſemper, amen. Gratias tibi quoque Deipara ſemperque beatiſſima Virgo Maria, diuinarum gratiarum primaria diſpenſatrix; cuius benignitate, meritis, & interceſſione, tantam me gratiam obtinuiſſe profiteor & gaudeo. Necnon vobis etiam omnibus Sanctis, præſertim verò ſpecialibus patronis meis, apud Deum pro me, vt confido, ſanctiſſimamq; eius Matrem aſſiduè deprecantibus, S. Michaëli Archangelo, ſancto ad mei cuſtodiam Angelo diuinitus deſtinato, S. Ioanni Baptiſtæ, SS. Apoſtolis Petro & Paulo, B. Auguſtino ſanctæ Eccleſiæ Doctori, & S. Luciæ virgini ac martyri; quorum fauore ac precibus, quod præ ingenij mei tenuitate, & ob alias neceſſarias diuturnaſque muneris mei occupationes, cum perpetua viſus imbecillitate coniunctas, ſperare non audebam; ſingulari Dei dono abſoluiſſe me fateor. Sed hìc non valeo me cohibere, quin ſpeciatim ſanè plurimùm debere me tibi palàm profiteor, ô beata Lucia virgo Deo deuota, quæ quondam à me in ſæculo pro oculorum valetudine exorata, duplicem mihi à diuina miſeratione lucem impetraſti: ac primò quidem, quam tunc minùs expetebam, internam, cuius ope intellexi, quàm bonum & quàm iucundum eſſet, depoſitis curis ſæcularibus, me totum Dei ſeruitio mancipare: deinde etiam externam, quam adeò debilitatam, vt de ea penitus aliquando deperdenda periclitarer, ita ſingulari apud Deum ſupplicatione tua hactenus conſeruandam curaſti, vt ad has quoque lucubrationes tandem abſoluendas, quodammodò præter ſpem deſeruire potuerit. Precor cæleſtem Regem, iiſdemmet Sanctis implorantibus, vt quas duobus Tomis comprehenſas in ſimplicitate mea ad commune commodum emitto, non ſecùs ac olim duo illa pauperculæ minuta, inter pretioſa diuitum munera in Gazophylacium ſacrum collata, acceptas habere velit; & qui ſolus tam verbis quàm rebus vim virtutemque conferre poteſt, pro ſua miſeratione efficiat, ne prorſus futiles atque inanes euadant, ſed tales quales optamus, quò ſcilicet ex his Scripturæ ſacræ ſtudioſi vberiores fructus capere queant. Amen.

FINIS.

ARGVMENTA RERVM PRÆCIPVARVM QVÆ IN PRIMO TOMO PERTRACTANTVR.

De

ARGVMENTA RERVM PRÆCIPVARVM QVÆ IN SECVNDO TOMO PERTRACTANTVR.



De

INDEX
LOCORVM S. SCRIPTVRÆ
QVÆ
IN HOC OPERE ALIQVO MODO EXPLICANTVR.

Dictio Præ. *signat ea quæ in Præfatione citata sunt:* M. Pri. *quæ in Mundi Primordijs:* M.D.1. *vel* 2. *&c. indicat ea quæ sub Mundi die* 1. *vel* 2. *&c. primæ eiusdem Mundi hebdomadæ habentur:* M.A.1. *vel* 2. *&c. Mundi annos denotat: denique* num. 1. *vel* 2. *&c. numeros paragraphorum initiis præfixos.*

GENESIS.

LEVITICI.

NVMERI.

DEVTERONOMII.

IOSVE.

IVDICVM.

RVTH.

I. REGVM.

II. REGVM.

III. REGVM.

IIII. REGVM.

I. PARALIPOMENON.

II. PARALIPOMENON.

I. ESDRÆ.

II. ESDRÆ.

TOBIÆ.

IVDITH.

ESTHER.

IOB.

PSALMORVM.

O S E E.

I O E L I S.

A M O S.

A B D I Æ.

I O N Æ.

M I C H Æ Æ.

M A R C I.

L V C Æ.

I O A N N I S.

ACTORVM.

AD ROMANOS.

Verſ.

B. IACOBI.

I. PETRI.

II. PETRI.

I. IOANNIS.

IVDÆ.

APOCALYPSIS.

IN-

INDEX
RERVM ET VERBORVM VNIVERSALIS,

Per annos & numeros ad normam præcedentis digeſtus.

depre-

Ierosi-

Augu-

Belothus

C.

eius

Cheru-

Crescite,

Elul

F.

G.

H.

flammis

huius

K.

L.

M.

P.

Pauli

secunda

Responsa

Sebastes

Nabucho-

V.

FINIS.



ANTVERPIÆ,

EX OFFICINA PLANTINIANA

BALTHASARIS MORETI.

M. DC. XX.


LABORE ET CONSTANTIA



